6-2
C 52-3
BX
1492
.S83
1613
Jesuitaray 1/10/74
DOM. S. ALOYS. JERSEIENSIS. S.J.
OCLC 37987252
10/22/2007

DEFENSIO

FIDEI CATHOLICÆ, ET APOSTOLICAE

Aduerſus Anglicanæ ſectæ errores,

CVM RESPONSIONE

AD APOLOGIAM PRO IVRAMENTO FIDELITATIS, & Præfationem monitoriam Sereniſsimi IACOBI Angliæ Regis.

Authore P. D. FRANCISCO SVARIO Granatenſi è Societate IESV Sacræ Theologiæ in celebri Conimbricenſi Academia Primario Profeſſore.

AD SERENISSIMOS TOTIVS CHRISTIANI Orbis Catholicos Reges, ac Principes.



CONIMBRICÆ.

CVM PRIVILEGIIS REGIS CATHOLICI.

Apud Didacum Gomez de Loureyro Academiæ Typographum.
Anno DOMINI 1613.

SERENISSIMIS REGIBVS, AC PRINCIPIBVS ROMANÆ, & Catholicæ Eccleſiæ Filijs, ac Defenſoribus.

Franciſcus Soarius è Societate IESV temporariam, & æternam felicitatem.

NVPER edito libro Sereniſsimus Iacobus magnæ Britanniæ Rex ad Religionis ſuæ communionem quaſi amico claſsico Catholicos Reges, ac Principes euocauit. Vt quos ad defenſionem Romanę Eccleſiæ, quam ſanguine ſuo acquiſiuit Rex Regum, & Dominus Dominantiũ Chriſtus, ſuprema armauit poteſtate, hos ad illius offenſionem communicato conſilio incitaret. Irrito tamen conatu Sereniſsimus Rex ſtylum exercuit. Nec enim portæ inferi aduerſus eam præualebunt, aut quos in Romana petra fundatos lapis angularis Chriſtus firmiſsimo veræ pietatis vinculo innectit, frigida Aquilonis procella dimouere poterit. Vtinam maiorum ſuorum inuictiſsimorum Regum veſtigia ſequutus vobiſcum potiùs ad Catholicæ Eccleſiæ maieſtatem exornandam conſpiraret; vt quibus poteſtate, & imperio par eſt, veræ pietatis ſtudio inferior non eſſet: & inter illos Reges numerari potiùs vellet, quos illius nutritios diuina conſtituit auctoritas, quàm inter illos, quos aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius impietatis furor inflammauit.

Cum ergo dum librum edidit ſuæ indicem religionis, nec Regali, qua fulget, maieſtate, nec armorum ſtrepitu, ac potentia (cui ſacerdos Chriſti, & religioſus homo obſiſtere nequit)

ſed ſolius humani ingenij, & ſtyli acumine Catholicæ Eccleſiæ bellum inferat; proprium mei muneris, & inſtituti exiſtimaui in aciem prodire, non vt tanti Regis nomini, & ſplendori officiam, quod nec poſſum, nec cupio: ſed vt nebulæ, à fœtidis Nouatorum lacunis exhalatę, quibus catholicam obſcurare nititur veritatem, veræ ſapientiæ radijs diſſolutæ in aerem, & fumos euaneſcant: quod vt perficerem, eam à Deo patre luminum obnixè precatus ſum lucem, eam ſynceræ veritatis cognitionem, quam à Chriſto Domino per Apoſtolos traditam, & Sanctorum Patrum vigilijs expoſitam cõſectari ille debet, qui rectam viuendi, credendiq; viam tenere cupit. Aſpiret inceptis illud numen, in cuius manu ſunt corda Regum. Vosq̂; Catholici Orbis Reges, ac Principes, qui ſereniſsimũ Iacobũ, quales vos eſtis, talem germano affectu exoptatis, qualecunq́; opus hoc noſtrum in veſtrum recipite patrocinium veſtra auctoritate defendendum: veſtrum enim illud, ſcitumq́; eſt; *Noſtra facimus, quibus noſtram impertimus auctoritatem*; veſtrum igitur opus ſit, vt Regia veſtri patrocinij auctoritate defenſum, ac ornatum fulgore, & ſecurum in publicum prodeat, & illuſtre orbi appareat, & Regijs oculis indignum non exiſtimetur. Neque enim aliter, niſi veſtro ſub nomine libro ſereniſsimi Regis noſter hic, quo Dei cauſam tuemur, opponi poteſt. Hæc enim vna me impulit cogitatio, vt vobis laborem hunc noſtrũ officioſa animi ſubmiſsione dicarem, qui maiorum veſtrorum imperij, & pietatis hæredes Catholicæ Eccleſiæ tutelam religiosè ſuſcepiſtis, conſtanterq; curatis. Alijs pro antidoto inſeruire poteſt noſter hic labor; vobis antidoto (quæ eſt ſumma Dei pietas) opus non eſt contra Nouatorum furorem, quorum venena ab ſtygijs hauſta riuulis vobis nocere non poſſunt, qui veræ, & catholicæ fidei vnitate Chriſto Domino, eiuſque in terris Vicario Romano, ac Summo Pontifici, ceu capiti ſuo pulcherrima corporis membra, ſubditi, & innexi in virtute Dei cuſtodimini. In quo dum ſuprema veſtra poteſtas ſtabilitur, ad maiorem imperij gloriam increſcat, & ad æternam proficiat felicitatem. Conimbricæ decimo tertio die Iunij Anni 1612

CEN-

¶ CENSVRA ILLVSTRISSIMI D. D. Alfonſi à Caſtello Branco Epiſcopi Conimbricenſis, Comitis Arganilenſis, Domini Coiæ, &c. à Conſilijs Catholicæ Maieſtati.

EX commiſsione Illuſtriſsimi Epiſcopi D. Petri de Caſtilho Luſitaniæ Proregis, & Supremi in rebus fidei Inquiſitoris, accuratiſsime legi, & cenſorio euolui ſtudio Defenſionem Fidei Catholicæ aduerſus Anglicanæ Sectæ errores, cum reſponſione ad Apologiam, & Epiſtolam ad Principes Chriſtianos, Sereniſsimi Iacobi Angliæ Regis: ab inſigni Doctore Franciſco Soario è Societate I E S V in lucem editam. In qua non ſolum Sacræ paginæ authoritati omnia religioſe conſonant, Apoſtolicis traditionibus piè correſpondent, Oecumenicis Concilijs, Summorum Pontificum decretis erudite conſentiunt; verum tanti Autoris latiſsime elucet Sapientia, è Sanctorum Patrum fontibus pluſquam humano ſtudio hauſta. Quorum integra fidè teſtimonia ita crebro, & appoſite inducit, vt illius ore locutos ad Defenſionem hanc roborandam conſpiraſſe omnes affirmare audeam, magnaque propterea Catholicæ Eccleſiæ vtilitate, magno Chriſtianæ doctrinæ emolumento in lucem prodituram. Cuius lectione multa à Patribus præclarè dicta, quæ dudum legeram, in memoriam reuocaui: multa etiam magna cum voluptate denuo didici. Vtinamque obtuſa perfidiæ tenebris Hæreticorum acies tantum iubar perferre poſſet. Facile enim inſtabilem ſuarum opinionum vanitatem irriderent, quarum fundamenta huius operis lectione omnino euerſa clariſsime cernerent. Quod ſi Epiſcopo, qui in theologica adoleuit Schola, & inter Sanctorum Patrum libros conſenuit, Sereniſsimi Angliæ Regis maieſtatem alloqui præſentem liceret, quod olim Auguſtiſsima, & Sanctiſsima Maria eius mater voce, & ſanguine teſtata eſt, veriſsimè prædicarem. Irenæo, Dionyſio, Auguſtino, Hieronymo, & reliquis Catholicæ Eccleſiæ Doctoribus, quorum iudicium in hoc libro expreſſum offerimus, vitæ Sanctitatem nemo ignorat, potius credendum eſſe; quam Luthero, & Caluino, quorum ſcelera, etiam illorum diſcipuli, ſi legant, non poſſunt non erubeſcere, & damnare; quorum inſcitiam inconſtans, ſibique aduerſa doctrina, & à vera religione aliena ſatis demonſtrat. D. Franciſco Soario humanarum rerũ religioſo contemptori, & vnius pietatis, ac religionis fortiſsimo defenſori; quem ego propter eximiam ſapientiam tot monumentis approbatam communem huius ætatis Magiſtrum, & Auguſtinũ alterum exiſtimo, potius cedendum admonerem, quam Angliæ Nouatoribus, qui ne erraſſe fateantur, obſtinata inconſtantia erroribus adhærent, & cupiditatum ſuarum abducti illecebris circa Fidem naufragauerunt, vt Paulus ait. Illud tamen prædico, illud moneo, quod olim Auguſtinus in ſimili cauſa. Non vincant Patres Catholicæ Eccleſiæ Doctores, nec Lutherus, & Caluinus impij veræ fidei deſertores; Non vincat Soarius Patrum religioſus diſcipulus, nec Nouatores Lutheri, & Caluini infelices vmbræ, ſed vna vincat Veritas ſincera huius libri cõmentatione illuſtrata. Quem ego typis, & omnium oculis, ad communem Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, ita dignum cenſeo, vt etiam ætati noſtræ de tanto Magiſtro, Societati I E S V de tali alumno meritò grātuler. Conimbricæ. 12. Iunij, Anni 1613.

Epiſcopus Conimbricenſis.

CENSVRA ILLVSTRISSIMI D. D. Ferdinandi Martinez Maſcaregnij Epiſcopi Algarbienſis, à conſilijs Catholicæ Maieſtati.

NON tantũ literis, quas hac de re ad me miſit Illuſtriſſimus D. Petrus de Caſtilho Epiſcopus, & generalis in tota Luſitania Inquiſitor, ſed ipſa delectatione trahente P. Franciſci Soarij celeberrimi Doctoris à me prælecta eſt accuratè, & cenſorio vngue examinata Defenſio, qua Fidem Catholicam mira dexteritate propugnat, oppugnatque Anglicanæ Sectæ errores: ac Sereniſsimi Iacobi Regis Angliæ ad apologiam quandam, epiſtolamque reſpondet. Qua in Defenſione nihil palnè offendi, quod Fidem orthodoxam offendat; quæ verò defendãt, inueni multa. Hoc enim opus mihi videtur velut alter fatalis clypeus, quem Dux Hebræorum ex imperio Dei quondam contra vrbem Hai feliciter eleuauit. Ita namque fiet, vt hac Defenſione per manus tanti Ducis ex Societate IESV quaſi Ioſue clypeo, in altum ſublata armatæ errorum copiæ, quas non Regis animus ſuopte ingenio ad pietatem pronus (vt pote à ſanctiſsima matre ac Martyre olim educatus) ſed quas furia Nouatorum nuper in Anglia ad Principes Chriſtianos claſsicum canens compulerat, penitus deleantur. Imo vero ipſe Sereniſsimus Angliæ Rex (qua pollet ingenij acie, atque exaggerati animi celſitudine) omnia, quæ in hac defenſione continentur, ſuis rationum ponderibus expendens, & ad iudicij trutinam librans, proſpectaq; in primis illa animi ſubmiſsione ac modeſtia, quam ſemper (vt par eſt) adhibet doctiſsimus Pater Soarius cum Regia Maieſtate diſputans, ſpes eſt fore, vt adſpirante numinis aura, ad ſaniora Matris Eccleſiæ conſilia animum vere Regium appellat: imitatus nempe Clodoueum illum primum Francorum Regem Chriſtianiſsimum, qui próximè moriturus, ipſum Romanũ Pontificem, quod ſciret vnicum eſſe totius Eccleſiæ viſibile caput Corona regia redimiuit: quo facto oppignorauit Regnum Gallorum in Eccleſiæ Romanæ præſidium, pariterque, & obſequium. Corona enim illa ad Sancti Petri Confeſsionem Regnum nominata fuit. Quo pietatis exemplo, ſtabili fundamento, nempe in petra ac Petri ſucceſſore regnum ſuum egregiè firmauit Clodoueus; cuius Rex Angliæ ſi imitetur factum, imitabitur exitus felicisſimos. Sed ad libri cenſuram redeo.

Cum magna Reip. Chriſtianæ vtilitate quaſi ex feraci, fæcundoque ſolo complura edidit religioſiſsimus iuxta, ac grauiſsimus Auctor ſui ingenij monumẽta, quæ orbis ſuſpicit, miratur, amat. Sed in hac defenſione vere palmaria elucent verba electa, grandes ſententiæ, rationum momenta plena energiæ, ac vigoris. Liber itaque totus, neruus, ſanguis, ſpiritus eſt. Concurrit in eo cum eruditione, iudicium admirabile; cum diligentia, facilitas in ſcribendo; cum doctrinæ copia, rerum ordo. Opponit memoriæ ſtudium indefeſſum; Scholaſticæ Theologiæ, iuris vtriuſque peritiam; geminæ iuxta antiquos patres Sacræ Scripturæ explicationi, libera, & ſubrancida Miniſtrorum interpretamenta; ſublimiori denique de Deo ſcientiæ, diſtinctam temporum ſeriem, illiuſque regni multiplicem Chronologiæ notitiam. Quæ libri Cenſura in panegyricam molem exurgeret, niſi obſtaret ſatis nota grauiſsimi Patris modeſtia, qua ſolet elogia putare iacula, encomia vulnera, hoſtes credere laudatores. Eſt igitur quod gratulemur Societati IESV, quaſi optimæ parenti, quod licet ex illius ſanctiſsimo inſtituto tanquam ex equo Troiano plures iam religione, literis, ac morũ probitate principes viri prodierint, vnũ tamen habet hac tempeſtate eminentiſsimũ Doctorẽ Patrem Soarium, qui ad ſubitos errorum tumultus ſedandos à prælo ad prælium tanquam bellator egregius accurrat alacriter vltra ſortem vireſque ſenectæ. Quare cenſeo præſens opus à me recognitũ, & probatum digniſsimum eſſe, quod publicam lucem aſpiciat, denſiſsimis errorum tenebris lucem ipſum allaturum. Farone die ſexta Menſis Decembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo duodecimo.

D. Ferdinandus Miz Maſcaregnius.
Epiſcopus Algarbienſis.

CEN.

¶ CENSVRA ILLVSTRISSIMI D.D. Martini Alphonſi à Mello Epiſcopi Lamecenſis à Conſilijs Catholicæ Maieſtati.

PERLEGI ex cõmiſsione Illuſtriſsimi Domini Inquiſitoris Generalis Defenſionem Fidei Catholicæ aduerſus Anglicanæ ſectæ errores cum reſponſione ad apologiam pro iuramento fidelitatis,& Epiſtolam ad Principes Chriſtianos Sereniſsimi Iacobi Angliæ Regis. Opus editum à Sapientiſsimo Doctore Franciſco Soario in Conimbricenſi Academia Primario Sacrę Theologiæ profeſſore. Ardenti fidei Zelo author clariſsimus, & Theologus eminentiſsimus, valens ſapientiæ viribus pro Eccleſia Dei in Anglia laborante diſtrinxit calamum contra ſæuientes in illo Regno hæreſum peſtes. Dimicat contra hæreticorum errores ex Scripturis diuinis explicatis, & intellectis in genuino ſenſu authoris ſacri inſtituto, & textui congruente. Affert ad confirmandas fidei veritates ſacrorum generalium Conciliorum, & Summorum Pontificum ſanctiones, quarum infallibili authoritati non obſequentes ſemper habiti ſunt à Chriſti fidelibus Eccleſiæ perduelles. Vtitur aptiſsimis, & ad rem maxime facientibus,ac ſelectiſsimis teſtimonijs Sanctiſsimorũ Patrum,quorum pietatem, & ſapientiam ſemper Eccleſia Dei ſuſpexit,& venerata eſt. Firmiſsimarum rationum momentis ita cuncta examinat,vt nihil in ſilentio relinquat indiſcuſſum: ſed perarduas, & difficiles quæſtiones dilucide pertractat, & omnibus vndequaque orientibus difficultatibus occurrit,vt veritas innoteſcat. Firmis & inconcuſsis argumentis poteſtatem Sũmi Pontificis ſupernaturalem tuetur, & oſtendit per ſummam iniuſtitiam Regem in erroribus verſantem ſpiritualem poteſtatem ſibi arrogare,& per manifeſtam hæreſim ab hęreticis Anglicanæ Sectæ illi attribui. Acute, & ſapienter detegit errores contra fidem deliteſcentes in iuramento, quod Rex Angliæ à ſubditis exigit, infidelitatem aduerſus Chriſtum, eiuſque Eccleſiam; iniuſtitiam erga ſubditos eo iuramento contineri demonſtrat; ita vt in iuramento præſtando cogantur ſubditi ſimul fidem Cataholicam abnegare; Agit hac in re acriter; ſed vere, & modeſte; Opus ſane doctiſsimum, ſingulari pietate, & eruditione plenum, & quod nec ab eo,qui dicendi ſtylo valeret, poſſet paribus laudibus. & encomijs exornari. Authoritatibus, & vi rationum ita ſunt Anglicanæ Sectæ errores conuicti, vt nullum ſit aduerſarijs effugium, nullus reſpondendi locus, niſi forte reſponſio dicatur inanium verborum contentio, & conuiciorum iactatio, apud dementes, & furentes homines conſueta. Faxit Deus, vt inſpecta hac efficaciſsima, & ſapientiſsima defenſione fidei (quæ ab initio naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis edoctæ ſancita miraculis, & ſuffulta martyrijs, eadem in Catholica, & Romana Eccleſia perſeuerat) Sereniſsimus Iacobus Angliæ Rex veritati catholicæ ſibi ſufficientiſsime propoſitæ attendens, vt dignum eſt Regio ingenio, ipſe, & ſubditi Proteſtantes ad Eccleſiam Catholicam Chriſti ſponſam aggregentur. Ego opus hoc Sapientiſsimi Doctoris Franciſci Soarij digniſsimum iudico, vt typis mandetur, & in lucem eat ad fidei noſtræ Victoriam de hæreſibus inſignem, & ad totius Orbis Chriſtiani publicam, & communem vtilitatem. Datum Lameci, vigeſimo quarto die Nouembris, 1612.

Martinus Epiſcopus Lamecenſis.

¶ FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGO Ioannes Aluarus Societatis IESV in Luſitana Prouincia Viſitator, ſimul ac Prouincialis è facultate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre noſtro Generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt hoc opus de Schiſmate Anglicano, à Patre Frãciſco Soario Societatis noſtræ, Sacręq; Theologiæ Doctore, & in Conimbricenſio Academia Primario Profeſſore compoſitum, & eiuſdem Societatis grauium Doctorumq; hominum iudicio approbatum typis mandetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloq; noſtro munitas dedimus. Conimbricæ. 5. Aprilis anni Domini 1612. Ioannes Aluarus.

¶ *Facultas ſupremi Senatus S. Inquiſitionis.*

VISTAS as Informações podeſſe imprimir eſte Libro contra as hereſias de Inglaterra: & depois de impreſſo torne a eſte Conſelho para ſe conferir, & dar licença para correr, & ſem ella não correrà. Em Lisboa. 7. de Ianeiro de 1613.

O Biſpo Deluas. O Biſpo de Nicomedia. Bartholameu da Fonſeca.

¶ Licença da Meſa do Paço.

PODESSE imprimir eſte Libro de Anglicano Schiſmate, compoſto pello Padre Franciſco Soarez Lente de Prima da Vniuerſidade de Coimbra, viſto a licença, que tem de ſeu Superior, & da Meſa do Sancto Officio. E depois de impreſſo tornarà para ſe taixar. Em Lisboa a 5. de Feuereiro de 1613.

D. Barboſa. *Luis Machado.*

¶ *Facultas Illuſtriſsimi D. D. Alphonſi de Caſtelbranco Epiſcopi Conimbricenſis, &c.*

DAMOS licença ao Padre Franciſco Soarez da Companhia de IESV para poder imprimir o Tomo contra a ſeita Anglicana, que ſerá de proueito vniuerſal. Coimbra a 14. de Iunio de 1613.

O Biſpo Conde.

CEN-

CENSVRA ACADEMIÆ Complutenſis.

DE Anglicano ſchiſmate tractatum, Defenſionemque Fidei Catholicæ aduerſus Anglicanę Sectę errores cum reſpōſione ad Sereniſsimi Iacobi Regis Angliæ librum, vna cum Epiſtola eius nuncupatoria ad Reges, & Principes Chriſtianos, à grauiſsimo Doctore Franciſco Soario è Societate IESV, & in Conimbricenſi Academia Primario Theologię Profeſſore in lucem editam, & Complutenſis Academiæ iudicio, à ſupremo Senatu commiſſam, & noſtræ curæ, & fidei ab eadem vniuerſitate demandatam quanta potuimus diligentia, & ſedulitate euoluimus: in quo opere nihil veritate Catholicæ fidei alienum, nihil deuium, nihil diſſonum deprehenditur. Verum tam felici marte aduerſus prædictum ſchiſma Anglicanum, & contra noſtri temporis Nouatores pugnauit Auctor, vt glorioſum ab illis omnibus triumphum reportauerit: nihil namque eſt in hoc opere, quod probari, laudarique non debeat. Elucet enim in eo viuidum, & vegetum Authoris ingenium in extricandis Hæreticorum technis, in euoluendis ſacræ paginæ, Sacrorum Conciliorum, Sanctorum Patrũ teſtimonijs, & totius antiquitatis monimentis opera, & induſtria, & in contorquendis argumentorum telis mira dexteritas. Denique nihil eſt in toto hoc opere à noſtro omnium ſenſu diſcordans, cùm de hac re ſit omnium noſtrum eadem vox, idem animus, eademque ſententia. Quamobrem ſi per quem ſtat hoc opus quàm cito: typis mandari iuſſerit, non authoris, ſed totius Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ cauſam rectè geſſiſſe arbitretur, nam veræ fidei ſectatoribus maximum ſolatium erit, parietque confuſionem his, qui ab illa defecerunt, Datis Compluti duodecimo Maij anni Domini milleſimi ſexcenteſimi decimi tertij.

D.D. Proſper Spinola Doria Rector.
D. Andreas Perez.
D.D. Ioannes de Pereda, & Gudiel.
D. Henricus à Villegas.
D. Ludouicus Monteſinos.
D. Melchior Fernandez à Bolibar.
Magiſter Fr. Laurentius. Gutierre.

¶ 5 PRIVI-

PRIVILEGIVM REGIS.

POR Quanto por parte de vos Franciſco Suaréz Religioſo de la Compañia de IESVS nos fue fecha relacion que en el nueſtro reyno de Portugal con licencia auiades impreſſo vn Libro intitulado *Defenſio fidei Catholicæ, & Apoſtolicæ, &c.* el qual ſera muy vtil, y prouechoſo a la republica Chriſtiana, y para que lo que aſi eſtaua impreſſo ſe pudieſſe traer a eſtos nueſtros reynos de Caſtilla, y vender en ellos, nos fue pedido, y ſupplicado os mandaſemos dar licencia para que pudieſedes meter en eſtos nueſtros reynos el dicho libro, y venderle en ellos, y priuilegio por veinte años, o como la nueſtra merced fueſe, lo qual viſto por los del nueſtro Conſejo, y como por ſu mandado ſe hicieron las diligencias, que la pregmatica por nos vltimamente fecha ſobre la impreſsion de los libros diſpone, fue acordado, que deuiamos mandar dar eſta nueſtra cedula para vos en la dicha razon, y nos tubimos lo por bien. Por la qual damos licencia, y facultad, para que el dicho libro, que de ſuſo ſe haze mencion, ſe pueda meter en eſtos nueſtros Reynos, aunque ſe aya impreſſo en el de Portugal, y aſi metido por tiempo de diez años primeros ſeguientes, que corran, y ſe cuenten del dia de la fecha deſta nueſtra cedula, vos, o la perſona, que vueſtro poder vbiere, y no otro alguno le pueda imprimir, y vender por el original, que en el nueſtro Conſejo ſe vio, que va rubricado, y firmado al fin del de Hieronymo Nuñez de Leon nueſtro Secretario de Camara de los que en el reſiden, con que antes que ſe venda, lo traygais ante ellos juntamente con el dicho original, para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conforme a el, o traygais fè en publica forma, en como por Corrector por nos nombrado ſe vio, y corrigio la dicha impreſsion por ſu original, y en el ſe ponga la cenſura del, y eſta nueſtro cedula, y mandamos al Impreſſor que aſi imprimere el dicho libro no imprima el principio del primer pliego, ni entregue mas de vn ſolo libro cō el original al Autor, o perſona a cuya coſta lo imprimiere, ni otra alguna para efeto de la dicha correciō, y taſſa, haſta que primero el dicho libro eſtè corregido, y taſſado por los del nueſtro Conſejo, y eſtando aſi, y no de otra manera ſe pueda imprimir el dicho libro, principio, y primero pliego en el qual ſeguidamente ſe pōga eſta nueſtra cedula, y priuilegio, y la aprouacion, taſſa, y erratas, ſopena de caer, y encurrir en las penas cōtenidas en la pragmatica, y leyes de nueſtros Reynos, que ſobre ello diſponen. Y mandamos que durante el dicho tiempo perſona alguna ſin vueſtra licencia no lo pueda imprimir, ni vender ſo pena que el que lo imprimiere aya perdido, y pierda todos y quales quier libros, moldes, y aparejos que el tuuiere, y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis, la qual dicha pena ſea la tercia parte para la nueſtra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo ſentenciare, y la outra tercia parte para el denunciador: y mandamos a los del nueſtro Conſejo Preſidente, y Oydores de las nueſtras audiencias, Alcaldes, Alguaziles de la nueſtra Caſa y Corte, y Chancellarias, y a todos los Corregidores, Aſsiſtente, Gouernadores, Alcaldes, maiores, y ordinarios, y otros juezes, y juſticias qualeſquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de los nueſtros Reynos, y Señorios, que vos guarden, y cūplan eſta nueſtra cedula, y merced que vos hazemos: y cōtra ſu tenor, y forma no vayan, ni paſſen en manera alguna. Fecha en S. Lourenço a nueue dias del mes de Iunio de 1613. YO EL REY.

¶ *Por mandado del Rey nueſtro ſeñor.* Iorge de Tobar.

¶ TASSA.

YO Geronimo Nuñez de Leon Secretario de Camara del Rey nueſtro ſeñor de los que en ſu Conſejo reſiden doy fè que hauiendoſe por los ſeñores del dado licencia para que ſe puedan meter en eſtos Reynos los libros compueſtos por el Padre Franciſco Suarez Religioſo de la Compañia de IESVS, intitulados Defenſio fidei, &c. *y para poder los vender liuremente, y priuilegio por diez años. Taſaron cada pliego del dicho Libro a* 4 -- *marauedis, y a eſte precio mandaron ſe vendieſe, y no a mas, y que eſta Taſſa ſe ponga al principio de cada libro, y para que dello conſte de mandamiento de los dichos ſeñores del Conſejo, y depedimiento de la parte del dicho Franciſco Suarez doy eſta fè. En Madrid a veinte y quatro dias del mes de Iunio de mil y ſeiſcentos y treze años.*

Geronimo Nuñez de Leon.

INDEX LIBRORVM,

ET CAPITVM

Huius operis.

LIBER PRIMVS.

Quantum Anglicana Secta à Fide Catholica diſsideat.

CAp. 1. De Fidei Catholicæ progreſſu, & ſtatu Anglicanę gentis à prima eius conuerſione vſque ad præſentia tempora.
Cap. 2. Sectam Anglicanam à fide vera diſceſsiſſe.
Cap. 3. Eccleſiam Chriſti non poſſe veram fidem amittere oſtenditur, & ratio facta roboratur.
Cap. 4. Non poſſe Catholicam Eccleſiam etiam per ignorantiam in rebus fidei errare.
Cap. 5. Romanam Eccleſiam eandem fidei ſtabilitatem habere, quam Catholica, oſtenditur, & aduerſariorum euaſioni occurritur.
Cap. 6. Stabilitas fidei, & Eccleſiæ Romanæ traditione oſtenditur.
Cap. 7. Excluditur tertia euaſio hæreticorum, quam per diſtinctionem Eccleſiæ viſibilis, & inuiſibilis confingunt.
Cap. 8. Occuritur aduerſariorum obiectionibus, & quo ſenſu Eccleſia viſibilis ſit, exponitur.
Cap. 9. Regem Angliæ, cùm nec Scripturam integram, nec verbum Dei non Scriptum admittat, fidei verè Chriſtianæ deſenſorem non eſſe oſtenditur.
Cap. 10. Ex fundamento, & ratione credendi Regis Angliæ ipſum non eſſe fidei verè Chriſtianæ deſenſorem oſtenditur.
Cap. 11. Veræ fidei Chriſtianæ fundamentum non eſſe in priuato ſpiritu ponendum.
Cap. 12. Ex nomine, (Catholicæ) Anglicanam Sectam fidem Catholicam non eſſe oſtenditur
Cap. 13. Obiectionibus contra doctrinam ſuperioris capitis occurritur.
Cap. 14. Ex ratione catholici nominis diſcurſus capitis precedentis confirmatur.
Cap. 15. Catholicam dici Eccleſiam, quia per totum Orbem diffuſa eſt, oſtenditur, & hæreticis occurritur.
Cap. 16. Quomodo verum ſit, Eccleſiam Catholicam eſſe per totum Orbē diffuſam.
Cap. 17. In Anglicano ſchiſmate fidem Apoſtolicam non eſſe.
Cap. 18. Obiectioni contra doctrinam ſuperioris capitis occurritur.
Cap. 19. Sectam Anglicanam nullius antiqui Martyris ſanguine decoratam, ſed potius damnatam eſſe oſtenditur.
Cap. 20 Veros noſtrorum temporum Martyres non Anglicanam ſectam, ſed Romanam fidem illuſtraſſe.
Cap. 21. Anglicanam Sectā vel propter ſolam ſchiſmatis turpitudinē deteſtabilē eſſe.
Cap. 22. Anglicanū ſchiſma in manifeſtam hæreſim, & apoſtaticā doctrinā tranſijſſe.
Cap. 23 Anglicanum ſchiſma pertinaciter ſectantes, neque ab hæreſi, neque ab hæreticorum nota excuſari poſſe.
Cap. 24. Rationes, quibus Rex hæretici maculam fugere ſtudet, refellitur.
Cap. 25. Immeritò Anglicanam ſectam fidem ſuam, & Eccleſiæ authoritatem ad quingenteſimum Chriſti annum limitare.
¶ Summa, & concluſio totius libri cum apoſtrophe ad Angliæ Regem.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE PECVLIARIBVS Erroribus in materia fidei Catholicæ, quos Rex Angliæ profitetur.

CAp. 1. De præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.
Cap. 2. Subſtantiam panis, & vini ſub ſpeciebus conſecratis non remanere.
Cap. 3. De Transſubſtãtiationis veritate.
Cap. 4. Euchariſtiam latriæ adoratione conuenienter adorari, & in hunc finem eleuari,& circumgeſtari.
Cap. 5. De Laicorum ſub vna tantùm ſpecie communione.
Cap. 6. De Miſsis priuatis.
Cap. 7. De Erroribus, qui circa cultum, & inuocationem Beatę Virginis in Regis Præfatione notantur.
Cap. 8. De Ijs, quæ circa cultum Sanctorum in Regis præfatione notantur.
Cap. 9. De Sanctorum inuocatione.
Cap. 10. De Sanctarum reliquiarum cuſtodia, & veneratione.
Cap. 11. De Vera imaginum Sanctarum veneratione, ſeu adoratione.
Cap. 12. Obiectionibus Regis contra imaginum venerationem ſatisfit.
Cap. 13. De Imaginibus Dei, vt Deus eſt.
Cap. 14 De Crucis Chriſti adoratione.
Cap. 15. De Errore circa purgatorium.
Cap. 16. De Erroribus circa Eccleſiæ ritus,& benedictiones.

¶ Summa, & totius libri concluſio cum apoſtrophe ad Angliæ Regem.

LIBER

LIBER TERTIVS.

De Summi Pontificis ſupra temporales Reges excellentia, & poteſtate.

Cap. 1. Vtrum principatus politicus legitimus, & à Deo ſit.

Cap. 2. Vtrum principatus politicus immediatè à Deo ſit, ſeu ex diuina inſtitutione.

Cap. 3. Fundamentis, & obiectionibus Regis Angliȩ contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.

Cap. 4. Vtrum inter Chriſtianos ſit legitima poteſtas ciuilis, cui Chriſtiani parere teneantur.

Cap. 5. Vtrum Reges Chriſtiani in ciuilibus, ſeu temporalibus ſupremam poteſtatem habeant, & quo iure.

Cap. 6. Vtrum ſit in Eccleſia Chriſti ſpiritualis poteſtas iuriſdictionis externæ, & quaſi politicæ à temporali diſtincta.

Cap. 7. Poteſtatem regendi Eccleſiam in Spiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis rebus, in temporalibus Regibus, ſeu Principibus non exiſtere authoritate probatur.

Cap. 8. Eadem veritas rationibus confirmatur.

Cap. 9. Soluuntur aliquȩ obiectiones contra veritatem in ſuperioribus capitibus probatam.

Cap. 10. Vtrũ Chriſtus Dominus ſupremam Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem Petro contulerit.

Cap. 11. Obiectionibus contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.

Cap. 12. An Primatus Petri perpetuò, & per ſucceſsionem in Eccleſia perſeueret.

Cap. 13. Romanum Epiſcopum verum Petri ſucceſſorem eſſe: & in eo Petri poteſtatem perſeuerare, ex diuina Scriptura credendum eſſe, oſtenditur.

Cap. 14. Romanũ Pontificem ſucceſſorem eſſe Petri teſtimonijs Sanctorum Patrum oſtenditur.

Cap. 15. Pontificem Romanum in dignitate, & poteſtate, ac Primatu Eccleſiæ, ſucceſſorem eſſe Petri, eorumdem Pontificum authoritate comprobatur.

Cap. 16. Occurritur Proteſtantibus argumentum ex Pontificum traditione ſumptũ eludentibus, & authoritate Conciliorum confirmatur.

Cap. 17. Eadem traditio Patrum authoritate confirmatur.

Cap. 18. Duabus obiectionibus contra Primatum Pontificis ex Scriptura, & Concilijs deſumptis, ſatisfit.

Cap. 19. Explicantur quȩdam loca Gregorij, quæ Rex obijcit, & veri tituli Romani Epiſcopi defenduntur.

Cap. 20. Alijs obiectionibus ex factis Imperatorum, & coniecturis deſumptis ſatisfit.

Cap. 21. Vtrum perſonæ Principum, ſeu Regum temporalium ſpirituali poteſtati Summi Pontificis ſubiectȩ ſint.

Cap. 22. Reges Chriſtianos non ſolùm quoad perſonas, ſed etiam quoad Regiam poteſtatem, id eſt, non ſolùm vt homines, ſed etiam vt Reges Chriſtianos poteſtati Pontificis ſubijci.

Cap. 23. Pontificem Summum poteſtate coerciua in Reges vti poſſe vſque ad depoſitionem à regno, ſi cauſa ſubſiſtat.

Cap. 24. Obiectionibus contra doctrinam ſuperiorum capitum ex Scriptura petitis occurritur.

Cap. 25 Alteri obiectioni ex factis Regum, quæ in veteri teſtamento narrantur, ſumptæ ſatisfit,

Cap. 26. Argumento ſumpto ex comparatione Regis, & Pontificis ſatisfit.

Cap. 27. Alijs obiectionibus ex Concilijs ſumptis ſatisfit.

Cap. 28. Patrum teſtimonijs, quȩ Rex obijcit, ſatisfit.

Cap. 29. Obiectionibus ex rei nouitate, & factis Imperatorũ, Regũq; deſũptis ſatisfit.

Cap. 30. Obiectionibus ex nonnullis rationibus deſumptis ſatisfit.

¶ Summa præcedentis libri cum apoſtrophe ad Regem Angliȩ.

LIBER

LIBER QVARTVS.

De Immunitate Eccleſiaſtica, ſeu exemptione Clericorum à iuriſdictione temporalium Principum.

Cap. 1. Quid nominibus Eccleſiaſticæ immunitatis, libertatis, ac exēptionis ſignificetur.
Cap. 2. Vtr. Clerici in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis cauſis à poteſtate Principum ſecularium iure diuino exempti ſint.
Cap. 3. Vtr. perſonæ Eccleſiaſticæ à iuriſdictione Principum etiam in rebus, & cauſis temporalibus eximi potuerint, & exemptæ ſint.
Cap. 4. Vtr. Summus Pontifex omni iure diuino, & humano ab omni iuriſdictione ſecularium Principum exemptus ſit.
Cap. 5. Expēditur locus Matth. *Da eis pro me, & te,* pro Summi Pontificis exemptione.
Cap. 6. Obiectionibus contra reſolutionem ſuperiorum capitum ſatisfit.
Ca. 7. Sextæ obiect. ſatisfit. & tractatur q. an Papa poſsit ſe humano iudicio ſubmittere.
Cap. 8. Vtr. clerici omnes ſub Pontifice exiſtentes à iuriſdictione temporalium Principum iure diuino exempti ſint, & tractantur duæ contrariæ opiniones.
Cap. 9. Priuilegium fori clericorum iure diuino, & humano eſſe fundatum, & quomodò id intelligendum ſit.
Cap. 10. Quomodo ſingulis clericorum, vel perſonarum Eccleſiaſticarum ordinibus exemptio Eccleſiaſtica iure diuino conueniat.
Cap. 11. Vtr. ſecluſo iure diuino immediato, potuiſſet exemptio clericorum per ius canonicum ſine adminiculo iuris ciuilis introduci.
Cap. 12. Vtrum priuilegium fori clericorum etiam iure ciuili fundatum ſit.
Cap. 13. Difficultati, quæ ex præcedenti capite oritur, occurritur, & quomodo Eccleſia diuerſis temporibus priuilegio fori vſa fuerit, explicatur.
Cap. 14. Qualis ſit clericorum exemptio in cauſis ciuilibus.
Cap. 15. Qualis ſit exemptio clericorum in cauſis criminalibus.
Cap. 16. An priuilegium fori exēptionem à legibus ciuilibus includat, & qualis illa ſit.
Cap. 17. Quale ſit Eccleſiarum priuilegium quoad ſuam, ſuorumque bonorum exemptionem ab oneribus, & poteſtate ſeculari.
Cap. 18. An exemptio à tributis ſecularibus conueniat Eccleſijs, earumque bonis, quatenus Chriſti patrimonium ſunt.
Cap. 19. An exemptio à tributis ſecularibus conueniat Eccleſiæ, & rebus ſacris ob earum ſpecialem ſanctitatem, ſeu conſecrationem.
Cap. 20. Vtr. quælibet bona, cùm Eccleſiaſtica fiunt, eo ipſo ſint ab omni tributo, & onere ciuili illis inhærente exempta.
Cap. 21. Aliquibus obiectionibus occurritur, & quàm ſit antiqua hæc bonorum Eccleſiaſticorum exemptio obiter explicatur.
Cap. 22. Qualis ſit exemptio Eccleſiaſtica quoad perſonalia onera clericorum.
Cap. 23. Vtr. redditus Eccleſiaſtici clericorum à tributis exempti ſint.
Cap. 24. Vtr. patrimonialia, & in vniuerſum bona temporalia clericorum ſub communibus legibus ſecularium tributorum comprehendantur.
Cap. 25. An clerici teneantur ad onera realia ſoluēda, quæ rebus immobilibus adhærent.
Cap. 26. An clerici ad communes ciuium expenſas contribuere teneantur,
Cap. 27. Vtr. omnes clerici tam in ſacris, quàm in minoribus ordinibus conſtituti, & in ſtatu clericali perſeuerantes integrè gaudeant Eccleſiaſtica libertate.
Cap. 28. An clerici coniugati priuilegio Eccleſiaſticæ exemptionis gaudeant.
Cap. 29. Vtr. aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ ordinem nullum habentes exemptione fori integrè gaudeant.
Cap. 30. An priuilegium immunitatis clericorum ab aliquo homine reuocari poſsit.
Cap. 31. Vtr. priuilegium clericorum poſsit per renuntiationem amitti, vel diminui.
Cap. 32. Vtrum priuilegium clericorum conſuetudine amitti, vel minui poſsit.
Cap. 33. Quibus modis poſsit immunitas Eccleſiaſtica violari.
Cap. 34. Quibus modis actiones contra libertatem Eccleſiaſticam excuſari ſoleant, & quid de illis iudicandum ſit.

¶ Superioris libri Summa.

LIBER

LIBER QVINTVS.

DE ANTICHRISTO,

cuius nomen, & perſonam per calumniam, & iniuriam falsò Proteſtantes Pontifici attribuunt.

CAp.1. De Antichriſti nomine, eiusque varia ſignificatione.
Cap.2. Vtrum Antichriſtus propriè dictus ſit homo aliquis ſingularis, vel ſedes aliqua, ſeu imperium.
Cap.3. Duabus Proteſtantium obiectionibus ex Daniele, & Paulo ſumptis contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.
Cap.4. Alteri obiectioni ex cap.17. Apocalyp. ſumptæ contra eandem reſolutionem capitis ſecundi ſatisfit.
Cap.5. De tempore perſecutionis, & mortis Antichriſti.
Cap.6. Primæ obiectioni Regis Angliæ contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.
Cap.7. Alteri obiectioni Regis Angliæ ex cap. 18. Apocalypſis deſumptæ ſatisfit.
Cap.8. Tertiæ obiectioni Regis Angliæ ex varijs noui Teſtamenti verbis deſumptæ ſatisfit.
Cap.9. Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichriſti, & initium eius ampliùs declaratur.
Cap.10. Alijs duobus argumentis ſatisfit, & obiter nonnullæ Catholicorum opiniones de tempore Antichriſti refelluntur.
Cap.11. Antichriſti tempore duos veros homines ad teſtimonium contra illum ferendum mittendos eſſe, ex cap. 11. Apocalypſis contra duas falſas Proteſtantium expoſitiones oſtenditur.
Cap.12. Eliam, & Enoch eſſe teſtes illos, qui contra Antichriſtum mittendi ſunt, oſtenditur.
Cap.13. Ioannem per duos teſtes, Enoch, & Eliam intellexiſſe, coniectura, & Patrum auctoritate oſtenditur.
Cap.14. Vtrum ex alijs Scripturæ locis oſtendi poſsit, Eliam, & Enoch futuros eſſe ſecundi Chriſti aduentus præcurſores, & teſtes contra Antichriſtum.
Cap.15. Antichriſti ſedem & loco, & gradu longiſsimè à Pontificis ſede diſtare.
Cap.16. Vbi futura ſit Antichriſti ſedes.
Cap.17. Ex deſcriptione perſonæ Antichriſti, quam Paulus tradit. 2. ad Theſſal. 2. illum Pontificis aduerſarium maximum potiùs, quàm Papam eſſe futurum, euidenter oſtenditur.
Cap.18. Quæ ex viſionibus cap.6. & 9. Apocalypſis Rex inducit, refelluntur.
Cao.19. Idem ex cap. 13. oſtenditur, & omnia, quæ Rex ex illo decerpit, refelluntur.
Cap.20. Quæ circa 14. 15. & 16. caput Apocalypſis Rex notat, diſcutiuntur.
Cap.21. Ex viſione capitis 17. & ſequentibus Apocalypſis nouum de Antichriſto errorem confutari potius, quàm confirmari.
Cap.22. Ex deſcriptione Antichriſti à Daniele Propheta tradita, fabula de Antichriſtianiſmo Romano euidenter refellitur.
¶ Eorum, quæ in hoc libro tractantur Summa, cum Apoſtrophe ad Regem Angliæ.

LIBER SEXTVS.

DE IVRAMENTO fidelitatis Regis Angliæ.

CAp.1. Quæ ſit præſentis controuerſiæ ſcopus, & cauſæ ſtatus, & quæ ratio diſputandi in ea ſeruanda ſit.

Cap.2. Vtrum in prima parte formulæ iuramenti aliquid præter obedientiam ciuilem, & contra Eccleſiaſticam iurandum proponatur.

Cap.3. In ſecunda iuramenti parte aliquid etiam vltra ciuilem obedientiam, & contra Eccleſiaſticam iurandum offerri.

Cap.4. Vtrum in tertia parte iuramenti aliquid vltra ciuilem obedientiam contra doctrinam Catholicam contineatur.

Cap.5. De vltima parte iuramenti,& erroribus in ea contentis.

Cap.6. Rationes,quibus iuramentum defenditur, expenduntur.

Cap.7. Summum Pontificem non ſolùm potuiſſe,ſed etiam debuiſſe Catholicos Anglos à profeſsione dicti iuramenti ſua monitione auertere.

Cap.8. Poſsintnè Angli hoc iuramentum admittentes, aliqua ratione, aut modo à culpa excuſari.

Cap.9. Liceatne catholicis Anglis templa hæreticorum adire, & cum eis in ritibus cōmunicare ſine intentione cultus,vel cooperationis cum illis, ſolùm propter temporales pœnas vitandas.

Cap.10. An vexatio,quam in Anglia Catholici patiuntur,ſit vera religionis Chriſtianæ perſecutio.

Cap.11. An qui propter Romanam Religionem,& obedientiam in Anglia morte mulctati ſunt,inter veros Martyres ſint annumerandi.

Cap.12. Ad ea, quæ contra ſecundum Breue Pontificium, & contra Cardinalis Bellarmini Epiſtolam Rex obijcit, reſponſio.

¶ Operis concluſio, & ad Regem Angliæ peroratio.

DEFENSIO FIDEI CATHOLICÆ

Aduerſus Anglicanæ ſectæ errores,

CVM RESPONSIONE

Ad Apologiam pro Iuramento fidelitatis, & Epiſtolam ad Principes Chriſtianos Sereniſsimi IACOBI *Angliæ Regis.*

PROŒMIVM.

1. Ambroſ. in Præfat. ad lib. 1. de Fide.

MALLEM *quidem*, vt in cauſa nõ diſsimili Ambroſius præfatus eſt, *exhortandi ad fidem ſubire officium, quàm de fide diſceptandi ſuſcipere onus.* Sed quoniam vel ipſum naturæ ius petit, omneſque leges tam diuinæ, quàm humanæ poſtulant, filium, parentem: ſacerdotem, Eccleſiam, theologum, religionem, religioſum, ſacra, ac denique membrum quantunuis vile, ſuum caput, quoad poſsit, à quacũq; iniuria propugnare: ideò nouum hoc ſcribendi genus non detrectare compulſus ſum. Iacobus enim ſereniſsimus magnæ Britanniæ Rex in Apologia ſua, & Præfatione monitoria ad omnes Chriſtiani orbis Principes his omnibus vim inferre conatur, dum ſectæ ſuæ, catholicæ, ac primitiuæ fidei nomẽ, noſtræ verò religioni defectricis dedecus imponit: ſibique fidei Catholicæ defenſoris nomen arrogat, Pontifici autem, omnium fidelium Paſtori ſummo, & ſub Chriſto capiti ſupremo, tyrannidis, & Antichriſtianæ apoſtaſię notam inurit: aliaq; quam plurima noſtræ fidei myſteria, & ſacramenta inſectatur: ſuaq; impugnatione piorum corda cõmouit. Meq; poſt alios doctiſsimos viros, licèt eruditione, ac eloquentia

Mens Authoris.

A valdè

valdè imparem, ad hoc opus aggrediendum induxit, & in paleſtram mihi inſolitam deſcendere coegit. Neque me Regiæ dignitatis Maieſtas terruit, ſed potiùs ab eàdem impugnata veritas vehementiùs excitauit, ne fortè tanti nominis ſplendor infirmiorum oculos perturbaret. Maximè quia Regium in hac cauſa depoſuiſſe videtur ſplendorem, dum doctorem potiùs, quàm Regem agens, vſurpatam ſibi ſupremam in Eccleſiaſticis rebus authoritatem defendere nititur. In Ambroſio me legiſſe memini, *Neque Imperiale eſſe, libertatem dicendi denegare, neque ſacerdotale, quod ſentiat non dicere. Nihil in Regibus tam amabile eſſe, quàm libertatem etiam in ijs diligere, qui obſequio ipſis ſubditi ſunt, nihil etiam in ſacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat, non liberè pronunciare. Siquidem ſcriptum eſt. Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* His ergo diuinis, & ſacris verbis permotus, licèt proprio ingenio diffiſus, cauſa tamen confiſus, & veritati nixus, liberè pro illa loqui non pertimeſco. Ea tamen proferre tantummodò conabor, quæ excelſum Regis animum offendere non poſsint, niſi lux ipſa veritatem oſtendens oculos malè affectos offendat. Decreui enim veritatem catholicam dilucidare, ac tueri: non cum regia Maieſtate decertare, ſed illi potius, quod opto, in vera, & catholica oſtendenda fide, inſeruire.

Ambroſ. libr. 2. epiſto. 17. ad Theodoſ.

Pſal. 118.

Ambr. libr. 2. de Virgini. in princ.

2. Diuino igitur aſpirante fauore, veritatem fidei à Chriſto Domino edoctam, ab Apoſtolis traditam, & à Sanctis Patribus integrè, illibatèque conſeruatam circa aliquot præcipua à ſereniſsimo Iacobo tacta, oſtendendam aggrediar. Quò verò apertior dicendis ſternatur via, cunctaq; faciliùs percipiãtur, Regis in primis ſcopum, ac propoſitum, deinde verò reſpondendi ordinem à nobis ſeruãdum ob oculos proponam. Attentè enim, ac ſedulo Regiũ opus conſiderans, facilè perpendi, illuc præcipuè collimare authorem, vt fidelitatis iuramentum, quod ſibi á ſubditis ſuis exhiberi nouiſsimè inſtituit, totis conatibus tueatur. Et ideò tam Pontificia reſcripta, quàm Illuſtriſsimi Cardinalis Bellarmini literas ad Archipræsbyterum impugnare conatus eſt. Poſteà verò reſponſo de his rebus accepto, laceſsitus Rex, Præfationem ad omnes Chriſtiani orbis Principes ſuæ Apologiæ adiunxit, in qua cõtra Pontificem Summum tanquam contra communem hoſtem, & iuris, ac poteſtatis Regiæ vſurpatorem, illos nititur irritare: & ad generalem ab Eccleſia Romana defectionem

Aſſerta ſereniſsimi Iacobi colliguntur.

commo-

commouere:tum ſpe maioris libertatis,& poteſtatis excellẽtioris illos alliciendo,tum etiam timorem incutiendo, ne dũ nimia (vt ait) & indulgenti lenitate Pontificiam dignitatem in immenſum creſcere ſinunt, Regius ſplendor, vel penitùs deleatur,vel ſaltem plus æquo obnubiletur. Et ne bellum hoc in Chriſti Vicarium mouere exiſtimetur,eò progreſſus eſt,vt Pontificem non Chriſti defẽſorem, ſed ipſum eſſe Antichriſtum perſuadere moliatur. Ac denique ne veri Eccleſiæ filij inſignem admirati nouitatem,eam deteſtentur, ſemetipſum ipſius Catholicæ fidei defenſorem nominat, ac profitetur,vt hac ratione ſecta, quam defendit, non hæreſis, ſed ſola cum Romano Pontifice diſcordia eſſe videatur. Addit denique fidei ſuæ explicatam confeſsionem,qua perſuadere nititur,primitiuæ, & antiquæ fidei inhærere, ſolumq́; (vt loquitur) nouos, ac nuperos fidei articulos ab Eccleſia Romana inuentos abnegare.

3. Vt igitur debito doctrinæ ordine procedamus,qui tum claritati,tum etiam vtilitati,quam in hoc opere intendimus, inſeruiat, illud in ſex libros diſtinguemus, qui prædictis punctis, mutato tantùm ordine, reſpondebunt. In primis enim oſtendam,ſchiſma illud,quod vel ipſe Rex ſuo in libello non inficiatur, nullatenùs ab hæreſi, & infidelitate fidei verè Catholicæ prorſùs oppoſita,excuſari poſſe:ac ſubinde vſurpatũ à ſereniſsimo Rege defenſoris Catholicæ fidei titulum, non ſolùm eſſe ſine fundamento aſſumptum, verum etiam eſſe rei,quam profitetur,planè contrarium. A quo titulo initium dicendi ſumimus, non tantùm quia fronti Regij operis præfixus,ſtatim in admirationem rapit, ſed etiam quia nobis anſam exhibiturus eſt aliqua ſtabiliẽdi principia, ex quibus Anglicanam ſectam veræ Chriſti fidei fundamenta non habere facilè concludi poſsit, & in hoc primum librum inſumemus; In ſecundo verò omnes articulos Romanæ fidei, quos Rex oppugnat,antiquos,& catholicos eſſe, oppoſitosq́; ſine aperta hæreſi defendi non poſſe,probabimus. Tertius deinde ſubſequetur liber,qui Summi Pontificis ius,atque primatum pro noſtris viribus tueatur. Non quòd omnia,quæ de illius excellenti dignitate, ac poteſtate dici poterant, perſequenda cenſeam (ſic enim in immenſum creſceret opus) ſed ſolum vt oſtendam, Romanum Pontificem temporalium Regum poteſtatem non vſurpaſſe, ſed *ſupremi tantùm ſacerdotis dignitatem*, *à*

Quo ordine ſint impugnanda.

qua (vt inquit Hieronymus) *Eccleſiæ ſalus pendet*, vindicaſſe: ſuũq; ius, contra quod portæ inferi nec præualuerunt, neq; vnquã præualebunt, conſeruaſſe. Et quoniam ſæpiùs Rex in illa Præfatione de clericorum exemptione à temporali poteſtate, & iuriſdictione laicorum, maximè conqueritur, & tertiam ſubditorum partem (vt ait) temporalibus Regibus ademptã eſſe deplorat, ideò quartum addemus librum, in quo ius immunitatis perſonarum Eccleſiaſticarum demonſtremus. In quinto deindè libro non ſolùm cõiecturas omnes, quæ de Antichriſto afferuntur, eſſe leuiſsimas, verùm etiam Antichiſtum Sedis Apoſtolicæ deſtructionem maximè moliturum, euincere conabimur. Sicq; illis potiùs nomen illud conuenire, qui ita ſedulò Antichriſti præripiunt officium. Nam vt dixit Hieronym. ad Damaſum epiſt. 5. *Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*, & vt ait Bernard. epiſt. 124. ad Hildebertum Turonen. Epiſcopum, loquens de Innocentio Papa, *Qui Dei ſunt, libenter iunguntur ei, qui autem ex aduerſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus.* In ſexto denique libro circa fidelitatis iuramentum breuiter oſtendemus, quid in Rege exigente ſit iniuſtitiæ, & iniuriæ in Apoſtolicam Sedem, quidquè in ſubditis illud præſtantibus, periurij, vel infidelitatis inuoluat, diligentiùs explicabimus.

Hieron. cõtra Lucif.

Hieron.

Bernard.

4. Methodus ſeruanda.

Denique in procedendi, & diſputandi modo ſtylum, & ſcholaſticam methodum tanquam mihi familiarem, & ipſa conſuetudine quaſi factam connaturalem, non omittam, etiam ſi hominibus à nobis in fide diſſentientibus minùs grata eſſe ſoleat: fortaſſè quia ad veritatem è tenebris eruendam aptiſsima eſt, & ad impugnandos errores efficaciſsima. Et idcircò quanuis teſtimonijs diuinarum Scripturarum, Conciliorum, & Patrum nobis præcipuè ſit vtendum; nihilominus rationum pondera expendemus, & quantùm in nobis fuerit, earum vim, & efficaciam vrgebimus, eaſque non ſolùm ex prædictis fidei fundamentis, ſed etiam ex ipſo naturæ lumine, prout occaſio poſtulauerit, colligemus: Non quòd illis ſacroſanctæ noſtræ Religionis myſteria, quibus defendantur, indigeant, ſed quòd oſtendere non obſcurè poſsint, quàm longè ab omni prudentia, & à ratione ipſa diſcedant, qui ab Eccleſia Catholica Romana in rebus ad ſalutem pertinentibus diſſentire, ſeque ab illa ſegregare non verentur.

LIBER PRIMVS

QVANTVM ANGLICANA SECTA A DOCTRINA CAtholica diſsideat.

***

PROPOSVI demõſtrare, titulum defenſoris fidei Catholicæ, quem ſereniſsimus Iacobus ſibi arrogat, eiuſdem factis eſſe contrarium. Hoc enim neceſſarium duxi, tum propter Catholicos homines, qui ſub illius ditione commorantur, ne fortaſſe illo ſpecioſo titulo decipi contingat: tum propter reliquos, qui eiuſdem cum illo ſunt opinionis, vt illius, in qua manifeſtè verſantur hæreſis, moneantur, & ſi fieri poteſt, conuincantur. Hic enim eſt huius noſtri laboris ſcopus, quem ſi, Deo iuuante, conſequi potuerimus, profectò titulum illum vanum eſſe, & ſine re, caputq; & protectorem huius ſchiſmatis, Catholicæ fidei aduerſarium eſſe, non defenſorem, euidens fiet. Duobus autem modis errorem illius ſectæ demonſtrare poſſumus, priùs generatim oſtendendo, in illa veræ fidei fundamentum, & certam, ac infallibilem credendi regulam non eſſe, monſtrando, deindè ſingulos eius errores, quos Rex ipſe profitetur, clariſsimis argumentis, & certiſsimis teſtimonijs confutando. In hoc ergo libro priorem inchoamus viam, in qua non poſſumus aptiùs initium ſumere, quàm ſtatim ante Anglorum oculos proponẽdo felicem ſtatum veræ, ac Catholicæ fidei, quo ante exortum ſchiſma fruebantur. Et iccirco operæpretium duxi, in A primo huius libri capite de progreſſu regni Angliæ in Chriſtiana religione ab eo tempore, in quo illius lumen accepit, vſque ad præſentem diem pauca præmittere.

Scopus authoris.

Duo modi oſtendendi errorem ſectæ Anglicanæ proponuntur.

Nam ſicut in moralibus rebus facti (vt Iuriſperiti loquuntur) cognitio, ad ferẽdum de iure iudiciũ in primis ſolet eſſe neceſſaria, ita in præſenti cauſa antiquioris fidei cognitionẽ, tùm ad intelligendã erroris cauſam, & originem, tùm etiam ad illius repugnantiam, & oppoſitionem cum fide Catholica perſpiciendam, neceſſariam eſſe iudicamus. Siquidem Cypriano teſte, apud religioſas, & ſimplices B mentes hæc eſt compendioſa ratio errorem deponendi, inueniendique, & eruendi veritatem. *Nam ſi ad diuinæ traditionis caput, & originem reuertamur, ceſſat error humanus, & ſacramentorum cœleſtium ratione perſpecta, quidquid ſub caligine, ac nube tenebrarum obſcurum latebat in lucem veritatis aperitur. Si canalis aquam ducens, qui copioſè prius, & largiter profluebat, ſubitò deficiat, non ne ad fontem pergitur, vt illic defectionis ratio noſcatur, vtrum ne areſcentibus venis, in capite vnda ſiccauerit, an verò integra indè, & plena procurrens in medio itinere deſtiterit?* Quod Cypriani conſilium maximè collaudans Auguſt. concludit, *Optimum eſſe, & ſine dubitatione faciendum.* Tantorum ergo Patrum veſtigijs inſiſtentes rem aggrediamur.

Cyprian. epiſt. 74.

Augu. lib. 5. de Baptiſm. c. 26.

CAPVT PRIMVM.

De fidei Catholicæ progreſſu, & ſtatu Anglicanæ gentis à prima eius conuerſione vſq; ad præſentia tempora.

1. *Gildas.* Fides Catholica cœpit in Anglia ab ortu Euang. Cardin. Baron. Anno 35. n. 5. ex manu ſcript. hiſtoria Angli. quæ in Vatican. habetur. 4. colu. ab initio.

GILDAS ille, cognomento ſapiens, de excidio Britanniæ (quẽ Polidorus Virgilius, Beda, & alij ſequuntur) Britanniam iam indè ab initio orti Euangelij, Chriſtianam recepiſſe religionem teſtatur: quam rem Polidorus lib. 2. Hiſtoriæ Anglicanæ, ſic accidiſſe deſcribit, *Cùm Ioſeph ille, qui teſte Matthæo Euangeliſta, ab Arimathia ciuitate oriundus, Chriſti corpus ſepeliuerat, ſiue caſu, ſiue conſilio, ita volente Deo, cum non paruo comitatu in Britanniam venit; vbi tam ipſe, quàm eius ſocij, cùm de Euangelio prædicarent, atq; dogma Chriſti ſedulò docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, ſalutiferaq; fruge baptizati ſunt.*

2. Hiſtor. illis gentis. *Beda.* Baro. anno Chriſti 183 ex libr. de Roman. Põtif. Martyrolog. & alijs. Aucta eſt tempore Eleutherij Papæ. *Gildas.* *Beda.*

Eandem poſteà inſulam confirmauit, vel iterùm priùs ad fidem reduxit Eleutherus Pontifex Romanus à Petro duodecimus, teſte Beda lib. 1. cap. 4. *Miſit ad eum Lucius Britannorum Rex Epiſtolam, obſecrans, vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur, & mox piæ poſtulationis conſequutus eſt effectum: ſuſceptamq; fidem vſque in tempora Diocletiani Principis inuiolatã, integramq; ſeruabant.* Nam deindè (teſte Gilda, & ex eo Polidoro ſupra) *Ob immanitatem perſecutionis, religio ita refrixerat, vt ſit penè extincta.*

3. Gregorij tẽpore iterum reſtituta.

Tandem verò (diuina afflante gratia) anno Chriſti Domini 590. Mauritij Imper. Ann. 11. Gregorius Papa primus miſsis in Britanniam Auguſtino, & Mellito, Rege Cantij Ethelberto eorum prędicatione conuerſo, & ſalutari baptiſmatis fonte abluto, eandem idolis ſeruientẽ inſulam reſtituit Chriſto. Cuius vltimæ à Romana ſede prouenientis conuerſionis cauſam, modum, ordinem, & progreſſum fusiùs proſequuntur ipſemet Gregor. lib. 5. epiſtol. 10. 58. & 59. & lib. 7. epiſt. 112. indict. 2. Beda ſuprà cap. 23. Ioan. Diac. in vita Gregorij lib. 2. c. 34. Baroni. Anno Chriſti 596. n. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. & alij, quanuis nonnulla ſit in annis computandis diſcordia, quæ ad pręſens inſtitutum nihil refert.

Gregor. *Beda.* *Baron.* *Ioã. Dia.*

4. A prædicto verò tempore vſque ad annum Domini 1534, & 25. ferè annum Henrici Regis, eius nominis VIII. per annos circiter mille, prout ex Anglorũ liquet annalibus, non alia viguit apud illos religio, præter illam, quam in hodiernum vſque diem communiter vocitant *Antiquam, Catholicam,* inquã, *Romanam.* Adde, quod & ipſemet Henricus VIII. in hoc vſque tempus adeò ſedi Apoſtolicæ fuit deuotus, vt in eius, fideiq; Romanæ defenſionem, iuſtum aduerſus Lutherum tunc in Petri ſedem debachantẽ compoſuerit librum, quem Leoni X. Chriſti tunc in terris Vicario (vt habetur in ipſa eiuſdem Pontificis ad eundem etiam Regem Henricum cõſtitutione) examinandum, & authoritate Apoſtolica approbandum miſit. Vbi dum ſeptem aſſerit Sacramenta, articulo. 2. ſic Romanæ ſedis propugnare conatur authoritatem, *Negare Lutherus non poteſt, quin omnis Eccleſia fidelium ſacroſanctam ſedem Romanam velut matrem, Primatemq; recognoſcat, ac veneretur, quæcumq; ſaltem neque locorum diſtantia, neq; periculis interiacentibus prohibetur acceſſu: quanquàm ſi vera dicant, qui ex India quoq; veniunt hùc, Indi etiam ipſi, tot terrarum, tot marium, tot ſollicitudinum plagis diſiuncti, Romano tamen ſe Pontifici ſubmittunt. Ergò ſi tantam, ac tam latè fuſam poteſtatem, neq; Dei iuſſu Pontifex, neq; hominum voluntate conſequutus eſt, ſed ſua ſibi vi vendicauit: dicat, velim, Lutherus, quandò in tãtæ ditionis erupit poſſeſſionem, non poteſt obſcurum eſſe initium tam immenſæ potentiæ, præſertim, ſi intra hominum memoriam nata ſit.*

Vſque ad Henrici tẽpora durauit.

Ex Leonis X. conſtit. 45.

5. Hæc ſcripſit Rex ille quo tempore fuit Romanæ Eccleſiæ addictiſsimus. Poſteà verò, nimio Annæ Bolenæ flagrans amore, à ſede Apoſtolica facultate, quàm ſæpiùs petierat, nõn obtenta, & legitima ſua vxore Catherina Catholicorum Hiſpaniæ Regum filia repudiata, prædictam Annam, omni reclamante iure, duxit vxorem. Qui, vt impuniùs (vt ſibi videbatur) faceret, ſe ipſum Eccleſiæ Anglicanæ caput conſtituens, & ab omnibus haberi, dicique decernens, vero Chriſti in terris Vicario denegauit authoritatẽ. Hæc baſis, hoc fundamentum, & origo noui nati in Anglia Euangelij. Neq; ipſi diffitentur, aut erubeſcunt Proteſtantes, vt vulgatũ eſt in illius tẽporis hiſtorijs.

Surius in hiſtoria noſtri temporis. Cochleus in hiſtoria Lutheri. Mauritius Canneus in hiſtoria de Martyrio Chartuſianorum. Henrici 8. lapſus.

Poſt

6. Poſt eiuſmodi verò illius Eccleſiæ caput ex turpiſsimis principijs obortum, anno Dominicæ incarnationis 1546. aliud non minus firmum, & regimini Eccleſiaſtico aptum (puer nempè nouem annorum Edouardus. 6.) vtrumque moderaturum corpus, ſpirituale, & temporale, ipſe licèt alterius indigens regimine, ſucceſsit. Quem etſi Pater fide catholica (vno dempto primatus Eccleſiæ titulo) educari iuſſerat: hoc tamen ſpreto Henrici Regis mandato, Zuinglianam Henrico omnium maximè exoſam amplexatus eſt ſectam, Pontificiamque exercuit authoritatem, eò quòd (vt in illius reſcripto quodam legitur) *Omnis iuris dicendi authoritas, atq; etiam iuriſdictio omnimoda, tam illa, quæ Eccleſiaſtica dicitur, quã ſecularis, à Regia poteſtate velut à ſupremo capite manat.* Cùm plurimæ igitur innouationes per totum ferè ſeptennium fierent, Regius tandem iuuenis pridie nonas Iulij, ætatis ſuæ anno. 16. regni verò 7. è viuis exceſsit, eoq; extincto, & ipſa itidem Zuingliana ſecta in Anglia pęnè extincta eſt.

Sub Edouardo Zuingliana ſecta introducitur.

7. Subſequutum eſt etenim feliciſsimũ illud regnum Mariæ lectiſsimæ, pariter, ac religioſiſsimæ in omnibus fœminæ, quæ poſt obtentam cœleſti auxilio inexpectatam ab inimicis victoriam, ſua ſola pietate, & religione mota, primatus titulum à patre, & fratre vſurpatum reſpuit, & è ſtylo regio deleuit, priſtinamq; quam ſemper profeſſa fuerat, catholicam religionem, diuina mirificè cooperante potentia, Pontificis interpoſita authoritate, per omne ſuum regnum reſtituit. Sed ob Patris, vel ſubditorum peccata, hoc tanto Romanæ fidei publicæ profeſſionis bono, pręclariſsimæ Reginæ morte poſt quinquennium, & quatuor menſes priuata eſt Anglia.

Sub Maria fides reſtituit.

8. Mariæ in regno ſucceſsit Eliſabetha tertia Henrici ſoboles, non verò in pietate, ac religione. Nam pro catholica, Caluinianæ ſectæ formam ſtatim in regnum induxit. Et quanuis in primo Parlamento non fore caput Eccleſię appellandam viſum fuerit, quia Caluino nomen illud in Patre diſplicuerat, nihilominus ſupremæ gubernatricis Anglicanæ Eccleſiæ (quod in idẽ recidit) ſibi nomen aſſumpſit, ſubditoſq; ad illud ſolenni iuramento

Eliſabetha Caluinianã ſectã in regno inuexit.

A confirmandum compulit, multiſq; legibus in varijs comitijs editis, omnimodam in ſpiritualibus poteſtatem Regio ſceptro annexam eſſe voluit, decreuit, ac declarauit. Et in hoc ſtatu, ac profeſsione religionis, quandiu Eliſabetha vixit, Anglia perſeuerauit.

Illa verò demortua sereniſsimus Iacobus Reginæ Scotię Mariæ filius, & in regno hęres ſceptrum etiam Anglicani regni conſequutus eſt, neque hoc ſuo iure contentus, ſimul cum illo primatum cum ſuprema ſpirituali poteſtate in vniuerſam Britanniam vſurpauit, B ſectam autem vel Caluinianam, vel parùm ab ea diuerſam profitetur, & à ſuis ſubditis totis conatibus recipi, & obſeruari ſtudet. Et nihilominus ſemetipſum non ſolum catholicum, ſed etiam fidei verè Chriſtianę, Catholicę, & Apoſtolicę defenſorẽ, & propagatorem profitetur. Quantùm verò titulus hic à veritate aberret, quantumq; facta verbis contraria ſint, videndum ſupereſt. 9.

Status Angliæ ſub Iacobo.

CAPVT II.

C *Sectam Anglicanam à fide vera diſceſſiſſe.*

ASSERTIONEM hanc euidenti conſecutione ex narratione, & rerum mutatione in ſuperiori capite propoſita, in hunc modum colligo. Interrogo enim, an fides illa, quam per Auguſtinum, & alios verbi Dei miniſtros à Gregorio miſſos Anglia recepit, & vſque ad Henricum VIII. retinuit, vera fuerit, nec ne? Nam quidquid horum eligatur, facilè, vt exiſtimo, conuincemus, eam, quam nunc Rex Anglię D profitetur, fidem verè Chriſtianam non eſſe. Argumentum hoc ſumere mihi videor ex Auguſtino lib. 2. contra epiſt. Gaudent. cap. 8. vbi Donatiſtã ſic vrget, *Dic mihi, vtrum eo tempore Eccleſia, quando ſecundum vos, omnium criminum reos recipiebat, &c. malorum contagione perierat, an non perierat? &c.* & infrà: *Reſpõde, vtrũ Eccleſia perierit, an non perierit? Elige quod putaueris: ſi iam tunc perierat, Donatum quæ peperit? Si autẽ tot in cã ſine baptiſmo* (vtiq; ſecundo) *aggregatis perire non potuit, reſpõde quæſo, vt ab ea ſe tanquam malorum commu-* 1.

Auguſt.

munione deuitans, pars Donati ſepararet, quæ dementia perſuaſit? Simili enim modo interrogamus, vel tẽpore Gregorij Eccleſia perierat, vel non perierat? Si perierat, Anglicanam Eccleſiã quę genuit? Si non perierat, vt ab ea ſe Anglia ſub Henrico ſepararet, quę demẽtia perſuaſit? aut quo modo poteſt catholica eſſe, quę in ſeparatione ab Henrico facta perſeuerat? Nam in primis ſi antiqua illa fides vera fuit, defectio ab illa, repugnans eſt & cõtraria verę fidei: at verò ſecta, quam nunc Anglia profitetur, nihil aliud eſt, quàm defectio, ſeu rebellio quędam ab illa fide; quomodo ergo poteſt vera fides dici, aut reputari? *Quæ enim participatio iuſtitiæ cũ iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Fieri enim non poteſt, vt contraria ſimul in idem cõueniant: defectio autem à vera fide contraria eſt ipſi fidei Chriſtianæ, ergo non poteſt ſecta introducta per defectionem à Chriſtiana fide, eiuſdem nomen, ne dũ veritatem vſurpare. Etenim diuina fides, qualis Chriſtiana eſt, mutari non poteſt, neque in conſtantiam pati: nam Deus, in cuius veritate nititur, ſe ipſum negare nõ poteſt, vel (quod perinde eſſet) quod ſemel dixit, retractare; ergo ſecta, quę per defectionem à diuina, & catholica fide introducta eſt, non poteſt eſſe diuina fides, ſed humana adinuentio, vanaque opinio.

Dilema efficax proponitur.

Prior pars dilematis oſtenditur. 2. ad Cor. 6.

Atq; hunc diſcurſum confirmat egregiè reprehenſio Pauli, quæ non minùs in Anglos, quàm in Galatas conuenit. *Miror quòd ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit, in gratiam Chriſti, in aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti*, id eſt (exponente Chryſoſtomo) *ſunt aliqui, qui mentis veſtræ obtutum opinionibus ſuis turbãt, & ſubuertere volunt Chriſti Euangeliũ: quod vnicũ eſt, & præter illud nõ poteſt eſſe aliud.* Ergo omnis doctrina, quę ab illo vnico Euãgelio deficit, humana opinio eſt, & ſecta veritati diuinę contraria. Nomine enim *Euangelij*, vt expoſuit Auguſt. lib. 3. cõt. liter. Petil. cap. 6. omnem catholicam doctrinam Paulus comprehendit, de qua ſubiungit, *Licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* Quod iterùm ſtatim repetit, *vt fidei Catholicæ firmitatem, & ſtabilitatem exaggeraret*, ait Hieronymus, *Quia ſi fieri poſſet, vt Apoſtoli, & Angeli mutarentur, tamen non eſſet ab eo, quod ſemel acceptum fuerat, recedendum*, & latiſsimè Lirinenſ. cap. integro. 12. vbi inter alia inquit, *Tremenda diſtrictio: propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris coapoſtolis peperciſſe. Parum eſt, etiam ſi Angelus, &c.* Igitur ſi prior doctrina Anglis prędicata, & ab eis fideliter recepta, diuina fuit, defectio ab illa non poteſt eſſe translatio in aliam fidem veram, ſed potius eſt fidei peruerſio, & conturbatio.

2. Ad Galat. 1.

Chryſoſt.

Auguſt.

Hieron.

Idem.

Aduertitque eleganter Hieronymus (quod maximè pro ſequenti doctrina conſiderandum eſt) hęc dici à Paulo de his, qui in eundem credebant Deum, & eaſdem ſcripturas habebant, proprio tamen ſpiritu eas interpretabantur, & ita Euangelium nouũ introducere, ſeu mutare, antiquare, & in aliud conuertere, conabantur. *Sed non valent* (ait Hieron.) *quia huiuſmodi naturæ eſt, vt nõ poſsit aliud eſſe, quàm verum eſt.* Et ſubiungit. *Omnis, qui Euangelium alio interpretatur ſpiritu, & mente, quàm ſcriptum eſt, credentes turbat, & conuertit Euangelium Chriſti, vt quod in facie eſt, poſt tergum faciat, & ea, quæ poſt tergum ſunt, vertat in faciem.* Chryſoſtomus tandem diuino quidem, vt apparet, ſpiritu motus, quaſi pręſentem ſchiſmatis cauſam, & Eccleſię Anglicanę ſtatum contuitus, aduertere nos iubet, dicens, *Audiant, quid dicit Paulus, nimirùm, illos ſubuertiſſe Euangelium, qui paululum quoddam rerum inuexerunt. Nam vt oſtenderet, quod puſillum quoddam perperam admiſtũ, totum corrumpit, dixit, ſubuerti Euangeliũ. Nam ſicut qui de moneta regia paululum de impreſſa imagine amputauerit, totam monetam adulterinam reddit, ita quiſquis ſanæ fidei vel minimam particulam ſubuerterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio ſemper ad deteriora procedens. Vbi ſunt igitur, qui nos vt contencioſos damnant, eo quòd cum hæreticis habemus diſsidium, dictitantq́, nullum eſſe diſcrimen inter nos, & illos, ſed ex Principatus ambitu proficiſci diſcordiam.* Si igitur ſereniſsimus Angliæ Rex, vel alij, qui eius ſchiſma, & ſectam profitentur, fidem catholicã, quæ in regno illo prius vigebat,

3. Hieron.

Chryſoſt.

Qui negat aliquid fidei totam ſubuertit.

vigebat, ne dicant, in paruis, paucis, aut minimis defeciſſe, aut humanum eſſe de Principatus ambitione diſsidium obtendant. Nam quacumq; ex cauſa fidei doctrinæ defuerint, in re quantumuis minima, totam fidem catholicam perturbarunt, & amiſerunt. Eò vel maximè quòd non in paucis, nec in minimis rebus, ſed in maximis fidei fundamentis, vt mox pateſiet, deuiarunt. Sit igitur conſtans, & manifeſtum, ſi Anglicana fides vſque ad defectionem Henrici VIII. catholica fuit, ſectam, quam ab illo tempore profitetur, fidem veram non eſſe, ſed catholicæ fidei perturbationem, aut corruptionem. Atque hæc videntur de priori membro ſufficere, nam & res eſt per ſe ſatis clara, & euidens, & quantum ex verbis Regis conijcere valeo, tam ipſe, quàm alij proteſtantes partem aliam cenſent eſſe præhabendam.

4. Altera pars dilematis eō firmatur.

Hanc igitur egregiam rationem defectioni ſuæ obtēdent. Ante Regis, nempe Henrici eius nominis octaui tempora, Angliam fidem catholicam amiſiſſe, ac ſubinde propter mutationem ab Henrico factam, in fide neutiquam aberraſſe, ſed ad illam potiùs tunc redijſſe, Henricíq; delictum, Anglorum fuiſſe ſalutē, quia per illud, vel occaſione illius illuminati ſunt, & à tenebris, in quibus verſabantur, erepti. Neque enim defuit quidam ex illorum Pſeudoprophetis, qui in hunc modum exclamauerit, *O veræ, & non ſine diuino numine conciliatæ nuptiæ, cæleſtiſq́, partus, ac progenies, quibus patria à ſeruitute, & caligine plus quàm Ægyptiaca erepta, atq́, liberata, & ad verum Christi cultum reuocata eſt.* Tanta eſt enim humanæ mentis infirmitas, vt à Deo derelicta, & ſuis deſiderijs tradita, tenebras vocet lucem, & lucem tenebras, ſibiq; perſuadeat, lumē euangelicę veritatis inter turpiſsimas voluptates eluxiſſe, & (quod abſurdiſsimum eſt) nefandas nuptias peculiari diuinæ prouidētię attribuat. Hęc enim omnia errata in illis continentur verbis. Et pręterea ex eiſdem coniectare licet, eo tempore iam fuiſſe in Anglia apud multos introductam eam de antiqua ſua fide exiſtimationem, quòd falſa fuerit, & non catholica.

Caluiniſta quidam lib. 2. de Henrici Matrim. Londini edito an. 1573 Stultiſsimū hæretici dictum.

5. Veruntamen hic error confutari poteſt in primis eiuſdem Henrici VIII. A teſtimonio, quod apud Regem Anglię neceſſe eſt, vt authoritatem habeat, ſi cōſtanter loqui, & primatum, quem vſurpat, aliqua defendere authoritate velit. Ipſe enim Henricus iam moribundus Eduardum filium, quem hęredem relinquebat, in fide catholica, vno tātum excepto Primatus articulo, educari voluit, & mandauit. Per fidem autem catholicā ſine dubio intellexit fidem illam, quam cum Eccleſia Romana ipſe priùs cum ſuo regno profeſſus fuerat: hanc enim ſemper vocauit catholicam, neque ad fidem aliam poſſunt illa verba referri. B Declarauit ergò ille Rex & ſua confeſsione confirmauit, fidem, quam præcedentibus tēporibus Anglia profitebatur, catholicam fuiſſe. Cur ergò Rex Angliæ in articulo primatus tam libenter, ac pertinaciter ſuum ſequitur prædeceſſorem, & in reliquis articulis, in quibus Henricus veritatem catholicam confeſſus eſt, eundem abnuit imitari? Quod ſi fortaſſè reſpondeat, ſectam ſuam ab alijs educatoribus ab incunabulis accepiſſe, ſaltem fateatur, neceſſe eſt, illam nouam, ac recētem eſſe: ex quo facilè etiam concluditur, illam C non poſſe eſſe catholicam, ſed potiùs eſſe à fide catholica defectionem. Veruntamen hunc locum in ſequentibus latiùs proſequemur, nunc ſatis ſit oſtendiſſe ſine fundamento, & inconſtāter opinatos illos, qui in articulo Primatus Henrico fidem adhibentes, eius fidei catholicæ confeſsionem deteſtati, recuſant.

Sanderus in Eduardo 6.

Henrici 8. teſtimonio Angliam ante illum fidem Catholicam tenuiſſe oſtenditur.

6. Sed videamus vlteriús, quo ſenſu, Anglicanam fidem ante Henricum VIII. non fuiſſe catholicam, aſtruant. Duobus enim modis id excogitari poteſt. Vnus eſt, in principio quidem fidem catholicā prædicatam eſſe in Anglia, & receptam D etiam Gregorij tempore, poſteà verò corruptam, & amiſſam fuiſſe: alter verò modus erit, ſiquis ſentiat, in ipſamet prædicatione fidei per Auguſtinum facta, traditam eſſe Anglis doctrinam fidei iam corruptam, & ab antiqua Catholica, & Apoſtolica longè diuerſam: oſtendemus autem vtrumque ex his modis eſſe incredibilem. Et in primis ſi priùs Anglia tempore Gregorij catholica fuit, qui dixerit, poſteà ante Henricum mutatam fuiſſe, neceſſe eſt, vt oſtendat, quo tempore ea mutatio contigerit, ſub quo Rege,

Altera eiuſdem partis probatio.

ge, & ſub quo Pontifice Romano, vel ſub quibus Prælatis Anglicanis: itemq; in quibus rebus, vel articulis facta fuerit mutatio; nihil autem horum cum aliquo veritatis, aut probabilitatis indicio hactenùs monſtratum eſt, vel oſtendi poteſt; ergò hoc ipſo talis aſſertio tanquam voluntaria, & temeraria, & illi regno iniurioſa reijcienda eſt.

7. *Beda.* Deinde ſi attentè conſiderentur quæ Beda, & aliæ hiſtoriæ Anglicanæ referunt, nullum ſchiſma, nullave hæreſis inuenietur, quæ poſt Gregorium totam illam gentem occupauerit. Imò neque legitur mutatio aliqua, vel varietas in his omnibus, quæ nunc noui deteſtantur hæretici. Nam, vt ex dicendis conſtabit, eadem fuit ſacramẽtorum religio, eademq; ſacroſanctæ Euchariſtiæ fides, ac veneratio, idem Sanctorum cultus, ac ſacrarũ imaginum vſus, & quod caput eſt, eadem ad Apoſtolicam ſedem obediẽtia, & ſubiectio; quæ igitur fingi poteſt defectio à fide catholica, quæ per vniuerſum illud tempus in Anglia fuerit? Deniq; cũ Anglia ex tunc eandẽ fidem, quam Romana Eccleſia, ſẽper profeſſa fuerit (hoc enim nemo negare poteſt, qui hiſtorias eccleſiaſticas legerit) non potuit eadem Inſula catholicam fidem amittere, quin Romana etiam Eccleſia illam amiſerit: nam fuit vtriuſque eadem fides. Oſtendemus autem paulò inferiùs, Romanam Eccleſiam poſt Gregorium à catholica fide nõ defeciſſe, imò in vniuerſum ab illa deficere non poſſe: ergò neque in Anglicana Eccleſia mutatio in catholica fide eo tẽpore facta eſt.

8. Supereſt ergò, vt dicant, licet Anglia non mutauerit fidem à tempore Gregorij vſque ad Henricum VIII. nihilominùs eo tempore non fuiſſe catholicam, quia fides per Auguſtinum, & alios miniſtros Gregorij prædicata catholica nõ fuerit. Ex quo fit, vt ante Hẽricũ VIII. nũquam in Anglia fuerit catholica fides, ſaltem in ea parte Britanniæ, quæ vſque ad Gregorium Euangelij lucem non recepit. Quod quidem, quantum coniectare poſſum, non abhorret à Iacobi Regis fide, ſeu opinione, nam ea iacit in Præfatione principia, & fundamenta, quibus hæc ſententia valdè conſentanea eſſe videatur. Ibi enim omnẽ doctrinam fidei, A quam Eccleſia Romana poſt quingenteſimum à Chriſto annum amplexa eſt, incertam, & ſuſpectam ſe habere ſentit, alijsq; ſuadere conatur. Nam in pagina 43. *Quidquid* (ait) *quadringentis poſt Chriſtum annis vnanimi conſenſu Patres ad æternam ſalutem neceſſarium ſtatuerunt, aut cum his ita eſſe ſentiam, aut modeſto ſaltem ſilentio obmuteſcam, reprehẽdere certè non audeo.* In quibus verbis dum ſolis Patribus primorum quatuor ſeculorum aliquid authoritatis defert, totam recentiorem doctrinam ſuſpectam habet, & (quod mirandum eſt) B etiam illis antiquiſsimis Patribus, vnanimi conſenſu loquentibus, fidem ſuam non accommodat, ſed ſolum reprehendere non audet: cæteros ergò omnes, qui poſterioribus floruerunt ſæculis, etiamſi de re ad ſalutem neceſſaria, vnanimi conſenſu aliquid ſtatuant, reprehendere audebit, ne dum de eorum fide dubitare. Deinde pagin. 47. ſubnectit, Non quidquid Romana Eccleſia ante quingenteſimum Chriſti annum de fide credendum docuit, pro fide habendum eſſe. Hinc ergò vehemens oritur coniectura, non difficilè admiſſurum eſſe C Iacobum, fidem per Auguſtinum in Anglia ſeminatam non fuiſſe puram, & catholicam, ſed alijs næuis, imo rebus, quas ipſe nuperas, ac nouitias appellat, fuiſſe permixtam. Cum enim ipſe ſentiat, à quingenteſimo Chriſti anno Romanam fidem cœpiſſe deficere, & falſis dogmatibus permiſceri: & Auguſtini prædicatio in Anglia anno quingenteſimo octuageſimo ſecundo poſt Chriſtũ inceperit, teſte Beda lib. 1. ſuæ Hiſtoriæ cap. 23. quid mirum eſt, ſi concedat, vel reſpondeat, fidem ab Auguſtino prædicatam, neque puram, neque omnino catholicam fuiſſe? D

Rex Iacobus videtur ſentire, fidem per Auguſt. in Anglia prædicatã non eſſe catholicam.

Quo tempore Auguſtin. in Anglia prædicare cœperit. *Beda.*

Quanta verò, & quàm pernicioſa dogmata in hoc modo reſpondendi, ſeu euadendi contineantur, ex altioribus fidei principijs in ſequentibus demonſtrare conabimur, nunc verò inchoatum diſcurſum proſequendo, reſponſum illud eſſe ab omni ratione alienum, & receptiſsimis hiſtorijs contrarium, & ipſimet Anglicanæ genti ignominioſum, & iniurioſum, ac denique contra Gregoriũ, & Auguſtinum eſſe impoſturam grauiſſimam, oſtendendum eſt. Priùs verò ſuppona- 9.

ponamus, fidem prædicatá in altera parte Britanniæ longè ante tempora Gregorij omnino veram, puram, & catholicam fuiſſe, & in ea per plures annos perſeueraſſe. Quod non exiſtimo, vel Regẽ Angliæ, vel aliquem ex ſuis miniſtris negaturum eſſe. Quia de tempore Eleutherij, & vſque ad quadringenteſimum, vel quingẽteſimum Chriſti annum Rex etiam ipſe ſentit, in Romana Eccleſia veram Chriſti fidem puram, & illibatam conſeruatam fuiſſe.

Fidem ab Eleutherio prędicatam fuiſſe verã.

Cùm ergò pars illa Britanniæ fidem per Eleutherium acceperit, & in ea ſemper cum Eccleſia Romana communicauerit, & hæreſibus cõtra illam inſurgentibus, præſertim Arrianæ, & Pelagianæ reſtiterit, vt idem Beda per plura capita refert, euidentiſsimum eſt, fidem Britannicam in ea parte, & illo tempore catholicam fuiſſe.

Beda.

Atq; huius veritatis præter Gildam, Bedam, & alios hiſtoriographos, habemus antiquiſsimos teſtes, Tertullianum Eleutherio vicinum, qui lib. Contra Iudęos cap. 7. inter Eccleſiæ Catholicæ prouincias, & regna veram Chriſti fidem profitentia ponit, *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita*, & Chryſoſtomũ qui tom. 5. in Demonſtratione contra gentiles, quòd Chriſtus ſit Deus, colum. 14. amplitudinem etiã Eccleſiæ Catholicæ deſcribens ait, *Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt, ſunt enim etiam illic fundatæ Eccleſiæ, & erecta altaria*, & tom. 3. in ſermone de Pentecoſte, *Hodie nobis, &c.* Similiter deſcribens ſanctitatem Eccleſiæ Catholicæ inter alias prouincias Britanniam enumerat, dicens, *Ante hoc autem quoties in Britannia humanis veſcebantur carnibus, nunc ieiunijs afficiunt animam ſuam.*

Tertullia. *Chryſoſt.*

10. Ex hoc igitur fundamento ita concludo; fides ſub Gregorio in Anglia prædicata nec contraria, nec diuerſa fuit ab illa, quæ ſub Eleutherio Britannis prædicata eſt, ſicùt ergò prior catholica fuit, ita etiam poſterior, quia re vera in ſe non fuit prior, aut poſterior, ſed vna, & eadẽ, quæ citiùs, vel tardiùs diuerſas illius inſulæ partes occupauit. Cuius rei teſtis locupletiſsimus eſt Beda dicto lib. 1. Hiſtoriæ Anglicanæ, cap. 22. vbi referens prauos mores Britannorum fidelium, inter alia ſic inquit, *Quin inter alia inenarrabiliũ ſcelerum facta, quæ hiſtoricus eorum Gildas flebili ſermone deſcribit, & hoc addebat, vt nunquam genti Saxonum, ſiue Anglorum ſecum Britanniam incolenti verbũ fidei prædicandum committerent. Sed non tamen diuina pietas plebem ſuam, quam præſciuit, deſeruit, quin multò digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, deſtinauit.* Et ſtatim cap. 23. narrare incipit Gregorij prouidentiam in mittẽdo Auguſtino cum ſocijs ad fidem Anglis prędicandam, & in cap. 26. non ſolum prædicatores illos Apoſtolicam doctrinam docuiſſe aſſerit, ſed etiam vitam fuiſſe imitatos. *Cœperunt* (inquit) *Apoſtolicam primitiuæ Eccleſiæ vitam imitari, orationibus videlicèt, aſsiduis, vigilijs, ac ieiunijs ſeruiendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando, cuncta huius mundi velut aliena ſpernendo, &c.* Et infrà. *Crediderunt nõnulli, & baptizabantur, mirantes ſimplicitatem innocentis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cœleſtis.* Et infrà ſubiungit. Plures quotidie ad audiendum verbum cœpiſſe confluere, ac relicto gentilitatis ritu *vnitati ſe ſanctæ Chriſti Eccleſiæ credendo, ſociare.* In confeſſo itaque debet eſſe ex hac Bedæ narratione, eandem catholicam fidem fuiſſe Anglis prædicatam, quæ priùs fuerat Britannis tradita, & ita illam inſulam in vnitate fidei, & inter ſe, & cum alijs Chriſtianis populis vnitati Eccleſiæ fuiſſe coniunctam.

Idem de fide ab Auguſtino prædicata concluditur primò authoritate

Bedæ.

Prætereà ex his quæ de modo religionis Chriſtianæ vtriuſque gentis, loci, ac temporis, vel in ijſdem hiſtorijs referuntur, vel per ſe manifeſta ſunt, palã eſt, nullam fuiſſe inter vtramque prædicationem doctrinæ diuerſitatem. 11.

Secundo ex vtriuſq; cõparatione.

Nam in primis pro comperto habetur, ea dogmata fidei, quæ Proteſtantes ipſi, & cum eis Rex Angliæ antiqua vocat, quæ tum in tribus ſymbolis continentur, tum in quatuor primis Concilijs explicata, ac definita ſunt, integra fide, & veritate fuiſſe per Auguſtinum, & ſocios Anglis prędicata, cum eodem tempore Gregorius decreuerit, quatuor prima generalia cõcilia, ſicut quatuor Euangelij libros, ſuſcipienda, & veneratione habenda eſſe, quibus etiam quintum annumerat lib. 1. Epiſtolarum epiſt. 24. Neque ipſimet Anglicani Proteſtantes, qui de hac fide anti-

Gregor.

antiqua gloriantur, & eã ſe retinere profitentur (quod quam verum ſit, poſteà videbimus) illam aliundé, quàm à Gregorio, & ab Auguſtino eius miniſtro, per traditionem, & cõtinuam ſucceſsionem ſuorum præ deceſſorum fidelium habuerunt, de his ergò dogmatibus, nulla eſt, quæ ad præſens attinet, controuerſia.

12. Alia verò, quæ ipſi nunc in Eccleſia Catholica Romana reprehendunt, vt sũt, Miſſæ ſacrificium, altaria, Eccleſiæ in honorem Sanctorum ædificatæ, reliquiarũ veneratio, Sanctorum inuocatio, Sanctarum imaginum vſus, Eccleſiæ Romanæ obedientia, & ſubiectio, ſicut libenter admittimus, fuiſſe credita, & obſeruata in Anglia à temporibus Gregorij, ita ipſi negare non poſſunt, eadem fuiſſe credita, & obſeruata in Britannia à temporibus Eleutherij; ergo vel negent, fidem primitùs in Anglia prædicatã, fuiſſe catholicam, vel deſinant, fidẽ per Auguſtinum inductam accuſare, vel tanquã minùs catholicam repudiare. Probatur æquiparatio propoſita, nam in primis Beda dicto cap. 26. refert, fuiſſe in Anglia Eccleſiam in honorem Sancti Martini antiquitùs factam, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, nempè ante Auguſtini prædicationem, & poſt illam ſub iungit, *In hac ergò & ipſi primò conuenire, pſallere, orare, Miſſas facere, prædicare, & baptizare cæperunt, donec Rege ad fidem cõuerſo, maiorem prædicandi per omnia, & Eccleſias fabricandi, vel reſtaurandi licentiam acciperent.* Et cap. 33. refert, Auguſtinum Eccleſiam quandam, ibi opera Romanorum antiquorum fideliũ anteà factam, dedicaſſe, & conſecraſſe, & eiuſdem hortatu factam eſſe Eccleſiam Beatorum Apoſtolorũ Petri, & Pauli, quã ſucceſſor eius Laurentius conſecrauit. *Beda.*

13. *Gildas.* Simili autem modo Gildas antiquam Britanniæ fidem, & religionem Chriſtianam deſcripſiſſe videtur in ſua hiſtoria, ſeu opuſculo de excidio Britanniæ, vbi in columna 4. loquens de tempore poſt mortem Diocletiani, ſic inquit, *Renouãt Eccleſias ad ſolum vſq; deſtructas, Baſilicas Sanctorum Martyrum fundant, conſtruunt, perficiunt, ac veluti victricia ſigna paſsim propalant, dies feſtos celebrant, ſacra mundo corde, oreq; conficiunt, omnes exultant filij*

A *gremio, ac ſi matris, Eccleſiæ conſorti.* Et inferiùs col. 8. loquens de tempore cuiuſdam perſecutionis, inquit, *Ita vt cunctæ coloniæ crebris arietibus, omneſq; coloni cum Præpoſitis Eccleſiæ, ac populo, &c. ſolo ſternerentur.* Et infrà, *Et ſacra altaria cadauerum fruſta, cruſtis purpurei cruoris tecta velut in quoddam horrendo torculari miſta viderentur.* Et paulò inferiùs iterùm mentionẽ facit *ſacroſancti altaris,* quod vocat *ſacrificij cœleſti ſedem.* Et inferiùs deplorat, quòd tempore perſecutionis non audiebantur Dei laudes, *Canora Chriſti tyronum voce ſuauiter modulante, neque*

B *Eccleſiaſticæ melodiæ,* & paulò inferiùs col. 13. mentionem facit nuptiarum, quas *illicitas* vocat, *quia poſt votũ monachi factas.* Ac denique in fine illius libri in Eccleſiaſtico ordine numerat *Epiſcopos, ſacerdotes, & alios clericos.* Quos quidẽ in alio opere, de Eccleſiaſticorum correctione, grauiter reprehendit quoad mores, licet ſtatum maximo opere veneretur: & inter reprehenſiones adhibet, *rarò ſacrificantes, ac rarò puro corde inter altaria ſtantes.* Et inferiùs diſtinguit varios Eccleſiaſticos gradus præſertim Epiſcopatũ,

C & præsbyterium, & eos grauiter reprehendit, *qui non ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolorum ſucceſſoribus habent ſacerdotia, ſed à tyrannis emunt.* Quibus conſentanea ſunt verba, quæ ſuprà ex Chryſoſtomo retuli, quibus tradit, ſuo tempore in Britannia fundatas fuiſſe Eccleſias, & erecta altaria. Quæ omnia manifeſtè oſtendunt, quàm fuerit conſona fides, & religio illius temporis cum ea, quæ fuit tempore Gregorij, & quam nunc in Eccleſia Romana cõſpicamur: & è conuerſo quãtum ab illa diſcrepet ea, quæ nunc eſt in Anglia, non reformata (vt ipſi vocant) *Chryſoſt.*

D ſed re vera potiùs deformata religio, quę cœleſte ſacrificium non habet, vel per fidem recipit, altaria deſtruit, ſacerdotes deteſtatur, & templa in honorem Sanctorum dicata non admittit. Igitur noua eſt hæc, & humana inuentio; fides autem tam ſub Gregorio, quàm ſub Eleutherio in Anglia prædicata vera, & catholica fuit, ſemperq; vſque ad prædictum Hẽrici Regis lapſum permanſit.

Poſſumus hoc prætereà confirmare ex modo, quo illa fides per Auguſtinũ, 14.
& ſocios Angliæ tradita, & perſuaſa eſt.
Nam

Tertio ex ſanctitate, & miraculis Aug. & ſociorum.

Nam in primis vita illorum prędicatorũ quantum Apoſtolicæ ſimilis fuit, tantũ à nouis ſectarijs, & eorum moribus diſcrepabat: nam illi religioſam ſectabantur vitam, qua iſti abominantur, illi Miſſas, & ſacrificia celebrabant, iſti tanquã diabolicum cõmentũ effugiunt, illi aſsiduis vigilijs, & ieiunijs ſeruiebant, & cuncta huius mundi ſpernebant, vt ait Beda; iſti verò voluptatibus corporis dediti, nihil aliud præter humanum honorẽ quærũt. Denique ait Beda, *Illi non dœmoniaca, ſed diuina virtute præditi veniebant, crucẽ pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam, litaniasq; canentes pro ſua ſimul, & eorũ, propter quos, & ad quos venerunt, ſalute æterna, Domino ſupplicabant.* Atque his armis diuinis potiùs, quàm humanis, breui tempore Regem ſimul cum regno ad Eccleſiæ vnitatem, & Apoſtolicæ ſedis obedientiam reduxerunt.

Beda lib. 1 cap. 25.

15. Addit deniq; Beda id non eſſe perfectum ſine multis miraculis, ſic enim ait cap. 26. *At vbi Rex delectatus vita mũdiſſima ſanctorum, & promiſsis eorum ſuauiſſimis, quæ vera eſſe miraculorum quoq; multorum oſtenſione firmauerunt, credens baptizatus eſt, &c.* Et cap. 31. refert tot, ac tanta ſigna fuiſſe per Auguſtinum facta, *vt Gregorius Pontifex ne per illorum copiã periculũ elationis incurreret, miſſa ad eũ peculiari epiſtola, ipſum hortatus ſit.* Quę eſt 58. libri. 9. indictione 4. vbi inter alia, hęc ad noſtrũ maximè faciẽtia propoſitum ſuperaddit Gregorius, *Scio, quia omnipotẽs Deus per dilectionem tuam in gente, quam eligi voluit, magna miracula oſtendit, vnde eodem dono cœleſti, & timendo gaudeas, & gaudendo pertimeſcas.* Itẽ lib. 2. cap. 2. Beda refert, Auguſtinum in confirmationẽ fidei cæco viſum reſtituiſſe, & inferiùs c. 7. de Melito tertio, poſt Auguſtinum, Cantuarienſi Archiepiſcopo inſigne miraculum furentem reſtinguendi ignem adiũgit, & Polydor. lib. 4. de eodẽ (quem Miletum vocat) memorat, *Cùm bene multa edidiſſet miracula, poſt quartum annum, quàm ſedere cœperat, è vita in cœlum migraſſe.* Cuius ergo cogitationẽ ſubire poteſt, fidem ſanctitate vitæ Apoſtolicę cõprobatam, & inſignibus, nec paucis cõprobatã miraculis, tantoq; fructu, & efficacia verbi prædicatã, catholicam non

Beda dicto cap. 26.

Polydor.

A fuiſſe? Aut quis cogitare audeat, ne dum dicere, omnes Chriſtianos, religioſos, & Apoſtolicos viros, & Reges etiã, qui interdũ miraculis claruerunt (vt de Edouardo. 2. refert Polydor. lib. 8. non longè à fine) quis, inquã, credere poſſet omnes hos catholica fide caruiſſe, ac ſubinde æternam ſalutẽ non fuiſſe conſequutos? Quia ſine vera fide nemini patet aditus ad æternam gloriã; vera autem fides non eſt, quæ catholica non eſt. Aut quis prudenter ſectam à Luthero, Caluino, & ſimilibus hominibus inuentam, nullis ſignis, ac miraculis confirmatam, nec vitæ

Polydor.

B probitate cohoneſtatã, antiquæ fidei anteponere, & comparatione illius catholicam vocare præſumat? Videat igitur Iacobus Rex, quam rationẽ redditurus ſit ſuę fidei, quando diſtrictè examinandum eſt, an defenſor fidei catholicæ vel potiùs oppugnator extiterit?

Poſtremo tandem loco non omittam rationem aliam, qua idem confirmem, & fidem per Auguſtini prædicationem in Anglia introductam, veram. & catholicã fuiſſe oſtendam. Nam ſi illa catholica nõ fuit, nulla profectò fuit eo tẽpore fides 16.

Vltimò ratione eadẽ veritas ſtabilitur.

C catholica in mundo, vel ſaltem nulla erat tunc fides, de qua certè conſtare poſſet, an eſſet catholica, nec ne? Vnde conſequenter fit, nullam fuiſſe tunc in orbe doctrinam, quam homines, qui ſaluari cuperẽt, tota animi certitudine, ac firma deliberatione tanquam diuinã, & à Chriſto Domino integrè traditã eligere, amplexari, aut retinere poſſent. Hęc autem omnia tantã ſonant impietatem, tantãq; abſurditatem præſeferunt, vt ſi admittãtur, alia impugnatione non egeat illa doctrina, ex qua talia dogmata ſequuntur, nam in his errorem, & impietatem ſuam

D ſatis prodit. Supereſt ergò, vt conſecutionẽ probemus, quod non erit difficile conſideranti, nullam fuiſſe tunc in mundo doctrinã fidei, in qua tot teſtimonia, & ſigna veritatis, antiquitatis, ac perpetuæ ſucceſsionis ab Apoſtolorum prædicatione concurrerent, ſicut in illa, quã Auguſtinus in Anglia prædicauit. Illa enim non erat alia, quam Romana fides, quæ annuntiata eſt in vniuerſo mundo, & in eo recepta, tunc etiam perdurabat; ergò ſi illa catholica non erat, nulla profectò erat in mundo catholica fides.

Deniq; hoc ipſum directè ex ipſiuſmet Regis cõfeſsione comprobatur, quia de ſua ſecta tanquam de fide catholica gloriatur. Neceſſe eſt enim, vt conſequenter fateatur, nullam aliam fidem à ſua ſecta diuerſam, eſſe catholicam, quia fides vera, & catholica non eſt niſi vna, teſte Paulo ad Epheſ. 4. Ergò fides, quæ fuit ante Henricum VIII. non poteſt cenſeri catholica à ſectarijs, quia eo tempore præſens Angliȩ ſecta non erat in mũdo, quæ catholica, ac ſubinde ſola, vera, & vnica ab eis proclamatur. Hæc quidẽ ratio grauiſsima fundamẽta noſtræ fidei ſubinducit: quia verò ab aduerſarijs duobus præcipuè modis eluditur, ideò fuſiùs ſtabilienda, & contra hæreticorum ſubterfugia munienda eſt.

Paulus.

CAPVT III.

Eccleſiam Chriſti nõ poſſe veram fidẽ amittere oſtenditur, & ratio facta roboratur.

1\. EO ſuperiori capite diſcurſu rationis deuentum eſt, vt vel ſectã Anglicanam non eſſe fidem catholicam, ſed defectionem ab illa, vel è conuerſo ante exortam ſectam iſtam, catholicam fidem in mundo defeciſſe neceſſariò concedendum ſit: ac proinde cogi Iacobum Regem, aut titulum Defenſoris Catholicæ fidei deſerere, aut affirmare à quingenteſimo Chriſti anno, vel alio ſimili vſque ad exortum Lutherum, Caluinum, vel quempiam alium ex iſtis mundum fide catholica caruiſſe. Videntes igitur authores nouorum dogmatum vim prædicti diſcurſus, veriti non ſunt dicere, ante ipſos veram, & puram fidem defeciſſe in vniuerſali Eccleſia Dei, ſeq; fuiſſe extraordinario modo à Deo miſſos ad abolitam fidem reſtituendam. Ita refertur ex Luthero in colloquijs latinis tom. 2. cap. de Patrib. & Caluino lib. 4. Inſtitut. c. 2. & 3. Melanchthone, Bullingero, & alijs.

Proponitur error hæreticorum aſſerentium fidem in tota Eccleſia defeciſſe.

2\. Et quantum ex libello Regis Iacobi colligere poſſum, non eſt ipſe alienus ab hac ſentẽtia, & vel iſtiſmet nouatoribus, vel alicui illorum, vel certè ſibi ipſi tanquam nouo Euangeliſtæ fidem adhibet. Nam in Præfatione pag. 33. prius quàm referat priuata quædam facta quorundã prædeceſſorum ſuorum, hæc verba prȩmittit, *Vt omnibus indè conſtet, etiam illis ſeculis, quibus craſsior, cæciorq; veritatis ignoratio orbi incubuit, Angliæ Reges ſæpè Pontificium ambitum, gliſcentemq; tyrãnidem non modo non tuliſſe, ſed & illi fortiter reſtitiſſe.* Quæ verba quantum ſpectant ad quæſtionem de Primatu in tertio libro expẽdentur, nunc ſolam eam partẽ conſidero, in qua, ante ſuum nouũ euangelium orbẽ in veritatis cognitione cæcum fuiſſe profitetur. Ex quo principio paulò inferiùs pag. 47. ſubinfert, Doctores Eccleſiæ Romanȩ (de his enim ſine dubio loquitur) *Noua diſputandi, & philoſophãdi ratione theologiam corrupiſſe.* In alio verò eiuſdem Præfationis loco, Principes Chriſtianos alloquutus, ſubiũgit, *Cum Paulo opto, vos omnes fieri tales hac vna in re, qualis & ego ſum, in primis vt velitis ſcripturas peruolutare, ex his credẽdi normam petere, neq; ſuper aliorũ incertis opinionibus, ſed veſtra ipſorũ certa ſciẽtia fidei fundamenta collocare.* In quibus verbis ſe ipſum planè viuã ſuȩ fidei regulam conſtituit, nam licèt corpori Scripturæ, vt ſic dicam, ſeu literæ eius aliquid tribuat, ſenſum autẽ, qui eſt anima eius, ſibi reſeruat, & priuatæ ſuæ intelligentiæ, quam certã ſciẽtiam appellat. Et ideò dixi, ſibi ipſi tanquam nouo Euangeliſtæ fidem adhibere, contempta, & vt falſa repudiata Eccleſiæ Romanæ doctrina.

Non eſt profectò nouum homines à Catholica fide deficientes lapſum ſuum, vniuerſalis Eccleſiæ accuſatione tegere velle, aut excuſare. D. Hieron. dialogo contra Luciferianos refert, Luciferum aſſeruiſſe, *vniuerſum mundum eſſe diaboli,* & familiare illi fuiſſe, dicere, *factum de Eccleſia lupanar.* Auguſtinus etiam epiſt. 48. & lib. de Vnit. Eccleſ. c. 12. & 13. & ſæpiſsimè in Donatiſtis hoc reprehendit, generaliùs in hæreticis Pſalm. 101. concio. 2. dicens, *Sed exiſtunt qui dicant, iam hoc factũ eſt, reſpondit ei, in omnibus gẽtibus Eccleſia, crediderũt in eũ omnes gẽtes: ſed illa Eccleſia, quæ fuit omniũ gentiũ, iam non eſt, perijt, Hoc dicunt* (ait Aug.) *qui in illa nõ ſũt. O impudentẽ vocẽ, illa nõ eſt, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideò non ſis, nã illa erit, & ſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem, & deteſtabilem præſumptionis, & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultã, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam,*

3\. Prædictus error priſcis hæreticis familiaris fuit Lucifer apud Hieronymum.

Donatiſtæ teſte Aug.

Auguſt.

Lucifer. apud Hieronymum.

ditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernicioſam præuidit ſpiritus Dei, & tanquam contra illos, cùm annuntiaret vnitatem in cōueniendo populos in vnum, & regna, vt ſeruiant Domino, &c. Simili modo Tertull. lib. de Præſcriptionib. aduerſus hæreticos cap. 7. hunc etiam prætextum hæreticorum notat, eumq́; impugnat, & inter alia ſic irridet cap. 29. *Quoquo modo ſit erratum, tandiù vtiq; regnabit error, quandiù hæreſis non errat. Aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (addo Lutheranos, vel Caluiniſtas) *liberanda veritas expectabat, intereà perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia milliū perperā tincta, tot opera fidei perperā adminiſtrata, tot virtutes, tot chariſmata perperam operata, tot ſacerdotia, tot miniſteria perperam functa, tot deniq́ue martyria perperam coronata?* Nihil profectò ad confundendos noui Euangelij prædicatores aptiùs dici poterat, non ſufficiet tamen, niſi diuino etiam verbo conuincantur.

Donatiſtis teſte Aug.

Tertull.

4\.

Ex teſtimonijs ſacræ paginæ conuincitur fidem in Eccleſia nunquā defuturam.

Matt. 16.

Vt ergò ex Scriptura ſacra, prout ab antiquiſsimis Patribus intellecta fuit, errorem hunc refutemus, ſupponimus in primis, ſermonem eſſe de vniuerſali Eccleſia Chriſti, quam ipſe peculiari modo, & multo excellentiori, quàm ante ſuum aduentum Eccleſia fuerat, fundaturum ſe promiſit Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, & promiſsionē poſteà impleuit, paulatim eam congregando, & poſteà illā acquirendo ſanguine ſuo Actor. 20. ac tandem illam commendando Petro, illis verbis, *Paſce oues meas.* Ioan. 21. & præcipiendo Apoſtolis, vt eam ex omnibus gentibus congregarent, dicens, *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matt. 28. Hæc autem Eccleſia vna tantùm eſt, nam vnam tantum promiſit Chriſtus, cùm dixit *Eccleſiam meam*, quia licèt oues plures ſint, grex tamen vnus eſt, & vnum ouile, & vnus paſtor, vtique in cœlis Chriſtus, & in terris Petrus, & ſedes eius, cui Chriſtus omnes oues ſuas commendauit, licèt plures habeat coadiutores Epiſcopos, *quos Spiritus Sanctus poſuit ad regendam Eccleſiā*, vtique vnam. Ideoq́; hanc vnitatem cōmendat Apoſtolus ad Epheſ. 4. dicens, *Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo Pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma.* Et inferiùs ait, Omnes Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores Eccleſiæ datos eſſe *in opus miniſterij ad ædificationem corporis Chriſti.* Quod non eſt aliud, niſi Eccleſia, vt expoſuit idem Paulus in cap. 1. eiuſdem Epiſtolę, dicens, *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius*, & ad Coloſſen. 1. *Et ipſe caput corporis Eccleſiæ.* Et infrà, *Pro corpore eius, quod eſt Eccleſia*, & 1. ad Corinth. 12. elegantiſsimè deſcribit cōpoſitionem huius corporis ex varijs mēbris, & tandem concludit, *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, id eſt, mēbra inuicem connexa, & ordinata, ſicut in vno corpore vnum membrum coaptatur alteri, vt exponunt Latini, vel vt Græci legunt, *membra ex parte*, id eſt, nō eſtis integrū corpus (loquebatur enim ad particularem Eccleſiam) & ideò nō eſtis omnia membra, ſed ex parte. Vnde rectiſsimè Auguſt. de Vnit. Eccleſiæ c. 2. *Eccleſia vna eſt, quam maiores noſtri catholicam nominarunt, vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt.* Et infrà, *Totum quod annuntiatur de Chriſto, caput, & corpus eſt, caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus filius Dei viui, corpus eius Eccleſia, de qua dicitur, vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, &c.* ad Epheſ. 5. Hieronymꝰ etiā contra Luciferianos hanc vnitatem Eccleſiæ declarat per vnitatem arcæ Noe, quæ fuit typus Eccleſiæ, vt ex 1. Petri. 3. ſumitur. Neque in hoc pūcto, vt exiſtimo, nobis eſt cū Sectarijs controuerſia, & ideò ad illud ſupponendum, quātum ad ſequentia neceſſarium eſt, credimus dicta ſufficere, nam exacta huius vnitatis, & omnium membrorū Eccleſię explicatio, in qua hæretici ſolēt à catholicis diſſentire, lōgiorem poſtulabat tractatum, ſed præſenti inſtituto neceſſarius non eſt.

Act. 20. *Ioan.* 21. *Matt.* 28.

Supponitur 1. Eccleſiā eſſe vnam.

Act. 20. *Ad Epheſ.* 4. *Ad Epheſ.* 1. *Ad Coloſſ.* 1. 1. *Cor.* 12. *Auguſt.* *Epheſ.* 5. *Hieron.* 1. *Petr.* 3.

5\.

Vnitatē Eccleſiæ perpetuò duraturam eſſe ſtatuitur.

Secūdò ſtatuo, hanc Eccleſiam in ſua vnitate perpetuò vſque ad diē iudicij duraturam eſſe. Loquimur enim de militāte, nam de triumphante nullus remanet ambigendi, aut controuertendi locus. Poſſetq́ue hæc aſſertio facilè probari de Eccleſia prout fuit à principio mundi vſque ad Moyſem, & de ſynagoga, prout fuit à Moyſe vſque ad Chriſtum; hæc autem intentioni noſtræ neceſſaria non

ſunt, & ideò illa, ſicut & teſtimonia veteris teſtamenti, quæ de duratione ſynagogæ loquuntur, prætermitto. Loquor ergò de Eccleſia Chriſti prout in nouo teſtamento ab ipſo eſſe fundatam declaraui. Et ita ex promiſsionibus eiuſdem Chriſti in nouo teſtamento factis hæc proprietas Eccleſiæ probanda relinquitur.

Primum teſtim. ex Matth. 16. & expoſitiones Patrum.

6. Tres verò præcipuè ſunt huiuſmodi promiſsiones. Prima eſt Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eã,* Nam in his verbis promiſit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſtabilitatem, & firmitatem, contra quam nec Tyranni, nec hæretici, neque quilibet alij Chriſti hoſtes potuerunt præualere. Illi enim omnes per *portas inferni* à Patribus intelliguntur. Specialiter verò Hieronym. ibi, *Vitia, & peccata, & hæreticorum doctrinas per illas portas intellexit,* idem etiam Iſai. 26. & ferè idem Ambroſ. libro de Bono mortis cap. 12. *Donatur* (inquit) *Petro, ne portæ inferi præualeant ei, portæ inferi iſtæ ſunt terrenæ,* & infrà: *Iſtæ ſunt criminũ portæ.* Epipha. verò in Anchorato, quem Eutymi. in Matt. ſequitur, blaſphemias hæreticorũ, & illorum perſecutiones contra Eccleſiam intelligũt, Chryſoſt. ad cap. 2. Iſai. & homil. 4. in cap. 6. & homil. de Expulſione ſua, & in alia ſuprà citata de feſto Pentecoſtes, & in Demonſtratione, quod Chriſtus ſit Deus, ſemper exponit de tyrãnis, & Imperatoribus infidelibus per potentiam oppugnantibus Eccleſiã. Idem verò Pſal. 147. in fine rectè id explicat de tota potentia inferni, & omnibus miniſtris, quibus ad expugnandam Eccleſiam Diabolus vtitur. Et ſine dubio eſt veriſsimus ſenſus, quia verba ſũt abſoluta & quaſi per metonymiam ſub portis comprehendunt quidquid in inferno continetur. Vnde optimè Damaſcen. Orat. de Transfigur. Domini. *Aduerſus hanc,* inquit, *inferorum portæ, hæreticorum ora, dæmonum organa impetũ quidem facient, ſed non præualebunt.* Et infrà, *Nam quòd nunquam futurum ſit, vt euertatur, plane confidimus, cùm Chriſtus id affirmauerit.* Et in eandẽ ſententiam Euſebi. lib. 1. de Præparat. Euangeli. cap. 3. *Eccleſia* (inquit) *hoc nomine à Chriſto donata radices egit, ac vſq; ad aſtra Sanctorum orationibus glorificata, luce, ac fulgore orthodoxæ fidei ſplendet, neque hoſtibus terga dat, neque ipſis ianuis mortis cedit propter pauca verba, quæ ille protulit. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſum eam.* Simili modo Athanaſ. in Orat. Vnum eſſe Chriſtũ, propoſitis dictis verbis Chriſti, ait, *Fidelis ſermo, & non vacillans promiſsio, & Eccleſia inuicta res eſt, etiamſi inferus ipſe commoueatur, & ſiqui in inferno ſunt mundi principes tenebrarum tumultum faciant.* Deniq; Auguſt. lib. 1. de Symbolo c. 6. explicans articulum *Sanctam Eccleſiam,* dicit, Eccleſiam eſſe templũ Dei, de quo ait Apoſtolus. 1. ad Corinth. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos,* & ſubiũgit, *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica cõtra omnes hæreſes pugnans. Pugnare poteſt, expugnari nõ poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autẽ manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eã.* Imò addit Hilarius canon. 16. in Matth. per hæc verba non ſolùm eſſe promiſſũ Eccleſiæ, vt vinci non poſſet, ſed etiam, *vt infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret,* ita vt portæ inferni non ſolùm non poſsint reſiſtere Eccleſiæ ad expugnandam illam, verũ etiam nec ad reſiſtendum illi ſufficiant. Nam vt frequenter ijdẽ Patres animaduertunt, Eccleſia per perſecutiones tyrannorum perſonarũ numero, & merito ſanctitatis aucta eſt, & per cõtradictionẽ hæreticorum in ſciẽtia creuit, & in veritatum cognitione magis illuminata eſt.

Margin: Matt. 16. · Hieron. · Ambr. · Epiphan. · Eutym. · Chryſoſt. · Damaſc. · Euſeb. · Athanaſ. · Auguſt. · 1. ad Cor. 3. · Hilarius.

7. Secundum ex Matt. 28 Hieron.

Secunda promiſsio Chriſti Domini fuit Matth. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.* Circa quam rectè notauit Hieron. *Qui vſq; ad conſummationem mundi ſui præſentiam pollicetur, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum.* Cõſtat igitur, promiſsionem illam non eſſe factam ſolis præſentibus Apoſtolis, vel diſcipulis, ſed templo Eccleſiæ perpetuò manſuro, de quo Paulus dixit, *quod eſtis vos.* Vnde ſcitè Aug. lib. 6. Gen. ad literam cap. 8. *Omnibus dicebat, quos ſuos futuros videbat, Ecce ego vobiſcum ſum.* Ergo in verbis illis vel ſupponitur, vel etiam promittitur Eccleſiæ perpe-

Auguſt.

A

perpetuitas. Nam vt de illa ſimus ſecuri, præſentiam ſuam, id eſt, auxiliũ, & protectionem Chriſtus promittit, vt Hieronym. etiam expoſuit Iſai. 41. & Zachar. 2. & Auguſt. tract. 50. in Ioan. *Secundum maieſtatem ſuam* (inquit) *ſecundũ prouidentiam, ſecundum ineffabilem, & inuiſibilem gratiam impletur, quod ab eo dictũ eſt. Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi.* Et Leo Papa Epiſt. 31. *Non deſerit Eccleſiam ſuam diuina protectio, dicente Domino, Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* & epiſt. 92. in princip. *Confirmãs prædicatores Euangelij, & ſacramentorum miniſtros, dicit, Ecce ego vobiſcum ſum, &c.* Et eodem modo intellexerunt hunc locum Chryſoſt. homil. 91. in Matt. Beda, & alij expoſitores ibi, & Proſper. lib. 2. de Vocatione genti. cap. 2. Et eſt conſueta loquutio in ſcripturis, vt per aſsiſtentiam Dei protectio, & ſingulare auxiliũ ſignificetur, Actor. 7. *Erat Deus cum eo,* alludens ad illud Sapientiæ. 10. *Deſcenditq; cum eo in foueam,* & Ierem. 1. *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum ſum.*

Hieron. Auguſt. — Leo Papa. — Chryſoſt. Beda. Proſper. — In ſacra pagina præſẽtia Dei auxilium importat. — *Actor. 7. Sap. 10. Ierem. 1.*

8. 3. ex Ioan. 14.

Tertia demum promiſsio eſt ſimilis præcedenti, nam ſicut ibi promiſit ſuum peculiarem fauorem, etiam ſecundũ humanitatem ſuam, ita Ioan. 14. peculiarẽ aſsiſtentiam Spiritus Sancti, & Patris ſimul, ac ſuam pollicetur, dicens, *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis,* in quibus verbis illud inter alia non parum notandum, promiſſionem non eſſe factam ſolis Apoſtolis. Nam licèt intelligi poſsit, etiam in perſonis Apoſtolorum perpetuò manſiſſe Spiritum Sanctum poſtquàm illum recepiſſent, tamẽ non hoc tantùm ibi Chriſtus pollicetur, ſed etiam ita fuiſſe mittẽdum Spiritum Sanctum ad conſolandos, docendos, & protegendos fideles, vt non ſit ampliùs ab Eccleſia receſſurus in ęternum, id eſt, quandiù mundus durauerit (hæc eſt enim in Scriptura vſitata illius vocis ſignificatio.) Vnde tacitè ſubinnuit diſcrimen inter aduentum ſuum, & aduentum Spiritus Sancti, quia ille venit ad fundandam Eccleſiam, quam erat ſanguine ſuo acquiſiturus, poſt mortem ab ea receſſurus; Spiritus autem Sanctus datus eſt Eccleſiæ, vt ſemper in illa maneat. Quod videtur notaſſe Chryſoſt, homil. 74. in Ioan. dicẽs, *Hoc ſignat, quod neque poſt mortem abijt.* Et ita intellexit hãc promiſsionem Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 45. dicens, *Quamuis in cœlos poſtquàm è mortuis reſurrexit, Dominus aſcenderit, vt Deo pro nobis, iuxta Paulum, appareat, adeſſe tamen ſemper per Spiritum ſuum fidelibus pollicetur.* Et eodem modo Tertullian. in Præſcriptionib. cap. 28.

Diſcrimen inter aduentum Chriſti & Spiritus Sancti. — *Chryſoſt. Cyrill. Tertull.*

9. *Ad Epheſ. 4.*

B

Imò ſic impleri hanc Spiritus Sancti donationẽ, apertè docet Paulus ad Epheſ. 4. vbi priùs dicit, Chriſtum aſcendentem in altum dediſſe dona hominibus, poſteà verò addit, *Ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei, donec occurramus omnes in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* In quo teſtimonio expendenda ſunt accuratè illa verba, *Donec occurramus, &c.* Nam in eis apertè docet Paulus, Eccleſiam in corpus Chriſti ædificatam, & varijs miniſterijs, & gratijs Spiritus Sancti gubernatam, vſque ad generalem reſurrectionem, & conſummationem Sanctorum eſſe permanſurã. Propter quæ teſtimonia in hoc ſidei dogmate conueniunt omnes antiqui Patres Eccleſię, vt ex allegatis liquet perſpicuè, quibus & addi poſſunt Martialis epiſt. ad Burdegal. cap. 11. & Cypria. epiſt. 55. ad Cornel. Athanaſ. orat. Quod vnus ſit Chriſtus, *Eccleſia* (inquit) *inuicta res eſt, etiam ſi infernus ipſe cõmoueatur.* Deniq; Auguſt. exponens de Eccleſia verba illa Pſal. 47. *Deus fundauit eam in æternum,* inquit, *Sed fortè iſta ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquãdo euertetur? abſit, Deus fundauit eam in æternum. Si ergò eam Deus fundauit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?*

C D — *Martialis. Cyprian. Auguſt.*

10. Propoſita veritas concluditur.

Ex quibus vltimis Auguſtini verbis poſſumus gradum facere ad concludendam ex dictis fundamentis præcipuam aſſertionem, & veritatem intentam, nimirũ catholicam, & vniuerſalem Eccleſiam non poſſe à vera, & diuina fide deficere, demonſtrandum. Nam firmamentum, & veluti forma coniungens mẽbra huius Eccleſiæ, & inter ſe, & cum Chriſto, eſt fides; ſi ergò Deus fundauit Ec-

cleſiã in æternũ, quis timeat quòd fides eius poſsit in tota illa deficere? Etenim ſi tota Eccleſia fidẽ amitteret, eo ipſo deſineret eſſe Eccleſia, & inciperet eſſe ſynagoga Satanæ. Sicut gentiles ſunt extra Eccleſiam, quia fidem eius non receperunt, & hæretici deſinunt eſſe in Eccleſia, eo ipſo, quod fidem amittunt, & ideò in hoc gentilibus cõparantur ab Hieronymo Dial. contra Luciferian. in principio. Denique veritatem hanc ſatis confirmant ſymbolum Apoſtolorum, & Nicęnum, quibus Rex Angliæ fidem ſe adhibere profitetur. Docent enim Eccleſiã credendam eſſe vnam, ſanctam, & catholicam; non poteſt autem eſſe vna, ſine vnitate fidei, neque ſancta ſine vera, & diuina fide, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, neque catholica ſine fide vniuerſali, quæ omnia vera dogmata complectatur. Cùm ergo Eccleſia non poſsit deſinere eſſe, quandiu mundus durauerit, neque etiam poſsit exiſtere, quin ſimul ſit fidelis, & ſancta, fieri etiam nõ poteſt, vt à vera fide deficiat.

Amiſſa fide Eccleſia deſineret.

Symbolum Apoſtolor.

Symbolum Nicæn.

11. Solent autem aduerſarij contra Catholicæ Eccleſiæ in fide ſtabilitatem multa obijcere, & varios lapſus, ſeu defectiones Eccleſiæ recenſere, tum quia tempore legis veteris tota Eccleſia à fide defecit, quãdo Synagoga vitulum adorauit, Exod. 33. tum etiam quòd Antichriſti inualeſcente perſecutione funditus euertetur: dicente Paulo. 2. ad Theſſalon. 2. *Niſi venerit diſceſsio primùm, &c.* & Chriſto Lucæ 18. *Cum venerit filius hominis, putas ne, inueniet fidem ſuper terram?* Ex quibus volunt colligere, potuiſſe iam deficere, quia iam tempus Antichriſti aduenit. Quibus cum Auguſtino vnico reſpondemus verbo: *Credo illa, quæ in ſcripturis ſanctis leguntur, non credo iſta, quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Ita enim ille reſpondit Donatiſtis (lib. de Vnitate Eccleſ. cap. 13.) dicẽtibus, ſuo tempore orbẽ terrarũ apoſtataſſe, & in eis ſolis veram fidem permanſiſſe, varijſque exemplis ex ſcriptura detortis vtebantur, quibus obuiat Auguſtinus dicens, ea ſe credere, quæ in ſcripturis leguntur, non ea, quæ hæretici ſuis cõtentionibus perſuadere conãtur, & concludit. *Iſti ergò vel imperitè, vel fallaciter agentes, colligunt de ſcripturis talia, quæ vel in malos bonis vſque in finem permixtos, vel*

Duplex obiectio hæreticorum.

Reſponſio Auguſt.

A *de deuaſtatione prioris populi iudæorũ dicta reperiuntur, & volunt ea retorquere in Eccleſiam Dei, vt tanquam defeciſſe, ac periſſe de toto orbe videatur.*

Iſtius modi profectò ſunt, quæ in pręſentiarum ſectarij obijciunt. Nam peccatũ illud populi iudaici pertinet ad prauos mores, & duritiem illius populi, non ad Eccleſiæ defectionem. Tum quia Synagoga non erat Eccleſia Chriſti, de qua tractamus, tum etiam quia non erat Eccleſia vniuerſalis, quæ tunc erat in mundo: nam in præputio poterant etiam tũc B eſſe aliqui fideles, & iuſti, tum maximè, quia falſum eſt, omnes de illo populo fidem tunc amiſiſſe. Nam in primis Moyſes, & Ioſue immunes omninò fuerunt ab illa culpa, deinde Aaron licèt grauiter peccauerit, cooperando populo in peccato idololatrię, longè tamẽ veriſimilius eſt in fide non aberraſſe. Nunquam enim Moyſes de hoc peccato illum reprehendit, ſed ſolũ de altero, vt patet ex illis verbis, *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres ſuper eum peccatum magnum,* idèque apertè ſupponit Auguſtin. q. 141. in Exod. dicens, *Quod iubet Aaron inaures demi ab* C *auribus vxorum, atque filiarum, vnde illis faceret Deos, non abſurdè intelligitur, difficilia præcipere voluiſſe, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret.* Nam ſi hoc ita eſt, palã fit, Aaron nõ ex infidelitate peccaſſe, ſed quia populo fortiter non reſtitit, & ex nimio humano timore illi ceſſit. Deniq; plures de populo in fide permanſiſſe cõſtat ex illis verbis Moyſi, *Si quis eſt Domini, iungatur mihi,* non eſt enim Domini, niſi qui in eum credit, huiuſmodi autem inuẽti multi ſunt, qui Moyſi iuncti fuere ad iniuriam Dei vindicandam. 12.

Fidem nõ defeciſſe in tota Synagoga, & primæ obiectioni ſatisfit.

Auguſt.

D Similiter commentitium planè eſt, & erroris plenum, perituram aliquando, vel omninò defecturam eſſe Eccleſiam tempore Antichriſti. Quanuis enim tũc futura ſit tribulatio magna, prædicta à Chriſto Matth. 24. quę multos turbabit, & à Chriſti fide deijciet, quam defectionem Paulus nomine *diſceſsionis* præſignificauit: nihilominùs Eccleſia Chriſti non omninò deſtruetur, neque omnia eius mẽbra fidem amiſſura ſunt, vt ſatis Chriſtus indicat Matt. 24. dicens, *Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi,* 13.

Math. 24.

Fidem tempore Antechriſti permanſurã in Eccleſia, & ſecundæ obiect. fit ſatis.

Et

Et infra plenius vrgens, ſuper addit, *vt in errorem inducantur, ſi fieri poſsit, etiam electi*. Semper ergò erunt aliqui electi, & fideles, in quib⁹ Eccleſia permaneat, imò eo tempore erunt illuſtriſsimi martyres, & Fidei Catholicæ cõfeſſores fortiſsimi. Quod inſuper in fine illius obiectionis tangitur, quod iam Antichriſtus venerit, propter primatum Pontificis ab aduerſarijs eſt obiectum, quam verò falsũ ſit, imò & ridiculum in lib. 5. videbimus. Alia denique difficultas, quæ in hac obiectione, & reſponſione ſubeſt, quo pacto ſcilicet poſsit Eccleſia Catholica in paucis credentibus perſeuerare, & quaſi in angulo deliteſcere, in cap. 6. declarabitur.

CAPVT IIII.

Non poſſe Catholicam Eccleſiam etiam per ignorantiam in rebus fidei errare.

1. DISCVRSVM ſuperiori capite factum poſſet imperitus, vel hæreticus eneruare dicendo, illo quidem rectè probari, Eccleſiã non poſſe in hæreſim incidere, per quam fides amittitur, hoc autem non ſatis eſſe, neq; obſtare, quominùs Eccleſia poſsit in multis erroribus verſari, ſaltem per ignorantiam, quæ à culpa hæreſis illam excuſet, quin licèt illo modo erret, non deſinet eſſe fidelis, & ſancta, ac ſubinde non deſtrueretur. Quòd ſi hoc concedatur, habebunt hæretici, vel ſchiſmatici excuſationem aliquam diſſentiendi ab Eccleſia in aliquibus rebus, in quibus ipſam errare contendunt. Nam ſi id intelligant per ſolam ignorantiam, & ſine hæreſi, non videntur tam manifeſtè loqui cõtra promiſsionem Chriſti. Dixi autem, hoc poſſe proponi à Catholico potiùs, quàm ab hæretico, quia hæretici non tam moderatè agunt cum Eccleſia Chriſti, ſed illi impudentèr tribuunt lapſus, & errores ſcripturæ contrarios, qui nequeunt ab hæreſi excuſari, & ideò Eccleſiam verã fidem amiſiſſe, ac ſubinde contra Chriſti promiſsionẽ è mundo perijſſe in ſuæ hæreſis excuſationem eadem impudentia nonnulli obtendunt.

Euaſio ſuperioris argumenti.

2. Quamobrẽ dicendũ vlteriùs eſt, non ſolùm non poſſe Eccleſiã incidere in hæ A reſim, verum etiã nec poſſe errare, ſiue per ignorantiam, ſiue quocũque alio modo in aliquo dogmate, in quo tanquam in veritate à Deo reuelata, & ab omnibus fidelibus credenda vniuerſa Eccleſia conſpirat, docet, & proponit. Nam hoc etiam in promiſsionibus Eccleſiæ factis continetur, & ideò nullus Catholicus poteſt de hoc verò dogmate dubitare.

Eccleſiam nec per ignorantiam poſſe errare

Quod in primis declaratur ex verbis Pauli. 1. ad Timot. 3. *Vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum* B *veritatis*. Comparatur enim columnæ, tanquam quæ ſtabilitate, ac firmitate ſua ſinceram, ac puram veritatem conſeruat; fidelesq; omnes in veritate contra quoſcumque ipſius oppreſſores obfirmat. Si autem ipſa poſſet errare, quo quæſo pacto illi fides credentium, & veritas credendorum niteretur? Quòd autem hæc ſit ſentẽtia, & ſenſus Pauli, videtur adeò notum ex verbis, vt nulla ferè expoſitione, vel perſuaſione, ſed imperturbati tantum animi lectione indigeat. Vnde omnes expoſitores tam antiqui, quàm recentiores, dici Eccleſiam columnam veritatis propter immobilitatem, quam C in veritate habet, declarant. Firmamentũ autem, vel quia habet veritatem firmatã prodigijs, & virtutibus, quæ à nullo alio, præter quam ab ipſo Deo fieri poſſent, vt expoſuit Ambroſius, vel quia ab illa firmantur in veritate omnes credentes, vt rectè D. Thom. docet, & ſignificauit Chryſoſt. dicens, *Columna eſt orbis Eccleſia, quæ fidem continet ad prædicationem, quippe veritas Eccleſiæ columna, & firmamentum eſt*. Et clariùs Theodoret. *Eccleſiam* (inquit) *appellauit cœtum credentium, quos dixit columnam, & firmamentum veritatis, quia ſupra petram fundati ſtabiles, &* D *immobiles permanent, & rebus ipſis prædicant dogmatum veritatem*. Et Hieronym. etiam ibidem addit, *Eccleſiam dici columnam, in qua nunc ſola veritas ſtat firmata, quæ ſola ſuſtinet ædificium*. Denique Auguſtinus concio. 1. in Pſalm. 110. tractãs illa verba, *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam*, & per terram interpretans Eccleſiam, exponit, *Non inclinabitur in ſeculum ſeculi, quia prædeſtinata eſt colũna, & firmamentum veritatis*. Igitur quia à veritate declinare non poteſt in his, quæ firmi-

1. ex Paulo ad Timot.

Ambr. *D. Thom.* *Chryſoſt.* *Theodor.* *Hieron.* *Auguſt.*

firmiter, & tanquam à Deo reuelata credit. Ideò columna eſt, & firmamentum.

3. Præterea veritatem hanc confirmat promiſsio Chriſti ſuprà tractata, *ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ dabit vobis, ſpiritum veritatis*. Ioan. 14. Non enim ſine cauſa ibi peculiariter ſpiritum veritatis appellauit, ſed vt illum diſtingueret ab ſpiritu erroris, per hoc ſatis ſignificans, ſe promittere paracletum vt Doctorem veritatis, vt ipſemet Chriſtus declaraſſe videtur Ioan. 16. dicens, *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Oſtendimus autẽ in ſuperioribus, promiſsionem illam Spiritus Sancti factam eſſe Eccleſiæ, vt maneat cum illa in æternum, ſicut Chriſtus ipſe dixit; ergò Eccleſia ſemper habet Spiritum Sanctum tanquam rectorem, & doctorem, à quo in veritatis cognitione ſpecialiter regitur, & illuminatur, & hinc prouenit, vt circa veritatem eadem Eccleſia errare non poſsit, & ideo dixit Cyrillus lib. 10. in Ioan. cap. vlt. *Cum præ dixerit Paracletum ad eos venturum, ſpiritum veritatis eum nominauit, (ipſe autem eſt veritas) vt intelligerent diſcipuli, non alienam à ſe virtutem miſſurum.* Et infrà, *Hic ergò veritatis ſpiritus ad omnem veritatem deducet, nouit enim exactè veritatem, cuius ſpiritus eſt, & eam non ex parte, ſed integrè reuelauit. Nam etſi ex parte in hac vita cognoſcimus, vt ait Paulus, non manca tamen, ſed integra veritas in hac parua cognitione nobis refulſit.* Quæ vltima verba ſunt valde notanda, nam ex eis intelligitur neceſsitas huius ſpiritus veritatis in Eccleſia, vt ſtatim declarabo. Denique ob eandem cauſam Tertullian. lib. de Præſcriptionib. capit. 28. quaſi irridens eos, qui vniuerſali Eccleſiæ errorem circa fidem tribuunt, ait, *illam non reſpexerit Spiritus Sanctus, vt eam in veritatem deduceret, ad hoc miſsus à Chriſto, ad hoc poſtulatus de Patre, vt eſſet Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Chriſti vicarius* (id eſt vicem eius gerens, & in docendi munere abſentiã eius ſupplens) *ſinẽs Eccleſias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm ipſe per Apoſtolos prædicabat?* quaſi dicat, hæc eſſe incredibilia, & à Chriſti promiſſione, & ab Spiritus Sancti prouidentia, bonitateque aliena.

[Margin: 2. Ex Ioan. 14. — Ioan. 16. — Cyrill. — Cor. 13. — Tertullia.]

4. Denique præter Chriſti promiſsionẽ, & ſcripturæ teſtimonia adeò expreſſa, poſſumus hanc veritatem perſuadere ratione deducta ex principijs fidei. Quia ſi vniuerſalis Eccleſia poſſet quocumque modo errare in dogmatibus fidei, in nullo illorum poſſet eſſe columna, & firmamẽtum veritatis, imò neque aliquid credere tanquam omninò certum, cui falſum ſub eſſe non poſſet, quia ſemper poſſet dubitare, & formidare, an per ignorantiã deciperetur. Reſpondebit fortaſſè aliquis, poſſe Eccleſiam, & debere firmiter credere ea quæ in Scriptura continẽtur, etiã ſi in alijs errare poſſet. Sed hoc non euacuat difficultatem. Tum quia de ipſiſmet Scripturæ libris dubitare poſſet, an per ignorantiam erret, credendo, aliquem librum eſſe canonicum, qui non eſt, quia non eſt maior authoritas Eccleſiæ in vno approbando, quàm in alio. Tum etiam quia ſi in aliquo dogmate errare poſſet, etiam poſſet errare in intelligentia ſcripturarum; ergò ſemper poſſet dubitare, an verum ſenſum Spiritus Sancti aſſequatur, ac ſubinde nihil poſſet ex ſcripturis certò credere. Tum prætereà quia Eccleſia non ſolũ debet eſſe certa de rebus, quæ in ſcriptura continentur, ſed etiam de alijs dogmatibus non ſcriptis, vt antiquiſsimi Patres ſemper docuerunt, ex quibus paucos ſtatim indicabo; nam hoc tantùm obiter in præſenti attingimus. Igitur vt dogmata, quæ vniuerſalis Eccleſia credit, certa ſint, neceſſariũ eſt, vt in nullo eorum errare poſsit. Vnde rectè dixit Nazianzen. Orat. 37. circa finem, *Vnum vni cohæret, & ex eis quædam verè aurea, & ſalutaris fit catena*: & ideò ſi vel vnum auferatur, aut reddatur incertum, tota catena diſrumpetur, & inutilis fiet, ſicut etiam dixit Ambroſ. ad cap. 9. Lucæ lib. 6. in fine, *Vnum horum ſi retraxeris, retraxiſti ſalutem tuam, nam etiam hæretici, habere ſibi Chriſtum videntur, nemo enim Chriſti nomen negat, ſed negat Chriſtũ qui non omnia, quæ Chriſti ſunt, confitetur.* Ita ergo totam fidem Eccleſiæ deſtruit, qui in quocumque dogmate illi errorem imponit.

[Margin: Ratione eadem veritas cõfirmatur — Præcluditur euaſio. — Nazianz. — Ambroſ.]

5. Fortaſſè tamen aduerſarij hæc omnia facilè concedent, nec inconueniens reputabunt admittere, poſſe eccleſiam errando, & falſa dogmata tanquam veritates fidei tradendo, ad eum ſtatum peruenire,

[Margin: Reſponſio hæreticorũ]

nire, in quo nihil ex fide diuina, & omnino certa, ſed omnia ex propria opinione credat. Sed hæc reſponſio in primis reuoluitur in priorem errorem, quòd vera Chriſti Eccleſia poſsit perire; nam in eo ſtatu conſtituta nõ haberet veram, & ſupernaturalem fidem; ergò non eſſet vera Eccleſia. Et ita quoad hanc partẽ hæc reſponſio ſufficiẽter impugnatur ex dictis cap. præcedente, & fundamento, & teſtimonijs, quibus illud confirmatũ eſt. Deinde ſi vniuerſalis Eccleſia ad eũ ſtatum peruenire potuiſſet, in quo nihil ex diuina fide, ſed tantùm ex humana opinione crederet, vbi tũc inueniretur fides in terra? Profectò nullibi, quia ſi alicubi eſt vera fides, ab Eccleſia Catholica manauit; ergò ſi in ipſa Eccleſia illa fides certa, & ſupernaturalis nõ eſt, multò minùs extra illam eſſe poteſt. Quapropter qui ſic reſpondent, & ita de Eccleſia ſentiunt, dum illam infidelẽ faciunt, ſe ipſos fide carere oſtendunt, vnde enim illam habebunt, ſi per Eccleſiam illam nõ habent, cùm Deus iam non per ſe ipſum, ſed per Eccesiã homines doceat, vt apertè ſumitur ex Paulo ad Rom. 10. Tandẽ qui ſic reſpondent, ideò errant, quia in Eccleſia non diſtinguunt humanã auctoritatẽ ab authoritate Spiritus Sancti, qui eam regit, vel per eam loquitur, quoties dogmata fidei generaliter credit, aut docet, iuxta promiſsionem Chriſti nuper oſtenſam, & iuxta mentem Apoſtolorum tradentium dogma fidei per illa verba, *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Act. 15.

Reijcitur reſpõſio, & ſuperior cõcluſio Patrũ authoritate ſtabilitur.

ad Roma. 10.

6. Atque ita ſenſerũt de authoritate Eccleſiæ antiquiſsimi Patres, Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. *Non oportet*, ait, *adhuc apud alios quærere veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli, quaſi in depoſitorium diues, pleniſsimè in eã contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vt omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ, hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones, propter quod oportet deuitare quidem illos.* Ambroſius lib. 3. epiſt. 25. ad Verſelenſes, *Nemo* (inquit) *ſtat, niſi qui fide ſtat, niſi qui fixus ſtat ſui cordis ſententiæ. Alibi quoque legimus, tu autem hìc ſta mecum, vtrumque ad Moyſem à Domino dictum eſt, vbi tu ſtas, terra ſancta eſt, & Hìc ſta mecum, hoc eſt, mecum ſtas, ſi ſtes in Eccleſia, ipſe enim locus eſt ſã-* A *ctus, ipſa terra fœcunda ſanctitate, & opima virtutum meſſibus. Sta ergò in Eccleſia, ſta vbi tibi apparui, ibi ego tecum ſum. Vbi eſt Eccleſia, ibi firma ſtatio tuæ mentis eſt, ibi fundamentum animi tui.* Et idem Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 7. dicens. *Seruemus præcepta maiorum, nec hæreditaria ſignacula au ſi, rudis temeritate violemus.*

Irenæus.

Ambroſ.

Ambroſ.

7. Et Auguſtin. de Vtilit. credendi cap. 8. loquens de homine deſiderante, & laborante pro veritate inuenienda, *Si vis* (inquit) *finem huiuſmodi laboribus imponere, ſequere viam catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per Apoſtolos ad nos vſque* B *manauit, & abhinc ad poſteros manatura eſt.* Arbitrabatur enim Auguſtinus, nunquã defuturam illam fidem, neque aliter, quã per traditionem, & ſucceſsionem in Eccleſia Catholica ad poſteros fuiſſe peruẽturam. Vndè in cap. 17. cùm dixiſſet, magnum eſſe adiutorium fidei communi populorum conſenſu creditæ, & prædicatæ, ſubiungit, *Hoc factum eſt diuina prouidentia per Prophetarum vaticinia per humanitatem, doctrinamque Chriſti, per Apoſtolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, ſanguinem, mortes, per Sanctorũ* C *prædicabilem vitam, atque in his vniuerſis digna rebus tantis, atque virtutibus pro temrum opportunitate miracula. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantumque fructum, profectumque videamus, dubitabimus nos eius Eccleſiæ condere gremio, cùm vſque ad confeſsionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſsiones Epiſcoporum fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Nam ſi* D *nulla certa ad ſapientiam, ſalutemque animis via eſt., niſi cùm eos rationi præcolit fides, quid eſt aliud ingratum eſſe opi, auxilioque diuino, quàm tanto labore præditæ authoritati velle reſiſtere.* Hactenus Auguſt. Quibus tam luculenter, & ſapienter diſcurſum factum ſtabiliuit, vt nihil eis addi poſſe videatur. Et proptereà idem Auguſtin. tantum defert authoritati Eccleſię, vt in lib. cõtra epiſtolam Fundamenti capit. 5. ſic affirmare non dubitarit, *Ego Euangelio non crederẽ, niſi me Eccleſiæ Catholicæ moueret authoritas.*

Auguſt.

Denique

8. *Hieron.* Denique Hieronym. contra Luciferian. circa medium, *Quale eſt* (inquit) *vt leges Eccleſiæ ad hæreſim transferas?* Et infra *Si Eccleſiam per totum orbem diffuſam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantũ habet, nimium pauper factus eſt.* Actandem poſtquam multa de Eccleſia protulerat, ſub finem ſic ſubiecit. *Poteramdiem iſtiuſmodi eloquij ducere, & omnes propoſitionum riuulos vno Eccleſiæ ſole ſiccare, verũ, quia iam multum ſermocinati ſumus, breuem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam, in illa eſſe Eccleſia permanendum, quæ ab Apoſtolis fundata vſque ad diem hunc durat.* Multaque ſimilia in antiquis Patribus reperiuntur, quæ breuitati ſtudens miſſa facio: idq; lubentiùs, quòd qui hos Patres non audierit, etiam ſi plures referantur, non credet, ſed vana ſemper ſubterfugia excogitabit.

CAPVT V.

Romanam Eccleſiam eandem fidei ſtabilitatẽ habere oſtenditur, quam Catholica, & ſectariorum euaſioni occurritur.

1. QVÆ in ſuperiori capite ex diuinis ſcripturis, ad oſtendendã Eccleſiæ Catholicæ in vera fide conſeruanda, ac perpetuò retinenda immobilitatem, & ſingularem Dei protectionem, adducta ſunt, adeò ſunt clara, & aperta, vt neque ipſius Eccleſiæ hoſtes in vniuerſum audeant cõtra Eccleſiam Catholicam aperto marte pugnare. *Sectariorũ inter Romanam, & Catholicã Eccleſiam diſtinctio.* Diſtinguunt igitur inter Eccleſiam Catholicam, & Romanam, & de catholica non audẽt apertè dicere, defeciſſe, aut veram fidem amiſiſſe, quod tamen de Eccleſia Romana audacter affirmare non verentur. Et ita videntur ſibi eludere omnia Scripturæ teſtimonia, & Chriſti promiſſiones, quia illæ factæ ſunt Eccleſiæ Catholicæ, non Romanæ. Et vt alios omittam proteſtantes, non videtur ab hac ſententia, ſeu diſtinctione alienus Rex Iacobus. Quãuis enim in ſuo libro eam expreſsè non proponat, ex dictis tamen eius non obſcurè colligitur, priùs enim ſe profitetur fidei catholicæ defenſorẽ, quã fidem dicit eſſe veteris, ac primitiuæ Eccleſiæ: in quo indicat Eccleſiam Catho-

A licam, & primitiuam non perijſſe, ſed durare, nam vbi fides catholica eſt, non poteſt etiã non eſſe Catholica Eccleſia. Poſteà verò in præfat. pag. 40. fateri nõ timuit, ſe neq; eſſe, neq; vnquã fuiſſe in noſtra Eccleſia, id eſt, in Romana, & in pag. 47. planè damnat fidei articulos, *quos Romanæ* (inquit) *Eccleſiæ officina excudit, ante quingenteſimũ Chriſti annum inauditos,* & pagin. 48. hæc habet verba, *Schiſmaticum me dicant, licèt, & à Romana Eccleſia defeciſſe, certè hæreticus eſſe nullo modo poſſum.* Diſtinguit ergò defectionem à Romana Eccleſia à defectione à fide catholica, ſeu ab Eccleſia Catholica, perinde

B enim eſt. Pagin. item 54. poſt hæc, & multa ſimilia ſubiungit, *Nondum Romanæ religionis arcem attigimus, id eſt, caput Eccleſiæ, Petrique primatum, nam qui hunc articulum negat, ex Bellarmini ſententia catholicam fidem negat,* His ergò, & ſimilibus verbis ſatis inſinuauit Rex Iacobus, Romanæ Eccleſiæ fidem, durante, & perſeuerante fide catholica defeciſſe.

Neque eſt nouus hic error, nam Vuicleph in ſuo articulo 37. damnato in Cõcilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. dixit, Roma- 2. *Cõc. Cõſt. Vuicleph.*

C nam Eccleſiam eſſe ſynagogam Satanæ, quod non inuenio dictum ab ipſo de Eccleſia Catholica, neque fortaſsè id diceret, ne ſe ipſum, aut in ſynagoga Satanæ, aut extra Eccleſiam Catholicam conſtituere videretur, quodquidem periculum omnibus hæreticis commune eſt. *Hæc diſtinctio ab antiquioribus hæreticis fuit inuẽta.* Et anteà in eodem errore Pauperes de Lugduno, aliàs Vualdenſes verſati ſunt, qui neminẽ in fide Eccleſiæ Romanæ, quæ tẽpore Syluestri defecit, ſaluari poſſe affirmarunt, vt refert Antonin. 4. p. Theologali tit. 11. cap. 7. §. 2. & Aeneas Siluius *Antonin. Aeneas. Siluius.*

D de Origine Bohemorum cap. 33. Omnes verò hi vel in priuatis opinionibus, & proprijs fundãtur erroribus, quos cùm contrarios eſſe Romanæ fidei negare nõ poſsint, Romanam fidem veram nõ eſſe, ac ſubinde Romanam Eccleſiam à catholica defeciſſe tandem effutire coguntur.

Vel certè moti ſunt, quia nihil excellens, & vniuerſale de Romana Eccleſia credunt, ſed illam tantùm conſiderant, vt particularem Eccleſiam, ſeu Diœceſim, ac Epiſcopum eius tanquam vnum ex cæteris, nullã extra illam Diœceſim haben- 3. *Fundamẽta erroris.*

habentem poteſtatem. Ex quo principio intulerunt, ſicut aliæ Eccleſiæ particulares, & earum paſtores, etiam ſi Primates ſint, vel Patriarchæ in rebus fidei labi potuerunt, & re ipſa ſæpiùs defecerunt, ita etiam in Eccleſia Romana accidere potuiſſe, & re vera eueniſſe. Et ita hi duo errores maximè coniuncti ſunt, vt Vuiclephus ſuprà illos cõiunxit, dicens, *Eccleſia Romana eſt ſynagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus, & proximus Vicarius Chriſti.* Et ob eandem cauſam videtur dixiſſe Rex Angliæ, arcem fidei Romanæ eſſe articulum de primatu Petri, quia nos credimus in illo fundari, eo modo, quo Chriſtus promiſit fundare ſuã Eccleſiam ſupra Petram, & ideò Rex ipſe negando primatum, coactus eſt, fidem Romanam abnegare, eiuſque defectionem ſibi, ſuiſque perſuadere.

4. Quapropter vt impugnationẽ huius erroris ab hoc fundamento inchoemus, in Epiſcopo Romano duo munera, ſeu duplex paſtoralis cura diſtinguenda eſt, vna particularis, & propria Diœceſis Romanæ, cuius Pontifex eſt immediatus Epiſcopus; alia vniuerſalis cura totius Eccleſiæ Chriſti, cuius eſt vniuerſalis Paſtor, & ſupremus Epiſcopus omnium particularium Eccleſiarum, licèt non ſit immediatus ſingularum Epiſcopus. Et quidem de priori poteſtate, & munere nulla eſt inter nos, & Proteſtantes cõtrouerſia. Poſteriorem autem poteſtatem vniuerſalẽ, & ſupremam iuriſdictionem etiam vniuerſalem in vniuerſam Eccleſiam negant aduerſarij, nos verò nunc illam ſupponimus, & articulum eius ad catholicam fidem pertinere conſtanter aſſerimus, illius tamen probationem in librum tertium reſeruamus, ne propoſitum ordinẽ peruertere, & rẽ, de qua nunc tractamus, confundere cogamur. Hęc autem duo munera licèt poſſent, ſicut in ſe ſunt diſtincta, ita etiam in perſonis ſeiungi, ſicut in alijs Epiſcopatibus ſeparantur, nihilominùs ex quo in Petro coniuncta fuerunt, nunquam ſeparata inuenta ſunt, & ex diuina ordinatione fortaſsè nunquam ſeparabuntur: quod nunc non agimus, quia ad præſens inſtitutum non refert, in libro tamen tertio obiter ſaltem attingemus. Hactenus ergò Romanus Epiſcopus idem fuit ſem-

Diſtinctio Roman. Eccleſię in vniuerſalem, & particularẽ.

A per Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus, vt ab antiquis Patribus ſæpè nominatur.

5. Ex quo intelligimus, nomine Romanæ Eccleſiæ duo poſſe ſignificari. Primò particularem illam Eccleſiam, quæ intra terminos ſuæ Diœceſis concluditur, & ſuum habet proprium Epiſcopum tantùm particularem, ſi præcisè ſpectetur, vt immediatam iuriſdictionem in illam exercet. Et de Eccleſia Romana ſic ſũpta non loquimur, quia conſtat, illam non eſſe Eccleſiam Catholicam, ſed membrũ eius. Ideoque de illa ſic ſpectata dicere B non poſſumus habere Chriſti promiſſionem nunquam deficiendi à catholica fide, quia nullibi talis promiſsio inuenitur, neque in promiſsionibus factis vniuerſali Eccleſiæ neceſſariò includitur, quia poſset vniuerſalis Eccleſia permanere in vera fide, cum obedientia, & vnione ad Summum Pontificem, vt Pontifex, & vniuerſalis paſtor eſt, etiamſi particularis illa Eccleſia à fide deficeret, & ſuum Epiſcopum à ſe per violentiam abijceret, quod dicimus explicãdæ rei gratia, quanuis nunquam Deum id eſſe permiſſurum piè credamus.

6. C Alio ergò modo illa Eccleſia, quæ veram Chriſti fidem retinet, ſolet dici Eccleſia Romana, quia Epiſcopo Romano paret, licèt non vniatur illi vt priuato Epiſcopo, ſed vt vniuerſali Pontifici, & ſic etiam dicitur Romana fides, vel Romana religio, quæ à Põtifice Romano, vt Chriſti Vicario conſeruata, confirmata, definita, ſeu approbata eſt. Atque hoc etiam modo particularis Eccleſia Romana vt coniuncta ſuo Epiſcopo non ſolũ vt particulari Rectori, ſed etiam vt vniuerſali Doctori totius Eccleſiæ, comparatur catholicæ in priuilegio non errandi, nec D deficiendi à fide, quandiù in illa vnione cum ſuo capite permanſerit: nã hoc etiã habet quælibet alia particularis Eccleſia ſub eadem ratione, & vnione ſpectata. Et ſequitur ex generali principio, Petrum videlicet, & Petri fidem eſſe immobile Eccleſiæ fundamentum, in quo quandiù Eccleſia, licèt particularis, fundata fuerit, nunquam à vera fide aberrabit. Semper tamen inter vniuerſalem Eccleſiam & particulares hoc diſcrimen conſiderari poteſt, quòd quælibet particularis poteſt ab hac petra diſiungi, & cadere: vniuerſalis

uerſalis autẽ non poteſt, quia de ſola illa ſcriptum eſt, *Portæ inferi non præualebũt aduerſus eam.*

7. Sic igitur declarata, & intellecta vocum ſignificatione dicimus, fidem Eccleſię Romanæ eſſe catholicam fidem, neq; Romanam Eccleſiam ab ea defeciſſe, nec deficere potuiſſe, propter Petri cathedrã in ea præſidentem. Aſſertionem hanc vt certam, & neceſſariam in fide Catholica proponimus, & eam ex diuina Scriptura in hunc modum colligimus. Fides Petri catholica fuit, & deficere non poteſt; ſed fides Eccleſiæ Romanæ eſt fides Petri; ergò fides Eccleſiæ Romanę eſt fides Catholica, à qua nunquam illa ſedes poteſt deficere. Argumẽtatio legitima eſt; ſingulæ verò propoſitiones in ea aſſumptæ per partes probandæ ſunt. Prima ergò pars per ſe nota eſt, ſcilicet, fidẽ Petri, fuiſſe catholicã: nã ſi intelligatur de perſona Petri neq; ab hæreticis reuocatur in dubiũ; nam fides Petri eſt, quæ vniuerſo orbi à principio prædicata fuit; & illa maximè eſt Apoſtolica, & primitiua. Si verò intelligatur etiam de ſede Petri, vel ipſi Proteſtantes confitentur per plures annos duraſſe eandem catholicam fidem in eadem ſede Petri, teſtãturque ſufficienter Hieronym. & Aguſtinus vſq; ad ſua tempora, ille in Epiſtola ad Damaſum de nomine hypoſtaſis: hic verò in libro contra epiſtolam fundamenti cap. 4. vbi inter quatuor, quæ in gremio Eccleſiæ Catholicæ ipſũ iuſtiſsimè tenebãt, hoc numerat, *Ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentẽ Epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum.* Vbi apertè ſupponit, illam fuiſſe tunc catholicam Eccleſiam, quæ cum ſede Petri erat coniuncta, & oues quæ Petro fuerant commendatæ continebat: ac ſubindè fidem catholicam in ea ſede vſque ad illud tempus permãſiſſe, quod in puncto ſequenti pluribus teſtimonijs, & rationibus à fortiori confirmabitur.

8. Expeditur in noſtram rem locus Lucæ 22.

Supereſt ergò, vt alteram partẽ in propoſitione aſſumptam comprobemus: nimirum, hanc fidem non poſſe deficere in Petro, non ſolùm quoad perſonam, ſed etiam quoad ſedem, & conſequenter non tantùm pro aliquo definito tempore, ſed ſimpliciter quãdiù Eccleſia Chriſti durauerit. Probatur autẽ pręcipue ex verbis Chriſti Lucæ 22. *Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo conuerſus cõfirma fratres tuos.* Nam rectè dixit Tertullian, lib. de Fuga in perſecut. c. 22. rogaſſe ibi Chriſtum, ne tantum diabolo permitteretur, vt fides Petri periclitaretur. Quam orationem fuiſſe efficacẽ, & obtinuiſſe quod petebat, ſatis perſuadet ipſius Chriſti excellentia, exauditus enim eſt pro ſua reuerentia in his quæ abſolutè poſtulabat, vt in præſenti declarauit per illa verba, *Ego rogaui pro te,* magiſque declarat, vel potiùs ſupponit impetrationẽ, & infallibilem effectum in illis vltimis verbis, *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos* & ideò bene interrogat Leo Papa 9. *Erit quiſquam tantæ dementiæ, qui orationẽ illius, cuius velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare?* Igitur nulla fere in hac parte eſt controuerſia, aut difficultas. Eſſe autem poteſt in alio puncto, an ſcilicet, illa oratio facta ſit tantũ pro perſona Petri, & ideò cũ illo finitus fuerit eius effectus, vel potiùs facta ſit pro Sede Petri in perſona eius, & ideò tandiù duret, quã diù ſedes durat: probandum ergò nobis relinquitur hoc poſteriori modo eſſe intelligendam.

Tertullia.

Leo Papa.

9. Quod in primis probamus authoritate multorum Summorum Pontificum, qui hanc prærogatiuam ſuæ dignitatis, ac ſedis agnoſcentes, ex his verbis Chriſti illam comprobarunt, qui licèt in propria cauſa loqui videantur, nihilominùs fide digniſsimi ſunt, tum quia antiquiſſimi, & quaſi per continuam traditionem hoc docuerunt, tum etiam quia multi eorum ſunt ſancti, & martyres, qui veram, & catholicam fidem ſanguine ſuo conſignarunt, tum denique quia etiam antiquiſsimi Patres eundem honorem deferunt Romanæ ſedi, & fidei. Vtuntur ergò illo teſtimonio ad hanc veritatem cõfirmandam, Lucius Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ circa finem, vbi ait, ſuam ſedem, normam Apoſtolicæ fidei, vt ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus illam percepit, illibatam tenere, ſecundum Saluatoris noſtri diuinam pollicitationem. Et refert verba citata. Similia habet Marcus Papa in epiſt.

Lucius Papa.

Marc. Papa.

epiſt.ad Athanaſ.quę habetur in tom.1. Epiſtolar.p.1. licet in tomis Conciliorũ *Felix Pap.* non referatur, & Felix. 1.epiſt.3.ad Be- *Agat. Papa.* nignum, & Agatho Papa in epiſt.ad Cõſtatin. Imperator. quæ in actione 4. ſextæ ſynodi lecta eſt, & in Act.8. probata, *Nico. pap.* & Nicolaus.1. in epiſt.ad Michaelẽ Imperatorem poſt mediũ, & Leo 9.in epiſt. ad Michaelem cap.7. & Innoc. III.in c. *Innoc. Papa.* *Maiores*, de Baptiſm. latiùs verò quã cæteri hoc declarauit Leo Papa ſerm. 2. in *Leo Papa.* Natali Petri, & Pauli cap. 3. vbi poſitis Euangelij verbis ſubiũgit, *Commune erat omnibus Apoſtolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniã diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro Petri fide propriè ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro ergò omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. Nam & poſt reſurrectionẽ ſuam Dominus beato Petro Apoſtolo poſt regni claues, ad trinam æterni amoris profeſſionem, myſtica inſinuatione ter dixit, Paſce oues meas: quod & nunc procul dubio facit, & mandatũ Domini pius paſtor exequitur, confirmans nos exhortationibus, & pro nobis orare non ceſſans, vt nulla tentatione ſuperemur.* Quæ verba repetit idem Pontifex in ſermon.3.de Aſſumptione ſuæ, & adiũgit, *Iuſte in ducis noſtri meritis, & dignitate lætamur, gratias agentes ſempiterno Regi redẽptori noſtro Domino Ieſu Chriſto, qui tantam potentiam dedit ei, quem totius Eccleſiæ Principem fecit, vt ſiquid etiam noſtris temporibus rectè per nos agitur, illius operibus, illius ſit gubernaculis deputandum, cui dictum eſt, Et tu aliquando conuerſus cõfirma fratres tuos.*

Ex quibus verbis aliquæ colliguntur

10. Cõfirmatur primo. rationes, quibus hic ſenſus confirmatur. Vna ſumitur ex mutatione verborum Chriſti: nam priùs ad omnes Apoſtolos loquutus eſt, omnes ferè tentandos prędicens: poſteà verò Petro ſpecialiter dicit, *Ego rogaui pro te*; ergò aliquid etiam ſpeciale pro illo impetrauit. Perſonalis autẽ perſeuerantia nõ fuit ſingularis Petro, nam pro alijs etiam Chriſtus orauit *Ioan. 17.* Ioan.17. dicens, *Pater Sancte ſerua eos in* A *nomine tuo, quos dediſti mihi.* Et quãuis eo tẽpore, quando pro Petro rogauit, nondum illam generalẽ orationẽ obtuliſſet, nihilominus nullus ferè peculiaris fauor Petri fuiſſet, niſi aliquod ſpecialius priuilegiũ pro illo poſtulaſſet. Chriſtus autẽ in illo ſingulari modo vocandi Petrũ, vt attenderet, *Simon, Simon* (ſic enim habent Græca) & orandi pro illo, maiorem prærogatiuam ſine dubio ſignificare voluit. Imò ſi attentè res conſideretur, in vtroq; loco pro Petro, & omnibus Apoſtolis, & vniuerſa Eccleſia præſente, & futura Chriſtus Dominus orauit, diuer- B ſo tamẽ modo: nam apud Ioannem priùs expreſsè orauit pro omnibus Apoſtolis, ex quibus Petrus vnus, & pręcipuꝰ erat, & in illis virtute Eccleſia continebatur, propter quã præcipuè illa oratio fiebat, quam paulò inferiùs cõſummauit Chriſtus dicens, *Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint*, vtiq; vnitate fidei, & catholicæ Eccleſiæ. Apud Lucam verò Chriſtus directè, & expreſſè orauit tantùm pro Petro, indirectè verò, & cõſecutione quadã orauit etiã pro alijs Apoſtolis, vti in ſubiunctis verbis denotauit. C *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Vt firmitas, quæ per Chriſtũ Petro tribuitur, per Petrũ Apoſtolis conferatur*, quẽadmodũ ex Leone paulò ſuperiùs retulimus. Atq; inde ad totã Eccleſiam oratio illa extẽditur, quę ſub nomine fratrũ etiam cõprehẽditur, vt ibi Theophylact. *Theophyl.* indicauit, dicẽs, *Planus intellectus eſt, quia te habeo vt Principem diſcipulorũ, poſtquã negato me, fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra es, & fundamentum.* Vnde Agatho Papa ſuprà, *Dominus* *Agath. papa.* D *fidem Petri non defecturam promiſit, & cõfirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt agnitum.* Et Leo IX. ſuprà eundem *Leo Papa.* ſenſum indicans, dixit, *A ſede Principis Apoſtolorum, à Romana videlicèt Eccleſia, tam per eundem Petrum, quàm per ſuos ſucceſſores reprobata, conuicta, & expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs non defecit, neque vnquam deficiet, ſunt confirmata.*

11. Vnde ex his vltimis verbis aperitur magis ſenſus prioris promiſsionis, & alia optima ratio prædictæ interpretationis redditur. Ita enim hic iubetur Petrus confirmare fratres ſuos, ſicut Ioan. 21. iuſſus eſt, paſcere oues Chriſti, ijdem enim ſunt, qui hic vocãtur fratres, & ibi oues, ſed ibi vocantur oues propter mãſuetudinem, & obedientiam ſubditorũ, hic verò vocantur fratres, vt oſtẽdatur, Eccleſiaſtici paſtoris officium non eſſe dominari, ſed confirmare imbecilliores tanquam fratres, *forma factus gregis ex animo*, vt dixit idem Petrus epiſt. 1. c. 5. Sicut ergò dictum eſt, *Paſce oues meas*, non Simoni pro illa tantùm perſona, ſed Petro pro munere, quod illi conferebatur, vt in ſucceſſoribus duraret, ita cum illi dicitur *Confirma fratres tuos*, præindicatur præcipua quædam pars illius muneris, quæ eſt confirmare, & quaſi ſuſtẽtare fratres, & Eccleſiam in vera fide: nã licèt hoc principaliter fiat virtute diuina, tamen hæc vtitur homine vt inſtrumento, vt homines modo hominibus accommodato gubernet. Et quanuis alij Paſtores, & Doctores Eccleſiæ, docendo, & prædicando ad hoc cooperentur, nihilominùs, id præſtare ex legitima, & ordinaria poteſtate, & certa authoritate, diſcernendo falſa à veris, hæreſes damnando, & catholicam doctrinã definiendo, illius eſt proprium, cui dictum eſt, *Confirma fratres tuos.* Vnde ſicut hoc munus ad veræ fidei conſeruationem neceſſarium eſt in Eccleſia, ita verba illa dicta ſunt Petro ratione paſtoralis muneris perpetuò in Eccleſiã dimanaturi, in illaq; ſemper duraturi; ergò etiã prior promiſſio, *Vt non deficiat fides tua*, facta eſt non tantùm perſonæ, ſed etiã muneri, & ſedi Petri. Ideò enim ꝓ illo ſpecialiter Chriſtus orauit, illiq; priuilegiũ illud impetrauit, quia munus confirmandi fratres illud auxilium ex parte Dei poſtulabat; ergò ſicut munus futurũ erat perpetuũ in ſede Petri, ita etiã priuilegium. Et hoc totum ſignificauit Leo. 1. in illis verbis, *Pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam aliorũ ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit*, & in alijs, quæ ſuprà retulimus. Et apertiùs Theophyl. poſtquam dixit, *Quia te habeo vt Principẽ diſcipulorum, confirma cæteros*, adiungit, *Intellexerit autem quis, non ſolum de Apoſtolis dictum, quòd confirmati fuerint à Petro, ſed de omnibus, qui vſq; ad conſummationem ſeculi futuri ſunt fideles.* Quod licèt ab ipſo videatur poſteà exponi ratione exẽpli, quod in perſona Petri ſuũ delictum flentis præceſsit, & in memorijs hominũ perpetuò manet, Chriſtus tamen non de exẽplo loquutus eſt, ſed de cõfirmatione per verbum fidei, & ideò per ſedem Petri id perpetuò fieri meliùs intelligimus.

Ioan. 21. Confirmatur 2. — *Petrus.* — *Leo Papa.* — *Theophyl.*

A — B (margin letters)

Atq; ita etiam poteſt hæc veritas, & illius promiſsionis interpretatio ex collatione huius loci cũ alijs, in quibus primatus Petri fundatur amplius ſtabiliri. Quod etiam ſignificauit Leo. 1. in citatis verbis, cõferens hæc verba, *Confirma fratres tuos*, cum illis, *Paſce oues meas*, quam comparationẽ iam declarauimus. Vndè quanuis hęc promiſsio tam clara non eſſet, ex ſolo munere paſcẽdi oues Chriſti in doctrina fidei, ſufficiẽter colligerem⁹ eſſe neceſſarium hoc priuilegium in ſede Petri. Quia ſi in illa ſede poſſet fides vacillare, in tota Eccleſia Chriſti periclitari poſſet, tum quia Eccleſia tenetur parere Petro, & ſucceſſoribus eius ex cathedra docẽtibus, vt ex allegatis verbis Chriſti colligitur, quia primus, & maximè neceſſarius paſtus fidelium eſt vera fidei doctrina, tum etiam quia aliàs nulla eſſet in Eccleſia certa ratio verã à falſa doctrina diſcernendi, & ita non poſſent fideles firmari, nedùm in catholica fide incõcuſsè confirmari. Quam rationem ampliús in ſequentibus vrgebimus. Et ſimili modo hanc veritatẽ confirmat alia promiſsio Chriſti, *Super hanc petrã ædificabo Eccleſiã meam*, illã enim petram eſſe Petrum, & ſucceſſores eius, infrà oſtẽdem⁹. Dicitur autẽ petra propter firmitatẽ ad ſuſtentãdũ ædificiũ, & ideò ſicut Eccleſiæ ædificiũ perpetuum futurũ erat, ita etiã petra vt ad ſuſtinendũ illud ędificiũ apta eſſet. Quare ſicut Eccleſia perpetua eſſe non poteſt, niſi eius fides deficere non poſsit, ita nec petra illa apta eſſet, nec firmitatẽ haberet ad ſuſtentandũ illud ædificiũ, ſi poſſet in fide deficere. Et ideò rectè dixit Origen. tract. 1. in Matt. *Neq; aduerſus petrã, ſuper quam Chriſtus ædificat Eccleſiã, neq; aduerſus ipſam Eccleſiã portæ inferi præualebunt.* Et Cyrill. in Theſauro (vt in cathena D. Th. Mat. 16. allegatur) dixit,

12. *Leo Papa.* — *Origen.* — *Cyrill.*

C — D (margin letters)

dixit, *ſecundũ hæc Dñi promiſsionẽ Eccleſia Apoſtolica Petri* (id eſt Romana) *ab omni ſeductione, hæreticaq; circumuentione manet immaculata, ſuper omnes præpoſitos, & Epiſcopos, & ſuper omnes Primates Eccleſiarũ, & populorum, in ſuis Pontificibus in fide pleniſsima, & authoritate Petri.* Et cum *aliæ Eccleſiæ quorundam errore ſint verecundatæ, ſtabilita inquaſsibiliter ipſa ſola regnat, &c.* Quæ verba licet in theſauro Cyrilli nunc non inueniantur, ex Diui Thomę authoritate magnam fidem habent.

CAPVT VI.

Stabilitas fidei, & Eccleſiæ Romanæ, traditione oſtenditur.

1. EX dictis in ſuperiori capite probatum relinquitur fidẽ Eccleſię Romanæ eſſe fidem Petri, ac ſubindè eſſe fidem Catholicã, à qua ſedes illa deficere nequit. Poſſumus autem ex ipſo rerum euentu, & Patrũ traditione eandem veritatem, & promiſsionẽ confirmare. Nam ſi Apoſtolica ſedes in hoc, ſpeciale priuilegiũ non haberet, aliquãdò in fide defeciſſet, etiam ex cathedra docens, vel hæreſim aliquã approbaſſet, ſicut in alijs Eccleſijs etiam ab Apoſtolis inchoatis accidiſſe videmus, nam hæc eſt humana fragilitas, & conditio, vt in tãta varietate, & multitudine perſonarum facilè contingat error, niſi Spiritus Sãctus aſsiſtat. Hoc autem in Romana Eccleſia nunquam accidiſſe, pręter allegatos Põtifices teſtatur Euſebius Papa epiſt. 3. ad Epiſcopos Tuſciæ, & Campanię, dicens, *Prima ſalus eſt, rectæ fidei regulas cuſtodire, & à conſtitutis Patrum nullatenùs deuiare. Nec poteſt Ieſu Chriſti Domini noſtri prætermitti ſententia, dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meã. Et hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in ſede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt catholica ſeruata religio.* Et Gelaſius Papa in epiſtol. ad Anaſtaſium Auguſtum, *Hoc eſt* (inquit) *quod ſedes Apoſtolica magnopere cauet, vt quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſsio, nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nã ſi (quod Deus auertat, quod fieri non poſſe cõfidimus) tale aliquid proueniret, vnde cuiquã reſiſtere auderemus errori, vel vnde correctionẽ errantibus poſceremus?*

Expenduntur teſtimonia antiquorum Patrũ aſſerentium fide Romanæ eccleſię & catholicę coincidere. Primum teſtimonium *Euſeb. Papa.*

Gelaſius Papa.

A

2. Secundum Auguſt. & Hieronym.

Neq; ſoli Romani Pontifices, ſed etiã alij Patres tam Latini, quàm Gręci ita de Romana Eccleſia, ſeu cathedra Petri ſentiunt. Retuli iam Auguſtinum contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. Vbi dùm pro ſigno Catholicę Eccleſiæ ponit ſucceſsionem Pontificum Romanorum, ſatis clarè demonſtrat, Catholicam Eccleſiam à Pontifice Romano non disiungi, ac ſubinde fidem Romanam, & Catholicam eandem eſſe. Vnde idem Auguſt. lib. 2. de Grat. Chriſti, & peccato originali cap. 8. de Pelagio ait, *Romanam Eccleſiã fallere minimè valuit, recoluit enim beatiſsimus Papa Zozimus, quid imitandus prædeceſſor eius de ipſius ſenſerit geſtis. Attendit etiam quid de illo ſentiret prædicanda in Domino Romanorum fides, quorum aduerſus eius errorem pro veritate catholica ſtudia conſonantia concorditer flagrare cernebat.* Et lib. 2. contra duas Epiſt. Pelagianor. cap. 4. *Cum literis* (inquit) *venerabilis Innocentij catholicæ fidei clareret antiquitas, profectò Eccleſiæ Romanæ præuaricator eſſet, qui ab illa ſententia deuiaret.* Vbi (ſicut aliàs ſæpè) fidem ſedis Romanæ tanquam Catholicam recipit, ac veneratur. Secundò Hieronym. epiſtol. 57. ad Damaſum, *Quoniam vetuſto, &c.* illa habet verba, *Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicunque extra hanc domum agnũ comederit, prophanus eſt, &c.* Vbi apertè eandem cenſet eſſe catholicam Eccleſiam, quam Romanam. Ex quo etiam in lib. 1. Apologiæ contra Ruffinum, col. 3. ſic colligit, *Fidem ſuam quam vocat? eam ne, qua Romana pollet Eccleſia? an illam, quæ in Origenis voluminibus continetur? Si Romanam reſpondet; ergo Catholici ſumus;* vbi etiam diſerte docet, eandem eſſe fidem catholicam, & Romanam. Illam autem etiam eſſe immaculatam in libro tertio eiuſdem Apologiæ parum ante medium, teſtatur ita, *Scito Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam iſtiuſmodi præſtigias non recipere, etiam ſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt,* & in Procemio libri ſecundi ad Galat. fidem, & religionem Romanorũ laudat, concluditque, *Non quòd aliam habeant Romani fidem, niſi hanc, quam omnes Chriſti Eccleſiæ, ſed quòd in eis deuotio maior ſit, &c.*

B C D

Auguſt. *Hieron.* *Origen.*

3. Tertium teſtimonium Ambroſij.

Tertius teſtis ſit B. Ambr. qui in lib. de Obitu Satyri fratris verſus finẽ, prudentiã, & cautionem ſui fratris referens, inquit, *Aduocauit ad ſe Epiſcopũ, neq; vllã veram putauit, niſi veræ fidei gratiã, percũctatusq; ex eo eſt, vtrũ nam cum Epiſcopis catholicis, hoc eſt, cũ Romana Eccleſia cõueniret*. In quibus etiã verbis vnionem cum Eccleſia Romana, & cum catholica eandẽ eſſe, ac indiuiduã ſentit. Vnde lib. 1. epiſt. 4. ad Imperatores ſic ſcribit, *Totius orbis Romani caput, Romanam Eccleſiã, atq; illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem, ne turbari ſineret, obſeruanda foret clementia veſtra, indè enim in omnes venerandæ communionis iura dimanãt*. Et in epiſt. 7. eiuſdem libri ad Syriciũ Papã, *Credatur* (inquit) *Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratũ ſemper cuſtodit, & ſeruat*, & ſerm. 2. de Sanctis, qui eſt de Cathedra Petri, & ſerm. 11. qui eſt ſecũdus de Petro, & Paulo, egregiè ad rem noſtrã declarat, quomodò Eccleſia in Petro fũdata ſit, & indè habeat perpetuam fidei firmitatem.

4. Quartũ Cypriani.

Quartus ſit Cyprianus, qui eodem itidem modo Eccleſiam Romanam veneratus eſt; præſertim verò epiſtol. 55. ad Cornelium col. 12. de quibuſdam hæreticis ait, *Nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atq; ad Eccleſiam principalẽ, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorũ fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſsit acceſſum*. Vnde idem Cyprian. epiſt. 52. in princip. *Scripſiſti* (inquit) *vt exemplum earundem literarum ad Corneliũ collegam noſtrum tranſmitterem, vt depoſita omni ſollicitudine, iam ſciret, te ſecum, hoc eſt cum Eccleſia catholica cõmunicare*. Vbi apertè ſentit, idem eſſe cõmunicare Eccleſiæ Romanæ, & catholicæ. Et epiſt. 76. ad Magnum, *Eccleſia* (inquit) *vna eſt, quæ vna, & intùs & foris eſſe nõ poteſt*. Vnde infert, *ſi apud Nouatianũ eſt, apud Cornelium non fuit, ſi verò apud Corneliũ fuit, qui Fabiano legitima ordinatione ſucceſsit Nouatianus in Eccleſia non eſt*. Vbi etiam catholicã Eccleſiam vnam cum Romana eſſe ſupponit. Idẽ in epiſt. 40. circa med. *Vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrũ Domini voce fũdata*. Et infrà, *Quiſquis alibi collegerit, ſpargit*. Idẽ ferè repetit lib. de vnit. Eccl. non longè à princip. & inter

Cyprian.

A multa alia dicit, *Qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

Quintus eſt Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. *Quoniam* (inquit) *longum eſt omnium Eccleſiarum numerare ſucceſſiones, maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſsimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam, quam habet ab Apoſtolis traditionẽ, & annuntiatam hominibus fidem, per ſucceſsiones Epiſcoporũ peruenientem vſq; ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malã, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præter quàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndiq; fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndiq; conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio*. 5. Quintum Irenæi.

B

Sextò addere poſſumus Athanaſium, & Epiſcopos Ægypti in epiſt. ad Marcũ Papam, in qua petunt exemplaria Concilij Nicæni, vbi inter alia dicunt, *Optamus, vt à veſtræ ſanctæ ſedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater, & caput omnium Eccleſiarum, ea ad correctionem, & recreationẽ fidelium orthodoxorum percipere per præſentes legatos mereamur, quatenùs veſtra fulti authoritate, veſtriſq; precibus roborati, illæſi à memoratis æmulis ſanctæ Dei Eccleſiæ, & noſtris euadere, nobiſq; commiſſos eruere valeamus*. In quibus verbis manifeſtè ſupponit, ſanam, & integram fidem in Romano Pontifice tunc fuiſſe, & prætereà in illo eſſe authoritatem ad corrigẽdum hæreticos, & fideles in vera fide confirmandos. 6. Sextum teſtimonium Athanaſ. & Epiſcopor. Aegypti.

C

D Septimò adducere hìc poſſumus teſtimonium Epiſcoporum prouinciæ Tarraconenſis in epiſt. 2. ad Hilarium Papã, vbi primùm recognoſcunt priuilegium Eccleſiæ Romanæ de primatu Vicarij Chriſti, deindè ſubiungunt, *Proinde nos Deum in vobis primitùs adorantes, cui ſine querela ſeruitis, ad fidem recurrimus Apoſtolico ore laudatam, indè reſponſa quærentes, vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur*. Et his annumerari poteſt Ruffinus in expoſitione Symboli in principio, dicens, *In diuerſis Eccleſijs aliqua in his verbis* 7. Septimum teſtimoniũ Epiſcoporũ prouinciæ Tarracon.

Ruffin.

lis inueniuntur adiecta, in Eccleſia tamen A
vrbis Romæ hoc non deprehenditur factum,
quod ego propterea eſſe arbitror, quòd neque
hæreſis vlla illic ſumpſit exordium, & mos
ibi ſeruatur antiquus. Verba etiam ſupra
ex Cyrillo citata veritatem hanc ſatis cõ
firmant, quæ præter D. Thomam, refert
etiam Gennadius Archiepiſcopus Con-
ſtantinopolitanus in Defenſione Con-
cilij Florentini cap. 5. ſect. 12. paulò ta-
men aliter, videlicèt, *Oportet nos tanquam*
membra caput ſequi, id eſt, Romanum Pon-
tificem, & Apoſtolicam ſedem, à qua debe-
mus petere, quid credere, & ſentire debea- B
mus, ac tenere, quia ipſius tantùm eſt confu-
tare, redarguere, confirmare, ordinare, ſolue-
Theodor. *re, & ligare.* Denique allegari ſolet Theo
doretus in epiſt. ad Renat. presbyterum
Romanum, dicens, *Tenet ſancta iſta ſedes*
gubernacula regendarũ cũcti orbis Eccleſia-
rum, cùm propter alia, tùm quia ſemper hæ-
retici fœtoris expers permanſit. Quia verò
hanc Epiſtolam videre non potui, addo,
ſententiam illá eſſe valdè conſentaneam
ijs, quæ tradit idem Theodoret. in epiſt.
ad Leonem Papã, quæ in ſecundo tomo
Conciliorũ habetur, vbi Eccleſiam Ro-
manam maximis laudibus extollit, præ- C
cipuè autẽ ait, *Eam inſigniter exornat fides,*
& fide dignus teſtis diuinus Apoſtolus, qui
clamat, fides veſtra annuntiatur in vniuerſo
mundo. Et de ipſa ſede Romana dicit, *Vo-*
bis per omnia primos eſſe conuenit, veſtra e-
nim ſedes omnium eſt maxima, & præcla-
riſsima, & quæ præeſt orbi terrarũ. Et infrà,
Habet autem communium quoq; Patrum, &
veritatis Doctorũ, Petri, & Pauli ſepulchra,
quæ fidelium animas illuminant. Et infrà,
Illorum autem Deus nunc quoq; illorum ſedẽ
claram, inſignemq; reddidit, cùm veſtrã ſan-
ctitatem in ea collocauerit, quæ radios fidei
orthodoxæ emittit. D
8. Dicet fortaſſe aliquis, hæc dicta eſſe à
Euaſio. Patribus, non propter ſingulare aliquod
priuilegiũ Epiſcopi Romani in fide illi-
bata cõſeruanda, ſed ſolũ propter inſig-
nẽ pietatem, & ſinceram Romani populi
fidẽ, quæ in initio Eccleſiæ, maximè vi-
guit. Hoc enim ſolũ ſignificauit Paulus
Roman. 1. in verbis illis ad Rom. 1. *Gratias ago Deo*
meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus vobis,
1. ad Theſ. *quia fides veſtra annuntiatur in vniuerſo mũ*
1. *do.* Sicut etiã. 1. ad Theſſal. 1. laudat Theſ
ſalonicenſiũ fidẽ, dicens, *Excipientes ver-*

bũ in tribulatione multa cum gaudio Spiritus
Sancti, ita vt facti ſitis forma omnibus credẽ
tibus, &c. Reſpondetur nõ eſſe dubium,
quin Apoſtolus in dictis verbis Romani Reſponſio.
populi fidẽ cõmendet, & nõnulla verba
Sanctorum Patrum eandem laudem cõ-
memorent: nihilominus tamen frequẽ-
tius Eccleſiam Romanã laudãt, quia fidẽ
ſemel ſuſceptã integram, & immaculatã
ſemper cuſtodiuit, vt ex allegatis verbis
ſatis conſtat.
At enim inſtabunt aduerſarij, hæc di-
cta fuiſſe ab his Patribus de Eccleſia Ro-
mana ante ſexcenteſimũ Chriſti annum, 9.
quo tempore ipſi etiam fatentur, veram, Inſtantia.
ac puram fidem catholicã in Romana Ec
cleſia, ac ſede perduraſſe; quod tamẽ non
obſtat, quominùs poſteà paulatim, ac ſẽ-
ſim ceciderit, & puritatem fidei amiſerit
vt ipſi confingunt. Sed hoc in primis nõ
eneruat dictorum antiquorũ Patrũ te- Confutatur
ſtimonia, quia illi non ſolùm factũ nar-
rant, ſed etiã ius (vt ita dicam) ſeu funda-
mentũ illius facti perpetuũ eſſe oſtẽdũt,
& ita non ſolũ docent fidem Romanam
fuiſſe ſuo tempore catholicam, ſed etiam
hoc habere ex proprio priuilegio, & prę
rogatiua, quæ perpetuò in illa ſede dura-
tura eſt. Hoc patet in primis ex illis, qui
hoc fundant in promiſsione Chriſti, *Vt*
non deficiat fides tua, vt iam ſatis explicatũ
eſt. Deinde eadẽ eſt ratio de illis, qui hoc
colligunt, *quia ſuper hanc petram ædificata*
eſt Eccleſia, vt dixit Hieronymus. Itẽ ex
eo, quod pro ſigno certo Eccleſię catho-
licæ ponũt vnionẽ cũ Eccleſia Romana,
vt ex Hieronymo, & Ambroſio cõſtat,
& maximè ex Auguſtino. Quãdo enim
inter ſigna catholicę Eccleſię ponit ſuc-
ceſsionem Epiſcoporũ Romanorũ, duo
ſine dubio potiſsimùm ſignificat. Vnum
eſt, ſeriẽ, ac ſucceſsionẽ illius epiſcopatus
inter tot perſecutiones, & ſine humana
potẽtia, & cũ eàdẽ excellẽtia dignitatis,
& poteſtatis, nõ eſſe præcipuè ex huma-
na prouidentia, ſed ex diuina, & ex illa
Chriſti promiſsione, *Portæ inferi non præ*
ualebunt aduerſus eã, quæ ſemper durat,
vt idẽ Aug. in Pſal. contra partẽ Donati August.
apertè declarauit dicẽs, *Dolor eſt cùm vos*
videmus præciſos ita iacere. Numerate Sa-
cerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, Et in ordine
illo Patrum quis cui ſucceſsit, videte. Ipſa eſt
petra, quã nõ vincũt ſuperbæ inferorũ portæ.

Alterũ eſt, Eccleſiam catholicam infallibiliter eſſe coniunctam cum ſede Petri, ac ſubinde eandem eſſe vtriuſque fidem: nam ſi hoc nõ ſupponatur, ſignum illud ferè nullius eſſet momenti. Colligitur tandem, hanc fuiſſe mentem dictorum Patrum, quia hoc priuilegium attribuũt Apoſtolicæ ſedi, vt neceſſarium ad munus illi commiſſum exequendum, ſcilicet, ad confirmandum ſubditos in vera fide, & ad authores hæreſum, & falſæ doctrinæ ab Eccleſia ſegregandũ, omniaq; putreſcentia membra iam emortua reſecandum. Quam rationem multi ex allegatis Pontificibus indicant.

10. Quòd ſi Proteſtantes Angli præter hæc antiqua, nouiora teſtimonia requirunt, audiant in primis ſuum grauiſsimũ hiſtoricum Bedam lib.3. Hiſtor. Anglican. cap.25. in fine, ſeu apud illum, ſapiẽtem quendam presbyterũ nomine Vuilfridum, qui, allegatis decretis Romanæ Eccleſiæ ad quandam de Paſchate controuerſiam definiendam, ita concludit. *Si audita decreta Sedis Apoſtolicæ; imò vniuerſalis Eccleſiæ, & hæc literis ſacris confirmata, ſequi contemnitis, abſq; vlla dubietate peccatis. Et ſi enim Patres tui ſancti fuerunt, nunquid vniuerſali, quæ per orbem eſt, Chriſti Eccleſiæ horum eſt paucitas vna de angulo extremæ inſulæ præferenda?* His addo teſtimonia Gregorij, qui vſq; ad ſexcẽteſimum quartum Chriſti annum ſedit, & de integritate fidei Sedis ſuæ teſtatur lib.3. Epiſtolar. indictio.12. epiſtol. 32. Et ſæpè alibi. Et ideò epiſt.41. ad Bonifaci. ſic inquit, *Hortor vos, vt dum vitæ ſpatium ſupereſt, ab eiuſdem beati Petri Eccleſia, cui claues cœleſtis regni cõmiſſæ ſunt, & ligandi, ac ſoluendi poteſtas attributa, veſtra anima non inueniatur diuiſa, ne ſi hic beneficium eius deſpicitur, illic vitæ aditum claudat.* Et lib.4. indictio.13. c.77. epiſt. 32. contra Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, Qui nomẽ vniuerſalis Epiſcopi vſurpare auſ⁹ fuerat, inuehitur in primis verbis, & ꝓmiſsionib⁹ Chriſti. *Cunctis enim* ait, *Euangelium ſcientibus, liquet quòd voce Dominica ſancto, & omniũ Apoſtolorum Principi Petro Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt, ipſi quippe dicitur, Paſce oues meas, ipſi dicitur, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ipſi*

Beda.

Gregor.

A *dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ex quibus colligere intendit, ſolum Epiſcopum Romanum re vera eſſe vniuerſalem, licèt propter modeſtiam non ſoleat ita vocari. Deinde verò addit, Conſtantinopolitanum Epiſcopum non poſſe eſſe vniuerſalem, cùm in ea Eccleſia multi Patriarchæ hæreſũ authores fuerint, quod abſit ab vniuerſali Epiſcopo (vt ſignificat) *quia vniuerſa Eccleſia à ſtatu ſuo corruit, quando is, qui appellatur vniuerſalis, cadit.* In quo planè ſentit, ad firmita-
B tem Eccleſiæ pertinere, vt ſuprema, & vniuerſalis ſedes in fide immutabilis ſit. Quod apertè confirmat lib.6. indict.15. cap.201. aliàs epiſt.37. dicẽs, *Quis neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mẽtis traxit in nomine, vt Petrus à petra vocaretur, cui veritatis voce dicitur, Tibi dabo claues, &c. & cui rurſus dicitur, confirma fratres tuos.* His adiungi poteſt ſententia Leonis 9. in epiſt. 1. cap. 7. dicentis, *A Sede Principis Apoſtolorum, Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quàm per ſucceſſores ſuos reprobata, & con-*
C *uicta, atq; expugnata ſunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs non defecit, neque vnquam deficiet, ſunt confirmata.* Quæ ſcripſit hic Põtifex poſt annum milleſimum quinquageſimum, & ea fundat in promiſsione Chriſti quoad futurũ tempus, quoad præteritum verò etiam in euidẽtia facti, quod vniuerſo orbi notum eſſe ſupponebat.

Leo Papa.

Præterea ad eandem veritatem confirmandam afferre poſſumus Iſidor. in epiſt. vlt. ad Eugenium Epiſcopum Toletanum, vbi priùs de Petro ait, *Præemi-* 11.
D *net cæteris, & ab ipſo Dei, & Virginis filio honorem Pontificatus in Chriſti Eccleſia primus ſuſcepit*, idque cõfirmat teſtimonijs Matt. 16. & Ioan.21. & deinde ſubiungit, *Cuius dignitas poteſtatis etſi ad omnes Catholicorum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialiùs tamen Romano Antiſtiti ſingulari quodam priuilegio, velut capiti cæteris mẽbris celſiori permanet in æternum: qui igitur debitam ei non exhibet reuerenter obedientiam, à capite ſeiunctus Acephalorum ſchiſmati ſe reddit obnoxiũ, quod ſicut illud Sãcti Athanaſij de fide Sanctæ Trinitatis, ſancta*

Iſidor.

Eccle

Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi ſit fidei catholicæ articulus, quod niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit. In quibus verbis, licèt nō expreſſe aſſerat Eccleſiam Romanam nō poſſe deficere à fide, ſupponit tamen vſque ad ſua tempora non defeciſſe, & idem ſēper eſſe futurum ſatis ſignificat, cùm dicit priuilegium illius permanſurum in ęternū. *Bernard.* Idē tradit Bernardus. qui Epiſt. 109 ad Innocen. contra nouam hæreſim inſurgentem eius implorat authoritatem, dicens, *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque: & ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſsimum reſarciri damna fidei, vbi nō poſsit fides ſentire defectum, Hæc quippe huius prærogatiua ſedis. Cui enim alteri aliquando dictum eſt. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua? Ergò quod ſequitur à Petri ſucceſſore exigitur, Et tu aliquando confirma fratres tuos.* In quibus verbis ſatis cōprobat omnia, quæ dicta sùt, & promiſsionū Chriſti veram intelligentiam. Vnde lib. 2. de Conſiderat. ad Eugeniū cap. 8. Pontificem Romanum dicit eſſe *Principem Epiſcoporum*, & *poteſtate Petrū*, & *non modo ouium, ſed et paſtorum omnium paſtorem*, & alia multa, quibus eandem veritatem ſtabiliuit. Et in ſermone de Priuilegijs Sancti Ioannis Baptiſtæ, Eccleſiam Romanam dicit eſſe omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram, cui dictum eſt, *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* *Anſelm.* Denique Beatus Anſelmus Cātuarienſis Archiepiſcopus librum de Incarnat. ad Vrbanum Pontificē dedicans, illum vocat vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis Summum Pontificem, & ſubiungit in cap. 1. *Quoniam diuina prouidentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam & fidē Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam regendam committeret, ad nullum aliū rectius refertur, ſi quid contra fidem Catholicam oritur in Eccleſia, vt eius authoritate corrigatur,* & alia, quæ proſequitur, quibus quid de Eccleſia Romana ſentiret, ſatis declarauit. His addi poſſunt duo teſtimonia, *Theodor.* quæ ab hominibus Græcis data ſunt. Vnum eſt Theodori Studitæ in Epiſtol. 4. ad Naucratium, quæ eſt 63. libri 2. vbi de hæreticis ſic ait, *Teſtor nunc corā Deo, & hominibus, ſe ipſos auulſerunt à cor-*

A *pore Chriſti, & ſupremo verticali throno, in quo Chriſtus fidei claues poſuit, aduerſus quem non præualuerunt vnquam nec præualebunt vſque ad conſummationem portæ inferi, ora, ſcilicet, hæreticorum, ſicut pollicitus eſt, qui non mentitur.* Et in alio opere de Cultu imaginum, cuius fragmentum refertur in lib. 3. Bibliothecæ ſanctæ de Romanis loquens, ait, *Tanta eſt eorum fides, vt & illic infracta videatur eſſe petra fidei, nimirum, iuxta verbum Domini fundata.* Quę teſtimonia refert, & extollit Gennadius Scholarius c. 5. defenſionis B Concilij Florentini ſect. 12. vbi ipſe ait, ſect. 17. *Si illa diuina ſedes nō rectè ſentit mentitur Chriſtus cùm dicit. Cœlū, & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt: bis enim Eccleſiæ pollicitus eſt ſe cum ea fore, & portas inferi non præualeturas aduerſus eam.* Vbi alia etiam ex Patribus tertię & quartæ Synodi adducit. Et alia innumera ex catholicis Theologis recenſeri poſſent, ſed quia prolixum eſſet, & non videtur neceſſarium, id omittimus. 12.

Fortaſſe tamen Proteſtantes, qui teſtimonia antiquorum Patrum pro ſuis, vel noſtris temporibus non recipiunt, etiam C recentiorum teſtimonia reijcient, quia (vt ipſi fingunt) poſt defectionem Eccleſiæ Romanæ ſcripſerunt. Sed qui in tantam incidunt audaciam, & temeritatem, ſatis conuincuntur ſolo proprio iudicio, & arbitrio duci in interitū, & contra omnem humanam prudētiam loqui, cùm & omnem humanam fidem, & ipſius fidei diuinæ credibilitatem deſpiciant, & eneruēt. Nobis ergò ſatis eſt, oſtendiſſe ſecundum Scripturas Sacras, prout à Sanctis Patribus intellectæ ſunt, & ſecundū eorundem Patrum traditionem, Romanam Eccleſiam ratione Sedis Apoſtolicæ, D & Cathedræ fidei, non eſſe aliam à catholica, nec magis defeciſſe à fide, aut poſſe deficere, quam Eccleſiam Catholicam. Addimus præterea, ſi his omnibus non obſtantibus contendunt aduerſarij Romanam Eccleſiam defeciſſe, opportere, vt deſignent tempus, & annū, in quo illa defectio inceperit, & ſub quo Pontifice, & in qua materia, vel articulo contigerit error: nam ſi nihil horū oſtendere queant, vt re vera non poſſunt, profecto omni fide indigni ſunt. Et quidē de ſingulis temporibus, ſeculis, & annis, ac

Pontificibus ſumma diligentia id oſtenſum eſt à Cardinali Baronio in ſuis Annalibus, ideoq; in initio anni ſeptingenteſimi prudentiſsime ſic alloquitur ad lectorem, *Attende animo,& luſtra memoria, ſi quid inueneris in Eccleſia Catholica diminutum eorum, quæ in reliquis omnibus ſuperioribus videris ſeculis.* Et infra, *Res ipſa id teſtatur, facta clamant, & mira conſenſione ſcripta ſanctorum omnium prædicant, à regia nunquam deflexiſſe ſanctam Dei catholicam Eccleſiam via,&c.*

13\. Quòd verò ſpectat ad materiam defectionis, ſeu ad errores particulares, quos hæretici Romanæ Eccleſiæ tribuunt, poſtea pauca dicemus, ſaltem de his, quæ Rex Angliæ attigit, nam in hoc breui opere omnibus ex profeſſo reſpondere non poſſumus,& ab alijs catholicis Doctoribus,& à nobis pro captu noſtro, in alijs Theologiæ libris, prout occaſio tulit, id factum eſt. Non omittam autem moralem coniecturam addere, quam mihi præbuit Tertullian. lib. de Præſcript. aduerſus hæretic. cap. 28. dicens. *Quid veriſimile eſt, vt tot, ac tantæ Eccleſiæ in vnã fidem errauerint, nullus inter multos euentus eſt vnus exitus, variaſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum. Cæterũ quod apud multos vnum inuenitur, non eſt erratum, ſed traditum. Audeat ergò dicere aliquis, illos erraſſe, qui tradiderunt?* Eſt profectò ferè euidens coniectura, quam ſatis euincit tam veterum, quàm recentium hæreticorum experimentum: ſtatim enim ac ab Eccleſia ſegregantur, in varias,& differẽtes ſectas diuiduntur: Eccleſia autem Romana ſemper vnitatẽ doctrinæ retinuit, conſentientibus cum illa alijs Eccleſijs Catholicam fidem p rofitentibus; ergò euidens indicium eſt, illam Eccleſiam nunquam à prima,& originaria fide deſciuiſſe. Et ideò quoties aliqua Eccleſia, vel hominum factio ad aliam fidem declinauit, ſtatim notata eſt, vt ab Eccleſia tã Catholica, quàm Romana ſeparata: in Eccleſia autem Romana, ſeu in ſede Petri nunquam ſimilis defectio, aut ſeparatio ab antiqua fide, vel ab alijs membris Eccleſiæ Catholicæ notata eſt; ergò aduerſariorum euaſio, & impoſitio friuola eſt, & incredibilis.

Additur authoritas, & coniectura Tertullian.

14\. Maximè verò obijcere ſolent hæretici lapſus quoſdam, & errata aliquorum A Pontificum Romanorum, vel in perſonis eorum, vel in doctrina. Et in primis contendunt, aliquos verè hæreticos fuiſſe,& fidem perdidiſſe. Vnde inferre poſſunt, verba Chriſti, *Non deficiet fides tua*, non in omnibus Romanis Pontificibus vera inueniri, ac ſubinde non fuiſſe de illis prolata, atque adeò neque priuilegiũ, aut promiſsionem nunquam errandi, ſortitos fuiſſe. Deinde obijciunt aliquos Põtifices, qui licèt de hæreſi nõ accuſentur, falſam doctrinam per humanam ignorãtiã Eccleſiæ tradiderunt. His vero obie- B ctionibus in particulari,& ſigillatim propoſitis copioſè,& eruditè ſatisfecit Illuſtriſsimus Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice, & Cardinalis Oſius cõtra Brẽtium,& alij noſtri temporis ſcriptores.

Obijciunt hæretici aliquos Pontifices in hæreſim incidiſſe.

Bellarm. Oſius.

15\. Ideòque breuiter circa priorem partẽ recepta diſtinctio præ oculis habẽda eſt, de Pontifice, vel credente, vt eſt priuata perſona, vel docente vt Pontifex eſt. Ad illum enim poſteriori modo ſpectatum, dicimus pertinere Chriſti promiſsionem: nam hoc modo eſt petra, à cuius firmitate pẽdet in ſuo genere firmitas Eccleſię. Hoc autem modo nullum veſtigium hę- C reſis oſtendunt hæretici in tota Summorum Pontificum ſucceſsione. Conſiderando autem perſonam Pontificis priori modo, etiam inter catholicos controuerſia eſt, an Põtifex poſsit eſſe hæreticus, & ad huc ſub iudice lis eſt; an aliquis non præſumptione tantùm, ſed vere talis fuerit. Hæc autem quæſtio non pertinet ad fidei fundamẽta,& ideò illã nunc omittimus. Et gratia vitandi controuerſiam facilè damus non eſſe neceſſarium promiſsionem Chriſti ad perſonam Pontificis, vt eſt vnus ex priuatis credentibus, extendere. Quod ſi quis inſtet, eadẽ ra- D tione perſonam Petri vt priuatã potuiſſe à fide deficere, nõ obſtante Chriſti promiſsione, Repondemus primò, non eſſe eandem rationem de Petro, quia illi immediatè facta eſt promiſsio, & ideò non tantùm facta eſt muneri, ſed etiam perſonæ, ad alios autem ſolùm per ſucceſsionẽ deſcendit,& ideò ſolùm eis vt ſucceſſoribus Petri communicatur. Deinde addimus, Petrum non ſolum hanc habuiſſe promiſsionem, ſed etiam alias communes Apoſtolis, ratione quarum omnes habuerunt perſonalem (vt ita dicam) cõfirma-

Nullus Pontifex vt caput Eccleſiæ fidem poteſt amittere.

Inſtantia.

Solutio.

firmationem, tam in gratia, quàm in fide & doctrina.

Ad alteram verò partem de erroribus, qui Pontificibus tribuuntur, breuiter di- 16.
cimus, aliud eſſe loqui de decretis Pontificum, quatenùs per ea aliquid definiunt, vel approbant tanquam credendum, vel obſeruandū ab vniuerſa Eccleſia: aliud de priuatis ſententijs, opinionibus, aut rationibus Pontificum. In præſenti enim de prioribus decretis tractamus, & in eis nullum falſum dogma inuenitur, quod per modum definitionis ab eis traditum ſit, & Eccleſię ad credendum propoſitum, vt facilè intelliget quicunque legerit ea, quæ authores allegati, & Canus lib. 6. de Locis cap. 1. & 8. latiùs proſequuntur. In priuatis autē ſententijs, vel opinionibus, vel etiam in rationibus, quibus interdùm vtūtur, ſicut non oportet eſſe fidei certitudinem, ita neq; infallibilem veritatem, quia neq; hoc eſt neceſſarium ad firmitatem, vel puritatem fidei vniuerſalis Eccleſiæ, neq; etiam eſt eorundem Pontificum menti, & intentioni conſentaneum. Nam eo ipſo quod ſub opinione, vel humana exiſtimatione loquuntur, profitētur ſe per humanam rationem, & ſapientiam loqui, nōn per infallibilem aſsiſtentiam Spiritus Sancti. Siquis tamen prudenti, & pio animo conſideret etiam illa, quæ hoc poſteriori modo à Pontificibus traduntur, forte nihil inueniet, quod nō ſit ſapienter traditum, & ſatis probabili fundamento ſtabilitum.

Nullus etiā in rebus pertinentibus ad vniuerſale Eccleſiā poteſt errare.

Canus.

CAPVT VII.

Excluditur tertia euaſio hæreticorum, quam per diſtinctionem Eccleſiæ viſibilis, & inuiſibilis confingunt.

1. IN Libro ſereniſsimi Anglię Regis nihil de hoc euaſione, vel de inuiſibili Eccleſia expreſsè dictum inuenimus omittere tamen non potuimus, quin illi occurreremus, tū vt pleriſque huius ſeculi hæreticis reſpōdeamus, omnibus enim ſatisfacere, & veritatem perſuadere cupimus, tum etiam vt diſcurſum à nobis inchoatum plenius perficiamus, & omnia vana ſubterfugia præcludantur. Multi ergò ex hæreticis, quanuis propter aperta teſtimonia Scripturarum, negare non

A audeant Eccleſiam Chriſti, ſeu catholicā perpetuò durare, & in fide vera permanere, vt aliquo modo vim rationis, & lucē veritatis effugiant, duplicem Eccleſiam diſtinguunt, vnā veram, & ſolidam, alterā tantum apparentem, & priorem dicunt eſſe inuiſibilem oculis corporeis, poſteriorem autem viſibilē eſſe. Qua ſuppoſita diſtinctione reſpondent, Eccleſiā inuiſibilem eſſe veram Chriſti Eccleſiam & catholicam, cui promiſſum eſt, vt nūquam deficiat, nec portæ inferi contra eam præualeant. Alteram verò Eccle-

Proponitur 3. euaſio hæreticorū de Eccleſia inuiſibili.

B ſiam apparentem, & viſibilē, licèt in hac externa ſpecie perſeueret, dicunt, in veritate fidei, ac ſubinde in ſubſiſtentia veræ Eccleſiæ poſſe deficere, & iam defeciſſe in Eccleſia Romana, cuius formam, & ſpeciem ita depingunt ipſi.

Fundamentum autem huius ſentētię, quatenùs ſupponit Eccleſiam veram eſſe inuiſibilē (hic enim tantū eſt ſcopus pręſentis diſputationis) eſt, formam conſtituentem veram Eccleſiam eſſe in ſe inuiſibilem, & per nullum ſignum viſibile ita manifeſtari, vt in eo poſsit videri. Ergò talis forma ſimpliciter eſt inuiſibilis.

2. 1. Fūdamentū erroris prædicti.

C Quidquid enim viſibile eſt, vel in ſe videri poteſt, vel ſaltem in alio tanquam in ſigno. Si ergò forma conſtituens Eccleſiam neutro horum modorum videri poteſt, profecto omninò inuiſibilis eſt. Ergò & vera Eccleſia, vt talis eſt, inuiſibilis eſt, quia licèt perſonæ, ex quibus cōſtituitur videātur quaſi materialiter quoad corpora, vel actiones humanas externas, quatenùs tamen conſtituētes Eccleſiam videri non poſſunt. Sicut ſi anima hominis, quæ in ſe eſt inuiſibilis, per opera externa videri non poſſet, profecto homo quatenùs homo inuiſibilis eſſet, & ſi cor-

D pus humanum nullū exerceret motum vitæ, qui ſentiri poſsit, profecto vt viuēs eſſet inuiſibile, etiam ſi corpus ipſum materialiter videretur.

Supereſt vero probandum, formam Eccleſiæ eſſe inuiſibilem vtroque modo 3.
ſupra poſito. Et in primis in omni ſentētia, etiam noſtra, videtur neceſſariò dicēdum, illam formam eſſe in ſe inuiſibilem ſiue ſit prædeſtinatio (vt quidam hæretici dixerunt) quæ ſatis inuiſibilis eſt, ſiue (vt dixerunt alij) ſit Charitas, ſiue ſit fides, vt catholici etiam docent, quia nō

ſolum

ſolum Charitas, ſed etiam fides eſt ſpiritualis forma quoad ipſam internam qualitatem, & ita eſt in ſe inuiſibilis. Quod ſi etiam adiũgatur ſacramentũ fidei, quod eſt Baptiſmus, etiam hoc non eſt viſibile, vt ſacramentum eſt, quia non videtur intentio neceſſaria, vt ſit ſacramentum, & conſequenter nõ videtur ſpiritualis character, qui neceſſarius etiam eſt iuxta catholicorum ſententiam, vt membrum Eccleſiæ conſtituat. Quòd item hæc forma Eccleſiæ in ſignis, ſeu per ſigna viſibilia videri non poſsit, probatur, quia nulla ſunt externa ſigna charitatis, vel fidei, quæ non poſsint fictè fieri ſine vera interna fide, ſiue ſint opera externa diuini cultus, ſiue obedientia ad Prælatos Eccleſiæ, ſiue actus regiminis ex parte ipſorum Prælatorum, ſiue ſint opera confeſsionis, & profeſsionis fidei, Deniq; vel ipſa etiam opera miraculorum: nam hæc etiam adulterari poſſunt, & ita exterius fingi, vt non ſint neceſſaria ſigna veræ fidei; ergò nullum ſignum viſibile ſupereſt, quo vera forma Eccleſiæ viſibilis ſit. Sola autẽ externa ſigna, aut opera non ſufficiunt ad veram Eccleſiã conſtituendam: nam ſicut particularis perſona ſi interiùs non credit, licèt exteriùs ſe fingat fidelem, verum Eccleſiæ membrũ non eſt, præſertim ſi characterem baptiſmi nõ habeat, ita quęlibet cõgregatio, vel hominum multitudo, etiam ſi per opera externa religionis, & fidei cõgregetur: ſi internam fidem nõ haberet, vera Eccleſia non eſſet; ergò cùm hęc fides ſemper ſit inuiſibilis tã per ſe, quàm per aliud, etiam Eccleſia vera inuiſibilis eſt. Quod fundamentum maximè habet locum in ſententia Proteſtantium, qui vniuſcuiuſq; fidem reſoluunt in priuatum ſpiritum, vel propriam reuelationẽ vnicuique factam, nam ille priuatus ſpiritus ſine dubio inuiſibilis eſt.

4. Atque hic diſcurſus videtur potiſsimè attingere, & punctum controuerſiæ, & hæreticorum motiuum. Alia verò, quę aſſerri ab ipſis ſolent contra externum cultum, vt probent in Eccleſia tantũ eſſe debere ſpiritualem, ac ſubinde inuiſibilẽ, neq; ab omnibus hæreticis huius temporis acceptantur, ſed in hac re diuiſi ſunt, nec ad præſentem cauſam quicquam referunt. Quia licèt lex gratiæ principaliter ſit in ſpiritu, non excludit opera quæ ab interna charitate procedant, & ſimiliter licèt adoratio Eccleſiæ ſit in ſpiritu, & veritate; non excludit cultum externum ab interiori procedentem, vt in propriis locis de lege gratiæ, de religione, de ſacramentis, & ſacrificio oſtenſum eſt. Alia etiam quæ adiungi hic ſolent de Eccleſia interdùm propter vim perſecutionis ita latente, vt videri non poſsit, non pertinent ad hunc locum, ſed ad alium infrà tractandum de Eccleſiæ vniuerſalitate. Præter dictum autem fundamentum addunt nonnulla teſtimonia, quibus reſpõdere neceſſe eſt. Primo enim ex Scriptura obijciunt illud Lucæ. 17. *Regnum Dei non venit cum obſeruatione, neque dicet Ecce hic, aut Ecce illic, Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt*, nam per regnum Dei ibi Eccleſia intelligitur, quæ alibi dicitur *Domus ſpiritualis*. 1. Petri. 2. *& ciuitas Dei viuentis* ad Hæbr. 12. vbi diſtingui videtur in hac proprietate Eccleſia Chriſti à viſibili ſynagoga. Secundo afferunt verba ſymboli, *Credo vnam Sanctam Eccesiam*, nam ſi eſſet, viſibilis non crederetur; ſi ergò fide credenda eſt Eccleſia, videri nõ poteſt. Addũt denique locum Auguſti. 20. de Ciuit, cap. 8. vbi Eccleſiam diuidit in prædeſtinatam, & nõ prædeſtinatam.

Luc. 17.

1. *Petr.* 2.
Hæbr. 12.

Auguſt,

5.
Symbolum
Auguſt.

Nihilominùs dicendũ eſt, veram Eccleſiam, quam Chriſtus ſuper petram fũdauit, & cui promiſit portas inferi non præualituras aduerſus illam, viſibilem eſſe: & conſequenter futilem eſſe aduerſariorum euaſionem, quia ſi hæc Eccleſia viſibilis eſt, & deficere non poteſt à vera fide, & ipſi ab ea defecerunt, vt eſt per ſe euidens, & ipſi non negant, manifeſtũ eſt, non veram fidem, ſed hæreſim habere. Propoſitum autem fundamentum, quod fidei dogma eſſe credimus, priùs ſimpliciter probandum eſt ex ſcriptura, & Patribus. Deinde res ipſa (id eſt, in quo conſiſtat hæc viſibilitas Eccleſiæ) ita explicanda eſt, vt ablata verborum ambiguitate, & tergiuerſatione ex fidei principijs poſsit ratione conuinci.

6.
Eccleſia viſibilis ex Scripeura.
1: ex Iſaiæ c. 2.

Primò ergò Eccleſiam eſſe viſibilem probatur ex illo Iſaiæ. 2. *Erit in nouiſsimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent. Venite aſcendamus ad montem*

montem Domini, & ad domum Dei Iacob. A Quo in loco multi ex Patribus per *montem Domini* Chriſtum intelligunt, qui Danielis. 2. dicitur, *Lapis exciſus ſine manibus, qui creuit in montem magnum,* vt patet ex Aug. tract. 1. in 1. epiſt. Ioan. & Orat. cōtra Iudæos c. 7. & 8. & ex D. Hieron. Iſai. 2. Micheæ 4. & Daniel. 2. & Tertulliano lib. contra Iudæos cap. 3. Alij verò per montem Eccleſiam intelligere vidētur, vt Auguſt. lib. 4. contr. Creſcon. c. 58. & Chryſoſtom. Iſai. 2. & Cyrill. lib. 1. in Iſai. cap. 2. Veruntamen in re non B diſſentiunt: nam de Chriſto, & de Eccleſia tanquam de corpore, & capite ibi ſermo eſt, & iuxta regulā Auguſtini, quod de corpore dicitur, de capite etiam intelligi poteſt, & è conuerſo. Vnde in alio loco Daniel. 2. de lapide abſciſo, qui factus eſt mons magnus, dicitur, *& impleuit vniuerſam terram,* ſcilicet Chriſtus per Eccleſiam ſuam. Cùm autē in loco Iſaiæ mons & domus Domini diſtinctè ponantur, rectè per montem, Chriſtum, & per domum, Eccleſiam intelligimus. Vndè futurus dicitur, *præparatus mons domus Domini,* id eſt, Eccleſiæ cū ſuo capite Chriſto. Prædicitur ergò ibi, ſicut Chriſtus C viſibilis venit in mundum, & per ſuam prædicationem, ſigna, & miracula omnibus notus, & illuſtris factus eſt, ita Eccleſiam Chriſti futuram fuiſſe viſibilem, & ita notam in mundo, vt ab omnibus cognoſci poſſet. Quod ſatis declarant ſequētia verba, quæ ſunt gentium omnium dicentium, *Venite aſcendamus ad montē Domini. & ad domum Dei Iacob,* Non enim inuitantur homines vt veniant, niſi ad domum, quæ nota, & viſibilis eis eſſe poteſt.

Prima expoſitio. Dani. 12. Auguſt. Hierony. Tertull. Chryſoſt. Cyrill. Secunda expoſitio. Dani. 2.

7. Chryſoſt. Atque ita copioſius quàm cæteri explicauit Chryſoſt. dicens, *Res hæc dilucida adeò eſt, vt nulla deinceps egeat per ſermonem interpretatione ipſa enim rerum natiua indoles ad eum modum vocem edit, tuba quauis clariùs reſonantem, exhibens omnibus ſpectandum decus, ac ſplendorem Eccleſiæ, non enim iſte ſol tanto nitore ſplendeſcit, non item lux ex ipſo emicans illuſtre adeò iubar effundit, vt res geſtæ ab Eccleſiá, Etenim* D *domus Dei ſuper montes altiſsimos collocata eſt.* Et infra, *Eccleſiæ poteſtas ipſos pertingit cœlos, & tanquam domus ſupra verticem montium poſita omnibus ſe exhibet cōſpicuā, vſque adeò ipſa multo etiam ampliùs omnibus inclaruit.* Similem protulit ſententiā Auguſt. lib. 3. contra epiſt. Parmeniani, vbi dicit, iuſtos eſſe, *per vniuerſam ciuitatem, quæ abſcondi non poteſt* (inquit) *quia ſupra montem conſtituta eſt. Montem illum dico Danielis, in quo lapis ille præciſus ſine manibus creuit, & impleuit vniuerſam terrā,* & d. tract. 1. in 1. epiſt. Ioan. circa fine, *Nōne* (inquit) *lapis iſte, qui præciſus eſt à mōte ſine manibus, Chriſtus eſt de regno iudæorum ſine opere maritali* & poſt pauca: *Nūquid digito oſtendimus iſtum montem?* Et infra, *Nunquid ſic oſtendimus Eccleſiam fratres mei? Non ne aperta eſt? Non ne manifeſta?* Et paucis interiectis, *Et cùm eis dicitur,* vtique hæreticis, *aſcendite, non eſt mons dicunt, & faciliùs illuc faciem impingunt, quam illic habitaculum quærunt.* Et inferiùs propoſito loco Iſaiæ, interrogat, *Quid tam manifeſtum, quam mons?* Et ſtatim obijcit. *Sed ſunt & montes ignoti, vt Olympus, &c.* Reſpondet, *In partibus ſunt iſti montes, ille autem mons non ſic quia impleuit vniuerſam terram, quis errat in hoc monte?* Et infra de hæreticis ait, *Montem nō vident, nolo, mireris, quia in tenebris ambulant, & occulos non habent, quia tenebræ excæcauerunt eos.*

8. 2. Ex Mat. Et in eodem ſenſu interpretātur multi Patres verba Chriſti Matth. 5, *Vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montē poſita.* Hāc enim ciuitatē eſſe Eccleſiam docuit Auguſtin. dicto tract. 1. dicēs *Ecce ciuitas de qua dictū eſt. Hæc eſt ciuitas ſupra montē poſita* Idē d. lib. 3. cōtra Parmenian. c. 5. & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32. poſt illud *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* Infra. Hinc fit, vt *Eccleſia vera neminem lateat, vnde eſt illud quod Euangeliſta dicit. Non poteſt ciuitas abſondi ſupra montem conſtituta, ideòque in eodem Pſalmo connectitur, In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* quod ipſemet ſuper eundem Pſalmum expoſuit, id eſt, *in manifeſtatione, Eccleſiam ſuam, non quæ lateat.* Et infra, *Quid tu hæretice fugis in tenebras.* Et multa ſimilia habet libro de Vnitat. Eccleſiæ & libro 13. contra Fauſtum capite 13. vbi pro ſigno certo Eccleſiæ Chriſti ponit, quòd *omnibus eminet, & apparet, quia eſt ſedes gloriæ eius.* Ierem. 17. *& templum Dei ſanctum.* 1. ad Corinth. 3. & poſtea ſubiūgit locum Matthæi.

Auguſt. Pſal. 18. Matt. 5. Ierem. 17 Corint. 3.

thæi. Idem lib. 6. cap. 17. & lib. 2. contra Creſconium Grãmaticum cap. 30. Vbi habet verba notanda *Extat Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua, quippe ciuitas, quæ abſcondi non poteſt ſupra montem conſtituta, per qua dominatur Chriſtus à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terræ.*

9. Hieronym. Chryſoſt. [illegible]

Eodem modo expoſuit illum locum Hieronym. lib. 6. in cap. 30. Ieremiæ, vbi etiam verba illa Ieremiæ ad Eccleſiã accomodat, *ædificabitur ciuitas in excelſo ſuo, & templum iuxta ordinem ſuum fundabitur. Plenius* (inquit Hieronymus) *atq; perfectius in Domino Saluatore, atque Apoſtolis hoc completum eſt, quando ædificata eſt ciuitas in excelſo ſuo, de qua ſcriptum eſt, Non poteſt ciuitas abſcondi, quæ in monte ſita eſt, & templum iuxta ordinem ſuum, cæremoniaſque fundatum, vt quidquid in priori populo fiebat carnaliter, in Eccleſia ſpiritualiter cõpleretur*, Et Amos. 1. *verba illa, Dñs de Sion rugiet, de ſpecula* Eccleſiæ exponit, *quia ſuper montem ſita* (inquit, Matth. 5.) *latere non poteſt, de qua cum Dominus dederit per vetus, & nouum inſtrumentum, & per Doctores Eccleſiaſticos vocem ſuam, & quaſi clara buccina inſonuerit, tunc doctrina hæreticorum, & circuncisionis ſiccabitur &c.* & elegantiſsime Chryſoſtomus homil. 10. in Matth. in imperfecto, interrogans. *Quæ eſt hæc ciuitas?* & reſpondens, *Eccleſia eſt Sanctorum, de qua dicit Propheta, glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, ciues autem eius ſunt omnes fideles, de quibus dicit Apoſtolus, Vos eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, &c.* Et infra, *Hæc ergò ciuitas poſita eſt ſuper montem, id eſt, Chriſtũ, &c.* Et deinde connectens alia verba, *Nec qui accendunt lucernam, &c.* inquit, *Per alteram comparationem vult oſtendere quare Sanctos ſuos ipſe Chriſtus manifeſtat, & non vult eſſe abconſos*, Et infra interrogat, *Quod eſt candelabrum?* Et reſpondet, *Eccleſia, quæ baiulat verbum vitæ*, Et adducit illud Pauli ad Philipenſ. 2. *Inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Denique in eandem ſententiam recte ibi dixit Rupertus, *quam magna, quã ampla ciuitas.* Et infra, *Non poteſt abſcondi, nõ patitur ordo, vel ratio iudicij, ſeu conſilij diuini, vt abſcondatur, & incognita ſit, quæ ad hoc ædificata eſt, & ad hoc mille clypei pendẽt ex ea, omnis armatura fortium, vt omnes*

Amos. 1.

ad Philp. 2

Rupert. Lib. 4. de gloria, & honore filij hominis in Matth.

A *qui inter aduerſarios periclitantur, qui inter Iudæos, Paganos, atque hæreticos pro fide agonizantur, recurrere ſciant ad ciuitatem hanc, & in ea communiri, &c.*

Vndè poſſumus tertio ratione ſumpta ex proprietatibus, quas Scriptura, & Patres Eccleſiæ tribuunt, eandem veritatem comprobare. Prima conditio Eccleſiæ Chriſti eſt, quòd ſuper Petrum eſt fundata Matth. 16. à quo fundamento di moueri non poteſt, vt ſupra oſtẽſum eſt, & latiùs libro tertio dicturi ſumus; hoc autem fundamentum viſibile eſt, nam ad gubernandos homines eſt poſitum; ergò B & Eccleſiam ipſam viſibilem eſſe oportet. Et ideò vnum ex potiſsimis ſignis ad cognoſcendam veram Eccleſiam eſt ſucceſsio Epiſcoporum in Pontificatu Petri, vt ſuprà ex Auguſtino notauimus, & ex Irenæo lib. 3. cap. 1. & idem ſumitur ex Cypriano Epiſt. 76. ad Magnum: Si autem Eccleſia vera eſſet inuiſibilis, non indigeret capite viſibili, neque in eo poſſet fundari. Secunda proprietas huic affinis eſt, quod Chriſtus talem condidit Eccleſiam, vt per homines regi poſſet, iuxta illud Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus* C *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Vbi ſine dubio eſt ſermõ de vera Eccleſia à Chriſto fundata, illam enim ſolam ſuo ſanguine acquiſiuit, illique de conuenienti regimine prouidit, quod hominibus, & Epiſcopis commiſit, ergò neceſſe eſt talem Eccleſiam eſſe viſibilem, quam eius Rectores intueri, & cognoſcere poſsint.

10. Proprietates Eccleſię viſibilis.

1. ex Matt. 16.

Auguſt. Irenæus. Cyprian.

2. Proprietas ex Act. 2.

Tertia cõditio eſt, Eccleſiam poſſe videre ſenſibiles actiones, & audire humanam vocem, iuxta verbum Chriſti Mat. 18. *Dic Eccleſiæ*, quomodo enim aliquis D loquetur Eccleſiæ, quam videre non poteſt, aut quomodo Eccleſia audiet verbũ hominis, ſi ipſa viſibilis non eſt, & ideò etiam ait Paulus. 1. ad Corinth. 10. *Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei*: poſſumus ergò videre Eccleſiam, & cauere, ne illam offendamus iuxta illud Pauli. 1. ad Timot. 3. *Vt ſcias, quo modo oporteat te in domo Dei cõuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui*, quomodò enim poterat Timotheus hoc ſcire, ſi veram Eccleſiam neſciret? Et infinitæ ſunt locutiones ſimiles, quæ ſupponunt certam,

11. 3. Matt. 18.

Corint. 10

Timot. 3.

ac definitam ſcientiam Eccleſiæ viſibilis vt eſt illud. 1.ad Cor.15. *Perſecutus ſum Eccleſiã Dei*, & illud Actor.5. *Factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia.* Et ſimilia videri poſſunt c.8,9.11. & ferè per totũ illum librũ, & interdũ eſt ſermo de tota Eccleſia, interdũ de parte eius, ſeu particulari Eccleſia viſibili: veruntamen eadẽ eſt ratio partium, & totius; nam ſi partes viſibiles ſunt, multo magis totum corpus ex eis conſtans, erit viſibile,

Cor.15. Actor.5.

12. Reſponſio pro ſententia hæreticorũ & refellitur.

Fortaſsè tñ hæretici his teſtimonijs cõuicti cõfitebũtur Eccleſiã primitiuã, quę fuit tempore Apoſtolorũ, vel paulò poſt illud, fuiſſe viſibilẽ, poſtea verò diſcurſu temporũ illam viſibilẽ Eccleſiã defeciſſe, & inuiſibilẽ factã eſſe. Ex qua reſpõſione libenter priorẽ partem accipimus. Et ex illa in primis cõtra hæreticos cõuincimus, veram Eccleſiã poſſe eſſe viſibilem, quandoquidẽ aliquãdo talis fuit. Ex quo etiã obiter oſtenditur, rationes hęreticorũ ad probandũ Eccleſiã eſſe inuiſibilẽ futiles eſſe: nã ſiquid valerẽt, repugnantiã aliquam oſtenderent in Eccleſię viſibilitate, cùm tñ factum ipſum probet nullã eſſe, Deinde ſicut nos ex ſcripturis oſtẽdimus Eccleſiã in ſua origine, vt ſic dicam, fuiſſe viſibilẽ, ita oportet, vt ipſi ex ſcripturis oſtendant, dari Eccleſiã inuiſibilẽ, vel in eis prædictũ eſſe, aliquando talẽ futurã fuiſſe Eccleſiã. Simili argumẽto vrget Donatiſtas Auguſt. lib. de Vnit. Eccleſ. c.17. dicens, *Legant nobis hoc de Scripturis ſanctis, & credimus, hoc, inquam, nobis ex canone diuinorũ librorum legant, tot ciuitates, quæ vſq; ad hodiernũ diem baptiſmũ per Apoſtolos ſibi conſignatum, tenuerunt, perijſſe à fide.* Quod argumẽtũ proſequitur cap.18. ſupponens in principio, Eccleſiã in Scripturis ſanctis manifeſtè cognoſci, & poſteà cap.19. iterũ inſtat, *Omiſſis ergò morarum tendiculis oſtẽdat, Eccleſiã vel in ſola Affrica perditis tot gentibus retinendã, vel ex Affrica in omnibus gentibus reparandã, atq; adimplendã, & ſic oſtendat, vt nõ dicat, verũ eſt, quia hoc ego dico. &c.* Latè enim enumerat omnia, quę hęretici cõfingere ſolẽt, & adiungit. *Remoueãtur iſta vel figmẽta mendaciũ hominũ, vel portẽta fallaciũ ſpirituũ*, & poſtea cõcludit, *Sed vtrũ ipſi Eccleſiã teneant, non niſi diuinarũ Scripturarum canonicis libris oſtẽdant.* Hoc proinde argumẽtum eò fortius eſt contra

Auguſt.

A hæreticos huius temporis, quò ipſi prędicant, nihil eſſe credendũ, niſi quod in ſcripturis legitur. Cum igitur ex Scripturis habeamus Eccleſiam viſibilem, & mutatio eius in inuiſibilẽ non legatur, neque veſtigium eius in Scriptura inueniri poſſit: profectò neq; conſequenter, neque cũ fundamento loquuntur Proteſtantes.

Vlteriùs vero ex eiſdem Scripturis, & Patribus probamus, falſam eſſe poſteriorem partem illius reſponſionis: nam locutiones Scripturæ, quæ conuincunt, Eccleſiam fuiſſe viſibilẽ tẽpore Apoſtolorũ, idem probant de vera, & Apoſtolica Eccleſia quocumq; tempore. Primò quia promiſsio non deficiendi facta eſt Eccleſiæ viſibili, prout illam Chriſtus ſuper petram fundauit, vt patet ex illis verbis, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam*: nam particula, *Eam*, eandem viſibilem Eccleſiam refert. Item ex Paulo. 2.ad Timoth.3. vbi cum dixiſſet, *Vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei cõuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui*, ſubiungit, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*: oſtendimus autem, priora verba intelligi de Eccleſia viſibili, in qua quis conuerſatur; ſed particula *Quæ* eandem Eccleſiam refert; ergò illa eadem viſibilis Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis, ac ſubinde perpetua, quia vt ſupra oſtendi, hęc proprietas nunquam poteſt à vera Eccleſia ſeparari. Adde nec poſſe illi cõuenire, ſi inuiſibilis aliquando fiat: eſt enim columna, & firmamentum veritatis, ſemper, & ſine defectu veritatem docendo, & errores corrigendo; hoc autem cũ authoritate, & efficacia facere nõ poſſet, ſi eſſet inuiſibilis, ſemper enim dubitari poſſet, an ſit vera Eccleſia, quæ loquitur. Deinde multæ ex adductis locutionibus Scripturę pro quocunque tempore prolatę ſunt; ergò de omni tempore probãt veram Eccleſiam eſſe viſibilem. Aſſumptum patet: nam Chriſtus, quandò monuit, *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus*, non homines tantum, qui ſe audiebant, nec ſolam Eccleſiam primitiuam, ſed totam Eccleſiam ſuam, vt perpetuò duraturam inſtruebat; ergo ſupponebat, Eccleſiã ſuã ſemper futurã eſſe viſibilẽ, quę audiri, & audire poſsit. Et idem argumen-

13. Viſibilitas Eccleſię perpetuo duratura.

B

1.ad Tim. 3.

C

D

A gumentum ſumi poteſt ex verbis Pauli proximè citatis: nam conſilium illud cõueniẽti modo conuerſandi in Eccleſia, ſeu operandi ſine offenſione eius, ad omnia tempora extenditur, & omni tempore ſeruandum eſt: ergò ſemper Eccleſia talis eſt, vt videri poſsit.

14. Confirmatur 1. ex munere docendi. Cyprian.

Prętereà eſt alia inſignis proprietas veræ Eccleſiæ, quæ hanc viſibilitatẽ perpetuò requirit, nimirũ, quod extra illam nõ põteſt ſalus cõſeruari, aut inueniri, vt eſt certa veritas fidei, quam tradũt Cyprian. epiſt. 74. vbi habet illam ſententiam, *Nõ poteſt quis habere Deũ Patrem, qui nõ habet* B *Eccleſiam matrẽ,* quã repetit lib. de Vnit. Eccleſ. non longe à principio, vbi inter alia Eccleſiã cõparat arcæ Noë dicens, *Si potuit euadere quiſquam, qui extra arcã Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, euadet.* Et loquitur apertè de Eccleſia fundata in cathedra Petri, Eandemq; doctrinã tradit multis alijs in locis. Auguſt. Item Auguſt. in lib. de Vnit. Eccleſiæ cap. 2. & 19. idẽ docet, & confirmat, quia *ad ſalutem, ac vitam æternam nemo peruenit, niſi qui habet caput Chriſtum: habere autem caput Chriſtũ nemo poterit, niſi qui in eius corpore fuerit, quod eſt Eccleſia.* C Quamobrem ex hac proprietate rectè colligitur, Eccleſiam verã omni tempore debere eſſe viſibilẽ, quia omni tẽpore eſt corpus Chriſti, cui vniri debent omnes, qui per Chriſtum ſalutem conſequi voluerint: & eſt ciuitas refugij, ad quã recurrere oportet, qui ab hoſtibus ſe tueri, & defendi deſiderauerint. Eſſet Rupert. autem contra rectũ ordinem, vt iam ex Ruperto retulimus, Eccleſiam ad hũc finẽ inſtitutã in occulto, & in tenebris collocare, ergò cũ ad ad eundem finẽ perpetuò conſeruetur, perpetuò etiam debet eſſe conſpicua, clara, & viſibilis. Et ideò D appoſitè admodũ dicit Irenæus lib. 1. cõtra hæreſes cap. 2. *Hanc fidem Eccleſia in vniuerſum mundũ diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi vnã domũ inhabitãs, & ſimiliter credit ijs, quaſi vnam animam habens, & vnũ cor, & cõſonanter prædicat, docet, & tradit, quaſi vnũ poſsidẽs os.* Et infra ſubiũgit *Sicut ſol creatura Dei in vniuerſo mũdo vnus, & idẽ eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis vbiq; lucet, & illuminat õnes, qui volũt ad cognitionẽ veritatis venire.* Quã cõparatio- Cyprian. nẽ imitatus etiã eſt Cypri. lib. de Vnit. Eccleſ. dicẽs, *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinẽ latiùs incremẽto fœcũditatis extẽditur; quomodo ſolis multi radij, ſed lumẽ vnũ, diuelle radiũ ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas nõ capit,* Quẽ locũ citat Aug. lib. 1. cõtra Creſcon. c. 36. dicens, *Hãc* (ſcilicet Auguſt. Eccleſiæ ciuitatẽ) *B. Cyprianus ita cõmendat, vt eam dicat, Dñi luce perfuſam, radios ſuos per orbẽ terrarum porrigere, &c.* Et ſic etiã Origen. tract. 3. in Mat, *Eccleſia plena eſt fulgore ab Oriente, vſq; ad Occidentẽ,* Origen. *& plena eſt lumine vero, quæ eſt colũna, & firmamentũ veritatis* Et ſignificãt Aug, & alij, qui, vt ſupra vidimus, ad illã accõmodãt illud Pſam. *In ſole poſuit tabernaculum ſuũ,* & illud Ieremię, *Ipſa eſt ſedes gloriæ. quæ exaltata eſt, & õnibus apparet.* Et proptereà etiã ab alijs Patribus comparatur cãdelabro continẽti lucernã, *vt luceat* (ait Chryſoſto.) id eſt *appareat, & illuminet,* Chryſoſt. *qui ſunt vel in domo Eccleſiæ, vel in domo omniũ mũdorũ.* Deniq; propter hãc cauſã dixit idẽ Chryſoſt. hom. 4. in c. 6. Iſai. *faciliꝰ eſſe ſolẽ extingui, quã Eccleſiã obſcurari.*

15. Cõfirmatur 2. ex viſibili ſucceſsione Pontificum.

Alio item modo refutare poſſumus prædictã euaſionem hæreticorũ, & veritatẽ catholicam cõfirmare, ſumpto eodẽ principio ab aduerſarijs conceſſo, quod C Eccleſia Chriſti in ſua origine viſibilis, & notiſsima fuit, vt ex Scriptura ſatis ꝓbatũ eſt, & pręſertim verba Chriſti, Actaq; Apoſtolorũ oſtendunt. Nam hæc Eccleſia ita propagata, & conſeruata eſt, ſicut fuit fundata; ergò ſicut in principio viſibilis fuit, ita perpetuo cõſeruatur. Et Minor quidẽ propoſitio quoad propagationẽ ex eiſdẽ Actibus conſtat. Priùs enim in Hieruſalem radices agens poſtea per Iudęam aucta, deinde ad Samariam extenſa, ac tandem per omnes gentes, & vniuerſum orbẽ propagata, in omnibus ſemper locis viſibilis fuit. Et ita particulares Eccleſiæ D tanquam notæ, & manifeſtæ tam in dicta Sacra hiſtoria, quã in epiſtolis Apoſtolicis, & in lib. Apocalypſis proponũtur, & nominantur. Quod verò ſpectat ad cõnſeruationẽ, ſeu durationem, cõſtat etiam ſenſibili, vt ita dicã, modo Eccleſiam perſeueraſſe per continuam viſibileq; ſucceſſionẽ Pontificũ, Epiſcoporũ, Doctorum & aliorũ fidelium, & Eccleſiæ membrorũ: & inde etiã colligi poteſt, eodẽ modo eſſe perſeueraturã quandiu mũdus durauerit, qa eadẽ eſt, cuiuſcũq; tẽporis ratio.

16. In quo diſcurſu ſolum ſupereſt probandum

Eccleſia ſẽper ratione ſucceſsionis viſibilis perſeuerat.

Tertullia.

bandum, durationem Eccleſiæ ſemper fuiſſe in ſtatu viſibili ratione ſucceſsionis, id autem probari poteſt in primis ex doctrina Patrum, Tertullian. enim de Præſcript. cap. 20. ſic deſcribit continuatam durationem Eccleſiæ, *Apoſtoli primò per Iudæam conteſtata fide in Ieſum Chriſtum & Eccleſijs inſtitutis, dehinc in orbem profecti, eandẽ doctrinam eiuſdem fidei apud nationes prædicarunt, & Eccleſias condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ aliæ Eccleſiæ mutuata ſunt, & quotidie mutuantur, vt Eccleſiæ fiant, ac per hoc, & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum, omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt.* Et ita concludit ex omnibus Eccleſijs coaleſcere vnam. Quod verum eſt de Eccleſia non ſolum prout eſt ſimul in aliquo tempore, ſed etiam, vt ſucceſsiuè permanet per communicationem, & vnionem præſentis cum præterita, & legitimam ſucceſſionem, quam magis explicat cap. 32. dicens, Eccleſias, quæ ſe profitentur Apoſtolicas, oportere, vt oſtendant, ordinem Epiſcoporum ſuorum, deducendo illum vſque ad Apoſtolos.

17.

Cyprian.

Eandem doctrinam latè tradit Cyprian. lib de Vnit. Eccleſiæ, & epiſt. 76. vbi inter alia ait, *Nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt*, & ita vt Eccleſiæ notam ponit Pontificum ſucceſsionem. Et epiſt. 69. dicit, *Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſiquis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus non habẽtes, obrepunt, & latenter apud quoſdam cõmunicare ſe credunt, quãdo Eccleſia, quæ Catholica vna eſt, ſciſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata.* Eodẽ modo hanc Eccleſiæ continuam vnitatẽ declarat Irenæ. lib. 3. contra hæreſ. cap. 2. & tertio. & Auguſtin. idem ſentit contra Epiſtolam Fundamenti, & aliis locis ciuitatis, & Vincentius Lyrinenſis, & reliqui ſupra allegati, Quorum communis ſenſus eſt, Eccleſiam perſeueraſſe per cõtinuam ſucceſsionem in eodẽ Hierarchico ordine, in quo condita fuit, ac ſubinde in eodẽ ſtatu viſibili, in quo nota, & manifeſta ſit: quoniam aliàs nõ poſſet de con-

Irenæus.
Auguſt.
Vincent.
Lyrinenſ.

A tinua ſucceſsione, & traditione cõſtare.

18.

Confirmatur vlt: ex Paul. ad Epheſ. 4.

Poteſtq; merito hic diſcurſus fundari in Paulo ad Epheſ. 4. dicente, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virũ perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Nam ex his verbis conſtat hanc Eccleſiam, quæ per modũ vnius corporis ex varijs mẽbris coaleſcit, & per mu-
B tuam operam, & influxum eorũ inter ſe conſeruatur (vt idẽ Apoſtolus. 1. ad Corint. 12. docuit) candẽ formam habiturã, *Donec occurremus omnes in virum perfectũ.* Ac ſubinde Doctores, & Paſtores per continuam ſucceſsionẽ in ea duraturos, & ſenſibili modo recturos, & docturos illam: quod intelligi nullo modo poteſt, niſi vera Eccleſia ſemper viſibilis, & humano modo (vt ita explicem) tractabilis perſeueret, nõ enim poteſt caput eſſe viſibile, & corpus inuiſibile, vt rectè dixit Aug. epiſt. 48. ad Vincent. circa mediũ.

1. Cor. 12.

Auguſt.

C CAPVT VIII.

Occurritur aduerſariorũ obiectionibus, & quo ſenſu Eccleſia viſibilis ſit exponitur.

1.

HIS ergò modis ſatis, vt arbitror, demonſtratum eſt ex principijs fidei, & teſtimonijs Sacræ Scripturæ, veram Chriſti Eccleſiam debere eſſe cognoſcibilem, ſeu notam. Dicere tamen poſſet aliquis, inde non ſatis concludi, eſſe viſibilem, ſeu ſenſibus externis patentem, ſed ad ſũmum eſſe credibilem, vt in Symbolo credenda proponitur. Atque ita eſſe notam intellectui, non ſenſui. Vnde poſſent hæretici elude-
D re omnia, quæ adduximus, dicendo, ſuã Eccleſiam, quam inuiſibilem vocant, habentibus verã fidẽ ſatis eſſe notã. Et præcipuè Proteſtãtes Anglicani (apud quos dicitur durare quædã forma Hierarchiæ eccleſiaſticæ & Epiſcopatꝰ vmbra, & miniſterij) dicere poſsũt, in ſe pſeuerare Eccleſiã in ea forma externa, & ſẽſibili, quã habuit tẽporibꝰ Apoſtolorũ. Et nihilominꝰ non poſſe ſenſu diſcerni illam eſſe veram Eccleſiam magis, quàm Romanam, neque è contrario, ideoque appellare illã inuiſibilem, non tamen ignotam, quia

Vltima pro hæreticorũ ſentẽ. euaſio eccleſiã eſſe credibilẽ intellectui, nõ tamen notã ſenſui.

per fidem ſuā ſatis illam cognitam habẽt.

2. Hęc eſt vltima obiectio, & euaſio, quā ex parte hęreticorum cogitare potui, & non cenſui omittendam, quia per illius ſolutionem tolletur omnis Proteſtantiũ tergiuerſatio, & efficacia teſtimoniorũ, & rationum, quæ adduximus, magis intelligetur, & reliquæ etiã obiectiones in principio poſitæ faciliùs expedientur. Vt ergò rem aggrediamur, accipimus primò id, quod in hac obiectione cõcedi videtur, Eccleſiã veram eſſe notã ſeu cognoſcibilẽ ſaltem per fidẽ, vt omnia, quæ hactenùs adduximus teſtantur ſatis. Et in hoc puncto addimus duo. Vnũ eſt, hoc intelligendũ eſſe, non de Eccleſia cõfusè concepta, ſeu in vniuerſali abſtrahẽdo ab hac, vel illa congregatione hominũ exiſtentium in mundo, quæ poſsit illud nomen ſibi attribuere, ſed intelligendũ eſſe de Eccleſia definitè, & in particulari ſumpta, vt eſt in talium hominum fidem Chriſti profitentium congregatione. Aliud eſt, hanc Eccleſiam in particulari eſſe credendam, non quacumq; fide probabili, aut humana, ſed fide diuina certiſſima, & infallibili.

Vera Eccleſia quomodo fide credenda.

3. Vtrumque horum poteſt probari ex ſymbolo Apoſtolorum, in quo profitemur nos credere Sanctam Eccleſiam Catholicam. Nam hoc intelligendum eſt de certa, & ſingulari Eccleſia. Cum enim vera Eccleſia Catholica tantùm ſit vna, indiuidua, & particularis, illa loquutio, quæ indefinita videtur, æquiualet ſingulari. Sicut qui dicit, ſe videre ſolem, ſtatim intelligitur loqui de illo ſole ſingulari, qui ſolus in mundo eſt. Atque ita exponit Auguſtin. de Fide, & Symbolo capite 10. & Ruffinus in expoſitione Symboli, & omnes. Nam ex vi illius fidei tenemur credere, illam eſſe veram Eccleſiam, in qua ſumus, & cuius fidem profitemur, & conſequenter tenemur credere, conuenticula hæreticorum, nõ eſſe veram Eccleſiam, ſed Synagogam Satanæ, Apocalypſ. ſecundo, vel, vt Ruffinus, ait, Eccleſiam malignantium; ergò vt per illam fidem poſsimus diſcernere veram Eccleſiam à falſa, neceſſe eſt, vt ſit de tali congregatione in particulari. Denique ex ratione ſupra facta de neceſsitate huius cognitionis euidenter ſequitur hanc fidem eſſe debere de

Probatur quoad primã partem.

Auguſt. *Ruffin.* *Apoc. 2.*

A tali Eccleſia indiuidua, quia nobis neceſſarium eſt, vel Eccleſiam quærere, in qua iuſtificari poſsimus, vel cui credamus, vel in qua vera Sacramenta cum fructu recipere, & vſque ad finem perſeuerare, ac denique ſaluari valeamus. Nemo autem poteſt quærere Eccleſiam in communi, ſeu in abſtracto cõceptam, quia hæc non eſt inquiſitio ſpeculatiua, ſed practica, neceſſaria ad operationes præcipuas huius vitæ, talis autem inquiſitio, vel coniunctio circa particularem Eccleſiam neceſſario verſari debet, quia actiones, vt dixit Philoſophus, circa

B ſingularia verſantur; ergò ſingularem etiam, & indiuiduam Eccleſiam, Sanctam, & Apoſtolicam cognoſcere poſſumus, & debemus. *Ariſt.*

Et hinc facile probatur alterũ quod propoſuimus, ſcilicet, debere nos credere hanc Eccleſiam non tantùm fide, & opinione humana, ſed maximè fide diuina, & Chriſtiana. Primò, quia quidquid in Symbolo continetur, tenemur hac fide certa, & diuina credere; ſed vnum ex credendis in Symbolo propoſitis, eſt hæc Eccleſia particularis, & indiuidua, vt declaraui; ergò eſt credenda

4. Cõfirmatur 2. pars.

C fide infuſa, & omnino certa. Secundò hoc maxime confirmat Auguſtin. Epiſtol. 28. dicens hanc fidem in ipſa Scriptura fundari, non minùs, quàm fidem hominis Ieſu Chriſti. *Quomodo enim* (inquit) *confidimus, accepiſſe nos ex diuinis literis, Chriſtum manifeſtum, & non Eccleſiam manifeſtam.* Vnde ſæpè ibi Donatiſtis obijcit, *Incerti eſtis, vbi ſit Eccleſia*, & ad hoc maximè tanquam ad magnum abſurdum eos deducere conatur. *Nos autem* (concludit columna 13.) *ideo certi ſumus, neminem ſe à communione*

Auguſt.

D *omnium gentium iuſtè ſeparari potuiſſe, quia non quiſque noſtrum in iuſtitia ſua, ſed in Scripturis diuinis quærit Eccleſiam, & vt promiſſa eſt reddi conſpicit.*

Tertiò, idem conuincitur ex neceſſitate cognitionis veræ Eccleſiæ ſuprà declarata: nam fides veræ Eccleſiæ eſt in ſuo ordine, & ſecundum Deum, fundamentum reliquorum, quę creduntur, & omnium actionum neceſſariarum ad ſalutem; cum ab ea accipiamus Scripturam Sacram, iuxta peruulgatam Auguſtini ſententiam, *Euangelio non crede-* 5.

August. *rem, niſi me authoritas Eccleſiæ cõmoueret*, contra epiſt. Fundamenti c. 5, Ab eadem accipimus verum ſenſum ſcripturarũ, vt capite ſequenti attingemus; accipimus ſymbola, ſacramenta, præcepta, conſilia, & omnia, quæ ad ſalutem pertinent; ergò ſi fides de ipſa Eccleſia eſſet tantùm humana opinio, reliqua omnia tantùm opinione tenerentur: periret ergo diuina fides. Et è conuerſo nulla eſſet hæreticorum congregatio; quæ non crederetur Sancta, & Catholica ſufficienti fide, quia vnuſquiſque hæreticus credit ſuam Eccleſiam eſſe ſanctam, & Apoſtolicam, credit autem fide humana, quę falſa eſſe poteſt; at in hoc differt à Catholico; ergo fides, quam catholicus concipit de vera Eccleſia longè altior eſt, ac ſubinde prorſus infallibilis, & diuina.

6. Eccleſia quomodo viſibilis sẽſibus. Atq; ex his colligere, & addere poſſumus tertiò, quod maximè noſtræ intentioni deſeruit, nimirũ, in quo vero ſenſu hæc Eccleſia dicatur viſibilis. Duplici enim ratione reputatur eiuſmodi. Primò quia illa Eccleſia, quã fide credimus eſſe verã, obiectũ quoddam eſt, quod viſu videri, & auribus audiri, & manibus quodã modo cõtrectari poteſt. Hoc enim ſatis eſſe ſolet, vt obiectũ aliquod creditũ ſenſibile dicatur, etiã ſi de illo credamus aliquod myſterium inuiſibile: ſic ſacramenta ſenſibilia vocantur, quanuis formalis ratio ſacramenti, aut veritas non ſentiantur. Imò etiam Chriſtus Dominus obiectum viſibile erat, cum in terris ambulabat, & tamen fide diuina credebatur à multis tanquàm verus Meſſias, qui rectè dicere poterant, ſe videre Meſsiam, quem ſperabant, & quem

Matth. præſentem credebant, iuxta illud Matt. 13. *Multi Reges deſiderauerunt videre, quæ vos videtis, &c.* Et poſt reſurrectionem ſuam dixit idem Chriſtus Dominus Thomę, *Quia vidiſti me Thoma credidiſti.* Quod

Gregor. declarans Gregor. dixit, *Vnum vidit, & aliud credidit*, tamen de illo quem vidit, credidit quod non vidit, & ita fides illa habebat obiectũ ſenſibile. Ita ergo dicere poſſumus de Eccleſia, nam de illa, quã in his perſonis, & locis videm⁹, credimus eſſe Sanctam, & Apoſtolicam, quod oculis corporeis non videmus.

7. Obuiabunt tandem proteſtantes, hoc modo etiam ſuam Eccleſiam eſſe ſibi viſibilem, quia ſuam congregationem quã vident credunt eſſe verã Eccleſiam. Reſpõdemus in primis, in hoc nullam nobis eſſe cũ illis contentionem, quia nos nihil moramur, an eorũ congregatio viſibilis ſit, nec ne: ſed ab eis inuentum eſt vocabulũ inuiſibilis Eccleſiæ. Semper tamen intercedit hęc differentia, quod illi congregationẽ, quam vident, falsò credunt eſſe veram Eccleſiam, nos autem catholicam ſeu Romanã Eccleſiam, quam etiam videmus, certa, & infallibili fide credimus eſſe veram Eccleſiã. Deinde eſt alia differentia: nam aduerſarij vitare nõ poſſunt, quin dicant, congregationem ſuam ſeu opinionis ſuæ cœtum aliquando vel non fuiſſe, vel inuiſibibem fuiſſe, nimirum, antequam illi eſſent, quia tunc à nullis videbatur, vel agnoſcebatur tanquam obiectum, de quo crederẽt, eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Imò propter illud tempus, in quo ipſi non erant, cogitarunt modũ illũ dicendi de inuiſibili Eccleſia, vt poſſent aliquo modo dicere, nũquã defuiſſe in mundo veram Eccleſiam, licet per plures annos vt v. g. à Gregorio Papa vſque ad Lutherum, vel Vuiclephum, aut aliũ ſimilem inuiſibilis fuerit. Quod etiam pro cerebro ſolum ſuo, & ſine fundamẽto aſtruerunt, nam ſi omninò ignota, & inuiſibilis erat toto illo tempore vera Eccleſia, vnde oſtẽdere poſſũt, alicubi fuiſſe, vel quis eis reuelauit? Nam ſi id ſolum colligãt ex promiſsionibus, & prædictionibus de perpetuitate Eccleſiæ, fateãtur neceſſe eſt, ſemper duraſſe viſibilem, id eſt, in particulari cognitã, & notam, quia talis prædicta fuit, & promiſſa, vt oſtenſum eſt, & quia ſemper fuit ita credita ab orbe Chriſtiano, ſicut ſymbolũ Apoſtolicum, & Nicęnum ſemper in mũdo durarunt, ex quo condita ſunt, ſemperque fuerunt in vera Eccleſia credita. Reſponſio hæret.

8. Altera ratio, ob quam merito poteſt Eccleſia vera dici viſibilis non ſolum, quoad materialem congregationem hominum, ſed etiam quoad internam formam, & rationem Eccleſię, quãuis non in ſe, ſed in alio, vt loqui ſolent Scholaſtici, eſt, quia ſigna, & effectus viſibiles, ſeu ſenſibilęs, quibus conſpicitur, ſortita eſt. Sicut anima equi, vel etiam hominis poteſt dici viſibilis, aliter verò, quàm corpus: nam corpus vide-

A videtur in ſe, anima vero non in ſe, ſed in ſuis actibus, ſeu operationibus. Vnde corpus dici poteſt viſibile animali modo, id eſt, merè ſenſitiuo; anima verò rationali modo, id eſt, adminiculo rationis, adiungendo diſcurſum ſenſui. Sicut Paulus ad Roman. 1. dixit, *Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpici.* Vel ſicut Chriſtus Dominus Interrogatus à Ioanne per diſcipulos, *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Ipſe reſpondit, *Renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis. Cæci vident, claudi ambulant, &c.* Matth. 11. ac ſi diceret in ſignis, B quæ ego facio, videre poteſtis, me eſſe Meſsiam, quia illa exhibeo, quæ in Prophetis erant prædicta, Iſai. 35. & 61. Et hac ratione idem Dominus dixit Ioan. 15. *Si opera nō feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,* quia nimirum per ipſa ita propalabatur, vt ei fidē adhibere obligarentur.

Eccleſiā viſibilem ſenſu in ſignis ſuis oſtenditur.

Roman. 1.

Matt. 11.

Iſai.

Ioan.

9. Ita ergò dicimus Eccleſiam eſſe viſibilem, quia talia ſemper exhibuit ſigna, & quaſi radios viſibiles ſuæ veritatis, vt in eis, vel per ea videri poſsit, ac debeat. Quod in primis ſumo ex omnibus teſtimonijs Sanctorum Patrum, quibus ſupra C probaui Eccleſiæ viſibilitatē, omnes, enim illam explicant per effectus eius viſibiles quibus orbi pro palam euaſit. Et ſpecialiter ex verbis Auguſtini proximè citatis, *Vnuſquiſq; noſtrum in Scripturis diuinis quærit Eccleſiam, & vt promiſſa eſt, reddi conſpicit.* Promiſſa enim eſt Eccleſia habēs tales proprietates, & ſigna, in quibus impletis conſpici poſsit. Declaratur hoc ex verbis Chriſti Marci vlt. *Euntes in mundū vniuerſū prædicate Euangeliū,* ac ſi diceret, plātate Eccleſiam, ſeminādo Euangelij verbū, & baptizādo: nam ex baptizatis credentibus congreganda eſt. Et ſtatim ſub- D iungit, *Signa autē eos, qui crediderint, hæc ſequētur,* & ponit quinq; ſenſibilia ſigna quaſi certa ſuæ Eccleſiæ indicia, quæ poſtea in Actibus leguntur impleta: non enim illa data ſunt ad cognoſcendam ſingulorum credentium fidem, ſed ad cognoſcendam congregationem fideliū verè credentium in Chriſtum, quæ eſt vera Eccleſia.

Signa Catholicę Eccleſiæ.

10. Atque hoc modo per hæc ſigna ad literam intellecta, & per alia ſanctitatis opera, quæ per illa ſignificabantur (vt Gregorius homil. 29. in Euangel. & Bernard. ſerm. 1. de Aſcenſione, voluerūt) facta eſt Eccleſia viſibilis ſtatim à ſuo initio, & poſtea eodem modo, vt ſuprà oſtendimus perſeuerauit. Non per durationē, & quaſi continuationem omnium illorū ſignorū ſed per cōtinuā ſucceſsionē, quæ ſuo etiā modo viſibilis eſt, & hominibus euidens, & hoc modo in illis ſignis videtur Eccleſia, quæ nūc eſt, quia eadem eſt cum illa, quæ tunc fuit, quæ vnitas ex ipſa ſucceſſione ſatis cognoſcitur. Vnde (vt appoſitè ſatis Auguſt. lib. de Vtilit. credēd. cap. 16). *Facta ſunt illa opportuniſsima, vt his multitudine credētium congregata, atq; propagata, in ipſos mores vtilis conuerteretur authoritas.* Accedit, *quod ea ſigna,* licèt nō ſint tā frequētia, *ne aſsiduitate vileſcāt,* vt eodē loco ſuperaddidit idē Aug. *vel ne animus ſēper viſibilia quæreret,* vt idē quoq; li. 1. de Vera relig. c. 25. ait, nihilominus nō omninò ceſſarunt in vera Chriſti Eccleſia, ſed temporibus opportunis fiunt iuxta diuinæ prouidentię diſpoſitionē, vt Auguſt. etiam notauit ſupra, & lib. 22. de Ciuitat. cap. 8.

Gregor.

Bernard.

Auguſt.

Augſt.

Accedit deniq; præter illa ſigna quaſi tranſitoria, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ magis neceſſaria fuere, dari alia, quæ permanentia, & quaſi intrinſeca dici poſſunt, quia in ipſa Eccleſia ita requirūtur, vt ſemper cū illa durent. Quæ à Catholicis dicuntur Notæ veræ Eccleſiæ, quas multi ex illis latiſsimè tradiderunt, nos verò nunc illam prouinciam non aſſumimus: nā præſenti inſtituto ſufficiunt nō nulla ſigna, quæ attigimus. Vnū, & maxime cōmendatum à Patribus, eſt antiquitas, quam nomine ſucceſsionis, & originis declarauim⁹, & in c. 8. de hoc eodē ſigno redibit ſermo. Aliud ſignū eſt, quòd maneat Eccleſia fundata in eadē petra, in qua Chriſtus illam fundauit, & quòd ea immobilis, & fidelis perſeueret, & de hac ſufficiunt dicta in c. 3. & 4. & quæ in lib. 3. addimus. Aliud ſignū, quod lib. de Vnita. Eccleſ. & in multis alijs valde cōmendat Auguſt. contra Donatiſtas, eſt localis amplitudo, vel (vt ita dicam) vbiquitas Eccleſiæ Catholicæ per totū orbem diffuſæ, ſicut promiſſa eſt, & de hac addemus aliqua in cap. 10. Hæc ergò omnia ſigna viſibilia ſunt, & per ea fit viſibilis Eccleſia, nō animali modo, ſed rationali, 11.

Alia ſigna à Patribus tradicta.

Antiquitas Eccleſiæ.

Firmitas.

Propagatio

&

& fidei, quia ſuppoſita promiſsione, & A prędictone talium ſignorũ de vera Chriſti Eccleſia, videndo illa ſigna in aliqua congregatione, videtur vera Eccleſia ſaltem ſub generali ratione credibilis, iuxta modum loquendi D. Thomæ 2. 2. q. 1. artic. 4. ad 2. & 3. & artic. 5. ad primũ, id eſt, per talia ſigna videt quilibet prudens, de tali congregatione eſſe credendum, eſſe veram Eccleſiã, & non de alia.

D. Thom.

12. Atque in hunc modum explicata Eccleſię viſibilitate, nullo modo dicere poteſt aliquis nouorum dogmatũ ſectator, vel Anglicanæ ſectæ defenſor, congre- B gationem ſuam eſſe Eccleſiam viſibilem, & veram: idemq; de quocunque hæreticorum conuenticulo ſtatuendum ſentio. Probatur, quia nulla ſigna exhibent, vel notas habent, quibus Eccleſiæ Chriſti veritas ita ibi appareat, vt ſecundum prudentem rationem credibile ſit, illam eſſe veram Eccleſiam, quam Chriſtus inſtituit, & perpetuò duraturã eſſe promiſit. Non enim habet illa congregatio ſub tali ſecta antiquitatem, vt ex facto ſuprà relato conſtat. Neque habet originem condignã Eccleſiæ Chriſti, vt enim in ſimili, mutatis nominibus dixit Tertullian. de Præſcript. cap. 30. *Vbi tunc Lutherus, vbi tunc Caluinus, nam conſtat illos neq; adeò olim fuiſſe, & in catholicam primò doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec ſub Põtificatu Leonis X. propter ambitionem, & inquietam animorum affectionem venena doctrinarum ſuarum diſſeminarunt.* De qua re plura inferiùs cap. 12. dicemus. Deinde non habet ille cœtus fundamẽtum petræ, in qua Chriſtus ſuam Eccleſiam fundauit, & in qua permanſuram eſſe promiſit, vt oſtenſum eſt, ſed potiùs directè profitetur defectionem ab illo fundamento, imò vehe- D menti odio illud inſectatur. Ad hæc, amplitudinem non habet, ſed in quodam terræ angulo latet, & neque totum illud occupat, neque ibi conſenſionem doctrinæ habet, ſed infinitam prope modum varietatem, & diuiſionem. Vt omittam, nulla habere ſigna ſupernaturalis virtutis, nec diuini luminis, aut veræ ſanctitis, cùm catholicæ Eccleſiæ antiqua lumina, ſanctos, inquam, Patres, & Doctores tam facilè deſerat, & quaſi contemnat, & eximię ſanctitatis, ac perfectionis

Hæc ſigna nulli hæreticorum cõuenticulo quadrant.

Tertulliã.

viam petulanter irrideat. Quis ergò prudens his omnibus attentè conſideratis, cogitare poſsit, nedùm firmiter credere, ibi eſſe veram Chriſti Eccleſiam.

Dicent fortaſſè aliqui ex hæreticis, ſe habere ſigna ſufficientia veræ Eccleſiæ, 13. quia habent veras ſcripturas, ac legitimũ earum ſenſum, & Chriſti ſacramenta, ac vitam bonam & honeſtam, conformeq; Chriſti præceptis. Sed hæc partim communia ſunt, & hęreticis omnibus, & veræ Eccleſiæ Chriſti, vt habere Scripturam, & aliqua Chriſti ſacramenta, & aliquam ſpeciem virtutis, aut religionis, ſaltem apparentis, & ideò ex his ſolis nõ poteſt viſibilis fieri vera Eccleſia in ſenſu prædicto. Quædam verò ſunt falſa, vt nos credimus, & in ſe ſunt obſcura, quæ potius credi debent, quam videri, & ideò ineptè afferuntur vt ſigna viſibilis Eccleſiæ. Tale eſt, quod dicitur de vero ſenſu ſcripturæ: ſæpe enim latens eſt, & potiùs per veram Eccleſiam definiri debet. Et ſimile eſt, quod dicitur de numero, veritate, ac legitimo vſu ſacramentorũ. Quod autem ſpectat ad ſanctitatem vitæ, licèt in ſingulis perſonis occulta, vel incerta ſit, nihilominus in profeſsione, C & ſtatu perfectionis eius nihil habet Anglicana ſecta, quod illam commendet, neque in quo poſsit cum ſanctitate Eccleſiæ catholicæ comparari. Quapropter rectiùs aduerſarij in hoc ſenſu dicent, ſuam Eccleſiam eſſe inuiſibilem, oportet tamen, vt conſequenter fateantur, non eſſe veram: nam vera Eccleſia Chriſti viſibilis eſt, non ſolum, quia vbi, & in quibus perſonis viſibilibus ſit, definitè cognoſcitur, ſed etiam quia ſenſibus ſę exhibet, vt euidenter credibilem tanquam veram Chriſti Eccleſiam, vt declaratum ſatis, & probatum eſt.

Prima hæreticorum euaſio.

Confutatur

Scio, non defuturos qui dicant, quanuis in ſua ſecta deſint illa omnia ſigna viſibilis, ſeu euidenter credibilis Eccleſiæ, 14. ipſos tamen certos interiùs reddi ex peculiari ſpiritu, ſeu reuelatione Dei, apud ſe eſſe veram Eccleſiam. Sed hæc euaſio ridenda eſt potiùs, quàm impugnanda: nam, vt rectè dixit Auguſt. lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 2. *Cùm inter nos, & hæreticos quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia, quid facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis Chriſti? Puto, quòd in verbis Chriſti,*

Secũda euaſio.

Reſponſio.

Auguſt.

qui veritas eſt, & optime nouit corpus ſuũ. Quod latè proſequitur, excludens non ſolùm priuatum ſpiritum, ſed etiam interpretationem Scripturę ſecundũ ſenſum hæreticorum. Vnde hæc euaſio de priuato ſpiritu communis eſt ad omnia, & ſingula falſa dogmata illius ſectæ, & ideò quoad hanc partem in capite ſequẽti diſputationem hanc pleniùs abſoluemus.

15. Soluuntur argumenta. Nunc ſolùm ſupereſt, vt rationi dubitandi, & obiectionibus in principio poſitis ſatisfaciamus, quod quidem ex iam dictis facillimo fiet negotio. Præcipuũ (B) ſiquidem, cui maximè aduerſarij nituntur, fundamentum ſolum probat, interiorem formam Eccleſiæ, quæ eſt vera fides cum charactere baptiſmali, non eſſe in ſe viſibilem, ſeu ſenſibilem. Non tamen probat, non eſſe viſibile corpus humanum, & myſticum, de quo certò conſtet, talem formam illi ineſſe. Item non probat, formam illam non eſſe viſibilem in alio, ſeu in ſignis, quibus ſufficienter manifeſtatur. Quia licèt per hæc ſigna non oſtendatur ſufficienter fides, vel ſanctitas in ſingulis membris Eccleſiæ, (C) propter fictionem, quæ in vnaquaque determinata perſona eſſe poteſt, nihilominùs ſufficienter oſtendunt, in hoc corpore eſſe veram Chriſti fidem, & veram ſanctitatem, quia vera Chriſti Eccleſia ſine his eſſe non poteſt. Dico autem ſufficienter oſtendere, non quia illa dona euidenter manifeſtẽt, nam ſupernaturalia ſunt, & occulta, & per fidem creduntur, ſed quia ſaltem faciunt rem euidenter credibilem; in quo ſenſu diximus, Eccleſiam veram quoad hanc partẽ eſſe in notis ſuis, & ſignis viſibilem.

16. Luc. 17. Ad teſtimonium Lucæ. 17. reſpondetur, illud ſæpè ſolere obijci à Patribus (D) in hac materia contra hæreticos aſſerentes, Eccleſiam eſſe latentem, aut occultã. August. Sic Auguſtin. lib. 13. contra Fauſt. c. 13. exponens ſimilem locum Matt. 24. inquit, *Dominus præuidens ait, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, &c. vt non audiantur illi, qui ad religionum ſciſuras traducunt, dicentes, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, &c.* Et infrà, *Nec illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecretæ, & apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis, dicunt; Ecce in cubiculis, ecce in deſerto.* Et lib. 1. Quæ-

Explicatio ex Patribus Luc. 17. — Auguſt.

(A) ſtionum Euangelicar. q. 38. per fulgur, quòd exit ab Oriente, & peruenit vſque ad Occidentem, intelligit Eccleſiã, quæ velociter totum occupauit orbem: ſubnectitque, *Conſtituta ergò authoritate Eccleſiæ per orbem terrarum clara, atq; manifeſta, conſequenter diſcipulos admonet, atq; omnes fideles, & qui in eum credere voluerunt, ne ſchiſmaticis, atq; hæreticis credant. Vnumquodq; enim ſchiſma, & vnaquæque hæreſis, aut locum ſuum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens, aut obſcuris, atq; occultis conuenticulis curioſitatem hominum decipit.* Et in hoc ſenſu explicat totum Chriſti ſermonẽ, & ideò, ait, pręmonuiſſe, *Nolite credere* dicentibus, *Ecce hic, vel illic eſt Chriſtus.* Et idem ſenſit Origen. tract. 30. in Matth. dicens, *Non eum oſtendunt in Eccleſia, quæ plena eſt fulgore, quæ plena eſt lumine vero.* Eandemq; ſententiã inſinuauit Hieronymus Matt. 24. ad illa verba, *Si ergò dixerint vobis, &c.* dicens, *Aut in hæreticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite credere.* Eſtq; hæc ſententia veriſsima, & virtute contenta in verbis Chriſti, quanuis nõ ſit ibi præcipuè intenta. Origen. Hieron.

17. Explicatio Authoris. In loco ergò Lucæ duæ partes, ſeu duę ſententiæ Chriſti diſtinguendæ ſunt. Prior, quę in obiectione refertur, in qua Chriſtus loquitur de regno Dei, vbi regnum Dei ſine dubio non ſignificat Eccleſiam, ſed ipſum Chriſtum, vel aduentum eius. Interrogauerunt enim Phariſæi Chriſtum, *Quando venit regnum Dei?* id eſt, veniet. Quia non interrogabant de Eccleſia, ſed de regno, quod per Meſsiã obtenturos ſperabant, & illud vocabant regnum Dei, non quia aliquid cœleſte, vel ſpirituale de illo cogitarent, ſed quia ex ſpeciali dono Dei per virtutem, & potentiam Meſsiæ illud ſperabant, vel quia Chriſtum ipſum audierant ſepè loquentem de regno Dei, ipſi verò de regno Meſsiæ nihil niſi temporale, & exterioris potentię, & maieſtatis cogitabant. Et ideò reſpondit eis Chriſtus, *Non venit regnum Dei cum obſeruatione, nec dicẽt, Ecce hic, aut ecce illic.* Vbi non loquitur de hæreticis, ſed excludit expectationẽ Meſsiæ per modum aduentus Regis tẽporalis, qui expectari ſolet cum certa tẽporis obſeruatione, & cum alijs præuijs ſignis, ex quibus coniectari ſolet, vbi ſit,

aut

aut quando peruenturus ſit. Et vt omninò tolleret falſam cogitationem de futuro aduentu regni Dei, quaſi nondùm veniſſet, addit Chriſtus, *Ecce enim regnũ Dei intra vos eſt*, quia Meſsiam, quẽ ſperabant, iam inter illos verſatũ habebant: ſine illo licèt apparatu Regio, quem cogitabant. Probabile etiam eſt, interrogaſſe Iudæos de regno Dei, quod Chriſtus prædicabat, quanuis non intelligerent, quale eſſet. Chriſtum autem reſpõdiſſe, illud regnum, prout in hac vita obtineri poteſt, eſſe ſpirituale, & ideò non eſſe quod ſperetur pro certo tempore, aut loco, quia & intra hominem eſt, & in poteſtate vniuſcuiuſque eſt illud intra ſe habere, ſi velit per fidem, & dilectionem Chriſtum recipere.

18. Altera pars ſententię Chriſti adeò eſt diſtincta à prima, vt aliqui cenſeant, non fuiſſe continenter, nec eodem tempore dictas, & ſaltem eſt certum ex Euangelio, in priori loquutum eſſe Chriſtum ad Phariſæos, reſpondendo illis; in poſteriori autem loquutum eſſe ad diſcipulos & in eis ad omnes fideles, præueniendo illos, & dicens: *Venient dies, &c. & dicent vobis, Ecce hìc, & Ecce illìc.* Et hæc pars ſine dubio pertinet ad ſecundum aduentum Chriſti, & continet prædictionem multorum, qui pſeudochriſti fingendi ſunt, & præſertim Antichriſti: contra quorum perſecutiones, & deceptiones præmonens fideles Chriſtus præmuniuit ne indicantibus, & dicẽtibus *Ecce hìc, vel illìc eſt Chriſtus* præberent fidem. Et ita ex illo loco nihil colligitur, quod ad præſentem cauſam faciat: nam hæc poſterior pars potiùs accommodatur optimè contra hæreticos, vt iam ſuperiùs annotaui. Prior verò intellecta de primo aduentu Chriſti, conſtat, nihil pertinere ad quæſtionem de Eccleſia. Imò etiam per illa verba non excluditur, quin primus aduentus Chriſti fuerit ſenſibilis, & viſibilis, ita vt in aliquo loco certo quæri poſſet, & ſignari, ſicut Magi quærebant, *vbi Chriſtus naſceretur*, & rectè illi reſpõſum eſt, *in Bethleem Iudæ*. Vtique per ſignum prophetiæ, nam talia ſigna data à Prophetis rectè obſeruabantur ad expectandum, & cognoſcendum Meſsiam, imò per talia ſigna ipſe interdum ſe manifeſtabat. Igitur in illis verbis cogita-

A tionẽ humanam excludit, ne putaretur quærendus, aut expectandus per ſigna, & obſeruationes humanas, & cum apparatu Regis temporalis, &c. Quòd ſi de ſpirituali regno animæ illa reſpõſio Chriſti intelligatur, clarum eſt, illud eſſe ſpirituale, & internum, & hac ratione non eſſe viſibile, & non eſſe alligatum certo loco, & tempori, prout tale regnum in ſingulis perſonis inuenitur. Et hoc modo etiam tota Eccleſia poteſt dici regnũ Dei, & ciuitas Dei viuentis, & domus ſpiritualis, & per ſe inuiſibilis quantum
B ad ſanctitatem, & ſpiritualia dona, & nihilominùs eſſe viſibilis quoad perſonas, in quibus exiſtit, non verò per rationes humanas, neque hic, aut illic, ſed per certa indicia à Chriſto, & Prophetis data, & in quocumque loco, & tempore, quia & perpetua, & vniuerſalis eſt, vt Auguſtinus obſeruauit.

19. Ad verba Symboli iam ſatis declaratum eſt, quomodo Eccleſia ſancta, & Apoſtolica videri poſsit, & credi; videtur enim quoad perſonas, ex quibus cõſtat, creditur autem quoad veram fidem, ſanctitatem, & alia diuina dona, per quæ Chriſto coniungitur tanquã corpus my
C ſticum eius. Item videtur per ſigna viſibilia, creditur autem, vt in ſe per ſpiritualem, & inuiſibilem formam cõſtituitur. Denique videtur ĩn ratione credibilis, creditur autem in ratione veri, & ſupernaturalis obiecti. Ad locum Auguſtini reſpondeo, Auguſtinum nunquàm diſtinxiſſe Eccleſiam prędeſtinatorum, & reproborũ tanquàm duas Eccleſias, imò nec tanquàm duas partes eiuſdem Eccleſiæ. Solùm enim in principio illius capitis 8. libri 20. de Ciuit. loquens de Antichriſto ait, *Nunquàm ab illo Eccleſia ſedu-* *Auguſt.*
D *cetur prædeſtinata, & electa ante mundi cõſtitutionem*, vbi nõ diſtinguit Eccleſiam, ſed à potiori parte illã denominat, ſicut in cap. 9. dicit, interdum à parte denominari totum. Oſtendebat enim Auguſt. in dicto cap. 8. non eſſe ab Antichriſto ſeducendam Eccleſiam, vtique totam, nec quoad præcipuam eius partem, & ideò vocauit illam prædeſtinatam, non quia ſit aliqua Eccleſia inuiſibilis ex ſolis prædeſtinatis conſtans, ſed vt ſignificaret, quoad præcipuam partem eius, quæ in electis, & prædeſtinatis exiſtit,

decipi

decipi non poſſe, ſicut ſignificatum eſt in verbis Chriſti, *ita vt in errorem inducãtur, ſi fieri poteſt, etiam electi.*

CAPVT IX.

Regem Angliæ, cum nec ſcripturam integram, nec verbum Dei non ſcriptum admittat, fidei verè Chriſtianæ defenſorem non eſſe oſtenditur.

1. HActenùs generatim demonſtratum eſt, in Anglicana ſecta verã fidem non eſſe, quia per defectionem à vera fide introducta eſt. Et hac occaſione digreſſi ſumus, oſtendendo, fidem, à qua antea defecit (quæ non fuit alia ab Eccleſiæ catholicæ, Romanæ, ac viſibilis fide) veram ſemper fuiſſe, ſemperq; indubitanter futuram eſſe, vt indè certiſsimè conſtet, in Anglicano ſchiſmate veram fidẽ eſſe non poſſe. Et quãuis hinc vel cœcutientibus inclareat, Regem Angliæ, qui ſe caput, & protectorẽ illius ſchiſmatis profitetur, defenſorem veræ fidei non eſſe, quia verò ipſe tribus præclaris titulis ornat, & extollit fidem, quam defendit, cum ſe appellat defenſorem *fidei verè Chriſtianæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ,* ideò operæpretium duxi, ſigillatim per has tres prærogatiuas fidei diſcurrere, & ex ſingulis earum rationibus oſtendere, non poſſe eiuſmodi titulum illi, qui Anglicanum ſchiſma defendit, conuenire.

2. *Fides cum materiâ tũ actum credendi ſignificat.* Rem igitur à fide verè Chriſtiana aggrediens animaduerto, duobus modis denominari poſſe fidem verè Chriſtianam, ſcilicèt, ex materia credita, & ex ratione credendi. Nam & ipſum nomen fidei interdum res creditas, ſeu doctrinam ipſã fidei ſignificat, ſicut Athanaſ. in Symbolo dixit, *Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe nõ poterit.* (*Athanaſ.*) Interdum verò actum, ſeu virtutem credendi deſignat, vt eſt apud Paulum ad Hebr. 11. *Eſt autem fides ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum nõ apparentium.* (*Hebr. 11.*) Priori ſanè modo fides verè Chriſtiana, quæ verè fuerit à Chriſto, vel Apoſtolis nomine eius tradita, appellabitur. Poſteriori autem modo aſſenſus eiuſdem doctrinæ non humana opinio-

A ne vel ratione conceptus, ſed prorſus diuina, tantaque certitudine, & firmitate, vt nullum formidini, aut dubitationi relinquat locum, vera fides nuncupabitur, iuxta illud Pauli. 2. ad Timot. 1. *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare.* (2. *Timot.* 1) Quæ verba licèt fiduciam, ſeu ſpem certam indicent, illa tamen in certitudine fidei fundatur, & de illa ad literã loquitur Apoſtolus, cùm dicit, ſe eſſe certum de omnipotẽtia Dei, hoc enim non eſt obiectum fiduciæ, ſed aſſenſionis. Euidentiora verò ſunt verba ad Galat. 1. *Licèt nos, aut Angelus de cœlo, &c.* (*Galat.* 1.)
B Vnde etiam eſt illud Athanaſij in Symbolo. *Quam niſi quiſq; fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* (*Athanaſ.*) Et illud Baſilij hom. de Vera, ac pia fide. *Eſt fides eorum, quæ dicta ſunt, aſſentiens approbatio ſine vlla hæſitatione, cum ſumma animi perſuaſione de eorũ veritate, quæ Dei munere ſunt prædicata.* (*Baſilius.*) Et illud Bernardi epiſt. 190. *Nonne ſi fluctuat fides, inanis eſt ſpes noſtra? ſtulti ergò martyres noſtri ſuſtinentes tam acerba propter incerta, nec indubitantes ſub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium, ſed abſit, vt putemus in fide, vel ſpe noſtra aliquid dubia æſtimatione pendulum, &c.* (*Bernard.*)
C

3. *Rex Angliæ non recipit integram fidem Chriſtianam.* De fide igitur pro materia, ſeu doctrina fidei ſumpta, contendit Rex Angliæ, ſe fidem verè Chriſtianam retinere, quia Scripturam, Eccleſiæ Symbola, & quatuor prima Concilia generalia amplectitur, eiſq; fidem habet. Veruntamen licèt hæc cuilibet homini verè Chriſtiano neceſſaria ſint, non tamen ſufficiunt ad integram Chriſtianam fidẽ: oportet enim hæc credere, & alia non omittere: nam qui in vno offendit, factus eſt omnium reus. In duobus autem maximè offendit
D Angliæ Rex, primum, quia multa catholica dogmata nimis acriter inſectatur, & vt ex ipſius præfatione liquet, errores fidei Chriſtianæ contrarios profitetur. Quia verò ad hoc demonſtrandum neceſſarium foret ſingulos errores in medium afferre, eorumq; falſitatem oſtendere: ideò ne à propoſita controuerſia digrediamur, in ſequentem librum id differimus, vbi, quod nunc ſupponimus, ſectam Anglicanam quoad dogmata nõ poſſe dici fidem verè Chriſtianam oſtẽdemus. Quia licèt in multis cum illa cõ-

ueniat

ueniat, quæ ab illa ſumpſit, tamen & in eorundem dogmatum intelligentia, & in aliorum confeſsione diſſentit plurimùm; fides autem verè Chriſtiana non dicitur, niſi quæ à doctrina veræ Eccleſiæ, quæ eadem eſt cum Chriſti doctrina, nec in re quantumuis minima diſcrepat.

Omiſſa itaque tantiſper fidei materia, de modo, & fundamento credendi, qua-
4. tenùs ad fidem verè Chriſtianam neceſſarium eſt, in præſenti ſumus acturi. Iacobus enim Rex in ſua Præfatione ad Principes Chriſtianos circa finem ita loquitur, *Cum Paulo opto, vos omnes fieri tales, hac vna in re, qualis & ego ſum: in primis, vt velitis ſcripturas peruolutare, ex ijs credendi normam petere, neque ſuper aliorũ incertis opinionibus, ſed veſtra ipſorum certa ſcientia fidei fundamenta collocare.* Quibus in verbis ſuę fidei fundamentũ Rex declarat, illudque in ſolis Scripturis certa quadam ſcientia propria intellectis, conſtituit. Ex illis ergò duo nos præcipuè fundamenta ſumemus, ad oſtendẽdum, fidem eius non eſſe verè Chriſtianam, ac proindè non habere, vnde poſſit de titulo fidei defenſoris gloriari. Primũ argumentum noſtrum deſumetur ex defectu integritatis fidei: nam fides, quæ integra non eſt, vera eſſe non poteſt: in illis autem verbis oſtendit Rex ſe non habere integram fidem: & hoc argumẽtum in hoc capite vrgebimus. Aliud verò fundamentum accipimus ab illa ſciẽtia peculiari, in qua ſcientia fidei ſuæ iecit fundamenta: eiuſmodi ſiquidem fides nec diuina, nec certa, nec catholica eſſe poteſt, vt capite ſequenti proſequemur.

Fundamentũ fidei Regis Angliæ.

Quod ergò ad primum attinet, quã-
5. uis Rex in prædictis verbis non addat particulam excludentem alia fundamẽta fidei, attentè tamen conſiderato toto diſcurſu, & varijs eius verbis in dicta Præfatione, hanc fuiſſe Regis mentem, planè colligimus. Nam in primis paulò ante illa verba pagin. 156. in principio, traditiones irridet, dicens, *Non inanibus fluxisq́; & prauis hominum traditionibus attendentes.* Nam licèt de humanis traditionibus loqui videatur, ſentit tamen omnem traditionem non ſcriptam eſſe humanam, inanem, fluxam, aut prauam:

A tùm quia nunquam mẽtionem facit traditionis diuinæ non ſcriptæ, tùm etiam quia paulò anteà indicat, verbum Dei non niſi in Scriptura inueniri. Precatur enim, *vt Deus nobis mentem inijciat cogitandi, quid ad Euangelij plantationem, & propagationem ex conſcientia ſecundum diuini verbi præſcriptum præſtare teneamur, noſtri illius veri, ac vnici paſtoris imperio, ac voci, quam in Scripturis audimus, obtemperantes.* Vbi expendenda eſt illa particula, *Quam in Scripturis audimus*, poſita enim eſt ad ſignificandum, non teneri
B nos obtemperare voci Dei in Scriptura non contentæ. Et quod de *vnico paſtore* loquitur, licèt poſſit habere verum ſenſum, vereor tamen eſſe poſitum ad excludendam vocem cuiuſcunque alterius paſtoris, etiamſi ab illo Principe paſtorũ ſuper gregem ſuum ſit conſtitutus. Et in hoc ſenſu ſuperiùs pagin. 47. *Romanæ Eccleſiæ officinam* irridet, & pag. 57. *Pernegat terreſtrem eſſe aliquem Eccleſiæ Monarcham, qui infallibilitate ſpiritus nunquã in ſuis ſententijs errare poſſit.* Quod repetit pag. 61. & 62. & ita præter Scripturã omnem aliam regulam, & fidei funda-
C mentum euertit.

Et quanuis pagin. 42. 43. & 44. videatur cum Scripturis coniungere tria ſymbola, & quatuor prima Concilia generalia, & vnanimem conſenſum Patrũ, qui primis quadringentis annis poſt Chriſtum floruerint, nunquàm tamen (quod notandum eſt) dicit, ſe credere, aut fidem adhibere niſi Scripturis. De Symbolis enim ait, *ſe in illa iuraturum*, & de Concilijs, *ea venerari, ac recipere tanquàm catholica, & orthodoxa*, vel *eis adhærere*, vt ait pag. 62. Significat ergò, in his non niti tanquam in fundamentis fidei, ſed illa 6.
D recipere, quia ſentit, & iudicat, vel non continere errorem, vel nihil docuiſſe ad fidem pertinens, quod in Scriptura non ſit. His ergò adhæret, iudicando potiùs (vt ſic dicam) Concilia, & ſymbola ſua certa ſcientia, quam de Scripturis habet, quàm illis vtendo, vt regula, & norma ſui iudicij. Quod magis declarat circa vnanimem ſenſum Patrum, dicit enim interdum, *cum illis ſentire, aut ſi non ita ſentiat, obmuteſcere, quia reprehendere non audet*: iudicio ergò ſuo ſubijcit vnanimem conſenſum antiquorum Patrum etiam

in his, *quæ tanquàm neceſſaria ad ſalutem, ſtatuunt*, ita enim expreſſe loquitur. Solam ergò Scripturam ponit tanquã proximam regulam fidei, eamq; non integram, nec quoad omnes eius partes, prout illam Eccleſia Romana, & Catholica amplexatur; ſed à canone excludit libros, quos vocat ſecũdæ lectionis, ac ordinis, illos enim omnes inter apocryphos ponit, quos Bellarminus (quem allegat) in ſecundum ordinem reponendos exiſtimauit.

Bellarmin. libr. 1. de Verbo Dei cap. 4.

7. Hoc igitur fundamentum fidei ſic acceptum, & intellectum neque ſufficiẽs, neque firmum eſſe poteſt. Quæ vt oſtẽdam, ſtatuo id, in quo inter nos conuenit, libros Scripturæ, qui primi ordinis appellantur, & canonicos eſſe, & quidquid in eis eſt, verum Dei verbum eſſe, ac proinde ex ſe, id eſt, ſi debito modo credantur, eſſe firmiſsimum fidei fundamentum. Nos autem addimus in primis non tantum hos libros, ſed etiam qui ſecundi ordinis vocantur, qui ab Eccleſia iam ſunt approbati, & in canone recepti, eſſe fidei fundamentum, & ex hac parte illud fundamentum prout à Rege accipitur, mutilum eſſe, & inſufficiens. Ad hoc autem probandum ſufficit nunc nobis authoritas Concilij Tridẽtini, quę eſt infallibilis authoritas Eccleſiæ catholicæ, vt cap. 3. & 4. oſtenſum eſt, & in pũcto ſequenti hoc etiam confirmabimus. Addimus deinde, ſolam ſcripturam, prout includit etiam omnes hos libros non eſſe integrum Chriſtianæ fidei fundamentum proximũ, & (vt ſic dicam) formale, & expreſſum. Nam licèt in quodã ſenſu quidquid fides Chriſtiana credit, dici poſsit in Scriptura fundatum, vel proximè, quia in ea formaliter continetur, vel remotè, quia in Scriptura approbatur authoritas, in qua veritates aliquæ fundantur, ſiue illa ſit traditio, ſiue Eccleſia, iuxta modum loquendi Auguſtini lib. 1. contra Creſcon. c. 32. & 33. & aliorum Patrum, quos in fine huius capitis inſinuabimus. Nihilominùs ſecundum veram, & catholicam fidem negari non poteſt, quin præter Scripturam detur in Eccleſia Chriſti verbum Dei non ſcriptum in libris canonicis, quod eadem fide, qua verbum ſcriptum ſuſcipiendũ ſit. Quæ aſſertio ſi ex inſtituto tractanda eſſet, prolixam peteret de diuinis, & humanis traditionibus diſputationẽ, ſed quia illa non ſpectat ad præſens inſtitutum, ſed ſolum obiter illam attingimus ad rem, quam intẽdimus, enucleandam, ideò breuiter authoritatè, & ratione per tranſennam tantummodò eam confirmabimus.

Libros ſacros tam primi, quàm ſecundi ordinis eſſe canonicos.

Sola Scriptura non eſt integrum, & proximũ fidei fundamentum.

Auguſt.

Verbũ Dei non ſcriptũ eadem fide, qua ſcriptũ recipiendũ.

Probatur ergò primo, quia ipſamet ſcriptura hoc diſertè ſtatuit, in ipſa enim pręcipimur tenere verbum Dei non tãtùm ſcriptum, ſed etiam ſolo ſermone, ſeu voce traditum, quod vocamus traditionem diuinam non ſcriptam. Quapropter grauiter quidem hallucinantur qui damnant, vel contemnunt, vel incertam eſſe putant omnem traditionem, tanquã humanam. Quanuis enim omnis traditio per homines cuſtodiatur, & à prioribus ad poſteriores temporum viciſsitudine perueniat: nihilominùs verbum ipſum, quod à principio prædicatum eſt, ſcriptum quanuis non fuerit, in Eccleſia per traditionem conſeruatum, poteſt eſſe diuinum, ſeu diuinam continens inſtitutionem. Aſſumptum probatur ex illo 2. ad Theſſaloni. 2. *Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiuè per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram*, in quibus verbis duo maximè ſunt animaduertenda, quę Theophylact. breuiter, & doctè tetigit, dicens, *Vel hinc etiam perſpicuũ eſt, quod pleraq; etiam ſine ſcriptis per ſermonem, id eſt, viua voce tradiderunt, non ſolùm per epiſtolam.* Ecce primum: aliud eſt, *Similiter autem, & hæc, & illa, fide digna sũt. Itaq; & Eccleſiæ traditionem fide dignam exiſtimemus. Traditio eſt. Noli amplius quærere.* Quæ ſumpſit ex Chryſoſtomo orat. 4. in eandem epiſtolam. Et idem ferè habet Theodoret. ibidem, & reliqui expoſitores, imò penè omnes Catholici ſcriptores hoc potiſsimo teſtimonio vtũtur ad probandas ex Scriptura ſacra non ſcriptas traditiones. Præter hoc verò sũt alia Scripturæ teſtimonia, in quibus ab Apoſtolis tradita credere, & tenere pręcipimur, vt 2. ad Theſſalon. 3. *Denunciamus vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Et 1. ad Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, vtiq; verbo, non dum

8.

Ad Theſſ. 2.

Theophyl.

Chryſoſt.

Theodoret.

Ad Theſſ. 3.

1. Cor. 11.

dùm enim de illo myſterio ſcripſerat, & in ſine concludit, *Cætera autem, cum venero, diſponam.* Et in principio, *Laudo,* inquit, *vos fratres, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.*

9. *Ratione cõfirmãtur traditiones.*

Ex quibus, & ſimilibus locis, quæ breuitatis cauſa omitto, poſſumus hanc elicere rationem, quia verbum Dei idem eſt, & eiuſdem authoritatis, ſiue ſcriptũ ſit, ſiue tantùm ore traditum; ergò eadẽ fide eſt ſuſcipiendum, ſi in Chriſti Eccleſia retentum, & conſeruatum ſit. Antecedens non ſolùm certum, ſed etiam per ſe euidens eſt: nam materiale ſignum (vt ſic dicam) non auget, vel minuit veritatem loquentis. Et ideò æqualiter dixit Paulus, *Siue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Imò (quod eſt attentè conſiderãdum) Chriſtus non præcepit Apoſtolis, vt ſcriberent, ſed vt prædicarent Euangelium omni creaturę, Marci vlt. & ſubdit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur;* ergò verbum tantùm prædicatum, & non ſcriptum, eſt verè verbum Dei. Vnde Paulus 1. ad Theſſalon. 2. *Cùm*

Ad Theſſ.

accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, ſuſcepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed vt eſt verè verbum Dei. Conſtat autem, *verbum auditus,* propriè, & in rigore eſſe verbum vocis, licèt ſcriptum non ſit. Hoc ergò verbum in principio euangelizatum eſt, & ſignis, ac miraculis confirmatum, iuxta illud, quod eodem loco ſubiungit Marcus, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quin potiùs ab hoc verbo ſermonis verbum ſcriptum maxima ex parte deriuatum eſt, vt Lucas in principio ſui Euangelij teſtatur, dicens, *Quoniam quidẽ multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in*

Luc.

nobis completæ ſunt rerum, ſicùt tradiderunt nobis, qui à principio ipſi viderunt, & miniſtri ſunt ſalutis, viſum eſt & mihi, &c. Eſt ergò certiſsimum, verbum non ſcriptũ eſſe æquè diuinum, ac ſubindè æquè infallibile, ac ſcriptum, & eadem fide ſuſcipiendum.

10. *Euaſio hæreticorũ re[f]utatur.*

Reſpondebunt fortaſſe, hoc quidem habere locum, ſi conſtaret, aliquod verbum Dei non ſcriptum permanſiſſe in Eccleſia, nunc autem nullum eſſe, quod

A ſcriptum non ſit. Nam verbum ſermonis, quod in principio Euangelicæ prædicationis ad fidem audientium ſufficiebat, vt pro futuris fidelibus conſeruaretur, diuina ſic diſponente prouidentia, ſcriptum eſt, nihilque neceſſarium ad ſalutem, vel plenam fidem relictum eſt nõ ſcriptum, & ideò nunc ſola Scriptura eſt regula fidei. Vt autem hęc reſponſio alicuius momenti ſit, oportet, vt hæretici nobis probent id, quod vltimo loco ponunt, nimirum, nullum Dei verbũ prædicatum relictum eſſe non ſcriptũ. Imò

B vt conſequenter loquantur, neceſſe eſt, vt ex Scripturis id probent, quia ipſi dicunt, nihil eſſe credendum, niſi quod in ſcripturis continetur. Et profectò ſi ad credendum Scriptura neceſſaria eſſet, maximè petenda eſſet ad hunc articulũ, à quo magna ex parte pendet integritas, & ſoliditas fidei, & propter quem tanta confidentia reijciuntur omnia, quæ Eccleſia Catholica credit non ſcripta. At certè aduerſarij non dicam ex ſcripturis, verum neque ex aliqua hiſtoria, aut teſtimonio fide digno id probare poſſunt. Nos autem contrarium colligimus

C ex Scripturis, nam Ioannes in fine ſui Euangelij dicit, *Sunt autem & alia multa, quæ fecit IESVS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum, arbitror, mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Et Paulus. 1. ad Corinth. 11. dicit, *Cætera autem, cùm venero diſponam,* quæ tamen ſcripta non leguntur. Et Act. 20. Paulus allegat dictum Chriſti, *Oportet* (inquiens) *meminiſſe verbi Domini IESV, quoniam ipſe dixit, beatius eſt magis dare, quàm accipere,* quod alibi ſcriptum non legebatur. Et ita potuerunt etiam multa alia omitti. Vnde antiquiſsimi Patres præter dog-

D mata ſcripta, agnoſcunt etiam non ſcripta. Nam vt omittam Dionyſium, Origenem, Tertullianum, & Clementem, locupletiſsimus teſtis eſt Irenæus libr. 3. contra hæreſes capite 2. & 3. & Baſili. libr. de Spiritu Sancto capite 27. & libr. contra Eunomium, Epiphan. hæreſi. 61. circa finem, Hieronym. libr. contra Luciferian. Auguſtin. Epiſtola 118. & 119. ad Ianuarium, & 86. ad Caſulanum, & Cyprian. in libr. de Cardinalibus Chriſti operib. capite de Ablutione pedum, vel illius operis author.

Ioan. *1. Cor. 11.* *Actor. 20*

Dionyſ. de Eccleſiaſti. Hierarc. c. 1 Origen. in princ. Periarchon, & tract. 29. in Matth. Tertull. in libr. Præſcript. & lib. de Corona milit. Clemens in Epiſtolis. *Iren.* *Baſil.* *Epiphan.* *Hieron.* *Auguſt.* *Cyprian.*

Vlteriùs verò vrgere poſſunt aduer-
11. ſarij dicentes, licet verbum Dei non ſcriptum ſecundum ſe ſpectatum potẽtiſsimum ſit ad fidem, quia tamen tranſitorium eſt, & ſua natura labile fluxũq; habetur, ſolum enim in memoria hominum, quæ facilè labitur conſeruari poteſt, ideò niſi ſcribatur, non poſſe integrum, & purum conſeruari, & ex hac parte non poſſe ad fidem fundandam ſufficere. Hæc autem reſponſio, & Eccleſiæ authoritatem labefactat, dùm ſup ponit, illam non habere Spiritus Sancti aſsiſtentiam ad verbum Dei non ſcriptum in ſua puritate conſeruandum, & conſequenter etiam verbo ſcripto diuinam aufert authoritatem, & omnia ad humanas reuocat coniecturas. Et vt vtrũque commoſtrem, liceat mihi à Rege Angliæ interrogare, an credat hos libros, quos vt Canonicos recipit, canonicos eſſe, verumque & purum Dei verbum continere, idque diuina fide, & infallibili, vel ſolum humana, propter circumlatam vbique famam, & communem hominum opinionem? Si hoc poſterius dicat, totam fidem ſuam ponit in authoritate humana, cui ſine dubio poſſet ſubeſſe falſum, niſi diuina ſimul intercedat: nam fieri non poteſt, vt maiori fide credat ea, quæ in his libris ſcripta ſunt, quam credat, hos libros eſſe canonicos, id eſt, eſſe verbum Dei, cùm ipſummet verbum Dei ſit ratio credendi cætera. Si autem certa, & indubitata fide diuina credit, in his libris eſſe purum verbum Dei, ſeu hos libros eſſe canonicos, interrogamus vlteriùs, cur hoc credat: nam hoc non poteſt credere, quia ſcriptum ſit in ipſis, tùm quia vix vnquam in illis hoc inuenietur, omnino dilucide expreſſum, tùm etiam, quia licèt inueniretur, de hoc ipſo verbo interrogaremus, cur credatur eſſe diuinum, ſeu Deo dirigente, & inſpirante ſcriptum. Ergò neceſſe eſt, vt fateatur, regulam, & fundamentum credendi ſaltem hanc particularem veritatem, ſcilicet, hos libros eſſe Scripturam diuinam, non eſſe ipſammet ſcripturam, ac ſubinde eſſe verbum Dei non ſcriptum in canonicis libris, quod nunc traditionem appellamus.

12. Imò ex verbis eiuſdem Regis in Præfatione, ſi conſtanter loqui placuerit, ad hoc concedendum compelletur. Nam pagina 44. priùs dicit, Scripturis ſe habere illam fidem, quæ à Chriſtiano homine debetur, & ſtatim ſubiungit, *Ipſa etiam apocrypha eo loco habeo, quem illis antiquitas tribuit.* Ex quibus verbis colligo, traditionem ex ſententia Regis potuiſſe dare illis libris eam authoritatem, quam eius opinione ſunt ſortitæ; quid enim eſt antiquitas, niſi traditio quædam? ergò ratione conſimili negare non poteſt, alios libros, quos cenſet maiorẽ authoritatem habere, ab antiquitate etiã illam obtinere: quæ fortaſſe in illis maior, ſeu conſtantior traditio fuit. Verũtamen ſi hac ſola coniectura ducitur ad recipiendum in canone hos libros potiùs, quàm illos, non habet ſatis firmum, & inconcuſſum ſuæ fidei, quam ita tuetur, fundamentum. Primò, quia etiamſi recepta, & indubitata hominum fama, vel exiſtimatione liber aliquis certi authoris habeatur, ſemperque ante hominum memoriam ſine controuerſia ita reputatus ſit, nihilominùs tota hæc authoritas non excedit fidem humanam, poteſtque in rigore illi falſum ſubeſſe; ergò idem erit in canonicis libris, niſi aliundè eorum antiquitas maiorem recipiat certitudinem.

Ex dictis ipſiuſmet Regis eadem veritas ſtabilitur.

Secundò, quia quanuis perſpicuum foret, libros illos fuiſſe conſcriptos, Spiritu Sancto dictante, non poteſt ſola antiquitas infallibiliter oſtendere, illos eſſe puros, ſicut à Spiritu Sancto ſunt prolati, & non eſſe decurſu temporum corruptos, vel caſu, negligentia, aut imperitia, vel malitia hoſtium fidei, præſertim Iudæorum, aut hæreticorum temeratos. 13. Tertio quia ex varijs translationibus eorundem librorum eadem ambiguitas oriri poteſt, quæ per ſolam antiquitatem, & coniecturas eius non poſſet cum certitudine, & infallibilitate auferri, vt experientia ipſa ſatis oſtendit: tanta eſt enim in lectionibus, & verſionibus varietas, & in quibuſdam etiam minutioribus partibus controuerſia, an fuerint in originali Scriptura, nec ne, vt ex ſola antiquitatis fide vix poſsit perpendi, quid omninò veriſimilius ſit, nedùm, quid ſit certum prorſus, & indubitatum.

14. Authoritas, cui Spiritus Sanctus ſpecialiter aſsiſtat, eſt in Eccleſia neceſſaria.

Ex hoc ergò diſcurſu concludimus, neceſſariam eſſe in Eccleſia certam aliquam authoritatem, cui ſpecialiter Spiritus Sanctus aſsiſtat, vt poſsit infallibiliter diſcernere libros canonicos à non canonicis, & hanc nos dicimus eſſe in Eccleſia Catholica, quæ licèt ad hoc diſcernendum neceſſariò vti debeat regula traditionis, vt diſcurſus prior ſufficienter probat, tamen quia ipſamet traditio poteſt eſſe ambigua, & quia proximè, & immediatè per manus hominum ad nos deſcendit, ideò neceſſarium eſt, vt idem Spiritus Sanctus aſsiſtat Eccleſiæ, tùm ad cuſtodiendum fideliter Scripturarum depoſitum ſibi commiſſum, tùm etiam ad approbandam cum eadem certitudine eam traditionem, quę ſufficit ad conciliandam quibuſdam libris certam fidē, & diſcernendum illam ab alia minùs cōſtante, & minùs certa. Aut igitur Rex Angliæ admittit hunc infallibilem ſpiritum in aliquo homine, vel hominum congregatione, vel negat omninò huiuſmodi poteſtatem. Si hoc poſterius eligat, omnia reducit ad vniuſcuiuſque priuatum iudicium; & fidei firmitatem, & Eccleſiæ violat vnitatem, ſicut in vltimo huius capitis puncto oſtendam. Si autem priorem partem eligat, profectò niſi ſcripturæ ipſi, & omni prudenti rationi contradicere velit, non niſi Eccleſiæ Catholicæ, vel eius capiti, hanc Spiritus Sancti aſsiſtentiam concedere poteſt, tùm quia illi tantùm promiſſa eſt, vt capite tertio, & quarto oſtendimus, tùm etiam, quia hæc aſsiſtentia non debet eſſe per ſpiritum priuatum, ſed publicum, & ad communem vtilitatem datum, vt paulò poſt impenſius enucleaturi ſumus.

15. *Auguſt.*

Æquali certitudine obſeruat Eccleſia verbum Dei nō ſcriptū, ac ſcriptum.

Eccleſiæ igitur commiſſa eſt Scripturarum cuſtodia, & illi diuinitùs datum eſt, vt fideliter, purè, ac ſincerè illas conſeruet, veraſque à falſis, certas ab incertis, & integras à mutilatis diſcernat, & ideò Auguſtinus in libr. contra Epiſtolam Fundamenti cap. 5. pronunciare non veretur, *Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret authoritas*. Ex quo principio vlteriùs concludimus, quod fuerat propoſitum, nimirum, non minori authoritate, & fidelitate poſſe Eccleſiam Dei conſeruare A verbum Dei non ſcriptum, quàm ipſas Scripturas. Tùm quia promiſsio illi facta non eſt limitata ad verbum Scripturæ, ſed ſimpliciter eſt enunciatum Eccleſiam eſſe *columnam, & firmamentum veritatis*, & Chriſtus ſimpliciter promiſit Spiritum Sanctum, qui doceat nos omnem veritatem, vtique neceſſariam, vel conuenientem Eccleſiæ. Tùm etia, quia cōiectura illa de verbo tranſitorio, & permanenti, eſt parui momēti, poſita Spiritus Sancti aſsiſtētia, & virtute. Imò differētia eſt ferè nulla, quia licèt verbū B non ſcriptum ſemel, aut iterum prolatum tranſitorium ſit, tamen vt ſæpiùs repetitum facilè conſeruatur, & ita cōtingit in corpore Eccleſiæ per frequentem confeſsionē, ac celebrationem myſteriorum fidei. Vnde dici poteſt, non ſolùm memoria retineri, ſed etiam verbis, & factis, ſeu ſignis externis fidelium ſæpè repetitis conſeruari: quin etiam, licèt hoc verbum non ſit ſcriptum in libris canonicis, ſemper vel in decretis Pōtificum, & Conciliorum, vel in Patrum monimentis manet exaratum. Aliundè verò in conſeruando verbo ſcripto in ſua puritate non fuiſſet minor difficul- C tas, & cōtingentia, ſi ſola induſtria, & diligentia humana id agendum eſſet, quia, vt diximus, facilè poſſunt ſcripta corrumpi, vel mutilari, vel nimium mutari propter varias linguarum tranſlationes, aut exemplarium tranſcriptiones. Igitur in vtroque verbo neceſſaria eſt, & ſufficiēs Spiritus Sancti aſsiſtētia, ideoq; non minùs efficax eſt ad confirmandam fidem verbum Dei non ſcriptum, quàm ſcriptum, ſi vtrumque per Eccleſiam ſufficienter proponatur.

16. Authoritate Patrum traditiones firmantur. *Irenæus.*

Atque huius veritatis grauiſsimi te- D ſtes ſunt. In primis Irenæus libro tertio contra Hæreſ. capite quarto, ſic concludit ex his, quæ de traditionibus dixerat, *Non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium diues, pleniſsimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vt omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones*. Declaranſque ampliùs ſufficientiam verbi non ſcripti, in hunc modum interrogat: *Quid autem ſi nec Apo*

ſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, non ne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias? Et in exemplum adducit multas gentium nationes, quæ fidem Chriſti ſuſceperunt, priùs quàm ſcriberetur: & per plures annos ſola traditione eam retinuerunt, priùs quam Scripturas reciperent.

17. August. Huic accedat Auguſtinus, qui in dict. cap. 5. contra Epiſtolam Fundamenti, poſt verba citata ſtatim prudentiſsimè interrogat. *Quibus ergò obtemperaui dicentibus, Credite Euangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli credere Manichæo?* quod nos mutato nomine dicere poſſum⁹, Noli credere Luthero, aut Caluino: Et deindè proſequitur, *Elige quid velis, ſi dixeris, Crede catholicis, ipſi me monent, vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non poſſum illis credens, niſi tibi non credere. Si dixeris, Noli catholicis credere, nõ rectè facies, me cogere ad Manichæi fidem, quia ipſi Euangelio, Catholicis prædicantibus, credidi.* Quo argumento ſectarios omnes, & eorum ſectatores conuincit Auguſtinus, vt vel Euãgelio credere non debeant, vtiq; quod Euangeliũ ſit, vel reliqua, quæ Eccleſia Catholica docet, credere debeant, quia negare nõ poſſunt, quin Euangelium ab Eccleſia habeant, & ſine vlla ratione illi præbeãt authoritatem in ſuſcipiendo Euangelio, nõ verò in alijs, quæ docet. Vndè ſubiungit
August. idem Auguſt. *Si dixeris, rectè credidiſti laudantibus Euangelium, ſed non rectè illis credidiſti vituperantibus Manichæũ* (vel quod perindè eſt, Caluinum) *vſq; adeò me ſtultũ putas, vt nulla reddita ratione, quod vis, credam, quod nõ vis, non credam?* quod poſteà latè, & eleganter proſequitur. Et ſimilẽ diſcurſum habet libr. de Vtilit. credend. cap. 14.

18. August. Eſt etiam inſignis locus apud eundem Auguſtinum lib. 1. contra Creſconium cap. 32. & 33. vbi & ſua authoritate, & manifeſto exemplo eandem confirmat veritatem. Agit enim ibi de non rebaptizandis ritè ab hæreticis baptizatis, docetque eſſe dogma fidei, vt re vera eſt, & priùs dicit, *Sequimur ſanè nos in hac re, etiã canonicarum authoritatem certiſsimã Scripturarum.* Et poſteà ſubiungit. *Quanuis huius rei certè de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen Scripturarum, etiam in hac re, à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod iam vniuerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat authoritas, vt quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis; eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſacra Scriptura demonſtrat.* In quibus verbis in primis confirmat Auguſtinus, quod ſuprà dixi, non omnem veritatem de fide credendam proximè, & (vt ſic dicam) formaliter in Scriptura cõtineri, quanuis remotè quęlibet veritas poſsit in Scriptura fundari, quatenùs ipſa Scriptura authoritatẽ traditionis, & Eccleſiæ commendat. Deinde teſtatur hic Auguſtinus, Eccleſiam eſſe iudicem controuerſiarum, quæ circa res fidei mouentur, poſſeque ſua authoritate confirmare, & certam reddere traditionem, de qua priùs fuerat dubitatum. Vnde obiter colligo, quam inconſtanter faciant, qui aliquos libros vt canonicos recipiunt, & alios æquè ab Eccleſia probatos à canone reijciunt, quia olim de illis dubitatum fuit. Vnde etiam Rex Angliæ, qui in ſua Præfatione ita loquitur, vel in eadem eſt inconſtantia, vel certè conuincitur, ſe non aliqua certa, & indubitata regula, ſed ſola humana coniectura duci ad hos libros admittendos, & illos reijciendos à canone, & conſequenter de neutris eorum, nec de contentis in illis habere certam fidem, & verè Chriſtianam, ſed tantùm humanam coniecturam, & opinionem.

19. Exemplis tandem veritas confirmatur. Deniq́ue ex dictis verbis Auguſtini habemus veritatem poſitam optimo exemplo confirmatam. Nam ſemel ritè baptizatum iterum baptizandum non eſſe, licèt prior baptiſmus ab hæretico datus fuerit, veritas eſt de fide Chriſtiana tenenda, quanuis in Scriptura ſacra expreſſa non ſit. Simile exemplum adducere poſſumus, quod (vt exiſtimo) nec Proteſtantes Anglicani recuſant: nimirum, infantes quoad valorem recte, & conuenienter baptizari, quod cùm non inueniatur in libris canonicis ſcriptum, ex traditione per Eccleſiam approbata receptum eſt, vt ſentit Auguſtinus epiſt. 28. & libr. 4. de Baptiſm. c. 24.

Auguſt. Cyprian. Origen. c.24.& lib.10.Gen. ad lit.c.23. & lib.3. de Peccat.mer.à c.6. cum Cypria. epiſt. 59.& Orig.hom.8.in Leuit.& hom.14. in Lucam. Eſt & aliud exemplũ de Perpetua Virginitate Deiparæ, quod licèt multi ex nouis hæreticis, ſeu Proteſtantibus fortaſſè non admittant, Rex tamẽ reſpuere non videtur, cum illam in pag. 45. Præfationis Beatam Virginem appellet. Et quicquid alij ſenſerint, nobis ſatis eſt, dogma illud vnanimi conſenſu à Patribus eſſe traditum, *Quos*, vt alibi dixit Auguſtinus, *oportet, vt populi Chriſtiani veſtris prophanis nouitatibus antepo-* *Auguſt. 2 contra Iulian. cap. 1 & 10.* *nant, eisq́; potiùs eligant adhærere, quam vobis*. Nam, vt inferiùs addit, *quod inuenerũt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperũt, hoc filijs tradiderunt*. Quo nihil aptius dici potuit vel ad cõmendandam authoritatem traditionum ex origine, vel ad declarandũ, quomodo communis Patrum conſenſus cum traditione coniunctus ſit. Videri etiam poteſt idem Auguſt. lib.1. contra *Hieron.* Iulian.c.2. Hieronym. epiſt. 50. ad Pammachi. pro libr. cõtra Iouinian. & in lib. contra Heluidi. Atque hæc videntur de hoc puncto ſatis eſſe, vt liqueat ſcripturam, licèt in ſuo ordine ſit magnum fidei fundamẽtum: non tamen eſſe per ſe ſufficientẽ quoad nos, ſine adminiculo traditionis, & Eccleſiæ, quod magis ex ſequenti capite fiet manifeſtum.

20. *Explicãtur aliqui Patres qui vidẽtur parum traditionibus fauere.* Contra hanc veritatem ex ſcripturis, vel ratione, nihil inuenio, cui reſpondere neceſſarium ſit. Ex Patribus autẽ aliqua notare, & exponere oportet, *Baſilius.* Baſilius enim Homil. de Vera, ac pia fide, ſignum ſuperbiæ certiſsimum eſſe dicit, *eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid reijcere, aut eorum, quæ non ſcripta, introducere*. Sed vel loquitur de additione in ipſa ſcriptura, aliquid apocryphum illi addendo: nam inferiùs ait, prohibuiſſe Apoſtolum, *ne quid eorũ, quæ in diuinis literis habentur, dematur, aut, quod abſit, addatur*. Vel intelligit de introductione priuata, & facta ſine authoritate in ipſa Scriptura probata. Nam *Baſil.* aliàs conſtat, ipſum Baſilium maximè commendare traditionem non ſcriptam lib.2. de Spirit. Sancto cap.27. & 28. Et in eundem ſenſum referri debet, quod ait in Morali. reg. 26. *Quidquid dicimus, vel facimus, teſtimonio Scripturæ confirmari debere*, vtiq; proximè, vel remotè, vt ipſe disertè declarauit in Regul. 1. ex breuioribus.

Sic etiã intelligendus eſt Auguſt. lib. 3. contra Petili. c.6. cùm exponens illud Pauli, *Si Angelus de Cœlo, &c.* addit, *præterquàm quod in Scripturis legalibus, & Euãgelicis accepiſtis*, vtiq́, proximè, vel remotè: nam ipſe alibi expoſuit, quod eſt contra Eccleſiam, eſſe contra Scripturã. Sic etiam dicit lib.2. de Peccator. merit. c.vlt. in re obſcura nihil eſſe audendum, non adiuuantibus certis, clariſq; Scripturæ documentis. Quidquid enim Eccleſia docet, adiuuatur certis Scripturæ documẽtis. Præterquàm quòd Auguſt. tractat de rebus obſcuriſsimis nõ definiẽdis humana præſumptione: quæ autẽ traditione approbata recipiuntur, nec obſcuriſsima dici poſſunt, nec humana præſumptione introduci. 21. *Auguſt.* *Aug. lib. 1 cont. Creſc. c.33. & vide illũ lib. de vtil. creden. c. 17.* *Idẽ Aug.*

Allegari prętereà ſolet Hieron. Matt. 23. quia de quadam opinione dicit, *Quia de ſcripturis non habet authoritatem, eadem facilitate cõtemnitur, qua probatur*. Sed ibi loquitur de quadam hiſtoria, ſcilicèt, de occiſione Zachariæ Patris Ioannis Baptiſtæ inter templũ, & altare, quæ ad traditionem, vel Eccleſiæ definitionem nõ pertinebat. Solent etiam allegare hæretici Hieronymum Aggæi.1. dicentem, *Sermo Dei percutit, quæ ſine authoritate, & teſtimonio Scripturarum dicuntur*. Sed Hieronym. circa id, *Et vocaui ſiccitatem, &c.* contra hæreticos agit, qui abſq; authoritate Scripturarum, *Quædam* (ait) *quaſi traditione Apoſtolica ſpontè reperiunt, atq́; confingunt*: vbi potiùs tacitè admittit cũ Scriptura traditionem Apoſtolicam, reprehendit autem eos, qui ſponte, & ſine fundamento illam confingunt. 22. *Hieron.*

CAPVT X.

Ex fundamento, & ratione credendi Regis Angliæ, ipſum non eſſe fidei verè Chriſtianæ defenſorem, oſtenditur.

IN hoc capite tractanda eſt alia pars fundamenti fidei Regis Angliæ, qui dum optat alios Principes Chriſtianos eſſe qualis ipſe eſt, collocantes, ſcilicet, fundamentum fidei in certa ſcientia, quã ipſi ex ſcripturis accipient, peruolutan- 1.

do illas, certum eſſe oſtendit, à ſe partam ſcientiam ſcripturæ pro fidei ſuæ fundamento ieciſſe. Ex hoc ergò fundamento, & ratione credendi ſcripturis, colligo, cum fidem verè Chriſtianam non tenere, nedùm defendere. Et in primis occurrit ſtatim admonitio Pauli ad Timotheum, *O Timothee depoſitũ cuſtodi* (vtiq; fidei, & doctrinæ, vt ipſemet Apoſtolus in altera ad Timoth. epiſtola declarauit) *deuitans prophanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem exciderunt.* Nã ex prædictis verbis Regis collatis cum verbis Pauli; ſtatim apparet, hoc Regi accidiſſe, quod Paulus prædixit, nimirũ per *falſi nominis ſcientiam*, quam profitetur, à vera fide aberrare. Nam, vt ibi rectè Chryſoſt. *Quando aliquid proprijs cogitationibus gignitur* (præſertim in diuinis myſterijs, & rebus ad fidem ſpectantibus) *ſcientia non eſt*; meritò ergo vocatur falſi nominis ſcientia, & omnium errorum occaſio, propter magnam, quã denotare ſolet, pręſumptionem. Et ideò de iſtis certam ſcientiam promittentibus dixit Auguſt. eadem Apoſtoli verba in tract. 97. in Ioan. circa finem, expendens. *Nihil ſic amant iſti, quàm ſcientiam promittere, & fidem rerum verarum, quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.* Proinde (in eodem tract. circa principiũ præmiſit prudentiſsimè) *cauete, maxime qui paruuli eſtis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus deceptis, ac deceptoribus aurem curioſam præbeatis ad incognita ſcienda, cùm mentes inualidas habeatis ad vera, & falſa dijudicãda.* Et infrà vanitatem eorum, qui, cùm ſint ignari veritatis, promittunt ſcientiã veritatis, comparat mulieri ſtultæ, & clamoſæ, & nihil omninò ſcienti, de qua dixit Salomon Prouerb. 9. *Sedit in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo vrbis loco, vt vocaret tranſeuntes, qui eſt paruulus declinet ad me, &c.* eamque comparationem latè proſequitur.

Rex Anglię iacit fundamentũ credendi propriam ſcientiam.

2. ad Tim. 1 & 2. & indicat Tertull. de Pręſcrip. & Nazian. orat. 32. & optime Vincent. Lyrin. c. 27. & ſequentibus.

Chryſoſt.

Auguſt.

Prouer. 9.

2. Præthereà interrogare libet, quid per *certam ſcientiam* Rex intelligat? Non eſt enim veriſimile, vt de illa certa ſcientia more Philoſophorum loquatur, vt ſignificat claram, & euidentem rerum cognitionem, cùm per ſe omnibus pateat, ex lectione Scripturarum non comparari

A euidentem cognitionem rerum, ſeu myſteriorum, quæ in eadem Scriptura referuntur, ideoque eademmet ſcriptura fidem exigit ſuæ veritatis, non viſionẽ. Imò ipſamet docet, fidẽ eſſe de his, quæ non apparent, ad Hebr. 11. & ideò Petrus 2. canonica cap. 1. dixit, *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Non poteſt ergò promitti, nec poſtulari propria id eſt, euidens ſcientia, quæ ſit fidei fundamentum. B Neq; etiam per certam ſciẽtiam intelligere Rex potuit ipſammet fidem, quæ & certa eſt, & quatenùs eſt excellens quædam cognitio, ſolet interdum, nomine ſcientiæ (generali quadam ratione accepto) appellari, vt 2. Cor. 5. *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus, &c.* Non potuit (inquam) Rex in hoc ſenſu loqui: nam ſuper hac certa ſcientia dicit eſſe fidei fundamentum collocandum; aliud ergò eſt fides, aliud certa ſcientia, in qua fundatur. Per certam ergò ſcientiam certum, & indubitatum Scripturæ ſenſum intelligere videtur. Duo enim accuratè diſtinxit Aug. lib. 12. Cõfeſſ. C c. 23. dicẽs, *Duo video diſſenſionum genera oboriri poſſe, cum aliquid à nuntijs veracibus per ſigna enuntiatur, vnum de veritate rerũ, alterum de ipſius, qui annuntiat, volũtate,* & c. 24. ponit exemplũ in verbis Moyſi, *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* dicens, ſe fidenter dicere, Deum in verbo ſuo creaſſe viſibilia, & inuiſibilia, non tamen ita fidenter dicere, hoc intendiſſe Moyſem per verba illa. Rex autem Angliæ è contrario ſignificat, ſe certa ſcientia conſequutum eſſe, quid Moyſes, vel alius ſcriptor canonicus ſcribere voluerit, & in hac ſcientia fundare certam fidẽ D rerum, quæ in tali ſcriptura continẽtur. Et quod mirabilius eſt, ad hunc modum fidei omnes Chriſtianos Principes inuitat, eiſque tacitè ſimilem ſcientiam promittit, ſi diuinas literas euoluant.

Hebr. 11.

2. Cor. 5.

Temeritas eſt hanc intelligentiã ſibi arrogare.

Auguſt.

Audiat verò Auguſtinum in dicto libro 12. cap. 25. dicentem ad Deum, *Plue mihi mitigationes in cor, vt patienter tales feram, qui non mihi hoc dicunt, quia diuini ſunt, & in corde famuli tui* (id eſt Moyſi) *viderunt, quod dicunt, ſed quia ſuperbi ſunt, nec nouerunt Moyſi ſententiam, ſed amant* 3.

Auguſt.

ſuam

ſuam, non quia vera eſt, ſed quia ſua eſt. Et intra, *Iſta temeritas non ſcientiæ, ſed audaciæ eſt, nec viſus, ſed typhus eam peperit.* Et Vincent. Lirinenſis c. 14. poſtquā mul- Lyrian. tis verbis depinxerat hæreticos dicētes, *Nobis authoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate, quæ tenebatis, relinquite antiquam fidē, &c.* Subiungit, *Horreo dicere, ſunt enim tam ſuperba, vt ne refelli quidem ſine piaculo poſſe videantur.* Sufficit ergo nobis, verba Pauli aduerſus hanc ſcientiam obijcere dicentis ad Roman. 12 Roman. 12. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei,* quē Irenæus. locū tractans Irenæus lib. 5. contra hæreſ. cap. 20. legit, *Sed ſapere ad prudentiam,* cenſetque ibi contineri admonitionem, & cautionem ab hæreticis, de quibus, ait, *Qui confitentur ſemetipſos habere agnitionē boni, & mali, & ſuper Deum, qui fecit eos, iaculantur ſenſus ſuos impios. Supra igitur ſentiunt, quàm eſt menſura ſenſationis.* Sapere igitur ad prudentiam, dicit eſſe ab his cauere, *Ne manducantes* (inquit) *illorum agnitionem eam, quæ plus quàm oportet, ſapit, proijciamur de paradiſo vitæ,* per quem Eccleſiam intelligit, de qua prius dixerat, *Confugere oportet ad Eccleſiam, & eius ſinu educari, & Domini Scripturis enutriri, plantatus eſt enim Eccleſiæ paradiſus in hoc mundo; ab omni ergò ligno paradiſi eſcas manducabitis, ait Spiritus Dei, id eſt, ab omni diuina Scriptura manducate, ſuper elato autem ſenſu ne manducaueritis, neque tetigeritis vniuerſam hæreticam diſſenſionem.* Quis autem elatiorem habet ſenſum eo, qui præſumit ſe certa ſciētia ſenſum Scripturæ Sacræ, eam tantū peruolutando, acquiſiuiſſe

4. Interrogo enim vlteriùs à Rege, quo Doctore, quo duce, hanc certam ſcientiam Scripturæ conſequutus ſit, & alijs comparandam offerat? Reſpondebit, vt opinor, quod alius apud Auguſtinum, *Cum legerem per me ipſe cognoui,* hoc enim ſignificat, cum ait, *Neque ſuper aliorum incertis opinionibus, ſed veſtra ipſorum certa ſcientia fidei fundamenta collocare.* Sed quid Auguſtinus? proſequitur, & dicit, *Ita ne eſt? nulla imbutus poëtica diſciplina Terentium Maurum ſine magiſtro attingere non auderes, &c. Tum in eos libros, qui quoquo modo ſe habeant, ſancti tamen, diuinarumque*

De Vtilit. credendi c. 17.

ſacra pagina non poteſt abſque Doctore Germane exponi.

A *rerum pleni prope totius generis humani cōfeſſione diffamantur, ſine duce irruis, & de his ſine præceptore audes ferre ſententiam.* Eſt igitur hæc præſumptio à Sanctorum Patrum ſpiritu aliena, & teſte Auguſt. in eodem lib. cap. 17. matrem habet ſuperbiā. Verba eius ſunt, *Si vnaquæq; diſciplina, quāquam vilis, & facilis, vt percipi poſsit, Doctorem, aut magiſtrū requirit, quid temerariæ ſuperbiæ plenius, quā diuinorū ſacramētorū libros, & ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere, & incognitos velle dānare?* Deinde eſt contra ordinariā Spiritus Sācti pro- B uidentiam. Ad quid enim Paſtores, & Doctores Spiritus Sanctus Eccleſiæ prouidit, ſi ſcripturarum ſenſus non a Doctoribus, ſed proprio ingenio, & induſtria cōparandus eſt? Aut quomodo illa, quā Paulus requirit, prudentia, aut modeſtia poteſt vnuſquiſque fidelium non ſolùm ſe ipſum in intelligentia ſcripturæ Doctoribus Eccleſię præferre, verum etiam ſolum ſuū ſenſum certam ſcientiam exiſtimare, & quidquid ab eo diuerſum eſt, tanquam incertam hominum opinionē relinquere.

Auguſt.

Longe quidem aliter de ſe ſentiebat C Auguſtinus. qui lib. 3. Cōfeſsion. cap. 5. 5. ſic inquit, *Inſtitui animū intendere in Scripturas Sanctas, vt viderem quales eſſent: & ecce video rem non compertam ſuperbis, neq; nudatam pueris, ſed inceſſu humilem, ſucceſſu excelſam, & velatam myſterijs: & non eram ego talis, vt intrare in eam poſſem, aut inclinare ceruicem ad eius ingreſſus.* Vnde D. Baſilius in Regulis breuioribus in 235. interrogat, *Nunquid oporteat multa ex Scripturis ediſcere?* & in ſumma reſpondet, Epiſcopos, Paſtores, vel Doctores Eccleſiæ id maximè curare debere, de cę- D teris vero ait, *Vnuſquiſque memor verborū Apoſtoli non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram, quæ officij ſui ſunt, ſtudioſe diſcat, & perſequatur, neque curioſe vlteriùs quidquam inquirat.* Atque in eundem modum exponit dicta verba Apoſtoli Ambroſius, & inter alia ait, *Neque enim ſiquis bonæ vitæ eſt, ex eo ſibi etiam doctrinæ prudentiam debebit defendere.* Et quidem quādo omnis authoritas deeſſet, ratio ipſa naturalis, & experientia docet, vanum eſſe omnibus fidelibus, etiam illiteratis, & ineruditis, & negotijs

Auguſt.

Baſil.

 ſecula-

ſecularibus implicatis per ſolam ſimplicē, licèt frequentem, lectionem Scripturarū certam illarum ſcientiam promittere.

6. *Hieron.* *Apocal. 2. & 5.* Rectius quidē Hieronym, epiſt, 103. ad Paulin. ſcripturam dicit eſſe librum ſignatum ſigillis ſeptem, *quem etiam literati aperire non poſſunt, niſi ille reſerauerit, qui habet clauem Dauid.* Ideòq; multū laudat modeſticam Eunuchi, Philippo interroganti *Putas ne, intelligis, quæ legis?* repondentis, *Quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi.* Et ſtatim magna humilitate de ſe ipſo dicit, *Ego nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior.* Et infra ita concludit, *Hæc à me breuiter perſtricta sūt, vt intelligeres, te in Scripturis Sanctis ſine præuio, & monſtrante ſemitam, non poſſe ingredi.* Et poſteà valde cōqueritur, quod in omni arte etiam viliſsima nemo ſine Doctore poteſt eſſe, quod cupit. *Sola* (inquit) *Scripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſsim vindicant, hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hāc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcāt.* Quibus verbis huius temporis ſectarios depingere videtur, ſed in eis illud magis portentoſum, magisque periculoſum eſt, quòd à ſingulis fidelibus illā certam ſcientiam pro ſuæ fidei fundamento exigunt. Nam hinc neceſſariò fit, vt quibuſdam ſit impoſsibilis fides, qui non ſolum certam illam ſcientiam aſſequi non valent, verū etiam nec probabilis intelligentiæ Scripturarum ſunt capaces; alijs verò qui maioris acuminis ſunt, occaſio

Aug. datur & ſe præcipitandi, & alios perturbandi. Et ideò ſapientiſsimè monet Auguſtinus de Vtilit. credendi cap. 10. neceſſarium eſſe vt fides ſcientiam antecedat. Ita vt, *etiā ij, qui valent volare, ne cui ſit periculoſum inuitamentum paulìſper cogantur incedere, quam etiam cæteris tutum eſt. Hæc eſt prouidentia veræ religionis, hoc iuſſum diuinitus, hoc habetis maioribus traditū, hoc ad nos vſque ſeruatū, hoc perturbare velle, atque peruertere, nihil eſt aliud, quàm ad veram religionem ſacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec ſi eis concedatur, quod volunt, poſſunt quò intendunt peruenire: cuiuſmodi enim libet excedāt ingenio, niſi Deus ad ſit, humi repunt*

7. Tandem vt ad priuatum ſpiritum, quē Rex indicat, faciamus gradū de hac eadē ſcientia, quæ certa dicitur, inquiro, qua-

A lis ſit eius certitudo? id eſt, an ſit humana ſolaque vi, & acumine ingenij ex lectione Scripturæ, & ſignificatione verborū eius comparata: vel ſit diuina ab Spiritu Sancto data per ſpecialem gratiam, & donationem? Quidquid horum dicatur, certitudini, & vnitati fidei repugnat, & grauiſsima habet incommoda; ergò non poteſt talis ſciētia certa eſſe fidei verè Chriſtianæ fundamentum. Prior pars facilè oſtendi poteſt. Primò quia ſi ſcientia illa ſolum habet certitudinem ex humano diſcurſu, & coniectura, & illa eſt fundamentū fidei, non poteſt fides certior eſſe,

Dilēma eff[icax] contra certam ſcie[n]tiam à rege præſumptā

B cùm non poſsit ædificium firmius eſſe, quam fūndamentum. Deinde iam non Scriptura Sacra, ſed ſenſus humanus erit fidei fundamentum: nam vt rectè præmonuit Hieronymus, in cap. 1. epiſt. ad Galat. *Non eſt putandum in verbis Scripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonū folijs, ſed in radice rationis.* Vnde ſubinſert. *Tunc Scriptura vtilis, eſt audientibus, cùm abſque Chriſto non dicitur, abſque Patre non profertur, & ſine ſpiritu non eam inſinuat ille qui prædicat, alioqui & diabolus, qui loquitur de* *Hieron.*

C *Scripturis, & omnes hæreſes ſecundum Ezechielem indè ſibi conſuunt ceruicalia, quæ ponant ſub cubito vniuerſæ ætatis.* Et tandem concludit, *Grande periculum eſt in Eccleſia loqui, ne fortè interpretatione peruerſa ex euāgelio Chriſti fiat Euangelium hominis, vel quod peius eſt, diaboli.* Multo ergò maius periculum eſt, ſi vnuſquiſque credentiū fundamentum ſuæ fidei in ſua priuata interpretatione, in ſuoque humano ſenſu ponat, ſic enim non ſolum Euangelium Dei fiet hominis, ſed etiam tot erunt Euangelia, Scripturæ totidem quot ſunt *Ezech. 13.*

Quam periculoſum ſit fidei fundamentum in priuato ſpiritu colloca[re].

D capita hominum. Quod ita eleganter explicuit idem Hieronymus contra Luciferianos in fine. Dialogi, dicens, *Nec ſibi blandiantur ſi de Scripturarum capitulis videntur ſibi affirmare, quod dicunt, cùm & diabolus aliqua de Scripturis ſit loquutus, & Scripturæ non in legendo conſiſtant, ſed in intelligendo, alioqui, ſi literam ſequimur, poſſumus, & nos quoque nouum nobis dogma cōponere, vt aſſeramus in Eccleſia non recipiendos, qui calceati ſunt, vel duas tunicas habēt.* *Hieron.*

Denique res ipſa per ſe ſpectata etiam impoſsibilis apparet, qui enim fieri poteſt, vt per ſolum diſcurſum, & coniecturam 8.

ram humanam quiſpiam ſcripturam legendo, ſenſum a Spiritu Sancto intentũ certiſsimè aſſequatur? Nam hæc certitudo, cùm non proueniat ex fide diuina, vt in hoc mẽbro ſupponitur: oportet, vt in aliqua euidentia fundetur: alioqui non erit certitudo ſecúdum rationem, ſed ex ſola pertinacia, voluntatiſque peruicacia. In tali autem materia euidentia eſſe non poteſt; tùm quia mens, & intentio Spiritus Sancti occultiſsima eſt, & poteſt eſſe multiplex: tùm etiam, quia in ipſorum verborum ſignificatione poteſt eſſe ambiguitas: tũ deniq; propter innumeras alias difficultates, quę in diuinæ Scripturæ interpretatione occurrunt. Illa ergò certa ſcientia hoc modo explicata non eſt niſi volũtaria quædam pertinacia pro arbitratu effecta, qua vnuſquiſq; vult eſſe certum, quod ſibi magis placet, vt acutè diſcurrit, & cõuincit Auguſtinus lib. 11. contra Fauſt. cap. 2. Vbi loquitur de hæreticis, qui pro ſuo arbitrio partem aliquã Scripturæ, quæ pro illis eſt, admittunt, & aliam, quæ contra illos eſt, eo ipſo reſpuunt, & canonicam eſſe negant: & ita ſe ipſos faciunt regulam veritatis. Eodem autem modo applicari poteſt ad iudicium de vero ſcripturæ ſenſu, in quo, vt cum Hierony. dixi, vera Scriptura conſiſtit. *Auguſt.*

9. Supereſt, vt alteram propoſiti dilẽmatis partem diſcutiamus. Illam enim maximè videntur ſectarij intendere, cũ dicunt, iudicium de vero ſenſu Scripturæ non eſſe ab Eccleſia ſumendum, ſed ex proprio vniuſcuiuſque ſpiritu, non humano, ſed diuino mouente vnunquemq; vt certè, & infallibiliter ſenſum à Spiritu Sancto intentum attingat, & hunc ſpiritum, quem priuatum vocant, volunt eſſe regulam fidei. Sed hic etiam error in hoc ſenſu intellectus non ſolum diuinæ Scripturæ, & Patribus, ſed etiam rectæ rationi euidenter contrarius eſt, quod in ſequẽti capite ex profeſſo oſtendendũ eſt.

CAPVT XI.

Veræ fidei Chriſtianæ fundamentum non eſſe in priuato ſpiritu ponendum.

1. VERITAS hæc authoritate ſimul, & ratione facilè demonſtrari poteſt. Primo enim Diuina

A Scriptura duo vbique monet. Vnum eſt vt in controuerſijs fidei regulam Eccleſiæ conſulamus; alterũ, vt priuatum ſpiritum timeamus, præcipuè ſi à communi regula diſcordauerit. Primum patet, etiã in veteri teſtamẽto Deuteron. 17. *Si quid ambiguum, & difficile occurrerit, aſcendes ad locum, &c.* Et de ſacerdote dicitur Malach. 2, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiã & legem Dei requires de ore eius.* Et Chriſtus Dominus dixit Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, omnia quæcumque dixerint vobis facite,*

In controuerſiis fidei regulã Eccleſiæ teoẽdã eſſe ex ſcriptura cõprobatur.

Deut. 17.

Malach. 2

Matt. 23.

B quod ſine dubio multò magis pro ſua Eccleſia dixit: & pro Cathedra, quam in ſua Eccleſia erecturus erat, iuxta ſuperius dicta cap. 4. Et ita videmus eſſe ab Apoſtolis obſeruatum Actor. 15. Vbi quæſtionem ortam de legalibus, non priuato, ſed communi ſpiritu definiendam crediderunt, dicentes, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Sic etiam Paulus, quanuis non dubitaret ſe habere infallibilem Spiritus Sãcti directionem, nihilominùs aſcendit Hieroſolymam, vt cum alijs Apoſtolis, præſertim cum Petro Euangelium ſuũ communicaret, *Ne fortè* (inquit ipſe) *in*

Actor. 15

C *vanũ currerem, aut cucurriſſem*, ideſt, vt toti Eccleſiæ per vniuerſalem regulam doctrina eius probaretur, vt ibidem Hieronym. notauit, & epiſt. 87. quæ eſt etiã 11. inter Epiſtolas Auguſtini, & Tertul. lib. 4. contra Marcionem cap. 2.

Ad Gal. 2.

Cor. 15.
Tertul.

2. Secundum etiam conſtat ex verbis Ioan. 1. canonica cap. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Quo teſtimonio abutuntur hæretici ad probandum, vnunquemq; Chriſtianum eſſe debere iudicem doctrinæ, & Scripturæ. Quod eſt ſufficiens exemplum ad demonſtrandum, quantũ ſit pe-

1, Ioan. 4.

In rebus fidei priuatũ ſpiritũ cauẽdũ eſſe, Scriptura oſtẽditur.

D riculi, & erroris in hoc priuato ſpiritu, & in vſurpando proprio iudicio de certo ſenſu ſcripturarum: cum tã facile ſit prauo ſpiritui eadem verba contra intentionem Spiritus Sãcti interpretari, vt in hoc loco dilucidatur. Nam Ioannes Apoſtolus in illis verbis monet fideles, vt non facilè credant priuatis motionibus, impulſibus, ſeu cogitationibus ſine magna probatione, & diſcretione. Hæc autem probatio non debet eſſe per eundem ſpiritũ priuatum, nam idem eſſet in tali probatione periculum; debet ergò eſſe per aliã notio-

Refert Petrus Soto contra Brentium.

Germana interpretatio

notiorem, & certiorem regulã. Et omiſſo ſpiritu practicè mouente ad opus (propter quem maximè datur diſcretio ſpiritũu; de qua loquitur Paulus. 1. ad Corint. 12.) loquendoq; de probatione ſpiritus in materia doctrinæ, ſola illa, quæ fit per regulam Eccleſiæ, qualis eſt eiuſdem Eccleſiæ definitio, ſufficiẽs eſt. Ideoq; quãdo ſenſus priuatus Scripturæ eſt contra doctrinam ab Eccleſia definitam, certum eſt, non eſſe à bono ſpiritu, ſed à malo: quandò verò nõ fuerit contra doctinam Eccleſiæ, donec ab illa probetur, non erit exploratum qualis ſit, ſed ex alijs coniecturis, & pręſertim ex maiori, vel minori conſonantia ad doctrinam Eccleſię probandus eſt. Et ita intellexerunt hunc locum ſancti Patres, dicentes, præmunire nos his verbis Ioannẽ contra omnes priuatos hæreticorum ſpiritus, & doctrinas Eccleſiæ contrarias, vt latè proſequitur Auguſt. id colligens ex verbis ſequentibus Ioannis, in ſerm. 30. & 31. de verb. Apoſt. idẽ ſuadet Anacletus Papa epiſt. 1. Vbi cum his verbis coniungit alia eiuſdẽ epiſt. cap. 2. *Vos quod audiſtis ab initio in vobis permaneat*, & infrà, *& ſicut docuit vos* (vtiq; per Apoſtolos, & Eccleſiã Catholicam) *manete in eo*. Idẽ tradit optime Athanaſius Orat. 1. contra Arianos circa principi. vbi tractans hunc locum inter alia dicit, quod *Dæmon omnium hæreſum parens nomen ſaluatoris profitetur, Scripturarumq́ dictionibus amicitur, & verba quidem profert, veram tamen inde ſententiam ſuffuratur, ac deinde intellectu, quem ipſe confinxit, dolis inumbrato, erroneorum homicida efficitur.*

A | B | C (margin letters)

1. Cor. 12. — Auguſt. — Anaclet. Papa. — Athanaſ.

3. — 2. ad Theſ. 2.

Hinc etiam Paulus 2. ad Theſalon. 2, *Rogamus* (inquit) &c. *vt non citò moueamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, &c*, Vbi cõtra duos deceptores præuenit, ſpiritũ, ſcilicet, & ſermonem falſorum prophetarum, de quibus. 2, ad Corinth. 11. dicit, *Pſeudoapoſtoli ſunt operarij ſubdoli transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti, & non mirum, ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis: non eſt ergò magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ.* Vnde omnia, quę in ſcripturis efferũtur de cauendis falſis prophetis, vt Ezechiel. 13. & Deuter. 13. 2. Petri, 2. &c. de hoc priuato ſpiritu prolata eſſe, non immeritò exiſtimari poſſunt: Nam idẽ eſſe ſolet qui in falſis prophetis loquitur, quãdo contra doctrinam priùs reuelatã docent, aut prophetant, quos per hanc regulam eijciẽdos eſſe in loco Deuteronomij 13. traditur, Denique idem intendit Paulus ad Galat. 1. cùm dicit, *Si Angelus de Cœlo euangelizet vobis, præter quàm quod euangelizauimus vobis, anathema ſit*, per quam exaggerationem voluit ſignificare Paulus, ſpiritum priuatum, ſiue noua docentem, ſiue ſcripturam exponentem cõtra catholicam doctrinam priùs in Eccleſia receptam, non poſſe eſſe ſpiritum cœleſtem, ſed vel humanũ, vel diabolicũ, vel mundanum, iuxta diſtinctionem Bernardi ſermone de Sex, vel ſeptem ſpiritibus, quem locum Patres etiam ita intellexerunt, vt ſupra cap. 2. retuli.

D (margin letter)

2. Cor. 11 — Ezech. 13 — Deut. 13. — 2, Petr. 2. — ad Gal. 1. — Bernard.

4. — Priuatũ ſpiritum non eſſe regulã fidei, ex Patrib. oſtenditur. — Auguſt. — Vincent. Lyrin. — Hierony. — Damaſc.

Nõ poteſt ergò priuatus ſpiritꝰ eſſe regula fidei catholicæ, ſed potiùs per hãc regulã ipſe diſcernendus eſt. Vt paſſim docent Patres, præſertim Auguſt. de Vnit. Eccleſ. cap. 11. & 19. & optime in Proœmi, de Doctr. Chriſt. vbi expectare hunc ſpiritum, dicit, eſſe *tentare Deum*, & cauendas eſſe tales cogitationes, *Vt ſuperbiſſimas, & periculoſiſſimas*. Idẽ Vincen. Lyrinen. cap. 14. latè. Denique hoc ipſum eſt, quod innuit Hierony. epiſt. 152. ad Minerium, & Alexandrum circa finem his verbis, quæ Saluatoris eſſe dicit: *Eſtote probati numularij, vt ſiquis numus adulter eſt, & figuram Cæſaris non habet, nec ſignatus moneta publica, reprobetur, qui autem Chriſti faciem præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur.* Sola autem Eccleſia Catholica claro lumine cernitur, vt ſuprà oſtendi, & ipſa ſola publicũ habet ſigillum ad conſignandam veram Scripturam, & verum ſenſum eius. Eandemq; ſententiam imitatus eſt Damaſcenus libr. 4. de Fide cap. 18. vbi poſt ſacræ Scripturę commendationem ſubiungit, *Illud nobis curæ ſit, vt probi numulary ſimus, verum, nimirum, ac purum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes.* Ex his igitur ſatis conſtat, quàm ſit hic priuatus ſpiritus, prout à Sectarijs extollitur, à Sanctorum Patrum ſpiritu, & ſenſu alienus, & ex his demum quæ in ſequẽtibus rationibus afferemus, idem quoque euidentius euadet.

5. Ratio ergò prima contra prædictum erro-

Ratione ſtabilitur eadem veritas.

errorem ex proximè dictis ſumi poteſt. Nam fides verè Chriſtiana cõmunis eſt, & publica; ergò fundamentum eius etiã eſſe debet publicum, & cõmune. Antecedens per ſe notum eſt, quia fides Catholica omnibus credenda proponitur, & vnitas, & concordia in hac fide omnibus præcipitur; eſt ergò res cõmunis, & publica. Vnde rectè Auguſtinus lib. 11. Confeſsion. cap. 25. *Veritas tua* (dicit ad Deum) *nec mea eſt, nec illius, aut illius, ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionẽ publicè vocas, terribiliter admonens nos, vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea: nam quiſquis id, quod tu omnibus fruendum proponis ſibi propriè vendicat, & ſuum vult eſſe, quod omnium eſt, à communi propellitur ad ſua, hoc eſt, à veritate ad mendacium. Qui enim loquitur mendacium de ſuo loquitur.* Vnde facile probatur prima cõſequentia: tùm quia (vt more Philoſophorum loquamur) menſura, & menſuratum debent eſſe homogenea: fundamẽtum autem fidei eſt regula, & menſura fidei, neque ipſum poteſt eſſe adæquatũ, & cõmenſuratũ fidei, ſi cùm ipſa ſit publica, & communis, ipſum particulare ſit, & priuatum: tùm etiam, quia non eſt conſentaneum diuinę prouidentiæ dirigere, & gubernare homines per ſpiritum priuatum, ad eligendam fidem, quæ debet eſſe communis.

Auguſt. — *Ioan.* 8.

5. 2. Ratione. Quod magis ſecunda ratione explicatur, quia vt hoc fidei fundamentum firmum ſit, & infailibile, neceſſaria eſt Spiritus Sancti aſsiſtẽtia, ſeu ſpecialis directio, vel illuminatio in dijudicando vero ſenſu ſcripturæ; hæc autem aſsiſtentia non eſt promiſſa ſingulis fidelibus ſcripturã volutantibus, & priuatim de illius ſenſu iudicantibus, ſed eſt promiſſa Eccleſiæ, vel Paſtoribus eius, præſertim in ijs, quæ ad fidem neceſſaria ſunt, ergò non priuatum iudicium, ſed publicum Eccleſię debet eſſe fundamentum fidei. Maior ſatis ex dictis eſt probata, quia, ſublata Spiritus Sancti aſsiſtentia, relinquitur ſpiritus purè humanus, qui frequenter fallitur, ideòque certæ fidei fundamentum eſſe non poteſt. Et prætereà probatur verbis Petri dicta Epiſtola ſecunda, capit. 1. vbi cùm dixiſſet, *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, &c.* Subiungit. *Hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*, id eſt, proprio ingenio, quod maximè habet verũ de interpretatione certa, quæ non poſsit à verò ſenſu Spiritus Sancti diſcrepare, Cuius veritatis rationem ſubiungit Petrus dicens, *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sãcto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.* Quaſi diceret, eodem ſpiritu interpretãdam eſſe Scripturam, quo facta eſt, *Solus autem ſpiritus ſcrutatur omnia, etiam profũda Dei, ſicut enim quæ ſunt hominis nemo nouit, niſi ſpiritus hominis, ita quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei.* 1. ad Cor. 2.

2. Petr. 1.

Minor autẽ propoſitio quoad poſteriorẽ
partem de aſsiſtentia Spiritus Sancti pro 6.
miſſa Eccleſiæ, & capiti eius probata eſt à nobis in cap. 3. & 4. quia in promiſsione fidei perpetuæ, & indeficientis in Eccleſia, hæc promiſsio continetur. Præter quàm, quòd Chriſtus etiam promiſit, & aſsiſtẽtiam ſuam, & Spiritum Sanctum, qui doceret Eccleſiam omnem veritatẽ, vtique neceſſariam, vel quouis tempore opportunã, ad quam maximè ſpectat vera, & certa intelligentia ſcripturarum in rebus neceſſarijs. Alteram verò partem, in qua abnuimus, hanc promiſsionem factam eſſe ſingulis fidelibus, in primis probamus aliquem ſcripturæ locum petentes, in quo facta ſit, quem meritò poſſumus petere ab his, qui negant aliquid eſſe credendum, quod ſcriptum nõ ſit, nullũ autem, vel apparentem locũ afferre poſſunt, Nam licet. 1. Ioan. 2. dicatur, *Vnctio docebit vos de omnibus*, & Ioan. 6. *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.* Hæc, & ſimilia intelliguntur ſecundum modum, & ordinem congruentem diuinæ prouidentiæ, & in Scripturis ſacris ſignificatum. Docet enim Paulus. 1. ad Corinth. 12. & ad Roman. 12. & ad Epheſ. 4. varia eſſe dona Spiritus Sancti in Eccleſia, interquæ ponuntur donum prophetiæ, interpretatio ſermonum, diſcretio ſpirituum, & additur, nõ omnibus conuenirè actus & miniſteria horum donorum, quia *omnia membra corporis non eundem actum habent. Nam ſi totum corpus oculus, vbi auditus?* & ſimiliter dicere poſſumus, ſi omes ſcientes, vbi diſcipuli? Ad quid Doctores?

Aſsiſtentiã infallibilẽ Spiritus Sãcti nõ eſſe ſingulis fidelibus promiſſam.

1. Cor. 2.

Docet ergò Spiritus Sanctus omnes 7.
ordinato

ordinato modo, cõmunem videlicet plebem per Doctores, ipſos autem Doctores per cõcilia, & maximè per Vicariũ Chriſti. Et in hoc etiã ordo, & modꝰ ſeruatur. Nam Spiritus Sanctus omnibus aliquo modo immediatè præbet auxilium ad ſupernaturalem doctrinam recipiendam, vel tradendam, iuxta vniuſcuiuſque munus, ſeu neceſsitatem: Et ita omnes fideles iuuat, & illuminat interiùs ad credẽdũ ea, quæ per ſuos prædicatores docet, nam *fides ex auditu,* vt Paulus ait, quia Deus communi lege nõ docet homines, niſi per homines. Ideò enim interrogat ibi Paulus, *Quomodo credẽt ſine prædicãte?* tamen quia *neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementũ dat Deus,* ideò ſemper eſt neceſſaria interior gratia Spiritus Sancti ad fidem concipiendam, & hoc modo omnes ſunt docibiles Dei. Vt Auguſt. tum ibi, tũ paſsim contra Pelagianos expoſuit. Paſtores vero, & Doctores Eccleſiæ per ſpecialiora auxilia, & dona docentur à Spiritu Sancto, quãtum ad commune bonum Eccleſiæ expedit, & ideo vt plurimùm id non facit per expreſſas reuelationes, neq; per iudiciũ infallibile, ſed quatenùs oportet, & quantũ cuiuſq; ſtatus, & munia poſtulauerint. Põtifex autẽ Max. & Concilia legitima, quando definiũt, docent per ſingularem aſsiſtentiam, ita vt errare non poſsint, ne omnem Eccleſiam in errorẽ inducant.

Vide Aug. in Proœm. de Doctri. Christ.

Quomodo Spiritus Sãctus omnes doceat.

Ad Rom. 10.

1. Cor. 3.

Auguſt.

9. Neque negamus, interdum Spiritum Sanctũ priuatim docere aliquos de myſterijs fidei, vel de vero ſenſu Scripturæ tali modo, vt eos reddat certos de veritate doctrinæ, vel de ſenſu reuelato. Tamẽ hæc eſt ſpecialis gratia, quæ non poteſt omnibus fidelibus generatim attribui, & ideò Paulus ſuperius allatus dixit de his donis, *Spiritꝰ diuidit ſingulis, prout vult* & Petrus 1. epiſt. c. 4. *Vnuſquiſque prout accepit gratiam, illam adminiſtrantes.* Et prætereà talis priuata doctrina, ſeu reuelatio priùs accuratè probanda eſt, iuxta illud, 2. ad Theſſalo. 4 *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* At prima, ac præcipua probatio eſt, vt non ſit contra antiquam, & receptam Eccleſiæ doctrinam, quia Deus non poteſt eſſe ſibi contrarius. Et deinde vt ſit conſentanea bonis moribus, & quæ tantum Doctorem deceat. Ac deniq; ſi talis priuata reuelatio per aliqua

Spiritus Sãctus interdum aliquibus ex priuilegio ſpecialiter aſſiſtit.

1. Petr. 4.

2. ad Theſ. 4.

A certa ſigna Eccleſiæ nõ proponatur ſufficienter, eſſe poterit vtilis recipienti, nõ tamen valere poterit ad fidem certam apud alios fideles faciendam, vt Innoc. 3. ſapienter docuit. Quia aliàs ſæpiſsimè fideles manifeſto periculo erroris exponerẽtur. Cùm ergo hæretici nec ex Scripturis nobis oſtendant illam priuatã ſcientiam ſibi, vt fingunt, certam ex infallibili aſsiſtenta Spiritus Sancti, neque etiã ſignis, aut virtutibus illam oſtendant, cur illis credendum eſt præſertim cũ ea, que per talem ſcientiam opinãtur, ipſi Spiritui Sancto per Eccleſiam loquenti contraria ſint? B Et mirabile profectò eſt, vt velint nobis priuatum ſpiritum infallibilem venditare, & perſuadere, ſine vllo indicio, vel teſtimonio Spiritus Sancti, cũ ipſi in publico Eccleſię iudicio de doctrina fidei certam Spiritus Sancti aſsiſtentiã manifeſtè promiſſam audeãt pernegare.

Innoc. 3. cap. *Cũ ex iniũcto,* de Hęret. & cap. *Niſi cum pridẽ,* de Renũt.

Tertia ratio addi poteſt, quia non eſt minùs neceſſaria, ac ſufficiens infallibilis aſsiſtentia Spiritus Sancti ad iudicandũ de virtute ipſius ſcripturæ, id eſt, qui libri eius ſint cononici, diſcernendo illos à non canonicis, quàm ad iudicium certum ferendum de vero ſenſu ſcripturæ, vt ſupra viſum eſt. C Sed Spiritus Sancti aſsiſtẽtia ad prius iudiciũ de legitimis libris non datur ſingulis fidelibus: nec exiſtimo fuiſſe hactenùs hæreticũ hominem adeò ſuperbum, vt ſibi arrogauerit ſpiritũ priuatum diſcernendi canonicos libros à nõ canonicis, neque tam ſtolidum, vel temerarium, vt dixerit, hoc iudicium eſſe cõmittendum, vel permittendum ſingulis credẽtibus pro vniuſcuiuſq; arbitrio, ſeu ſomniato ſpiritu. Illa ergò aſsiſtentia quoad hoc iudicium ad Eccleſiam, vel eũ qui Chriſti vices gerit in terris, referenda eſt. D Ergò idem dicẽdum eſt de ſpiritu attingendi infallibiliter verũ Scripturæ ſenſum; nam eſt eadem ratio, eademq; neceſſitas. Atq; hanc rationem attigit Auguſtin. lib. contra Epiſt. Fundamenti. c. 5. & de Vtilit. creden. cap. 14. cuius ſententias iam in ſuperioribus retuli, & in ſumma continent, *Cui obtemperamus, & credimus dicenti hunc librum eſſe Euangelium, eidem eſſe credendum dicenti, hunc eſſe ſenſum Euangelij,* quia vtrumq; non fit certũ, niſi per eundem ſpiritum, quia (vt ſæpè ex Hieronymo dixi) Euangelium magis in ſen-

10. 3. Ratio.

Auguſt.

ſenſu conſiſtit,quam in mēbranis. Vndè valdè diminuta fuiſſet prouidentia Dei circa Eccleſiā ſuam,ſi dediſſet illi ſpiritū, quo de ſacris libris certa fieret, & non de illorū ſenſu,cùm ad certitudinē fidei parū proſint libri ſacri,niſi de ſenſu etiā illorum ſimilis certitudo habeatur. Meritò ergò dixit Irenæus lib.4. contra Hereſ. cap.25. *Vbi chariſmata Domini poſita ſunt, ibi diſcere oportet veritatem,apud quos eſt ea quæ ab Apoſtolis Eccleſiæ ſucceſsio, & id, quod eſt ſanum,& irreprobabile conuerſationis,& inadulteratum, & incorruptibile ſermonis conſtat. Hi enim & fidē noſtram cuſtodiūt,et Scripturas ſine periculo nobis exponūt*

Irenæus.

11. *4.Ratio.* Atque ex his ſumitur quarta ratio,moralis quidem, ſed efficaciſsima,& à Patribus multū cōmendata. Nam hic ſpiritus priuatus non ſolum eſſe non poteſt fidei fundamentum,verum potiùs radix eſt hæreſum, & magna ſchiſmatū occaſio. Nā vt dixi,hic priuatus ſpiritus alijs non probatur,nec ſufficienter oſtēditur, aut proponitur; ergò hęc ſcientia priuata in vnoquoq; non eſt vtilis ad fidē in alijs generandam: ergò ex vi talis ſcientiæ nō poſſunt fideles cōuenire in vna fide: ergò datur occaſio hominibus,vt vnuſquiſque pro certa fide venditet ſua ſomnia,& phantaſias, & hinc oriuntur hęreſes, & ſchiſmata. Attigit rationem hanc ſapienter Tertullian.lib.de Præſcriptionib.hæreticor,cap.15.& ſequētibus, vbi docet, non eſſe cum hæreticis diſputandum de Scripturis,& rationem ſubiūgit cap.17. quia *Iſta hæreſis*, ait, *non recipit quaſdam Scripturas,& ſi quas recipit adiectionibus,& detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit,& ſi recipit,nō recipit integras,et ſi aliquatenùs integras recipit, nihilominùs diuerſas expoſitiones cōmentata,conuertit*,id eſt,peruertit,& ideò addit,*Tantū veritati obſtrepit adulter ſenſus quātū,& corruptor ſtylus. Variæ præſūptiones neceſſariò nolunt cognoſcere ea,ꝑ quæ relinquūtur,his nitūtur, quæ ex falſo cōpoſuerūt, & quæ de ambiguitate cæperūt*,Vnde addit c.19. *Prius quàm veniatur ad certamen ſcripturarū,ſtabiliendū eſſe,cuius ſint ſcripturæ,à quo,& per quos & quandò, & quibus ſit tradita diſciplina, qua fiūt Chriſtiani,vbi enim apparuerit eſſe veritatē fidei,& diſciplinæ Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarū,expoſitionū, & omnium traditionum Chriſtianarum.*

Priuatus ſpiritus eſt radix hæreſū

Tertul.

In eodem ſenſu dixit idem Tertullia. lib.de Reſurrect.carnis, *Hæreſes eſſe non poſſent, ſi non etiam Scripturæ male intelligi poſſent.* Et in idem redit, quod dixit Auguſt.in Ioan. *Non ſunt natæ hæreſes, niſi dùm Scripturæ bonæ intelliguntur non benè & quod in eis non benè intelligitur,etiam temere,,& audacter aſſeritur,* Vtique tanquam certum,& infallibile, & ſibi ſpecialiter à Spiritu Sancto dictatum. Et ideo ſubdit inferiùs, *Etiam à me, chariſsimi,longè ſit vana præſumptio,ſi volo ſanus in domo Dei conuerſari,quæ eſt Eccleſia Dei viui,columna, & firmamentum veritatis,*vbi tacitè hanc regulam præfert omni priuato ſpiritui. Ita etiam dixit Cyprian. epiſt.55. *Non aliundè hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata,quàm inde,quòd Sacerdoti Dei nō obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur,* quod repetit Epiſtol. 96. & lib.de Vnitat. Eccleſ.& ſępè aliàs. Omnes autem hæretici,qui priuatum ſpiritū fingunt, id faciunt,vt iudicium Eccleſiæ refugiant, & vnuſquiſque ſe ipſum ſuę fidei regulā faciat,vt indicauit Auguſt. lib. 11.contra Fauſt.cap.2. 12.

Auguſt. Tractat. 18,

Cyprian.

Auguſt.

Præterea hinc ſumitur quinta, & valdè vrgens ratio, quia aliàs nullus poteſt eſſe terminus controuerſiarum in quæſtionibus,quæ circa fidem oriuntur: nam vnuſquiſque hęreticorū aſſirmat, ſe eſſe illuminatum à Deo,& alios eſſe deluſos; ergò niſi aliquis ſit iudex, & ſupra omne priuatū iudiciū,qui à Deo authoritatē habeat diſcernendi infallibiliter falsū à vero impoſsibile eſt, lites fidei cōponere, aut vnam fidē infallibilē in Eccleſia conſeruare. Probatur hoc, quia ſi credendū eſt priuato ſpiritui, cū per diuerſos hęreticos cōtraria pronuntiet: nō poteſt eſſe vterq; verax,quia alter illorū falſum dicit. Et nō eſt maior ratio,credendi in vno eſſe ſpiritū Dei, quā in alio, quia neuter eorū exhibet certū aliquod ſignū ſui diuini ſpiritus,& cōiecturę humanę,quanuis interdú diuerſæ eſſe poſsint,ad fidem certam non ſufficiunt. Fluctuat ergò fides,& planè ſcinditur, ſi priuatus vniuſcuiuſq; ſpiritus pro fidei fundamento cōſtituatur. Et ideo merito Clemens. 1. Epiſtol. 5. acriter inuehitur in eos, qui controuerſias fidei proprio iudicio definire volunt.

5.Ratio.

Clemēs. 1.

Rectè etiam Hierony. contra Luciferanus,
14. *Si non ſit in Eccleſia vna eminens poteſtas tot ſutura ſunt ſchiſmata, quot ſacerdotes*, & Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. cap.
Auguſt. 36. ad hæreticos loquens, ait, *Videtis id vos agere, vt è medio tollatur diuina authoritas, vt ſuus vnicuique animus author ſit, quid in vnaquaq; re probet, aut improbet.* Et lib. 11. c. 2. fere ſimilem diſcurſum latè proſequitur circa particularẽ controuerſiã, an hic liber, vel pars eius canonica ſit, nec ne. Nam ſi vnus dicat eſſe, alius non eſſe, neutri propter ſuum ſolum teſtimoniũ eſt credendum. Et licèt alter conetur plures teſtes, vel coniecturas pro ſe afferre (ait Auguſtin.) *Et ſi hoc facere conaberis, nihil valebis*, adiũgitque, *Et vide in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas, &c.* Perinde autẽ eſt de vero ſenſu ſcripturæ, quòd de veritate ſcripturæ controuertere, quia vt ſæpe dixi ex Hierony.
Hierony. Scriptura in ſenſu conſiſtit, magis quàm in literis. Imò eadem ratio in quacunque alia controuerſia fidei, quę in illa particulari, militat. Et ideo generaliter dixit idẽ Auguſt. lib. 7. de Baptiſmo cap. 35,
Auguſt. *Nobis tutum eſt, non progredi aliqua temeritate ſententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata ſunt.* Et concludit, ſecurũ eſſe, quidquid eſt vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratũ. Et è contrario in epiſt. 18. dicit, *Diſputare contra id, quod vniuerſa Eccleſia ſentit, inſolentiſſimæ ſuperbiæ eſt.* Ac deniq; lib. 4. de Trinit. c. 6. eleganter ſatis, *Contra rationẽ nemo ſobrius, contra Scripturam nemo Chriſtianus, Contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit.*

15. Tandem his affinis eſt ſexta ratio: nã
Sexta ratio ſi priuatus ſpiritus eſſet regula propriæ fidei, nulla eſſet hæreſis, nullus vè hæreticus, vel ſaltem nullus poſſet vt hæreticus ab hominibus iudicari, aut damnari, vel ad aliquam cõmunem fidem tenendã cogi, quæ omnia valdè ſunt abſurda, & contraria non ſolũ Scripturæ, & Patribus ac rationi, ſed etiam dictis, & factis ipſiuſmet Regis Angliæ; ergò. Sequela probatur: nã hæreticus non eſt, niſi qui diſcrepat à regula fidei; at ſi priuatus ſpiritus eſt regula fidei, nullus eſt, dicens ſe credere Chriſto, & Euangelio, ac Scripturæ, qui diſcrepet à regula fidei, quia nullus eſt, qui diſcrepet à ſuo iudicio, &
A ſuo priuato ſpiritu, vt per ſe manifeſtum eſt. Et hinc etiã aperte ſequitur, nullã eſſe propriam hæreſim, quia nulla eſt regula ipſius doctrinæ ſecundum ſe ſpectatæ, ſed in vnoquoq; homine habet ſuam regulã, & non poteſt cum certitudine conſtare, quis priuatus ſpiritus vera regula ſit: ergò nulla doctrina ſecundum ſe ſumpta poteſt hæretica iudicari ſaltẽ ab hominibus. Vnde à fortiori ſequitur, nullũ hominem poſſe vt hæreticum dãnari, quia & nullus diſcedit à regula, quam ſequi tenetur, vt oſtenſum eſt, & de nullius do-
B ctrina conſtare poteſt eſſe hęreticam, vt etiã eſt probatũ. Ac tandem à fortiori infertur, neminẽ cogi poſſe ad aliam fidem præter eã, quam legendo Scripturas, per ſuã certam ſcientiã, ſuũq; priuatũ ſpiritũ conſequi dixerit. Probatur illatio, quia ſi illud eſt fidei fundamentum nemo cogi poteſt vt ab illo dimoueatur; ergò neque vt aliam fidem ſequatur.

Fortaſſe non deeruñt hæretici, qui hæc omnia facilè cõcedant. Nam, vt fertur, iã 16.
aliqui dixerunt, vnunquẽq; ſaluari poſſe per illam fidẽ, quam ſibi interiùs, aut verè Spiritus Sanctus dictat, aut ipſe certo
C quodã modo exiſtimat, id ſibi à Spiritu Sancto dictari. Ex quo principio, & illa, quę diximus, & alia nõ minùs abſurda inferũtur, vt, ſine vera fide poſſe aliquẽ ſaluari contra apertas ſcripturas. Illatio eſt manifeſta, quia ille inſtinctus, qui putatur eſſe à Spiritu Sancto, & nõ eſt, inducit ad errorẽ; ergò nõ eſt vera fides; ergò ſi illa exiſtimatio ſufficit ad ſalutẽ, error etiã ſufficit, & vera fides non eſt neceſſaria. Vnde vlteriùs ſequitur, extra Eccleſiã eſſe ſalutem, quod etiã eſt contra ſcri- *Cyprian.*
pturam, & contra omnes Patres, vt ſupra dixi, & videri poteſt Cyprian. lib. de
D Vnit. Eccleſ. & Aug. in ſimili libro ferè *Auguſt.*
per totum, & de Fide, & Symbo. lib. 3. c. *Fulgent.*
11. & lib. 4. c. 10. & Fulgent. de Fide ad Petrũ. c. 37. & 39. & Pacian. epiſt. 2. ad *Pacian.*
Sempron. Sequela patet, quia vbi vera fides nõ eſt, nec vera Eccleſia eſſe poteſt, ſicut (teſte Paulo) nec Eccleſia poteſt ſubſiſtere ſine vnitate fidei; ergò ſiquis poſſet ſaluari ſine vera fide, poſſet etiam extra Eccleſiaam habere ſalutẽ. Denique qui ſic ſentiunt, non ſolum contra ſcripturã, & Patres, ſed etiã cõtra omnem rectã rationẽ loquũtur, nam & ab omnibus creden-

credentibus auferunt certitudinē fidei, & omnibus ſchiſmaticis, & hęreticis liberā licentiam tribuunt, & latiſsimam viam omnibus diſſenſionibus ſternūt, quę ſūt contra rectū ordinē ſapientiſsimæ prouidentiæ Dei. Non enim præcepiſſet vnitatem, conſenſionē, & ſecuritatem in certitudine ſuę fidei: reliquiſſet vero Eccleſiā ſine via, aut modo conſeruandi hanc fidem certam, & eius vnitatem.

17. Non poteſt ergò negari, quin illa, quæ in hac ſexta ratione intulimus, abſurdiſſima ſint, quale eſt, vel nullā eſſe hęreſim, vel nullum hæreticum eſſe damnabilem vtrumq; enim repugnat Paulo, nam ad Galatas. 5. inter opera carnis numerat diſſenſiones, & ſectas, per quas Patres maximè hæreſes intelligunt. Et ad Titū. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cùm ſit proprio iudicio condēnatus.* Vndè conſtat, propriū ſpiritum non ſolùm nō excuſare ab hæreſi, ſed potiùs eſſe propriam radicem eius; quid enim eſt proprius ſpiritus, aut illa certa ſcientia vniuſcuiuſq; niſi propriū iudicium? Vnde rectè Tertullian. lib. de Præſcriptionib. hęret. c. 6. *Ideò* (inquit) *ſibi, dixit Paulus, damnatum hæreticū, quia & in quo dānatur, ſibi eligit. Nobis verò nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere quod aliquis de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Dñi habemus authores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt, ſed acceptā à Chriſto doctrinam fideliter rationibus adſignauerunt. Itaq; etiā ſi Angelus de cœlis aliter euāgelizaret, anathema diceretur à nobis.* Et in ca. 7. addit, doctrinas hoc proprio iudicio inductas *eſſe doctrinas hominū, & dæmoniorū prurientibus auribus natas de ingenio ſapientiæ ſeculi.* Et eodē modo Auguſt. epiſt. 85. aliàs 222. & lib. 2. de Nuptijs. c. 31. & alij Patres cōmuniter dicunt omnes hæreſes, vel inde naſci, vel in eo fūdari, quod earū authores, vel ex ꝓpro affectu ſcripturas detorquent ad ſuos ſenſus, vel ex proprio iudicio, & ſuperbia in illis exponendis errant; ergò ſpiritus priuatus nō poteſt excludere hæréſim; imò quatenùs eſt proprius, eſt ad illā aptiſsimus, quia hęreſis propria electione, & iudicio inducitur. Et conſequenter neq; eſt aptus ad fūdandam fidē, maximè, quia cùm ſit ſpiritus dationis nullū habet indiciū Spiritus Sancti, qui ſuper humiles requieſcit,

ad Gal. 5. — *ad Tit. 3.* — *Tertull.* — *Auguſt.*

18. Deniq; ipſum etiam Regē Angliæ, dū tale ponit fundamentū fidei, quæ dānationi hæreſis, & hæreticorū repugnet, ſecū pugnare conſtat. Tū quia ipſe in Præfatione pag. 43. dānat omnes hæreticos, quos antiqui Patres dānarūt, & ideò ibidē maximè cōtendit, ſe ab hæreticorum numero eximere, & ab hac nota purgare. Et pag. 55. fatetur ſe in Puritanorum Anarchia expugnanda laboraſſe, & (vt publica eſt fama) ſubditos ſuos ad Caluinianū varijs modis cōpellit. Hęc igitur cū illius fundamento de certa ſcientia, proprio iudicio & ſpiritu cōparata plane repugnat. Nam ſi ipſe cenſet, hoc eſſe fidei ſuæ firmū fūdamentū, & omnes Principes Chriſtianos exhortatur, vt ſimiles ſibi ſint, cur non eandē fidei libertatē ſuis ſubditis cōcedit? Num quid in hoc melioris conditionis eſt Rex temporalis, quam ſubditi? Oportet ſanè, vt Spiritus Sancti aſsiſtētiam infallibilem, quam Sūmo Pontifici negat, ſibi adeſſe, vel promiſſam eſſe oſtēdat. Vel ſi in hoc non habet maius quàm cæteri priuilegium, quo iure poteſt alios cogere ad ſuam fidem ſectandū, vel alios magis iudicare hæreticos, quàm ſe ipſum cùm nullū maius indiciū Spiritus Sancti ipſe oſtendat, quàm alij? Vnde obiter etiā aduerto, in caſſum laborare eundē Regē cùm in ſua Præfatione pag. 157. Sectarios omnes, ſeu Proteſtantes exhortatur, vt inter ſe veræ fidei vnitatē conſeruent, & cōmunionē ſpiritus in vinculo pacis retineant. Nam cum fundamento fidei, quod ſibi, & omnibus proponit, talis vnitas, & concordia planè repugnat, vt oſtēſum eſt, & ipſa rerū experientia ſatis declarauit. Vnde optimè Tertullianus de Præſcrip. c. 42. *Mentior, ſi non etiam à regulis ſuis variant inter ſe, dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accipit, quemadmodū de ſuo arbitrio ea cōpoſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam ſuam, & originis ſuæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis, quod Valentino, idem Martioniſtis quod Martioni, de arbitrio ſuo fidē innouare. Deniq; penitùs inſpectæ hæreſes omnes in multis cū authoribus ſuis diſſentientes deprehendūtur. Pleriq; nec Eccleſias habent ſine matre, ſine ſede, orba fide, extorres quaſi ſibi, latè vagantur.*

Rex Angliæ dum prædictū aſtruit fidei fundamentū, ſecū pugnat.

Regis ad Sectarios de vnitate fidei exhortatio repugnātiā inuoluit.

Tertul.

19. Supereſt teſtimonijs quibuſdam ſatisfacere, quæ ad errorem ſuum de oppugnato fidei fundamento retorquent Proteſtates: ex quibus, quædam, quæ videntur eſſe præcipua, in ſuperioribus obiter expediuimus. Addunt verò alia, in quibus præcipimur Scripturas ſcrutari Ioan. 5. Sicut faciebant Theſſalonicēſes Actor. 17. Adduntque Scipturas, præſertim in rebus fidei, & morum ad ſalutem neceſſarijs, claras eſſe, & ab omnibus intelligi poſſe, vt ſumitur ex Auguſtino libro ſecundo de Doctrina Chriſtiana cap. 9. dicente, *In his, quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inculcari illa omnia, quæ continent fidem, moreſque viuendi.* Idē ſenſit Chryſoſtomus, Homilia tertia, in 2. ad Theſſalonicenſes circa finem dicens, *Omnia ſunt dilucida, & recta, quæ ſunt in Diuinis Scripturis, manifeſta ſunt quæcumque ſunt neceſſaria.* Et ſimilia habet Homila 13. in cap. 2. ad Corinth. in fine, & Homilia 33. in Acta verſus finē, & Homilia 3. de Lazaro, & diuite. Indicat etiam Ambroſ. Pſalm. 118. Octonario. 14. circa illa verba, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Hìnc ergò concludunt cùm Scriptura clara ſit, non eſſe neceſſariam aliam regulam, ſed ſolùm vt ipſa attentè legatur, & intelligatur. Præſertim, quia facienti, quod in ſe eſt, & petenti, dabitur intelligentia, & ſapientia, Iacobi primo, & qui voluerit voluntatem Dei facere, cognoſcet doctrinam Chriſti, vt ipſe promittit Ioann. 7. Denique addunt, quod Chriſtus de ſe dixit Ioan. 5. *Ego ab homine teſtimonium non accipio, &c.*

obiectiones oppoſitæ ſententiæ. — *Ioan. 5.* — *Actor. 17.* — *Auguſt.* — *Chryſoſt.* — *Ambroſ.* — *Iacob. 1.* — *Ioan. 5.* — *Ioan. 7.*

20. Veruntamen hæc inania prorſus, & futilia ſunt, quia ſi circunſtātiæ ſingulorum locorū attendantur, in occaſionibus longè diuerſis, & alia mente, ac intentione dicta ſunt. Primùm enim quis abnuit ſcrutandas, & euoluēdas eſſe Scripturas? vel vbi maiori cum diligentia, & fructu fit, quàm in Eccleſia Catholica, & Romana? Hoc ergò ſtudium neceſſarium eſt, modus autem, & delectus, ac prudentia poſtulatur. Deinde nemo etiam refugit, poſſe Eccleſiæ Doctores, & Sapientes aliquid de propria induſtria, & ingenio ad Scripturarum intelligentiam inueſtigandam excogitare: eaſque per humanā ſapientiam interpretari. Hoc enim fecerunt Patres omnes, non ex ſpeciali priuilegio, ſed ex ordinaria lege maximè conſentanea ipſis metScripturis, & naturali hominis conditioni, & ita hoc etiam nunc Doctores Catholici obſeruant.

A

Oportet autem duplicem Scripturæ interpretationem diſtinguere, vnam vocare poſſumus authenticam alterā cōmunem, ſeu priuatam. Quam dinſtinctionē videntur aduerſarij diſsimulare, aut ignorare, cùm tamen ſimilis frequentiſsima ſit inter iuriſperitos in ſuarum legum interpretatione. Nam quædam eſt authētica, id eſt, habens vim legis, de qua ipſamet iura dicunt, eius eſſe interpretari legem, cuius eſt condere; alia eſt doctrinalis tantùm, quæ licèt illam authoritatem non habeat, tamen ad humanum regimen ſuam habet vtilitatem. Ad hunc ergò modum neceſſaria eſt aliqua interpretatio authentica Scripturæ Sacræ: & non minùs in ijs, quæ ad fidem, & mores pertinent, quàm in alijs, imò eò magis, quò in illis certus, & indubitatus ſenſus magis neceſſarius eſt. Nec refert, quòd illa ſoleant eſſe clariora, quia ſemper poſſunt habere ambiguitates, ex varietate ſignificationum, aut ſenſuum, & præcipuè, quia omnia ſolent peruertere hæretici, teſte Auguſtino lib. 2. de Nuptijs cap. 31. vbi ſic ait, *Non eſt mirum, ſi Pelagiani dicta noſtra in ſenſus, quos volunt detorquere conantur, quando & de Scripturis ſanctis, non vbi aliquid obſcurè dictum eſt, ſed vbi clara, & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueuerunt, more quidem hæreticorū etiam cæterorum.* Ob has ergò cauſas neceſſaria eſt authentica interpretatio. Præter hanc verò neceſſaria etiam eſt doctrinalis ad Eccleſiæ ædificationem, & vtilitatem, & ad reſiſtendum hæreticis, quia *omnis Scriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne bonum inſtitutus,* vt dicit Paulus 2. ad Timot. 3.

21. Duplex ſcripturę interpretatio alia authentica alia doctrinalis.

B — C — *Auguſt.* — D — *2. Thim. 3*

Prior ergò interpretatio non poteſt fieri priuato ſpiritu, & de hac procedunt omnia, quæ diximus: nam hæc eſt, quæ ad fidei fundamentū pertinet, & ideò ſolùm ab illo fieri poteſt, cui clauem ſcientiæ ſpecialiter Chriſtus promiſit, & tunc non ab homine, ſed à Deo per hominem teſtimonium accipitur. Ipſe enim

22. Interpretatio authentica nō poteſt ab ſpiritu priuato prodire.

enim Chriſtus, & aſsiſtentiam ſuã, & Spiritus Sancti magiſteriũ Eccleſię ſuę promiſit. Poſterior autẽ ſcripturæ interpretatio, cùm per ſe non habeat infallibilem authoritatem humana eſſe poteſt, & priuata authoritate fieri, dũmodo non temerè, & ad libitũ fiat, ſed ita vt neq; alijs Scripturæ locis, neq; Eccleſię definitionibus, neq; cõmuni ſẽſui Patrũ repugnet. Neq; tamẽ huiuſmodi etiã interpretatio omnibus permittenda eſt, ſed Doctoribus Eccleſiæ ad hoc munus vocatis: alijs vero, quanuis lectio Scripturæ interdũ poſsit eſſe vtilis, pro legentis capacitate, non tñ ad eã interpretandã, ſed ad illã ſimpliciter intelligendam, prout cõmuniter in Eccleſia exponitur. Neq; etiam legenda eſt ad fidẽ examinandam propria ſcientia, ſed potiùs ex fide legenda eſt ad alias vtilitates, & fructus ex illa hauriẽdos, & in hoc ſenſu loquuntur Patres in locis allegatis, & videri etiam poteſt Baſilius in ſerm. de *Baſilius.* Vera, & pia fide, & in Regulis breuiorib. interrogat. 95. vbi optimè quanuis breuiter hoc docuit.

CAPVT XII.

Ex nomine (Catholica) Anglicanam ſectam fidem Catholicã non eſſe oſtenditur.

1. QVoniam hæc appellatio *Catholica*, ſemper diſtinxit, & Eccleſiã Chriſti à ſynagogis Satanę, & veram fidem ab hæreſi, vt ſufficienter probant ſymbola fidei, & perpetua Patrum traditio (ex quibus nõ nullos retulimus, & plures in hoc capite referemus) ideò Rex Angliæ notam hæretici vitare cupiens, vt in ſua Præfatione oſtendit, titulũ defenſoris catholicę fidei aſſumit, quo catholicã fidem credere, & tenere profitetur. Cũ autẽ cõpertum ſit, ipſum eſſe defenſorẽ, ac propugnatorẽ particularis ſectæ Anglicanæ, ſi oſtenderimus, illam nõ eſſe catholicam fidem, conuincemus etiam, illũ non eſſe defenſorem catholicę fidei, & tunc fore talem, quando piè, ac ſyncerè cognita veritate ad Eccleſiæ Romanę gremiũ (quod faxit Deus) & obedientiam redierit. Quanuis autem ex hactenùs dictis ſatis inclaruerit ſectam illã, quæ firmũ fidei fundamentum non obtinet, nequaquam poſſe veram Eccleſiã

A eſſe, aut catholicam fidẽ profiteri: nihilo minus vt euidentius id conſtet, operæpretiũ viſũ eſt per antiquiſsimã traditionẽ Eccleſię ex ipſa appellatione *Catholicæ fidei* aperte deductã idem oſtendere. In hoc autem attributo duo ſpectari poſſũt, ſcilicet, & nomen ipſum, ſeu cognominatio ab illo ſumpta, & res, ſeu proprietas ſignificata per nomen, ex quibus diuerſa argumenta ſolent Patres ſumere ad verã fidem, vel Eccleſiam cognoſcendam, & ideò priùs de nomine, poſteà de ratione nominis dicemus.

B Supponimus autem in primis hoc nomen *Catholicæ*, tam Eccleſiæ, quàm fidei attribui ſolere: nã in ſymbolis Apoſtolico, & Niceno confitemur vnã Eccleſiã Catholicam, & in ſymbolo Athanaſij de collectione ipſa articulorũ fidei dicitur, *Hæc eſt fides catholica, quã niſi quiſq; fideliter, firmiterq; crediderit, ſaluus eſſe nõ poterit.* Cui autẽ illarum, ſcilicet, Eccleſię, an fidei priùs fuerit hoc nomen impoſitũ in cõpertum mihi fateor: potuit enim Eccleſia vocari Catholica, quia fidem catholicã profitetur, & è contrario fides poteſt dici catholica, quia ab Eccleſia catholica re- 2.

C tinetur, & traditur, vel certè vtriq; per ſe ſpectatæ potuit hoc nomen attribui, quia ratio eius, ſeu omnis proprietas, quæ per illud indicatur tã in vera Eccleſia, quã in vera fide per ſe inuenitur, vt in ſequenti cap. declarabimus. Vnũ autem certũ eſt, ſcilicet, illa duo ita eſſe coniuncta, vt ſeparari nequeãt, quia nec fides catholica eſſe poteſt extra verã Eccleſiam, nec catholica Eccleſia ſine vera fide, nam vbi Eccleſia Catholica fuerit, erit etiam catholica fides, & è contrario, & ideò ſemper de illis indifferenter loquemur. *Nomen Catholicæ, fidei, & Eccl. ſiæ adaptatur.*

D Secundò ſtatuendũ eſt, hoc nomẽ antiquiſsimũ eſſe, quanuis nõ defuerint hæretici etiam antiqui, qui contra illud obmurmurare auſi fuerint, vt de Sympro- 3.
niano Nouatiano refert Pacianus contr. *Pacian.* Parmen. epiſt. 1. & 2. Et fortaſſe non deſint aliqui ex huius tẽpeſtatis nouatoribus qui illud reſpuãt, eo quod in libris Canonicis nõ inueniatur ſcriptũ. Verũtamen quantum ex verbis Regis Angliæ conijcio Anglicana ſecta illud non detrectat, imò tanquam nomen veræ fidei, religionis, & Eccleſię catholiciſmi nomẽ affectat, ſibiq; cupit attribuere, vt in ipſo *Catholicæ nomẽ Anglia affectat.*

titulo Defenſoris catholicę fidei Rex ipſe ſatis oſtendit. Præter quàm quod hæc vox in allegatis ſymbolis approbata inuenitur, ita vt ſub illa denominatione iubeamur, vnam Eccleſiam, & fidem Catholicam recognoſcere, ac confiteri; ergo Rex Angliæ, qui dicta ſymbola admittere profitetur, negare non poteſt nomen illud, vel rem per illud ſignificatam. Denique ipſa venerãda antiquitas, & Patrum omnium ætatum conſenſio oſtendit, nomen hoc non ſine diuino numine in Eccleſia introductum eſſe. *Certè* (inquit Pacianus dicta Epiſtol. 1.) *Non eſt ab homine mutuatum, quod per ſecula tanta non cecidit, catholicum iſtud nec Marcionē nec Apellem, nec Montanum, nec hæreticos ſonat authores. Multa nos Spiritus Sanctus edocuit, quem Paracletum Apoſtolis, & magiſtrum Deus miſit è Cœlis. Multa ratio, ſicut dicit Paulus, & honeſtas, & (vt ait) ipſa natura. Quid? parua nobis de Apoſtolicis viris, parua de primis ſacerdotibus currit authoritas?* Et infra. *Age, ſi illi vſurpando nomini huic authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? & noſtrã potiùs authoritatē Patres ſequentur, & emendanda Sãctorũ cedet antiquitas, & iã putreſcentia vitijs tēpora canos Apoſtolicæ antiquitatis eradet?* Quę grauiſsimus hic pater ante mille, & trecētos annos ſcripſit, tũc teſtatus, fuiſſe antiquiſsimum hoc nomen, & merito: nam ex Symbolo Apoſtolorum conſtat, ab ipſis fuiſſe approbatum, in eo enim profitemur *Sanctam, & Catholicam Eccleſiam*, Quę verba non ſunt minùs antiqua in illo Symbolo, quam cætera, & ita leguntur & explicantur ab omnibus antiquis, Cyrillo, Ruffino, & Auguſtino. Ergò ab Apoſtolorum tempore cum ipſo ſymbolo nomen etiã Catholicæ ſemper Eccleſia conſeruauit. Vnde etiam Pacianus illud nomen admiratur, *Quia tanto tempore non ceciderat?* Ergò multò maiori admiratione dignum eſt, quòd vſque ad noſtra tempora cõſeruatum fuerit, & eidē Eccleſię, ac fidei attributum. Igitur euidentiùs nunc oſtenditur, nomen hoc neque datum, neque conſeruatum eſſe ſine ſpeciali Dei prouidentia, ſemperque verè indicaſſe, & indicare id, quod ſignificat, & propter quod impoſitum eſt.

Pacian.

Cyrill.
Ruffin.
Auguſt.

Pacian.

4. Tertio igitur ſupponendum eſt, hoc nomen attributum eſſe Eccleſiæ, & ſidei

A Chriſti ad diſtinguendam illam ab hæreticorum doctrinis, & conuenticulis. Teſtis eſt idem Pacianus in eadem Epiſtol. 1. ſic dicens, *Cùm poſt Apoſtolos hæreſes extitiſſent, diuerſiſque nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare per partes, & ſcindere niterentur, non ne cognomen ſuũ plebs Apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret vnitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per mēbra laceraret, non ne appellatione propria decuit caput principale ſignari?* Quam neceſsitatem adhibito exemplo declarat, dicens, B *Si forte ingreſſus populoſam vrbem Marcionitas, Nouatianos, & cæteros eiuſmodi comperiſſem, qui ſe Chriſtianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur?* Vnde poſteà concludit, *Chriſtianus mihi nomen eſt, catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc probor, inde ſignificor.* Eandem cauſam, & neceſſitatem huius nominis ſtatuit, & pro more, acutè ſatis explicauit Auguſtinus lib. contra Epiſtol. Fundamenti capit. 4. vbi inter vincula, quæ ipſum in Eccleſia tenuerunt enumerat, C *Ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum, vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Idē docuit lib. de vera relig. cap. 7. cuius verba poſteà referam.

Hoc nomē indutũ, eſt Eccleſiæ vt ab hæreticis conuenticulis diſcriminaretur.
Pacian.

Auguſt.

Eandem rationem huius vocis nobis tradidit Cyrillus Hieroſolymitan. Catecheſ. 18. Nam quia nomen Eccleſiæ abſolutè dictum, & antiquam Synagogam, & quamlibet congregationem, & malignantium etiam, id eſt, hæreticorum D Eccleſiam ſignificare poteſt, *Propterea* (inquit) *Nunc confirmans fides tradidit, vt dicas, & in vnam Sanctam Catholicam Eccleſiam, vt illorum quidem fœda conuenticula fugias, perſeueres autem in Catholica Eccleſia, in qua renatus es.* Vbi confirmantem fidem appellat Symbolum, quod exponit. Et ſtatim monet, non eſſe quęrendum vbi ſit Eccleſia, ſed vbi ſit Catholica Eccleſia. *Hoc enim* (ait) *proprium nomen eſt Sanctæ huius, & matris omnium noſtrùm, quæ eſt ſponſa Domini noſtri Ieſu Chriſti vnigeniti filij Dei.* Eandemque rationem

5.
Cyrill.
Hieroſ.

Hilarius. tionem ſubinnuit Hilarius canon.10. in Matth. nam explicando verba illa Chriſti, *In quancumq; ciuitatem intraueritis, interrogate, quis in ea dignus ſit, & ibi manete, &c.* Per dignam domum Eccleſiam interpretatur, quæ *Catholica*, inquit, *dicetur*. Quia multi Iudęorum erant futuri qui licet Chriſto crederent, tamen in legis operibus morarentur: alij, qui per ſimulationem ex lege ad Euangelium tranſirent: multi verò, qui in hæreſim traducerentur, & penes ſe eſſe veritatē catholicam mentirentur, *Ideò* (inquit) *admonuit dignum, cum quo habitandum ſit, eſſe quærendum, id eſt, Eccleſia, quæ Catholica dicetur, cautè, & diligenter vtendum.* Atque hinc vſus etiam Eccleſiæ, & omnium Patrum obtinuit, vt veri fideles ab hæreticis per hoc Catholicorum nomen diſtinguantur, vt paſsim in Patribus legimus, & vſu comprobatum videmus, & experti ſumus non ſolùm inter Catholicos, ſed etiam inter ipſos hæreticos, vt ex dicendis ampliùs inclareſcet.

6. *Colligitur eſſe veram Eccleſiam, quæ vere hoc nomen meretur.*

Quartò ex his inferimus, & tanquam certum ſtatuimus, illam eſſe veram Eccleſiam, & in ea eſſe veram, & catholicā fidem, quæ iure, ac merito, id eſt, ſecundum primæuam huius nominis impoſitionem catholica nominatur. Hoc manifeſtè ſequitur ex dictis, quia oſtenſum eſt, hoc nomen ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe ad denotandam illam Chriſti Eccleſiam, quæ per eos fundata fuerat; ergo in fide pro explorato habetur illo nomine tunc ſignificatam fuiſſe veram Eccleſiam, ac ſubinde Eccleſiam per Apoſtolos fundatam habuiſſe eas proprietates, quæ in vera Eccleſia requiruntur, & illo nomine indicantur, vt ex infra proferēdis clariùs eluceſcet. Conſtat enim Apoſtolos veram Eccleſiam, & proprietates eius non ignoraſſe, & habuiſſe authoritatem imponendi illi nomen, veritati, & vſui eius accommodatum. Et hinc vlteriùs fit, illam Eccleſiam ab Apoſtolis conditam, quatenùs per veram ſucceſſionem ſemper durauit (vt ſuprà vidimus) ſemper etiam meruiſſe nomen catholicæ, neque illud vnquam amiſiſſe. Probatur primò, quia ſemper eſt vna, & eadem, non ſimilitudine tantummodò ſpeciei, ſed etiam identitate (vt cum philoſophis loquar) numerica morali, propter continuam ſucceſsionem legitimam; ergò veritas, & proprietas ſignificata per illud nomen ſemper illi conuenit; ergò & nomen ipſum. Secundò, quia ſemper hæc Eccleſia profeſſa eſt fidē illius ſymboli, in quo ipſa catholica nominatur, cū tamen in ſua fide errare non poſsit, vt ſuprà iam ſatis liquidò manet cōmonſtratum. Tertio, quia non amiſit illud nomē per demutationem rei, id eſt, quia amiſerit proprietatem ſignificatam per illā vocem: nam ſi illam amiſiſſet, non eſſet eadem Eccleſia vt ſupponitur, nec etiam amiſit illud per ablationem, ſeu mutationem ſolius nominis, quia Eccleſia ipſa ſe illo nomine non priuauit, aut nominis ſignificationem mutauit, vt ex vſu, & ex fide Symboli ſatis conſtat. Neque extra illam eſt in terra poteſtas, quæ potuerit eam tali nomine priuare, neque iure, quia non habet ſuperiorem, neque facto, quia neque in hoc portæ inferi cōtra eam præualere potuerunt, vt latiùs infrà comprobabimus.

Vnde tandem concluditur, illam Eccleſiam, cui iure, ac meritò nomen hoc tribuitur, eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & fidem catholicam in ſe conſeruare, & conſequenter nullam congregationem etiam ſub Chriſti nomine, & confeſsione coactam, quæ à priori Eccleſia diuiſa, & ſegregata ſit, vllo modo poſſe hoc nomen ſibi meritò vendicare. Vtraq; pars nota eſt ex dictis. Prior quidem, quia talis Eccleſia eſt eadem numero cum illa, quæ à principio, & ſemper illud nomen habuit: poſterior vero contraria ratione, quia Eccleſia vera eſt tantùm vna, & hoc nomen vni tantùm, & veræ Eccleſiæ cōtributum eſt. Omnis ergo Eccleſia, quæ non eſt illa vna, & vera Eccleſia, vel pars eius, catholica dici non poteſt. Idem cōfirmatur clarè ex cauſa impoſitionis talis nominis. Inuentum eſt enim ad diſcernendum perpetuò veram Eccleſiam à falſis, & ideo non eſt poſitum tanquam nomen commune, ſed tanquam propriū, & ſingulare ad ſignificandum hoc indiuiduum corpus myſticum tales ſortitū proprietates; ergo hoc vbicunque & quandocumq; fuerit, rectè illo nomine appellabitur, ſecus verò eſt de quocūq; alio ficto corpore ab hoc diuiſo. 7.

Vnde etiā obiter cōſtat, quid ſit mereri 8.

Quid ſit Eccleſiam Catholicis nomen mereri.

tale nomen & quaſi iure ſuo illud ſibi vẽdicare, innoteſcit: nihil enim aliud eſt, quàm habere veram, & indubitatam ſucceſsionem ab illa Eccleſia primitiua, cui primò hoc nomen exhibitum eſt: nam cùm per illam ſucceſsionem omnia bona, & iura (vt ſic dicam) antiqua Eccleſię vendicentur, itidem cum illis etiam proprium nomen comitari neceſſarium ducitur. Poteſtque exemplo rerum humanarum declarari, ita enim nomen vniuſcuiuſque familiæ, quo eius nobilitas, & antiquitas indicatur, non aliter ex vi primæ impoſitionis ad aliquem tranſit, niſi ex vi originis, & ſucceſsionis: & tunc oſtenditur quis merito, & quaſi iure ſuo nomen illud vendicare, quandò directam, & legitimam ſucceſsionem à tali radice demonſtrat. Ita ergò de Eccleſia quoad appellationem catholicam: multoq; altiori modo, & maiori certitudine exiſtimandum eſt. Excellentiori quidem modo, quia ſucceſsio Eccleſiæ licèt ſit per multiplicationem diuerſarũ perſonarum naturalium (vt ſic dicam) nihilominùs eſt per conſeruationẽ eiuſdem numero corporis myſtici, cuius omnes perſonæ, ſibi inuicẽ ſuccedentes ſũt membra. Et indè etiam ſequitur maior certitudo, quia illud nomen non eſt per ſe primo impoſitum ſingulis membris, aut perſonis, ſed toti corpori, quod cùm ſit ſemper idem, tenaciùs, & firmiùs nomen ſuæ dignitatis retinet, perpetuoq; conſeruat. Maximè tandem ſumitur hęc certitudo ex continua profeſsione fidei, qua ipſamet Eccleſia ſemper confitetur, ſe eſſe catholicam. Nam cùm huic fidei falſum ſubeſſe non poſsit, certiſsimum omninò ſit, veram Chriſti Eccleſiam iure ſibi hoc nomen vendicare, quod nullus vel hæreticus, ſi ſymbolis Apoſtolico, & Nicæno fidem præbeat, negare poteſt, ſaltem generatim de vera Eccleſia Chriſti, prout hactenùs loquuti ſumus.

9\. Infertur nomen Catholicæ, Eccleſiæ Romanæ deberi.

Quintò denique addimus, Eccleſiam, quæ nunc Pontifici Romano obtemperat (quam, vt diſtinctè loquamur, nunc Romanam appellabimus) iure, ac meritò catholicæ nomen ſibi vendicare, eadẽq; ratione ſidem eius catholicam eſſe cenſendam, & appellandam. Hæc aſſertio ſequitur euidenter ex proximè dictis, ijs adiunctis, quæ in cap. 4. tractata ſunt.

A Ibi verò aduertimus, nomen Eccleſiæ Romanæ interdum accipi pro vniuerſali Eccleſia, quæ Pontifici Romano tãquàm vniuerſali Chriſti Vicario obedit; interdum autem pro particulari diœceſi, quæ eidem Pontifici etiam vt particulari, & proximo Epiſcopo ſubeſt. In pręſenti quidem priori modo loquimur de Eccleſia Romana, quia nomen catholicę, Eccleſiæ vniuerſali, primario eſt impoſitum. Quãquam etiam particulares Eccleſiæ ſoleant catholicæ vocari, vt conſtat ex modo loquendi Auguſtini Paciani, & Cyrilli ſuprà, & ex communi

Auguſt. Pacian. Cyrill. Vide Vualden. libr. 1. Doctrinal. fide. c. 25.

B vſu, ſicut & quilibet fidelis vocatur Catholicus, vel à profeſsione fidei catholicæ, vel quia eſt pars catholicæ Eccleſiæ; ergò multò magis quęlibet Eccleſia particularis vtramque rationem habens, poterit catholica vocari, & ſic etiam particularis Eccleſia Romana maximè catholica eſt, quod à fortiori conſtabit, ſi de vniuerſali illud comprobetur.

10\. Probatur aſſertio primò.

Primò ergo probari poteſt aſſertio eodem modo, quo antiqui Patres ſuprà allegati probabant, Eccleſiam, quæ ſuo tempore erat, eſſe Catholicam, quia erat

C illa, quam Apoſtoli fundauerant, cuique hoc nomen impoſuerant; & ex eiſdem, & alijs conſtat, loqui etiam de illa Eccleſia, quam nũc Romanam vocamus, quia loquebantur de Eccleſia vnita Pontifici Romano tanquam capiti, & Chriſti Vicario, vt patet ex Auguſtino, qui hac ratione ſucceſsionem Pontificum Romanorum ſimul cum nomine catholicæ in ſignis veræ Eccleſiæ cõiungit, & ex Cyrillo, qui ait, *Sanctam Eccleſiam Chriſtianam eſſe, de qua Saluator dixit Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* *Cyrill.*

D Pacianus demum licèt non ita dilucidè hoc declaret, authoritate tamen Cypriani vtitur ad ſuam ſententiam de Eccleſia Catholica ſtabiliendam: Cyprianus autem ipſe ſanè epiſtol. 75. ad Cornelium, Eccleſiam Romanam vocat Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem; vterque ergo intellexit per catholicam Eccleſiam illam, quę ſub Romano Pontifice militat, pluraque alia ex eodem Cypriano, Irenæo, Hieronymo, & Ambroſio ſuprà cap. 3. & 4. retulimus, & alia legi poſſunt in Auguſt. *Cyprian.* *Auguſt.*

epiſt.

epiſt. 165. & paſsim in libris contra Donatiſtas: & Optat. lib. 2. contra Parmenianum, vbi ex vnione cum cathedra Petri mõſtrari dicit, aliquam Eccleſiam eſſe catholicam. Denique Tertullian. in Præſcriptionib. cap. 30. *Catholicam doctrinam eſſe dicit in Eccleſia Romanenſi*, quod perinde eſt, ac ſi diceret, illam eſſe catholicam. Oſtenſum autem à nobis in ſuperioribus eſt, Eccleſiam Romanam eandem eſſe nunc, quæ priſcis temporibus fuit; ergò ad illam ſolam iure pertinet catholicæ nomen.

Optat. *Tertull.*

11. Secundo probatur eadẽ aſſertio.

Et præterea nunc etiam locum habet probatio, quam ijdem Patres ex totius orbis conſenſione deſumere ſolẽt. Nam ſicut tempore v. g. Auguſtini, ita etiam nunc, & omnibus interpoſitis annis omnes homines tam fideles, quàm infideles vtentes voce *Eccleſiæ Catholicæ*, & ſimpliciter loquentes, & ſine ſpeciali affectione, vel malitia per illam vocem intelligunt, & ſignificant illam Eccleſiam, quæ cum Pontifice Romano communicat; ergò ſignum eſt, illam ſolam eſſe, cui ex proprio iure hoc nomen debetur. Ita argumentatur Auguſtin. lib. de Vera religi. cap. 7. dicens, *Tenenda eſt nobis Chriſtiana religio, & eius Eccleſiæ communicatio, quæ catholica eſt, & catholica nominatur, non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintvè ipſi quoq; hæretici, & ſchiſmatum alumni quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quàm catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi eam hoc nomine diſcernant, quo ab vniuerſo orbe nuncupatur.* Idemq; probat quod Cyrillus ait, vbi eſt diuerſitas ſectarum cum vera Eccleſia in eodem loco miſtarum ne quis decipiatur inquirendo, oportere, vt interroget, non pro Eccleſia tantùm, ſed pro Catholica: nam illo nomine omnes intelligunt illam, quæ antiquam fidem retinet. At hoc eodem modo durare vſque ad præſentia tempora, euidẽti experimento cõſtat, vt ſuperiùs annotaui: vbique enim qui ſe profeſſorẽ Romanæ fidei oſtendere vult, Catholicum ſe nominat, & ita etiã ipſi hæretici quãdo ſyncerè, & communi modo loquuntur, eoſdem fideles glorioſo Catholicorum titulo deſignare, & inſignire ſolẽt: ergò.

Auguſt.

12. Tandem ex verbis Iacobi Regis aſſertio propoſita confirmatur.

Atq; hoc nobis Regia authoritate cõfirmauit Rex Angliæ: nam in ſua Apologia, quaſi conſuetudine ductus, & cõtradictionem in dictis ſuis non aduertẽs, illos, quos acerrimè perſequitur, & impugnat, catholicos ſæpe ſæpiùs appellat, cùm eos defendere teneretur, ſi vero, & non ficto titulo ſe defenſorem Catholicæ fidei appellaret. Occurritq; ex eodẽ titulo argumentum aliud (quod ad hominem vocant) quo idem Rex conuinci poteſt, Eccleſiam Romanam ab ipſo vt catholicam admittendam eſſe: nam ipſe quaſi iure hęreditario gaudere vult titulo defenſoris fidei catholicæ, qui à Leone X. Põtifice maximo, Henrico VIII. prædeceſſori ſuo conceſſus eſt; ergò tacitè admittit, & approbat, & conceſsionem, & titulum in eo ſenſu, in quo à Põtifice datus eſt; ergò velit, nolit, confitetur, Romanam Eccleſiam, eiusque fidem tempore Leonis X. & quando Henricus VIII. contra Lutherum libro ſcripto de Sacramentis illam defendit, vero, ac legitimo iure catholicam dictam eſſe, & præter illam nullam aliam potuiſſe catholicam iure nominari, niſi quatenùs cum illa coniuncta eſſet, quia Catholica Eccleſia integra (vt ſic dicam) non poteſt eſſe, niſi vna. At verò non deſijt eſſe catholica Eccleſia Romana eo, quod Rex Henricus ab illa ſe ſeparauerit, ſed potiùs ipſe deſijt eſſe Catholicus: hæretici enim vel ſchiſmatici ab Eccleſia exeuntes, ſe ipſos diuidunt, ac demutant, in Eccleſia autem nullam aliam mutationem faciũt, præter quandam diminutionem, ſeu mẽbri diuiſionem; ergò ſemper hæc Eccleſia iure nomen catholicæ retinet, nulla enim in fide mutatio in illa facta eſt; imò nec fieri poſſe, ſuprà oſtenſum eſt.

13. Cõcluditur nõ poſſe ſectæ Anglicanæ adaptari.

Sextò, & vltimò ex his omnibus cõcludo quod propoſitum eſt, nempe, Anglicanam ſectam, ſeu congregationem, aut qualencũque Eccleſiam, quæ ſectam illam profitetur, catholicã iure non poſſe nũcupari, ac proinde neque eſſe. Probatur primò, quia hoc nomen non debetur, neque poteſt iure tribui, niſi vni Eccleſiæ, & quæ vera Chriſti Eccleſia ſit, ita enim in ſymbolo confitemur omnes, veram, & ſanctam Eccleſiam vnam, & Catholicam eſſe; ſed oſtenſum eſt, Eccleſiam Romanam eſſe Catholicam: ergò Angli-

Prima ratio

Anglicana catholica nõ eſt. Probatur cõſequentia, quia Eccleſia Anglicana neq; eſt Romana, neque illi eſt vnita, ſed ab illa omninò diuiſa, tùm in fide, & dogmatibus, tùm etiam in obedientia, & vinculo charitatis.

14. Secunda ratio.

Secundò idem facilè oſtendi poteſt ex defectu ſucceſsionis, & originis ab illa Eccleſia primitiua, quæ primùm catholica dicta eſt. Hanc enim ſucceſsionem nunc non habet Eccleſia Anglicana: ergo neque nomen catholicæ iure (vt aiunt) hæreditario potuit adipiſci. Conſequentia eſt euidens ex dictis. Antecedens autem latè probatum eſt in toto diſcurſu capitis primi, & ſecundi, & iterum neceſſariò occurret in capite ſequenti, & breuiter declaratur. Quia ſecta Anglicana quoad id, quod illi maximè proprium eſt, & quaſi differentia diſtinguẽs illam non ſolùm ab Eccleſia Catholica, ſed etiam ab omni Eccleſia malignantiũ, videlicèt, quoad recognitionem temporalis Regis in ratione ſupremi capitis in Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, incepit ab Henrico VIII. ante ſeptuaginta, & quatuor, vel quinque annos, & nulla illius mentio priùs facta eſt in mũdo: neq; illud genus reipublicæ, aut capitis ſpiritualis originem ducit ab Eccleſia primitiua, quia nullum in Scriptura, vel in prędicatione Apoſtolorum fundamentum habet, vt libro tertio latè oſtendemus; ergò quoad hanc partem caret dicta ſucceſsione. Quoad alteram verò, quæ in ea ſpectari poteſt de alijs dogmatibus, in quibus ab Eccleſia Romana diſsidet, initium habuit à Caluino, & ex parte etiam à Luthero, qui profectò in doctrina ſucceſsionem ex Apoſtolis, ſeu Catholica Eccleſia non habẽt: nam ſi ex illa eſſent, permanſiſſent in illa, at ex illa exierunt, quia nouos errores doctrinæ Apoſtolicæ contrarios excogitarunt, vt ab alijs Catholicis authoribus ſæpiùs eſt probatum, & eſt luce meridiana clarius; ergò etiam quoad hanc partem Anglicana ſecta caret ſucceſsione. Quod etiam in lib. 2. expendendo confeſsionem fidei Regis Angliæ fiet euidentius: ergò nullum verum, vel apparentem titulum habet illa ſecta, quo poſsit catholica nũcupari.

15. 3. ratio.

Tertiò vti poſſumus argumento, ſeu ſigno, quo vtuntur Antiquiſsimi Patres A ad cognoſcendum congregationem, vel ſectam non catholicam, & illam à catholica diſtinguendam. Quotieſcunq; enim ſecta aliqua proprium nomen habet à magiſtro, vel præceptore talis doctrinę, & ſectatores eius ab eodem præceptore nomen accipiunt, ſignũ eſt, nec doctrinam, nec perſonas, nec earum congregationem eſſe catholicam.

Secta, quæ propriũ nomen à magiſtro ſuo ſortitur, catholica non eſt.

Quod ſignum explicat latè Athanaſius Orat. 2. contra Arianos circa principium dicens, *Nunquam populus Chriſtianus ab Epiſcopis ſuis, ſed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit, nec ab Apoſtolis, neque à præceptoribus, miniſtriſq; Euangelij, &c. Illi verò, qui aliundè originem fidei ſuæ deducunt, merito authorum ſuorum cognomenta præſeferunt.* Et deindè id oſtendit, diſcurrendo per omnes hæreticos vſque ad Arianos, dicens, *Beato Alexandro Arium eijciente, ij, qui Alexandro adhæſerunt, remanſerunt Chriſtiani: qui vna cum Ario receſſerunt, nomen Saluatoris noſtri Alexãdro cum ſuis relinquentibus, Ariani deinceps appellati ſunt.* Additque deinceps, etiam poſt mortem Arij idem ſeruatum eſſe, & inter alia ait, *Omnes, qui eiuſdem cum Ario ſententiæ fuerunt, ex eo notas ſuas, inſigniaq; habentes, Ariani nuncupantur, quod re vera eximium, & magnum argumẽtum eſt. Nam qui ex gentibus ad Eccleſiam veniunt, non catechizantium, ſeu fidei rudimenta tradentium nomina, ſed Saluatoris in ſe transferunt, & pro gentilibus Chriſtiani incipiunt appellari. Qui verò, & ex eodem genere ad iſtos abeunt, aut ab Eccleſia ad hæreſim tranſitum faciunt, nomen Chriſti derelinquunt, & Arianoram vocabulo induuntur, quaſi qui non ampliùs fidem Chriſti retineant, ſed Arianæ inſaniæ gregales habẽtur.* Quod latè proſequitur, indè concludens, tales ſic nominatos non ſolùm de numero Eccleſiæ Catholicæ non eſſe, verùm etiam nec Chriſtianos, quia fidẽ Apoſtolicam iam deſeruiſſent.

Athanaſ.

B C D

16. Chryſoſt.

Deinde Chryſoſtomus homil. 33. in Acta circa finem, vbi proponit quæſtionem, ſi gentilis volens fieri Chriſtianus, inter eos, qui hoc nomen profitentur, diuiſiones in dogmatibus inueniat, & ideò dubitet, quam partem eligat, & inter alia documenta, quę ponit ad dignoſcendam veram, & catholicam fidem, ſeu Eccleſiam vnum eſt. *Illi*, id eſt hæretici,

habent

habent quoſdam, à quibus appellentur, prout enim hæreſiarchæ nomen, ita & ſecta vocatur, nobis autem nullus vir nomen dedit, ſed fides ipſa, per hoc vltimum verbum ſignificans, à fide Catholica vocatos eſſe fideles catholicos, vel etiam Eccleſiam ipſam catholicam. Et eandem ſic concludit, *Nunquid ſcindimur ab Eccleſia, nùm hæreſiarcas habemus, nùm ab hominibus cognomen habemus, nunquid nobis dux quidam eſt, ſicut illi Marcion, illi Manichæus, huic Arrius, quod ſi nos agnominationem cuiuſdā ſortimur, ſed non vt ab hæreſum Principibus, ſed, vt ab his, qui præſunt nobis, & gubernāt Eccleſiam. Non habemus Doctores ſuper terram, abſit, vnum habemus in cœlis. Et illi, inquit, eadem prætexerunt. Sed aſſiſtit nomen accuſans illos, &c.*

17. *Lactant.* Idem ſignum tradidit Lactanti. lib. 4. de Vera ſapient. cap. vlt. vbi ait, multos excidiſſe à doctrina Dei, credendo falſis prophetis, & veram traditionem relinquendo, ſubiungitque, *Sed illi dæmoniacis fraudibus irretiti, quas proſpicere, & cauere debuerant, diuinum nomen, & cultū per imprudentiam perdiderunt, cùm enim Marcionitæ, Ariani* (adde, Lutherani, Caluiniſtæ) *ſeu quilibet alij nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo humana, & externa vocabula induerunt: ſola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verū cultum retinet, hìc eſt fons veritatis, &c.*

Hieron. Huic quoq; doctrinæ conſentit D. Hieronymus dialogo contra Luciferianos c. 9. aliàs col. vltim. vbi hanc tradit regulā, *Sicubì aduertis eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quodam alio nuncupari, vtpotè Marcionitas, Valentianianos, &c. Scito, non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam: ex hoc enim ipſo, quod poſteà inſtituti ſunt, eos ſe eſſe indicant, quos futuros Apoſtolus prænunciauit.*

Optatus. Sic etiam Optatus lib. 3. contra Parmenian. colum. 4. hoc argumēto maximè exprobrat Donato dicens, *Cùm ante ipſius ſuperbiam omnes, qui in Chriſto crediderant, Chriſtiani vocarentur, auſus eſt populū cum Deo diuidere, vt qui illum ſequuti ſūt, iam non Chriſtiani vocarentur, ſed Donatiſtæ.* Quod latè proſequitur. Denique idé

Auguſt. ſumitur ex Auguſtino dicto lib. contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. & libro contra Sermonem Arianorum cap. 36. vbi inquit: *Ita ſe habet catholicæ veritatis antiquitas, vt ei omnes hæretici diuerſa nomina imponant, cùm ipſi ſua ſingula, ſicut ab omnibus appellantur, obtineant.*

Cauſa verò, & ratio huius ſigni quaſi ex natura rei reddi poteſt, quia omnis hæreſis aliquam nouitatem contra antiquam fidem comminiſcitur, nouis autē rebus exiſtentibus neceſſaria ſunt noua nomina, quibus ſignificentur, & ab alijs diſcernantur. Hac ergò ratione ſicut Philoſophorum ſcholæ ab inuentoribus, ſeu primis præceptoribus nomen acceperūt, ita etiam ſectæ hæreticorum à ſuis etiam magiſtris, quibus diſcriminentur, receperūt nomina. Atq; ita Irenæ. lib. 1. cap. 20. in fine de ſectatoribus Simonis dixit, *Habent quoq; & vocabulum, ſeu nomen à Principe impijſsimæ ſententiæ Simone dicti Simoniani*, & Iuſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone pagin. 26. generaliter de hæreticis dixit, *Ex nouis prodeunt à virorum appellatione, ex quibus vnaquæq; diſciplina, & ſententia originem habuit.* Et infrà, *Ac eorum quidem nonnulli Marciani vocantur, alij Valentiniani, alij alio nomine à ſententiæ, diſciplinæq; principe vnuſquiſq; nominatur, quemadmodum etiam vnuſquiſq; eorum, qui ſibi philoſophandum cēſent à Parente diſciplinæ nomē philoſophiæ, cui ſtudet, ſibi imponendum cenſet.* Ita ergò in hæreticis obſeruatū eſt tanquam moraliter neceſſarium, & ex rei natura cōſequens. At verò Catholica Eccleſia antiquitatem ſemper obſeruat, nullamque nouitatem priori fidei contrariā admittit, ideoq; nouo nomine non indiget, ſed antiquum ſemper retinet, ſicut & religionem à Chriſto primitùs inſtitutam.

18. Curvnaquęque hæreſis ab inuentore ſuo nominetur.

Irenæus.

Iuſtin. martyr.

Hoc autē ipſum, quod antiqui Patres de hæreticis antiquis docuerunt, in nouis etiam obſeruatū eſſe cernimus: nam inſurgente Luthero, Sectatores eius ab ipſo Lutherani vocati ſunt, à Caluino, Caluiniſtæ à Zuinglio Zuingliani, & ſic de alijs, vt ex communi more loquendi totius orbis Chriſtiani, & omnium ſcriptorum huius temporis palàm euadit. Imò de ſectarijs Lutheri conſtat, ſe ipſos vocaſſe Lutheranos in confeſsione Auguſtana, non longè à principio. Cùm ergo ſecta Anglicana in re non alia ſit, quàm Caluiniana, non minùs idem nomen participat, & eo indicio oſtenditur, qualis ſit, vtique nō catholica, ſed potiùs à catho-

19. Non tātum antiqui hæretici, ſed etiam noui à ſuis Hereſiarchis cognominātur

Refert Stapleton. lib. 1. controu. 4.

à catholica deficiens. Quòd ſi fortaſſe nō ita à pleriſque vocitetur, quia ſuum primarium fundamentū Caluinus non probauit, vocari profectò poſſet Henriciana, quia cùm Rex Henricus fuerit primus author illius erroris, non minùs poſſent ſectatores eius ab eo nomen accipere, quam alij hæretici à ſuis ducibus reportarunt. Fortaſſe tamen hoc non eſt vſu receptum, vel quia Henricus, licèt illud dogma inuexerit, in reliquis voluit catholicam religionem in ſuo regno ſeruari, vt ſuprà notauimus, vel certè, quia non ſua tantùm authoritate, ſed celebri actu Parlamenti ſui inſtitutum eſt, vt Rex in ſupremum caput ſuæ Eccleſiæ ſuſciperetur. (Mauricius Canneus ſupra cap. 9.) Hoc verò non obſtat, quin hinc etiam illa ſecta ſpecialiter Anglicana nuncupetur, quia ſpeciali arbitrio illius regni, ſeu Parlamenti definitus eſt, non ſolùm ille articulus, ſed etiam modus religionis ex varijs nouis erroribus miſtus, in illo regno obſeruandus: ergò vtcumque res ſe habeat, ſemper illa ſecta nouo nomine indiguit, vt cognoſci, & diſcerni poſsit, illudque à ſuo proximo inuentore, vel inſtitutore participat; ergò in illa etiam locum habet dictum indicium, & conſequenter ex teſtimonio omnium Patrum, qui ſignum illud dederunt, catholica non eſt.

CAPVT XIII.

Obiectionibus contra doctrinam ſuperioris capitis occurritur.

1. CONTRA diſcurſum ſuperiori capite factum duo poſſunt Proteſtantes obijcere. Vnum eſt, etiā Catholicos ſolere appellari nouis nominibus, quando controuerſiæ de doctrina oriuntur, & ita vel nullum eſſe indicium vel ex illo etiam inferendum eſſe, fideles non eſſe catholicos. (Prima obiectio.) Aſſumptum patet, quia tempore Arij diſſentientes ab illo & defenſores Concilij Nicæni Homouſiani vocati ſunt. Imò eo tempore fideles, Romani vocabantur, vt ſumitur ex Victore Vticenſi lib. 1. de Perſecut. (Victor Vticen.) Vandalica circa finem, vbi refert, cùm Theodoricus Armogaſtem fidelem capite truncari iuſsiſſet, Iocundum præſbyterum conſuluiſſe illi, vt potiùs diuer-

A ſis afflictionibus interficeret. *Nam ſi gladio peremeris* (inquit) *incipiet Romam martyrem prædicare.* Quam vocem exponens Gregor. Turonenſis libro 1. de Gloria Martyrum cap. 25. dicit, *Romanos enim vocant homines noſtræ religionis.* (Catholici vocabantur Homouſiani, & Romani, & nunc Papiſtæ, & cæt. — Greg. Tur.) Deinde etiam nunc quos nos vocamus Catholicos, Rex in ſua Præfatione Pontificios vocat, vulguſq; Papiſtas appellat, & ſimiliter quam nos vocamus Eccleſiā Catholicam, Rex appellat Romanam Religionem. Altera obiectio eſt, quia ſicut nos Catholicorum nomen nobis vendi- (2. obiectio.)
B camus, ita etiā hæretici contendunt ſuā religionem eſſe catholicam, & conſequēter etiam ſe ipſos catholicos appellant. Quòd ſi nobis non nocent alia nomina ab alijs impoſita, ita etiam ipſi dicent, ex alijs nominibus ipſis impoſitis nullam præſumptionem falſæ ſectæ contra illos ſumi, ſed potiùs per illa indicari reformatam religionem, vt Rex etiam loquitur, vel purum, & verum Euangelium, vt Puritani, & Euangelici contendunt.

Ad priorem partem in primis generatim dico cum Auguſtino libr. contra Sermonem Arianor. cap. 36. ita ſe ſe habere catholicæ veritatis antiquitatem, *vt* (2. Solutio ad 1. — Auguſt.)
C *ei omnes hæretici diuerſa nomina imponant, cum ipſi ſua ſingula, ſicut ab omnibus appellantur, obtineant.* Quibus verbis differentiam indicat, quòd quoties talia nomina imponuntur catholicis, à ſolis hæreticis imponuntur, & ab alijs non recipiūtur, quia neceſſaria non ſunt reſpectu aliorum, ſed ipſi hæretici illa inueniunt, vel in iniuriam, & infamiam catholicorum, vel vt ſe ipſos catholicos venditent. E cōtrario verò peculiaria nomina ſectarum hæreticarum, quaſi ex natura rei, vt dixi, cum ipſis naſcuntur, & ita ſtatim ve-
D niunt in vſum omnium, etiam ipſorummet ſectariorum, qui eiſdem nominibus ſe ipſos appellant. Atque ita Auguſtin. dicto cap. 36. contra ſermonem Arianor. (Auguſt.) de nomine Homouſianorum dicit, *Ariani, & Eunomiani non alij hæretici, nos vocāt Homouſianos, quia contra eorum errorem græco vocabulo Homouſion, defendimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.* Nūquam ergo illud fuit Catholicorum nomen, ſed inuentum fuit ab hæreticis, & non ab omnibus, ſed ab illis, quibus nomen Homouſion erat infeſtum, quia per illud

illud eorum error detegebatur, & tergiuerſationes euitabantur. Idemq; in hæreticis huius temporis obſeruari poteſt: nam quia Chriſti Vicarium, quem nos Papam, & Summum Pontifice, & Epiſcopum Romanum appellamus, odio proſequuntur, ideo ad ignominiam eorum, qui illi ſedi obediunt, & ad conflandam eidem ſedi inuidiam, Catholicos vocant Papiſtas, Pontificios, & Romaniſtas. Sicut autem Ariani non potuerunt nomẽ à ſe inuentum introducere in Eccleſiam, ſed illi tantùm eo abuſi ſunt, ita etiã hæc nomina ab hæreticis inuenta inter eos tantùm circunferũtur, Catholici autem neque eis vtuntur, neque de illis ſolliciti ſunt, quia nihil ſibi nocere poſſunt.

In quo eſt etiam valdè notandum, ta-
3. lia eſſe hæc nomina, quæ hæretici catho-
licis imponunt, vt etiam illa diuiſionem non indicent ab Eccleſia catholica, neque in doctrina nouitatem, aut ſingularitatẽ. Quod etiam de nomine Homouſianorũ indicauit Auguſtinus ſuprà dicens, Ipſo illo nomine ſignificatos eſſe ab hæreticis defenſores veræ Trinitatis, quia nõ poſſent eſſe verus Pater, & Filius, niſi eſſent eiuſdem naturæ. Vnde rectè concludit, *Ecce qui nos quaſi macula noui nominis vocant Homouſianos, nec ſe ipſos, cùm iſta ſentiunt, intuentur inſanos.* Atque hoc ipſum contingit nouis hæreticis, cùm enim nos Papiſtas, vel Pontificios vocant, non aliquid nouũ nobis tribuunt, ſed quod omni tempore catholicis omnibus commune fuit, & ita velint, nolint, eiſdem nominibus nos catholicos vocant. Nam & Romanorum, & Romaniſtarũ nomina paulò anteà oſtẽdimus, iam olim catholicos ſignificaſſe. Sicut etiam ſuprà ex Hieronymo, Ambroſio, & alijs oſtendimus olim Catholicam Eccleſiam Romanam fuiſſe vocatam, ſeu pro eadem reputatã. Quòd ergo fides noſtra, religio Romana à Rege Angliæ vocetur, ſine offenſione audiri poſſet, ſi recta mente diceretur, quia religio Romana neq; noua eſt, neq; priuata, ſed eadem eſt quæ catholica, & vtrumque nomen eſt antiquitatis, non nouitatis. Et ita etiam accipi poteſt quod Chryſoſt. dicta Homil. 33. in Acta pronunciauit, *non eſſe inconueniens, interdùm fideles nomen accipere ab his, qui præſunt, & gubernant Eccleſiam*, vtique, quando per

Nomina, quæ hæretici Catholicis imponũt doctrinę nouitatem nõ indicant.

August.

Chryſoſt.

A t alia nomina non ſignificatur aliud, quã debitus ordo, & inſtitutio antiqua Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, & monarchiæ. Secùs verò videmus accidere in proprijs hęreticorũ nominibus, omnia enim denotant vel nouam doctrinæ inuentionem, maximè ea, quæ à nominibus hæreſiarcharum ſumuntur, vel diuiſionem, & ſeparationem, vt in generali nomen Sectariorum, vel in particulari nomen ſectæ Anglicanæ, vel aliud ſimile.

Ad ſecũdam obiectionis partem, reſpondeo, non eſſe nouum, vt *hæretici penes ſe eſſe veritatem catholicam mentiantur*; 4.
B de Arianis enim id iam olim Hilarius dicto canon. 10. in Matt. animaduertit, & Auguſtin. 15. contra Fauſt. cap. 3. dixit, *Mirabilis eſt impudentia, cùm Manichæorum ſacrilega, & immunda ſocietas etiam caſtam ſponſam Chriſti ſe iactare nõ dubitat; in quo aduerſus ſanctæ Eccleſiæ veræ catholicæ caſta membra quid proficit? &c.* Et inferiùs, *Noli* (dicit ad Eccleſiam) *decipi nomine veritatis, hanc ſola tu habes & in lacte tuo, & in pane tuo: in hac autem* (id eſt, Manichæorũ congregatione) *tantùm nomen eius eſt* (id eſt, vſurpatũ nomen veritatis) *ipſa non eſt.* Et de Donatiſtis idem ſæpè
C refert Auguſtinus, & ſpecialiter Optat[9] lib. 1. contra Parmenian. circa finẽ. Non eſt ergò mirum, quòd hodie etiam Proteſtantes catholicorum nomen vſurpent, ne ſuam doctrinam hæreticã eſſe ſtatim fateri videantur, ſicut etiam Satanas trãſfigurat ſe in Angelũ lucis, vt latere poſſit, & decipere. Tanta verò eſt vis veritatis, vt etiã ipſi hæretici non niſi timidè, & cũ rubore catholicorũ nomen auſi fuerint ſibi arrogare, vt lib. 2. de Schiſmate Anglicano in Eduardo. vj. Sanderus notauit. Vnde fit, vt licèt aliqui ſe ipſos ita
D cõpellent, ab alijs, & ab vniuerſo orbe nõ ſic nominentur, nec per illud nomẽ cognoſcantur. Quod longè aliter in veris catholicis obſeruatur, non enim catholicorũ nomen ſibi ipſi aſſumunt, ſed ab ipſa fide antiqua quam profitentur, quaſi hæreditario iure illud recipiũt, & ita illo nomine vbique appellantur, & per illud ab omnibus cognoſcuntur, cuius religionis ſint, ſcilicet, Romanę, & Apoſtolicę, atq; ab ipſis etiã hæreticis, cũ ſine fuco, ingenuè, & cõmuni modo loquũtur, ita appellantur. Quòd ergo interdũ ijdẽ hæretici

Solut. ad 2.

Hilarius.
Auguſt.

Optatus.

Sanderus.

aliquo peculiari modo illo nomine abutũtur, nihil obſtat, quominùs illud attributum abſolutè, & ſecundũ ſe ſpectatũ ſignũ certũ ſit veræ, & orthodoxæ fidei.

CAPVT XIIII.

Ex ratione Catholici nominis diſcurſus capitis præcedentis confirmatur.

1. DVO in hoc catholico cognomine præcedẽti capite diſtinximus, ſcilicet, denominationem, ſeu deſignationẽ ab ipſo vocabulo ſumptã, & rationem nominis, ſeu proprietatem per illud ſignificatã, cùm ergo priorẽ appellationem oſtenderimus, veram fidem, & Eccleſiam indicare, id nunc euidentiùs fiet, rationem vocis explicando. Oſtendemus ergò proprietates per hanc vocẽ ſignificatas in ſchiſmate Anglicano non reperiri, & ideo catholicam fidẽ aut Eccleſiam in eiuſmodi ſchiſmate eſſe non poſſe. Ad hoc autem probandũ ſupponimus, vocem *Catholica*, iuxta etymologiam ex græco ſumptam idẽ ſignificare, quod vniuerſalis, ſeu cõmunis, vt Patres omnes ſtatim citandi in hac materia ſuppon ũt, & eſt adeo vulgare, & receptum, vt in hoc nulla poſſit eſſe controuerſia. Tota ergo conſtitui poteſt in explicãdo, quæ vniuerſalitas in Eccleſia, vel fide ex vi illius nominis requiratur. Poteſt enim in fide (de illa enim præcipuè nũc agim⁹, quãuis idem ferè ſit de Eccleſia, propter ſimilitudinem rationis, & propter connexionem, vt ſuprà dixi) poteſt, inquam, in fide catholica multiplex vniuerſalitas conſiderari. Et quamuis, vt in hac ipſa materia aduertit Aug. Epiſt. 48. col. 10. non ſit de nomine contendendum, nihilominùs dubitari non poteſt, quin illa fides, quæ vniuerſalis fuerit ſecundum omnẽ rationem conſentaneã ſcripturis, & Patribus, ſit propriè, & maximè catholica.

Catholica ex Græco idem & ac vniuerſalis.

Auguſt.

2. Primò ergo dici poteſt fides vniuerſalis ex parte materiæ, quia nimirũ, omnia dogmata ad veram Dei fidem pertinentia ſine diminutione, ſeu partitione cõplectitur. Quam etymologiam indicaſſe videntur Donatiſtæ, qui, vt Auguſtinus ſuprà refert, nolebant *Catholicæ nomen ex totius orbis cõmunione interpretari, ſed ex obſeruatione præceptorum diuinorum, atq; ſacramentorum omnium*. Quorum ſententiam licèt quoad priorem partem negatiuã reprehendat Auguſtinus, vt paulo poſt videbimus, de altera deriuatione vocis ſolùm dicit, *ſi forte hinc ſit appellata catholica, quòd totum veraciter teneat, cuius veritatis nonnullæ particulæ etiã in diuerſis inueniuntur hæreſibus*, nihil impedire, imò etiam in fauorem Eccleſiæ catholicæ redundare, quia illa ſola eſt, quæ integram veritatẽ retinet, & omnia diuina ſacramẽta à Chriſto inſtituta conſeruat, & iuxta illius ſpiritum docet, ac credit. Dici etiã poteſt obſeruare omnia diuina mandata, tùm in ordine ad fidem, quia inter dogmata fidei etiam illa numerantur, quæ per fidẽ reuelantur; tùm etiam in ordine ad obedientiam, & charitatem, quia cùm vera Eccleſia, ſancta dicatur, & credatur in ſymbolo Apoſtolorũ, & ſine obſeruatione mandatorũ nõ ſit vera ſanctitas, nõ poteſt catholica Eccleſia eſſe ſine omniũ mandatorũ obſeruatione. Vera enim sãctitas ſine charitate eſſe non poteſt. 1. ad Corin. 13. ad Galat. 5. & ad Roman. 5. & charitas ſecum affert obſeruationẽ mandatorum omniũ Ioan. 14. & 15. Igitur ſicut ſanctitas ita etiam præceptorum vniuerſalis obſeruatio neceſſaria eſt in ipſo corpore Eccleſiæ catholicæ; licèt in ſingulis perſonis eius, vt catholici dicantur, & verè ſint, nõ ſit neceſſaria hæc mandatorũ omniũ obſeruatio quatenùs ad volũtatẽ ſpectat, quia ſine illa poſſunt integrã fidem, etiam de ipſis præceptis retinere, quod alibi oſtendendum eſt: nam ad præſens negotium parum conferre videtur.

Fides dicitur primo vniuerſalis ratione materiæ.

Auguſt.

1. Cor. 13. Galat. 5. Ad Rom. 5. Ioan. 14. & 15.

Si ergo ab hac proprietate velimus fidem nominare catholicam, profectò manifeſtũ eſt, in Anglicana ſecta fidem catholicam nõ reperiri; quia non habet integram veritatẽ. Hoc vero poſteà lib. 2. oſtendendum eſt, demonſtrando, & deſignando errores, in quibus verſatur, eoſque quantum huius operis breuitas permiſerit, redarguendo. Nunc verò generaliter id probare poſſumus ex diſcurſu in principio huius libri facto, quia illa ſecta incepit per defectionem à vera fide; ergò licet aliquam partem doctrinæ fidei admittat, non tamen integram, & inuiolatam illam retinet; ergò fides eius, id eſt, materia fidei (hanc enim nunc fidem appellamus) non eſt vniuerſalis, ac ſub- 3.

A ac ſubinde nec catholica, iuxta etymologiam dictam. Denique fides Romana etiam in hoc ſenſu catholica eſt, vt ſatis probatum relinquitur ex dictis in cap. 4. & 5. in quibus oſtendimus non poſſe ſedẽ Romanam à vera fide deficere. Sed Anglicana ſecta in multis rebus ad fidem pertinentibus, & præcipuè in puncto de Primatu (quod ad fidem ſpectare infrà libr. 3. oſtendam) diſcordat ab Eccleſia Romana; ergò quoad materiæ vniuerſalitatem non eſt catholica.

4. Secundo dicitur vniuerſalis, ex vniuerſali, ſeu cõmuni regula credendi.

4. Secundò requiritur in vera fide vniuerſalitas, ſeu cõmunitas ex parte rationis credendi, & ex parte regulæ, per quã certò diſcernatur à falſa; vnde etiam ex hoc capite potuit Chriſtiana fides vocari Catholica. Quanquam enim Patres expreſſè hanc etymologiam illius vocis nõ attingant: nihilominus non eſt improbãda, quia non eſt contraria alijs proprietatibus, vel vniuerſalitatibus ab eis in illa voce conſideratis, imò in eis virtute cõtinetur, neque enim poteſt eſſe fides vniuerſalis quoad materiam, perſonas, loca, & tempora, niſi etiam rationem, & regulam credendi vniuerſalem, & cõmunem, ſeu publicam ſortiatur. Vnde quidquid ſit de etymologia vocis, de re ipſa dubitari non poteſt, quin fides Chriſtiana poſtulet in primis talem rationem credendi, quæ vniuerſalis ſit, & eadem in tota materia, quæ credenda proponitur. Quę ratio, vt Theologi aiunt, eſt ipſa diuina veritas, ſeu (quod perinde eſt) verbum Dei, quo ipſe præbet teſtimonium veritatis, iuxta illud Pauli. 1. ad Theſſal. 2. *Gratias agimus Deo, quia cùm accepiſsetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei*, & illud. 1. Ioan. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt.* Hoc ergò teſtimonium idem eſſe debet in omnibus credendis, & ideò ratio vniuerſalis dicitur reſpectu Chriſtianæ fidei, aliàs non eſſet in omnibus ęquè certa, imò nec certa fides in re qualibet eſſe poterit, ſi ab illa vniuerſali ratione in aliqua diſcrepet. Regula etiam aliqua neceſſaria eſt, quæ nobis res credendas tanquam à Deo reuelatas infallibiliter proponat, quam debere eſſe publicam, & generalem, in cap. 6. oſtenſum eſt, quia non poteſt eſſe fides vniformis, vt ſic dicam, ſeu eadem in omnibus fidelibus, niſi omnes in eadem communi regula credendi cõueniant; ergò vt fides poſsit eſſe catholica neceſſe eſt, vt ſit vniuerſalis etiã in regula, & ratione credẽdi.

1. Theſſal. 2.

1. Ioan. 2.

5. Conſtare autẽ facile poteſt ex dictis, in ſecta Anglicana hanc proprietatẽ fidei nõ reperiri; ergo etiam ex hoc capite non poteſt illa ſecta fides catholica reputari. Aſſumptũ patet primò, quia illa ſecta veritates aliquas à Deo reuelatas admittit, & ſuo modo credit, alias verò negat, vt infrà ex ipſa Regis confeſsione oſtendemus. B Nam licèt ipſe non cõcedat illa, quæ negat, eſſe à Deo reuelata, tamẽ eo ipſo oſtendit, non diuinũ teſtimoniũ, ſed ſuum arbitrium, & coniecturam habere pro vltima, & primaria ratione credendi: nam ſi diuino teſtimonio in credendo verè niteretur, ęqualiter crederet omnia, quę eodem diuino teſtimonio cõfirmata ſunt. Hic autẽ defectus in ratione credendi prouenit ex defectu regulæ vniuerſalis, quę cum certitudine, & infallibilitate proponat, quid ſit, vel non ſit à Deo reuelatum. Nam in illa ſecta nulla eſt huiuſmodi regula vniuerſalis, & publica, ſed vnuſquiſq; ſibi eſt regula, vt C ſuprà vidimus; ergò talis fides non poteſt eſſe catholica: ſeu (vt rem clariùs explicem) talis modus credendi non poteſt eſſe catholicus, ideſt, aptus ad catholicam fidem. Imò, quod ſic credentes in aliqua materia fidei plures cõueniant, non prouenit ex ratione, aut regula credendi, ſed vel ex aliqua humana conſuetudine, vel ex timore humano, vel alia ſimili ratione. Vnde etiam ſit, vt ad conueniendum aliquo modo in ea ſecta, neceſſarium ſit, maiorem partem hominum adhærentiũ illi relinquere regulam credendi propriã illius ſectę, quę eſt propriũ vniuſcuiuſq; D iudicium, prout ſibi certum videtur, & ſequi aliorum iudicium, ſiue Regis, ſiue Parlamenti, ſiue miniſtrorum. Quomodò enim aliter vulgus credere poſſet? ergò talis fides ex vi regulæ, & rationis credendi non ſolùm catholica non eſt, verũ etiã neque vllo modo vniuerſalis, id eſt, vna, communis multis, & vt fiat aliquo modo cõmunis, fit alia fides purè humana, ideſt, in priuato iudicio alicuius hominis, vel particularis communitatis humanæ fundata; ergò vel hac ratione longiſ-

Secta Anglicana caret vniuerſali credendi regula ad veram fidem maximè neceſſaria.

ſimè diſtat à fidei catholicæ proprietate.

6. Tertiò fides vniuerſalis, & quoad omnes gradus perſonarum. Ad Ephe. 4. & 1. ad Corin. 12.

Tertiò dici poteſt fides, ſeu Eccleſia, Catholica, quia vniuerſalis eſt quoad omnes gradus, & ordines perſonarum, quod his verbis nos docuit Cyrill. Hieroſolymitan. catecheſi. 18. *Eccleſia anteà ſterilis erat, nunc autem multorũ eſt liberorum parens. Illa enim priore extincta, in hac altera Eccleſia Catholica, vt Paulus dicit, Deus poſuit quidem primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, poſteà virtutes, tùm gratias curationum, opitulationes, gubernationes, & omne genus totius virtutis, ſapientiam dico, & intellectum, temperantiam, & humanitatem, & in perſecutionibus patientiam irreprehẽſibilem, quæ per arma iuſtitiæ proſpera, & aduerſa, per gloriam, & ignominiam, primùm quidem in perſecutionibus, & tribulationibus, Martyres, & Sanctos diuerſis coronis patientiæ, & multum florentibus coronauit, quibus ipſa Eccleſia ornata eſt, nunc verò temporibus pacis, gratia Chriſti, debitum habet honorem à Regibus, & illuſtribus, & omni genere hominum.* In quibus verbis varios modos indicat, ꝓpter quos dici poteſt Eccleſia, Catholica, quia omnia genera, & gradus perſonarum complectitur. Vnus & notior, ac facilior eſt, quia omnibus hominibus cuiuſcunque nationis, prouinciæ, linguæ, qualitatis, vel conditionis vtilis eſt, imò & ad ſalutem neceſſaria, & ideò omnes ad ſe vocat ſiue Iudæos, ſiue gentiles, &c. iuxta illud Pauli ad Coloſſen. 3. *Vbi non eſt gentilis, & Iudæus, circunciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſeruus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Significauit etiam hunc modum Auguſtinus in illa verba Pſalm. 65. *Iubilate Deo omnis terra,* dicẽs, *Non ergò ſola Iudæa. Videte fratres, quomodò commendetur vniuerſitas Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, & non ſolùm dolete Iudæos, qui hanc gratiam gentibus inuidebant, ſed plus hæreticos plangite, ſi enim dolendi ſunt, qui collecti non ſunt, quantò ampliùs, qui collecti diuiſi ſunt.* Veruntamen hoc modo explicata hæc vniuerſalitas (vt ex his verbis Auguſtini liquet) parùm differt ab vniuerſalitate loci, & ſtatim cum illa magis explanabitur.

Ad Coloſſ. 3. — *Auguſt.*

8. Eccleſia vniuerſalis eſt quoad gradus, & munera.

Alter modus indicatus à Cyrillo eſt, quia Eccleſia Catholica debet conſtare ex omnibus membris, & gradibus, gratijs, & donis, quibus illam depingit Apoſtolus Paulus. Vnde Auguſtin. ait lib. 1. de Doctrin. Chriſtia. cap. 16. *Catholica Eccleſia corpus Chriſti, ſicut Apoſtolica doctrina commendat, quæ etiam coniux eius dicitur. Corpus ergò ſuum multis membris diuerſa officia gerentibus, nodo vnitatis, & charitatis, tanquã ſanitatis adſtringit.* Cùm igitur Eccleſia ſit Chriſti ſponſa, quam ipſe ſibi *exhibuit glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata,* id eſt, omni genere virtutum, & gratiarum abundãs, ad eius pulchritudinem pertinet, vt ſit integra, & conſtans ex omni varietate mẽbrorum, & omnibus gratijs, miniſterijs, operationibus, & virtutibus, quibus eam Chriſtus conſtare voluit. De quibus ſic ſcribit Optatus lib. 2. contra Parmenian. non longè à principio, *Certa membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, presbyteros, diaconos, miniſtros, & turbam fidelium.* De horum autem membrorum varietate, & de muneribus ſingulorũ, & quomodo ſint ſemper neceſſaria Eccleſiæ, non eſt hic dicendi locus, poſtulat enim integrum opus de Eccleſiaſtica Hierarchia. Satis ergò nobis ſit, in corpore myſtico Chriſti, ex ſententia Pauli, requiri dictam membrorum varietatem, quæ vſque ad conſummationem Sanctorum, in eo eſt duratura. Ac proinde iuxta ſententiam Cyrilli, recte potuiſſe Eccleſiam ab hac membrorum vniuerſitate, & varietate donorum, catholicam appellari. Et (vt iam dixi) quidquid de impoſitione nominis ſit, de re ipſa negari non poteſt, quin hæc integritas, & varietas ad ſplendorem, & maieſtatem Eccleſiæ Catholicæ ſpectet, & ad eius conſeruationem, & perfectionem non ſolùm vtilis, ſed etiam neceſſaria ſit, ideoque non poſſe Catholicam Eccleſiam reputari, quæ hac excellẽtia, & integritate fuerit deſtituta.

Epheſ. 4. & 5. 1. Cor. 12. Auguſt. — *Optatus.*

Non eſt autem difficile oſtendere, hãc perfectionem Eccleſię in ſchiſmate Anglicano non inueniri. Primo quidem, & præcipuè, quia non habet Paſtorem, & Epiſcopum cui adhæreat, quod ſecundũ Chriſti inſtitutionem maximè ad veritatem Eccleſię neceſſariũ eſt, vt ex Mat. 16. & Ioan. 21. non obſcurè colligitur. Ideoq; Cyprian. epiſt. 69. ſic Eccleſiam definit, *Eccleſia eſt plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.* At Anglicana congre- 9.

Prædictas Eccleſię conditiones Anglicanæ ſectæ deficere oſtenditur. *Matt.* 16. *Ioan.* 21. *Cyprian.*

congregatio non ſacerdoti, ſed Regi adunatur, nec paſtori ſuo adhæret, non eſt enim paſtor gregis Chriſti, niſi quẽ ipſe conſtituerit, non conſtituit autem Regẽ, ſed Petrũ, & ſucceſſores eius. *Vnde* (addit Cyprianus) *ſcire debes, Epiſcopũ in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe, & fruſtra blandiri eos, qui partem cum ſacerdotibus Dei non habentes, obrepunt, & latẽter apud quoſdam communicare ſe credunt, quãdo Eccleſia, quæ catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neq; diuiſa, ſed ſit vtiq; connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata.* Quibus verbis omnia cõuenticula hæreticorũ graphicè depingit, & pręcipuè Anglicanũ, quod (præſertim vniuerſe ſumptum) in Epiſcopo non eſt, nec Epiſcopus in ipſo, nec ſacerdotes habet, quorum glutino copuletur, niſi fortè dicant, miniſtros eſſe ſacerdotes, aut Regẽ eſſe Epiſcopũ, quod ſatis eſſet ridiculũ. Neq; ab ipſis dicitur, quia ſacerdotes in Eccleſia eſſe, non credunt, ſicut & ſacrificium eſſe negant, neque etiam de illis miniſtris verè cogitari poteſt, cum legitimè ordinati non ſint.

9. Occurritur euaſioni.

Quòd ſi fortaſſe miniſtri contendant, Angliam non carere ſuis Epiſcopis, quibus ſingulæ plebes adhęrent. Reſpondemus in primis cum eodẽ Cypriano epiſt. 76. illos non eſſe veros Epiſcopos, ſed nomine tantũ. Quia *Epiſcopus computari non poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt*: neq; etiam, qui ſecundum legitimum Eccleſiæ ritum ordinatus nõ eſt. Deindè reſpõdeo, Cyprianũ non ſolùm de ſingulis particularibus Eccleſijs, ſed etiã de vniuerſali Eccleſia catholica eſſe loquutũ, docet enim ita eſſe vnã, vt vni etiam cõmuni Epiſcopo debeat eſſe cõiuncta: ſic enim epiſt. 76. dixit, Eccleſiã eſſe vnam, *quæ apud Cornelium fuit, qui Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit.* Et epi. 55. ad eundẽ Corneli. *Non aliunde* (ait) *hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quã inde, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegiũ quidquã moueret.* Vbi aperte loquitur de vno Epiſcopo ſupremo, & illum quaſi per antonomaſiam vocat *Sacerdotẽ Dei, & iudicem vice Chriſti, & ſacerdotem vnũ, cui tota fraternitas obedit.* Et in lib. de Vnit. Eccleſ. idem latè docet, & in ſuis epiſtolis ita vnitatem Eccleſię catholicæ ſępè ſæpiùs exponit. Hominum ergò congregatio, quæ non vni Epiſcopo, ſed vni Regi temporali adhęret, neq; veros Epiſcopos habet, nec veros ſacerdotes, nullam Catholicæ Eccleſiæ ſpeciem, ne dùm veritatem præ ſe fert.

Neq; Iacobo Regi quidquam cõfert, quòd ſæpè in ſua Præfatione repetit, ſe Hierarchiam Eccleſiaſticam vbiq; in ſuo regno reſtituiſſe, & cõtra Puritanos defendiſſe: non enim veram Eccleſiaſticã hierarchiam, quam Chriſtus inſtituit, ſed humanam, & politicam, quam ipſe apparenti quadam coniectura ductus imitari voluit, retinuit, ac defẽdit. Hoc enim eſt, quod ingenuè ipſe fatetur pag. 54. dicẽs, *Et quo ſtudio in Epiſcoporũ, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ (politici duntaxat ordinis cauſa) defenſionem ſemper incubui, eodem inconfuſam illam anarchiam, & parilitatem Puritanorum inuectus ſum.* Et iterum pag. 56. repetit, ſe adiquod diſcrimen inter Epiſcopos, & Patriarcharum inſtitutionem admittere, addit tamen, *Ordinis, & diſcriminis cauſa*, & paulò poſt pag. 57. tertiò idẽ inculcat, addendo, *Sic enim intelligi volo.* Longè ergò diuerſa eſt illa hierarchiæ vmbra à veritate à Chriſto inſtituta, & à Patribus tradita.

10. Non Eccleſiaſticã, ſed politicã Hierarchia Anglia retinet.

Chriſtus enim non poſuit in Eccleſia Epiſcopos ſolùm propter politicũ ordinem, ſed *vt regerent Eccleſiam ſuam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Act. 20. & vt curã illius gererent, non tantũ externã, & politicam, ſed maximè ſpirituałẽ, & ſalutẽ animarum procurantem, iuxta illud ad Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Propter quod Cyprian. epiſt. 55. poteſtatem Epiſcoporum ad Eccleſiam gubernandã *ſublimem, & diuinã* vocat. Et meritò quidẽ, quia & à Chriſto Deo, & homine data eſt, & cũ admirabili poteſtate remittẽdi, & retinẽdi peccata, & ſoluendi, ac ligandi in terra, quę in cęlis rata habeantur. Nõ eſt enim Eccleſia Chriſti corpus merè politicũ, ſed myſticũ, & quodãmodò diuinũ, & ideò nõ ſolùm propter politicum ordi-

11. *Actor. 20.* *Hebr. 13.* *Cyprian.*

ordinem, ſed propter ſpiritualem finem hierarchiam requirit *ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt Paulus dixit. Et ideò diuerſitas horum membrorum, & graduum non in externis dotibus, aut temporalibus bonis conſiſtit, ſed in diuerſis donationibus *ſecundum gratias, quæ datæ ſunt nobis differentes*, vt proſequitur Paulus ad Roman. 12. & 1. ad Corinth. 12. Quibus donis, & gratijs abundauit ſemper Eccleſia Catholica, & vſque ad hodiernum diem eandem excellentiam, & donorum in Eccleſia Romana varietatem conſpicamur. Quàm verò ab hac perfectione, & ſplendore gratiæ abſint Proteſtantium conuenticula deplorandum potiùs eſt, quàm deſcribendum, & toti terrarũ orbi notius, quàm vt noſtra probatione indigeat, præſertim, quia ex ipſamet Regis confeſſione ſufficiens huius rei probatio ſumitur. Nã ex his, quæ in Prȩfatione eius notauimus, duo colliguntur. Vnum eſt, in ijs, quæ ad fidem ſpectant, ſolùm priuatum ſpiritum eſſe regulam. Vnde fit conſequens, cùm interior conſcientia ex fide pendeat, nullã aliam regulam, tam pro doctrina, quàm pro conſcientia eſſe in Eccleſia neceſſariam præter vniuſcuiuſque priuatũ ſpiritum. Aliud eſt, miniſtrorum differentiam, ſi qua eſt in Eccleſia, quã ipſe molitur, ſolùm ad externam politiam, & ordinem conſtitutam eſſe: ad quem finem prudentiã quandam humanam ſufficere nemo eſt qui ambigat: ergò omnis ratio diuerſorum donorum, & gratiarum diuini ſpiritus ibi ceſſat. Neque id mirum, cùm fides etiam, quæ eſt omnium gratiarum fundamentum, ibi deficiat, quod neceſſe eſt euenire ijs, *qui Dei traditione contempta, alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt*, vt aliàs teſtatum reliquit Cyprianus.

Rom. 12. 1. Cor. 12.

Cyprianus lib. de Vnitat. Eccl.

CAPVT XV.

Catholicam dici Eccleſiam, quia per totum Orbem diffuſa eſt, oſtenditur, & hæreticis occurritur.

1. PRæcipua magiſq; recepta vocis *Catholicæ* etymologia eſt, quȩ ab vniuerſitate locorũ ſumitur, qua fre-

A quenter Patres contra hæreticos vtuntur, præſertim Auguſtinus multis in locis contra Donatiſtas diſputans, & ex profeſſo toto lib. de Vnit. Eccleſiæ. Vbi per totam ferè Scripturam diſcurrit, veram Chriſti Eccleſiam eſſe illam, quȩ eſt per totum mundum diffuſa, euincẽs, indeq; dictam eſſe catholicam ſupponens, & lib. 2. contra Epiſtol. Gaudentij, c. 2. quoniam ille auſus fuerat affirmare, & teſtimonio Cypriani confirmare, partẽ Donati eſſe Eccleſiam catholicam, contra illum inquit, *Attende, quam Eccleſiam*
B *dixerit ille catholicam. Eccleſia, inquit, Domini luce perfuſa per totum orbẽ radios ſuos porrigit, ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit. Vnũ tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater, fæcũditatis ſucceſsibus copioſa. Quid igitur, & vos ipſos fallitis, & alios fallere mendacijs impudentibus vultis, ſi huius martyris teſtimonio veſtra eſt Eccleſia catholica, oſtendite, illam per orbem totum radios ſuos porrigere, oſtendite, illam per vniuerſam terram ramos ſuos copia vbertatis extendere: hinc enim, & græco vocabulo catholicum nominatur.* Idem latè proſequitur epiſt. 48. & 170. & libr. 2. contra literas Petiliani.

Cypria. de Vnit. Eccleſ.

C Eandem etymologiam tradit Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmeni. vbi in fine refert, duos eſſe Epiſcopos ad Africam miſſos, vt apud Carthaginem pronuntiarent, vbi eſſet catholica, *Et nouiſsima* (inquit) *ſententia eorum Epiſcoporum Eunomij, & Olympij talis legitur, vt dicerent, illam eſſe catholicam, quæ eſſet in toto orbe terrarum diffuſa, & ſententiam decem, & nouem Epiſcoporum iam dudum datam, diſſolui non poſſe*, & lib. 2. in princip. contra Donatiſtas arguens, ait, *Vbi ergò erit proprietas Catholici nominis, quòd ſit*
D *rationabilis, & vbiq; diffuſa?* De hac etiam veritate eſt integrum caput tertiũ apud Vincentium Lyrinenſem, *In ipſa catholica Eccleſia magnopere curandum eſt, vt ita teneamus, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt enim verè proprieq; Catholicum (quod ipſa vis nominis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit) ſed hoc ita demum fit, ſi ſequamur vniuerſitatem, antiquitatem, conſeſsionem.* Ex quibus, antiquitas pertinet ad temporis perpetuitatem, de qua in capite ſequenti dicturi ſumus, conſenſio verò pertinere poteſt ad alias ratio-

2. Optatus.

Vincent. Lyrin.

rationes, & etymologias ex Auguſtino, & Cyrillo depromptas, quanquàm hæc duo, prout à Lyrinenſi declarantur, ad antiquitatem, & conſenſionem traditionum ab ipſo referri videantur. Vniuerſitas ergò eſt, quoad præſens ſpectat, quã ipſe hic exponit. *Sequemur autem vniuerſitatem hoc modo, ſi hanc vnam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia.* Denique Cyrillus Hieroſolymit. eãdem enucleans vocem dicta catecheſi. 18. ita cõcludit, *Regum quidem poteſtas certis locis, & gentibus terminos habet, Eccleſiæ autem Catholicæ per vniuerſum orbem indefinita eſt potentia.* Et eleganter Felix Papa primus, epiſt. 1. in principio Eccleſiam quatuor mundi conſtructam eſſe lateribus adſtruxit.

Cyrill. Hieroſ. *Felix Papa.*

3. *Hieron.* Atque hoc modo loquuntur reliqui antiqui Patres de Eccliæ Catholicæ amplitudine, quanuis vocem, *Catholicæ*, non ſemper explicent, vt Hieronym. Iſai. 54 circa illud, *Semen tuum gentes hæreditabũt*, ait illud eſſe ſemen, quod Chriſtus exijt ſeminare Matth. 13. *Quod ſemen etiam ciuitates deſertas faciet inhabitare, vt Eccleſiæ gentium in toto orbe conſurgant.* Et infra, *Hoc de Eccleſiarum magnitudine, quæ pro vno Iudææ loco, & ipſo anguſtiſſimo, in toto orbe terrarum ſuos terminos dilatabunt.* Idẽ cap. 60. *Miratur* (inquit) *Eccleſia de circũciſionis primum populo cõgregata volare ad ſe gentium turbam toto orbe terrarum.* Et Pſalm. 66. in principio dicit, columbam (de qua Cantior. 6.) eſſe Eccleſiam in toto mundo diffuſam. Idem Matth. 26. circa illa verba, *Prædicabitur Euangeliũ hoc in toto mundo.* Similiter Ambroſ. Pſalm. 39. tractans verba illa, *Annuntiaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna. Quid eſt.* (inquit) *quod addidit, magna, niſi quia fuit ante non magna? Quæ eſt magna niſi de totius terrarum orbis partibus congregata, quando ab oriente, occidente, ſeptentrione, & meridie populi gentium ſunt vocati.* Et ibidem de eadem Eccleſia intelligit illud Pſalm. 34. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te*, & adiungit, *ibi ergò Eccleſia magna, vbi populus grauis, hoc eſt, non inquietus, & mobilis, qui ſedit manducare, & bibere, & ſurrexit ludere. Grauis populus eſt qui fidem Deo ſuo ſeruat, & qui non aliqua leuitate mutetur, neque nutet, & fluctuet*, ibiq; fusè alias Eccleſię proprietates proſequitur. Eodẽ modo exponit eandẽ Eccleſiam magnã Chryſoſt. dicto Pſal. 39. *Beatus* (inquit) *Dauid pollicetur ſe magnæ Eccleſiæ in vniuerſo orbe terrarum à diuina gratia collectæ Dei iuſtitiam prædicaturũ & prophetiæ veritatem, & maximè expetendam ſalutem, & immenſam miſericordiã.* Atque in Pſam. 106. per illa verba, *Dicãt qui redempti ſunt à Domino*, Dicit, gentiliũ vocationem declarari, qui ex omni terrarum plága per ſaluatorem colliguntur, & è diaboli faucibus ad ſanctã ipſius Eccleſiam rapiuntur. Et ita etiam exponit illud, quod in eodem Pſalmo ſequitur. *Et de regionibus congregauit eos, à ſolis ortu, & occaſu, ab aquilone, & mari*, & ait, *Hoc in Iudæis quidem ad hunc modum factum nõ accepimus (etenim toto orbe fuſi verſantur) at verò ipſe gentilem Eccleſiam in omnibus orbis partibus, tam orientalibus, quam occiduis, tam auſtralibus, quàm ſeptentrionalibus vocauit, & congregauit. Atque huiuſmodi concilia in omnibus terræ, & maris partibus cernere licet.*

Ambroſ. *Chryſoſt.*

Denique Tertullian. lib. cõtra Iudęos cap. 7. adducẽs prophetias, & promiſſiones de regno Chriſti, & ſpecialiter illam Iſaiæ 36, *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexterã*, addit. *Quod ipſum adimpletum videmus. Cui enim dexteram tenet Pater Deus, niſi Chriſto filiõ ſuo? quem exaudierunt omnes gentes, id eſt, cui crediderunt omnes gentes, cuius & Prædicatores Apoſtoli in Pſalmis Dauid oſtenduntur, in vniuerſa* (inquit) *terra exijt ſonus eorum, & vſque ad terminos terræ verba eorũ, In quem enim alium vniuerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, &c.* & proſequitur numerando innumeras Eccleſiæ prouincias, in quibus Chriſtus regnat, demumque ſubnectit, *Quis enim omnibus regnare potuiſſet, niſi Chriſtus Dei filius, qui omnibus in æternum gentibus regnaturus nuntiabatur?* Et poſteà recẽſens quam plurima mundi regna quorũ ſingula in aliqua orbis parte intra certos fines ſemper fuere contenta, denique cõcludit, *Chriſti autem regnũ, & nomen vbiq; porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus ſuper enumeratis colitur, &c.* Vbi licèt Tertullianus ſub nomine Eccleſiæ Catholicæ non loquatur, non tamen ignorabat illam eſſe regnum Chriſti, quod

4. *Tertull.* *Daniel. 7.*

ergò de regno Chriſti dicit, de Eccleſia Catholica intelligit. Et ita interpretantur Patres, præſertim Auguſtinus omnes ſimiles prophetias de Chriſti regno, vel hæreditate, vt eſt illa Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dobo tibi gentes hæreditatē tuam, & poſſeſsionem tuam, terminos terræ*, & ſimiles.

Auguſt.

5. Conſtat igitur ex Scripturis ſanctis, ita ab antiquis Patribus intellectis, proprietatatem Eccleſiæ Chriſti eſſe, vt per vniuerſum orbem ſit diffuſa, & ex eorundem Patrum confeſsione patet, hãc eius proprietatē nomine, *Catholicæ*, ſignificatam eſſe. Ex quo principio rectè cõcluditur, ſectam illam, quæ nõ ſolum intra terminos vnius regni continetur, & per totum orbem non diffunditur, verũ etiam Eccleſiam per totũ orbem diffuſſam damnat, & ab ea ſeparatur, catholicam eſſe non poſſe. At ſecta Anglicana terminos Britanniarũ (*quæ*, vt dixit Tertullianus ſuprà, *intra Oceani ambitum concluſæ ſunt*) non egreditur, & Eccleſiam Romanam, à qua ſe ipſam ſegregauit, dãnat, vt ex facto in ſuperioribus narrato omnibus notum eſt; ergò nec poteſt eſſe Eccleſia Catholica, nec fidem catholicam retinere. Quo argumento Patres ſemper hæreticos impugnarunt, & Africani Epiſcopi, pręcipue Auguſtinus Donatiſtas exagitarunt, & ſuperarunt: non eſt autē minus efficax contra omnes Prõteſtantes, cùm cauſa ſit ſimillima, & ſuprà oſtēſum ſit, Eccleſiam Romanam, & Catholicam eandem nunc eſſe, quę prædictorũ Patrum tempore floruerit,

Anglicanã ſectam verã non habere fidem concluditur.

6. Huic autem rationi videtur tacitè voluiſſe occurrere Iacobus Rex cum in fine ſuæ Præfationis pagin. 156. dixit. *Nos Dei beneficio, nec numero, nec dignitate ita ſumus contemnendi, quin bono vicinis noſtris exemplo præire poſsimus: quandoquidem Chriſtiani orbis, omniumque in eo ordinum indè à Regibus, liberiſque Principibus vſq; ad infimæ cõditionis homines pars prope media in noſtram religionem iam cõſenſit*. Verumtamen quanquam hoc, prout à Rege aſſeritur, verum eſſet, non ſatis eſſet, vt talis ſecta in tota illa multitudine hominum exiſtens, catholica dici poſſet, cùm tota illa multitudo à vera, & Catholica Eccleſia defeciſſet, vt paulo poſt adhibitis exemplis explicabo, Ratio autem eſt,

Euaſio.

Refellitur.

A quia licèt amplitudo, & multitudo populorum ſit quędam ex Eccleſiæ Catholicæ proprietatibus, non tamen ſufficit ad catholicam conſtituendam: nullus enim ex Patribus hoc dixit, & quidam ex illis apertè ſenſerunt, catholicam non ex ſola vniuerſitate locorum conſtitui, ſed ex alijs etiam proprietatibus, quas cum illa coniungunt. Nam Vincentius Lyrinenſis catholicum eſſe dixit, *Si ſequatur vniuerſitatem, antiquitatem, conſenſionem*. Optatus pronunciauit, proprietatem nominis catholici eſſe quòd ſit *rationabilis, &*

Amplitudo loci per ſe non conſtituit Eccleſiam Catholicam.

Vincent. Lyrin. *Optatus.*

B *vbique diffuſa*, Cyprianus, cui conſenſit Auguſtinus, pręter multitudinem requirit, *vnum caput, & vnam originem. & vnã matrem diuino lumine perfuſam*, cuius luminis radij per totum orbem extendantur: Cyrillus item multa alia ſub nomine catholico comprehēdit, vt vidimus. Addo Bedam in cap. 6. Cantic. dicentem, Catholicam vocari Eccleſiam, *Quia per omnes mundi partes, in vna pace, in vno Domini timore ædificatur*.

Cyprian.

Cyrill. *Beda.*

Nunc verò aliud reſponſum Regi damus, quoniam aliud eſt, conuenire in religione, aliud conuenire in communi ratione ſchiſmatis, & diſceſsionis ab Eccle

7. Reſponſio Regis alio modo reijcitur.

C ſia Catholica, vt per ſe notum eſt: nam ab vna via plures deflectunt, qui ſecundum quandam rationem, mente potiùs cõceptam, quàm in re ſubſiſtentem, in deflexu, ſeu in aberrando à via conueniunt, non tamen in vna via, neque in vno termino, ad quem tendãt, conſentiunt. Ita ergò oportet in præſenti diſtinguere. Et fortaſsè verum eſt (quod nõ affirmo) cõſideratis ſectis omnibus ſchiſmaticorum & hæreticorum, qui ab Eccleſia Romana defecerunt, & nunc ſunt per totum orbem, tam ad Orientem, quàm ad Occidē

D tem diſperſæ, ex illis omnibus confici multitudinem, quæ ſit pars propè media totius Chriſtiani orbis. Illa verò multitudo nec vnum corpus politicũ eſt, vt per ſe conſtat, nec myſticum, aut Eccleſiaſticum, quia neque in eadem fide, neque in vno Eccleſiaſtico regimine, neque in eadem regula credendi conueniunt; ergò nec tota illa multitudo populorum, aut ſectarum poteſt dici Eccleſia Catholica, cùm vna Eccleſia non ſit, neque aliqua ſecta particularis illarum dici poteſt Catholica, cùm nec pars ſit alicuius Eccleſię

Catho-

Catholicæ, neque per ſe ſola ad conſtituendam Eccleſiam Catholicam ſufficiunt, vt principalis ratio facta probat.

8. Oportet ergò, vt Rex loquatur de cõſenſione in vnam religionem, id eſt, in vnam viam ſalutis, & in vnam fidem, in hoc autem ſenſu, non ſolùm non credimus, ſectam Anglicanam occupaſſe dimidiam partem orbis Chriſtiani, verùm etiã nec fortaſsè tertiam partem regni Britannici. Priorem partẽ ex eiuſdẽ Regis verbis probabimus. Loquẽs enim ad Principes, & populos ſchiſmaticos hęc interſerit verba, *Quanquam inter vos nec dum benè de apicibus neſcio quibus conuenerit.* Sentit ergo nondum illos in doctrina conueniſſe, & ideò paulò poſt eos ad vnitatem, & cõcordiã exhortatur. Et quamuis illam obuelans diſcordiam, in quibuſdam *apicibus* eſſe dicat, vel in rebus *adiaphoris*, vt paulò poſt, & ſæpè aliàs loquitur, re tamen vera diſſenſio eſt in rebus grauiſsimis, & ad ſubſtantiam fidei, ſalutemque fideliũ maximè ſpectantibus, vt in Sacramentorũ doctrina, & pręſertim veritate, & reali præſentia Chriſti Domini in Sacroſancta Eucharistia, & in modo iuſtificationis hominis per fidem, in neceſsitate operum, & obedientia mandatorum, & alijs multis, quæ poſteà ſua vnaquæque trutina ſunt libranda: in quibus nec Caluiniſtæ cum Lutheranis, nec cum iſtis Zuingliani, & alij ſimiles conueniunt.

9. Accedit, obedientiam Eccleſiæ præſtãdam adeò eſſe ad ſalutem neceſſariam, vt Chriſtus dixerit, *Qui Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus,* & nihilominùs iſti Sectarij, in explicando Eccleſiæ regimine, à quo hæc obediẽtia pendet, non minùs inter ſe quàm à nobis diſsident: non eſt ergò diſſenſio in rebus adiaphoris, ſed in maximè neceſſarijs neque in apicibus tantùm, qui in ſubtilibus punctis, ſpeculationi præcipue deſeruientibus, à iure conſultis conſtitui ſolent, ſed in rebus, quæ pręmanibus habẽtur, & ad rectè viuendum neceſſariæ ſũt, verſatur. Et quod ad præſentem cauſam maximè attinet, etiam in articulo de regio primatu tanta eſt diſſenſio, vt ſola Anglicana ſecta illum approbare, & tueri videatur. Ex quo capite ſolo, & per ſe ſpectato, ſufficiens ratio ſumitur, vt Anglicana congregatio non poſsit Catholica

A Eccleſia exiſtimari. Quia opinio illa de primatu limitat, & coarctat ſectam illam ad terminos illius regni temporalis, & quantum in ſe eſt, in tot partes Eccleſiã Chriſti diuidit, quot ſunt in mundo temporalia regna, nec veram vnitatem vnius ouilis, quam Chriſtus in Eccleſia ſua eſſe voluit, illi relinquit, ſed ad ſummũ quandam concordiam, vel ſimilitudinẽ, vt ſic dicam, quam Rex Iacobus exoptat. Verùm neque illam (vt ſuprà dixi) vnquã obtinere poterit, quia cùm omnes in proprio iudicio ſequendo cõueniant, neceſſe B eſt, vt in opinandi, & gubernandi ratione diſsideant.

10. *Anglicanã ſectam nec tertiam Britanniæ partem occupaſſe oſtenditur.*

Atque hinc facilè rationem alterius partis reddimus, in qua coniectamus, Anglicanam ſectam, neque tertiam partem Britanniæ inſulæ occupaſſe. Nam, vt omittã, in omnibus partibus illius inſulæ plurimos eſſe fideles, qui fidem ſuo iudicio non ſubijciunt, ſed intellectum ſuũ captiuant in obſequium Chriſti, & ab Eccleſia Romana animo ſaltem, & mente ſeparati non ſunt: etiam inter eos, qui ab illa defecerunt, in religione, & fide non eſt cõſenſio. Nam, vt ipſemet Rex in Præfatione ſupponit, multi ſunt in ſua ditione C Puritani, quos ipſe perſequitur, & ita ad minimum totum regnum in tres partes diuiſum eſt, nimirum, in Catholicos, Puritanos, & Caluiniſtas non puros: & ſi famæ fides adhibenda eſt, multi etiam inter ipſos ſunt Lutherani, alij Zuingliani, vel aliarum ſectarum. Imò etiam inter ipſos Caluiniſtas miſtos nõ creditur eſſe conſenſio in fide, quiquid ſit de externa ſpecie religionis. Ergò loquendo in ſenſu, qui ad præſentem cauſam faciat, nullo modo ſubſiſtere poteſt, quod Rex ait, ferè dimidiam orbis Chriſtiani partem in D ſuam conſenſiſſe religionem.

11. Quapropter, Lutherus, Caluinus, & alij Hæreſiarchæ huius temporis liberè, ne dicam, impudenter, reſpondent, ſæpè id, quod bonum eſt, paucioribus approbari, ideòque non eſſe notam veræ Eccleſiæ, aut fidei, quod ſit in multitudine gẽtium, & conſenſione populorum approbata, ſic enim fertur ſcripſiſſe Lutherũ, diabolum iuxta Dei Eccleſiam ſacellum longè maius, & amplius cõdidiſſe, & Caluinus ſic excuſabat paucitatem ſuæ congregationis, quia vix vnquam ita benè ſe habue-

Lib de Notis Eccleſ. *In Pręfatione Inſtitution.*

Hæretici negantes, vniuerſitate eſſe verę ecclęſiæ notā ex Patribus refelluntur.

habuerunt res humanæ, vt pluribus placerent meliora. Et ſimilia habent Magdelugenſes, centuria.1. Verumtamen (quod in omnibus controuerſijs huius, temporis maximè conſiderandum eſt) iſti noui hæretici in omnibus ſuis dictis & reſpōſis antiquos hæreticos imitātur quod eſt magnum ſui erroris ſignum, vnde non aliter illis obuiandum exiſtimo, quàm verbis Patrum qui antiquos hæreticos confutarunt. Auguſtinus libro de Vnit. Eccleſ. cap. 2. ſic habet, *Inter nos, & hæreticos quæſtio eſt, vbi ſit Eccleſia, quid ergò facturi ſumus? in verbis noſtris eam quæſituri, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? Puto, quod in illius verbis eam quærere debemus: qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum*, & cap. 3. *Non audiamus, hæc dico, hæc dicis: ſed audiamus; hæc dicit Dominus, ſunt certè libri Dominici, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Quaſi dicat, in diuina Scriptura Chriſti Eccleſiā per totū orbem diffuſam prædicari, & ideò blaſphemias hæreticorū contēnendas eſſe, qui dœmonis Eccleſiā illā, audēt appellare Et c. 9. refert, Donatiſtas conuictos dixiſſe, Eccleſiā Chriſti in principio in toto orbe fuiſſe, poſteà verò perijſſe, propter liberas, & prauas hominum voluntates. Quibus Auguſtinus reſpondet, *Quaſi vero neſcierit ſpiritus Dei futuras hominum voluntates, quis hoc inſaniſsimus dixerit? cur ergò non hoc potiùs prænunciauit futurum, quod de voluntatibus hominum ſciebat futurum, &c.* Et cap. 13 ſic ſcribit, *Inquiunt, iſta credimus, & cōpleta eſſe confitemur, ſed poſtea orbis terrarū apoſtatauit, & ſola remanſit Donati cōmunio* (vel mutato nomine, Anglicana, vel Caluiniana ſecta) *Hoc nobis legant* (ait Auguſtinus) *& nihil reſiſtimus. Si autem non ea de Scripturis ſanctis legunt, ſed ſuis contentionibus perſuadere conantur, credo illa, quæ in Scripturis legūtur, non credo iſta, quæ ab hæreticis vanis dicuntur.* Et cap. 15. ſimilibus verbis refellit *hæreticorum calliditatē volentiū conuertere verba Dei à veritate, in qua ipſa ſunt, ad peruerſitatē, in qua ipſi ſunt.* Et deindè reſpōndet ad quaſdam ſcripturas, quas hæretici ad ſua conuenticula accommodabant, Ac tandem cap. 19. concludit, *Omiſsis ergò illis morarum tendiculis oſtendat Eccleſiam, vel in ſola Africa, perditis tot gentibus retinendam, vel ex Africa*

August.

Augnſt.

A *in omnibus gentibus reparandam, atque adimplendam, & ſic oſtendat, vt non dicat, Verum eſt, quia hoc ego dico, vel quia hoc dixit ille collega meus, vel illi, &c.*

Idem ergò nos Luthero reſpōdemus, 12.
cùm dicit, in ſuis Sectarijs eſſe Eccleſiam, vt nobis illam oſtendat: nam illi non credimus, neque vllo modo credibile eſt, Deum ædificaſſe Eccleſiam contra Eccleſiam à ſe conditam, & cui perpetuā protectionē promiſit, Præſertim cùm nullū indicium diuini ſpiritus, ſed humanę ambitionis, & libertatis in authore illius ſynagogę apparuerit. A Caluino etiam probationem eorum, quæ vanè dicit, poſtu-
B lamus, & pręterea addimus, ſatis ſuperbiam ſuam oſtendere, cùm iudicium ſuū multitudini, & authoritati tot Patrum, antiquitate, ſapiētia, & ſanctitate illuſtriū temerè audet pręferre. Vnde tandem dicimus, licet comparatione vulgi interdū meliora à paucioribus approbentur, nihilominus ea, quę à pluribus ſapientibus vt meliora probantur, ab omni viro prudente talia eſſe cenſenda, & contraria reprobanda. Quod longe certius eſt quando talis approbatio non humana tantùm,
C ſed diuina ſtabilitur authoritate. Hoc autem modo approbata eſt in Scriptura ſancta, & à ſanctis Patribus Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa, à qua longiſſime diſtant hæreticorum conuenticula, ideoq; nec catholica eſſe, nec nominari poſſunt.

CAPVT XVI.

Quomodo verum ſit, Eccleſiam Catholicam eſſe per totum orbem diffuſam.

D VT vel ipſis etiam Catholicis ſatisfaciamus, non eſt omittenda hic alia 1.
obiectio, quam attigit Auguſtinus
epiſt. 48. quia orbis Chriſtianus catholicus, ſeu Romanus modica pars eſt totius mundi, quomodo ergò poteſt hæc Eccleſia ex eo catholica nominari, quod mundum occupet vniuerſum? Aſſumptum facillime demonſtrari poteſt: nam paulò ſuperiùs concedendum duximus, multitudinem ſchiſmaticorum, & hæreticorum fere dimidiam partem Chriſtiani orbis occupare, vltra hos vero ſunt in mundo Mahometani, qui ſoli fortaſsè tot

August. Ratio dubitandi.

tot plagas mundi poſſident, quot illi, qui ſub nomine Chriſti fidem profitentur, ſiue falſam, ſiue veram. Deinde gentiles etiã, & idololatræ multas, & magnas mũdi prouincias occupant, Iudæi etiam per innumeras alias mundi partes vagantur; ergò dubitari non poteſt, quìn reſpectu totius mundi valde limitata, & reſtricta ſit Eccleſiæ Chriſti amplitudo; ergò non poteſt titulo vniuerſitatis catholica nominari.

2. Confirmatio. Et augetur difficultas, quia non eſt cõtra Eccleſiæ veritatem, vt perſecutionibus, aut ſchiſmatibus ita opprimatur, vt aliquando in minori parte confitentium Chriſtum, vera fides perſeueret. Accommodatum exemplum eſt de tempore, in quo per Arianã hæreſim ita afflicta fuit, vt ferè vniuerſum orbem Chriſtianum occupauerit Arianiſmus, ferè pro illa tẽpeſtate obruto Chriſtianiſmo, vt cõſtat ex Hilario lib. contra Auxentium, & Hieronymo libro contra Luciferianos, vbi colum. 13. *Tunc Vſiæ nomen abolitum eſt, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Vnde Gregorius Nazianzenus Orat. 25. ad Arianos, qui de multitudine gloriabantur, ſic inquit, *Vbi tandem ſunt qui paupertatem nobis exprobrant, opeſque ſuas inſolenter iactãt, qui Eccleſiam multitudine definiunt, ac paruum gregem aſpernantur?* In quibus verbis, & cõcedere videtur, eo tempore fuiſſe paruum numerum fideliũ pręmultitudine hæreticorũ conuenientium etiam in eodẽ errore, & cõſequẽter videtur negare, multitudinẽ pertinere ad notas Eccleſiæ, vt ibi etiam notat Billi. Imò videtur alludere ad verba Chriſti Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex*, & ex illis verbis colligere, ad veram Eccleſiam paruũ gregem ſufficere, quod hæretici huius tẽporis libẽter recipiunt, vt de paucitate glorientur, addentes illud Matth. 7, *Intrate per anguſtam portam*, & infra, *Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt. qui inueniunt eam.*

Hilar. Hierony. Greg. Nazian. *Lucæ. 12.* *Matt. 7.*

3. Ad rationẽ dubitãdi reſpondetur. Ad priorem partem reſpõderi poteſt primò, nomen catholicę non eſſe impoſitum Eccleſię ad diſtinguendam illam à gentiliſmo, Paganiſmo, vel Iudaiſmo, nã ſub nomine Chriſtianorum, ſeu Eccleſię Chriſtianæ ab his omnibus ſatis diſtinguebatur. Sed impoſitũ eſſe illi hoc nomen, vt ab hæreticorum Sectis diſcerneretur. Nam licet hæretici, quoad veritatem fidei Chriſtiani non ſint, tamen quia non omninò Chriſtum negant, ſed eum ſuo modo colunt, & confitentur, idcirco peculiarem modum infidelitatis ſub nomine Chriſtiano habent, & ideò (vt ex Patribus notauimus) additum eſt, fidei verè Chriſtianæ cognomen catholicæ, quo à ſectis hæreticorũ diſtingueretur. Atque hinc fit, vt ex vi talis nominis, & rationis eius non ſit neceſſarium, vt amplitudo Eccleſiæ omnium fidelium multitudinẽ ſuperet, ſed ſatis eſt, vt ſuo modo ſit diſperſa per vniuerſum orbem, & quod in hoc excedat quancumque hæreticorum ſectam.

Deinde ad hoc magis explicandũ aduertimus, duobus modis intelligi poſſe, Eccleſiam Chriſti debere eſſe per totum orbem diffuſam, ſcilicet, vel iure, & inſtitutione ac poteſtate, vel facto, & actuali (vt ita loquar) poſſeſſione. Priori modo manifeſtũ eſt, Eccleſiam Chriſti ex quo inſtituta fuit, catholicam, & vniuerſalem fuiſſe: tùm quia pro toto mundo inſtituta eſt, & non ſicut ſynagoga pro quadam natione: tùm etiam quia ex tunc accepit ius prædicandi fidem Chriſti per vniuerſum mundum, iuxta illud, *Prædicate Euãgelium omni creaturæ*, Marci vlt. & illud, *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſq; ad vltimum terræ.* Tùm denique quia habet poteſtatem in terris ad gubernandum vniuerſum orbem in ijs, quæ ad ſalutẽ animæ ſpectãt, vel ad illam referuntur, iuxta illud, *Qui Eccleſiam nõ audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, &c.* Matth. 18. & illud, *Paſce oues meas*, Ioan. 21. Hæc ergò vniuerſitas Eccleſiæ, quam iuris, ſeu ſufficientiæ vocare poſſumus, ſufficere poterat, vt verè Catholica diceretur. Imò Auguſtinus lib. 2. contra Petilianum cap. 38. cùm obieciſſet Petilianus, *Si vos tenere catholicam dicitis, Catholicũ illud eſt, quod Græcè dicitur vnicum, ſiue totum, Ecce in toto nõ eſtis, qui in partem ceſſiſtis.* Reſpondet Auguſtinus *Catholicum*, Idem ſignificare, quod *ſecundum totum*, vnde, *Catholicæ nomen accepit, dicente ipſo Domino, Eritis mihi teſtes, &c.* & concludit, *Ecce vnde catholica vocatur.* Quare videtur Eccleſia accepiſſe hoc

4. Duobus modis poteſt Eccleſia eſſe per totũ orbem diffuſa.

Marc. vlt. *Matth. 18* *Ioan. 21.* *Auguſt.*

hoc nomen ab Apoſtolis, priùs quã fides eſſet cum effectu per totum mundũ diſſeminata, prius enim Apoſtoli Symbolũ condiderant, quàm per diuerſas mundi partes diſtribuerentur.

5. Eccleſia dicitur vniuerſalis vniuerſalitate iuris, & facti.

Nihilominus non ſolùm propter ius ſed etiam propter factum, & poſſeſsionẽ (vt ſic dicã) Eccleſia illud nomen accepit. Sciebant enim Apoſtoli promiſsionẽ Chriſti eſſe infallibilem, & non multò poſt fuiſſe implendam, & ideò ita de illa ſtatuerunt, ac ſi iam actu mundum occupaſſet, quia in moralibus quod parum diſtat, nihil diſtare videtur, & maximè apud illos, qui per fidem rem futurã tanquam iam factam æſtimabant. Poſt illorum verò prædicationem amplitudo catholicę Eccleſię in re ipſa eſſe cępit, ita vt veluti oculis cerni poſset. Vnde Auguſtinus loco proximè citato poſt illa verba, *Ecce vnde catholica vocatur*, ſubiungit. *Sed clauſis oculis offenditis in montem, qui ex paruo lapide ſecundum prophetiam Danielis, creuit, & impleuit vniuerſam terram.* Sentit itaque Auguſtinus, ſentiuntq; alij Patres ſupra allegati, prophetias de Eccleſia Chriſti futura per vniuerſum orbẽ diffuſa, promiſsionesq; de fũdanda, & ſtabilienda eadem Eccleſia à Chriſto factas, impletas iam dudum fuiſſe. Quo àutem tempore inceperit, & qua certitudine id conſtare poſsit, nõn eſt facile explicare.

Auguſt.

6. Amplitudo Eccleſ. per orbẽ varias poteſt habere viciſsitudines.

Igitur vlterius animauertendum eſt; hanc diffuſionem Eccleſiæ Catholicæ per vniuerſum orbem, quoad maius, vel minus augmentũ varios poſſe ſortiri ſtatus amplitudinis Eccleſiæ, nec eſſe certum apud Sanctos Patres, & Scripturæ expoſitores, an prophetia, & promiſsiones de hac Eccleſię vniuerſalitate omni ex parte ſint iam impletæ, vel aliquid ſuperſit implendum, quod vſque ad mundi finem vel prope illum relinquatur conſummãdum. Nam quod Chriſtus Dominus dixit Matth. 24 *Prædicabitur hoc Euangeliũ regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tũc veniet conſũmatio.* Hieronymus, & Beda intelligunt de mundi conſummatione, & ſignificant, illam prędictionem nondùm fuiſſe impletã. Imò indicat Hieronymus, complementum illius futurum eſſe ſignum iudicij appropinquãtis, ac proinde adeò cumulatam Eccleſiæ extenſionem vſque ad finem mundi, vel tempus illi propinquum non eſſe adimplendam.

Matt. 24. Hierony. Beda.

7. *Auguſt.*

In quam ſententiam inclinat etiã Auguſtinus lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 17. vbi tractans eadem Chriſti verba dicit, *Ipſa fides omnium gentium nondùm impleta eſt,* Et infra accommodans parabolam, *ſeminantis bonum ſemen in agro ſuo,* Matt. 13. Subnectit, *Hunc agrum eſſe mundũ in quo verbum Dei fructificat, & creſcit* (vt dicitur ad Coloſ. 1.) *vſque ad meſſem. id eſt, vſq; ad finem mundi.* Idem verò Auguſtinus epiſtol. 78. ad Heſichium interpretatur ſuperiora verba Chriſti negatiue tantũ, ſcilicet, *Tunc veniet conſummatio,* id eſt, *antequam prædicetur Euangelium in toto mundo non veniet.* Quãto autem tempore poſt conſummatam Euangelij prædicationem per totum orbem, *incertum* (inquit) *eſt.* Vnde etiam eſt incertum, quo tempore integre ſit implẽda illa promiſſio de diffuſione Euangelij, & fidei, ſeu Eccleſiæ per totum mundum. Pro certo verò habuit ibidem Auguſtin. ſuo tempore nondùm fuiſſe impletam illam promiſsionem dicens, *Si ergò ſuſciperẽt hunc laborem ſerui Dei, vt peragrato orbe terrarum, quantum poſſent colligerent quod remaneret gentium, vbi nondùm eſt Euangelium prædicatum, hinc aduertere vtcunque poſſemus, quantum hoc tempus longe ſit à fine ſeculi,* quod etiam latiùs confirmat Epiſt. 80. circa finem, quia ſuo tempore *innumerabiles gentes* (vt ait) *erant, quibus nondùm prædicatum fuerat Euangelium.*

Matt. 13. *ad Coloſ. 1*

8. Promiſsiones de prædicatione Euangelij per orbem, adhuc nõ ſunt integrè conſummatæ.

Quod argumentum etiam conuincit, vſque adhuc non eſſe completas integrè illas promiſsiones, quia noſtra ætate nouus mundus (vt aiunt) & vaſtiſsimæ prouinciæ, quibus Euangelium non erat prędicatum, inuentæ ſunt, pro quibus ad fidẽ conuertendis videmus à ſeruis Dei loca inacceſsibilia peragrari, & Eccleſias de nouo in eis fundari. Hinc ergò rectè cõcluditur. Eccleſiã Catholicã nõ ideò dici per totum orbem diffuſa, quia in toto vniuerſo, & omnibus prouincijs eius illa diffuſio Eccleſię iam facta ſit. Imò addit Auguſtin. dicta epiſt. 80. licèt *in omnibus gentibus, vbi nondùm eſt Eccleſia, oporteat, vt aliquando ſit: non tamen oportere, vt omnes, qui ibi fuerint, credant, quia omnes gentes promiſſæ ſunt, non omnes homines omnium gentiũ, non enim omniũ eſt fides.* Ex his ergò omni-

Eccleſia dicitur vniuerſal. quia actu per vniuerſum diffuſa.

omnibus valde incertum relinquitur, quando inceperit Eccleſia habere in re, & nõ tantum in ſpe, illam vniuerſalitatem, quam nomen catholicæ denotat. Item incertum eſt, quanta Eccleſiæ amplitudo, & multiplicatio Eccleſiarum per varias orbis prouincias fuerit ad eũdem effectũ neceſſaria. Deniq; multo magis incertũ eſt, quàm numeroſam hominum multitudinem eadem proprietas requirat, vt in re ipſa exiſtat.

9.

Vniuerſalitate ad Catholiciſmũ ſufficientẽ iã dudũ Eccleſia adepta eſt.

Nihilominus certum eſſe debet ex cõmuni ſenſu omnium Patrum, ita intelligentium Scripturas, Eccleſiam Catholicam conſequutã eſſe non ſolũ noſtris tẽporibus, ſed etiã multis retrò ſeculis ſtatum (vt ſic dicam) vniuerſalitatis ſufficientis, vt dicatur per totum orbem diffuſa.

Paulus.

Nam præter prædictiones Prophetarũ, & promiſsiones Chriſti Paulus, iam ſuo tẽpore dixit de Apoſtolorũ prędicatione *In omnem terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Auguſt.

Quod licèt Auguſtinus interpretetur, eſſe prophetiam de futuro prolatam per verbum præteriti, propter certitudinẽ, nihilominus

Hieron.

Hieronymus intelligit, iam tũc fuiſſe aliquomodo impletã, & eſt conſentaneum

Ad Col. 1

contextui Pauli in eodẽ loco, & alijs: nã ad Coloſ. 1. de Euangelio dicit, *Peruenit ad vos, ſicut & in vniuerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit ſicut in vobis.* Deinde certum eſt, ita creuiſſe Eccleſiam vſq; ad tẽpora Auguſtini, & aliorũ Patrum, vt ſimpliciter dici poſſet per totũ orbem diffuſa, ſicut ipſi loquũtur; ergò ſaltem eo tempore iam dictũ ſtatũ habebat, vt ipſi prędicant. At illũ etiam retinuit, vel potius in eo creuit vſq; ad Gregoriũ, vt ex ſuprà dictis, & ex epiſtolis eiuſdẽ Gregorij ad Epiſcopos Oriẽtis, & variarũ prouinciarũ Occidentis colligitur. Ab illo autẽ tempore vſq; ad noſtrã ætatem eundem ſtatũ non amiſit, ſed potius per plures, & nouas prouincias auctum eſſe conſpicimus, licèt in quibuſdam alijs diminuta fuerit; ergò ſimpliciter verum, & certũ eſt, Eccleſiam Catholicam eſſe per totũ orbẽ diffuſam. Et quamuis non poſsimus cũ certitudine deſignare tempus, in quo cœpit habere conſũmatũ hunc ſtatũ vniuerſalitatis, non refert, ſatis eſt enim, vt certo conſtet à principio in hunc finem fuiſſe inſtitutam, & intra aliquot annos ſtatũ illum ſufficienter obtinuiſſe, prout ſecundum ordinem prouidentiæ diuinæ expediebat.

Et eadem ratione licet nõ poſsint certo deſignari termini huius amplitudinis, 10.
nihilominus dicere poſſumus, poſt ſufficientem Euangelij prædicationẽ neceſſariũ fuiſſe Catholicam Eccleſiam habere in mundo ſplendorem quendam vniuerſalem, quo poſſet eius dignitas, & maieſtas cognoſci, & ab Hæreticorum turbis diſcriminari. Hoc enim in primis pertinuit ad excellentiam regni Chriſti, quod nõ ſolũ in cęlo, ſed etiã in terra promiſſũ eſt, quamuis in terra ipſa non eſſet futurũ terrenum, ſeu temporale, ſed cœleſte, ſeu ſpirituale. Deinde quia Eccleſia eſt à Chriſto inſtituta propter ſalutem hominum, vt per eam multo vniuerſalius, & abundantius, quam antea omnibus tam Iudęis quàm gentibus cõmunicaretur, & ideò oportuit, vt ſtatim creſceret, ita vt intra breue tempus in prędicto ſtatu cõſtitueretur, in quo, quantũ eſt de ſe, omnibus mundi regionibus, vel ſaltem earũ maiori, & principaliori parti prodeſſe poſſet. Ad hunc autem finem neceſſariũ fuit, vt ſtatim, ſeu quàm primùm morali modo poſſet, toti mundo innoteſceret. Nam ſicut Auguſtin. epiſtol. 48. column. 10. id urget, *Quomodo confidimus ex diuinis literis, accepiſſe nos Chriſtum manifeſtum, ſi non inde accepimus & Eccleſiam manifeſtã?* ita & nos aſſerimus non potuiſſe Chriſtum in mundo regnare, niſi fides credentium per totũ mundum eſſet diffuſa.

11.

Incepiſſe Eccleſiã habere prædictã vniuerſalitatem à tẽpore Cõſtãtini, probabile eſt.

Dici autem cum magna probabilitate poteſt, cœpiſſe Eccleſiam habere hũc ſtatum ſaltem à tempore Conſtantini Imperatoris, in quo conceſſa Eccleſiæ publica pace, templa etiam, & Eccleſiæ publicè ædificari cœperunt, & Apoſtolica ſedes condignum honorem, & ſplendorem habere incepit, & generalia Concilia congregari potuerunt, & in reliquis omnibus, quæ ad maieſtatem Eccleſiæ Chriſti ſpectant, cœpit Eccleſia ab vniuerſo orbe, qui tunc agnoſcebatur, publicè cognoſci, vt vnum corpus myſticum, & vna ſpiritualis reſpublica ad vniuerſam curam, & ſalutem animarum inſtituta. Atque hanc noſtram coniecturam videtur inſinuaſſe Auguſtinus, concione ſecunda in Pſal. 103. vbi exponens verba *Auguſt.*

ba illa, *Super montes ſtabunt aquæ*, de Diluuio perſecutionum naſcentis Eccleſiæ illa interpretatur, dicens. *Fuit enim tempus aliquando, quo terram Dei, Eccleſiam Dei cooperuerunt aquæ perſequentium, & ita cooperuerunt, vt non apparerent, neque ipſi magni, qui ſunt montes. Quando enim vbique fugiebant, quomodo non minùs apparebant?* Et infra, *Cooperuerunt eos aquæ, & ſuper illos ſtabat, & dicebant, preme, preme, & præualebant ſuper Martyres, & fugiebant vbique Chriſtiani, & fuga quadam occultabantur Apoſtoli.* Poſteà verò interrogat, *Sed quaudiu?* Reſpondet, *Audi quod ſequitur, ab increpatione tua fugient, & hoc factum eſt, fratres, ab increpatione Dei fugerunt aquæ, hoc eſt, à preſſura montium receſſerunt. Iam montes ipſi extunt Petrus, & Paulus. Quomodò eminent? qui ante à perſecutoribus premebantur, nunc ab Imperatoribus venerantur. Fugerunt enim aquæ ab increpatione Dei, quia cor Regum in manu Dei deflexit quo voluit, iuſsit per eos pacem dari Chriſtianis, emicuit, & eminuit authoritas Apoſtolica. Nunquid quãdo ſuprà erant aquæ montium defecerat magnitudo? Sed tamen vt omnes viderent eminentiam montiũ, per quos montes ſalus eſſet generi humano (quia leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi) ab increpatione Dei fugerunt aquæ, à voce tonitrui tui formidabũt, iam quis nõ terreatur à voce Dei? per Apoſtolos, per Scripturas, per nubes eius, conquieuit mare, formidauerunt aquæ, nudati ſunt montes, iuſsit Imperator. Sed quid iuſsiſſet, niſi Deus tonuiſſet? Quia voluit Deus, illi iuſſerunt, & factum eſt.* Hæc elegantiſsme, & ſapienter Auguſtinus, quibus ſatis manifeſtè declarat quo tempore cęperit Eccleſia Catholica habere ſtatum ſuo nomini conſentaneum. Et obiter aduertendũ eſt, non tribuere hunc ſtatum Eccleſiæ Imperatori tanquam authori eius, ſed tanquam remouenti impedimenta, & pacem tribuenti; imò nec numerare Imperatorem inter montes Eccleſiæ, ſed Apoſtolos, vtique in ſuis ſucceſſoribus, & ſpecialiter dicit, *Extant Petrus, & Paulus*, per quos ſine dubio Sedem Apoſtolicam intelligit, & ad eandem pertinet illa interrogatio, *Quomodo eminent?* quia in illa Sede fundata eſt Eccleſia, quę tunc cepit ſtatum, vt dixit, ſuo nomine conſentaneum habere.

A Atq; hinc ſatisfactum eſt priori parti obiectionis, concedimus enim non pertinere ad vniuerſitatem Eccleſiæ per nomẽ catholicæ explicatam, vt in ea ſit maior hominum multitudo, quàm in falſis Sectis: nam hoc nullibi ei promiſſum eſt, & pendet ex altiſsimo Dei conſilio in ſua prædeſtinatione. Et quantum ex Scripturis colligere poſſumus, diuino conſilio potiùs permiſſum eſt, plures eſſe in mundo malos, quàm bonos, infideles, quàm fideles, imò fortaſsè etiam intra ipſam Eccleſiam plures peccatores, quã iuſtos. Vnde Auguſtinus dicta epiſtol. 12. Ad cat... ctim... cleſiæ ... eſt op... cæteras ſectas vn... ſalutate ... cedat.

B 48. col. 13. & 14. in ſimili difficultate, *Eccleſia* (inquit) *eſt de cuius paucitate dicitur. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui ambulant in ea, & rurſus ipſa eſt, de cuius multitudine dicitur. Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cœli, ijdem quippè fideles Sancti, & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci ſunt, & per ſe ipſi multi ſunt, qui ab Oriente, & Occidente veniunt, &c.* Et infra, *Itaque & totus mundus in maligno poſitus eſt propter zizania, quæ ſunt per totum mundum, & Chriſtus propitiator eſt peccatorum noſtrorum, & totius* Auguſ.

C *mundi, propter triticum, quod eſt per totum mundum.* Et infra id declarat per comparationem areæ, in qua frumenta pauca ſunt comparatione palearũ, tamen multa ſunt per ſe ipſa, & *congreganda à quatuor ventis, à ſummis cœlorũ vſque ad terminos eorum, &c.* Idem tradit libr. 13. contra Fauſt. c. 16. & optimè lib. 20. cuius hæc ſunt vltima verba, *Agnoſcenda eſt paucitas illa quam Dominus præcipuè commendat in ingenti, atque innumerabili multitudine toto orbe diffuſa: quæ paucitas tanquam granorum in comparatione multitudinis, palearum paucitas dicitur, per ſe autem ipſam tantam*

D *maſſam frumenti facit, vt omnes probos, & reprobos veſtros, quos pariter veritas reprobat, incomparabili multitudine ſuperet.* Comparat enim Eccleſiam ad vnam particularem Sectam hæreticorum, & dicit non ſolùm Eccleſiam eſſe ampliorem, ſed etiam ſolos Eccleſię iuſtos incomparabiliter ſuperare omnes hæretitos talis Sectæ, quod mihi veriſimillimum eſt, ſimili comparatione facta ad quamcumque hęreſim, quamuis ad præſentem cauſam non ſit neceſſarium.

Itaque nõ refert, pauciores eſſe in Eccleſia 13.

cleſia fideles, quàm ſint infideles in omnibus ſectis gentiliũ, Paganorum, Iudęorum, & hæreticorum, quia de hac cõparatione nihil eſt reuelatum, vel promiſſum, neq; ad vniuerſitatem Eccleſiæ catholicę pertinet, vt in numero, vel perſonarũ, vel populorũ, prouinciarũ, aut regnorum inſideles excedat, ſed ſolũ vt ſit in ſe ampliſsima, & per totũ orbem diffuſa. Vnde Auguſtin. cõtra Petilian. qui paucitatem Donatiſtarũ ad Eccleſiam Catholicam ſufficere volebat, reſpondet lib. 2. contra illũ cap. 45. *Timuiſti comparatam multitudini veſtræ multitudinẽ orbis terrarum, & ad paucitatis laudem per anguſtam viam gradientis te cõferre voluiſti. Vtinam non ad eius laudem, ſed ad ipſam viam te cõtuliſſes, profectò conſpiceres, eandẽ paucitatem eſſe in Eccleſia omniũ gentium, ſed paucos dici iuſtos cõparatione multorum iniquorum, ſicut in cõparatione paleæ poſſunt pauca grana dici vbérrimæ ſegetes, quæ tamen per ſe ipſa in maſa redacta implent horreum.* Et ſimili ferè modo in epiſt. 48. col. 9. ad Vincentium dicentẽ, cõparatione totius mũdi modicam eſſe partem Chriſtianorum, reſpondet. *Non vis attendere, aut te noſſe diſsimulas, in quàm multas iam barbaras nationes tam paruo tempore venerit Euangelium, &c.*

August.

14. Satisfit vlt. obiectionis parti.

Ex dictis etiã facilè eſt reſpõdere ad alteram partem obiectionis factæ, iam enim cum Auguſtino declaratũ eſt, quæ paucitas cõmendetur in grege Chriſti. Quanquã alijs etiam titulis, & rationibus grex Chriſti potuerit dici puſillus cõparatione infidelium, vel ſi dicatur de prædeſtinatis cõparatione reproborum, ſcilicet, vel ob *humilitatis deuotionem*, vt dixit Beda lib. 4. in Lucam cap. 54. vel propter abiectionem conditionis diſcipulorũ, qui tunc Chriſtum audiebant, quia erant pauperes, & infimę conditionis, vel quia ob voluntatiam paupertatem, vel glorię mũdi abnegationem ſerui Chriſti in mundo tanquam viles reputantur. Conſtat etiã anguſtam, & arctam viam non repugnare cum Eccleſiæ amplitudine, quia Chriſtus illam arctam viam toti mundo propoſuit, & ita eius Eccleſia, quanuis ſit per totum orbem diffuſa per illam anguſtam portã intrare cõtendit, & licèt pauci ſint, qui conantur intrare cõparatione infidelium, tamen ſimpliciter ſunt multi, ex diuerſis prouincijs totius orbis vocati, & ſimiliter quanuis pauciores ſint, qui intrant, quàm qui conantur intrare, tamen etiam illi priores ſunt ſatis multi, & ex toto orbe vocati. Et prætereà non ex illis ſolis conſtat Eccleſia Chriſti, in qua non ſolùm prędeſtinati ſunt, ſed etiam reprobi, nec tantum boni, ſed etiam mali.

Beda.

Denique etiam conſtat ex dictis non eſſe inconueniens, quod Eccleſia Catholica propter inſurgentes hæreſes, & alias perſecutiones multùm interdum deprimatur, vel etiam minuatur. Quia non ſolum hoc non repugnat prædictionibus, vel promiſsiõnibus factis Eccleſiæ Chriſti, verũ potius illud ipſum ſępius à Chriſto prædictum eſt, pertinetq; ad arctam viã, quæ ducit ad vitam. Vnde Beda exponẽs illud Marci. 6. *Erat nauis in medio mari, &c.* ait per illã nauẽ labores Sanctæ Eccleſiæ deſignari, *quia non nunquam Eccleſia tantis gentilium preſſuris non ſolùm afflicta, ſed fœdata eſt, vt, ſi fieri poſſet, redẽptor ipſius ad tempus eam deſeruiſſe videretur.* Addendũ verò eſt, ex quo Eccleſia Catholica per vniuerſum mundum diffuſa eſſe cœpit, nunquam propter perſecutiones, vel hęreſes inſurgentes ita ſplendorẽ ſuum, & quaſi poſſeſsionem amiſiſſe, vt deſierit eſſe ſufficienter per totum orbẽ terrarum illuſtris, & diffuſa. Hoc ſignificauit Auguſtinus dicta epiſtola 48. colum, 12. dicens, *Ipſa eſt, quæ aliquando obſcuratur, & tanquam obnubilatur multitudine ſcandalorum, quandò peccatores intendunt arcum, vt ſagittent in obſcura luna rectos corde, ſed etiam tunc in ſuis firmiſsimis eminet.* Poſſetque hoc facilè oſtendi ex promiſsionibus Chriſti, & ex perpetua traditione, & ſucceſsione Eccleſiæ Catholicæ, ac Romanæ, niſi in capite quinto de Viſibili Eccleſia id ſatis eſſet demonſtratum. 15.

Eccleſia Catholica in medio etiã perſecutionum ſuum ſplẽdorem retinuit. August.

Atque ex hoc fundamento reſpondet Auguſt. ad exemplum adductum de tẽpore Arianę hęreſis, dicens, *Tale tunc erat tempus de quo ſcripſit Hilarius, &c.* Et infra, *Quis enim neſcit, illo tẽpore obſcuris verbis multos parui ſenſus fuiſſe deluſos, alios autem timore ceſsiſſe, & ſimulate conſenſiſſe.* Et infra, *Quanquam & illi, qui tunc firmiſſimi fuerunt, & verba hæreticorũ inſidioſa intelligere potuerunt, pauci quidẽ in compara* 16.

tione cæterorum, ſed tamen etiam ipſi quidā pro fide fortititer exulabant, quidā toto orbe latitabant. Ac ſic Eccleſia, quæ per omnes gētes creſcit inſtrumentis dominicis conſeruata eſt, & vſq; in finem, donec omninò gentes omnes etiā barbaras teneat, conſeruabitur. In quibus verbis videtur Auguſt. concedere, fuiſſe illo tēpore fideles in minori numero, quā eſſent Ariani hæretici, & nihilominùs Eccleſiā fuiſſe conſeruatā in ſua vniuerſitate per totū orbē. Quod ex hypotheſi veriſsimū eſt, propter omnia ſuperiùs dicta, & quia etiam tunc Eccleſia catholica fundata manſit in petra firmiſſima, & habēte poteſtatē vniuerſalem, & catholicos ſibi ſubiectos per totū orbem diſperſos: nam quòd illi pauciores interdum ſint, nihil refert, præſertim ad breue tēpus. Eò vel maximè quòd ſemper illa Eccleſia retinuit authoritatē Conc. Nicęni, & continuationem cum antiqua Eccleſia, cuius ſplendorem etiam participabat tanquam eadem cum illa.

17 Atq; hæc eadem reſponſio locū habet in tēpore perſecutionis Antichriſti imò in eo videtur magis neceſſaria, quia tota illa occultatio, & diminutio Eccleſiæ videtur à Chriſto Dño prędicta. De tēpore autē Arianę hęreſis veriſimilius exiſtimo nunquā hæreticos etiam numero catholicos ſuperaſſe. Nam licèt in Ariminenſi conciliabulo maior pars Epiſcoporum ab Arianis decepta fuerit, & ideò Hieronymꝰ dixerit, ingemiſcentem orbē terrarū ſe Arianum miratū eſſe, nihilominus ille error non fuit animo hæretico, vt idem Hieronym. & Auguſtin. ſignificant, & Ambroſ. lib, 3. de Fide cap. vlt. Et ideò ferè omnes fraude intellecta, ſtatim veram fidē profiteri, clareq; docere cęperūt. Deinde licèt fortaſsè in Oriente maior eſſet multitudo hæreticorū, nō tamen in Occidente, nec ſimpliciter in toto orbe. Id enim apertè Baſili. teſtatur epiſtol. 72. ad Euaiſenenſes ſcribens, *State in fide, ipſum orbē inſpicite, & videte quā modica ſit ea portio, quæ hoc morbo laborat, reliqua vero Eccleſia, quæ ab orbis finibus vſq; ad fines Euāgelium recepit, ſanam hanc, & rectam doctrinam ſectetur,* Athanaſius etiam in epiſtol. Synodica ad Iouinianū Imperatorē, quā refert Theodoret. lib 4. Hiſtor. c. 3. loquens de fide definita in Concil Nicæno, inquit, *Huic omnes vbique Eccleſiæ aſſenſæ*

Auguſt. Hierony. Ambroſ.

Baſil.

Athan. Theodoret.

A *ſunt, vt Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, totius, &c.* & poſt plures alias numeratas ſubdit, *Orientis deniq; Eccleſiæ exceptis paucis, qui ſectæ fauent Arianæ: nam iſtarum omnium re ipſa explorate cognitam habemus ſententiam, literaſque ab illis accepimus, proque certo ſcimus, Auguſte ſanctiſsime, non tamen præiudicium inde poteſt orbi terræ fieri vniuerſo.* Ac propterea Hilarius ſuprà beatos, & glorioſos vocat Galliæ, & Britanniæ Epiſcopos, qui Apoſtolicam fidē perfectè retinerent, & ſuo exemplo multos Orientales Epiſcopos ad ſaniorem mentem reducerent. B Vnde etiam eo tēpore veri fideles nomen Catholicorum retinuerunt.

Hilar.

Atq; ita intelligi poteſt, quod Nazianzenus dicit de hæreticis volentibus Catholicam fidem multitudine credentium metiri, fortaſsè enim in ſua ciuitate, vel Epiſcopatu plures erant Ariani, quam catholici, & ex illa multitudine clarū eſt, non eſſe catholicā fidem colligendam, ſicut licèt fortaſsè nunc in Anglia plures ſint hæretici, quam catholici, nullum inde ſumetur ſignum catholicæ fidei. Præſertim quia licet contingeret, hæreſim multū diffundi nunquam haberet ſignū C catholicæ Eccleſiæ ex defectu aliarum conditionm, vt ſuprà dixi, & ibi notat Billius. 18.

Nazian.

Vnde concludo vltimo, nunquā hęreſim aliquā ita poſſe per vniuerſum diffūdi, vel cum talibus circūſtantijs in numero ſectatorum eius augeri, vt inde poſsit veriſimiliter exiſtimari, illam eſſe fidem catholicam, ſed potiùs ſemper contrariū poſſe cum ſufficienti certitudine conſtare ex defectu modi vniuerſitatis, fidei Catholicæ promiſſæ. Hoc poſſet ſufficienter probari per exempla omnium hę D reſum, quæ hactenùs fuerunt: nam quod omnibus hæreticorum Sectis, in temporibus præteritis accidit, credendum eſt, in cæteris euenturum: nam eadem ratio limitationis (vt ſic dicam) ſeu determinationis ad limitatum locum, aut gentem, vel paucitatem ſectariorum in omnibus inuenitur. Eſt autem prima ratio, quia omnis hęreſis introducitur per defectionem à Catholica fide, & conſequēter deuiat à certa regula credendi, ideòq; nunquam poteſt vniuerſaliter perſuaderi tanquam vera, & indubitata fides. Hoc elegan- 19.

Nulla ſec. poteſt ita p orbem di... di, vt veri militer c tholica eſ ſtimetur.

Prima ratio

eleganter indicauit Auguſtinus libro de
Paſtoribus cap.8. vbi cùm dixiſſet, va-
rias hæreſes eſſe in varijs prouincijs,quæ
ſe inuicem non cognoſcunt, Catholicam
verò Eccleſiam cum omnibus eſſe vbiq;
& omnes noſſe,quia in omnes diffuſa eſt,
ſubiungit. *Illa,* (id eſt Catholica) *Sic eſt
tanquam vitis creſcendo vbique diffuſa, illi
ſunt tanquam ſarmenta inutilia agricolæ fal
ce præciſa merito ſterilitatis ſuæ, vt vitis pu-
taretur, non amputaretur. Sarmenta ergò
illa, vbi præciſa ſunt, ibi remanſerunt, vitis
autem creſcens per omnia, ſarmenta ſua nouit,
quæ in illa remanſerunt, & iuxta ſe, quæ
de illa præciſa ſunt: inde tamen reuocat erran
tes,* Quæ verba ſunt valde notanda: nam
& differentiam inter Catholicam fidem,
& quãcunque particularem ſectam,& ra-
tionẽ propoſitam rectè declarant. Ean-
demq; rationem habet ferè eiſdem ver-
bis Auguſt. lib.4. contra Creſcon. c. 60.
Cyprian. vbi refert Cyprianum lib. de Vnit. Ec-
cleſ. dicentem, Eccleſiam ramos exten-
dere per vniuerſum mundum. De hære-
ſibus autem adiungit Cyprianus, *Non nos
ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt, & cùm hæ
reſes, & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dũ
conuenticula ſibi diuerſa conſtituunt, verita-
tis caput atque originem reliquerunt.* Vn-
de merito colligit, non poſſe in nomine
Chriſti congregari, nec cùm vniuerſa fra
ternitate conuenire.

20. *Secunda ratio.* Et hinc oritur altera ratio, quam ibidẽ
Cyprian. attingit, dicens. *Hæreſes factæ
ſunt, & fiunt, dùm peruerſa mens non habet
pacem, dùm perfidia diſcordans non tenet
vnitatem.* Nam hinc fit, vt qui concordiã
cum Eccleſia deſerunt, inter ſe cõcordes
non ſint: quod etiam (vt ſupra dixi) pro-
uenit ex defectu fundamenti, quia cùm
in credendo non nitantur regula à Deo
tradita, ſed proprio iudicio, & opi-
nione, neceſſe eſt, vt ſi aliquantulum du-
rent, vel multiplicentur, ſtatim in varias
ſectas diſcindãtur, *Quoniam viſiones cordis
eorum fruſtrantur eos.* vt idem Cyprianus
Cyprian. ibidem dixit, ideoq; non perſeuerãt, nec
extenduntur cũ illa vnanimitate, quam
fides catholica requirit. Quod declarauit
Auguſt. optimè Auguſt. lib. de Paſtorib. cap.8.
vbi accommodat ad hęreticos verba Eze
Ezechi. 34 chiel. 24 *Super omnem faciem terræ diſperſi
ſunt greges mei,* & addit, *non omnes hæretici
per totam faciem terræ, ſed tamen hæretici*

A *per totam faciem terræ, alij hìc, alij ibi, nuſ-
quam tamen deſunt, ipſi ſe non nouerũt. Alia
ſecta in Africa, alia hæreſis in Oriẽte, alia in
Aegypto, alia in Meſopotamia v.g. In diuer
ſis locis ſunt diuerſi, ſed vna mater ſuperbia
omnes genuit, ſicut vna mater noſtra catho-
lica õnes Chriſtianos fideles toto orbe diffuſos.
Non ergò mirum ſi ſuperbia parit diſſenſionẽ
charitas vnionem.* Vnde idem Auguſtin. *Auguſt.*
epiſt. 48. ad hæreſim etiam accommodat
illud Canticor. 1. *Si ignoras te egredere, &* *Cor.* 1.
abi poſt veſtigia gregũ, & paſce hædos tuos,
& ſic exponit, *Niſi cognoueris temetipſam
B exi tu, nõ ego te eijcio, ſed exi vt dicatur de te
ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, exi
tu in veſtigijs gregum, non in veſtigijs meis,
ſed in veſtigijs gregum, nec vnius gregis, ſed
diuerſorum gregum, & errantium, Et paſce
hædos tuos, non ſicut Petrus, cui dicitur, paſce
oues meas, ſed paſce hædos tuos in tabernacu
lis paſtorum, non in tabernaculo paſtris, vbi
eſt vnus grex, & vnus paſtor.*

Addere denique poſſumus tertiam ra
tionem, quia in ſecta hæreticorũ non in- 21. *Tertia ratio.*
uenitur ſpiritus ꝓpagationis fidei (vt ſic
dicam) ſine quo fides ipſa catholica nũ-
quàm creuiſſet, nec per totum mundum
C fuiſſet diffuſa, *Quia fides ex auditu, audi
tus autem per verbum Chriſti.* Et ideò in
Chriſti Eccleſia vt Catholica eſſet, ne-
ceſſaria in primis fuit poteſtas vniuerſa-
lis prædicandi Euangelium per vniuer-
ſum orbem, quam Chriſtus illi dedit
ſimul cum præcepto prædicandi fidem
ſuam in toto mundo, Matth. 28. Marc. *Matt.* 28.
16. & Actor. 1. Et hoc modo aſſerit *Marc.* 16.
Paulus ad Galatas primo ſibi fuiſſe credi *Galat.* 1.
tum Euangelium præputij, ſicut Petro *2.Cor.* 5.
circuncifionis, & ſecundæ Corinthiorũ
5. *Deus erat in Chriſto mundum reconci-
lians ſibi, & poſuit in nobis verbum reconci-
D liationis. Pro Chriſto ergò legatione fungi-
mur tanquam Deo exhortante per nos,* Dein-
de fuit neceſſarius ſpiritus propagationis
fidei huic poteſtati cõformis, tum ad ef-
ficaciam prędicationis, tum ad concipen-
dum affectum, & ſolicitudinem trahendi
homines ad Chriſtum, & ideò ipſemet
Dominus Apoſtolis præcepit, vt manerẽt
in ciuitate, donec induerentur virtute ex
alto Lucæ 24. & Actor. 1. quem ſpiritũ
maximè oſtendit Paulus in ſuis Epiſtolis
& varia eius dona ad hunc finem data Ec
cleſiæ ad Epheſ. 4. & 1. Cor. 12. deſcribit.

22 Hunc autem ſpiritum non habere hæreticos ita poteſt declarari. Quia duo pręcipue ad hanc Eccleſiæ propagationem pertinēt. Vnū eſt ad Chriſtum conuertere ethnicos nullo modo credentes in ipſū aliud eſt, eos, qui in ꝓfeſsione fidei Chriſti errant, & à ſua Eccleſia exierunt, ad ipſam reuocare, & in vera fide illuminare. Neutrum horum munerum vſpiam exercuerunt hæretici vlli, nec modo Proteſtantes Anglicani, quantumcumque hoc iactitent, & contendant. Nam quo ad primū, nunquam hæretici viſi ſunt fidem nouis gentibus prædicare, aut ethnicos ad fidem conuertere. Teſtis eſt Tertulli. lib. 1. de Præſcriptionib. cap. 42. dicens. *De verbi adminiſtratione quid dicam? cùm hoc ſit negotium illis, non ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi.* Et ratio eſt, quia in illis non eſt verum Dei verbum, & ideò neq; efficaciam verbi habere poſſūnt. Item non ducuntur Spiritu Chriſti, ſed proprio, & ideò *ruinas potiùs operantur ſtantium ædificiorum, quàm ſtructionem iacentium ruinarum,* vt ibidem Tertullia. dixit. Tandē cùm extra Eccleſiam ſint, poteſtatem prædicandi fidem Chriſti habere non poſſunt, quia hæc poteſtas, vt dixi, data eſt Eccleſiæ in Apoſtolis, & in ſucceſſoribus eorū manſit, & ab eis mitti debent veri Euangelij prædicatores, iuxta illud, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Roman. 10. Et ita in hiſtorijs Eccleſiaſticis obſeruatum eſt, Eccleſiam non eſſe in gentibus diffuſam, niſi per prædicatores Catholicos ab Apoſtolis, vel à Sede Apoſtolica miſſos, quod etiam de ipſis Anglis in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Hæreticos non habere ſpiritū propagandi fidem.

Tertull.

Roma. 10

23. Præter hanc verò curam propagandi fidem inter ethnicos, neceſſaria eſt in Eccleſia catholica ſolicitudo cōſeruandi illā, & reducendi ad illam omnes, qui Chriſtū non omnino abnegantes ab Eccleſia deuiant. Hoc enim maximè ad eius paſtoralem curam, & vniuerſalem propagationem neceſſarium eſt. Vnde Auguſtinus dicto cap. 8 de Paſtorib. *Catholica* (inquit) *mater, & ipſe paſtor in ea vbiq; quærit errantes, confortat infirmos, curat languidos, alligat confractos, alios ab iſtis* (vtiq; ab hęreticis) *alios ab illis, non ſe inuicem ſcientibus.* Quomodo autem poteſt hęc cura in ſecta hæretica inueniri? Cū enim ipſa per defectionem à vera fide increbuerit, & in

Solicitudo reducēdi hęreticos et Eccleſię neceſſaria.

Auguſt.

A illa pedem fixerit, quomodo poteſt alios errantes ad viam ſalutis reducere? Dices, ſolicita ſaltē erit, alios credentes in Chriſtum in ſuam rapere opinionē, & ſic poterit, vtiq; creſcere. Reſpondeo, etiamſi id contingeret, Deo id propter peccata hominum permittente, neutiquam inde tamen poſſe ſplendori, & amplitudini Catholicę Eccleſiæ præiudiciū afferre, *quia portæ inferi non præualebunt aduerſus eam,* vt iam declaraui. Addo conſiderata hæreſis natura, & conditione, id non eſſe morale, neq; ordinariè timeri poſſe: tùm quia cū Deo, & veritati repugnet, & B negotiū ſit mere humanum, non poteſt cōtra Eccleſię lumen adeò perfractè, aut tādiu præualere; tùm quia, vt dixi, ipſimet hæretici facilè inter ſe diſſentiunt, & ita vim amittunt, eandē ſectam per varias regiones diſſeminandi, tùm quia plerūque non incidunt in huiuſmodi ſectam, niſi vel ſuperbiæ, vel ambitionis, aut libertatis ſpiritu ducti, ideoq; de propagatione ſuæ ſectæ non amplius, quā huic fini, vel alicui contentioni humanę deſeruiat, ſūt ſolliciti.

Obiectio quędā diluitur.

Cuius rei non leuem coniecturam faciet lector ſi verba illa Regis Angliæ in C fine ſuæ Præfationis relegat, vbi generatim ad Principes Chriſtianos loquens, ſe oſtendit propagationis fidei ſolicitū, precaturq; *vt Deus ſibi, & alijs mentem inijciat ſerio cogitandi quid ad Euangelij plantationem, & propagationem præſtare teneantur.* In quo temporalibus Principibus tacitè perſuadere conatur, vt munus paſtorale, ſolis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus commiſſum, vt vidimus, ſibi arrogent, & vſurpent: ſtatim verò oſtendit, quo ſpiritu feratur dicens, *Deinde vt ſceptrorum noſtrorum ſecuritati mature prudenterq́, D conſulamus, nec Babylonicum Monarcham latius ſerpere patiamur.* Et alia, quę proſequitur, & nūc omitto, quia in lib. tertio tractanda ſunt, Per ea verò, quæ indicaui, ſatis demonſtrat, ſuum ſtudium ſolùm eſſe *coniungendi ſpiritualem libertatem cum temporali, & temporalem quietem, & ſecuritatem in ſuo ſchiſmate comparare,* hæc enim ferè ſunt verba eius. Satis igitur ex omnibus dictis, nihil Catholicum, nihil vè vniuerſale in Anglicana Secta deprehendi concluditur. 24.

C A-

CAPVT XVII.

In Anglicano ſchiſmate fidem Apoſtolicam non eſſe.

1. Ab Apoſtolis fides dicitur Apoſtolica.

EXploratum eſt apud omnes ſacræ doctrinę tractatores, illam eſſe veram, & catholicam fidem, id eſt, doctrinam fide credendam, quam Apoſtoli tradiderũt, & ideo Apoſtolica fides vocata eſt, ſicut Eccleſia etiam vniuerſalis Apoſtolica dicitur in Symbolo Nicæno. Ob hanc ergo cauſam Rex Angliæ non ſolùm ſe fidei catholicæ, ſed etiam Apoſtolicæ defenſorem eſſe profitetur, & ex conſequenti vult, ſectam Anglicanam, quam ſolam re vera tuetur, fidem eſſe Apoſtolicam. Quamuis autem ex dictis facilè intelligi poſsit, ſectam, quæ catholica non eſt, Apoſtolicam eſſe non poſſe, & quæ noua eſt, & nupera, antiquitatem Apoſtolicæ doctrinæ arrogare ſibi non valere: nihilominùs, vt rem apertiùs, & diſtinctiùs demonſtremus, & omnibus, quæ occurrere poſſunt, ſatisfaciamus, operęprętium viſum eſt, ſpeciatim hoc etiam attributum tituli Regij refellere.

2. Quid requiratur, vt aliqua doctrina Apoſtolica dicatur.

Primum autem omnium ſtatuendum eſt, duo eſſe neceſſaria, vt fides, ſeu doctrina Apoſtolica ſit, vnum eſt, vt ab Apoſtolorum prædicatione, & eorum verbis, aut ſcriptis aliquo modo duxerit originem: aliud eſt, vt per legitimam traditionem, ſeu ſucceſsionem ad nos vſque peruenerit. Primum indicatũ eſt à Paulo ad Epheſ. 2. dicente, *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum:* quod attingens Auguſtinus, & de his fũdamentis intelligens illud Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis*, interrogat, *Quare fundamenta Apoſtoli, & Prophetæ?* Reſpondet, *quia eorum authoritas portat infirmitatem noſtrã*, nimirùm, quia & Prophetarum prædictione, & Apoſtolorum prædicatione proximè in credendo nitimur. Illud enim Apoſtoli prędicarunt, quod Prophetæ prædixerũt. & *Prophetæ* (inquit Ambr. ad Epheſ. 2.) *diſpoſuerunt, Apoſtoli fundamenta iecerũt*, quæ fundamenta non ſunt, niſi dogmata, & doctrina ab eis prædicata. Vnde

Epheſ. 2.

Auguſt. Pſal. 86.

Ambr.

A grauiſsimè Irenæus libr. 3. cap. 1. dicit, *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognouimus, quàm per eos, per quos Euangelium peruenit ad nos, quod quidem tunc præconiauerunt, poſteà verò per Dei voluntatẽ in ſcripturis nobis tradiderunt, fundamentũ, & columnam fidei noſtræ futurũ.* Ratio eſt, quia fides, vel doctrina non denominatur Apoſtolica, niſi quia ab Apoſtolis tradita eſt, ad eum modum, quo ſolet doctrina, vel lex ab authore denominari: hac tamen obſeruata differentia, quòd aliæ doctrinæ humanæ ſolent ab hominibus

Iren.

B tanquam à præcipuis authoribus ſua ſibi conuenientia deſumere nomina, fides autem non ita ab Apoſtolis nomen accepit, ſed ſicut lex vetus dicitur Moſayca, à Moyſe, non vt authore, ſed vt promulgatore; ita fides Chriſtiana dicitur Apoſtolica, ab Apoſtolis, non authoribus, ſed primis eius prædicatoribus, ac promulgatoribus. Et ideò poſtquã Paulus in citato loco dixit, *Ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, addidit *ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Ipſe eſt enim principale fundamen-

Fides ab Apoſtolis non vt authoribus, ſed vt prædicatoribus Apoſtolica dicitur.

C tum, & baſis omnium fundamentorum, quæ in eo ſuperædificantur, & in illum aſpicere debemus tanquam *in Authorem fidei, & conſummatorẽ Ieſum*, ad Hebr. 12.

Ad Hebr. 12.

3. Alterum, quod propoſui de ſucceſsione legitima frequentiſsimum eſt apud Patres, quos magna ex parte retuli cap. 3. & 6. præſertimq; id declarat Irenæus lib. 3. cap. 3. dicens, *Traditionem Apoſtolorum in omni Eccleſia adeſt perſpicere, qui vera velint audire, & habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſijs, & ſucceſſores eorum vſq; ad nos.*

Irenæus.

Idem.

D Et libr. 4. cap. 43. *Eis, qui in Eccleſia ſunt presbyteris obaudire oportet, his, qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis, ſicut oſtẽdimus, qui cum epiſcopatus ſucceſsione chariſma veritatis certum ſecundum placita Patris acceperunt.* Eandem conditionem ad diſcernendam doctrinam Apoſtolicam à peregrina latè tradit Tertullianus libr. de Præſcriptionib. hæreticor. vbi inter alia hæc habet, omnes Eccleſias Apoſtolicas exhibere aliquem Apoſtolum ibi Epiſcopum conſtitutum, vel Apoſtolicum virum ibi per aliquem Apoſtolorum or-

Tertull.

dinatum, ex cuius ſucceſsione Apoſtolici ſeminis *traduces* habeat. Vocat autem Apoſtolicos viros eos, qui cum ipſiſmet Apoſtolis conuerſati ſunt, & doctrinam, ordinationem, & poteſtatem ab eis acceperunt, vt Titum, Polycarpum, Clemẽtem, & ſimiles. Quoniam verò multæ Eccleſiæ poſt illa antiqua tempora inſtitutæ ſunt, de illis ſubdit, *Tamen in eadem fide conſpirantes non minùs Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* Cõſpirant demum in eadem doctrina per legitimam etiam ſucceſsionem, quia licèt tales Eccleſię nec per Apoſtolos, nec per viros Apoſtolicos, id eſt, immediatè ab Apoſtolis miſſos ſeu ordinatos, edoctæ fuerint, ſaltem habuerunt initium per aliquem miſſum ab alio habente poteſtatem, ad quem ſimul cum illa, doctrina Apoſtolorum peruenerat, vt Anglicana Eccleſia cœpit per viros miſſos à Gregorio, Germana à Bonifacio Epiſcopo miſſo à Gregorio 2. & ſic de alijs. Nã qui non intrant per hãc portam ſine dubio fures ſunt, & latrones. *Ad quos* (vt eleganter Tertullianus) *Meritò dicendum eſt qui eſtis, quando, & vnde veniſtis, quid in meo agitis non mei?* (nomine Eccleſiæ loquitur) *mea eſt poſſeſsio, habeo origines firmas ab ipſis authoribus, quorum fuit res, ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo.*

Suprà cap. 37. Tertull.

4. Eodem fundamento vtuntur alij Patres ad eundem finem ſeparandi veram doctrinam à falſis erroribus, vt latè Vincent. Lyrinenſis in ſuo libro contra prophanas hæreticorum nouitates, & illo vtitur ſæpè Optatus libr. 2. contra Parmenian. Hieronymus contra Luciferianos in fine, vbi illi Eccleſiæ dicit eſſe adhærendum, *quæ ab Apoſtolis fundata vſq; ad diem hanc durat*, & idẽ ſignificat epiſt. 65. ad Pammachium, & Oceanum, vbi vel noſtræ tempeſtatis nouatores, ſicut & ſui ſęculi veteratores hac vrget interrogatione: *cur profers in medium, quod Petrus, & Paulus edere noluerunt?* Item Ambroſ. I. ad Corinth. 4. in principio dicit, cognoſci de aliquo, eſſe pſeudoprophetam, quando aliquid tradit à traditione Apoſtolica diſcordans. Sic etiam dixit de Eccleſia Auguſtinus lib. I. de Symbolo ad Catechumen. ca. 6. *Omnes hæreſes dè*

Vincent. Lyrin. Optat. Hieron. Ambr. Auguſt.

A *illa exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua*, id eſt, in eadem origine, quam à principio habuit. Quomodo autem in illa radice maneat, declarat idem Auguſtin. 28. contra Fauſt. cap. 2. dicens, *Ab Apoſtolicis ſedibus vſq; ad præſentes Epiſcopos certa ſucceſsione perducta*, & infrà adijcit, illud Euangelium eſſe credendum, quod à tempore Apoſtolorum *non interrupta ſerie temporum Eccleſia certa connexionis ſucceſsione vſq; ad tempora iſta perduxit.* Similia habet lib. I. contra aduerſarium legis, & Prophetar. cap. 20. & lib.

Auguſt.

B de Vtilit. credend. cap. 17. Denique optima eſt regula tradita ab Origene in Pręfatione ad libros Periarchon, *Cum multi ſint, qui ſe putant ſentire quæ Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diuerſa à prioribus ſentiant, ſeruetur Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & vſq; ad præſens in Eccleſijs permanens, illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat traditione.*

Origen.

Ratione item poſſumus hoc facilè declarare, quia fides Apoſtolica illa tantum eſt, quæ ab Apoſtolis prædicata, vel ſcri- 5.

Optima regula ad fidẽ cognoſcendam.

C pta eſt, nos autem non audiuimus Apoſtolos prędicantes, nec eos ſcribentes vidimus; ergò non poſſumus certò cognoſcere, doctrinam aliquam eſſe ab Apoſtolis prædicatam, vel ſcriptam, niſi per manus, & ora eorum, qui vel eos audierunt, & viderunt, vel ab his, qui Apoſtolos audierunt, eandem doctrinam receperunt, per plures, vel pauciores ſucceſsiones, iuxta temporum antiquitatem; ergò vt certò conſtet, talem doctrinam omnino puram, & eandem durare, neceſſarium eſt, illam ſucceſsionem eſſe continuam, & non interruptam. Imò vt ſuprà cap.

D 6. dicebam, neceſſaria eſt ſingularis Dei protectio, vt in tam longè repetita temporum, & generationum ſucceſsione integra, & illibata, & cum ſumma authoritate ſeruetur; hæc autem diuina protectio promiſſa non eſt, niſi Eccleſiæ, quæ per legitimam Pontificum, & fidelium ſucceſsionem eadem ſemper exiſtit; ergò ſine huiuſmodi ſerie, & ſucceſsione non poteſt aliqua fides, Apoſtolica exiſtimari.

Ex hoc igitur neceſſario fundamento ita concludimus; illa fides nunc eſt 6.

Apoſto-

Apoſtolica cenſenda, quæ ab Apoſtolis prædicata per legitimam ſucceſsionem ad nos vſque deriuata eſt; ſed Anglicana ſecta neque eſt ab Apoſtolis prædicata, neque ab illorum doctrina, aut traditione legitimè deriuata eſt; ergò non eſt Apoſtolica fides. De priori propoſitione ſatis dictum eſt, ſupereſt declaranda, & probanda poſterior, illam enim fortè Rex Angliæ negabit. Hac ſiquidem for taſſe cauſa in ſua Præfatione pagin. 42. 43. & 44. vt ſe *catholico Chriſtianum* (vt ipſe loquitur) oſtendat, Scripturas quoad libros primi ordinis, tria fidei ſymbola, & prima quatuor Concilia generalia credere, admittere, aut venerari profitetur, ſentiens, fidem Apoſtolicam in ijs fontibus ſufficienter contineri. Quod autem de ſe affirmat de tota Anglicana ſecta, ſeu congregatione primatum ipſius Regis recognoſcente, dictum eſſe putamus. Sic ergò reſpondebit ad rationem à nobis factam, doctrinam Apoſtolicam ad ſe, & ſuos per dictos ſcripturæ libros, Symbola, & Concilia ſufficienter perueniſſe, & nullum eſſe poſſe modum certiorem, aut magis legitimum Apoſtolicam fidem per hæreditariam quaſi ſucceſsionē ſuſcipiendi, quàm per Scripturas, ſymbola, & Concilia dicta, omnemq; aliam doctrinam, quæ in his non continetur, ſuſpectam habere, & tanquā nuperam refutare, vel ſaltem in canone fidei non recipere.

Colligitur fidem Anglicanam non eſſe Apoſtolicam ex defectu prædictarum conditionum.

7. At hæc dimidiata fidei confeſsio vim rationis factæ non eneruat, vt nunc breuiter in generali, latiùs verò libro 2. in particulari oſtendam. Oportet ergò in Anglicana ſecta, ſeu (quam nunc eandē reputamus) in hac Regis profeſsione diſtinguere, quid cum fide catholica, & Romana habeat commune, & quid propriū, aut diuerſum. Multa enim retinuit Anglia ex ijs, quæ priùs catholicè credebat, & hæc dicimus habere communia cum fide Apoſtolica; alia verò ſunt, in quibus ab Eccleſia Romana defecit, quæ illius propria vocamus. Quod ergò ad priora pertinet, concedimus, partem illam ad fidem Apoſtolicam pertinere, ſed tamē non ab Anglicana cōgregatione, ſeu credulitate, ſed à Romana Eccleſia habere huius antiquitatis teſtimonium. Vndè etenim habuit Anglia libros illos, qui apud Regem pollent authoritate, niſi à Romana Eccleſia? aut quomodo poſſent illum gradum authoritatis obtinere, niſi per legitimam traditionem ad Eccleſiam catholicam perueniſſent, & ab eadem approbati fuiſſent? Quid de vero, & certo ſenſu talium librorum dicam? Profectò niſi ex eadem origine, traditione, & approbatione conſtare poſſet, quæ fuerit in talibus ſcripturis Apoſtolorum mens, & ſententia; nunquam poſſet Apoſtolica fides ex eiſdem libris cum certitudine erui nedùm comprobari, quia doctrina non conſiſtit in verbis, aut libris, ſed in ſententia, vt in ſimili ſuprà ex Hieronymo cōmonſtraui. Quod non ſolùm de ſcripturæ libris, ſed etiam de ſymbolis, & Concilijs intelligendum eſt, cùm omnium ſit eadem ratio, vt per ſe apparet manifeſtum.

Quæ Anglicana ſecta cū Romana Eccleſia habet communia ad fidē Apoſtolicā pertinent.

Hieron.

Quapropter licèt doctrina talium librorum per ſe ſpectata fides catholica ſit, vel potiùs pars eius, vt iam dicam; nihilominùs vt à ſectarijs retinetur, vel non eſt Apoſtolica, vel non poteſt vt talis certò credi. Primò quidē, quia certi eſſe non poſſunt, illos libros Scripturæ, quos admittunt, eſſe Apoſtolicos, cùm pro ſuo arbitrio quoſdam admittant, alios negēt, & quoſdam quoad aliquas partes, & non quoad alias. Hac enim libertate diſcernēdi inter Scripturę libros, tota eorum doctrina quoad eos incerta, & quaſi humana redditur, quia ſola humana opinione, vel fide credi poterit, non diuina. Quæ ratio etiam ad Concilia applicari poterit, quia nulla certa authoritate, vel ratione quædam admittunt, alia reijciunt, cum idem pondus authoritatis habeant, ſiue in eis grauitas iudicantiū, ſiue Sancti Spiritus aſsiſtentia ſpectetur. Et prætereà eſt alia ratio tam de ſymbolis, quàm de Concilijs, nam doctrina illorum nō ideò ab his ſectarijs admittitur, quia ibi traditur, aut definitur, ſed quia ipſorum iudicio in Scriptura continetur, & ita ſymbola, vel Concilia non ſunt apud ipſos fundamentum certitudinis, quòd illa doctrina ſit Apoſtolica, ſed ſolùm ipſorum iudicium, vt in 6. & 7. cap. latè deduxi. Vnde ſumitur altera generalis ratio, quia doctrina non in litera, ſed in ſenſu conſiſtit; ergò vt doctrina ſit Apoſtolica, neceſſe eſt, vt non ſolùm libri, ſed etiam eorum

eorum ſenſus habeat originem, & certã dimanationẽ ab ipſis Apoſtolis: ſed hãc non habet apud ſectarios, quia ſuo arbitrio, vel, quem fingunt, priuato ſpiritu ducuntur; ergò vel doctrina eorum etiã in re ipſa non eſt Apoſtolica, quia in ſenſu Scripturæ errant; vel licèt caſu contingat in ſe eſſe Apoſtolicam, apud ipſos non habet eiuſmodi certitudinem, quia eadem menſura illam metiuntur.

9. Quamobrem nihil iuuat Iacobũ Regem pagin. 42. dicere, *ſe tria ſymbola in eo ſenſu interpretari, quem illis eſſe voluerunt Patres, atq; Concilia, à quibus ſunt condita, atq; deſcripta.* Interrrogo enim, vnde nouerit voluntatem hanc Patrum, vel Cõciliorum. Dicet fortaſſe, ex verbis illorũ eam noſſe. Sed quid ſi verba, vel ex varia ſignificatione, vel ex hominum interpretatione varios habeant ſenſus? vnde diſcernit, voluntatem Patrum, & Conciliorum fuiſſe, hunc ſenſum eſſe in illis verbis, & non alium? Dicet, credo, *ſua certa ſcientia* ſe id cognoſcere, ac credere. Nam cùm id de Scripturis dicat, faciliùs de ſymbolis, & Concilijs affirmabit. At, illam certam ſcientiam nullam omnino eſſe ex Scripturis, Patribus, ac manifeſta ratione cap. 7. oſtendi; ergò non poteſt Rex nobis probare, ſe interpretari ſymbola in ſenſu, quem Patres illis eſſe voluerunt, ſed caſu accidet, vt interdum ita ſit, & ſæpè non ita erit, ideòque talis doctrina ſic credita, non poteſt habere certitudinem Apoſtolicæ doctrinæ.

Doctrinam ſymbolorũ prout eam Rex interpretatur certitudinẽ fidei Apoſtolicæ continere nõ poſſe.

10. Exemplis hoc ampliùs conuincamus. Vnus ex articulis ſymboli Apoſtolici eſt, *Deſcendit ad inferos*, quæ verba ab Athanaſio non ampliùs explicantur. Eccleſia verò à Patribus edocta, intelligit illa verba propriè de vero, & reali, ac locali deſcenſu Chriſti in anima à corpore ſeparata ad loca ſubterranea inferni. Caluinus autem, & alij intelligunt de doloribus inferni, quos fingunt, Chriſtum paſſum eſſe in Horto, & in Cruce. Si ergò Rex credit illis verbis Symboli in hoc poſteriori ſenſu acceptis (quod de Rege præſumimus, cùm Caluini ſectam profiteatur) oſtendat nobis, quis ei reuelauerit, illum ſenſum intendiſſe Apoſtolos, præſertim cùm ille ſit extra propriam, & vſitatam verborum ſignificationem, & contra intelligentiam omniũ

Exemplis idem cõuincitur.

A veterum Patrum alio pacto Scripturas interpretantium de hoc eodem articulo, vt alibi eſt à nobis oſtenſum; ergò in hoc non retinet Apoſtolicam doctrinam, quãtumuis ſymbola ſe recipere iactitet. Idemq; argumẽtum in alijs ſymboli articulis fieri poteſt, vt in illo, in quo confitemur, Chriſtum eſſe natum ex Maria Virgine, vel venturum eſſe iudicare viuos, & mortuos ex factis illorum, vt in ſymbolo Athanaſij confitemur vel quo vnam Eccleſiam Catholicam, Sanctorũ communionem, remiſsionem peccatorũ B profitemur. Nam hæc omnia longè in diuerſo ſenſu à Proteſtantibus intelligũtur, quàm ab Apoſtolis, vel Cõcilijs fuerint tradita, vt facilè oſtẽdi poſſet, ſi pro huius operis breuitate liceret: ergò fruſtrà Rex, qui Proteſtantes tuetur, dicit, ſe interpretari ſymbola in ſenſu, quem authores voluerunt: nam oſtendere non poteſt iſtiuſmodi ex illis ſenſum, & ita illa doctrina non poteſt oſtendi Apoſtolica, & conſequenter quoad illum, & ſequaces nihil eſt in ſymbolis, quod cum certitudine poſsit doctrina Apoſtolica reputari.

C Cõcludimus ergò, non ſatis eſſe, Apoſtolicas voces, ſeu ſcripta retinere, niſi *Apoſtolicè etiam intelligãtur*, vt loquitur Gregorius Nazianzenus Orat. 52. aliàs epiſt. 2. ad Cledonium. Quid autem ſit Apoſtolicè, vel non Apoſtolicè intelligi, declarat, dicens, *Quoniam eædem voces, ſi rectè intelligantur, cum pietate coniunctæ ſunt, ſi perperam exponantur, impietate non carent.* Et priùs dixerat, vſum hæreticorum eſſe *cùm communibus ſententijs, quas Scriptura exhibet, conuinci, ac premi ſe vident, pias quidem dictiones confiteri, & circa mentem dolum ſtruere.* Indicium autem D huiuſmodi intelligentiæ non Apoſtolicæ, ſignificat eſſe nouitatem, antiquæ Eccleſiæ traditioni contrariam, dicens, *O ingentem abſurditatem, abſconditam poſt Chriſtum ſapientiam nobis annuntiant, id, quod ſanè lacrymis dignum eſt. Nam ſi triginta duntaxat abhinc annis fides initium ſumpſit, cùm quadringenti iam ferè anni fluxerint, à quo Chriſtus manifeſtatus eſt, inane vtiq; tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiã fides noſtra, fruſtraq; martyres martyria perfũcti ſunt, & tales tantiq; Antiſtites plebi præfuerunt.* Igitur ad Apoſtolicam doctrinam

11. Apoſtolica ſcripta ſine Apoſtolico ſenſu ad fidem non ſufficiunt. Nazianz.

nam

nam adiungi debet Apoſtolicus ſenſus: A erit autẽ Apoſtolicus, ſi ab Apoſtolis duxerit originem, quam perpetua Eccleſię conſenſio, & prædicatio manifeſtat. Cũ ergò Rex Angliæ, licèt ſymbolum Apoſtolicum, & cætera recipiat, Apoſtolicum tamẽ eorum ſenſum illibatum non retineat, dici non poteſt, etiam quoad hanc partẽ Apoſtolicam fidem profiteri.

12. Secta n Anglicanam ſecundũ propria dogmata Apoſtolicæ fidei repugnare oſtenditur.

Venio ad alteram prædictæ doctrinę partem, Proteſtantium, omniumq; penè huius tẽpeſtatis ſectariorum propriã, quam etiam Rex Angliæ cum ſuis recipit, & Eccleſiæ Romanę fidei anteponit. B De hac igitur parte duobus modis poſſumus oſtendere, Apoſtolicam non eſſe. Primo in vniuerſali ex principijs hactenùs diſcuſsis: nam illa omnia, quæ ſunt propria illius ſectæ, ſunt contraria antiquæ fidei vniuerſalis Eccleſiæ, quia per defectionem ab illa introducta ſunt, vt cap. 2. & 3. eſt oſtenſum; ergò non poſſunt eſſe ex Apoſtolica doctrina, ſed ex vana hominum nouitate pro cerebro excogitata. Probatur conſequentia ex fundamento poſito, quòd initium doctrinæ Apoſtolicæ per certam ſeriem reuocandum eſt ad tempora Apoſtolorũ, & eo- C rum prædicationem; ergò illa dogmata, quæ ante paucos annos inceperunt, & quorum initium cognoſcitur fuiſſe per defectionem ab antiqua fide, non poſsũt eſſe doctrina, ſeu fides Apoſtolica. Hoc enim argumento implicitè vtitur Gregorius Nazianzen. in loco proximè citato, & eodem vtitur Athanaſius apud Theodoret. lib. 4. Hiſtor. cap. 3. dicens ad Iouianum Imperatorem de fide diuinitatis Verbi diuini, *Pro certo ſcias, Auguſte, hanc ipſam ab omni ſeculorum memoria prædicatam fuiſſe.* Hac etiam regula vſus eſt Theodoſius Imperator apud Sozomenum lib. 7. Hiſtor. cap. 12. ad inſurgentes hęreticos compeſcendos, ſcilicet, examinando doctrinam per eam, quam ſancti viri, & Apoſtolici ſemper tradiderant, vt quæ cum illa conſentiret, vt Apoſtolica reciperetur, quæ verò diſsẽtiret, repelleretur, & alij Patres frequenter vtuntur eadem antiquitatis regula, & illam maximè commendat Vincentius Lyrinenſis in ſuo aureo libro contra prophanas vocum nouitates.

Nazianz. *Athanaſ.*

Sozom.

Vincent. Lyrin.

13. Alter modus oſtendendi ſectam Anglicanã quoad ea, quæ ſunt ſibi propria vel in quibus Caluino, Luthero, Zuinglio, aut alijs Proteſtantibus adhæret nõ eſſe fidem Apoſtolicam, eſſe poteſt, deſcendendo ad ſingula dogmata; eorumq; nouitatem, & erroris gradum oſtendendo. Quia verò nunc non aſſumimus prouinciam diſputandi de omnibus dogmatibus, quæ his temporibus ab hæreticis in controuerſiam vocata ſunt, & quia id eſſet nimis prolixum, & operoſum, hũc modũ probationis in præſenti non proſequemur. Non omittemus autem in ſequenti libro, quin ſingula puncta à Romana fide aliena, quæ Rex Iacobus in ſua fidei confeſsione attigit, expendamus, eiq́ue ſumma breuitate pro loci opportunitate reſpondeamus. *August.* *Origen.*

14. Nunc ſufficere cenſemus, gratia exẽpli, proponere articulum de Primatu, qui Anglicanæ ſectæ maximè proprius eſſe videtur. Secta enim Anglicana hunc articulum credendum ſuis ſectatoribus proponit, ſcilicet, temporalem Regem in ſuo regno eſſe ſupremum caput in ſpiritualibus, cui omnes Epiſcopi, & ſacerdotes, vel (vt ſectarij loquuntur) miniſtri obedire tenentur. Quærimus ergo, quis Apoſtolorũ hoc docuerit, vel ſcriptum reliquerit in Eccleſia Chriſti, vel quomodo poſsit eſſe ab Apoſtolis deriuatum dogma, quod ante Henricũ viij. in Eccleſia Chriſti non eſt auditũ? Quod autem hoc ita ſit, nunc non aliter probamus, niſi quia nunquàm legimus in Euãgelio, Eccleſiam commiſſam Regibus, ſed Petro, Apoſtolis, & Epiſcopis Matt. 16. 18. 28. Ioan. 21. Actor. 20. neque in Apoſtolicis epiſtolis legimus præcipi fidelibus obedire Regibus in his, quæ pertinent ad ſalutem animæ, ſed Prępoſitis, D qui rationem animarum eis cõmiſſarum ſunt reddituri, ad Hebr. 13. neque in hiſtorijs legimus, Regem aliquem Chriſtianum, & Catholicum talem poteſtatẽ ſibi arrogaſſe, aut in Eccleſia exercuiſſe. Quæ omnia in libro tertio ex profeſſo tractaturi ſumus, & ideò, ea nunc inſinuaſſe ſufficit, vt inde concludamus, ſectam illam, quæ ab hoc dogmate ſumpſit initium, & quodammodò in illo fundata eſt (nam propter illud pręcipuè à Romana Eccleſia ſe ſeparãuit) Apoſtolicam fidem reputari nequaquam poſſe. *Matth.* *Ioan.* *Actor. 20.* *Hebr. 13.*

Fortaſ-

15. Reſponſio Regis ex eius factis impugnatur. Fortaſſe Rex dicat, illum articulum non computari ab ipſo, vel à ſuis miniſtris inter eos, qui de fide Catholica ſint tenendi. Hanc enim correctionem adhibuiſſe videtur, pag. 62. Pręfationis, cùm dixit, *Ego verò id ingenuè ſpondeo, quoties religionis, quam profiteor, vllum caput oſtẽdetur non antiquum, catholicum, & Apoſtolicum, ſed nouitium eſſe, ac recens (in rebus ſcilicet, ſpectantibus ad fidem) me ſtatim ab eo diſceſſurum.* Veruntamen ſi ſub illa limitatione, ſeu correctione ſuum de primatu articulum comprehendit, & inter res ad fidem ſpectantes illum non numerat profectò iniuſtiſsimè cogit ſubditos ſuos ad recognoſcendũ in ipſo talem poteſtatem, ſeu dignitatẽ. Quomodò enim iuſtè cogi poſſunt, ſi ipſi non tenentur in conſcientia talem in temporali Principe recognoſcere dignitatem? Vel quomodò poſſunt teneri ad eam recognoſcendam, ſi non tenentur eam credere? Vel quo iure teneri poſſunt ad illum articulum credendum, ſi ille non eſt ſecundum fidem catholicam credendus? Reſponderi poteſt, eſſe credendum fide, vt ſic dicam, politica, ſeu Regia, id eſt, in Regis, vel ſui conſilij authoritate, præcepto, aut teſtimonio fũdata. At hoc abſurdiſsimũ eſt, & ab omni etiã humana ratione alienum, quia dignitas, & poteſtas gubernãdi Eccleſiam in ſpiritualibus, non eſt res humana ratione inuenta, ſed à Chriſto dari debuit, iuxta illud Pauli. 2. ad Cor. 10. *Si ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam,* & ideò ipſemet Chriſtus dixit Lucæ. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*; ergò de dignitate illa, & poteſtate, quòd in Rege ſit, non poteſt ſola naturali ratione conſtare, neque Rex potuit voluntate ſua illam vſurpare, ſi ſibi data non eſt; ergò ſi hoc non eſt reuelatum, vt re vera nõ eſt, & ideo non tenentur Angli illum articulum de fide credere (vt in dicta reſpõſione ſupponitur) profectò nulla eſt humana authoritas, quæ iuſtè poſsit illos cogere ad id credendum, cùm ſit de re, quæ ſuperat humanam poteſtatem, & cognitionem, quæ per reuelationem nõ habeatur, vt omittam, etiam eſſe contra ea, quæ reuelata ſunt, vt poſteà oſtendã.

2. Cor. 10.

Luc. 10.

A Ergo ſi Rex velit conſentaneè loqui ad ea, quæ operatur, neceſſe eſt, vt inter ſidei ſuæ articulos hunc de primatu ſuo ponat, & ita vel ex illo ſolo concludimus, ſuam fidem Apoſtolicam non eſſe.

CAPVT XVIII.

Obiectioni contra doctrinam capitis ſuperioris occurritur.

CONTRA diſcurſum ſuperioris capitis poſſunt aduerſarij nobis obijcere etiam Pontifices Romanos multa nobis de fide credenda proponere, quæ neque ab Apoſtolis prædicata ſunt, neque ita ſunt antiqua, vt per continuatam ſeriem ab Apoſtolis deriuari potuerint; ergo etiam fides Romana nõ poteſt eſſe, aut vocari Apoſtolica. Hæc illatio fundamentum habet in his, quæ proximè cõtra aduerſarios protulimus. Nam, vt aliqua doctrina ſit Apoſtolica, non ſatis eſt, aliquam eius partem eſſe ab Apoſtolis prędicatam, & deriuatam, hoc enim habet etiam ſecta Anglicana; imò & quælibet ſecta hæretica, quæ ſemper falſis vera permiſcet. Si ergo Eccleſia Romana etiam habet noua veteribus permiſta, non poterit doctrina eius ſimpliciter Apoſtolica cenſeri. Maximè quoad ea, in quibus ab alijs ſectis hominum profitentium Chriſtum diſſidet, quia in his dogmatibus etiam eſt noua, ſicut sũt aliæ ſectæ ſub Chriſti nomine introductæ. Propoſitio aſſumpta probari in primis poteſt his exemplis, quæ Rex in ſua Præfatione refert, & *nouitia, ac nupera vocat*, vt in Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum inuocatione, cultuque reliquiarum, & imaginum veneratione, & adoratione, & alijs, quæ poſteà percurremus.

1. Obiectio hæreticorum.

B

C

Quæ à Rege tanquam noua imprebentur.

D

Nec illi ſatisfaciemus dicendo, non poſſe hæc noua vocari, cùm ante mille, & plures annos ab Eccleſia obſeruata oſtendantur: nam ipſe ſolùm vt ſufficiẽter antiqua recognoſcit, quæ *tota Catholica Eccleſia iam indè ab Apoſtolorum temporibus ſine intermiſsione multis poſt ſeculis conſtanter docuerit, & crediderit*, vt ipſe pagina 62. dicit, & teſtimonio Vincentij Lyrinenſis cõſirmat. Et quę huiuſmodi adinueniẽtur dogmata (vt ſe Apoſtolicę doctri-

2. Catholicæ Reſponſioni viã præcludere conatur Rex.

doctrinę ſectatorem oſtendat) nunquam recuſaturum eſſe confirmat, quãuis hoc etiam non ſimpliciter, ſed cum limitatione velit intelligi de fidei dogmate, *quod ad ſalutem ſit neceſſarium*. Denique addere poſſumus exempla quarundam rerũ, quas Eccleſia Romana nunc de fide credit, quas in confeſſo habetur, non eſſe ab Apoſtolis prædicatas, vt Beatam Virginem nunquam venialiter peccaſſe, libros Machabeorum eſſe canonicos, & huiuſmodi quæ breuitatis cauſa miſſa facio.

Ad hanc obiectionem dicimus in pri-
3. mis, aliud eſſe credere aliquid repugnãs dogmatibus, & doctrinis ab Apoſtolis prędicatis; aliud verò credere aliquid per modũ additionis ad doctrinam prædicatam ab Apoſtolis, quod ab eis expreſſe declaratum non ſit, vel ſaltem declaratũ eſſe non conſtet. Primum genus credulitatis, aut doctrinæ repugnat cũ doctrina Apoſtolica, quia illa immutabilis eſt omninò, ſicut Deus, & verbum eius immutabile eſt, vt ſignificauit Paulus ad Gal. 1. per illam exaggerationem, *Si Angelus de Cœlo, &c.* & ideò dixit cap. 2. *Si quæ deſtruxi, iterum reædifico, prævaricatorem me conſtituo.* & 2. ad Corin. 1. *Fidelis Deus quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, nõ eſt in illo, Eſt & Non, ſed Eſt.* Ideoq; ſignũ euidens doctrinæ non Apoſtolicæ, ſed potiùs apoſtaticę eſt, aliquid vel minimũ tradere, dictis, vel ſcriptis Apoſtolorum contrarium: nam illud ſufficit non ſolùm ad oſtendendam talis dogmatis falſitatẽ, ſed etiam, vt totam fidem talis doctrinæ quoad certitudinem euertat, vt iam explicaui. In doctrina autem Eccleſiæ Romanę nullum dogma huiuſmodi inuenitur, aut inueniri poteſt, iuxta Chriſti promiſſiones ſupra tractatas, idq; reſpondẽdo inferiùs ad omnia exempla, quæ Rex adducit, facilè oſtẽdemus. At verò in ſecta Regis Angliæ numerãtur multa, quę cũ doctrina Apoſtolorum, etiam ab ipſis ſcripta, planè repugnãt, vt eſt negare traditiones nõ ſcriptas, reſiſtere in dogmatibus vniuerſali Eccleſię, quę eſt colũna, & firmamentũ veritatis. Negare itẽ omnem fidei regulã præter priuatũ ſpiritũ, vel ſic ſaltẽ ſtatuere vt omnia in dubium neceſſario reuocẽtur, itẽ prædicare liberũ eſſe, & licitũ tẽporali Regi nõ obedire vlli Epiſcopo, vel Paſtori Eccleſię etiam ſupremo, & alia ſimilia, quæ cum his cõnexa ſunt, vt omittã alia ſpecialiora, quę ex his generalibus naſcũtur, vt negare veritatẽ corporis, & ſãguinis Domini in Euchariſtia, & alia, quę poſteà tractabimus.

Ad Galat. 1.
2. Cor. 1.

Eccleſia Romana nullũ dogma Apoſtolis cõtrariũ recipere poteſt, Anglicana verò ſecta multa illis contraria recipit.

At ſanè non repugnat Apoſtolicę doctrinæ, quod pro tẽporis diſcurſu aliqua 4.
diſtinctius, & expreſſius tradãtur, quàm anteà prędicata fuerant: quin potius hoc modo addi poſſunt aliqua credẽda in vno tempore, quæ priùs expreſſe, & formaliter (vt ſic dicã) prædicata non erant, dũmodò antiquioribus non repugnẽt, & legitima poteſtate proponantur, id eſt, ab Eccleſia definiãtur. Hoc probat obiectio facta, & cõſuetudo Eccleſiæ catholicæ, quæ ex neceſſitate quadã humanæ conditionis orta eſt, & tam manifeſtã, & cogẽtem rationẽ habet, vt nõ ſit veriſimile, reliquiſſe Deũ Eccleſiam ſuã ſine huiuſmodi poteſtate, vel ſine ſufficiẽte prouidentia, & auxilio ad vtendũ illa ſine periculo recedendi ab Apoſtolica doctrina. Probatur hoc, & declaratur, quia mos Spiritus Sãcti ſemper fuit, nõ ſimul Eccleſiã docere de omnibus, quę ad doctrinam ſupernaturalẽ pertinent, ſed pro tẽporum opportunitate, iuxta diſpoſitionem ſuæ occultiſſimæ prouidentię. Hoc videre licet in temporibus antiquis: nam vt omittam tempora legis naturæ, in ipſamet ſynagoga diſcurſu tẽporis creuit doctrina ſacra, prout varijs temporibus Deus mittebat Prophetas. Deinde, quia nõ obſtante Scriptura, poterant aliquãdo inſurgere res dubiæ, vel ambiguæ, Deus cõſtituerat locũ, & tribunal ſacerdotale, per quod poſſet ille populus magis, ac magis in rebus diuinis illuminari. Præterea etiã in ipſa primitiua Eccleſia Spiritus Sanctus non ſimul docuit Apoſtolos omnia, nam de gentiũ vocatione poſteà fuit Petrus inſtructus Act. 10. & *Actor. 10.*
de ceſſatione legalium certior reddita eſt Eccleſia in Cõcilio Apoſtolico, quã anteà erat. Sic ergò poſt Apoſtolorũ tempora potuit Eccleſia in multis illuminari, quę neceſſaria eſſe potuerũt in poſteriori tẽpore, & nõ priùs, vel propter dubia de nouo orta, pręſertim inſurgẽtibus hęreticis, vel alijs temerarijs hominibus, res fidei obſcuras prauè exponẽtibus, vel etiã, quia hęc eſt naturalis hominis cõditio, vt paulatim in cognitione proficiat, quod etiã Deus in

Poteſt Eccleſia aliqua diſtinctè credenda proponere, quę anteà nõ ita credebãtur.

Eccleſia ſua obſeruari voluit, iuxta illud Prouerb. 4. *Iuſtorũ ſemita quaſi lux ſplendẽs procedit, & creſcit vſq; ad perfectũ diem.*

Prouer. 4.

5. Quæ nouitas antiquitati fidei repugnet.

Et ideò Paulus. 1. ad Timoth. 6. non ſimpliciter nouitates, ſed *prophanas vocũ nouitates* vitandas dixit, quia vt D. Thomas ibi notat, non omnis nouitas reprehendenda eſt, cùm Dominus dixerit, *Mandatum nouum do vobis*, Ioan. 13. ſed prophana nouitas, id eſt, rebus diuinis, & ſacris contraria. Quæ fuit priùs ſentẽtia Auguſtini in tract. 97. in Ioan. circa finem, & ferè eandem habet Vincent. Lyrinenſis cap. 37. dicẽs, *Quid eſt prophanas? quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi, ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei penitus extraneas. Prophanas vocum, inquit, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum nouitates, quæ ſunt vetuſtati, quæ antiquitati cõtrariæ.* Quamobrem quæ non ſunt contraria, ſed potiùs deſeruiũt ad meliùs intelligenda, quæ antiqua ſunt, non poſsũt dici nouitates prophanæ; imò nec omninò nouitates, quia in antiquioribus continebantur, & virtute, vel, vt aiunt, implicitè credebantur, & ideò quando poſteà explicatiùs traduntur, non tam *noua* dicuntur, quàm antiqua *nouè* propoſita. Quod eſſe vtiliſsimum in Eccleſia, & ſępè neceſſarium, per ſe clarum eſt, & optimè docet idem Lyrinenſis cap. 27. & Chryſoſt. homil. 71. in Ioan. exponens, mandatum mutuæ dilectionis dici nouũ propter modum, licèt ſit antiquum.

Auguſt. Vinc. Lyr. *Chryſoſt.*

6. Poſſumusq; hoc amplius declarare, diſtinguendo in materia fidei ea, quæ ad ſolam cognitionem veritatis pertinent, & ea, quæ ad mores, & ad obſeruantias, vel cæremonias ſpectant, in vtriſq; enim fieri poteſt additio aliqua, vel explicatio non tamen eodẽ modo. Nam in his, quæ ſpectant ad cognitionem, contingit dupliciter. Primò, nullam veritatem de nouo definiendo, ſed veritatem antiquam retinendo, & vbi opus fuerit nouiter explicando, ſicut in Concilio Nicęno definita eſt Verbi diuinitas, & in Concilio Epheſino ſubſtantialis vnio duarũ naturarũ in vna Chriſti perſona, & realis prę ſentia Chriſti Domini in Euchariſtia in Concilijs Lateranẽſi, Florent. & Tridẽt. Et interdũ cõtingit in huiuſmodi myſteriorum declarationibus, noua nomina ab Eccleſia excogitari, quibus & veritas de-

Primus modus declarãdi dogmata fidei.

Conc. Nic. Epheſinum

Lateran. Florent. Trident.

A finita magis explicetur, & hæreticorum calũniæ, & tergiuerſationes euitentur, & detegantur, & tunc taliũ vocum non eſt prophana nouitas, ſed prudens, ac fidelis neceſsitas. Ita vocẽ *Homouſion*, ſeu cõſubſtantiale, quam vt nouã Ariani reprehẽdebãt, quia eorum errorẽ detegebat, Patres fidei deſẽſores ſemper approbarũt, vt patet ex Ambr. lib. 1. & 3. de Fide c. vlt. & Athanaſio ſæpè in Orationib. cõtra Arianos, & Aug. tract. 97. in Ioan. dicente, *Patres aduerſus impietatẽ Arianorũ nouũ nomen Homouſion condiderunt, ſed nõ rem nouã tali nomine ſignauerunt, hoc enim*
B *vocatur Homouſion, quod eſt, Ego, & Pater vnum ſumus, vnius videlicet, eiuſdẽq; ſubſtãtiæ.* Similiter propter Neſtoriũ, qui negabat Virginem eſſe matrem Dei, concilium Epheſinum, eam Theotocon appellandam decreuit, latinè *Deiparam*, de qua voce loquens Cyrillus epiſt. 1. ad Presbyter, &c. *Admiratus* (inquit) *ſum, an ſint, qui dubitent, nùm Beata Virgo Deipara dicatur alicubi, an non dicatur: ſi namq; Deus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quomodò Virgo, quæ illum peperit, Deipara non eſt? Hanc nobis fidem diuini tradidere diſcipuli,*
C *& licèt nullam fecerint dictionis huius mentionem, ita tamen ſentire à Sanctis Patribus edocti ſumus.* Et idem eſt cum proportione de voce *Trãſubſtantationis* ad explicandum ſacroſanctæ Euchariſtiæ myſteriũ. Idemq; eſt de ſimilibus vocibus, de quibus generaliter dixit Auguſtinus dicto tract. 79. *Eſſe aliquas verborum nouitates doctrinæ religionis conuenientes.*

Ambr. Athanaſ. Auguſt.

Conc. Epheſin. Cyrillus.

Auguſt.

Secundò fieri poteſt per Eccleſiã noua fidei explicatio, addendo, ac definiendo nouam propoſitionẽ, aut veritatẽ de fide credẽdam, quia hoc ſæpè neceſſariũ eſt, quãdo noua controuerſia, vel hęreſes
D oriũtur. Exemplũ eſt in veritate definita in 6. ſynodo contra Monothelitas de duabus Chriſti naturalibus volũtatibus, quæ ſub illis terminis anteà non fuerat tanquã de fide tradita. Aliud, & clariùs eſt de non rebaptizando ritè bapatizatos ab hæreticis. Nã hæc veritas priùs adeò fuit dubia, vt Cypr. cũ multis Epiſcopis cõtrariũ ſenſerint, & nihilominùs poſteà eſt in Cõc. Carthagin. & alijs ab Eccleſia definita, quod ſine dubio ad certitudinẽ fidei ſufficit, vt rectè Aug. docuit lib. 1. cõtra Creſco. c. 32. Quãuis autẽ hęc noua videan-

7. Secundus.

Sexta ſynodus.

Cyprian.

Conc. Carthagin. Aug.

videãtur, nihilominùs doctrina eſt Apoſtolica, quia in illa virtute continetur, & ab ipſis Apoſtolis non fuit ignorata. Acceperunt enim Spiritus Sancti donum, & omnia ipſis expoſuit, vt dixit Epiph. hæreſ. 66. & latiùs Tertullian. in Præſcriptionib. Quod tamen intelligendum non eſt de ſolo die Pentecoſtes, nam poſteà etiam tẽporibus opportunis de aliquibus rebus potuerũt magis doceri, ſeu illuminari. Non tamen fieri potuit, vel certè non oportuit, vt totam Theologicam doctrinam, vt ſic dicam, quam Apoſtoli ab Spiritu Sancto didicerunt, eodem modo Eccleſiæ traderent, aut alios docerent, ſed quæ pro eo tempore erat maximè conueniens, & ita neceſſarium non fuit omnes veritates, vel concluſiones ab eis diſtinctè tradi, vel declarari. Vel fortaſſe multa ex his, quæ pertinet ad maiorem explicationem, & ſubtiliorem cognitionem articulorum fidei, verbo docuerunt, quæ poſteà ſunt in dubiũ reuocata, vel propter aliquam hæreſim, vel interdum propter ignorantiam, vt in facto Cypriani conſtat ex epiſtola eius 74. & alijs. Qua ignorantia non obſtante veritas de non iterando baptiſmate, ad Apoſtolicam traditionem pertinet, vt tractans eundem Cypriani locũ lib. 5. de Baptiſmo, cap. 26. aſſeruit Auguſtinus.

Epiphan. *Tertull.*

8. *In rebus ad mores pertinentibus nõ ſolum additio, ſed etiã mutatio fieri poteſt.* *Epiphan.*

At verò in his, quæ ad mores, & praxim Eccleſiæ ſpectant, facilior eſt non ſolùm additio, ſed etiam mutatio. Quia vt dixit Epiphanius contra Aerium hęreſ. 75. circa principium, *Non potuerunt Apoſtoli ſtatim omnia conſtituere, ſed Eccleſia accepit complementum diſpenſationis, pro locorum, & temporũ opportunitate; nam ſingulæ res non abinitio omnia habuerunt, ſed progreſſu temporis ea, quæ ad perfectionem requiruntur, parabantur.* Quod latè proſequitur. Et ratio clara eſt, quia ea, quæ pertinent ad externos mores, & præſertim quæ ex humana inſtitutione pendent, de ſe magis ſunt variationi ſubiecta, & non eadem pro omnibus temporibus cõgruunt, & ideò non poſſunt pro omni tempore immutabiliter ſtabiliri. Neque etiam ab Apoſtolis potuerunt omnia determinari, quia non habuit eũdem ſtatum Eccleſia eo tempore, quem poſteà adeptura erat, vel quem nunc obtinuit. Imò etiã ſuo tempore non omnia

A ſimul diſpoſuerunt Apoſtoli: nam Paul. 1. ad Cor. 11. cõmemorat, ſe priùs tradidiſſe Corinthijs vſum diuini ſacramenti, & tamen multa in illo ſeruanda poſteà ibi docuit, & in fine ſubiungit, *Cætera autem, cùm venero, diſponam,* & cap. 14. ac ſępè in alijs epiſtolis alia practica documẽta paulatim tradidit. Et è conuerſo Act. 15. aliqua præcepta tradiderũt Apoſtoli pro illo tẽpore opportuna, quæ ſciebãt, nõ eſſe perpetuò in Eccleſia ſeruanda, vt de abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine.

1. Cor. 11. *Actor. 15*

9. *Per additiones ab Eccleſia factas Apoſtolica doctrina nõ mutatur ſed magis declaratur.*

In his autem omnibus additionibus, B vel mutationibus obſeruandum eſt, ſemper doctrinam eſſe eandem, & Apoſtolicæ doctrinæ conſentaneam. Nam in primis nihil in huiuſmodi rebus introducitur, quod iuri diuino poſitiuo, aut naturali repugnet, quia vniuerſalis Eccleſia non poteſt in fide, aut moribus errare, vt ſuprà eſt oſtenſum. Deinde quidquid in hoc genere fit, deriuatur à legitima poteſtate à Chriſto data Vicarijs ſuis, & Paſtoribus Eccleſię ad illam gubernandam, de qua in lib. 3. dicturi ſumus. Ideòq; licèt in his, quæ ad mores, vel cultum externum pertinent, ſit interdum varietas, C non eſt nouitas reprehenſibilis, nec inducit in doctrina fidei mutationẽ, ſeu variationem, imò nec additionẽ alicuius rei, quæ in doctrina Euangelica, & Apoſtolica virtute non contineretur. Deniq; ad totam hanc Eccleſiæ illuſtrationẽ, rectè accõmodari poteſt elegans ſentẽtia Vincentij Lyrinenſis, qui in c. 28. ita obijcit, *Forſitan dicet aliquis: Nullus ne ergò in Eccleſia Chriſti profectus habebitur religionis? Habeatur planè, & maximus. Nam quis ille eſt tam inuidus hominibus, tam exoſus Deo, qui illud prohibere conetur? Sed ita tamen, vt verè profectus ſit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, vt in* D *ſemetipſa vnaquæq; res amplificetur, ad permutationẽ verò, vt aliquid ex alio in illud trãſuertatur. Creſcat igitur, oportet, & multum, vehementerq; proficiat, tam ſingulorum, quã omnium, tam vnius hominis, quàm totius Eccleſiæ ætatum, ac ſeculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia; ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet, dogmate, eodẽ ſenſu, eademq; ſententia.*

Vinc. Lyr.

Ex his ergò abundè ſatisfactũm eſt difficultati propoſitæ, & ad exẽpla, quæ Rex obijcit, in lib. 2. in particulari reſpõ 10.

 debimus,

Satisfit exẽ piis in principio adductis.

debimus, nunc in generali tam ad illa, quàm ad ea, quæ nos addimus, ex dictis facilè reſpondemus, omnia illa habere fũdamentum, vel in Scriptura, vel in traditione Apoſtolica, ſeu alijs principijs fidei. Et quia vel ſatis declarata nõ erant, vel temporum decurſu obſcurata, vel in dubium vocata fuerant, per Eccleſiam declarari, ac definiri denuò potuerunt: nam ad hoc habet poteſtatem, & diuini ſpiritus aſsiſtentiam ſimul cũ ſua à Chriſto promiſſam, & ita ſemper cùm neceſſitas poſtulauit, in Eccleſia Chriſti obſeruatum eſt. Et ideò non eſt in his comparanda Eccleſia catholica cum Synagogis hæreticorum, quorũ nouitates ſunt antiquis dogmatibus cõtrariæ, ideòq; prophanæ ſunt: nouæ autem definitiones Eccleſiæ non ſolùm non pugnant cum antiquis, verùm potiùs ex illis deriuatæ ſunt per legitimam poteſtatem, ideòq; vel non ſunt prophanæ, ſed ſacræ, ſi noua dicenda ſunt; vel certè non ſunt dogmata ſimpliciter noua, ſed antiqua, & Apoſtolica, ſiue ante plures, ſiue ante pauciores annos declarata, ſeu definita ſint. Parumq; refert, quod Rex Angliæ certum antiquitatis tempus, certumque modum neceſsitatis ad credendum, vel non recuſandum aliquid, requirat. Nam per hoc conuincitur, non confiteri ſe catholicam fidem, cuius colũna, & firmamentum eſt Eccleſia catholica, neque habere in credendo certam, & vniuerſalem regulã fidei ab Apoſtolis traditã, ideoq; Apoſtolicam fidem profiteri, aut defendere non poſſe.

CAPVT XIX.

Sectam Anglicanam nullius antiqui Martyris ſanguine decoratam, ſed potiùs damnatam eſſe, oſtenditur.

1\. ADdit Rex Angliæ in ſuo defenſoris fidei titulo duas alias prærogatiuas, ſeu laudes illius fidei, vel potiùs ſectę, quam defendit. Vna eſt, fidem illam eſſe veteris, ac primitiuæ Eccleſiæ, de qua nihil ampliùs dicere neceſſe eſt, quia hæc proprietas rectè intellecta non eſt alia ab attributo fidei Apoſtolicæ: quia Eccleſia primitiua nõ eſt alia ab Eccleſia vera, & catholica, quę nunc eſt, ſed

A eſt eadem, ſecũdum ſtatum, quẽ in principio plantationis ſuæ habuit, quod fuit tempus prædicationis Apoſtolorum, & ideò nihil eſt aliud, fidem eſſe Eccleſiæ primitiuæ, quàm eſſe illam, quam Apoſtoli Eccleſię tradiderunt. Cum verò in illo titulo huic particulę additur, *veteriſq; ac primitiuæ Eccleſiæ*, virus erroris ſub verbis latere videtur. Indicatur enim, fidem veteris, ac primitiuæ Eccleſię in vniuerſali, & viſibili Eccleſia defeciſſe, & per nouatores inſtauratam eſſe, & ita innouatã à Rege defendi. Quanuis enim verba ipſa manifeſtè hoc nõ prodãt; ex alijs B Proteſtantium principijs, ac doctrinis timere non immeritò poſſumus, ne Rex in hoc ſenſu veteris Eccleſiæ fidei protectorem ſe proferat. Veruntamen quocunq; ſenſu id fuerit dictum, eſt ſatis impugnatum ex dictis. Nam in primis oſtẽſum eſt, ſectam illam in his, quæ habet propria, Apoſtolicam fidem nõ eſſe; ergò nec eſſe poteſt fides Eccleſiæ primitiuæ, cũ illa maximè Apoſtolica fuerit. Deindè licèt in his, quæ cũ Romana fide conuenit, aliqua ex parte fidem primitiuæ Eccleſiæ retineat, in multis tamen à C vero ſenſu primitiuæ Eccleſiæ aberrat, & quæ vera retinet, caſu potiùs, & humana opinione, quàm vero ſpiritu primitiuæ fidei conſeruat. Ideoque quoad hanc partem illa ſufficere cenſemus, quæ de attributo Apoſtolicæ fidei dicta ſunt.

Verba Regis expenduntur.

Alteram laudem, vltimamq; prærogatiuam ſuæ fidei ponit Rex Anglię, *plurium Epiſcoporum, fideliumq; Martyrũ ſanguine eſſe illuſtrem*, quam poſſem etiã meritò prætermittere, tum quia laus hæc propria eſt veræ, catholicæ, & Apoſtolicæ fidei, vt etiã ipſemet Rex in verbis ſui tituli ſentire videtur; cùm ergò demõ D ſtratum ſit, ſectam illam, neq; veram fidem, neque Apoſtolicam, vel catholicã eſſe, ſatis etiam probatũ relinquitur, non eſſe tali laude dignam. Tum etiam, quia Martyrum teſtimonium non facit verã fidem, ſed potiùs vera fides facit, verum eſſe martyrium, quod pro illa ſuſcipitur: nam, vt eleganter Cyprian. epiſt. 23. *Nõ Martyres Euangelium faciunt, ſed per Euãgelium martyres fiunt.* Ideoq; dicit etiam Aug. ſer. 14. de Verb. Apoſt. *Ideò martyres, quia fideles.* Igitur sãguis martyrũ licèt illuſtret veram fidẽ, per ſe tamen illã non 2.

Rex Iacobi aſſerit fidẽ Anglicanã martyrum sãguine eſſe decoratã.

Cyprian.

Auguſt.

non oſtendit, ſed ſupponit. Quia verò, A
vt multi referunt, Proteſtantes de teſtimonio Martyrum multum gloriantur, & quia ex ipſiſmet verbis, & cōfeſsione Regis non leue argumentū ſumere poſſumus, ad illam preſumptionem coercēdam, erroremq; conuincendum, ideò de hoc etiam puncto pauca ſubiungere viſum eſt.

3. *Anglicanā ſectam Martyrum ſanguine oppugnari, oſtenditur.*

Duo autem priùs à ſereniſsimo Rege interrogare neceſſarium duco. Vnum eſt, an partem ſuæ fidei, vel totam martyrum ſanguine illuſtratam eſſe intelligat, alterum eſt, de quibus martyribus B loquatur, an de antiquis, qui ante Caluinum, Lutherum, & alios noſtrorum tēporum hæreſiarchas præceſſerunt; vel etiam de nouis, qui poſt exortum Anglicanum ſchiſma conſumpti ſunt. Multum enim refert hæc accuratè diſcernere, vt quæ fides, & quo ſanguine verè, & non fictè reddatur illuſtris, ſine ambiguitate intelligatur.

4. Poſſumus ergò, vt capite ſuperiori tetigi, loqui de fide Angliæ quoad partē fidei antiquæ, quam retinet, & communem habet cum Eccleſia Romana, à qua illam didicit, vel quoad dogmata, in qui- C bus per nouos ſectarios mutatio, & defectio facta eſt. Loquendo ergò de priori parte, ſeu de antiqua fide, & conſequēter etiam de antiquis Martyribus veriſſimum eſt, illam fidem ſanguine Sanctorum Martyrū factam eſſe illuſtriſsimā. Hoc verò nihil Anglicanam cauſam iuuat, imò planè condemnat. Quia illi Martyres non Anglicanæ, ſed catholicæ, & Apoſtolicæ fidei teſtimonium dederūt, & hoc modo ſanguine ſuo eam illuſtrarunt. Teſtes ſunt antiquiſsimi Patres, qui ſæpiſsimè aſſerunt, perſecutionibus tyrannorum martyres interficientiū il- D luſtriorem factam eſſe Eccleſiam Chriſti, & non ſolùm diminutam non fuiſſe, verum potiùs mirabiliter auctam, iuxta celebrem Leonis Papæ ſententiam ſermon. 1. in Natali Petri, & Pauli, *Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur, & ſemper Dominicus ager ſegete ditiori veſtitur, dum grana, quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* *Leo Papa.*

5. *Auguſt.* Neque eſt diſsimilis ſententia Auguſtini lib. de Catechizandis rudib. cap. 24. *Illa vitis, quæ per orbem terrarum, ſicut de illa prophetatum, & ab ipſo Domino prænuntiatum erat, fructuoſos palmites diffundebat, tanto pullulabat amplius, quanto vberiore Martyrum ſanguine rigabatur, quibus per omnes terras innumerabiliter pro illa veritate morientibus, etiam ipſa perſequentia regna ceſſerunt, ad Chriſtum cognoſcendum, atque venerandum, fracta ſuperbiæ ceruice, conuerſa ſunt.* Similia ſcribit Præfat. ad Pſalm. 40. dicens, Iudæos occidiſſe Chriſtum in ſe, paganos autem voluiſſe illum occidere in corpore ſuo, & ſubiungit, *Occiſi ſunt Martyres, ad multiplicandam Eccleſiam valuit ſanctus ſanguis effuſus, multiplicati ſunt magis, magisq; Chriſtiani, & non eſt impletum quod dixerunt inimici, quomodo morietur, & peribit nomen eius.* Et eleganter Tertullianus in Apologetico extremo, ait ad Tyrannos, *Cruciate, torquete, probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra. Plures efficimur, quoties metimur à vobis, ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Et plura habet lib. ad Martyras, & Iuſtinus Martyr contra Triphonem, & Cyprian. epiſt. 11. *O beatam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat, erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea.* Loquuntur autem hi Patres, vt ex eorum ſcriptis conſtat, de Eccleſia vniuerſali, vel de Romana, vel ſi interdum loquuntur de aliqua particulari, (vt Cyprianus de Africana) perindè eſt, quia loquitur de illa vt parte Eccleſiæ Catholicæ, & vt coniuncta per eandem fidem Romanæ ſedi, vt ex alijs eius locis in ſuperioribus allegatis manifeſtum eſt. Cùm ergò oſtenſum ſit, Eccleſiam Romanam, & Catholicam, quæ nunc eſt, eandem eſſe, quæ tempore Apoſtolorum, & dictorum Patrum extitit, conſtat, vniuerſam gloriam antiquorum Martyrum in hanc vniuerſalem Eccleſiam, quæ nunc exiſtit, redundare.

Idem. *Tertull.* *Iuſtin. martyr.* *Cyprian.*

Et hinc vlteriùs concluditur, totam fidem huius catholicæ Eccleſiæ eodem antiquorum Martyrum ſanguine confirmatam eſſe, & illuſtratam. Probatur, quia fides primitiuæ Eccleſiæ, & quæ fuit temporibus Cypriani, Auguſtini, & aliorum Patrum, eadem durat per legitimam ſucceſsionem in præſenti Eccle- 6.

Antiquimartyres maximè Romanam extollunt fidem.

 ſiá

ſia Catholica, vt etiam eſt demonſtratū; ergò ſanguis Martyrum, qui fidei antiquæ Eccleſiæ teſtimonium dedit, idem præbuit præſentis Eccleſiæ fidei. Igitur fides Romana eſt, quæ ſanguine dictorū Martyrum facta eſt illuſtris. Dicent fortaſſe, hoc eſſe verum quoad ſola illa dogmata fidei, quæ illo tempore in Eccleſia credebantur, non verò quoad alia noua, quæ poſteà, vt Proteſtantes calumniantur, in Eccleſia Romana per homines inuecta ſunt. Sed hoc facillimè refutatur, quia fides Eccleſiæ vna ſemper eſt, nec variatur propter accidentale augmentū, aut diminutionem, quoad maiorem, vel minorem rerum declarationem, vel quo ad alias circunſtantias, quæ ex temporis ſucceſsione pendent. Quod adeò verum eſt, vt Auguſtinus tract. 45. in Ioannem etiā de fide ſynagogæ, & Eccleſiæ Chriſti dixerit, *Tempora mutata ſunt, non fides*, quod etiam affirmat. 18. de Ciuit. cap. 47. & lib. 19. contra Fauſt. cap. 14. & ſumitur ex illo 2. ad Corinth. 4. *Habentes eundem ſpiritum fidei*. Quibus verbis (vt ibi notat Chryſoſt. homil. 9.) oſtendit Apoſtolus, *eundem ſpiritum eſſe, qui in vtroq; teſtamento vim ſuam exercuerit*. Multò ergò maiori ratione cū Eccleſia Chriſti omni tempore eodem Spiritu Sancto regatur, eandem ſemper fidem retinet, etiam ſi quoad res aliquas in vno tempore magis quàm in alio per eandem Eccleſiam declarata ſit.

Euaſio hæreticorū refutatur.

Auguſt.

2. Cor. 4.

Chryſoſt.

7. Quapropter Martyres, qui in vno tēpore ſuo ſanguine Catholicam fidem illuſtrarunt, totam fidem, & pro quocūq; tempore exiſtentem ęquè confirmarūt; & exornarunt maximè, quia ea, quæ in poſteriori tempore declarantur, in antiquioribus virtute continentur, & omnia ita ſunt inter ſe connexa, vt non poſsit vnum illuſtrari, aut teſtimonio Martyrum confirmari, quin omnia pariter illuſtrentur. Sicut è contrario non poteſt vnum negari, quin cætera omnia certitudinem ſuam amittant, & ideò virtute negentur. Exemplo rem declaro: nam multi Martyres pro confeſsione Trinitatis mortui ſunt in Eccleſia, priùs quàm per Eccleſiam declaratum, ac definitum eſſet, Spiritum Sanctum à Filio procedere, & nihilominùs fides huius articuli non minus conſignata eſt ſanguine illo-

Martyres pro quouis tempore fidem confirmant.

Intelligitur aſſertio etiā de articulis recenter declaratis.

A rum Martyrum, quàm fides cæterorum articulorum, quos tunc ipſi expreſſe cōfitebantur. Qua etiam ratione qui pro fide moritur, confitendo expreſſe vnum articulum, ſi illum credit catholica fide, virtute confitetur totam fidem catholicæ Eccleſiæ, eamque ſuo ſanguine conſignat. Sic igitur cuiuſcunque veri Martyris ſanguine, quocunque tempore effuſo, tota fides catholica in quocunque ſtatu, vel tempore conſideretur, illuſtratur.

Accedit, quòd multi ex antiquis, & 8.
B præcipuis Martyribus eadem dogmata, quæ nunc ab hæreticis in Eccleſia Catholica reprehenduntur, diſertè tradiderunt, & poſtea ſuo ſanguine conſignarunt. Hoc in primis conſpici poteſt in Martyre, & Pontifice Ignatio, qui in Epiſtolis ſuis Eccleſiaſticam hierarchiā, & ſubiectionem laicorū Paſtoribus Eccleſiæ debitam commendat, & Epiſcopum in ſuo munere Regi cōparat. Nam in epiſt. 10. ad Smyrnenſes Epiſcopum præfert presbyteris, & diaconibus, illūq; *poſt Deum honorare iubet, vt Principem ſacerdotum, imaginem Dei referentem propter principatum, & Chriſti, propter ſacerdotium*,
C & ſimiliter honorare præcipit Regem, *quia in rebus creatis nullus eſt ei ſimilis, nec Epiſcopo quidquam maius in Eccleſia*. Et ad Antiochenos ait, *Cæſari ſubiecti eſtote, in his, in quibus nullum animæ periculum eſt*. Ad Philadelphienſes, *Vna* (inquit) *Euchariſtia vtendum, quia vna eſt caro Domini noſtri IESV Chriſti, & vnus illius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, vnum altare*. Et ad Romanos, *Volo* (inquit) *panem cæleſtem, qui eſt caro Chriſti filij Dei*, & in Epiſtol. ad Heronem, traditiones Apoſtolorum ſeruare iubet. Et in ſpeciali *Quadrageſimam*, & *Dominicam*, *&c.*
D Epiſtola ad Philippenſ. Et hanc fidem poſteà glorioſo Martyrio illuſtrauit. Quis ergò neget, ſanctum hunc Pontificem, & Martyrem teſtem eſſe fidei, quam nūc Eccleſia Romana profitetur? cum nec de ſanctitate, & doctrina eius, nec de illius Epiſtolis dubitari poſsit, teſte Hieronymo de Scriptorib. Eccleſiaſtic. & Euſebi. libr. 3. Hiſtor. cap. 30. Et hoc teſtimonium ſuo etiam ſanguine cō firmauit Polycarpus, qui in epiſtola ſua ad Philipp. priùs ad cauendas falſas doctrinas

Martyres occiſi ſūt p defenſione articulorū, quos Anglia diffitetur.

Ignat. Papa.

Hieron.

Euſeb.

Polycarp.

ctrinas

ctrinas conſulit, vt *ad illud, quod traditum nobis eſt à principio, reuertamur.* Et poſteà epiſtolas Ignatij commendat dicens, *Ex omnibus enim vobis magnus erit profectus. Continent enim fidem, patientiam, & omnē ædificationem ad Dominum noſtrum pertinentem.* Addere item poſſumus Irenæū (Iren.) glorioſum etiam Epiſcopum, & martyrem, qui Eccleſiæ Romanæ primatum, & traditiones Eccleſiaſticas apertiſsimè docet lib. 3. contra hæreſes à principio per multa capita, & veritatem corporis, & ſanguinis Domini in Euchariſtia lib. 4. c. 34. in quibus principijs tota fides Romana virtute continetur, hic ergò ſanctus Martyr illi etiam teſtimonium dedit. Eodem modo afferre poſſumus Iuſtinum fidem de veritate Euchariſtiæ profitentem, & innumeros Romanos Pontifices, qui primatum ſuæ Sedis conſtantiſsimè defenderunt, eademq; conſtantia totam fidem ſuam ſanguine confirmarunt.

9. Cõcluditur cõtra aſſertum Regis Angliæ.

Ex quibus tandem in hoc puncto cõcludimus, ſi Rex Anglię adnitatur ſuam fidem commendare ex ſplendore, & claritate, quam habet vera fides Chriſtiana ex ſanguine antiquorum martyrum, velit, nolit, conuinci, eorūdem Martyrum ſanguinem damnare ſectam ſuam, quoad illa omnia, in quibus à Romana fide defecit. Probatur illatio: nam probatum eſt, illo ſanguine illuſtratam eſſe totam fidē catholicam, quæ hodie in Romana Eccleſia perſeuerat, non ſolùm quoad ea, quæ Proteſtantes ex illa retinere voluerunt, ſed etiam quoad omnia, quæ deſerenda elegerunt, multa quidem, quæ iam tunc explicitè in Eccleſia credebantur, alia verò, quæ in illis, & in infallibili Eccleſiæ authoritate virtute ſaltē continebantur. Vnde inter hunc Regis titulum, eiuſque fidei confeſsionem repugnantiam conſidero, quam ipſe fortaſse non animaduertit: nam in titulo fatetur, fidem Apoſtolicam, & primitiuam ſanguine Martyrū illuſtrem fuiſſe, poſteà verò in confeſsione ſuæ particularis fidei antiquam euertit, quia multa fidei dogmata non tantùm nouitia (vt ipſe loquitur) ſed antiquitate Martyribus æqualia, vel priora negat, nouaque inducit, quibus teſtimoniū Martyrum euacuari neceſſe eſt. Ita enim antiqui Patres contra ſuorum temporū nouatores inſurgebant.

A 10. Repugnantia in dictis regis oſtenditur.

Præſertim Nazianz. epiſt. 2. ad Cledonium dicens, *O ingentem abſurditatem, abſconditam poſt Chriſtum ſapientiam nobis annunciant id quod ſane lachrymis dignum eſt. Nam triginta duntaxat ab hinc annis fides initium ſumpſit, cùm quadringenti iam ferè anni fluxerint à quo Chriſtus manifeſtatus eſt, inane vtique tanto tempore fuit Euangelium, inanis etiam fides noſtra, fruſtraque Martyres martyrio perfuncti ſunt, & tales tantique Antiſtites plebi præfuerunt, verſuumque, nō autem fidei eſt gratia.* (Nazianz.) Similemque ſententiam habet Tertullia. in Præſcriptionib. B cap. 29. vbi contra eoſdē hęreticos quaſi irridendo infert, *Tandiù vtique regnabit error, quandiù hæreſes non errant. Aliquos Marcionitas* (Nos dicamus Caluiniſtas) *liberanda veritas expectabat, intereà perperam credebatur.* (Tertull.) Et poſt multa, *Tot deniq; martyria perperam coronata.* Hùc etiā ſpectat ſententia Ambroſ. lib. 3. de Fid. cap. 7. vbi loquens de Concilio Nicæno ſic inquit, *Librum ſacerdotalem, quis noſtrum reſignare audeat ſignatum à confeſſoribus, & multorum iam martyrio conſecratum? Quem qui reſignare coacti ſunt* (vtique in concilio Ariminenſi) *poſteà tamen dānata fraude* C *ſignarunt, qui violare non auſi ſunt, Confeſſores, & Martyres extiterunt.* (Ambroſ.) Quam grauiſsimam ſententiam ad omnia legitima Concilia, & definitiones fidei ab Eccleſia approbatas merito accommodamus. Cū in eis ſit cõſignatus liber ſacerdotalis ſub eiuſdem Spiritus Sancti regimine conſcriptus. Præſertim verò intentionē noſtram confirmat verbum, quod ſubiūgit Ambroſius, *Quomodo fidem eorum poſſumus denegare, quorum victoriam prædicamus.*

11. Euaſio.

Fortaſsè audebunt aduerſarij dicere, non erraſſe antiquos Sanctos Pontifices, & Martyres in confeſsione Chriſti, aut D Trinitatis, aut aliorū myſteriorum, pro quorum defenſione ſanguinem fuderūt: errare tamē potuiſſe, & erraſſe in alijs rebus, in quibus ſuis opinionibus aduerſantur, neque eſſe neceſſarium, vt quidquid credebant, ſuo ſanguine confirmarent, ſed illud tantùm, pro quo oppetere mortem non dubitarunt. Sic enim Cyprianus Martyr ſua morte Catholicam fidē (Cyprian.) illuſtrauit, quanuis per humanam ignorantiam crederet, rebaptizandos eſſe ab hæreticis baptizatos: hanc ſiquidem ſententiam nullatenus ſuo ſanguine confir-

mauit, nec pro ea defendẽda mortuus eſt.

12. Hæc tamen euaſio impietatem magnam continet, & temeritatem. Quia in primis cogitari non poteſt Ignatium, Polycarpum, & ſimiles ſanctiſsimos Martyres in dogmatibus fidei erraſſe per hæreſim, aut pertinaciam, alioqui veri Martyres non fuiſſent, quia in hæreſi nõ poteſt eſſe verum martyrium, vt ſtatim ſub inferã: & ita ſuo ſanguine Chriſtianam fidem non illuſtraſſent. Hoc autem cogitare impiiſsimum eſſet, & perpetuæ, & vniuerſali Eccleſiæ traditioni contrariũ, & prorſus temere contra omnem hiſtoriæ fidem, & ſine vllo fundamento excogitatum. Deinde nec poteſt in his Patribus præſumi error in dogmatibus fidei per ignorantiam, nam ſi culpabilis foret, repugnaret certè eorum ſanctitati: ſi inuincibilis, adeò eorum ſapientiæ, & muneri eſt contraria, vt in ſuſpicionem venire non poſsit. Tum quia multi eorum ab ipſiſmet Apoſtolis, alij verò ab Apoſtolicis viris, & Apoſtolorum diſcipulis doctrinam fidei ſuſceperunt. Tum etiam quia dogmata, de quibus loquimur, erãt valdè neceſſaria ad communem fidẽ Eccleſiæ, in qua ipſi erant grauiſsimi Paſtores, & Doctores, vt de Euchariſtia, de traditionibus, de Eccleſia, eiuſque poteſtate ſpirituali, ac fide infallibili, & ſimilibus. Et ideò hæc docebant, non vt dubia, ſed vt certa, neque in angulo, ſed in conſpectu totius Eccleſiæ, neq; cum cõtradictione, vel aliorum Epiſcoporũ, vel Romanæ Eccleſiæ, ſed cum cõmuni omnium conſenſione; ergo ſine vlla dubitatione non ex ignorantia, vel opinione, ſed ex certa fide illa docebant ac proinde in ea fide, pro quá moriebantur, illa omnia comprehendebant.

Reijcitur & cõcluditur prædictos Martyres non erraſſe in aliquo dogmate fidei.

13. Quam obrem longe diſsimilis eſt Cypriani cauſa. Nam vt omittam, Auguſtinum interdum inſinuare, eum ante mortem ſententiã retractaſſe, illa tunc non pertinebat ad dogmata neceſſaria fidei, neque ab Eccleſia communiter recipiebatur, & Summi Pontifices (quamuis nõ dum definiendo) illi contradicebant, & ideò neque ipſe Cyprianus ita illi adhærebat, vt illam inter dogmata ſuę fidei reputaret. Quin potius audeo dicere, contrarium dogma, quod poſteà definiuit Eccleſia, Cyprianum virtute ſemper credidiſſe. Nã licet priuata, & humana opinione tunc ita ſentiret, multò firmiùs credebat, Eccleſiam non poſſe errare, & paratus erat ad relinquendam propriam ſententiam, ſi Eccleſia contrarium definiret. Vt ex Auguſtino ſumitur in prędicta epiſtola de illo dicente, *Vnitatem orbis terræ, atque omnium gentium, & diligẽdo tenuit, & diſputando defendit.* Et interiùs hoc magis explicans, dicit, *Aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis, aut hoc poſteà correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi næuum ſui candidiſsimi pectoris cooperuit vbere charitatis, dum vnitatẽ Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſsime defendit, & perſeuerantiſsime tenuit vinculum pacis.* Quaſi diceret, quidquid priuata opinione ſentiret, ſemper animo fuiſſe ſubiectum regulæ Eccleſiæ: & hoc modo dicimus, ipſum ſanguine ſuo fidem Chriſtianę Eccleſiæ ſimpliciter confirmaſſe.

Epiſt. 48. verſus fine.

Vendicatur Cyprianus à Calũnia.

Ex Auguſt. libr. 1. de Baptiſm. c. 18.

14. In his ergò, quæ antiquiſsimi Pontifices, & Sancti Doctores tanquam de fide certa Eccleſiæ tradiderunt ſine diſſenſione, imò cum cõmuni Eccleſiæ acceptatione, non poteſt ignorantia cogitari, aliàs tota eorum doctrina fluctuaret, & ideò dum pro ſua fide ſanguinẽ effuderunt, totum id, quod in hoc genere docuerunt, vel ſcriptum reliquerunt, eodem ſanguine illuſtrarunt. Et proptereà grauiter Vincentius Lyrinenſis nouitates tali antiquitati contrarias cauendas eſſe prę monuit; *Nam ſi recipiantur* (inquit) *neceſſe eſt, vt fides beatorum Patrum, aut tota, aut magna ex parte violetur neceſſe eſt, vt omnes omnium ætatum fideles, omnes Sãcti, omnes Virgines, omnes Sacerdotes, tanta Confeſſorum millia, tanti Martyrum exercitus, tanta populorum celebritas, & multitudo, totus poſtremo iam penẽ terrarum orbis per Catholicam fidem Chriſti capiti incorporatus tanto ſeculorũ tractu ignoraſſe, erraſſe, blaſphemaſſe, neſciſſe, quid crederet, pronũcietur.*

Cap. 33. *Vincent. Lyrinen.*

CAPVT XX.

Veros noſtrorum temporum Martyres non Anglicanam Sectam, ſed Romanam fidem illuſtraſſe.

1. VENIO ad alteram partem de nouis Martyribus, qui poſt exortum Anglicanum ſchiſma in Eccleſia ſunt perpeſsi, vt ſi fortè Rex Angliæ de ipſis

ipſis loqui velit, catholicam etiam in hac parte ſententiã defendamus. Quos enim quæſo vocat Martyres? an eos, qui in ſua Secta, vel pro illa interfecti ſunt? an potius eos, qui propter fidem Eccleſiæ Romanæ à defenſoribus illius ſectæ occiſi ſunt? At de his poſterioribus loqui non poteſt, nam illi non Anglicanam ſectam, ſed Romanam fidem illi contrariam illuſtrarunt, quia in deteſtationem illius ſectæ mortui ſunt. Imo licet tantùm pro Chriſto, & pro illis articulis fidei, quos Anglia recipit, à gentilibus, vel paganis interfecti ſint, eorum gloria in Eccleſiã Catholicam, & Romanam, ac fidem eius, in qua moriũtur, redundat, & conſequẽter omnem hæreticam prauitatem illi cõtrariam condẽnant. Si verò Rex loquatur de ſectarijs propter ſuam pertinaciã punitis, immeritò eos Martyres vocat: nam re vera Martyres non ſunt, ſed malefactores iuſtè caſtigati. Primò quidem quia vt rectè dixit Cyprian. lib. de Vnit. Eccleſ. *Illa mors non eſt fidei corona, ſed pœna perfidiæ.* Secundò, quia *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa*, vt ex Cypriano refert Greg. lib. 2. Regis. Epiſt. 36. & tradit Auguſt. ſerm. 50. de Sanctis, qui eſt ſextus de Martyribus, & latius concione 2. in Pſalm. 34. explicans illa verba, *Exurge, & intende iudicio meo Deus meus, & Dominus meus in cauſam meam, Non in pœnam meam* (inquit Auguſtinus) *ſed in cauſam meam, non in id, quod mecum habet latro commune, ſed in id, quod Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: hæc enim cauſa diſcreta eſt, nam pœna ſimilis eſt bonis, & malis. Itaque Martyres non facit pœna, ſed cauſa.* Qui ergò propter hæreſim, & ſchiſma interfecti ſunt, non ſunt Martyres, aliàs latrones, & malefactores omnes martyres vocandi eſſent, vt Auguſtinus ibidẽ latè proſequitur, & epiſt. 50. & lib. 4. de Baptſim. cap. 17. & alijs locis, quæ ſtatim inſinuabimus: ſpecialiter verò in ſermone 2. de Sanc. Vincent. rationem reddit, *Quia iſti dolores tollerant pertinacia, non conſtantia, vitio, non virtute prauo errore, non recta ratione, diabolo poſſidente, non perſequente.* Quam etiam rationem optime proſequitur Chryſo. Orat. 1. contra Iudæos.

Cyprian.

Gregor. *Auguſt.*

Sectarij nõ vere martyres.

Auguſt. Eſt 9. inter 17. à Pariſienſibus adpiens.

2. Poſſumus præthereà ratione morali cõuincere, mortem hanc pro falſo errore ſuſceptam, non eſſe martyrium, ſiue conſideretur ex parte cauſæ, ſiue ex parte inferentium, ſiue ex parte acceptantium illam in defenſionem erroris. Nõ quidẽ ex parte cauſę, vt dictũ eſt, quia illa mors non eſt pro Chriſto, *Sanguis autem eſt eius is tantum Martyrium facit, qui pro Chriſti nomine funditur*, vt dixit Hierony. in epiſt. ad Philem. initio. Qui generalius id declarat in cap. 5. ad Galat. ad fin. Neq; etiã ex parte punientis, quia qui ſic punit pertinacem, non id facit in odium veritatis, ſed in defenſionem, nec iniuſtè perſequẽdo perſonam, ſed iuſtè vendicando delictum, & pertinaciam in illo.

Ratione declaratur ex parte inferentis mortem.

Hierony.

3. Dices, hoc eſſe, quod inter nos, & hæreticos controuerſum eſt, ſcilicet, an ſectarij, qui pro ſua Secta moriuntur, pro errore, vel pro veritate moriantur. Reſpondemus, hanc controuerſiam nõ poſſe ex ſola paſſione mortis definiri: nam (vt proximè ex Auguſtino dicebam) multi pro defenſione erroris mortui ſunt. Et conſtat, ſæpè duos homines mori pro doctrinis contrarijs, quarũ alteram falſam eſſe neceſſe eſt, & conſequenter vnũ pro errore, alterũ pro veritate pati; ergò ex ſola paſſione diſcerni non poteſt veritas ab errore. Vnde antiquum eſt in Eccleſia, hæreticos de ſuis martyribus gloriari, vt de Montaniſtis refert Euſebi. lib. 5. Hiſtor. c. 18. & de Donatiſtis Auguſt. epiſt. 50. & 68. & Epipha. refert, quoſdã hæreticos dictos eſſe martyrianos, quia de numero ſuorum Martyrũ valdè gloriabantur. Neque ſolum hęretici, ſed etiã Ethnici, & Philoſophi, vel pro ſuis falſis religionibus, vel propter rempublicam, vel aliam cauſam humanam, & præſertim propter gloriam hominum, mortem pertinaciſsimè tolerarũt; ergò mors audacter tolerata non diſcernit cauſam, ſed ex cauſa diiudicanda eſt. Et eadem ratione mors per ſe nõ eſt ſignum erroris, aut veritatis. Igitur illa controuerſia ex alijs principijs dirimenda eſt. Hoc autẽ egimus in capitibus pręcedentibus, oſtendimus enim, Anglicanum ſchiſma errare à veritate in his omnibus, in quibus ab antiqua fide Catholica, & Romana defecit; ergò mors inflicta propter talẽ defectionem, & pertinaciam in illa, non eſt veritatis perſecutio, ſed erroris correctio, & iuſta punitio.

Diluitur obiectio. Veritas martyrij ex ſola morte nõ dignoſcitur.

Euſeb. *Auguſt.* *Epiphan.*

Vide Tertul. in Apolog. c. 5.

Prætereà

4. Præterea ſi ex parte ſuſcipientiũ hæc pęna conſideretur, nunquam poteſt martyrium reputari. Quia vel iſti patiuntur recognoſcentes errorem, & confitendo delictum, & tunc potius præbent teſtimonium veritati, quam errori, non tamẽ per matyrium, ſed per piam iuſtamque confeſsionem, ac pęnitentiam. Vel moriuntur iſti negando delictũ, & fictè ore confitendo fidem, occultando errorem, quem in corde retinent, & ſic nec ſunt martyres veræ fidei, quam non credunt, nec pro illa moriuntur, neque ſunt teſtes ſui erroris, quem ore non confitentur, ſed negant. Vel denique moriuntur propter pertinaciam in ſuo errore, eligentes potius mori, quàm illum retractare, & talis etiam mors non poteſt eſſe martyrium, quia à pia, & recta voluntate non procedit, quam verum martyrium requirit. Vnde Sancti, ac veri Martyres magna ratione, ac prudentia mortem pro ſua fide ſubierunt, quia etiã humano, ac morali modo certi eſſe poterant, illam ſolam fidem eſſe ſecundum rectam rationem credibilem: at verò iſti ſectarij imprudentiſsimè, ac omninò temerè pro ſuis priuatis ſectis, ac opinionibus moriũtur. Quæ enim ratio, aut prudentia patitur, in rebus grauiſsimis, & ad religionem pertinentibus propter vnius, vel alterius hominis, interdùm vitioſi, & peſsimi perſuaſionem, relinquere antiquam fidẽ cõſenſu Eccleſiæ per totũ orbẽ diffuſæ receptã, & diuinis ſignis, ac miraculis roboratã, ac deniq; Sãctoũ, ſapiẽtiſsimorũ hominũ ſanguine illuſtratã? Profecto moraliter euidens eſt imprudentiſsimũ eſſe, ac planè temerarium, propter talem cauſam mortem ſpontè ſubire: ac proinde illam nõ eſſe animi fortitudinem, nec ex affectu diuinæ charitatis procedere, quia charitas ſemper prudẽter operatur. Eſt ergò animi pertinacia, non martyriũ, quod, vt recta docet Theologia, actus eſt ſtudioſus, & prudens, à charitate fortitudinem imperante procedens. Legatur in ſimili cauſa Optat. lib. 3. contra Parme. verſus fin.

2. Ex parte acceptãtis.

Optatus.

5. Vlterius, in huiuſmodi hominibus ab Eccleſia Catholica ſeparatis, nõ ſolùm mortem pro ſuis erroribus, ſed etiam pro aliqua veritate, quam retinent, ſuſceptam, non eſſe martyrium demonſtratur. Eſt A enim notanda doctrina Auguſtini lib. de Patientia cap. 26. & 27. vbi tacitè diſtinguit, duobus modis poſſe ſchiſmaticum, vel hæreticum pati pro ſua fide, ſcilicet, vel ne abneget errorem, vel ne deſerat Chriſtum, ſeu aliquid aliud, quod ex fide catholica retinuit. De priori modo paſſionis diximus hactenùs, quia in illo euidentius eſt, non ſolùm non eſſe martyrium, verùm etiam neq; actum vllo modo bonum, ſed imprudentiſsimam temeritatem. De poſteriori autẽ modo dicit quidem idem Auguſtinus, patientiam illam eſſe laudabilem, quia minus malum eſt, B non negare Chriſtum, etiam ſi in illũ nõ perfecta fide credatur. Imò etiam addit, fortitudinem illam eſſe donũ Dei, quanuis non ſit ex illis donis, quę ſunt propria filiorũ, ſed ex his, quę ſeruis cõmunicantur. Hinc ergò dicimus, mortẽ illam non eſſe martyrium, quia martyrium eſt donum iuſtorum, & infallibiliter perducit ad gloriam, iuxta illud Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*; mors autem illa nõ perducit ad gloriã, *nam ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, ad C Hebr. 11. Et quia qui fide caret charitatem non habet, de illo autem dixit Paulus, 1. ad Corinth. 13, *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Quam rationẽ attigit Auguſtin. lib. 4. de Baptiſm. cap. 7. & Cyprian. lib. de Vnit. Eccleſ. dicẽs, *maculam hæreſis neque ſanguine ablui*, & iterum, *inexpiabilis culpa nec paſsione purgatur.* Et Epiſt. 73. verſus finem *Hæretico, nec baptiſma publicæ confeſsionis, & ſanguinis proficere ad ſalutem poteſt.* Ad quas ſententias Cypriani videtur alludere Chryſoſto. homil. 11. ad Epheſ, in parte mo- D rali in principio dicens, *Dixit autem vir quidam ſanctus quiddam, quod magnam præ ſe fert audaciam, ſed tamẽ eſt eloquutus, Quid hoc eſt autem? Dixit, nec ſanguinem quidẽ martyrij poſſe delere hoc peccatum*, vtiq; diuidendi Eccleſiam per ſchiſma, vel hæreſim. Addit verò ipſe Chryſoſtomus in confirmationem eiuſdem ſententiæ. *Nã dic mihi, quam nam ob cauſam es Martyr? An non propter Chriſti gloriam. Qui pro Chriſto animam prodegiſti, quid popularis Eccleſiam, pro qua Chriſtus ſuam profudit animam?*

Hęretici, licet pro defendenda aliqua fidei veritate patiãtur, non ſũt vere martyres.

Auguſt.

Matt. 10.

Ad Heb. 11.

1. ad Cor. 13.

Auguſt.

Cyprian.

Chryſoſt.

Item eſt ratio generalis, quia extra Ec-
6. Ratio. cleſiam non eſt ſalus, vt in ſuperioribus dictum eſt, & eſt axioma commune Sãctorum Patrum, ſed martyrium non ſeparatur à ſalute; ergò extra Eccleſiam nõ poteſt eſſe verum martyrium. Ita ferè colligit Fulgentius de Fide, ad Petrum cap. 37. 38. & 39. Et Auguſtinus Epiſto. 204. dicens, *Foris ab Eccleſia conſtitutus, & ſeparatus à compage vnitatis, & vinculo charitatis, æterno ſupplicio punireris, etiamſi pro Chriſti nomine viuus incendereris.* Idem optimè Pacian. Epiſt. 2. ad Sympronian. (Fulgent. Auguſt. Pacian.) Vbi paſsionem Donati pſeudo martyris, cum Martyrio Cypriani confert, conſẽtaneè ad doctrinam eiuſdem Cypriani. Qui epiſt. 52. circa medium loquens de illo, qui ab Eccleſia ad hęreticos, vel ſchiſmaticos tranſit, inquit, *Et ſi occiſus propter nomen* (vtique Chriſti) *poſt modum fuerit, extra Eccleſiam conſtitutus, & ab vnitate, & charitate diuiſus, coronari morte non poterit*, vbi apertè loquitur de modo paſsionis, de quo nunc tractamus. Et idem repetit in fine epiſtolæ, & in 54. vbi rectè etiam ait, *Idoneus non poteſt eſſe ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prœliũ: & mens deficit, quam non recepta Euchariſtia erigit, & accendit.* Et in expoſitione orationis Dominicæ aliam rationem indicat, dicens, *Nec ſacrificium Deus recipit diſsidentis*, & affert illud Matth. 5. *Vade priùs reconciliari fratri tuo*, Et inferiùs aliã indicat his verbis, *Non poteſt eſſe cũ Chriſto qui imitator Iudæ maluit eſſe, quã Chriſti* (Matth. 5.)

A

Aliam rationẽ inſinuat Auguſtinus lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 5.
7. 2. Ratio. Auguſt. Quia Chriſtus non abſolutè dixit, fore beatos, *qui perſecutionem patiuntur*, ſed addidit, *propter iuſtitiam. Vbi autem* (ait Auguſtinus) *Sana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia, quia iuſtus ex fide viuit.* Quæ ratio in omni hæretico procedit, ſiue pro errore, ſiue in errore pro aliqua veritate moriatur. Et poteſt ita explicari. Quia qui in vno pertinaciter errat, licèt aliquid credat, non tamen ſicut oportet, neque Chriſtiana fide credit, & ita fides eius ad iuſtitiam non pertinet, ideoq́ue licet propter veritatem, vt à ſe creditam, vel potiùs ſuo ſibi electam iudicio patiatur non propter iuſtitiam perſecutionem patitur. Et hoc etiam mihi videtur ſignificaſſe Auguſtinus tract. 6. in Ioann. circa finem, vbi introducit iactantem Donatiſtam, *Ecce nos multa mala patimur*, cui ille, *Hæc ſi pro Chriſto pateremini, nõ pro honoribus veſtris. Patiuntur moleſtias, ſed pro Donato, non pro Chriſto. Vide quomodo patiaris, nam ſi pro Donato pateris, pro ſuperbo pateris.* Quæ verba licet maximè quidem in eum conueniant, qui pro ſuo errore, vel magiſtri ſui hæretici patitur, nihilominùs vera etiam ſunt, quocunque modo hæreticus pro ſua fide patiatur; quia licèt contingat, eſſe verum, & aliàs catholicum dogma, pro quo patitur, ſi tamen hæreticus Caluiniſta ſit, non pro Chriſto, ſed pro Caluino patitur, quia licèt Chriſtũ credat, non Chriſto, ſed Caluino credit, vel certè ſibi ipſi, ſi proprio iudicio eligit, quid ſibi credendum ſit. (Auguſt.)

B

Atque hoc etiam ex eodem Auguſtino deſumere mihi videor in ſermo. 117. 8.
de Diuerſis, vbi proponit dubium, quomodo ſtet illa ſententia, *Omnis homo mendax*, cum certo teſtimonio Martyrũ, qui homines fuerunt, *Martyres enim* (inquit) *veraces fuerũt, quia pro veritate mortui ſũt: ideo enim ſunt Martyres, quia pro virtute paſsi ſunt*; ergò ſi illi veraces fuerunt, non omnis homo mendax. Reſpondet, hominem eſſe mendacem, cùm de ſuo loquitur; martyres autem non de ſuo fuiſſe loquutos, ſed de Spiritu Dei, & ideò non tam ipſos, quàm Spiritũ Dei in eis loqui iuxta illud Matth. 10. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis:* Et inde habere teſtimonium eorum, vt certum ſit. Quibus nos addimus, quoties hęreticus loquitur, licèt caſu cõtingat verum loqui, ſemper de ſuo loqui, quia ſuo Spiritu ducitur, ſuamque priuatam opinionem defendit, vel profitetur, ideoq́ue dicimus, teſtimonium illius natura ſua fallax eſſe, quamuis in vno, vel altero dogmate verũ eſſe contingat. Ac proinde licèt hæreticus pro confeſsione Chriſti moriatur, teſtimonium eius fidem Chriſti neque illuſtrat, neq; cõfirmat, mors igitur propter talẽ confeſsionem neq; martyriũ eſt, nec martyrij nomen meretur. Quod ergò Rex Angliæ dicit, ſe defendere fidem ſanguine Martyrum illuſtrem, ſi de ijs pſeudomartyribus, quos proteſtantes Martyres vocant, intelligatur, ſubſiſtere nullo modo poterit: ſiue ad veram (Auguſt. — Matt. 10.)

C

D

Hæreticus etiam pro Chriſti cõfeſſio. mortuus, neque martyrium cõſequitur, neque fidẽ illuſtrat.

Chriſti

Chriſti fidem,ſiue ad Anglicanam ſectā referatur. A

9. Multos huius temporis catholicos martyrio Apoſtolicam fidē colluſtraſſe oſtenditur.

Fuerunt ſanè noſtra ætate multi viri ſancti,& Catholici tùm in alijs locis,tùm maximè in Anglia,qui pro ſua fide conſtantiſsimè decertarunt,dequibus veriſsime dicitur,ſuo ſanguine fidem Catholicam,& Apoſtolicam illuſtraſſe,quia lōge diuerſa à Proteſtantibus eſt eorū cōditio,cauſa,vita,& modus moriendi pro Chriſto. Sicut enim ab illis in his omnibus longiſsimè diſtant,ita Martyres antiquos præclariſsimè imitati ſunt,ideoq; veri Martyres fuerunt,ſuoque ſanguine fidem Romanam illuſtrarunt. Nam in primis Catholicam, & Apoſtolicam fidē ſemper retinuerunt,& intra Chriſti Eccleſiam, cui in pace, & obedientia fuere coniuncti, paſsi ſunt. Deinde pro eadem Eccleſia,eiuſque fide,& obedientia, atq; adeo propter iuſtitiam perſecutionē ſuſtinuerunt,Neque aliam ob cauſam (etiā ſi aduerſarij ad martyrum gloriam occultandam alias temporales ; & humanas confingant) carceres,tormenta, & acerbiſsimas mortes paſsi ſunt. Cuius rei nō leue ſignum eſt (quod in ſimili conſiderauit Euſebius lib. 3. Hiſtor, cap, 9.) quia licèt nulla in re alia rempublicam offendiſſent,imò potiùs aliquando eſſent moribus, & innocentia vitæ præclari, vna confeſsio Romanæ fidei, & obediētia Papæ ita animos perſequentium accēdit, vt eos aſperius, quàm alios ſceleratiſsimos punirent. Cum tamen (ſicut à fide dignis audiuimus) ſi cōtingat,aliquem in ea confeſsione deficere, & ſuis iudicibus in falſa religione conſentire,etiam ſi propter alia delicta dignus ſit morte, illi facilè condonentur,ac remittantur.

Euſebius.

10 Ex modo patiendi catholicorū martyrium comprobatur.

Denique, quod ad modum patiendi ſpectat,non poſſunt noſtri Martyres alicuius inconſtantiæ, vel imprudentiæ argui,quia non proprio iudicio, ſed publico totius orbis ducuntur,&antiquam fidem retinent,& veterum ſanctorum, ac Martyrum veſtigia ſequuntur, multiq; inter eos inuenti ſunt vita, ſanctitate, maturitate iudicij,eruditione, ac prudentia illuſtres,paratique ad ſuæ fidei rationem reddendam, ſed cùm in animis obduratis &in catholicam fidem obfirmatis nihil proficerent,magna alacritate,&patientia tormenta,&mortem ſuſtinuerūt.

Hi ergò Martyres, licèt noui,antiquam verè fidem illuſtrarunt,nouam autē Anglicanam ſectam potiùs redarguerunt,& confuderunt, ideoq; neque propter hos Martyres potuit Rex Angliæ in ſuo titulo illa verba proponere,cùm ipſe non antiquam fidem,ſed Anglicanam ſectam defendat.

CAPVT XXI.

Anglicanam ſectam, vel propter ſolam ſchiſmatis turpitudinem deteſtabilem eſſe.

B

Poſtquam Rex Angliæ in ſuæ Præfationis initio rationem, vel occaſionem ſui operis latè propoſuit, multis interpoſitis, quæ ad hunc locum non pertinent, totis viribus ſe à labe, & nota hæreſis excuſare conatur, vel propter vitandam tanti criminis infamiam, vel vt ſuum defenſoris catholicæ fidei nomen tueatur. Ego verò, ne cum Rege contendere,aut eius perſonam velle offendere videar, de cauſa ipſa loquar, eamq; generatim tractando, oſtendam in primis initium Anglicanæ defectionis, & ſeparationis ab Eccleſia, crimen proprijſsimi, & grauiſsimi ſchiſmatis fuiſſe. Deinde verò per diuturnitatem, & pertinaciam in manifeſtam hæreſim tranſiuiſſe, mōſtrabo. Ex quo facilè conſtabit, nullum hominem Chriſtianum, ſeu baptizatum cuiuſcumque conditionis, ſeu ſtatus ſit, illi ſectæ, eiuſque erroribus pertinaciter adhærentem poſſe non ſolùm ſalutē aſſequi, verùm etiam nec ab hæreſis crimine excuſari, Et quoniam Rex de apoſtatæ nomine ſimul conqueritur, quid in eo puncto quoad apoſtaſiæ nomen, & culpam ſentiendum ſit, in ſequentibus etiā dicam.

1. Ab hæreſis nota ſe vendicare ſtudet Rex Iacobus.

C

D

Quod ergò ad primum punctum attinet,nō magna probatione indiget. Nā qui factum ipſum, & initium Anglicani lapſus, prout cap. 1. à nobis relatum eſt, conſiderauerit, & vulgarem doctrinam de culpa ſchiſmatis, eiuſq; diſcrimen ab hæreſi à Patribus, & Theologis traditū, non ignorauerit, facile intelliget, lapſum illum Anglicanum per grauiſsimū ſchiſma incepiſſe. Schiſma enim generali ſignificatione iuxta vocis etymologiā, diſſenſionem, ac moralem quandam diui-

2. Anglicanā lapſum grauiſsimū ſchiſma fuiſſe, ex etymologia vocis oſtenditur.

ſionem

ſionem indicat, per antonomaſiam autẽ iam propriè ſignificat diuiſionẽ Eccleſiæ Catholicæ per ſpontaneam ſeparationẽ ab illa, ſub Chriſtiano nomine particularẽ cõgregationem, ſeu conuenticulũ extra Eccleſiæ vnitatem, cõmunionẽ, & obediẽtiã cõgregando. Ita ferè ſchiſma definiũt D. Thomas, & Theologi; imò etiam Iuriſperiti, fuitq; ſententia antiquorũ Patrũ, quos ſtatim referam, habetq; in Scriptura fundamentũ. Nam in illa ſchiſma ſignificare ſolet diuiſionem iudiciorum, vt Ioan. 9. vbi dicentibus quibuſdam, *Nõ eſt hic homo à Deo*, alijs vero, *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* additur, *Et ſchiſma erat inter eos*: Hęc autem iudiciorũ diuerſitas ſolet eſſe quaſi inchoatio ſchiſmatis, quod in animorum, & concordię diuiſione conſummatur. Et quando eſt in materia religionis, tunc maximè ſchiſma vocatur. Sic vſurpatur à Paulo, 1. ad Corint. 1. *Fidelis* (inquit) *Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatẽ filij eius Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Et ſtatim quaſi exhortans ad ſeruandã vnitatem huius ſocietatis, *Obſecro vos fratres, per nomen Dñi noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata.* Quod magis de diuiſione contra vnitatem Eccleſiæ declarauit, cap. 12. dicens. *Vt non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro inuicem ſolicita ſint membra.* Vbi licèt loquatur de natura li corpore hominis, tamẽ illud adducit ad declarandũ, quid ſeruandũ ſit in corpore Eccleſiæ, de quo concludit, *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.*

D. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1.

3. Duo genera ſchiſmatũ aduntur. Schiſma, & Paraſynagoga quid?

Poſſunt autem in Eccleſia diſtingui duo genera ſchiſmatũ, iuxta doctrinam Baſilij epiſt. 1. ad Amphiloc. can. 2. quam ſequitur etiã Theodorus Studites in epiſtol. 4. ad Naucration. vbi tria membra diſtinguunt, hæreſim, ſchiſma, & Paraſynagogam. *Hæreſes* (inquit) *ſunt, quæ omnino abruptæ, & aduerſus ipſam fidem ſunt alienatæ: ſchiſmata diſſenſiones eorum, qui propter aliquas cauſas Eccleſiaſticas, & quæſtiones medicabiles inter ſe diſſident. Paraſynagogæ ſunt congregationes, quæ a recuſantibus parere Presbyteris, vel Epiſcopis, vel populis inſolentibus, fiunt.* Omiſſo autem nunc primo mẽbro, alia duo indicant duo genera diſſenſionũ inter membra Eccleſię, vnum priuatum, alterũ magis publicũ: prius ſiſtit in priuatis contentionibus, & inimicitijs; poſterius verò vſque ad publica conuenticula, & quaſi Eccleſias diuerſas faciendas procedit. Priores ergo diſſenſiones vocarunt dicti Patres ſchiſmata, poſteriores autem Paraſynagogas, Iam vero priores diſcordiæ generale nomen diſſenſionum retinuerunt, & nomen ſchiſmatis ad aliud genus diuiſionis Eccleſię per priuata conuenticula ſignificandum vſurpatũ eſt, & ita in pręſenti ſumitur, omiſſa voce Paraſynagogæ, quæ iam in vſu non eſt.

4. Per ſeparatione ab Eccleſia, etiam abſque detectione à fide, ſchiſma cõmittitur. Hierony. Hæreſis neceſſario ſchiſma includit, non verò è conuerſo.

Sic ergò manifeſtum eſt, ſchiſma committi per ſeparationem ab Eccleſiæ vnitate, charitati eius contrariam, etiam ſi in dogmatibus diſſenſio nondum intercedat. Ita dixit Hieronymus in verba illa ad Titum tertium, *hæreticum hominem poſt vnam, & alteram correptionem deuita. Inter hæreſim, & ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis peruerſum dogma habet, ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet, quod quidem in principio aliqua ex parte poteſt intelligi diuerſum ab hæreſi.* Cur autem dicat, *In principio*, in puncto ſequenti declarabo. Dicit autem, *aliqua ex parte*, quia hęreſis ſchiſma neceſſariò inuoluit, maximè enim Eccleſiam diuidit, quia diuiſa fide, nõ poteſt vnitas charitatis non ſcindi, ſicut amiſſa fide, non poteſt charitas non amitti: at verò è conuerſo ſchiſma poteſt ab hæreſi ſeparari, ſicut poteſt charitas ſine fide amitti. Sicut olim Meletius ſchiſmaticus fuit, & non hæreticus: nam vt refert Epiphan. Secta. 68. ſemper, *rectæ fidei*, fuit, *Non enim* (inquit) *immutata eſt fides ipſius in aliquo tempore à Sancta Catholica Eccleſia.* Quia verò aduerſus Petrum Alexandriæ Epiſcopum, & ſibi ſuperiorem propriã congregationem fecit, & Eccleſiam diuiſit, ſchiſmaticus habitus eſt. Obſeruarique obiter poteſt, cùm Eccleſias proprias ædificarent Meletiani, & ſucceſſores Petri antiquas obtinerent, ſemper antiquas Eccleſias retinuiſſe nomen Catholicæ Eccleſiæ, alias vero vacatas eſſe Eccleſias martyrum. Nam nouum ſchiſma nouo nomine indiguit.

Epiphan.

Templa Orthodoxorũ fideliũ nomen catholicum retinent.

5. Schiſma Donatiſtarũ.

Simile fuit in principio ſchiſmatis Donatiſtarũ propter ordinationẽ Cæciliani in Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopum

K contra

August. contra Donati voluntatẽ, vt ſumitur ex Auguſt. lib. de Hæreſib. hæreſ. 69. Vnde idem Auguſt. lib. 2. contra Creſconium c. 7. ſic inquit, *Quanuis inter ſchiſma, & hæreſim magis eam diſtinctionem approbẽ, qua dicitur ſchiſma eſſe recens congregationis ex aliqua diuerſitate ſententiarũ diſſenſio, neq; enim ſchiſma fieri poteſt, niſi diuerſũ aliquid ſequantur, qui faciunt: hæreſis autem ſchiſma inueteratũ, tamen cum me adiuuent deſinitiones tuæ, ſchiſmaticos vos libentiùs, quàm hæreticos dicerem.* Creſconius enim ſchiſma re-

Aug. c. 4. cognoſcebat, hęreſim verò negabat, quia nõ erat diuerſitas, vt ille aiebat, in doctrina, quod facilè Auguſtinus acceptat, quãuis poſteà etiam oſtẽdat, ſchiſma illud in hæreſim tranſiuiſſe. Quod verò ait, ſchiſma nõ eſſe ſine diuerſitate ſententiarum, intelligendũ generaliter eſt, quia diſſenſio animorũ non eſt ſine diuerſitate opinionum; Non autẽ accipiendũ, id eſt, de ſententijs diuerſis in dogmatibus catholicę fidei, quod ex alijs locis Auguſt. manifeſtum eſt. Nam lib. 1. de Fide, & ſymbolo cap. 10. dicit, *Hæretici, & ſchiſmatici cõgregationes ſuas Eccleſias vocant, ſed hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam fidẽ violant, ſchiſmatici autem diſciſsionibus iniquis à fraterna charitate diſsiliunt, quamuis ea credant quæ credimus.* Et lib. Quæſtionũ Euangelicar. ex Matt. q. 11. *Solet* (inquit) *quæri, ſchiſmatici quid ab hæreticis diſtent, & hoc inueniri, quòd ſchiſmaticos non fides diuerſa faciat, ſed cõmunionis diſrupta ſocietas.* Ideq; latè tradit Optat. lib. contra Parmenianum.

Optat.

6. Henricum 8 ſchiſmaticum fuiſſe, concluditur. Ex hoc ergò certo principio, & ex facto ſupra narrato de Anglicano lapſu aperte concluditur. Henricũ. VIII. ſchiſmaticum fuiſſe. Hæreticum enim ipſum fuiſſe ſaltem in principio, nobis non cõſtat, quia non propter mentis deceptionẽ, ſed alia turpi, & erubeſcenda occaſione Pontifici Summo obedientiã negauit, ſeque, & regnũ ſuum, quãtum potuit, ab Eccleſię Romanę vnitate ſeparauit, An verò hæreticus etiam fuerit, infra attingemus: nunc enim neceſſarium nõ eſt. Nã quidquid in mẽte ſenſerit, ſatis eſt, quod vel propter ſolam concupiſcentiam practice errauerit, & Eccleſiam ſciderit, vt ſchiſmaticus euaſerit, imò author grauiſſimi ſchiſmatis, in quod tùm authoritate, & exemplo, tùm maxime timore, ac vio-

A lẽtia multos alios ire coegit. Ita ergo hoc vitium Anglicanã gentem occupare cœpit, & ita à parentibus ad filios deriuatum eſt, vt vſq; in præſentem diem perſeueret.

Quamobrem neque ipſe Rex Iacobus ſe ab hoc crimine purgare ſtuduit; imo quaſi contemnere, & pro nihilo ducere videtur dùm pagin. 58. dicit, *Schiſmaticum me dicant licet, & à Romana Eccleſia defeciſſe, certe hæreticus eſſe nullo modo poſſum.* Nos autẽ è cõuerſo dicimus, licèt hæreticum ſe eſſe neget (quod nunc nondũ 7. Ab ſchiſmatis labe ſe liberare minime ſtudet Rex.

B tractamus) negare non poſſe, ſe eſſe ſchiſmaticum, cum & baptizatum eſſe in ſuamet præfatione fateatur, & ſciens, ac videns inchoatum ſchiſma, non ſolùm cõſeruet, verum etiam magna contentione, & totis viribus potentiæ ſuæ propagare ſtudeat. Conſiderare autem debet, in oculis Dei non multum diſtare ſchiſma ab hæreſi, Auguſtinus enim lib. 1. de Sermone. Domini in monte capit. 5. illa duo æquiparat Dicens, *Multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes, multa talia patiuntur, ſed ideò excluduntur ab iſta mercede, quia non tantùm dictum eſt, Beati,* August.

C *qui perſecutionem patiuntur, ſed additũ eſt, propter iuſtitiam, vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Neque ſchiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede promittant, quia ſimiliter vbi charitas non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim proximi malum non operatur. Quam ſi haberent, non dilaniarent corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia.* Et, quod grauius eſt, in libro de Vera Religione cap. 6. non ſolum hæreticis, ſed etiam paganis, & Iudæis ſchiſmaticos annumerat, dicens, *Neque in confuſione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum neque in languore ſchiſmaticorum, ne-*

D *que in ætate Iudæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani, Catholici, ſeu orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis amatores, & recta ſectantes.*

Accedat Sanctus Chryſoſtomus, qui delictũ ſchiſmatis ita exaggerat, vt illud cũ peccato crucifigentiũ Chriſtũ conferat, dicens, *Nihil Deũ æque irritat, atq; diuiſam eſſe Eccleſiã, etiã ſi bona fecerimus innumerabilia, non minores, quàm qui eius corpus diſcindũt, pœnas dabimus, qui plenũ Eccleſiaſticũ conuentũ diſcindimus.* Loquitur autem in pirori parte de corpore Chriſti 8. Quid Chryſoſt. de ſchiſmate ſentiat.

vero.

vero. Vnde ſubdit· *Nam illud quidē factū eſt ad lucrum orbis terrarū, & ſi non eo animo: hoc autem nullā vſquàm habet vtilitatē, ſed ex eo dāni eſt plurimū,* Et addit verba tam Regi, & Cōſiliarijs eius, quàm ſubditis cōſideranda. *Hæc dicta ſunt, non ſolū ad eos, qui gerūt magiſtratus, ſed etiā ad eos qui ab illis reguntur.* Et poſteà ſignificat, hoc crimen eſſe hæreſi periculoſius, fortaſſe, quia ſolet eſſe initiū hæreſū, & ideò maximè neceſſariū eſt, in initio illud cauere, & quaſi ad radicē ſecurim ponere. Ait ergò, *Hæc à me dicta ſunt de ijs, qui ſe dedūt indiſcriminatim ijs, qui ſcindūt Eccleſiā, nam ſi dogmata quidem habent contraria, vel propter hoc ipſum, non conueniebat cū illis miſceri: ſin autem eadē ſentiunt, multò magis. Quare? Quoniam eſt morbus ambitionis, & amoris Imperij, & gerendi magiſtratus.* Deniq; Optatus Mileuitan. lib 1, contra Parmenianum, *Ingens flagitium,* ſchiſma vocat, & inferiùs ait. *Schiſma ſummū malum eſſe, & vos negare minimè poteritis.* Et loquitur ad Donatiſtas, ſibi autem etiā eſſe dictum Anglicani intelligant, cùm nec rationē diuerſam, nec veriſimilem excuſationem afferre poſsint.

9. *…chiſmatici …omen Rex …cobus iu… e detrecta- nō poteſt.*

At enim, fortaſſe Rex Iacobus negabit, ſe eſſe ſchiſmaticum, neque enim in verbis ſuis dicit, *Licèt ſchiſmaticus ſim,* ſed *licèt dicant, me eſſe ſchiſmaticum,* idque nō ſimpliciter, ſed cum addito, quod adiungit, *& à Romana Eccleſia defeciſſe* Interrogo verò, an ſaltem cum hoc addito verè, vel falſo dicatur ſchiſmaticus ab Eccleſia Romana? Certè affirmare non poteſt, dictū hoc eſſe falſum, quia ex facto ipſo publico, & notorio id euidenter probatū eſt. Quod ſi rem adeò claram negare nō audet, ſciat, additionem illam non minuere delictum, ſed augere, vel (vt ita dicam) in ſupremo gradu ſchiſmatis illud conſtituere. Nam ſi verum eſt, quod Hieronymus dixit, ſchiſma conſtitui per ſeparationem ab Eccleſia *propter Epiſcopalē diſſenſionem*: ergò ſchiſma conſtitutum propter diſſenſionem à Sūmo Pontifice, omniū Epiſcoporum Paſtore, merito dicetur non ſolùm ſimpliciter ſchiſma, ſed etiā ex ſuo genere maximū. Nam vt rectè dixit Beda homil. de Sanct. Petro, & Paulo, *Beatus Petrus, qui Chriſtū vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cœlorū, & Principatum iudicia-* A *riæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbē credētes intelligant, quia quicūq; ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quo libet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorū abſolui, nec ianuam poſsint regni cœleſtis ingredi.* Vbi nomine *Petri* ſine vlla dubitatione, cathedram eius intelligit, & *ſocietatē illius* vel Eccleſiam, vel vnionem cū ſede Petri vocat: ergo ſegregari ab hac ſocietate, ad conſtituendū ſchiſma cenſet eſſe ſufficiens. Idem ſi rectè expēdatur ſenſit Optatus Mileuitan. lib. 1. contra Parmenian. col. 5. vbi vt probet Parmenianum fuiſſe B ſchiſmaticū non Cæcilianum ſic inquit, *Non enim Cæcilianus exiuit à Maiorino auo tuo, ſed Maiorinus à Cæciliano, nec Cæcilianus receſsit à cathedra Petri, vel Cypriani, ſed Maiorinus, cuius tu cathedram ſedes, quæ ante ipſum Maiorinum originē non habebat.* Supponit ergò illū eſſe ſchiſmaticū, qui recedit à *cathedra Petri,* addit autem, *vel Cypriani,* quia interdum poteſt ſchiſma fieri per ſeparationem à proximo Epiſcopo, nouam cathedram ſine origine introducendo. Et addit (quod præſenti inſtituto maximè ſeruit) *Cum hæc ita geſta eſſe manifeſte conſtet, & vos hæredes eſſe tradi-* C *torū, & ſchiſmaticorum euidenter apparet.* Sic ergò nos ex facto Anglicano euidenter concludimus; Henricū 8. qui cathedrā Petri deſeruit, & nouā ſine Origine erexit, ſchiſmaticū fuiſſe, eiuſq; hęredes eū imitātes in eodē ſchiſmate pſeuerare.

Ex homi- …ijs æſtiua- …bus de S ā… …is homil. *…eda.*

Optatus.

Prætereà in ſuperioribus oſtēſum eſt Eccleſiā Romanā, & Catholicā eandem eſſe, illiſq; cognominibus tantū diuerſas proprietates, ſeu habitudines eiuſdem Eccleſiæ ſignificari, dicitur enim Chriſti Eccleſia catholica, quatenùs vniuerſalis eſt, Romana autē vocatur, quatenùs in ſede Petri fundata illi ſēper cōiuncta eſt: D ergò idē eſt etiā ſchiſma ab Eccleſia Catholica, & à Romana: ergò ſi Rex negare nō poteſt, ſeparationē Angliæ eſſe ſchiſma ab Eccleſia Romana, vitare nō poteſt, quin ſit etiā grauiſsimū ſchiſma ab Eccleſia Cathoolica. Et ſanè qui lapſum Henrici, & diuiſionē eius ab Eccleſia conſiderauerit, illūq; cū ſchiſmate Donati, & aliis antiquis cōtulerit, omnino eandē, vel maiorē rationē ſchiſmatis ab Eccleſia catholica in illo inueniet, neq; veriſimilē rationē diuerſitatis poterit cogitare. Niſi fortaſſe fingēdo cū hęreticis, vniuerſalē Eccleſiā, 10.

quę olim erat catholica, tẽpore Henrici iã fuiſſe collapſã, & extinctã. Sed hoc vanũ & voluntariũ refugium ſatis ex Scripturis Sanctis, & cõmuni ſenſu antiquorum Patrum refutatum eſt ſupra. Indubitãter ergo ſciat Rex ſe eſſe ab Eccleſia catholica ſeparatũ, cùm nullo colore id negare, vel occultare poſsit, vehemẽterq; timeat Auguſt. ſententiã dicentis, *Quiſquis ab hac catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantũlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimat, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitã, ſed ira Dei manet ſuper eũ.*

CAPVT XXII.

Anglicanum ſchiſma in manifeſtam hæreſim, & apoſtaticam doctrinam trãſijſſe.

1\. Anglicanã ſectã in plures hæreſes prorupiſſe authoritate Patrũ oſtẽditur.

QVoniam Rex Anglię plus nomẽ hæreſis, quã ſchiſmatis abhorrere videtur, oſtendendũ à nobis vlterius eſt, eo demũ Anglicanaum ſchiſma perueniſſe, vt non in vnã tantum, ſed in plures, & manifeſtas hæreſes proruperit. Hoc in primis probamus ex quadam veriſsima Sanctorũ Patrum doctrina, dicẽtium, ſchiſma diuturnũ in hæreſim tranſire. Sic Hieronym. dicto loco ad Titum 3. dixit, in principio poſſe intelligi ex parte diuerſũ ab hæreſi, *Cæterum* (addit) *nullũ ſchiſma non ſibi aliquam confingit hæreſim, vt rectè ab Eccleſia receſsiſſe videatur.* Et propterea dixit Auguſt. lib. 2. contra Creſconium, c. 7. *hæreſim eſſe ſchiſma inueteratũ.* quia ſolent, vt dixi, hęretici propter aliquã controuerſiã, vel indignationẽ, aut cupiditatẽ non expletã, aut ambitionẽ non obtentã, ab Eccleſia in principio ſeparari, quoad obediẽtiã, & vnionẽ: poſteà vero, vt in ſchiſmate perſeuerare poſsint, ad hæreſim tranſire. Quod exemplis ab antiquitate petitis quaſi inductione quadã facilè oſtendi poſſet, vt de Nouato paſsim legimus apud Cypria. & Auguſt. qui epiſt. 164. ad Emeritum, ad illos ait. *Neq; vobis obijcimus, niſi ſchiſmatis crimen, quod etiã hæreſim male perſeuerãdo feciſtis.* Sic etiã de Meletij ſecta refert idẽ Auguſt. lib. de Hæreſ. ad Arianos tandẽ tranſiiſſe, quãuis in principio tantũ ſchiſma fuerit, Quod nũc etiã Anglis accidit. In principio enim cũ Henricus neq; Litherũ, neq; Caluinum ſequutus fruerit, ſchiſmatici ab ipſo facti, poſt non mul-

August.

Hierony.

Experiẽtiã eadem veritas roboratur

August.

A tum tempus ad Caluiniſtas tranſierunt.

Ratio aute huius experimenti duplex reddi poteſt. Vna, quam tetigit Hieronymus; quia perſeuerantes in ſuo ſchiſmate, ſtatim (quod naturale eſt) factum ſuũ, & audaciam honeſtare, ac defendere cupiunt, & ideò ad hæreſim declinãt, qua poſsint factum illud honeſtare, vel laudando vt bonũ, quod prauũ eſt, vel negãdo, eſſe faciendũ, quod præceptũ eſt, vel (quod in idem redit) negando eſſe præceptũ, quod ab Eccleſia Catholica traditũ eſt. In quibus omnibus modis, & alijs ſimilibus hæreſis inuoluitur. Quia licèt

2\. Duplex ratio præcid. experimẽti aſsignatur.

B operari malũ, quod lex Chriſti prohibet, nõ ſit hæreſis, ſentire tamẽ cũ pertinacia non eſſe malũ, quod fides docet eſſe prohibitũ, hęreticum planè cenſendũ eſt. Altera ratio eſt, quia licèt ſchiſma in rigore diſtingui, ſeu præſcindi poſsit ab hęreſi, adeò tamen eſt illi affine, & propinquũ, vt ſi perſeueret, facilè in illud transmutetur. Vnde Ambroſ. lib. de Obitu Satyri, narrans Satyrũ poſt naufragium, Eccleſiam quæſijſſe, in qua Deo pro liberatione gratias ageret, & aduocaſſe ad ſe Epiſcopũ, eumq; interrogaſſe, *Vtrũ nam cum Epiſcopis catholicis, hoc eſt, cum Romana Eccleſia conueniret*, ſubiungit inferiùs, poſt

Ambro.

C quã Satyrus intellexit, illũ Epiſcopum eſſe ſchiſmaticũ, noluiſſe ibi gratias agere, neq; cum illo cõmunicare, quia licèt ille Epiſcopus eſſet hæres Luciferi ſchiſmatici, & nõ hæretici (vt ſignificat) nihilominus (ait) *non putauit tamen, fidem eſſe in ſchiſmate. Nam & ſi fidẽ erga Deũ tenerent, tamen erga Dei Eccleſiã non tenebant, cuius patiebantur, velut quoſdã artus, & mẽbra lacerari. Etenim cùm propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides,*

D *à quibus euacuatur Chriſti paſsio, corpuſq; diſtrahitur.* Quod ita interpretor, ſchiſmaticũ ſcilicet in principio agere contra fidẽ, quam Eccleſiæ debet, practicè, ſeu opere ipſo, vel certè agere contra fidẽ, id eſt, fidelitatẽ, & obedientiã, quam debet Eccleſiæ, poſteà verò, vt in ſuo ſchiſmate perſeueret, etiã negare Eccleſiæ illam fidẽ, quę conſiſtit in credendo, ipſam Eccleſiã eſſe vnicã Chriſti ſpõſam, colũnam, & firmamentũ veritatis. Qui tranſitus facillimus eſt: nã ſi Paulus ad Timot. ſcripſit repellẽtes bonam cõſcientiam, circa fidẽ naufragauiſſe

Timoth.

gauiſſe, quanto faciliùs credendū eſt, id accidere in pertinaci ſchiſmate contra Chriſti Eccleſiā. Merito ergò timuit, vel nō putauit Satyrus ſidē eſſe in ſchiſmate.

3. *Schiſma charitati per ſe opponitur, & diuturnitate tenebras mēti offundit.*

Accedit, quòd ſchiſma proxime oritur ex aliquo odio proximorū. Nam licèt ex contentione aliqua, vel ambitione, vel inordinata cupiditate, vel inuidia oriri ſoleat, vt Patres tradunt, & experientia docet, propriè tamen, & per ſe charitati opponitur, quæ Eccleſię Chriſti debetur, & ideò odiū proximi includit, hoc autem odiū, perſeuerādo in ſchiſmate nutritur, & augetur, & ita facilè inducit in mentis cæcitatem atq; ad hæreſim iuxta mētem Auguſtini in illud 1. Ioan. 2. (*1. Ioan. 2.*) *Qui odit fratrem ſuum in tenebris ambulat, & neſcit, quò tendat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Quæ verba de ſchiſmaticis interpretatur Aug. (*Auguſt.*) ibi tract. 1. dicens illos ita excęcari ex odio verę Eccleſię, vt illā non videāt, & *faciliùs illuc faciē impingant, quàm illic habitaculū quærāt*. Sic etiā dixit Optat. (*Optat.*) li. 1. cōtra Parmenia. *Schiſma ſparſo coagulo pacis diſsipatis ſenſibus generatur liuore, nutritur æmulatione, & litibus roboratur, vt deſerta matre catholica, impij filij dū foras exeunt, & ſe ſeparant à radice matris Eccleſiæ, inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt.* In quibus verbis alia etiam indicatur ratio: nam ſchiſmatici cū ab Eccleſia præſcindantur, & ſynagogam extra illā congregent, eo ipſo dedignantur Eccleſiā ſequi, præſertim quādo in ſchiſmate obdurati perſeuerant, & ideò carere incipiunt regula veritatis, ex quo neceſsitate quadā conſequitur, vt in errores, & hęreſes prolabātur, vel nouam inueniendo, vel alicui iam inuentę adhęrendo, vt diſtinctū aliquid ab Eccleſia, à qua receſſerant, habere videātur. Nam ſi in eadem fide perſeuerarent, *non poſſent nouū aliquid, aut aliud agere, niſi quod iam dudū apud ſuam didicerunt matrem*, vt Optatus ſupra dixit. Propter quod ſępè Cyprian. (*Cyprian.*) *inde oriri* (affirmat) *Schiſmata & hæreſes, quod ſacerdoti Dei non obeditur, neq; vnus ad tēpus iudex vice Chriſti cogitatur*, vt ait epiſt. 55. Et in 69. addit, *congregatione perſeuerantē in ſchiſmate intra breue tempus carere veris Epiſcopis, & Paſtoribus, quia ceſſat vera origo, ſucceſsio, & ordinatio.* Vnde tandē conſequitur, vt careat etiam vera doctrina, & ſanctitate: nā ad illā con-

A ſeruandam in vnitate fidei, & vitę ſanctitate vſq; ad conſūmationē electorū dedit Deus Eccleſiæ ſuæ Paſtores, & Doctores teſte Paulo ad Epheſ. 4.

Propoſitę autē rationes euidēter in Anglicano ſchiſmate procedūt. Cōſtat enim illud eſſe ſatis diuturnū, nam per ſeptuaginta annos, vel ampliùs durauit, & licèt interruptū fuerit per breue Reginæ Marię tempus, ſtatim renouatū eſt, poſteàq; plus quam quinquaginta annis cōtinuis durauit. Deinde cùm cęperit per ſeparationem à cathedra Petri, & negando obe- 4. *Anglicanū ſchiſma ad hæreſim iā peruenisse ex dictis cō cluditur.*

B dientia Sūmo Pontifici, licèt in principio facto tantū ex inordinato affectu luxuriæ tentatū fuerit, poſteà circa ius ipſum erratum eſt. Et doctrina introducta, qua cępit in Anglia prædicari, Eccleſiā Chriſti non habere vnū ſpirituale caput, nec Romanum Pontificem vt tale recognoſcendum eſſe, ſed in vnoquoq; regno, vel republica ſuprema in temporalibus eſſe propriū caput ſupremū in ſpiritualibus, illudq; non eſſe aliud præter Regem, vel Principem temporalē, aut ſenatū reſpectiue. Quæ tota doctrina hæretica eſt, & contra Scripturam ſacram, & contra per-

C petuū eiuſdem Eccleſiæ ſenſum, & Patrum traditionem vt in lib. 3. ex profeſſo oſtendemus. Ita ergò (quod ad primam rationem attinet) in Henrico VIII. ad literam impletū eſt, quod Hieronymus dixit, nam *Sibi hanc conſtruxit hæreſim, vt rectè ab Eccleſia receſsiſſe videretur.* Non enim poterat Regia maieſtas, vel potiùs humana prēſūptio ita pertinaciter in grauiſsimo facinore perſeuerare, niſi in aliud grauius incidendo, quo prius defenderet & rectè factū eſſe, contenderet. Qui error ita Henrici animo adhæſit, vt non ſolùm in illo mori non dubitauerit, verum

Schiſmatis defendendi ergó, nouā ſibi hæreſim Henricus 8. excogitauit.

D etiam nouo præcepto de filio in eodem errore educādo, in alijs catholica fide retenta, illud cōfirmauerit. Vel certè ſi mēte non credebat, quod ſic præcipiebat, in eo maximè oſtēdit (quod ad alterā rationem ſpectat) quam ingens odium contra Romanam Eccleſiam conceperat, ſiquidem contra mentem ſuam, & cum æterna morte animæ ſuæ, in eodem ſchiſmate mori, & illū per modū dogmatis, ſeu doctrinę exteriùs tueri, & in filio, & in regno ſuo perpetuo ſtabilire voluerit. Cū ergò Anglia in hoc puncto nō ſolùm factum,

ſed etiam ius vſurpare, & doctrinam defendere conetur, vel ex hoc ſolo manifeſtum eſt ſectam illam non tantum ſchiſmaticam, ſed etiam hæreticam eſſe.

5. Poſt mortem autem Henrici ſtatim Anglicanũ regnum ſchiſmaticum Caluinianam ſectam, quanuis fortaſſe non puram, ſed miſtã ex Lutherana, & alijs amplexũ eſt, & ita etiam in illo ſchiſmate, quod in ſecũda ratione de diuturno ſchiſmate dicebamus, & ex eiſdem cauſis, ſeu radicibus, & cum eiſdem effectibus, ſeu ſignis hæreticis impletũ videmus. Nam in primis odium in Romanam ſedem mirum in modũ in dies auctũ eſt, & vt quotidiè magis inualeſcat, & in animis omniũ radicetur, induſtria dœmonis factũ eſt, vt parentes, & Magiſtri ab infantia in puerorum animis talem de Papa conceptum, ſeu apprehenſionem imprimant, vt ſimplices, & vulgares homines crudelem tyrannũ, horrendum idololatram, ad deniq; mõſtrũ quoddam, potiùs quã hominem, audito Papæ nomine concipiant. Nec mirum eſt, ſi cõmunis plebs in tãto errore verſetur, ſi quidẽ Rex ipſe in ſua Præfatione pagi. 14. affirmare audet, *Pontifices per ambitioſam tyrannidem ſibi in temporalium Regum iura authoritatẽ iniuſtè vſurpaſſe*. Et iterum, *Hanc in Reges poteſtatem à Pontificibus inique vſurpatam*. Rurſus, à catholicis extrui Pontificis imperium adeò, *immane, ac ſolutum, vt ad libidinem condonare, atq́; adimere regna poſsit*. Ita enim Cardinali Bellarminio tribuit. Iterũ *Magnus ille paſtor, inſtar ouiũ, ad occiſionẽ ducere vos pro libidine ſua poteſt*. Alibi, *Cùm antiquitus Clerici nihil vltra decimas appeterent, ijsque contenti viuerent, nunc Papa clericorum caput, non niſi tertia ciuium, & bonorum, ac fundorũ parte in omnibus regnis, & prouincijs accepta, acquieſcit*. Vlteriùs, *ſecularem Pontificis in Reges dictaturam præcipuis fidei Catholicæ articulis enumerat*. De Cardinali Bellarmino loquitur, & abſolutam poteſtatem dominandi per illam ſecularem dictaturam intelligit. Et alibi in eodẽ ſẽſu inter multa, quæ refert, vel potiùs irridet tanquã à Pontificibus vſurpata, hoc ponit, *Omni poteſtate, tam ſpirituali, quã temporali præditi*. Et infra, *Qui pro Deo Papam colunt, eumq́; ſic habent quaſi Scripturã loquentẽ*, Poſteà verò de eiſdem catholicis ait, *Tribuere Pontificiſupremam in temporalibus poteſtatem ſupra Reges, ac principes, vtiq́; in ſenſu in alijs locis ab ipſo declarato*.

Pagin. 14 · *Pag. 22.* · *Pag. 23.* · *Pag. 24.* · *Pag. 27.* · *Pag. 61.* · *Pag. 62.* · *Pag. 128.*

Hi, & ſimiles ſunt colores, quibus Rex Pontificem Summũ, eiuſq; regimen depingit. in quibus tamẽ nihil eſt, quod nõ ſit à ſeductoribus cõfictũ, vel male interpretatũ, & incautè, & per veritatis ignorationẽ à Rege creditum, & ſcriptum: vt mirũ non ſit, rudem plebem his fabuloſis exaggerationibus decipi, quandoquidẽ ſeductores etiam Regẽ ipſum fallere, & decipere potuerũt. Nam in primis quòd Pontifex Regum poteſtatẽ non vſurpet, toti orbi notũ eſt, & ipſi Põtifices in ſuo iure cõmuni teſtatũ ab ipſis eſſe voluerunt. Nam de Rege Anglorum loquitur Alex. 3. cũ dicit, *Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Eccleſiam de talibus poſſeſsionibus iudicare, ne videamur iuri Regis Anglorũ detrahere, mandamus, quatenùs Regi iudiciũ poſſeſsionis relinquẽtes, &c.* Et de Rege Galliæ dixit. Innoc. 3. *Nõ putet aliquis, quòd iuriſditionẽ illuſtris Regis Frãcorũ perturbare aut minuere intendamus*. Et alibi idem Pontifex affirmauit, *Regẽ in temporalibus ſuperiorem non recognoſcere*. Conſtat igitur Pontifices iura Regũ nõ vſurpare. Vnde longè certiſsimũ, & notiſsimum eſt, neminẽ catholicorum Doctorum affirmaſſe, *poſſe Pontificẽ ad libidinem regna condonare, aut pro libidine adimere*. Qui enim vel in vno iudicio Regiã iuriſdictionẽ perturbare nolunt, quomodo regna ipſa ſua libidine perturbabunt? Multo verò intolerabilius eſt, cogitare, ne dũ ſcribere, *pro libidine ſua* poſſe Paſtorem hunc oues occidere, aut ſimilẽ tyrãnidem, per hanc exaggerationem indicatam, exercere. Quin potiùs nõn poteſtatẽ modo, verùm etiam ſolú vſum illi imponere, grauiſsima, & impijſsima detractio eſt eorũ, qui Regem dicipiendo, ipſũ irritare voluerunt. Hoc autẽ euidentiùs cõſtabit ex his, quæ de legitima poteſtate Pontificis in Chriſtianos Reges lib. 3. oſtendemus, vbi etiam iuſtũ vſum illius explicabimus: nam fortè ſectarij nõ ſolũ ex malitia, ſed etiã ex ignoratione, & defectu Theologicę doctrinę iſta cõfingũt. 6.

Refutatur. Alex. Papa 3. Cap. Cauſam quæ. Qui filij ſint legit. Innoc. 3. Cap. Nouit, de Iudic. Cap. Per venerabilẽ, qui filij ſint legit.

Poſſe Pontificem pro libito regna adimere nullus Catholicus aſſeruit.

7. Deinde quod de Pontifice aſſeritur, *non acquieſcere, niſi accepta tertia ciuiũ bonorum, & fundorum parte in omnibus Regnis, & prouincijs*, cõtra omne ius canonicum

Pontificem tertiam partem bonorũ ciuium ſibi vſurpare cõtra õne ius, factiq; veritatem confingunt hæretici.

cum eſt, vt in proprio opere de decimis oſtendimus: neque minùs contrarium eſt vſui, vt in omnibus regnis, & prouincijs catholicis notiſsimum eſt. Quòd ſi fortaſſe ſit ſermo de fundis, & bonis voluntariè donatis Eccleſiæ, ſemper in Eccleſia obſeruatũ fuit, vt bona huiuſmodi iura decimarum nõn minuerent, nec in eis computarentur, ſed cum illis ad pios Eccleſiaſticos vſus cõſeruarentur. Præterquàm quòd illis omnibus etiam computatis, ſine fundamento aſſeritur, illum eſſe tertiam partem bonorum orbis catholici, multoq; magis voluntariè fictũ eſt, ad eam proportionem, ſeu menſurã exigi, & ſine illa quotta parte Pontificẽ non acquieſcere.

8. Vendicãtur catholici ab aliquib9 Regis impoſitionibus.

Denique quod Rex ait, Catholicos Pontificem pro Deo colere, & verba eius vt ſcripturam ſacram habere, facilè intelligitur per exaggerationem dictum ad eandem, quam diximus de Pontifice exiſtimationem, in hominibus, qui voces diſtinguere neſciunt, generandam. Quî enim veriſimile eſt, credidiſſe Regem, catholicorum aliquem, cultum ſoli vero Deo debitum Pontifici tribuere? Si autem nomine Dei ſolùm ſignificetur is, qui ſingulari modo aut Deum repræſentat, aut eius excellentiam participat, iuxta Scripturæ phraſim, & Chriſti explicationem dicentis, *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt*: quid reprehenduntur catholici, quòd Dei Vicariũ debito honore colant, ac venerentur? Item non eſt veriſimile, in mentem Regis veniſſe, vniuerſa verba Pontificis ſacram ſcripturam à Catholicis reputari, cùm ignorare non debeat, ſacros Theologos, ipſas etiam Conciliorum, & Põtificum definitiones ſacram Scripturam eſſe negare. Quanquam in veritatis certitudine ęquiparari, tam cõſtanter, quàm veriſsimè doceant: non de omnibus verbis Pontificis, ſed de his, quæ vniuerſam Eccleſiam ex cathedra docendo, definit. De quo puncto aliquid in ſuperioribus tactũ eſt, & in lib. 3. non nihil addemus. Hæc igitur obiter dicta ſint, vt intelligatur, quàm pertinax odium, & inueterata rabies in Romanũ Pontificem diuturnitate ſchiſmatis Anglicana pectora occupauerit.

9. Ex hoc autem odio ſequuta eſt illa A mentis cæcitas, quam Auguſtinus deſcripſit, qua fit, vt altiſsimum, & lucidiſſimum Eccleſię montem ſecta Anglicana non videat, ſed in illum potiùs faciem impingat. Vnde etiam factum eſt, vt regula, & directione Catholicæ Eccleſiæ Anglia deſtituta, ad ſynagogas hæreticorum diuerterit. Nec enim nouam cõdere illi fuit neceſſarium, quia eo tempore hæreſes innumerę ſeptentrionem occupare cœperant, & ſicut cancer ſerpebant, nullamq; occaſionem eas introducendi fidei hoſtes omittebant. Atque ita B vt cap. 1. relatum eſt, poſt Henrici mortem, contra eius declaratam voluntatem Eduardi Regis tempore Zuingliana hæreſis in regno præualuit. Poſteà verò tẽpore Eliſabethæ Caluiniſmus introductus eſt, idemq; vſque in hunc diem, vel omninò, vel maiori ex parte perſeuerat: nam perfecta ſtabilitas, vel conformitas in huiuſmodi ſectis durare non poteſt, vt in ſuperioribus probatum eſt. Compertum eſt autem Caluinum magnum hæreſiarcham fuiſſe, eiusq; ſectam hæreſim eſſe, ergò dubitari non poteſt, ſectam Anglicanam, quæ Caluiniana eſt, ſiue pura, ſiue miſta ex alijs erroribus, hæreſim C eſſe, omneſq; illam pertinaciter ſequentes, hæreticos eſſe. Solùm ſupereſt, vt probemus, Caluinianam ſectam hęreſim eſſe, hoc autem duobus modis in ſequẽtibus oſtendemus, tum reſpondendo ad ea, quæ in ſua Præfatione Rex Iacobus affert, in excuſationem ſui lapſus in hæreſim, tùm refellendo ea, quæ in accuſationem Eccleſiæ Catholicę obijcit: quot enim articulos accuſationis opponit, tot ſuæ ſectæ errores prodit.

August.

Plures hæreſes poſt Henricum 8. Angliam occuparũt.

10. Ex ſignis hęreſũ, quę à Patrib. traduntur, Caluinianam ſectam hæreſim eſſe, oſtenditur. Primum ſignum.

Priùs verò in fine huius capitis idem oſtendere libuit, omnia ſigna hæreſis, quæ à Patribus traduntur, in vniuerſa D Proteſtantium ſecta breuiter indicãdo. Primum ſignum eſt origo infecta, vel per ſuperbiam. *Nam vna mater ſuperbia omnes hæreſes genuit*, vt Auguſtinus dixit, vel per inuidiam, quæ (vt ſcripſit Chryſoſtomus) *hæreſes peperit*, vel *per auiditatem cumulandæ pecuniæ* (vt dixit Baſilius) vel per alia vitia, quæ Paulus latè enumerat. 2. Timot. 3. ibi, *Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, &c.* vſque ad illud, *homines corrupti mente, & reprobi circa fidem.* Talem fuiſſe Lutherum, & per

Lib. de Paſtorib. c. 8. Chryſoſt. homil. 7. in ad Rom. in p. Morali. Baſil. in 5. cap. Iſai. verſus finem.

Echias in Actis Lutheri. Surius in compendio. Sander. de Viſib. mon. lib. 7. Secundum. Prateol. lib. 3. verb. Caluinus. Lib. 2. cõt. liter. Petili. c. 51. & 72.

A ambitionem, & inuidiam defeciſſe à fide, notum eſt, & in hiſtorijs illius temporis legi poteſt, Caluinum autem ſimili elatione, & morum improbitate excelluiſſe, teſtes ſunt plures, quos Prateolus cõmemorat. Secundum ſignum eſt ſupra tactum diſcordiæ, & ſeparationis ab obedientia Romanæ ſedis, quod ſæpè in ſuis Epiſtolis Cyprianus obſeruat, vt paulò anteà retuli. Et Auguſtinus Donatiſtas maximè reprehendit, quod in cathedrã Romanam, & Apoſtolicam blaſphemarunt, in quo maximè noui ſectarij eos imitantur, & excedunt.

11. Tertium.

Tertium ſit inconſtantia, & diuiſio doctrinæ, nihil eſt enim magis fidei certitudini, & veritati contrarium. De qua re ſatis in ſuperioribus dictum eſt. Nunc verò adiungam egregia verba Baſilij in cap. 5. Iſai. vbi cùm dixiſſet, hæreticos videri ſibi ſapientes, & alios antecellere, ſubiungit, *Eam ob rem referta ſunt omnia ſententijs inter ſe pugnantibus, & ijs, qui dogmata tradant, reclamãtia ſuiſmet authoribus: quando ſinguli quiq; ſuo dogmati tuendo obſtinatiùs inſiſtunt, & quæ diuerſæ partis ſunt placita, perrumpunt vi, vt euertant, & confutent acerrima verborum velitatione*. Et epiſt. 82. in fine, *Nunquam eiſdem verbis contenti ſtabiles perſiſtunt*. De eadem re latè Athanaſ. Epiſtol. de Decret. contra Arian. hæreſim, in principio, & Orat. 1. contra Arian. circa principium, vbi inter alia inquit, *Dum perpetuò ſcribunt, ſuamet ipſi immutantes, incertam ſuam fidem, vel potiùs certam ſuam infidelitatem, demẽtiamq; oſtendunt*. Quibus conſonant verba Hilarij lib. 3. de Trinit. circa princip. *Hæretici contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes ſe inuicẽ vincunt, nihil tamẽ ſibi vincunt*. Similiter & optimè Author Imperf. Homil. 20. in Matt. & Tertull. in Præſcript. cap. 40. Hanc autem incõſtantiam in Luthero, Caluino, & ſequacibus maximè inuentam eſſe, notarunt ſæpè Doctores Catholici, præſertim Cardinalis Bellarmin. in ſuis controuerſijs, & latè, quàm plurima congerens Coccius lib. 8. ſui Theſauri art. 7. 8. 9. & 10. & Salmer. tom. 1. ad Epiſt. Pauli in Prolegom. diſp. 6. refert, Saxoniæ ducem dicere ſolitum eſſe, ſe quidẽ noſſe; quid præſenti anno ſui crederent, quid autem ſequenti anno credituri eſſent, ignorare.

Baſilius. Athanaſ. Auth. Imperf. Tertull. Bellarmin. Coccius. Salmer.

Atque hanc mutationem in Proteſtantibus Angliæ inuẽtam eſſe, credibile eſt, quia tamen mihi exploratum non eſt, id non affirmo, nec neceſſarium eſt, ſatis eſt enim, quòd adhæreant doctrinæ, quæ cũ illa inſtabilitate incepit, nam in vera fide non eſt, *eſt, & non*, ſed eſt tantùm *eſt*, vt dixit Paul. 2. Corinth. 1. *Paul.*

12. Quartum ſignum.

Quartum ſignum, & in Proteſtantibus fortaſſe maximum, eſt, iactare verbum Dei, corrumpendo, & mutilando illud, de quo etiam multa diximus. Singulariter verò hæreticorum iactantiam B de Verbo Dei deſcribit Vincent. Lyrin. cap. 35. & 37. Elationem verò, & deceptionem in illud exponendo, accuſant Baſilius proximè citatus, & Athan. Orat. 1. & 2. contra Arian. & orat. in id, *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* circa finem, Nazianz. Orat. 51. ſeu epiſt. 1. ad Cledoni. item epiſt. 46. ad Nectarium. Rurſus Orat. 36. aliàs 2. de Filio, & 4. de Theolog. in princip. & deinceps in Orat. 37. poſt medium, & optimè Orat. 42. indicat modum, quo ſolent hæretici verbum Dei infideliter, vel diminutè allegare, dicens, *Tu ea quidem, quæ minuunt, atque ex-* C *tenuant, profers, quæ autem efferunt, prætereris; atq; id quidem expendis, quòd paſſus ſit, quòd autem ſponte, non adiungis*. Plura Auguſtin. lib. 7. Geneſ. ad Liter. cap. 9. & de Vnitat. Eccleſ. cap. 12. & 13. & lib. 2. cõtra liter. Petil. cap. 61. Hilar. optimè lib. 2. de Trinit. in princip. Hieronym. Eſai. 4. & Galat. 1. De mutilatione autẽ Scripturarum eos irridet ſæpè Auguſtinus cõtra Donatiſtas, & optimè, ac generaliter Tertullianus de Præſcript. cap. 17.

Vinc. Lyr. Baſil. Athanaſ. Nazianz. Auguſt. Hilar. Hier. Tertull.

13. Quintum.

Quintum ſignum, omnium euidentiſſimum, & hæreſim apertam inuolues, eſt contemnere Eccleſiam catholicam, eiq; D errorem tribuere, negando eſſe catholicam, ſibiq; hanc vocem attribuendo. De quo videri poteſt Lyrin. c. 26. & Aug. li. de Vnit. Eccleſ. multaq; ſunt in ſuperiobus dicta, & ſimul eſt oſtenſum, quàm ſit hoc proprium Proteſtantium, & Anglicanæ ſectæ. Sextum ad hoc conſequens eſt, Concilijs non acquieſcere ex Athanaſ. Orat. 1. contra Arian, parum à princip. Et perinde eſſe cenſeo, quædã Concilia ſua ſponte admittere, alia verò reſpuere, quia non ipſi acquieſcunt Cõcilijs, ſed potiùs inter illa dijudicant, eaq; ſuo

Vinc. Lyr. Aug. Sextum. *Athanaſ.*

ſuo arbitrio approbant, vel reprobant. Septimum. Septimum huic affine eſt, Patrum authoritatem contemnere, in quo liberrimus fuit Caluinus, qui etiam auſus eſt, Patres phariſæis comparare, ſicut olim fecerunt Donatiſtæ, apud Auguſtinum *Auguſt.* lib. 2. contra liter. Petili. cap. 61. Octauum. Octauum ſignum ſuperioribus conſentaneū eſt, proprio ſpiritu duci, ſiue humano, ſiue ſatanico angeli tenebrarum transfigurantis ſe in angelum lucis. Vnde appoſitè Hilarius lib. 1. de Trinit. hæreticos *Hilarius.* dicit *eſſe ſibi arbitros religionis, cùm religionis opus in ſolo obedientiæ eſſet officio.* vbi alludere videtur ad illud Pauli, *Captiuantes intellectum, &c.* Et lib. 2. in principio de eiſdem ait, *Pro voluntatis ſuæ ſēſu verba Dei interpretari.* Et multa ſimilia habet lib. 3. parum à principio. Et ſæpè *Tertull.* Tertullianus de Præſcriptionib. Aliaq; multa in ſuperioribus adduximus.

14. Nonum. *Nazianz.* Nonum ſignum hæreticę temeritatis eſt, fucata eloquentia cum præcipitatione, & nimia loquendi libertate. De quo Nazianz. Orat. 33. in princip. ſic inquit, *Hi verò vtinam ſicut linguam volubilem habent, atq; in nobilioribus, ac probatioribus verbis inſectandis acrem, & vehementem, ſic etiam in agendo non nihil ſaltem, aut etiā æque, operam collocarent. Id quod ſi facerēt, minùs vtiq; cauillatores eſſent, nec tam abſurdè, atq; inſolenter in verbis, perinde atque in aleæ ludo verſarentur.* De illorum autē in dicēdo præcipitatione legi poteſt Gre*Gregor.* gor. lib. 7. in Iob. cap. 2. Decimum ſignū Decimum ſignum. poteſt eſſe nouitas, antiquæ doctrinæ contraria, ſeu per defectionem ab antiqua fide; de quo ſuprà dictum eſt, & videri poteſt Chryſoſt. homil. 47. in Matt. *Chryſoſt.* Tertull. de Præſcrip. cap. 3. & alij Patres *Tertull.* exponentes illud 1. Ioan. 2. *Ex nobis exierunt.* Vndecimū. Vndecimum ſit nominis catholici amiſsio, & noua ab authore denominatio, de quo, & alijs ſimilibus multa in ſuperioribus. Duodecim. ſignum. Addam verò hic duodecimū, & vltimum à Tertulliano in Præſcript. *Tertull.* cap. 41. traditum, conuerſationis ipſorū hæreticorum, quam ipſe ibi latè deſcribit, *& futilem, ac terrenam* eſſe dicit. Inter alia verò illa maximè verba notanda ſunt, *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes; nunc neophytos collocant, nunc ſeculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligēt, quia veritate non poſſunt.*

A *Nuſquam faciliùs proficitur, quàm in caſtris rebellium, vbi ipſum eſſe illic, promereri eſt. Itaq; alius hodiè Epiſcopus, cras alius, hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus: nam, & laicis ſacerdotalia munera iniungunt.* Hæc igitur ſigna breuiter recenſui, vt cum Proteſtantium moribus, & ſtatu rei Anglicanæ conferri poſſint, nam ſi id prudenti conſideratione fiat, nemo dubitare poterit, quin ſecta illa hæreſis aperta ſit, ac ſubinde profeſſores eius hæretici.

B

CAPVT XXIII.

Anglicanum ſchiſma pertinaciter ſectantes, neque ab hæreſi, neque ab hæreticorum nota excuſari poſſe.

ADVERSVS ea, quę in ſuperiori capite dicta ſunt, procedere poſſunt rationes, quibus Rex in ſua Præfatione ab hæreſis crimine ſe purgare contendit, ideoq; quanti ponderis illę ſint, diligenter inquirēdum eſt. Et priùs quidem in pagin. 39. & 40. negat, ſe eſſe Apoſtatam: deinde contendit, neque hęreticum dici poſſe, verùm hæc à nobis C melius immutato ordine tractabuntur. Quod ergò hæreticus propriè dici non poſsit, *etiam ex Catholicorum regulis,* probat in primis his ferè verbis, *Cùm Patrē, paternumq; auum idem de fide ſentientes habuerim, & in catholicorum Eccleſia nunquā fuerim, etiam ex ipſorum regulis propriè hæreticus dici non poſſum.* Secundò ita virtute argumentatur. Licèt catholicorum ritibus ablutus ſim, & ab illis in religione diſſentiam, hæreticus dici non poſſum, quia de baptiſmi ſubſtantia nulla eſt inter nos lis, neq; vlla in hoc doctrinæ ca- D pite cōtrouerſia, cum omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti baptizemur. Tertiam, & potiſsimam rationem, quam latè ipſe proponit, ita ſummatim colligimus. Rex Angliæ Scripturis ſanctis eam fidē adhibet, quæ à Chriſtiano homine debetur, *& in tria ſymbola fidei libenter iurat,* primaq; quatuor Concilia generalia tanquam catholica, & orthodoxa veneratur, & recipit, & quidquid ad ſalutem neceſſariū quadringētis poſt Chriſtū annis vnanimi conſenſu Patres ſtatuerunt, reprehendere non audet, ſed vel

Marginalia (right): 1. Rationes, quibus Rex ab hæreſis nota ſe liberare conatur, proponuntur. Prima. — *Pag. 40.* — Secunda — Tertia.

vel idem ſentit, aut obmuteſcit; ergò nõ
Pag. 62. poteſt iure cenſeri hæreticus, niſi forte (ait) ab his, *qui pro Deo Papam colunt, cũq; ſic habent, vt ſcripturam loquentem, vt neq; hæreſim aliter definiant, quam opinionem quancunque in cauſis fidei deciſioni Papali contrariam.*

Hæc ſunt, quæ in ſuam defenſionem
2. Rex adducit, & licèt in vltima ratione totum excuſationis ſuæ pondus conſtituat, aliasq; obiter attingat, nullam tamẽ prætermittendam duximus, vt & ipſi Regi, & legentibus omnibus pleniùs ſatisfaciamus, nihilq; intactum relinquere videamur. Priùs vero propter verba Regis vltima duo declaranda ſunt. Primũ, quid ſit hæreſis, quidvè ad illam conſtituendam ſufficiat: ſecundũ, quis ſit propriè hæreticus, & quando conſenſus in aliquem errorem hominem hæreticum conſtituat. Vtramque ex his quæſtionibus attingit Auguſtinus, priorẽ, in epiſt. *Auguſt.* ad QuodvultDeum præambula ad libr. de Hæreſib. & poſteriorem in Præfat. ad eundem librum, & vtranque definire, dicit eſſe difficile, promittitq; in altera illius operis parte inquirere, quomodò ſit definiendus hæreticus, illam tamen partem non ſcripſit, & ita in illo opere vtrumque punctum indeciſum reliquit. Ex alijs autem eiuſdem Doctoris locis, & aliorum Patrum, Theologorumque doctrina, quid in hac materia ſentiendũ ſit, & pro certo habendum, explicare neceſſarium eſt; vt aliquo firmo fundamento, ſine verborum ambiguitate niti poſsit diſputatio.

3. Nomen ergò hæreſis varias ſortitur ſignificationes, etiam in vſu theologorũ, duę verò in pręſenti maximè diſtinguẽdæ ſunt, quia ratione illarum variè à Theologis definitur hęreſis. Poſſunt autem explicari per comparationem ad fidem: nam hęreſis fidei opponitur, ideoq; ſicut interdùm doctrina à Deo reuelata, fides vocatur, ſæpiùs verò aſſenſus, quo talis doctrina creditur, dicitur fides: ita hæreſis interdùm dicitur de ipſa doctrina hæretica, interdùm etiam de aſſenſu voluntariè præſtito tali doctrinæ. Illa enim duo ſine dubio valdè diuerſa ſunt; non minùs in doctrina, ſeu fide falſa, quã in vera, & ex vſu vocis ſatis conſtat, nomen hæreſis ad vtrumq; ſignificandum

Ex varijs hęreſis acceptionibus duæ pręferũtur.

A vſurpari. Cùm enim Paulus Actor. 24. dixit, *Confiteor autem hoc tibi, quòd ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio Patri, & Deo meo,* de doctrina Euangelica loquebatur. Vnde Syriaca verſio, pro *ſecta* habet *doctrinam*, & vox Græca ſignificat *ſecundum viam*, quod propriè dici ſolet de ratione tota alicuius doctrinæ, quam etiam vox *ſecta*, optimè indicat. Noluit autẽ Paulus doctrinam Euãgelicam hæreſim appellare (vt optimè notat Theophyl.) quia non eſt ſecũdum electionem hominum, à qua nomen hæ-
B reſis ſumpta eſt (vt aduertunt Tertull. de Pręſcriptionib. cap. 6. Hieron. ad Galat. 5. & ad Titum. 3. & Iſidor. lib. 8. etymol. cap. 3.) ſed ſecundum Dei voluntatem, & reuelationẽ. Ideoq; in lege Euãgelica, & inter Chriſtianos nomen hæreſis in malam partem accipitur, ſignificatq; doctrinam, quam aliquis homo ſibi eligit, doctrinę Dei repugnantem. Et inde conſequenter electio talis doctrinæ per aſſenſum in illam, vocatur hæreſis, ſunt enim illa duo ita coniuncta, vt facilè ab vno ad alterum tranſitus fiat. Et ita Paulus ad Galat. 5. hæreſes ponit inter
C vitia carnis, vt vertit, & notat Hieronymus iuxta vocem græcam, licèt Latina vulgata *ſectas* vertat, & ad Titum. 3. ait Paulus, hæreticum proprio iudicio eſſe damnatum, conſtat autem hæreticũ ob hæreſim damnari, indicat ergò Paulus, illud proprium iudicium eſſe hæreſim, vbi etiam id ſentit Hieronym. & clariùs Tertullianus dicto cap. 6.

Actor. 24

Tertull.
Hieron.
Iſidor.

Inter Chriſtianos hæreſis in malam partem ſumitur.

Ad Galat. 5.
Hieron.
Ad Tit. 3.
Tertull.

Vt ergò diſtinctiùs vtramque partem 4.
definiamus, priorem vocemus propoſitionem hæreticam, poſteriorem autem hæreſim: nam veriſimile eſt, Eccleſiaſtico vſu, & more peccatum illud, quod eli
D gendo falſam doctrinam, ad credendum illi, ſeu quod ſpontaneo, & libero aſſenſu talis doctrinæ committitur, hæreſim eſſe appellatum, nam hoc vera etymologia vocis magis indicat. Propoſitio ergò hæretica illa eſt, quæ recedit à regula veritatis catholicę, illiq; opponitur, ſeu cõtradicit. Ita docet Auguſtinus libr. de Vera relig. cap. 5. & 6. vbi vocat, *prauam doctrinã à regula veritatis auerſam*, & cap. 7. *Eſt* (inquit) *praua opinio à regula, & cõmunione Eccleſiæ Catholicæ deuiãs*, & orat. cõtra Iudæos, paganos, & Arianos c. 20. vocat

Doctrina fidei contraria aptè hæretica propoſitio vocatur, aſſenſus verò talis doctrinæ hæreſis.

Propoſitio hæretica quid.
Auguſt.

vocat

vocat *hæreticorum errorem contra verã Eccleſiæ Catholicæ fidem*. Similiter Tertullianus de Præſcript.cap.6.dicit eſſe *adulterinam doctrinam, quam quis proprio arbitrio, & electione inducit, vel ab alio inductã amplectitur*. Cùm autem adulterinam vocat,intelligit à Chriſto,vel Eccleſia,ſicut cap.37. dicit, *hæreticos non à Chriſto habere, quod de ſua electione ſectantur*. Et in eodem ſenſu ait de hæreticis. cap.44. *fidem ſtupraſſe adulterio hæretico, Virginem traditam à Chriſto*. Denique communis eſt vſus illius vocis in dicta ſignificatione, neque in illa eſt differentia inter nos, & proteſtantes. Quia verò propoſitio conſtituitur, ſeu definitur hæretica per receſſum à regula, & quia priuatiuè opponitur propoſitioni,ſeu veritati fidei,ideò ad comprehendendam formalem rationẽ propoſitionis hæreticæ,oportet præfigere regulam credendi, & explicare, quid neceſſarium ſit, vt aliqua propoſitio cenſeatur de fide: nam hoc ſemel poſito, facilè conſtabit, aſſertionem contrariam hæreticam eſſe.

(Tertull.)

5. Atque hoc pũctum attigit Rex in vltimis verbis ſuprà citatis, & irridet Catholicos definientes,hæreſim eſſe *opinionem quancunq; in cauſis fidei, deciſioni Papali contrariam*. Oportuiſſet autem, quãdoquidem hæc definitio illi diſplicet, aliam tradere,qua nobis explicaret,quid per hæreſim intelligat, vt ita ſe à macula hæreſis liberum oſtenderet. At proculdubio id nullatenùs explicare poteſt,niſi in labyrinthum incidat,prorſus inextrincabilem, pro regula fidei ſolam Scripturam, eamque propria, & priuata ſcientia certa intellectam,aſsignans. Quę doctrina, vt ſuprà oſtendi non ſolùm viam latiſsimam omnibus erroribus ſternit, verùm etiam, quam pro regula hæreſis aſſignauit Paulus,pro regula fidei catholicæ tradit, vtique proprium credentis iudicium. De hæretico enim ait Paulus, *Subuerſus eſt,qui eiuſmodi eſt, & delinquit, proprio iudicio condemnatus.* Quia, *in quo damnatur,ſibi eligit*, vt addidit Tertullia. *vnde & hæreticus eſt nominatus.* Regula ergo hæreſis eſt proprium iudicium,hoc eſt,communi iudicio Eccleſię contrariũ. Qui verò in proprium ſpiritum fidei certitudinem, verumque ſenſum Scripturę reuocant,nihil aliud,quàm proprium iudiciũ pro regula fidei conſtituunt. Quid enim eſt proprius ſpiritus,niſi proprium iudicium? Aut quomodò diſcernitur ille ſpiritus ab his, qui in illo confidunt, niſi arbitratu ſuo? Confundunt ergò regulã fidei cum fundamento hæreſis, & ideò mirum non eſt, quòd hæreſim pro fide teneant, & fidem, vt hæreſim reijciãnt. Præterquàm quòd (vt in ſuperioribus dicebam) nullum iure poſſunt vt hæreticum damnare, cùm nemo proprium iudicium alterius, eiusvè priuatum ſpiritũ in rebus fidei ſequi teneatur, nemo ergò erit hæreticus, diſcordando à regula fidei, quam illi conſtituunt.

(Ad Tit.3. Tertull.)

6. Doctrina ergò ſolida,& catholica,regulam fidei eſſe dicit Scripturam ſacrã, non ſolam, nec priuato ſenſu intellectã, ſed cum alijs regulis,quæ in ipſa cõmendantur,eamq; conſeruant,diſcernunt,& interpretantur,traditione,inquam,&ipſa Eccleſia,quę eſt viua regula,per quam Spiritus Sanctus loquitur,eamque regit & facit,vt ſit columna, & firmamentum veritatis. Et idcircò licèt Scriptura, & traditio purum, ac verum verbum Dei contineant, quod eſt primaria regula fidei, nihilominùs, quia Eccleſia eſt, quæ ſcripturas, traditiones, & ſenſus illarum infallibiliter nobis explicat,&proponit, ideò ſolet à Patribus tanquam ſufficiens regula fidei cõmemorari. Vnde Irenæ. lib. 3. contra Hæreſ. cap. 4. *Non oportet apud alios quærere veritatem, quam facilè eſt ab Eccleſia ſumere*, & cap. 11. in fine, præfert ſpiritum Eccleſiæ omni priuato ſpiritui,& lib.4.cap.43.& 45.in ſola Eccleſia eſſe veram traditionem,veramque Scripturæ intelligẽtiam. Cyprian.epiſt. 73.ait,Eccleſię catholicæ doctrinãm firmiter tenendam eſſe,& docendam,& latè epiſtol.76. Auguſtinus etiam paſsim vtitur hac ſola Eccleſiæ regula ad confirmandas veritates fidei,vt ex locis proximè allegatis conſtat. Et ex lib. de Hæreſib.in fine, vbi ait, ſatis eſſe ſcire, Eccleſiam contra aliquam doctrinam,vt à fide alienam ſentire, vt à nullo fideli recipiatur. Idem optimè lib. 1. contra Creſconium cap.32.& 33.& epiſt.48.& alijs libris contra Donatiſtas, item epiſt.99. & in epiſt.118.cap.5. *diſputare contra doctrinam vniuerſalis Eccleſiæ, inſolentiſsimæ dementiæ eſſe*, dicit. Eandem pro regula fidei,

(Vera fidei regula ſtatuitur. Irenæus. Cyprian. Auguſt. Idẽ Aug.)

dei, & veræ doctrinę ponit lib. de Vera relig. cap. 5. 6. & 7. & lib. 1. de Moribus Eccleſ. cathol. cap. 30. lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 23. & grauiſsimè lib. de Vtilit. credendi cap. 17. vbi de Eccleſia inquit, *Culmen authoritatis obtinuit, cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis ignorantiæ*. Pluraq; alia tum ex Sanctis, & antiquis Patribus, tùm ex Scriptura ipſa in ſuperioribus adduximus.

7. Propoſitio, quæ ab Eccleſia tãquã de fide credenda proponitur, eſt de fide.

Ex quibus breuiter inferimus, illam propoſitionem eſſe de fide, quam Eccleſiæ Catholicæ authoritas nobis tanquam de fide credendam proponit: in hac enim regula continentur omnia, quæ vel in Scriptura ſunt, vel in Concilijs approbatis ſunt definita. Vnde è contrario, propoſitio hæretica illa eſt, quæ contraria eſt Eccleſię definitioni, ſeu alicui propoſitioni per Eccleſiam definitæ modo explicato. Loquuti autem ſumus de Eccleſia, eiuſque definitionibus, vt à quæſtione de poteſtate Pontificis Romani ad definiendas veritates fidei, quam Rex videtur ſuis verbis inuoluere voluiſſe, nunc abſtineamus, ne à ſcopo, & intentione noſtra diuertamur. Etſi enim veriſsimum ſit, definitionem Pontificis ex cathedra loquentis infallibilem veritatẽ continere, omneſque fideles teneri ad illam firmiter credendam, hoc tamen diuerſum nõ eſt ab eo, quod diximus, nam cùm Pontifex definit, Eccleſia per caput ſuum loquitur, neque corpus ſeparatur à capite, nec caput à corpore, quia verò magis limitatum eſt, nam Eccleſia etiam alijs modis poteſt veritates fidei proponere, approbante etiam Pontifice, vt per Concilia generalia, & per vniuerſalem conſenſionem Eccleſiæ, ideò ad comprehendendum omnia, & ad vitandas controuerſias, generaliùs loquuti ſumus. Nam definitiones eſſe debent, quoad fieri poſsit, communes, & extra controuerſiam. Ita ergò pro loci opportunitate ſatis videtur explicatum, quid ſit hęreſis quoad materiam, ſeu quid ſit propoſitio hæretica.

Definitio Põtificis eſt infallibilis veritatis.

8. Hæreſis definitio.

Ex his autem, quæ de propoſitione hęretica dicta ſunt, facilè definiri poteſt, quid hæreſis ſit, prout opus eſt, ſeu vitiũ hominis. Eſt itaque hæreſis deliberatus aſſenſus, ſeu credulitas alicuius hæreticæ

A propoſitionis. Et in idem reddit, quod ſcholaſtici dicunt, eſſe falſam opinionẽ circa ea, quæ ſunt fidei. Itaque tam doctrina fidei, quàm illi contraria poteſt dici materia, circa quam hæreſis verſatur, diuerſo tamen modo, doctrina quidem fidei, deficiendo ab illa, ſeu illam falſam iudicando; contraria verò doctrina, eligendo illam vt veram, eique fidem adhibendò. Dicimus autem, hęreſim eſſe voluntarium aſſenſum, tùm quia hæreſis iuxta nomen ſuũ, ex electione propria, & arbitraria procedit, tùm etiam, quia hæreſis in malam partem accipitur; ita vt non tantùm falſum aſſenſum mentis, ſed etiam culpam, lapſumque voluntatis inuoluat; ideoque (vt mox dicemus) licèt quis erret, aſſentiendo propoſitioni fidei contrariæ, non incidit in hæreſim propriam, id eſt, aſſenſus eius non cenſebitur hæreticus, ſeu propria hęreſis, niſi repugnantiam cum fide catholica cognoſcat, & ea non obſtante, talem doctrinam vt veram eligat, & credat. Et hac ratione dixit Paul. ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam admonitionem deuita*. Quanuis enim Paulus non rationẽ, ſeu ſubſtantiam hæreſis tradat, ſed modum cauendi hæreticos doceat, inſinuat nihilominùs propriam hæreſim non cõmitti, donec aliquis ſciat, ſufficienterque aduertat, qualis ſit doctrina, quam eligit.

Explicatur definitio.

B

Ad Tit. 3.

C

Hæc ergò conditio ex parte aſſentiẽtis neceſſaria eſt, ex parte verò materiæ generatim dicimus, hęreſim eſſe aſſenſum de re fidei contraria. Quia materia fidei multiplex eſt, ſunt enim in ea dogmata ad Deum, vnum, & trinum, eiuſq; attributa pertinentia, alia ad Chriſti humanitatem, eiuſque cum verbo hypoſtaticam vnionem, & in vniuerſum ad hominum redemptionem ſpectantia, & cum his connexa ſunt ea, quę ad Eccleſiæ Catholicæ inſtitutionem, & hierarchiam, eiuſque ſacramenta, mores, & cęremonias, nec non ad veram remiſsionẽ peccatorum, veramque iuſtitiam, præmiumque, & pœnam humanorum operum ſpectant: dùm ergò materiam fidei in hæreſis definitione indefinitè ponimus, omnia prædicta dogmata complectimur. Vera enim, & propria hæreſis in quocumque dogmate fidei committitur. Nam ſi à Deo reuelatum ſit, eadem

9.

D

ſidei

Quicunque aſſenſus cui libet dogmati fidei cõtrarius totam fidem deſtruit.

ſidei certitudine credendum eſt, in quacumque materia verſetur. Vnde etiam fit, vt ad veram hæreſim, quæ totam fidẽ deſtruat, voluntarius aſſenſus vni tantũ dogmati fidei contrarius in quacumque materia ſufficiat. Quia vnicum mendacium, etiam in re minima ad fidem pertinente, ſupremam Dei authoritatem deſtrueret, & quælibet aſſertio falſa, ſi inter dogmata fidei inueniri poſſet, reliqua omnia incerta, & ambigua redderet, ac proinde quilibet aſſenſus cuicunq; dogmati fidei contrarius, hęreſis eſt, penitùs deſtruens fidem. Vnde Paulus ſcribens ad Galatas, qui circa obſeruationem legaliũ falſam opinionem, & Euangelio contrariam eligere volebant, licèt in alijs myſterijs fidei nõ errarẽt, *Euacuati eſtis* (inquit) *à Chriſto, qui in lege iuſtificamini.* Et infrà, *Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire, perſuaſio hæc non eſt ex eo, qui vocat vos, modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, Per quæ verba indicat, illum errorem (ſi in eo pertinaces eſſent) fuiſſe ſufficientẽ ad euacuandam, & corrumpendam totam illorum fidem. Sic etiam ſchiſma Donatiſtarum in hæreſim tranſijt, pertinaci animo adhærendo vni, vel alteri errori in materia baptiſmi, vel Eccleſiæ, etiam ſi in alijs rebus fidei non errarent, vt ex Cypriano, & Auguſtino ſæpè retuli, & in ſequenti puncto iterũ confirmabo.

10. Propria hęretici definitio traditur Origen. *Ad Tit. 3.*

Tandem colligitur ex dictis, quis propriè, & in rigore hæreticus dicatur, eſt enim ille, ex Origen. in id ad Titum. 3. *Hæreticum hominem, &c.* apud Pamphil. in Apolog. *Qui ſe Chriſto credere profitetur, & aliquod dogma in Eccleſiaſtico ordine receptum commutare, vel ſubuertere conatur.* Sumiturq; ex Paulo dicto loco ad Tit. 3. iuncta expoſitione Patrum, & communi conſenſu Doctorum, & recepto vſu illius vocis in Eccleſia. Nomen enim hęretici non omnibus infidelibus tribuitur, ſed illis tantùm, qui Chriſtum confitentes, eius fidem ex parte negant, nam cæteri infideles Iudęi potiùs, Pagani, aut gentiles appellantur. Eſt ergò hæreticus ille, qui ſub nomine Chriſtiano (nam Chriſtum ſe credere dicit) veritatem fidei Chriſti corrumpit, aliquid contra illam ſentiendo. Oportet autẽ, vt ex propria electione, & cum ſufficienti cogni-

A tione, & iudicio hoc faciat, nam ſi per ignorantiam, vel incogitantiam error cõtingat, hæreticum non conſtituit, quia nondùm proprio iudicio damnatus eſt, neque propriam hæreſim commiſit. Et hac ratione Auguſtinus ſæpè diſtinguit inter hæreticum, & credentem hęreticis. Librum enim de Vtilit. credendi, ſic orditur, *Si mihi ò Honorate vnus, atque idem videretur eſſe hæreticus, & credens hæreticis homo, tam lingua, quam ſtylo in hac cauſa mihi eſſe conquieſcendum arbitrarer. Nunc verò inter hæc duo plurimum intereſt, quandoquidem hæreticus eſt, vt mea fert opinio,* B *qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq́; ſui gratia falſas, vel nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur.* (vtique in materia fidei:) *ille autem, qui huiuſmodi hominibus credit homo eſt imagine quadam veritatis, ac pietatis illuſus.* In priori namque membro ſignificare voluit Auguſtinus, vt homo errando in fide, conſtituatur propriè, & ſimpliciter hæreticus, neceſſarium eſſe, vt propria electione, & videns, ſe ab vniuerſali Eccleſia diſſentire, in errorem ſe pręcipitet, & quia hoc moraliter non fit, niſi propter humanum vitiũ, ſeu motiuum, ideò C illas particulas poſuit Auguſtinus in definitione hæretici, quæ magis occaſionẽ, ſeu cauſam voluntariè errandi, quàm intrinſecam conditionem hæreſis declarant. In altero autem membro docet, errorem ex ignorantia, quòd fidei, aut Eccleſiæ repugnet, non conſtituere hominem hęreticum. Quod erit longè certius, ſi talis ignorantia probabilis (vt aiunt) ſeu inuincibilis ſit, ſi verò ſit ex graui negligentia, & nimia facilitate, non excuſabit omninò culpam, excuſabit nihilominùs eum gradum, & magD nitudinem culpæ, quæ ad conſtituendum, ſeu ſimpliciter denominandum hęreticum, iuxta communem vſum ſapiẽtum, & totius Eccleſiæ, ſufficiat.

Comprobatur definitio ex Aug.

11. *Auguſtin.*

Eandemque doctrinam habet idem Auguſtinus Epiſtola 162. in principio dicens, *Qui ſententiam ſuam, quamuis falſam, atque peruerſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint,*

u enerint, nequaquã ſunt inter hæreticos deputandi. E cõtrario verò lib. 18. de Ciuit. c. 51. ſic inquit, *Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, prauumque ſapiunt, ſi correpti, vt ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici ſunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.*

Auguſt. Denique libro quarto de Baptiſm. capite decimo ſexto, adhibito exemplo, vtrunque membrum declarat, dicens, *Cõſtituamus duos, vnumque eorum id ſentire de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, & in eius hæreſi baptizari extra Eccleſiæ communionem; alium verò hoc idem ſentire, ſed in Catholica baptizari, exiſtimantem iſtam eſſe catholicam fidem. Iſtum non dum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ fidei, reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, eligere, quod antequam fiat, manifeſtum eſt, illum, qui foris baptizatus eſt, eſſe peiorem.* Quæ teſtimonia ideò refero, quia multa in eis notari poſſunt, quæ in præſenti cauſa magnum pondus habent, vt ſtatim etiam indicabo. Eſt ergò, teſte Auguſtino, neceſſaria pertinacia in hæreſi, vt qui illam eligit, hæreticus habeatur. Et hanc pertinaciam per verbum *eligẽdi* ſignificauimus cum Hieronymo ad Titum cap. 3. & Tertulliano dicto capite ſexto de Præſcription. hæreticorum, qui propterà libro primo contra Marcion. capite primo ſignificat, illum eſſe maximè hæreticum, qui à priori fide recedit, *& Deum, quem inuenerat, extincto lumine fidei ſuæ, amiſit, vt hinc iam deſtinari poſſit hæreticus, qui deſerto quod priùs fuerat, id poſteà ſibi elegerit, quod retro non erat. In tantum enim hæreſis deputabitur, quod poſteà inducitur, in quantum habebitur, quod retro, & à primordio traditum eſt.*

Hieron.
Tertull.

12.
Loquutus ſum autem in deſcriptione in ſingulari de dogmate, vel aſſenſu fidei contrario, vt denotarem ad hæreticum conſtituendum ſatis eſſe, quod vel in vna re tantum à doctrina Catholicæ Eccleſiæ voluntariè diſſentiat. Quod ex dictis de hæreſi ſatis per ſe clarum eſt. Idque latè tradit Origen. in dicto loco ad Titum. 3. recenſendo multa ſpecialia dogmata, quæ ad cauſam præſentem magna ex parte pertinent, adijciens, vnũ

[illegible]um dog [illegible] fidei cõ [illegible] ad hæreticum [illegible] [illegible] ſſire [illegible] robatur [illegible] tribus.
Origen.

A illorum ſufficere ad conſtituendum hominem hæreticum. Auguſtinus etiam in locis allegatis licèt interdum, in plurali loquatur de illo, qui falſas, vel nouas opiniones gignit, aut ſequitur, ſæpius in ſingulari loquitur, de illo, qui per uerſam ſententiam, vel aliquid morbidum pertinaciter defendit. Vnde libro de Hæreſib. in fine duas claſſes hæreticorum his verbis diſtinguit. *Sunt hæretici, quod fatendum eſt, qui ſingulis, vel non multò ampliùs dogmatibus oppugnant regulam veritatis, ſicut Macedoniani, vel Photiniani, & quicumque alij ita ſe ſe habent.* B *Alij autem (vt ita dixerim) fabulones, id eſt, qui fabulas vanas, eaſdemq́; longas, perplexaſque contexuerunt, tam multis falſis dogmatibus pleni ſunt, vt ipſi quoque illa numerare non poſſint, aut difficillimè poſſint.* Et profectò Lutherus, Caluinus, & ſimiles in hoc poſteriori ordine ponendi ſunt, tot enim multiplicarunt errores, & tam confusè, & inconſtanter eos tradiderunt in cõtrouerſijs de Eccleſia, de fide iuſtificante, de neceſsitate operũ, libertate arbitrij, ſacramẽtis, & ſimilibus, vt vix numerari, vel percipi poſsint. Henricus C item VIII. Rex Angliæ, ſi mente credidit, iure potuiſſe facere, quod facto vſur pauit, inter hæreticos primi ordinis numerandus erit, cùm in vno ſaltem dogmate contra Catholicam Eccleſiam ſentire, elegerit. Quòd enim vnum dogma ſufficiat, patet facilè ex dictis: hæreticus ſiquidem ab hęreſi denominatur, quia illam amplectitur, vel cõmittit, ſed ad hæreſim ſufficit vnum falſum dogma, ſeu voluntarius aſſenſus illius; ergò etiã ſufficit ad hęreticum conſtituendum. Item vnum falſum dogma deſtruit totam fidem, & voluntarius aſſenſus eius, etiam D ſi vnus tantùm ſit, & in vna ſola materia, totam fidem diuinam in tali homine deſtruit; ergò conſtituit illum verè hæreticum. Denique conſtituit infidelem, & non in altera ſpecie, vt conſtat; ergò cõſtituit hæreticum.

Auguſt.

Ratione idẽ probatur.

Ex his ergò principijs, quæ certiſsima ſunt, & Rex Iacobus negare non poteſt; ſi ſapere velit; ipſe de ſe iudicium præferat, an à ſe ipſo damnatus ſit, vt more Tertulliani, & Cypriani loquar. Nos enim ſummopere cupimus, Regem hæreticum non eſſe, & fugimus nomi- 13.

Tertull. de Præſcript. cap. 6.
Cypr. epiſt. 55. in fine.

nominare, ſcimus enim, Auguſtinum cum Pelagianis diſputantem dixiſſe, *Poſſemus forſitan, ſi vellemus, eos hæreticos appellare, nec tamen appellamus.* Non tamen propterea omittebat, veritatem eis oſtendere, & conſcientiam illorum conuenire, & omnibus modis conuincere, vt corriperentur, & ad meliorem mentem redirent. Optimamque reddit rationem, *Quia in rebus nondum plena Eccleſiæ authoritate firmatis ferendus eſt error, non tamen progredi debet, vt etiam fundamentum ipſum Eccleſiæ quatere moliatur. Non expedit. Adhuc forte non eſt reprehendenda patientia, ſed debemus timere, ne culpetur etiam negligentia.* Quandoquidem igitur nos in ea cauſa cum Rege Iacobo contendimus, in qua fundamentum Eccleſiæ quatere molitur, ſimili etiam affectu, impari quanuis ingenio, vel authoritate, ſtatum eius demonſtrare ſtudemus, non vt illum hæreticum vocitemus, ſed vt ipſe reſipiſcat, & videat, ne ſit, quod appellari meritò recuſat. Nam profectò excuſationes eius nullius momenti, vel ipſimet Regi perpendenti apparebunt. Nullaque alia (procul dubio) excogitari poteſt, qua rationes, & probationes adductæ eludantur.

Auguſt. ſer. 14. de Verb. Apoſt. cap. vlt.

CAPVT XXIIII.

Rationes quibus Rex hæretici maculam fugere ſtudet, refelluntur.

1. IN prima igitur ratione ſua duo excuſationis capita Rex indicat; vnum, quod Patrem, & auum Paternum eiuſdem ſectæ, quam ipſe nunc profitetur, habuerit: alterum, quod in Catholica Eccleſia nunquam fuerit. In priori capite omittendum illud cenſui, quod ad veritatem hiſtoriæ pertinet, quia multi, vel illud negant, vel in dubium reuocant: Nam cùm Rex neque Patrem, neque auum cognouerit, quos ante vſum rationis amiſit, & ab hæreticis educatus, & inter eos ſemper conuerſatus fuerit, facilè potuit hac in re ab eis decipi, vt ipſum in errorem ſuum faciliùs inducerent. Veruntamen quidquid Auus, vel Pater eius de fide ſenſerint, eorum lapſus propriam hæreſim non excuſabit, ſi poſt ſufficientem monitionem, & inſtructionem, illam non correxerit. Relegat quæſo, ſententiam Auguſtini paulo anteà citatam ex Epiſtola 162. vbi loquens in ſpecie de illis, qui falſam, & peruerſam credunt doctrinam, quam non audacia ſua pepererunt, ſed à ſeductis, atque in errorem lapſis Parentibus acceperunt, tunc ſolùm eos inter hæreticos non deputat, quando non pertinaci animo talem doctrinam defendunt, ſed de veritate ſoliciti, parati ſunt, errorem corrigere. E contrario verò in alijs locis ſine vlla diſtinctione vt hæreticum damnat pertinacem in errore, ſiue illum per ſe inuenerit, ſiue à falſo doctore, ſiue à parente didicerit. Quod etiam ratio ipſa manifeſtè oſtendit, nam parentis error, quando iam à prole diſcerni poteſt, ipſius culpam non excuſat, quin potiùs accuſat. *Auguſt.*

2. Quod verò Rex addit, nunquam in eadem Eccleſia cum Catholicis fuiſſe, in primis ex confeſsione eius, addito vero Theologiæ principio, negari meritò poteſt. Ipſe enim fatetur, ſe fuiſſe ritu catholico baptizatum, cùm adhuc ſub cura, & poteſtate ſereniſsimæ Reginæ, & Catholicæ matris exiſteret; ex his autem principijs manifeſtè concluditur, ipſum fuiſſe ſpiritualiter genitum in Eccleſia Catholica, non in hæreticorum ſynagoga, quia & baptiſmus, quo fuit regeneratus eſt proprium donum Eccleſiæ Catholicæ, licèt interdum ab hæreticis poſsideatur, & miniſtretur, vt ait Auguſtinus libro primo de Baptiſmo, capite decimo, & ſereniſsima ipſius mater, ſub cuius poteſtate tunc erat Rex, vnita erat Eccleſiæ Catholicæ, vt membrum eius per fidem, quam profitebatur; ergò etiam filius regeneratus eſt Eccleſiæ, tanquam eiuſdem membrũ. Imò quanuis nullus ex parentibus eſſet Catholicus, per ſolum baptiſmum ritè miniſtratum, & non indignè receptum factus eſſet Eccleſiæ Catholicæ membrum, quia veram iuſtitiam, & fidem Chriſti per baptiſmum accepit, ſimul cum Chriſti charactere; ergò coniunctus fuit Eccleſiæ per ſacramentum fidei, & per fidem ſacramenti, quod ſatis omninò eſt, vt fuerit membrum eius.

Regem Iacobũ in Catholica Eccleſia aliquãdo fuiſſe, probatur.

Auguſt.

Catechumenus ritè ab hæretico baptizatus verè membrũ Eccleſiæ efficitur.
Auguſt.

Sicut etiam catechumenus verè fidelis, & catholicus, ſi propter neceſsitatem ab hæretico baptizetur cum vera fide, & conuenienti diſpoſitione, plenè ſanctiſicatur, & vnitur Chriſto vt capiti, & Eccleſiæ Catholicæ vt corpori eius, iuxta doctrinam Auguſtini lib. 1. de Baptiſm. cap. 2. ergo idem ſentiendum eſt de infante, etiamſi à miniſtro hæretico, & ſub parentibus hæreticis baptizetur. Quia licèt miniſtri, vel parentes errent priuato errore, nihilominùs baptizatur in fide veræ Eccleſiæ, & per eandem fidem, quam in baptiſmo accipit infuſam, membrum eiuſdem Eccleſiæ efficitur, etiam ſi ſub poteſtate alienorum, & hoſtium Eccleſiæ detineatur. Quandiù ergò Rex Angliæ baptiſmalem iuſtitiam, & fidem non amiſit, in Eccleſia Catholica fuit: nam ab illa fuit regeneratus, iuxta doctrinam Auguſtini libr. 1. de Baptiſmo, cap. 10. & ab eadem habuit characterem, & fidem, qua ſibi illum coniunxit. Nam in illa ætate, quæ actus fidei capax non eſt, ad prædictam vnionem, habitus ſufficit, cùm etiam ad vnionem cum Chriſto ſufficiat; ergò ex illo capite excuſari non poteſt, quominùs amittendo poſteà fidem per proprium actum hæreſis, ab Eccleſia Catholica defecerit.

3\.
Poteſt aliquis eſſe hęreticus, etiã ſi in Eccleſia catholica nũquam extiterit.

Et quanuis hæc veriſsima ſint, addi prætereà poteſt, poſſe aliquem eſſe verè, & propriè hæreticum, etiam ſi nunquam in Eccleſia Catholica fuerit. Nam ſiquis à principio inſtructus fuit ab hæreticis non ritè baptizantibus, poſteaq́; in errore ſemel concepto poſt ſufficientem animaduerſionem pertinaciter duret, verè ſit hæreticus, quia incipit eſſe infidelis ſub nomine Chriſtiano, & tamen ille nunquam fuit in Eccleſia, quia neque verum baptiſmum, neque veram fidem in habitu, vel in actu habuit. Et hoc modo docent interdùm Concilia, & Patres, vt hęretici non ritè baptizati venientes ad Eccleſiam per baptiſmum recipiantur, vt de Paulianiſtis ſtatuit Concilium Nicænum canon. 19. Erant ergò illi hæretici, quanuis anteà nunquàm in Eccleſia Catholica fuiſſent. Ratio verò eſt, quia de ratione hæretici non eſt, vt ſit verè baptizatus, ſed ſufficit, quod cùm Chriſtum confiteatur, in ipſius fide pertinaciter contra Catholicam Eccle-

Conc. Nic.

A ſiam ſentiat. Quin potiùs licèt aliquis non ſolùm verè baptizatus non ſit, verùm etiam nunquam fuerit Catholicus, poteſt eſſe hæreticus, ſi cognoſcendo, & confitendo Chriſtum, veram eius fidem non integrè profiteatur. Hoc enim ſatis eſt ad infidelitatem hæreſis, etiamſi perſona ſic errans nunquam fidem Catholicam priùs profeſſus fuerit, & ab illa poſteà diſceſſerit: nam hoc ad circunſtantiam Apoſtaſiæ neceſſarium eſt, non ad propriam maculam hæreſis, quæ ſine illa circunſtantia inueniri poteſt iuxta do-

B ctrinam Diui Thomæ 2. 2. q. 11. & 12. Loquimur autem de hæretico quoad culpam, non quoad pœnas Eccleſiæ, quia vt illas inccurrat, characterem baptiſmi habere oportebit, per ſe loquendo, vt latiùs in dict. loco de Infidelitate tractatur. Hoc ergò nunc ſatis fuerit ad oſtendendum, Regis excuſationem, neque in eo, quod aſſumit, neque in illatione fundamentum habere.

In ſecunda etiam excuſatione non rectè Rex colligit, nam licèt quiſpiam ritè baptizatus ſit, nullumque errorem circa baptiſmum, nullamvè controuer- 4. Refellitur ſecunda Regis ratio.

C ſiam in ea materia cum Catholicis habeat, nihilominùs propter errores in alijs articulis fidei pertinaciter conceptos, poteſt eſſe hæreticus. Aliàs neque Arius, neque Lutherus, neque alij ſimiles fuiſſent hæretici: nam fuerunt ritè baptizati, & circa baptiſmum, vel ritum eius controuerſias non excitarunt, ſed propter alias hæreſes hæretici facti ſunt. Ad præſentem ergò cauſam parùm refert, quòd Rex fuerit ritè baptizatus, & quòd de baptiſmo controuerſiam nobiſcum non habeat, ſed conſiderandum eſt, num in alijs rebus fidei à Catholica Eccleſia

D diſſentiat. Nam, vt Auguſtinus (aliud agens) dixit, *Non ſacramenta Chriſtiana te faciunt hæreticum, ſed praua diſſenſio.* Alloquiturq́ue Donatiſtas, de quibus paulò poſt dicit, *Nobiſcum eſtis in baptiſmo, in ſymbolo, & in cæteris ſacramentis Dominicis, in ſpiritu autem vnitatis, & vinculo pacis, in ipſa deniq́ Catholica Eccleſia nobiſcũ non eſtis.* Quælibet ergò diſſenſio ab Eccleſia Catholica in doctrina fidei facit hęreticum eum, qui in Chriſtum credere profitetur, etiam ſi nec baptiſmo careat, nec circa baptiſmum erret.

Auguſtin. epiſt. 48.

Supe-

5. Diluitur vltima ratio.

Supereſt vltima ratio, in qua Rex ea, quæ credit, enumerat, vt indè ſe catholicum eſſe comprobet. Sed profectò non rectè colligit, tùm quia nec ſufficienter credit ea, quæ enumerat, neque ſufficiẽter enumerat, quæ Catholicus credere deberet. Primùm itaque ait, ſe fidem adhibere Scripturis ſanctis: ſed quibus? non omnibus, quas Catholica Eccleſia approbauit, ſed quas ipſe ſibi elegit, credendas; ergò fides, quam Scripturis adhibet, catholica non eſt: nam catholica fides vniuerſalis eſt, & non aliũdè, quàm ab Eccleſia Catholica, teſte Auguſtino, recepit ſcripturas. Deinde quem ſenſum Scripturæ ſanctæ ſua fide credit? Quem nempe ſua certa ſcientia inueniſſe ſe credit. Non ergò per fidem catholicam ſcripturis credit: nam fides Catholica proprio iudicio, & priuato ſpiritu nequaquam nititur, ſed Eccleſiæ Catholicæ in exponendis Scripturis regulam tenet. Verùm hæc in ſuperioribus latè tractata ſunt.

6. Ad veram fidei confeſſionem non ſufficiunt ſymbola, abſque catholico ſẽſu credita.

Secundò numerat Rex Symbola fidei, in quæ ſe iurare dicit. Sed de his (vt ſuprà etiam notaui) interrogandus eſt, an in omnibus illa Symbola recipiat in eo ſenſu, quo Catholica Eccleſia illa recipit: nam ſi hoc affirmare non audet, (quia re vera non ita eſt) tenere, aut iurare literam Symboli non ſatis eſt, vt ſe Catholicum oſtendat. Sententia eſt Cypriani Epiſtola 76. ad Magnum, vbi cùm dixiſſet, ſchiſmaticos, vtique hæreticos, gentilibus adæquari, ſubiungit. *Quòd ſi aliquis illud opponat, vt dicat, eandem Nouatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem Symbolo, quo & nos baptizare, eundem noſſe Deum Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum Sanctum, ac propter hoc vſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe, quòd videatur in interrogatione baptiſmi a nobis non diſcrepare: ſciat, quiſquis hoc opponendum putat, primùm non eſſe vnam nobis, & ſchiſmaticis ſymboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cùm dicunt, credis remiſsionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Eccleſiam, & cæt.* In qua Cypriani ſententia ſolùm pondero ad profeſsionem, & veram fidei confeſsionem non ſatis eſſe recipere verba Symboli, vel in ea iurare, niſi in ſenſu catholico credantur, neque ſatis eſſe (vt etiam ſubiungit Cyprianus) confiteri Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum etiam in ſenſu catholico, ſi alij articuli de remiſſione peccatorum, & de vna ſancta, & Catholica Eccleſia in peruerſo retineantur ſenſu, ſicut conſtat intelligi à Proteſtantibus. Nam ex dictis ſuprà de Eccleſia manifeſtè liquet, quantum in articulo de Eccleſia omnes illi errent, quod nunc nobis ſufficit: nam de alijs articulis non eſt hìc diſputandi locus.

Cyprian.

A

B

Tertiò numerat Rex quatuor prima Concilia Generalia, eaque dicit ſe tanquam Catholica, & orthodoxa venerari. Vbi etiam ſtatim interrogandum occurrit, cur hæc potiùs, quàm quintum, vel ſextum, vel alia authentica vſque ad Concilium Tridentinum recipiat? Nam ſi externam ſpeciem, ſeu ſolennitatem (vt ita dicam) ſpectemus, non minor fuit poſterioribus Concilijs generalibus, quàm illis quatuor primis, nam eadem authoritate Pontificia congregata, & confirmata fuerunt, & conuocatio æquè vniuerſalis fuit, & concurſus, vel æquè frequens, vel interdum maior, vel ſi aliquandò fuit minor, parùm refert, idem ſiquidem contigit in quatuor primis Concilijs, hocque accidentarium prorſùs eſt ad Concilij vniuerſalitatem, idemque cum proportione dico de ſapientia, aut ſanctitate perſonarum ad Concilia venientium, ea que celebrantium. Si autem in Concilijs conſideremus internam, & primariam virtutem eorum, quæ eſt aſsiſtentia Spiritus Sancti, & hanc credit, & recognoſcit Rex in quatuor primis Concilijs, & ideò illa veneratur, cur non credit, & recognoſcit eandem in poſterioribus Concilijs, & pari veneratione ea recipit? Certè non videò, quid reſpondere poſsit, niſi vel poſt tempora quatuor primorum Conciliorum Eccleſiam Catholicam iam perijſſe, & à vera fide defeciſſe, & ideò Concilia illius quantumuis generalia, iam non fuiſſe vera Concilia, ſed congregationes perfidorũ, vel ſe, & ſuos per priuatum ſpiritum proprium poſſe diſcernere inter vera, & falſa Concilia, & per illum approbare

7. Omnia authentica Cõcilia æquali certitudine recipienda ſunt.

C

D

 qua-

quatuor prima, & non reliqua. Sed de his, & ſimilibus reſponſis, quàm vana, & voluntaria, quàmque per ſe incredibilia, apud quencunque virum prudentem, quàm denique erronea, & non ſolùm Sanctis Patribus, ſed etiam Scripturis ſanctis contraria ſint, ſatis eſt à nobis in ſuperioribus demonſtratum.

8. *Præcluditur euaſio quędam Regis.* Fortaſſe aliud fuit Regis conſilium illa potiùs venerandi Concilia, quàm alia, non quia aſsiſtentiam Spiritus Sancti veris Concilijs credat eſſe promiſſam, neq; etiam quia crediderit errare non potuiſſe, ſed quia iudicat, de facto non erraſſe, ſed conſentaneè ad Scripturas ſacras docuiſſe, quod de alijs Concilijs non iudicat. Quòd ſi ita de Concilijs ſentit, hoc non eſt credere Concilio generali tanquam regulæ fidei, ſed eſt proprio iudicio approbare Concilium, & reprobare; hoc autem modo recipere Concilia ad humanam opinionem potius, quàm ad fidem pertinet. Et hinc etiam prouenire videtur, vt Proteſtantes non plenè, & integrè illa Concilia recipientes, venerentur, ſed in ea tantùm parte doctrinæ, quæ illis non contradicit, non tamen in alijs decretis præſertim moralibus, neq; in modo deducendi veritatem ex traditionibus Eccleſiæ, & conſenſu Patrum, neque in recognitione Sedis Apoſtolicæ Romanæ, cui ſemper primas deferũt, vt eruditè notauit in ſua Apologia doctiſsimus Cardinalis Bellarminus cap. 7. & iuxta occurrentes occaſiones in ſequentibus declarabimus.

9. Quartò denique commemorat Rex Patrum conſenſum vnanimem, eorum videlicèt, qui quadringentis, vel quingentis annis poſt Chriſtum fuerunt. Vbi ſtatim occurrit eadẽ obiectio, quia gratis, ſoloque arbitrio ſuo diſcernit inter Patres maioris, vel minoris antiquitatis, cùm multi tempore inæquales, nec ſanctitate, nec ſapientia fuerint inferiores, & (quod caput eſt) in rebus ad fidem & ſalutem pertinentibus à veſtigijs antiquiorum non diſceſſerint, vt Gregorius Magnus, Gregorius Turonenſis, Iſidorus, Ioannes Damaſcenus, Venerabilis Beda, Remigius, Petrus Damianus, Anſelmus, Bernardus, Thomas, Bonauentura, Laurentius Iuſtinianus, & alij ſimiles. Deinde inter illos anti-

A quos Patres meritò numerantur Dionyſius, & Ignatius, quos Proteſtantes aliqui non ſolùm non admittunt, ſed etiam conuitijs onerant. Deinde Leoni. 1. & Innocentio primo, & alijs Sanctis illorum temporum Pontificibus nihil ferè deferunt, ſolùm quia Pontifices fuerũt, licèt non minori ſapientia ſcripſerint. Denique Patres etiam alios, quotieſcumque perſentiſcunt ſibi contrarios, facilè reijciunt, vel negando, eſſe eorum ſcripta, licèt eorum nomine circunferantur, vel ipſis errorem attribuendo.
B Vnde etiam ipſe Rex in hoc puncto non profitetur, ſe credere omnia, quę illi Patres vnanimi conſenſu docuerunt, etiam de rebus ad ſalutem neceſſarijs, ſed ſolùm ea non reprehendere, vel ad ſummum obmuteſcere, quod parum, & diminutum eſt ad integram fidei confeſſionem, quia ex huiuſmodi vnanimi cõſenſu in tali materia conſurgit Eccleſiaſtica traditio, quæ continuata ſemper in Eccleſia Catholica, ſufficit ad regulam fidei, vt ſuprà probatum eſt.

Quamobrem licèt concederemus Regi, verum ſimpliciter eſſe, quod in illa ratione profitetur, de fide, quam præbet 10. *Ratio Regis inſufficiens oſtenditur.*
C Symbolis, & quatuor Concilijs, nihilominùs nec rectè, nec ſufficienter concluderet eius ratio: alioqui oportebit, vt multos ab Eccleſia vt hæreticos damnatos, hæreticos fuiſſe inficiemur. Heluidius enim, & qui ab Epiphanio Antidicomarianitæ appellantur; inter hæreticos numerantur ab Auguſtino, quanuis illi fidem adhiberent Scripturis, Symbolis, & Concilijs, quia Beatiſsimam Mariam alios poſt Chriſtũ filios ex Ioſeph habuiſſe ſolùm contendebant: licèt id non ſit expreſſe contra Scripturã, Symbola, vel quatuor Concilia, ſed contra *Epiphan. hæreſ. 78.* *Aug. hæreſ. 56. & 84.*
D Eccleſiaſticã ab omnibus Catholicis receptam traditionem. Deinde habemus optimum exemplum in Donatiſtis, de quibus ait Cyprianus ſuprà, in principio perſeuerando in eadem fide, & religione, & vſu ſacramentorum ſchiſma feciſſe, Eccleſiam ſcindendo, & cathedram, ac primatum vſurpando. Addit verò Auguſtinus lib. de Hæreſib. in 69. *Pertinaci defenſione firmata in hæreſim ſchiſma verterunt*, & ita factos eſſe hæreticos. Explicans, autem quomodo primum facti ſint hære- *Cyprian.* *Auguſt.*

A hæretici, addit, *Tanquam Eccleſia Chriſti propter crimina Cæciliani, ſeu vera, ſeu, quod magis iudicibus apparuit, falſa, de toto Orbe terrarum perierit, vbi futura promiſſa eſt, atq; in Africa in Donati parte remanſerit, in alijs terrarũ partibus quaſi contagione cõmunionis extincta,* In quibus verbis non obſcurè innuit Auguſtinus, Donatiſtas factos eſſe hæreticos, male ſentiendo de Eccleſia, à qua per ſchiſma fuerunt diuiſi. Et tamen Donatiſtę dicebant, ſe credere Scripturis & Symbolo Apoſtolorum, reliqua enim ſymbola, & quatuor concilia generalia, quando Donatus incepit, nondùm facta

B fuerant: fidem autem poſteà in illis definitam tenebant (quantum ex Cypriano, & Auguſtino colligimus) & tamen propter ſolum errorem, quo malè de Eccleſia ſentire cœperũt, hæretici facti sũt. Siquis autem rectè conſideret, idem Proteſtãtibus, & præcipuæ Anglicanę ſectæ accidiſſe reperiet, quæ per ſchiſma, & vſurpationem Primatus incepit, & poſteà eò proceſsit, vt propter cõmunicationem cum Pontifice Romano, cui falſa crimina, & errores impoſuit, vniuerſalẽ Eccleſiam viſibilem defeciſſe pronun-

C ciet.

11. *Auguſt.* Addit præteréà de Donatiſtis Auguſtinus, *Audent etiam rebaptizare Catholicos, vbi ſe amplius hæreticos eſſe firmarunt, cùm Eccleſiæ Catholicæ vniuerſæ placuerit, nec in ipſis hæreticis commune baptiſma reſcindere.* Dicit autem, per hoc amplius firmatur eſſe hęreticos, quia nouam hæreſim addiderunt, qua tamen non obſtante, diceret Donatus, ſe admittere ſcripturã, & ſymbolum, & vnicũ verum baptiſma, quod in ſua Eccleſia eſſe contendebat. Hoc autem totum, ſi nõ in eadem baptiſmi materia, in multis alijs ſimilibus, in

D opinione Anglicana videre licet. Nam poſt quam cœpit malè de Eccleſia ſentire, multa contra vniuerſalem eius ſenſũ, ac definitionem recepit, & docuit, quibus in hæreſi ampliùs firmata eſt, vt paulò ſuperius loquutus eſt Auguſtinus. Poſſumus prætereà in exemplum adducere omnes hęreticos, qui priuatos, & ſingulares errores habuerunt, & hęretici ab vniuerſa Eccleſia reputantur, licèt Scripturas, ſymbola, & quatuor Concilia generalia, vel ea, quæ ſuis temporibus facta fuerant, ſe credere dicerent, ea omnia ma-

lè interpretando. Vt colligitur ex his, quæ de varijs erroribus, quorum ſinguli ad conſtituendum hominem hęreticum ſufficiunt, refert Origenes ad Titum 3. apud Pamphilũ in Apologia. Item ex his quę de Pelagianis, Anabaptiſtis, Monotelitis, Iouinianiſtis, & alijs, Auguſtinus, Epiphanius, & alij referunt, quos eſſe hæreticos manifeſtum eſt: & ipſi Proteſtantes multos ex his ita vocare non dubitabunt. Ergò illa excuſatio non eſt ſufficiens, quando illa non obſtante, multa contra Eccleſiam Catholicam creduntur, ſiue aliter interpretãdo Scripturam, aut ſymbola, quàm ipſa Eccleſia ſentiat, ſiue multa damnando, quæ eiuſdem Eccleſiæ authoritate approbata, ac definita ſunt. Talem autem eſſe fidem ſuam Rex Anglię nõ ſolùm non negat, verùm etiã expreſſè affirmat, Catholicam Eccleſiam de varijs erroribus accuſando, quot enim errores illi obijcit, tot hęreſes in ſua ſecta inuenire cõfitetur, totieſque docet, vniuerſalem Eccleſiam poſſe in fide, & moribus errare, quod hæreticum eſt.

CAPVT XXV.

Immerito Anglicanam ſectam fidem ſuam, & Eccleſiæ authoritatem ad quingenteſimum Chriſti annum limitare.

PRius quam in ſequenti libro errores Anglicani ſchiſmatis ſigillatim refellamus, operæpretium duxi in 1.
præſenti capite, quędã Regis verba, quibus (vt ita dicã) certos quoſdam credulitatis ſuæ, & conſenſionis cum Eccleſia Romana præſcribit terminos, cæterorũ vt pote fundamenta, proponere, diligenterq; expendere. Verba autem ſunt eiuſmodi. *Quòd ſi Romanæ Eccleſiæ officina ſidei articulos ante quingenteſimum Chriſti annum inauditos, ac inuiſos recenter excudit, non ſum, credo, damnandus pro hæretico, ſi ad hæc nouitia, & nupera non accedam.*

Hæc certè verba veluti generalẽ credendi regulam continent, ſeu limitatio- 2.
nem quandam, menſuram, vel terminũ, quem credulitati ſuæ præſcribit Rex, videlicet, vt ad fidei articulos, propoſitiones, quæ poſt quingenteſimum Chriſti annum in Eccleſia definitę ſnnt, non ex-

tendatur : ſupponere autem videtur, ſe credere omnia, quæ quinque primis ſeculis Eccleſia tanquam de fide neceſſaria credidit. Quanquàm hanc poſteriorem partem affirmantem non tam expreſſe ponit, ſicut alteram negantem. Nam licèt paulò inferiùs videatur illam etiam profiteri, verbis tamen mutatis, magiſq; confuſis, & ambiguis, ne fortaſſe illis poſsit conſtringi, vt infrà, quandam ſpõſionemRegis vrgendo, & exigendo, põderabo. Nunc ergò circa alteram partem, in qua refugit Rex credere, ſiquid eſt poſt quingenteſimum annum in Eccleſia definitum, rationem huius regulæ credendi, vel potiùs non credendi, à sereniſsimo Rege poſtulare, neceſſarium iudico. Neq; enim veriſsimile eſt, ipſum pro ſolo ſuo arbitratu terminũ illius temporis ſibi ſtatuiſſe, alioqui tota eius fides non ſolùm erit merè humana, ſed etiam prudenti ratione carebit, quod quãChriſtianæ fidei repugnet, omnibus perſpi-

I. Petr. 3. cuùm manet: ad cuius rationem reddendam parati eſſe debemus iuxta monitionem Petri. I. canonic. cap. 3. quam de ratione inducente ad credendum expli-

August. cuit Auguſtinus epiſtol 222. Potuit itaque Rex moueri ad ſic limitandam fidẽ ſuam, vel quia decreuit, nihil ſibi eſſe credendum, niſi quod per ſuam certam ſcientiam ſcriptum eſſe intelligit in illis libris canonicis, quos vt ſacros admittit: vel quia credit Eccleſiam Catholicam gubernatam eſſe à Spiritu Sancto ad conſeruandam puram ſidem per quingentos annos, & non ampliùs, vel quia non loquitur de Eccleſia Catholica, ſed de Romana, & illam dicit ab illo tempore erraſſe. Sed hæc non ſufficiunt ad excuſandum errorem illius limitationis; imò omnia, & ſingula conuincunt, illam, & contra fidem, & contra rationem eſſe, vt dicta tria membra examinando patebit.

Coniecturę quibus Rex ad prædictam credendi regulã aſtruendã, adduci potuit.

3. Nam prima ratio facilè ex ſuperius dictis refutatur. Tum quia oſtendimus cõtra fidem, & contra rationem eſſe admittere quoſdam libros approbatos ab Eccleſia, & alios repudiare cum nullus canonici ſidem poſsit ſortiri, niſi per authoritatem Eccleſiæ, & hęc eadem ſit in omnibus, ac proinde ſi in vno inueniatur fallax, incerta in omnibus fiat. Tũ quia

Soluuntur coniecturæ adductæ.

A contra principia fidei, & contra naturalẽ rationem ſit in priuatum ſpiritum fidem reducere, & illam vt certam, & omnibus neceſſariam prædicare. Pręterea occurrit hic peculiaris ratio, quia priuatus iſte ſpiritus etiam poteſt ſuggerere, aliquid in Scriptura eſſe credendum, aliter quã fuerit intellectũ in primis quinque ſeculis, & è conuerſo poteſt quiſpiam ſenſum aliquem ſcripturæ approbare, qui poſt quingentos Chriſti annos ab aliquo etiam priuato ſpiritu excogitatus fuit, licèt fuerit contrarius dogmàtibus prio-

B ribus quinque ſeculis receptis, nulla eſt enim maior ratio de vno tempore, quàm de alio, ſi ſemel aliquis ſibi perſuadeat ſidem eſſe dandam huic priuato ſpiritui. Quòd ſi fortaſsè Rex dicat, ſpiritum ſibi dictare, in illis quinque primis ſeculis nõ eſſe erratum ab Eccleſia in intelligentia Scripturarum, & poſtea eſſe erratum, certè oſtendere nõ poteſt, vbi hoc legat, vt per ſuam certam ſcientiã intelligat, authentice, & canonice eſſe ſcriptum, & ita conſtat ſine fundamento, etiam ab ipſo Rege diſcrimen illud, ſeu limitationem temporum præſcribi. Quod ſi coniectu-

Euaſioni occurritur.

C ris tantùm humanis Rex ducatur, ſtatim oſtẽdemus, nullas eſſe, nulliuſque ponderis & momenti, vnde immerito illas anteponit certę, & indubitatæ fidei.

Venio ad ſecundam rationem, & ſimili modo inquiro, vnde conſtet, Eccleſiã Catholicam per quingentos primos annos gubernatam eſſe, & in vera, ac pura fide à Spiritu Sancto conſeruatam. Certe non aliunde, quàm ex Chriſti promiſſionibus, alioqui voluntariè, & ſine fundamento enunciatur. At ChriſtusDominus quingentorum annorũ ſpatium, ſuę promiſsioni limitem, vt ex Scripturis li-

4. Secundę coniecturæ ſolutio.

D quet, nõ præfixit. Sine fundamento ergò fidei Chriſtianæ iſtiuſmodi præfigitur terminus. Imò verò contra fidei fundamentum, quia Chriſti promiſsiones indefinitæ ſunt, & interminatæ (vt ſic dicam) ergò contra fidem eſt, illis præſcribere terminum. Quin potius in eis ſæpe addit Dominus de promiſsione ſpiritus, *Vt maneat vobiſcum in æternum*, & de protectione ſua, *vſque ad conſummationem ſeculi*: ergò ſi à quingenteſimo Chriſti anno ceſſauit Eccleſia protegi à Chriſto, & à Spiritu Sancto, gubernari

pro

pro maiori parte tẽporis fallax, & in fidelis fuit promiſsio, & ſic ſine cauſa creditur, illis prioribus temporibus fuiſſe impletam: vel è conuerſo ſi fides Eccleſiæ Catholicæ ob eam cauſam creditur pura in illis primis quinque ſeculis, credendum eadẽ fide eſt, non minùs puram duraſſe per vndecim ſequentia ſecula.

5\. Euaſio Regis. Dicèt fortaſsè Rex, in illis quinq; primis ſeculis, Eccleſiam cõſeruaſſe veram fidem, non quia errare non potuerit, ſed quia de facto nõ errauit, poſteà vero erraſſe. Solutio. At ſi ita ſentit de primitiua, & antiqua Eccleſia vſq; ad quingenteſimum annum, profecto non credit fide diuina, Eccleſiam toto illo tempore nõ erraſſe, quia nullibi hoc reuelatum eſt, nec in libris canonicis ſcriptum, niſi in quantum in eis inueniuntur dictæ promiſsiones, & teſtimoniũ Pauli vocantis Eccleſiam columnam, & firmamentum veritatis, quæ verba, & limitationem temporis non habẽt, & propter infallibilẽ aſsiſtentiam Spiritus Sancti ad nunquam errandum pronunciata ſunt. Si ergo in hoc ſenſu non accipiantur, non habet Rex vnde per fidem credat, Eccleſiam duraſſe Catholicam in primis illis quinque ſeculis, aut non erraſſe in Concilio Niceno, vel alijs tribus, nec etiam poteſt certa fide credere ipſummet ſymbolum Concilij Niceni, vel Conſtantinopolitanũ, ſaltem quãtum ad additiones in eis factas, & maximè quoad articulum de Eccleſia Catholica prout illis temporibus durante. Solis ergò coniecturis humanis, vel hiſtorijs, aut proprio arbitrio ducitur Rex in credẽdo in illis ſeculis Eccleſiam nõ erraſſe: poſſet que certe non multum diſsimilibus, neque inæqualibus credere idem de poſterioribus ſeculis, niſi à falſis miniſtris ab incunabulis contrarium errorem imbibiſſet. Illa ergò limitatio, & diſcretio temporum ſtatim oſtendit, talem fidem non poſſe eſſe catholicam, neque in diuino verbo fundatam.

6\. Diluitur 3. coniectura. Tertia verò ratio, ſeu excuſatio (nimirum ſi Rex aſſerat, ſe nõ loqui de Eccleſia Catholica, ſed de Romana) ſatis ſuperque in capite quinto reiecta eſt, quia nec Romana Eccleſia vnquam fuit à catholica ſeparata, neque Eccleſia Catholica ſemel in Romana fundata, ab illa fuit vnquam diuiſa. Præterea ſi poſt quingẽ-

A teſimum Chriſti annum Rex loquatur de Romana Eccleſia, oportet, vt etiam pro prioribus quinque ſeculis de eàdem identidem pronunciet eadem: tùm quia ſolùm de Eccleſiæ *Romanæ officina* in tota illa ſententia loquitur: tùm etiam quia aliàs incongrua eſſet, & non ſatis ſibi cõſtans, vel firma eius ſententia. Concedat ergo neceſſe eſt, in illis quingentis primis annis Eccleſiam Romanam non erraſſe, neque ex officina eius falſum articulũ prodijſſe, nam illos articulos, quos tanquã nouitios, & nuperos reprehendit, B ipſemet fatetur, in illis quinque primis ſeculis fuiſſe inauditos, fatetur ergo nihil habere, quod pro illis ſeculis in Eccleſia Romana reprehendat, ac proinde ſaltem pro eiſdem ſeculis non erraſſe. Hoc autem poſito, diſcurſum proxime factum recolentes ſtabilimus. Aut enim creditur Eccleſia Romana illis quinq; primis ſeculis non erraſſe, quia errare nõ potuit propter Spiritus Sancti aſsiſtentiam, vel quia de facto, & quaſi caſu non errauit. Dilẽma cõtra Regẽ. Prius membrum licèt veriſsimum ſit, ſcio non eſſe à Rege admittendum, ne tantam prærogatiuam, & inſigne priuilegiũ, vel ad breue tempus Eccleſiæ Romanæ attri C buat, præſertim quia ſi conſtanter loqui velit, & pro vno tẽpore illud recognoſcat pro alio renuere nequaquã poteſt. Quia pro quocumque tempore admittatur, fũdari debet in promiſsione Chriſti, verba autem Chriſti, *Ego rogabo pro te, &c.* Et illa. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, non habent vllam temporis limitationem, ſed indefinitè prolata omnia futura tempora comprehendunt.

Negabit ergò Rex, vt credo, habuiſſe vnquam Eccleſiam Romanam hoc priuilegium, magisque aliud membrum eliget, ſcilicet, ipſo facto ita eueniſſe, vt illis 7.
D quingentis annis Eccleſia Romana non errauerit, licèt priuilegiũ non errandi nõ haberet, ac ſubinde non certa fide, ſed humana coniectura, & libera opinione credit, illis quinque ſeculis Eccleſiam Romanam non erraſſe. Vnde vlteriùs conſequitur, idem de Eccleſia Catholica aſſerendũ eſſe, quod quàm ſit abſurdum, iam declaratum manet, Conſecutio verò patet, quia totis illis quingentis annis id credebat Eccleſia Catholica, quod credebat Eccleſia Romana, & illi articuli prodierunt

runt ex officina Eccleſiæ Catholicæ, qui prodierunt ex officina Eccleſiæ Romanæ. Nã eius Pontifex in Concilijs quatuor generalibus illorum temporũ (quæ maximè dici poſſunt officina Eccleſiæ Catholicæ) præfuit, & præſedit, & ab illius confirmatione, & approbatione potiſsimam firmitatem habuerunt, vt ex actis eorundem Conciliorum manifeſte conſtat, & inferius cõmodiori occaſione dicetur: ergò non poteſt eſſe maior certitudo de puritate fidei Eccleſiæ Catholicæ pro illo tempore, quàm de firmitate fidei Eccleſiæ Romanę. Vnde ſi hæc ad humanam opinionem reuocatur, tota fides illorum nutabit, & authoritas quatuor primorum Conciliorum merè humana erit, ſymbolumque Athanaſij nullam præter humanam habiturum eſt authoritatem. Quia quam habet maximã, ab Eccleſia Romana recepit, idemq; ſupra de ſymbolo Nicęno, ſeu Conſtantinopolitano intulimus. Accedit denique quod Patres illius temporis nõ humanæ induſtriæ, ſed aſsiſtentiæ diuini Spiritus firmitatem, & puritatem fidei ſedis Romanæ, & perpetuam ſucceſsionem Epiſcoporũ eius tanquam diuinæ protectionis miraculo tribuerunt ſemper, vt ex Cypriano, Auguſtino, & alijs nuper teſtati ſumus: & maximè cõſtat ex decretis, & Epiſtolis Pontificum eiuſdem ſedis, & illorum temporũ, de quibus tamẽ omnibus in diſcurſu ſupponitur, puram conſeruaſſe fidem, & inter illos multi fuerunt ſanctiſsimi martyres, & Apoſtolis propinquiſsimi, vt Clemens, Anacletus, & ſimiles. Alij verò fuerunt ſapientiſsimi, & ſancti Confeſſores, vt Leo 1. Innocentius, & alij.

8. Concluditur eſſe contra fidem, Eccleſiæ Romanę falſos articulos attribuere. Prima ratio

Ex quibus tandem concludimus, cõtra omnem fidem eſſe attribuere Eccleſiæ Romanæ, quod poſt quingenteſimum Chriſti annum officina fuerit falſorum fidei articulorum. Primò quia oſtenſum eſt, puritatem fidei, quam primis quinq; ſeculis habuit, non humano tantùm conſilio, ſed diuino priuilegio fuiſſe conſeruatam: hoc autem priuilegium ſublatum non eſt, vel amiſſum in quingenteſimo Chriſti anno: tùm quia hoc nec probatur nec probari poteſt, & contra priuilegiũ antiquiſsimum, Chriſti ipſius ore exhibitum non prçſumitur, niſi probetur: tùm maximè, quia perpetuitas illius priuilegij ſufficienter ex Scripturis, & ex communi traditione Patrum probatur, vt ſuprà factũ eſt, & in lib. 3. aliquid fortaſsè addemus.

9. Secunda ratio.

Secundò, quia etiam poſt prima quinque ſecula non poteſt ſeparari officina Eccleſiæ Romanæ ab officina Eccleſiæ Catholicæ, ſed affirmare, ab officina Eccleſiæ Catholicę prodijſſe vnquam falſos articulos fidei, eſt planè hereticum, quia nihil aliud eſt, quàm dicere, Eccleſiam Chriſti amiſiſſe fidem catholicam, ac ſubinde perijſſe; ergò non minùs erratur, de Romana Eccleſia ita ſentiẽdo. Prima propoſitio vno, vel alio exemplo declaratur. Nam quinta, vel ſexta ſynodus generalis non minùs fuit officina Eccleſiæ Catholicæ, ſimul, & Romanæ, quam tertia, vel quarta; ergò ſi Eccleſia Romana potuit errare, vel errauit poſt illos quingentos annos, idem ſentiri poteſt de tota Eccleſia Catholica. A qua ſententia non longè videtur diſtare Rex Iacobus, nam ob eam cauſam non recipit Cõcilia generalia poſt quingẽteſimũ Chriſti annum celebrata. Sed longè aliter ſenſit de quinta ſynodo Gregorius Angliæ Apoſtolus lib. 1. Regiſtri Epiſtol. 24. in fine, vbi cùm dixiſſet ſuſcipere ac venerari quatuor prima Concilia ſicut quatuor libros ſancti Euangelij, ſubiungit, *quintum quoque Concilium pariter veneror.* Et infrà de omnibus quinque loquitur, cùm dicit, *Cunctas verò, quas præfata veneranda Cõcilia perſonas reſpuunt, reſpuo, quas venerantur, amplector, quia dum vniuerſali ſũt cõſenſu conſtituta, ſe & nõ illa deſtruit: quiſquis præſumit, aut ſoluere quos religant, aut ligare, quos ſoluunt, quiſquis ergò aliud ſapit, anathema ſit, Quiſquis verò fidem illarum Synodorũ recipit, pax ei ſit, &c.* Timeat ergò Rex Angliæ anathema dictum à Sancto Gregorio, & ponderet rationem eius ibi, *dum vniuerſali ſunt conſenſu conſtituta:* nam euidenter concludit, contra omnem rationem eſſe, vbi tam manifeſta eſt eadem cauſa certæ authoritatis in Concilijs, illam in quibuſdam recogneſcere, & non in alijs propter ſolam temporis differentiam. Quam rationem egregiè expendit Bellarminus conferendo ſextã Synodũ, cum tertia dicto cap. 7. quibus nihil addi poteſt.

Gregor.

Bellarm.

Atque

Atque eodem modo diſcurri poteſt per omnia ſequentia tempora, ſemper enim Eccleſia Romana, & Catholica fuerunt coniunctæ, vel potiùs vna, & ideò nunquam aliquid prodijt ab officina Eccleſiæ Romanæ, quod ab Eccleſia Catholica non emanauerit. Nemo ergo poteſt falſitatis labem Eccleſiæ Romanæ officinæ tribuere, quin vel eandem Eccleſiæ Catholicæ tribuat, vel tot ſeculis in mūdo Eccleſiam Catholicam fuiſſe, neget, vel ſaltem poſt quingenteſimum Chriſti annum latuiſſe, factamque eſſe inuiſibilem, affirmet, quæ ſunt portenta, & monſtra per ſe incredibilia, & non ſolùm Scripturis diuinis, ſed etiam rationi, imò & ſenſui contraria, vt in ſuperioribus ſatis diſcurſum eſt.

Nihil poteſt à Romana Eccleſia prodire, quin ſimul à Catholica prodeat.

II. Quòd ſi quis fortaſsè comminiſcatur, his ad ſummū probari, ex Concilijs generalibus, ac ſubinde ex officina catholicæ Eccleſiæ non prodijſſe falſos articulos, tamen aliquos eſſe per Pontifices Romanos ſine dictis Concilijs inuentos, de quibus loqui potuit Rex Angliæ, & ita Romanā Eccleſiam à Catholica in ſententia ſua ſeparari: aduertat, hanc reſponſionem aliam petere quæſtionem, nùm, ſcilicet, Papa poſsit res fidei definire ſine Concilio generali, quæ nobis nunc neceſſaria non eſt, tùm quia Rex ſine dubio nō in hoc ſenſu loquitur, quia & poſteriora Concilia non admittit, & multi ex articulis, quos reprehendit, ſunt in Concilijs generalibus approbati, vt videbimus, tùm etiam quia, licèt demus aliquos ex dictis articulis, non fuiſſe in principio per generalia Concilia introductos, nihilominùs per vniuerſalem Eccleſiæ Catholicæ conſenſum, recepti, & approbati ſunt, & ita non ſeparantur ab vniuerſæ Eccleſiæ Catholicæ conſenſu, tùm denique quia diſcurrendo per ſingulos articulos, quos Rex attigit, apertè oſtendemus ſine cauſa reprehendi, quin potiùs veram fidem continere, ſiue per Concilia generalia, ſiue authoritate Summorum Pontificum legitimè definiti ſint. Vnde potiùs poterit è contrario obiter, & quaſi inductione quadam oſtendi, Sedem Romanam, quæ in ſuis definitionibus hactenùs non errauit, errare nequaquam poſſe, ſiue cum generali Concilio, ſiue ſolo Ponti-

Articuli à Rege reprehenſi verā, & catholicā continēt doctrinam.

A fice ex cathedra loquentè, facta ſit definitio. De quo puncto aliqua in tertio libro attingemus, quamuis propria illius conſideratio, & diſputatio huic loco neque neceſſaria, vt dixi, neque opportuna ſit.

Summa, & concluſio totius libri cum apoſtrophe ad Angliæ Regem.

B RECTAM, plenam, ſecuramque inueniendæ veræ, ac catholicæ fidei viā, rationeque pro modulo noſtro oſtendere, certiſque ac verbo Dei fundatis ſignis manifeſtare conati ſumus, & quoniam neque catholica fides extra veram Chriſti Eccleſiam, neque hæc vnica Chriſti ſpōſa à ſincera fidei veritate aberrauit vnquam, aut aberrare poteſt, ideò cum fundamento veræ fidei, hanc vnicam eius magiſtram tanquam ſolem in orbe fulgentem quaſi digito demonſtrauimus, eamque nō eſſe aliam, C niſi quæ in ſede Petri fundata eſt, verbo Dei partim ſcripto, partim non ſcripto comprobauimus. Vnde fuit neceſſariò conſequens, vt Anglicanæ ſectæ errorē, à nota hæreſis inexcuſabilem eſſe conuinceremus, quod ea libertate, quæ catholicum decet Doctorem, & ea modeſtia, quæ maieſtati Regiæ debita eſt, facere non dubitauimus: memores illius Gelaſij Pontificis ad Anaſtaſium imperatorem prudentiſsimæ ſententiæ: *Abſit, quæſo à Romano*, ſeu Chriſtiano *Principe, vt intimatam ſuis ſenſibus veritatem arbitretur iniuriam.*

D Supereſt, vt Rex ſereniſsimus Iacobus (quod humiliter, & obnixè poſtulo) vocem Domini audiens, non obdureſcat, ſed omni affectu humano depoſito, pro ingenij ſui acumine, quo præditus eſt, maximè perpendat noſtræ Catholicę Romanæ Eccleſiæ antiquitatem, ſuæ verò, quam amplectitur, ſectæ videat nouitatem, illius firmitatem, huius inſtabilitatem, illius Doctores ſapientiſsimos, ſanctitate, & antiquitate venerandos ſuſpiciat: huius verò obſcuros, nouitioſque impoſtores perhorreſcat, ſic enim, vt cupio,

pio,

pio, fiet, vt illius veritatem, huius autem fucum lucè clarius intueatur, & cum Hilario dicere incipiat: *Tandem nobis hos impijſsimos Doctores ætas nunc huius ſeculi protulit, ſeros habuit fides, quam tu Deus erudiſti, magiſtros. Inauditis ergò omnibus his, in te ita credam, vt exinde tuus ſemper ſim.* Atque ita fiet Rex prudentiſsime, vt titulum defenſoris catholicæ fidei, de quo meritò gloriaris, merearis, veroque ac iuſto titulo poſsideas: non enim benigna Mater Eccleſia hoc tibi nomen inuidet (quod dono Pontificio datum non ignoras) ſed exoptat inuictiſsimum: ſi autem ad ea, quæ hactenùs diximus, animum attendas, intelliges profectò, non Romanæ Eccleſiæ reſiſtendo, ſed ei potiùs humiliter parendo, illum eſſe conſequuturum. Nam ſi eam impugnando perſiſtas, vires atteras, neceſſe eſt, vt enim Chyſoſtomus dixit, *Homini ſi bellũ inferas fortaſsè vinces, aut fortè vinceris: Eccleſiam vincere nulla vis poteſt, nam cœlum, & terra tranſibunt, verba autem Chriſti non tranſibunt.* Si verò Eccleſiæ Sanctæ ſinceram fidem amplecti, eiuſque gloriam, & puritatem deamare incipias, conſtanterque retineas, tunc verum defenſoris Catholicæ fidei titulũ conſequeris æternum. Quod, vt fiat, diuinam maieſtatem efflagitamus, & apud veſtram qualencumque hunc laborem noſtrum libenter impendimus, & hac ſpe allecti ad alia, in quibus veſtri vobis impoſuerunt miniſtri, oſtendenda progredimur.

Chryſoſt.

Finis Libri primi.

LIBER

LIBER II.

DE PECVLIARIBVS ERRORIBVS IN MATERIA FIDEI CATHOLICÆ, QVOS REX ANGLIAE PROFITETVR.

***

HACTENVS de veris noſtrę fidei fundamẽtis,quibus ſub Deo tota Catholica doctrina nitatur, diximus,quibus reliqua ſuperædificari facillimè poſſunt: Eccleſiam ſiquidem audiens, audit & Deum,Scripturam verò,prout ab illa traditam,& explicatam ſpernens, eius ſpernit authorem, Eccleſia enim columna, & firmamentũ veritatis eſt, *quam,*vt grauiſsime Paulus
b.7. c. Oroſius, *qui impugnat,inimicus eſt, & qui illi non ſociatur,alienus eſt.* Quia verò Sereniſsimus Anglię Rex,quæ ſuper fundamentum hoc ſuper ædificata ſunt,maximè concutere molitur, ea nos pro virili, & captu noſtro defendere,& ſtabilire conabimur: ideòque non de omnibus fidei dogmatibus,ſed de illis,quæ à pagin. 44. Prȩfationis in confeſsione ſua Rex oppugnat, agendum, neque ex illis omnia, ſed quę præcipua,& quæ ad cauſam ſpectare videbuntur, attingemus : non eo quidem,quo ipſe,ordine,ſed doctrinæ, à præcipuiſque ordiemur, reliqua ordine, quem dixi, debito,proſequemur. Solùm ea, quæ ad Primatum, Monarchiamque
A Eccleſiaſticam, exemptionem Clericorum ; & Antichriſtum pertinent, quia proprias, & prollixiores diſputationes poſtulant, in ſequentes libros remittemus.

CAPVT I.

De præſentia corporis,& ſanguinis Chriſti in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento.

SERENISSIMVS Angliæ Rex titulum defenſoris veræ 1.
fidei, quo gloriari cupit, verum eſſe, atque in re ipſa fundamentum habere, oſtendere cupiens, confeſsionem fidei ſuæ propoſuit, qua euidenter con-
B uincitur quantũ à veritate Catholicæ fidei aberret. Nã poſt illa,quę de fundamẽtis fidei generaliter dixerat, plures articulos Romanæ fidei ſigillatim enumerat, eoſque tanquam nuperos, ac nouitios, imò & pernicioſos refellit. Et recenſitis nonnullis, ad quos poſteà reuertemur, in hunc modum ſubiungit. *In his articulis priuatas illas Miſſas numero in quibus ſacrificus ſimul populi perſonam, & ſacerdotis ſuſtinet. In his quoque eſt ſacramenti mutilatio, qua laicis partem illius mediã ſubtraxerunt,Trãſſubſtantiatio,adoran-*

di cauſa eleuatio, in ſupplicationibus ſacramenti circungeſtatio. In quibus verbis quinque continentur errores quos alio ordine recenſebo, vt à fundamento ordiamur. Primus eſt, in Euchariſtiæ conſecratione non fieri tranſſubſtantiationem: ſecundus, Euchariſtiam non eſſe adorandam, & ideò, prauam eſſe conſuetudinem eleuandi illam in ſacrificio adorationis cauſa: tertius, vſum in ſupplicationibus Sacramentum circungeſtandi potiùs eſſe abuſum: quartus, conſuetudinem communicandi laicos in ſola ſpecie panis, vt contra ius diuinum reprobandam: quintus, Miſſas priuatas admittendas non eſſe. Primus autem ex his erroribus duos alios, vel eorum alterum in hac materia præcipuum, & aliorum fundamentnm ſupponit. Hic eſt, Chriſtum Dominum non eſſe reuera, & ſubſtantialiter præſentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus Euchariſtiæ, vt veriſimiliter credo, hanc eſſe opinionem Regis, qui Caluini ſectam præcipua ex parte profiteri dicitur: puduiſſe autem videtur Regem infamiæ iſtius, & ideò errorem iam diù pro hæreſi damnatum diſertis verbis confiteri erubuiſſe. Alter error in negatione tranſſubſtantionis incluſus eſt, manere nempe poſt conſecrationem ſubſtantiam panis, & vini: nam ſi ſubſtantia panis, & vini ibi maneret, etiam ſi Chriſti Domini caro, & ſanguis ſub eiuſdem ſpeciebus præſentes fierent, aſſertio tranſſubſtantiationis falſa procul dubiò foret.

Primus. Secundus. Tertius. Quartus. Quintus.

2. Prima concluſio.

Vt ergo primum, ac præcipuum huius myſterij fundamētum iaciamus ſecū dum fidem catholicam credendum eſſe, ſub ſpeciebus panis, & vini legitime conſecratis, vere ac realiter corpus & ſanguinem Chriſti Domini contineri affirmamus. Hæc fides non poteſt à Rege dici nouitia, vel nupera, neq; ex humana, aut ſola non ſcripta traditione veniſſe: nam in expreſsis verbis Chriſti à tribus Euangeliſtis, Matthæo, Marco, & Luca, & à Paulo relatis, fundata eſt, ſcilicet, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt ſanguis meus*, vel quod perinde eſt, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, vel *in ſanguine meo*. Neq; immorari nos oportet in referēdis, & refutādis tropis, figuris, & metaphoris, quibus Proteſtantes hæc clariſsima verba corrūpere

A conati ſunt: tùm quia, vt dixi, nō aſſumpſi prouinciam has controuerſias ex profeſſo diſceptandi, tū etiam, quia vt rectè monuit Tertullianus, de ſenſu alicuius ſcripturæ ex ſolis verbis, & priuato ſpiritu diſputare cū hæreticis, qui neq; Eccleſiam, neq; Patres reuerentur, inutile eſt. Quanquā ex hoc maximè loco conuinci poſſunt, quàm ſit vanus priuatus ſpiritus, quo in exponendis ſcripturis du cuntur, ita vt ſuis opinionibus non contradicant. Nam in his verbis ſecundū ſe ſpectatis nullū eſt veſtigium figuratæ lo B quutionis, nec occaſio, in qua Chriſtus illa protulit, ad condendū nouum teſtamentū, metaphoram permittit: nō enim ſolent prudentes in ſimilibus occaſionibus præſertim ſine ſufficiēti explicatione metaphorice loqui, & obſcurè. Accedit, Chriſtum Dn̄m potius addidiſſe verba, quę ad excludendam metaphorā ſufficere valerent, ait enim, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur*. Paulus quoque, *Quicunq; manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, & ſanguinis Domini*. Et C infrà, *Iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*. Denique concordia, & conſonantia horum verborum Chriſti cū promiſsione ab ipſo facta Ioan. 6. & cum prædictionibus, & figuris huius myſterij, & cum alijs verbis Pauli. 1. ad Corinth. 10. eundem ſenſum maximè confirmat, & illuſtrat.

Hæreticorum ſubterfugia precluduntur.

Prætermiſſa verò, vt dixi, diſputatione de ſolis Scripturis, nobis nunc vt Regi reſpondeamus ſufficit, hanc fidem nō eſſe nouam, neque ſenſum prædictum verborum Chriſti inuentum eſſe poſt D quingenteſimum Chriſti annum, ſed ab omnibus Patribus primorum quinque ſæculorum, qui prædicta verba Chriſti attigerunt, vel myſterium explicarunt, eſſe traditum. Cuius veritatis teſtes non omnes, qui adduci poſſent, ſed qui ſufficiant, afferemus, nam qui eos non audierit, neque ſi mille afferantur, credat. Primus ergò teſtis ſit Hilarius lib. 8. de Trinitat, vbi priùs præmittit, *Non eſt humano, aut ſeculi ſenſu in Dei rebus loquendum, &c.* Et poſteà adductis verbis Chriſti Ioan. 6. cōcludit, *De veritate carnis, & ſanguinis nō relictus eſt ambigēdi locus, nūc enim, & ipſius Domini*

3. Aſſertio ex Patribus antiquis oſtenditur.

Hilarius.

Dñi profeſsione,& fide noſtra, vere caro eſt, & verè ſanguis eſt, & accepta atq; hauſta id efficiunt, vt nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. An ne hoc veritas nõ eſt? Cõtingat planè, id verũ non eſſe iis qui Chriſtũ Ieſum, verum Deũ eſſe negant. Caluinus ergò, cui hoc verũ non eſt, Chriſti veritatẽ, ac ſubinde diuinitatem nõ minùs impiè, quàm ignoranter negauit.

4. Ambroſ. Secundus grauiſsimus, & locupletiſſimus teſtis eſt Ambroſ. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. vbi inter alia. *Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorũ, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Et deinceps, vt admirationem tollat, & vno verbo ratiunculas infideliũ ex vana philoſophia depromptas diſſoluat, ſubiungit, *Vbi venitur, vt conficiatur venerabile ſacramentũ, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti: ergò ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentũ. Quis ſermo Chriſti? Nempe is, quo facta ſunt omnia, &c.* Et poſteà in cap. 6. ita explicat verba Chriſti, & cõcludit, *Nunquid debemus de eius fide, & teſtificatione dubitare?* Sed non deerit fortaſſe hereticus, qui etiã clariſsimis verbis Ambroſij vim inferre conetur, quia in principio illius capitis quinti refert, ſacerdotem in Miſſa dicere ſequẽtia verba, *Fac nobis hanc oblationẽ adſcriptam, rationabilẽ, acceptabilem, quod fit in figuram corporis, & ſanguinis Dñi noſtri Ieſu Chriſti* Nã quia dixit, *in figurã*, proteruus cætera omnia in tropũ conuertet, quãuis illis apertè repugnet. Verus autem, & clarus ſenſus eſt, per cõſecrationẽ verè fieri corp⁹ Chriſti ſub ſpecieb⁹, per quod etiã fit, vt ſpecies ſint ſignũ corporis, & ſanguinis, quæ ſub ſe continent, & hoc vocauit Ambroſius, fieri in figuram, id eſt, in ſacramentum corporis, & ſanguinis ibi latentis, verè tamen, ac realiter exiſtentis. Et hoc eſt obiter notandũ ad explicãda, ſi interdum occurrerint, ſubobſcura verba Patrũ, quæ ex alijs eorundem locis perſpicuis, & integram doctrinam cõtinentibus explicanda ſunt, & non è conuerſo propter vnũ verbum obſcurũ tota doctrina alibi ſatis explicata offuſcanda.

Occurritur hæreticorũ cauilationi.

Quid Ambroſius intelligat per figurã corporis.

Idem. Idemq; ſenſus, & tota veritas myſterij ab eodem Ambroſio explicatur in libro de Initiandis cap. 9. Eccleſia verò Catholica ad vitandam calũniã non vtitur in canone Miſſę illo modo loquendi, *quod fit* A *in figura, &c.* ſed dicit, *vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Tertius teſtis ſit Hieronymus exponẽs verba Chriſti Matth. 26. vbi ſic inquit, 5. Hierony. *Poſtquam typicum paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem, qui confortat cor hominis, & ad verũ Paſchæ tranſgreditur ſacramentũ, vt quomodo in figuratione eius Melchiſedech ſũmi Dei ſacerdos panẽ, & vinũ offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis, & ſanguinis repræſentaret.* Vbi etiam fortaſſe B prodibit hæreticus, qui verbũ *Repræſentaret*, in aliquam fictionẽ, vel metaphoram interpretetur. Vis verò verbi, & mens Hieronymi perſpicua eſt: idẽ enim eſt, repręſentare, quod rẽ præſentem facere, præſertim quæ anteà promiſſa erat, vel futura prædicta, aut deſiderata. Quod poſſumus exponere ex verbis Senecæ epiſt. 95. in initio, *Petis à me, vt id, quod in diem ſuum dixeram, debere referri, repræſentem, & ſcribam tibi, &c.* id eſt, impleam ſcribendo, &c. Sunt etiam ſatis ad rem acommodata verba Ciceronis. Philip. 5. *Ego corpus libenter obtulerim, ſi repræſentari morte mea, libertas ciuitati poſſet*, id eſt, C recuperari, ſeu præſens fieri. Sic ergò dixit Hieronymus, Chriſtum repræſentando, id eſt, præſentem faciendo veritatem corporis, & ſanguinis ſui, illamque ſic pręſentem Patri offerendo, impleuiſſe, quod in oblatione Panis, & vini Melchiſedech, & in immolatione agni Paſchalis præſiguratũ fuerat. Atque hunc verũ ſenſum explicauit magis idem Hieronymus epiſt. 150. ad Hedibiam, quæſtio. 2. dicens, *Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque diſcipulis ſuis eſſe corpus Domini, ipſo dicente ad eos, Accipite, & comedite, Hoc eſt corpus meum.* Et infrà: D *Nõ Moyſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus, ipſe conuiua, & conuiuium, ipſe comedens, & qui comeditur, illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in ſacrificijs eius de genimine vitis veræ rubẽtia muſta calcamus. Quibus verbis* (ait ibi Marianus Victor) *illuſtrius, ac clarius de veritate corporis, & ſanguinis Chriſti dici nil potuit.* Magis autem id confirmat, idem Hieronymus dicens alijs locis ſacerdotes ſacro ore Chriſti corpus conſicere, epiſt. 1. ad Heliodorum. epiſtol. 85.

Repręſentare idem eſt quod rẽ pręſentem facere.

Cicero.

Idẽ Hiero.

Marian. Victor.

ad Euagrium, & fere idem Malachiæ. 1. ad Galat. 5. ibi, *Alioqui ſciebam & in Chriſti ſanguinem vinum conſecrari.* Et optime ad Titũ. 1. circa illa verba, *Sed hoſpitalem, &c. Tantũ* (inquit) *intereſt, inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti, quantũ inter vmbram, & corpora, inter imaginem, & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa, quæ per exemplaria figurabantur.*

6. *Auguſt.* Quartus teſtis ſit D. Auguſtinus, qui innumeris in locis hãc docet veritatẽ, perſpicuus autẽ, & qui nullam tergiuerſationẽ patiatur, mihi eſſe videtur in concion. 1. ad Pſal. 33. vbi poſt latiſsimũ ſermonẽ de ſacrificio corporis, & ſanguinis Dñi, *Quod fideles norunt, & qui Euangeliũ legerunt, quodq́; nunc diffuſum eſt toto orbe terrarum,* dicit, *in illo mutaſſe Chriſtũ vultũ ſuũ de humilitate ſua,* id eſt, *quia verbũ, quod eſt panis Angelorũ, caro factum, panis factus eſt hominũ, quia in corpore, & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram.* Poſt hæc (inquã) quæ proſequitur multis verbis explicãdo veritatẽ huius myſterij, tandẽ ad hoc myſterium accomodat verba. 1. Reg. 21. Sicut ipſe illa legit, *Ferebatur in manibus ſuis* dicẽs, *Quis portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur, quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundũ literam, non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando cõmendans ipſum corpus ſuũ, ait, Hoc eſt corpus meum, ferebat enim illud corpus in manibus ſuis, ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſa multum cõmendatur hominibus.* Vbi maximè ponderandũ eſt, quod ait, in hoc myſterio, & in ſolo Chriſto ad literam impletũ eſſe, ſe ipſum ſuis manibus portauiſſe: cùm enim dicit ad literam, figuram, & tropum excludit. Nam ſuis manibus ſe in figura, vel imagine portare, nullum eſſet miraculũ, nec grande opus, nec proprium Chriſti: nam Dauid poſſet in imagine ſua ſe ipſum manibus portare, Neq; etiam per tale opus multũ cõmẽdaretur humilitas Chriſti, fuit autem maxima, quòd Verbum caro factum, panis etiam vitę fieret, vt verè, & realiter manducaretur ab hominibus. Et ita rectè hunc locum vrget Guitmundus lib. 3. de Sacramento in principio. Aduertere autem oportet Auguſtinum in concion. 2. eiuſdem Pſalmi addidiſſe particulam. *Quo-*

Guitmũd.

Auguſtinus à ſiniſtra interpretatione vindicatur.

A *dam modo,* dicens, *Accepit in manus ſuas, quod norunt fideles, & ipſe ſe portabat quodam modo, cũ diceret, Hoc eſt corpus meum.* Quam particulam aliquis fortaſſe ex vmbraticis hominibus malitioſè arripiet, vt totam euertat ſententiam. Sed vix poteſt eſſe tanta cæcitas, vt exiſtimetur, Auguſtinus in tam breui ſermone dixiſſe contraria, aut addidiſſe aliquid, quo totũ myſterium, quod explicuerat, deſtrueret. Per illã ergo particulam, *Quodã modo.* (pręiudicio meo meliùs diſiunctim, & in vi nominis, quà coniunctim, & tan-
B quam aduerbium legitur) ſolùm ſignificare voluit Auguſtinus, Chriſtum non ſe portaſſe in manibus corporali modo, id eſt, viſibili, & ſuis manibus grauitatẽ corporis ſentiendo, & ſuſtinendo, ſed myſtico modo, vero tamen, & reali, & ita ſingulari, vt in ſola figura, vel imagine ſeruari non poſsit. Et hoc eſt valdè obſeruandum in doctrina Auguſtini, quia ſæpe coniungit illa duo, ſcilicet veritatem corporis cum modo ſacramentali, & myſtico, & ideò non eſt vnum propter alterum excludendum, aut malè explicandum.

C Atq; ita eſt optimũ eiuſdem Auguſtini teſtimonium in tract. de Cataclyſmo, 7.
vbi primum ait, *Sanguinẽ, & aquã, quæ fluxerũt de latere Chriſti eſſe matris Eccleſiæ gemina ſacramenta,* quæ exponens ſubdit, *Hic ſanguis inebriat mentem, vt amorẽ obliuiſcar mundi, &c.* Et clariùs infrà exponens illud, *Nec relinquatis ex eo quidquam vſque mane* (inquit). *Hoc nunc agitur, comeditur enim agnus per noctem huius ſeculi, vt cum mane illud venerit, quod veſperũ nõ habebit, non iam offeratur ſacrificium imaginis agni: ſed ipſum agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, & cuius ſanguinem bibi-*
D *mus, inueniamus illic eum ſacerdotẽ perfectũ, quem conſtat, hic pro noſtra ſalute occiſum.* Qui locus poteſt etiã cauillũ pati propter illa verba, *ſacrificiũ imaginis agni.* Ob quã difficultatem vitandam, poſſet fortaſsè aliquis verba illa de ſacrificio typici agni paſchalis intelligere, nam de noſtro ſunt expreſſa ſequentia verba, *ipſum agnum, quem quotidie immolamus, comedimus,* Sed expoſitio non quadrat contextui. Dixerat enim Auguſtinus, *hoc nunc agitur, comeditur enim agnus per noctem huius ſeculi.* Vbi tempus etiam legis gratię apertè comple-

complectitur,nam etiam addit, ſeculum hoc durare vſque ad mane illud, quod veſperũ non habebit,id eſt, vſque ad ſtatum gloriæ, vbi inueniemus(vt ſubiũgit agnũ ſacerdotem perfectũ, *quem conſtat, hic pro noſtra ſalute occiſum.* Et in illo mane, ait iam non eſſe offerendũ ſacrificiũ *imaginis agni,*quod vtiq;durãte hoc ſeculo,ſemper offertur. Ergò etiã ſacrificium Euchariſtię vocatſacrificiũ imaginis agni Per hoc autẽ nõ excludit veritatẽ pręſentiæ agni,quẽ quotidie ĩmolari,& comedi affirmat, ſed quia hæc immolatio nõ eſt cruenta,ſed myſtica, & quia ita eſt oblatio agni inuiſibilis ſub ſpecie viſibili, vt ſit etiam cõmemoratio eiuſdẽ agni viſibiliter immolati, ideò vocat hoc ſacrificiũ myſticum ſacrificiũ imaginis agni,id eſt, ſacrificium repræſentatiuũ agni pro nobis occiſi iuxta verba eiuſdẽ Agni, *Hæc quotieſcũq; feceritis in mei memoriã facietis.*

8. *Auguſt.* Similiq;obſeruatione adhibita,eſt ſatis apertũ eiuſdem Auguſt. teſtimoniũ lib. 2.contra aduerſarium legis,& prophetarũ,cap.9.vbi dicit, *Mediatorẽ Dei,& hominũ Chriſtum Ieſum carnem ſuã nobis manducandã,bibendũq; ſanguinẽ dantem fideli corde,atq; ore ſuſcipimus,quanuis horribilius videatur,humanam carnem manducare, quàm perimere,& humanũ ſanguinẽ potare,quã fũdere,*Quę verba expreſsiſsima ſũt.Addit verò ſtatim quandã generalẽ regulã, qua poſſuntCaluiniſtę abuti,dicens. *In omnibus ſanctis Scripturis ſecundũ ſanæ fidei regulam figuratè dictũ,vel factum ſi quid exponitur,de quibuslibet rebus,& verbis,quæ ſacris paginis continẽtur,expoſitio illa ducatur non aſpernanter, ſed ſapienter audiatur.* Attendant verò,& intelligant verba illa,*ſecundũ ſanæ fidei regulã,*quæ eſt Catholica Eccleſia,vnanimis Patrum conſenſus, & cũ alijs Scripturis,& fidei myſterijs concordia,retẽta proprietate verborũ,vbi ſine incõuenienti fieri poſsit. Atq; ita in prædictis verbis *manducandi corpus,*& *bibendi ſanguinem Domini,* admittit Auguſtinus figuratã,ſeu myſticam ſignificationem quoad modũ manducandi,&bibendi,vtiq; ſacramentalẽ, quo tollitur horror;qui in tali mãducatione,aut potu eſſe poterat,nam hæc figurata ſignificatio eſt ſecundũ regulam fidei, & neceſſaria ad veritatem myſterij. Non tamen admittit Auguſtinus figuratam loquutionẽ quo-

Per figuratam ſignificationẽ,modum ſacramentaliter comedendi Auguſtinus intelligit.

ad ſubſtantialem (vt ſic dicam) manducationemChriſti,&ideò dixit.*Quem fidei corde, atque ore ſuſcipimus,* quia talis figura nec neceſſaria eſt,nec ſecundum regulam fidei; imò illi contraria.Et iuxta hãc regulam exponit latè Auguſtinus tract. 26.& 27.in Ioan.verba illa Chriſti, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis,*Simul cum illis, *Spiritus eſt, qui viuificat,caro non prodeſt quicquã,verba, quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus,& vita ſunt.*

Loca in quibus Auguſt. veritatẽ catholicã ſimpliciter docet.

In pleriſq; vero alijs locis idem S. Doctor ſimpliciter affirmat, dediſſe nobis Chriſtum corpus ſuum ad manducandũ, & ſanguinem ad bibendum, vt Pſal. 33. in expoſitione,ſub finem & concion.1. in Pſal.48. circa principium, & enarrat. in Pſalm.65. ante mediũ, & expoſition. in Pſam. 93. circa princip. & ſerm. 2.de Verbis Apoſtoli capit.primo, & lib.50. Homiliarum in vltima aliàs lib.de Vtilitat.Pœniten. cap.quarto, & lib.ſecundo contra Literas Petiliani cap. 37, & libr, primo de Peccatorum meritis capit.24. vbi ait *Sine baptiſmo,& corpore,& ſanguine Domini nemini ſperanda eſt ſalus,ac vita æterna.*Et ideò Chriſtianos Carthaginenſes ſolitos fuiſſe vocare baptiſmum ſalutem,& Euchariſtiam vitam, Et interdum ad maiorem declarationem addit, bibere nos ſanguinem,quo redempti ſumus,vt 12.contraFauſtum cap.10.Optimè dicit, *Habet magnam vocem Chriſti ſanguis in terra,cùm eo accepto,ab omnibus gentibus reſpondetur, Amen. Hæc eſt clara vox ſanguinis,quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium,eodem ſanguine redemptorum.* Denique in lib.20.contra eundem Fauſtum cap. 13. *Panis* (inquit) *& Calix,non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis corpus Chriſti. Proinde quod non ita fit, quamuis ſit panis, & calix, alimentum eſt refectionis, non ſacramentum religionis, niſi quod benedicimus Domino, & gratias agimus in omni eius munere.* Et ſic etiam libr. ſecundo de Peccator. meritis capit. 26. de pane benedicto, ſeu cathecumenorũ dicit, ſanctum eſſe,& ſanctiorem, quàm ſint communes cibi, *Quoniam ſacramentum eſt*, id eſt, ſacrum ſignum, *quamuis* (inquit) *non ſit corpus Chriſti*, quod nimirum corpus longè altiori modo eſt ipſum Euchariſtiæ ſacramentum.

M 3 Quin-

9. Cyprian. Quintus teſtis ſit Cyprianus, qui in ſerm. de Cœna Domini fusè ita explicat hoc diuinum myſterium, & inter alia dicit, *Inconſumptibilem cibum Magiſter apponit diſcipulis.* Et infrà, *Immortalitatis alimonia datur à communibus cibis differens,* Et poſt multa, *Panis iſte cõmunis in carnem, & ſanguinem mutatus procurat vitam, & incrementum corporibus, ideoq; ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quã ſpirituali tranſitione Chriſto nos vnire.* Et infrà, *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Quod ſtatim explicat exemplo diuinitatis latentis ſub humanitate, & optimas rationes tanti myſterij adducit. Et paucis interpoſitis, *Vniuerſa Eccleſia ad has epulas inuitatur, æqua omnibus portio datur, integer erogatur, &c.* Per quæ omnia euidenter teſtatur præſentiam Domini in hoc Sacramento. Quod ſiquis in dubium reuocet, an opus illud ſit Cypriani. Reſpondemus in primis, ab omnibus ferè grauioribus Theologis, & peritis authoribus Cypriano attribui, quia ſtylus, phraſis, & doctrina ipſum ſatis indicant. Deinde, ſi fortaſsè non ſit Cypriani, nemo ſanè ambigere poteſt, quin fuerit alicuius grauiſsimi Patris eiuſdẽ ætatis. Ac Deniq; quàm plurimis indubitatis locis idẽ Sanctus paucioribus licèt verbis, eandem eiuſdem Sacramenti fidem oſtendit vt epiſt. 11. exponit Euchariſtiam, id eſt, *Sanctum Domini corpus,* & latiùs epiſt. 63 dicens, *Chriſtus ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt panem, & vinum, ſuum, ſcilicet, corpus, & ſanguinem,* quod per totam fere epiſtolam proſequitur. Idem epiſt. 54. 56. & 76. & lib. de Lapſis in principio & alibi ſæpe.

10. Leo Papa. Sextus, & grauiſsimus teſtis eſt Leo Papa in ſermon. 6. de Ieiunio ſeptimi menſis, *Dicente* (inquit) *Domino, niſi mãducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis, ſic ſacræ menſæ cõmunicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti, & ſanguinis ambigatis, hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur, & fruſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra id, quod accipitur* A *diſputatur.* Idem tradit ſerm. 4. Quadrageſimæ & 7. de Paſsione. Et epiſt. 23. ad Clerum, & plebem Conſtantinopolitanam, contra hęreticos negantes veritatẽ noſtræ carnis in Chriſto, ait, *In quibus iſti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus deſidiæ torpore iacuére, vt nec auditu diſcerent, vel lectione cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei in omnium ore tam conſonum eſt, vt nec ab infantium linguis veritas corporis, & ſanguinis Chriſti inter communis ſacramenta fidei taceatur.* Optima eſt etiam illa ſententia Optati libro. 6. contra Parmenianum, Optatus. B *Quid eſt altare, niſi ſedes corporis, & ſanguinis Chriſti.* & illa, *Fregiſtis calices ſanguinis Chriſti portatores.* Multa etiam legi poſſunt apud Tertullianum ſuprà relatis antiquiorẽ lib. de Reſurrect. carnis c. 8. & lib. de Pudicitia, c. 9. & lib. 3. cõtra Marcionem cap. 19. & lib. 4. cap. 40. vbi Pameli. n. 662. plura alia eius loca congerit, illique adiungit Lactantiũ, & vtrũq; à calumnijs hæreticorum defendit vſque ad numerum 668. Sunt etiam grauia, & omnino notanda teſtimonia apud Gaudentium tract. 2. in Exodũ, & apud Paulinum epiſt. 3. ad Seuerum circa finem, C & epiſt. 4. ad Eundem aliquantulũ à medio, qui etiam ſunt prioribus æquales. Neque omittendi ſunt Gregor. libr. 4. Dialogor. cap. 58. & lib. 2. in primũ Regum, non longe ab initio, & Beda lib. de Myſterijs: nam licèt hi Patres poſt quingenteſimum Chriſti annum fuerint non docent, niſi quod à prioribus Patribus acceperunt. Quam continuatam traditionem poſteà oſtenderunt Paſchaſius libro de Corpore, & ſanguine Domini, & qui deinceps contra Berengarium inſurrexerunt, præſertim Lanfrancus, Guitmundus, & Algerus, quibus tan- D dem annumerandi etiam ſunt, Anſelmus libro de Corpore Chriſti, & Bernad. in Epiſtol. 190, in fine, & Diuus Thomas, Bonauentu. & alij. Nam ex illis omnibus euidenter conſtare poteſt vniuerſalis, & perpetuus Catholicæ Eccleſiæ ſenſus, quantum ad Scriptores Latinos pertinet.

Tertullia. Pamelius. Gaudenti. Paul. Gregor. Beda. Paſchaſius Lanfranc. Guitmũd. Alger. Anſelmus D. Thom. Bonauent.

Supereſt, vt ex Patribus Græcis non nulla delibemus quorũ pauciora verba vt breuitati cõſulam, referã, multa enim ſunt clariſsima, & ſatis obuia: Pręſertim verò taceo antiquiores, Dionyſiũ Areopagitam

11. Dionyſ. de Eccleſiaſti. hierar. c. 3. p. 3. non lõge à fine.

Ignatius ep. 10 ad Smirnenſes, & epiſt. 14. ad Ephe. & 15 ad Roman. Martialis epiſt. 1. cap. 3. & 4. Idem ex Patribus Græcis oſtenditur.

pagitam, Ignatium, & Martialem, quia eorum ſcripta, quanuis ſatis recepta ſint, & ab antiquiſsimis Patribus allegentur, ab hæreticis in dubium reuocantur. Primus ergò ſit Chryſoſtomus Homil. 60. ad Populum, & 45. in Ioan. vbi inter alia hæc habet ſelectiſsima, *Vt non tantùm per charitatem hoc fiamus* (id eſt, vnum corpus cum Chriſto) *verùm & ipſa re in illã miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium, quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit.* Et infrà, *Parentes quidem alijs ſæpè filios tradunt alendos, ego autem inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, & me ipſum vobis appono.* Et iterùm, *Volui frater eſſe veſter, carnem propter vos, & ſanguinem aſſumpſi, vobis viciſsim ipſam carnem, & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus eſt, trado.* Quæ quidem ſententię ſi ſigillatim perpendantur ſedulò, mirabilis huius Sacramenti inſtitutionis ſingulas & optimas exhibebũt rationes, quas per effectus huius Sacramenti fusè declarat. Deinde ex virtute inſtituentis eandem confirmat veritatem, tùm ibi, tùm Homil. 83. in Matthæ. dicens, *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita, qui tunc ipſa fecit in illa Cœna, idem ea nunc quoq; facit. Nos miniſtrorum tenemus locũ, qui verò ſanctificat, & immutat, ipſe eſt.* Et infrà, *Audiamus, & horreamus, ſanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum.* Multa ſimilia habet Homil. de Proditione Iudę in fine tom. 3. & Homil. ad Neophyt. tom. 5. & Homil. 24. & 27. in 1. ad Corinth. & Homil. 3. in cap. 1. ad Epheſ. & plura libr. 3. de Sacerdotio in principio, præſertim ab illis verbis, *O miraculum, ò Dei benignitatem, qui cum Patre ſurſùm ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſum tradit volentibus ipſum excipere, ac complecti, &c.*

Chryſoſt.

12. *Cyrillus.* Secundò eſt inſigne teſtimonium D. Cyrilli in epiſt. 10. ad Neſtori. *Incruentum in Eccleſia perficimus cultum, atq; ita ad myſticas accedimus benedictiones, ac ſanctificamur, participes facti ſanctæ carnis, pretioſiq́ue ſanguinis Seruatoris noſtri omnium Ieſu Chriſti, nec vt communem carnem accipimus, abſit, neq; tanquam viri ſanctificati, & Verbo coniuncti ſecũdum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſsidentis habitationem, ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam.* Et ita ſtatim exponit illud Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Refertur autem hæc epiſtola in Actis Concilij Epheſini, & in antiquis Concilijs inſcribitur epiſtola Concilij Epheſini ad Neſtorium, Et ideò Lanfrancus, & Guitmundus hoc teſtimoniũ allegant ſub authoritate Cõcilij Epheſini. In Concilio autem Epheſino opera Theodori Peltani integrè inuento, & Latinitate donato tom. 1. cap. 14. refertur eadem epiſtola ſub nomine Cyrilli, & Synodi Alexandrinæ, quæ ante Epheſinam pręceſsiſſe videtur. Poſteà vero in eodem Concilio Epheſino tom. 2. cap. 5. eadem epiſtola Cyrilli ad Neſtorium lecta fuit, &, vt ibi notat Peltanus, quanuis ibi non legantur acclamationes Patrum, quæ circa aliam epiſtolã Cyrilli ad Neſtorium cap. 3. factæ ſunt: nihilominùs dubitari non poteſt, quin eodem modo fuerit illa epiſtola à toto Concilio approbata. Vnde in Concilio Chalcedonenſi ſępè legimus, doctrinam Cyrilli fuiſſe approbatam in Concilio Epheſino, & in fine totius Actionis dicuntur approbatæ duæ epiſtolæ eius, & ſpecialiter confirmantur duodecim anathematiſmi, qui habentur in fine eiuſdẽ epiſtolæ ad Neſtorium. Habet ergò teſtimonium hoc maiorem vim ex authoritate Concilij Epheſini, quod eſt vnum ex quatuor primis, quæ Rex admittit.

Conc. Eph. Peltanus.

Chalcedon.

Vlterius verò idem Cyrill. in lib. ad Euoptiũ, reſpondendo Theodoreto pro ſuis anathematiſmis in defenſione vndecimi refert verba Neſtorij, nos manducare carnem Chriſti, quod Cyrillus approbat, ad literam intelligendo Chriſti verba. Neſtorium autem reprehẽdit, quatenùs ſeparabat corpus Chriſti à diuinitate; ipſe autem docet, *ideò nos accipere carnem viuificatricem, & cibum manentem in vitam æternam, quia accipimus carnem Verbo Dei vnitam.* Quod etiam repetit lib. de Fide ad Reginas ſub titulo, *quòd Chriſtus ſit vita ex Euangelio Ioannis,* & refertur etiam in Concilio Epheſino tomo. 1. Idem latè, & optimè libr. 4. in Ioan. cap. 12. *Dedit* (inquit) *pro vita omnium corpus ſuum Dominus, & per illud rurſus vitam in nobis immittit, & quomodo* 14. *Idem Cyrillus.* *Concil. Epheſin.*

 dicam

dicam breuiter pro viribus meis, nam cum viuificans Dei filius in carne habitauerit ad ſuũ bonum eam, id eſt, ad vitam, reformauit, & totus, vt ita dicam, ineffabili modo vnionis coniunctus viuificantem effecit, quia natura viuificans eſt, propterea participantes hæc caro viuificat. Quod per ſequentia capita vſque ad 17. latè proſequitur. Præcipuè verò notandum eſt decimum tertium, vbi reprehendit hæreticos imitantes Capharnaitas hæſitantes, *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Nam de Deo* (inquit) *magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil eſſe impoſsibile apud Deum, &c.* Capite verò 17. deſcribit egregiè quomodò Chriſtus in nobis maneat, & nos in ipſo, cùm illum manducamus, exemplò ceræ liquefactę, in quam altera infunditur, vt altera cum altera per totum cõmiſceatur, illo enim exemplo nos non ſola fide, ſed verè, realiter, & corporaliter Chriſtum manducare, declarare contendit.

14. *Cyrill. Hieroſolymit.* Atque hoc ipſum eſt, quod Cyrillus Hieroſolymitanus cathecheſi. 4. myſtagogica verbis Chriſti propoſitis ſubnectit, *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet, & dicat de pane, Hoc eſt Corpus meum, quis deinceps audeat dubitare, ac eodem confirmante, & dicente, Hic eſt ſanguis meus, quis dubitet, & dicat, non eſſe illius ſanguinem.* Et infrà, *Quare omni cum certitudine corpus, & ſanguinem Chriſti ſumamus, vt ei comparticipes corporis, & ſanguinis, & Chriſtophori, id eſt, Chriſtum ferentes, efficiamur, cùm eius corpus, & ſanguinem in membra noſtra receperimus.* Quod latè proſequitur. Et cathecheſi. 5. *Guſtantes* (inquit) *non panem, aut vinum, vt guſtent iubentur, ſed quod ſub ſpecie eſt, videlicet, panis, & vini corpus, & ſanguinem Domini.* *Epiphan.* Simili modo expoſuit verba Chriſti Epiphanius in Ancorato, *Et nemo* (inquit) *non fidem habet ſermoni, nam qui non credit, ipſum eſſe verum, ſicut dixit, is excidit à gratia, & ſalute.* Deniq; eandem veritatem confirmat *Athanaſ.* Athanaſius libr. de Incarn. Chriſti in fine, dicens, *In communionem corporis Domini admiſſi ſumus, ſicut ipſe dixit, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita: ſpiritus enim viuificans eſt caro Domini, quoniam ex ſpiritu viuificante concepta eſt.* *Greg. Nazianz.* Gregorius etiam Nazianzenus Orat. 3. quæ eſt prima contra Iulianum, & Orat. 42. quæ

A eſt ſecunda in ſanctum Paſcha verſus ſinem, *Sine pudore* (inquit) *ac dubitatione corpus ede, ſanguinem bibe, ſi modo vitæ deſiderio teneris, &c.*

15. *Greg. Nicæn.* Idem ſenſit Gregorius Nicænus in lib. de Vita Moyſis, ſeu de vita perfecta circa medium, dum ait, *Cæleſtem cibum nobis eſſe ſuſcipiendum, quem nulla nobis actio agriculturæ artibus produxit, ſed panis eſt abſque aratione, abſque alio humano opere nobis paratus. Is deſuper defluens in terris inuenitur, panis enim, qui de Cœlo deſcendit, qui verus cibus eſt, qui ænigmaticè per Manà ſignificatur,* B *non incorporea quædam res eſt, quo enim pacto res incorporea corpori cibus fieret, res verò, quæ incorporea non eſt, corpus omnino eſt.* Et infrà. *Is igitur mirabilis ſine agricultura panis, varietate qualitatis ad ſuſcipientium habitudinem virtutẽ ſuam commutat, &c.* Quibus ſatis indicat, quàm altè, & excelsè de illo cibo ſenſerit. *Baſil.* Aliaq; plura habet Baſilius in Exhortatione ad Baptiſmum, vbi Euchariſtiam vocat *viuentem panem*, dicens, *Nec vnquã Iſrael ex ſpirituali petra bibiſſet, niſi ex figura baptizatus fuiſſet, nec tibi aliquis verã potionem, niſi verè baptizato præbebit.* C *Panem Angelorum ille poſt baptiſmum accepit, tu autem quomodo viuentem comedes panẽ, niſi ſumpto hoc ſacramẽto.* Et in lib. de Baptiſmo in tertia eius parte, in qua oſtendit, *eum, qui per baptiſmum regeneratus eſt, participatione deinceps diuinorum myſteriorum nutriri debere*, verba Chriſti tam promiſsionis apud Ioannem, quam inſtitutionis apud alios Euangeliſtas ad literam, & ſimpliciter intelligit. Et ſimilia habet in Regulis moralib. regul. 21. *Iuſt. Martyr.* Iuſtinus etiam Martyr Apologia 2. pro Chriſtianis in fine apertiſsimè hanc veritatem docet, & ex antiquiſsima traditione, D & conſuetudine Eccleſiæ illam confirmat. *Irenæus.* Denique idem habet Irenæus libro 4. contra hæreſes cap. 34. cuius aliqua verba ſtatim referam, & lib. 5. cap. 2. eos redarguens, qui veritatem carnis, & ſanguinis in Chriſto Domino, eiusque aſſumpta natura negant, inquit, *Sic autẽ, ſecundum hæc, videlicet, nec Dominus ſanguine ſuo redemit nos, neque calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis eius eſt, neque panis, quem frangimus communicatio corporis eius eſt.* In quibus verbis maximè cõſideranda eſt æquiparatio. Æquè enim abſur-

abſurdum, & verę fidei contrarium exiſtimauit Sanctus hic Martyr, negare, verum corpus, & ſanguinem Chriſti nobis in Euchariſtię ſacramento communicari, ac vero Chriſti ſanguine nos eſſe redemptos inficiari. Et probationẽ innuit, quia ſicut Apoſtolus ait, nos habere redemptionem per ſanguinẽ eius, *ita Chriſtus eum calicem, ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, & eum panem, qui eſt à creatura, ſuũ corpus confirmauit.* Vnde cõcludit, *Quando ergò, & miſtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis, & ſanguinis Chriſti.* His ergò euidentibus teſtimonijs ſatis liquet, antiquiſsimam Eccleſiæ fidem, & verborum Chriſti germanum ſenſum fuiſſe, Chriſtum ipſum verè, ac realiter in Euchariſtia eſſe præſentem.

CAPVT II.

Subſtantiam panis, & vini ſub ſpeciebus conſecratis non remanere.

1. ALTERA veritas in aſſertione trãſubſtantiationis incluſa eſt in Euchariſtia, poſt conſecrationẽ, ſubſtantiam panis, & vini non permanere, quam Eccleſia Romana, & Catholica tãquam de fide certam amplectitur, fundata etiam in verbis Chriſti, & perpetua traditione, vt Concilium Tridentinum nuper declarauit, & ante illud plura alia, quæ nunc referre, non eſt neceſſe, cùm à Rege non admittantur. Sola igitur teſtimonia antiquorum Patrũ proferemus, quibus conſtet, hunc ſenſum verborum Chriſti, & hanc fidem non eſſe nouam, aut nuperam, ſed primis quingentis annis in Catholica Eccleſia fuiſſe creditam, ac proinde ab Apoſtolis traditam. Omnes itaque Patres, qui docent, per conſecrationem panem mutari, conuerti, aut tranſire in corpus Chriſti, apertè itidem panem communem poſt conſecrationẽ non manere, contendunt. Quia quod in aliud tranſit, ſeu conuertitur, in ſua, quã antea habuit eſſentia, non manet, vt per ſe notum eſt, & multi ex eiſdem Patribus expreſsis verbis declararunt. Maximè Iuſtinus dicta Apologia 2. pro Chriſtianis, vbi loquens de Euchariſtia dicit, *Neque enim communem vſitatumq́ panem,*

Seſſ. 3. c. 4. can. 2.

Hanc veritatem in primis quinq; ſeculis ita creditã fuiſſe, oſtenditur ex Patribus.

Iuſtinus Martyr.

A *vſitatamq́ potionem capimus, ſed quemadmodum per Dei verbum homo factus Ieſus Chriſtus Seruator noſter, & carnem, & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus, conſecratus eſt, & quo ſanguis, carneſq́ noſtræ communione aluntur, Ieſu Chriſti, eius, qui homo factus eſt, & carnem, & ſanguinem eſſe accepimus*, ſtatimq; verba Chriſti adducit, & in hoc ſenſu ab Apoſtolis eſſe tradita, manifeſtè teſtatur.

Eodem modo Irenæus lib. 4. cap. 34. *Quemadmodum* (inquit) *qui eſt à terra panis percipiens inuocationem Dei iam non cõ*- 2.
B *munis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena, & cæleſti* (id eſt ſpeciebus panis, & corpore Chriſti) *ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam iam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* In quibus verbis apertè negat, manere communem panem ſub ſpeciebus conſecratis, ſed cœleſtem, conflatem ex carne Chriſti, & ſpeciebus panis. Et in eodem ſenſu dixit Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi. 3. myſtagogica. *Panis Euchariſtiæ poſt Sancti Spiritus inuocationem non ampliùs panis communis, ſed eſt cor*-
C *pus Chriſti.* Et in catecheſi. 4. *Aquam* (inquit) *aliquando mutauit in vinum, quod eſt ſanguini propinquum, ſola voluntate, & non erit dignus, cui credamus, quòd vinum in ſanguinem tranſmutaſſet? Sicùt ergò poſt tranſmutationem aquæ in Cana Galilææ factam ſubſtantia aquæ non manſit, ita nec ſubſtantia vini manet in calice, poſtquàm in ſanguinem Chriſti tranſmutatur.* Vnde infrà cõcludit, *Exultet anima mea in Domino, hoc ſciens, & pro certiſsimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti.* Et eodẽ ferè modo loquuntur Chry-
D ſoſtomus, Gregorius Nycęnus, & Euſebius Emiſenus, quos alibi retuli. Suntq; etiam optima verba Epiphanij, quibus eandem veritatem inſinuat ſermon. de Laudib. Virginis, ad quam ita loquitur, *Aue Sanctiſsima Virgo, quæ velut rubus intellectualis abſque combuſtione diuinitatis ignem tenes. Libanus intellectualis, qui ignem, & panem vitæ calidum mundo in eſum attulit, de quo Saluator mundi Chriſtus ait, Accipite, comedite, Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſsionem peccatorum.* Quæ verba ita intelligit, vt panem

Irenæus.

Cyrill. Hieroſol.

Chryſoſt. Greg. Nic. Euſeb. Emiſen. Epiphan. in 3. to. 3. part. diſp. 48.

nem illum non niſi panem vitæ eſſe credat, ac profiteatur.

3. *Ambroſ.*

Inter Latinos verò ſapientiſsimè hoc explicauit Ambroſius in lib. 4. de Sacrament. cap. 4. vbi ſic ſcribit, *Tu fortè dicis, meus panis eſt vſitatus. Sed panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Et infrà, *Si tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quantò magis operatorius eſt, vt quæ erant in aliud cõmutentur.* Et infrà, *Ergò, tibi vt reſpondeã, non erat corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem, dico tibi, quòd iam corpus eſt Chriſti, ipſe dixit, & factum eſt, ipſe mandauit, & creatum eſt.* Quod inferius iterùm repetit. Et in cap. 5. idem confirmat ex illo principio, *quia potens eſt ſermo Chriſti, vniuerſa conuertere.* Et libro de Initiandis, cap. 9. *Quantis* (inquit) *vtimur exemplis, vt probemus, non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, maioremq́; vim eſſe benedictionis, quàm naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur.* Et infrà. *Quòd ſi tantùm valuit humana benedictio, vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini Saluatoris operantur?* quod latiùs ibidem proſequitur. Hoc etiam ſignificauit Auguſti-

Auguſt. nus lib. 20. contra Fauſtũ cap. 13. dicens, *Panis, & calix non quilibet, ſed certa conſecratione myſticus fit nobis corpus Chriſti, nõ naſcitur.* Quod verbum vltimum Alge-

Alger. rus lib. 1. de Sacramentis cap. 6. ita accuratè perpendit; *Cùm panis myſticus non naſcatur, nec aliqua naturæ terrenæ origine, vel conditione in hoc diuino gratiæ ſacramento creetur, ſed ita corpus Chriſti fiat, vt panis eſſe deſinat, quomodo Chriſtus in pane, qui iam non eſt, impanari dicitur?* Deniq; Cypria-

Cyprian. nus in ſermone de Cœna Domini eodẽ modo loquitur, dicens, *Immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis diuinæ inuiſibili efficientia probans adeſſe præſtantiam.* Et infrà. *Panis iſte cõmunis in carnem, & ſanguinem mutatus, procurat vitam, & incrementum corporibus.* Et infrà, *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia Dei factus eſt caro.* Pluraq; ſimilia in ſequentibus tradit, quibus eandem veritatem confirmat.

4. *Tertull.*

A Et in eundem ſenſum dixit Tertullianus libr. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt Corpus meum, dicendo.* Videtur, inquient Proteſtantes, ſentẽtiam deſtruere, cùm addit, *id eſt figura corporis mei.* Sed ſine dubio nõ intellexit ea verba in eo ſenſu, quo illa accipiunt aduerſarij: alioqui & in eodem contextu pugnantia diceret, & ſibi ipſi in multis alijs locis eſſet contrarius. *Euaſio hæreticorũ reijcitur.* Vel ergò intellexit, non panem iam conſecratum, ſed panem olim oblatum, vel ali-

B quo modo ſanctificatum fuiſſe figuram corporis Chriſti, vt in oblatione Melchiſedech, & in panibus propoſitionis, quia Chriſtus dandus erat nobis in cibũ ſub ſpecie panis. Propter quod etiam nomine panis corpus appellatum eſt à Ieremia dicente, *Venite, mittamus lignum in panem eius*, *Ierem.* quem locum ibi Tertullianꝰ allegat, & ex illo, & ex alijs verbis idem Tertullianus ibi, *figuram illam veterẽ* appellat. *Tertull.* Et hunc ſenſum latè ibi confirmat Pamelius cum Gagnęio, & alijs. *Pamelius.* Vel certè, ſi panem conſecratum vocauit figuram corporis Chriſti, per figuram ni-

C hil aliud, quàm ſacramentum intellexit: nam licèt corpus Chriſti verè ſit in Hoſtia conſecrata, nihilominùs ſimul eſt ſignum corporis Chriſti ibi contenti; & ita explicare voluit Tertullianus, panem conſecratum non eſſe verum, ſeu materialem panem, quia ſolùm ibi ſunt ſpecies eius, continentes, & ſic figurantes corpus Chriſti, quod propterea & panis olìm eſt vocatum, & per panem quondam præfiguratum. Et hunc ſenſum cõfirmat cùm ſubdit, *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Item, *Aut ſi proptereà panem corpus ſibi finxit, quia corporis carebat veritate; ergò panem debuit tra-*

D *dere pro nobis.* Nam per hæc verba explicat, non fictè, ſed verè, Chriſtum feciſſe panem corpus ſuum, non illum tantùm ad ſignificandum imponendo, neque ſibi per modum corporis vniendo, ſed eundem in verum ſui ipſius corpus conuertendo. Hæc ergò fuit Tertulliani ſẽtẽtia, quam in lib. de Orat. cap. 6. & lib. 2. ad Vxor. cap. 5. confirmat, Vbi eſt illud, *Tertull.* *Etſi ſciuerit, panem non illum eſſe credit, qui dicitur.* Et habet ſimilia lib. de Pudicitia, & lib. de Reſurrect. carnis, & alijs ſimilibus.

libus. Præter pręfatos etiam antiquiores Patres, eandem veritatem amplexi ſunt omnes, qui poſt quingenteſimum Chriſti annũ floruerunt, Damaſcenus, Theophylactus, Gregorius, Beda, Remigius, Paſchaſius, Algerus, Lanfrancus, Anſelmus, Bernardus, Bonauentura, & alij, quorum teſtimonia obuia ſunt, & eorũ idcirco per tranſennam ſolum, nomina indico, vt ex perpetuo Patrum conſenſu in diuerſis temporibus conſtet, Eccleſiæ ſenſum ſemper eundẽ extitiſſe, nullamq; nouitatem in hoc myſterio à recẽtioribus Põtificibus introductam fuiſſe.

CAPVT III.

De Tranſſubſtantiationis veritate.

1. EX his demum duobus principijs catholicis, & antiquiſsimis, quòd ſub ſpecibus conſecratis verè adſit ſubſtantia corporis Chriſti, & abſit ſubſtantia panis, euidenter ſequitur veritas tranſſubſtãtiationis, quam immeritò Rex inter nuperas nouitates memorat. Cùm enim tranſſubſtãtiationem carpat: interrogo rem ne ipſam defugiat? vel ſolam vocem deuitet? Si de re agatur, teſti-
Tranſubſtãtiationem omnibus ſeculis receptam fuiſſe, oſtenditur. monijs omnium Patrum quinque primorum ſeculorum, trãſſubſtãtiationem non eſſe nouam, ſed omnibus ſeculis traditam euincitur. Nam per tranſſubſtantiationem Eccleſia nihil aliud intelligit, quàm conuerſionem, ſeu tranſitum panis in corpus Chriſti, aut (quod perinde eſt) deſitionem panis, non ſimpliciter in nihilum, ſed loco illius corpore Chriſti, ſuccedente. Vel è conuerſo tranſſubſtantiatio nihil aliud eſt, quã mirabilis actio, qua corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis conſtituitur, & ſubſtantia panis expellitur. At certè allegati Patres antiqui conuerſionem panis in corpus ſub his etiam confitentur verbis, & in eodem ſenſu nomine tranſmutationis panis in corpus vtuntur ſæpè, vel panem fieri corpus aſſerunt, vel tandem diſtinctè negant, poſt conſecrationem manere naturalem panem, & eſſe myſticum, cœleſtem, ac verum Chriſti corpus conteſtantur: ergò re ipſa nihil aliud docent, quàm tranſſubſtantiationem; res ergò tranſſubſtantiationis noua non eſt, ſed antiquiſsima, & catholica veritas.

Si autem Rex in ſola voce tranſſubſtãtiationis nouitatem adinuenerit immeritò proculdubio offenditur, quia licèt non ſit illius antiquitatis, quam ipſe deſiderat, ante quadringentos annos illa vſa eſt Eccleſia, & maxima illius concordia, & authoritate approbata eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocẽtio III. cui Grę- 2. Trãſſubſtãtiationis nomen & antiquũ, & maxima authoritate introductum eſt. *Conc. Lat.*
ci, & Latini, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi ferè quadringenti octoginta, & complures alij Abbates, & Prælati, & Legati Imperatorum, Romani, & Orientis, & Regum Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, & aliorum, cum ſummo Pontifice, & Cardinalibus, interfuerunt. In eius autem capite primo ſic dicitur. *Vna verò eſt fidelium vniuerſalis Eccleſia, extra quam nullus omninò ſaluatur. In qua idem ipſe ſacerdos, & ſacrificium Ieſus Chriſtus, cuius corpus, & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter cõtinentur: tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina, vt ad perficiẽdum myſterium vnitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro.* Neq; opinari oportet verbum illud à dicto Cõcilio fuiſſe inuentum: nam ante illa tempora inuenimus vſum illo fuiſſe Gaufredum Ciſtercienſem monachum in epiſt. ad Cardinal. Atanenſem, quam refert Baron. ann. 1188. n. 18. vbi etiam indicat fuiſſe tunc communiter à Theologis vſu receptum. Atque idem verbum inuenimus in hiſtoria quadam authentica, quã idem Baron. refert anno 1192. in fine. Ignoratur ergò initium conſuetudinis vtendi hoc verbo ad myſterium Euchariſtiæ explicandum. Sed tamen ante Cõcilium Lateranenſe non erat publica authoritate confirmatum, ibi verò vniuerſa Eccleſia in vſu illius vocis *Tranſſubſtãtiationis* ad explicandum hoc myſteriũ conſenſit. Et poſteà Concilium Florentinum quanuis illa voce nõ fuerit vſum, loco illius, eius definitionem, ſeu deſcriptionem appoſuit dicens, *Subſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur.* Nihil enim aliud Lateranenſe Concilium tranſſubſtantiationis voce ſignificare voluit, niſi conuerſionem totius ſubſtantiæ in aliam integram ſubſtantiam, huius ſiquidem conuerſionis genus optimè illa voce ſignificatur, & exprimitur. Nam & præſcindit à vo-

Conc. Florẽtinum loco tranſſubſtãtiationis eius definitione vſum eſt.

à voce mutationis, quæ in phyſico rigore ſolet ſubiectum poſtulare, & excludit quencũque errorem aſſerentem manere ſub ſpeciebus panis, vel naturam integram panis, vel partem eius vt materiam, aut formam, vel aliquid eius, vt ipſum eſſe, vel ſubſiſtentiam panis. Ideoq; merito Concilium Tridentinum ſeſſ. 13 cap. 4. & canon. 2. aſſeruit conuerſionem illam totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtãtiæ vini in ſanguinẽ Chriſti *conuenienter, propriè, & aptiſsimè à Sãcta Eccleſia Catholica tranſſubſtãtiationem eſſe appellatam.*

Conc. Trident.

3. Denique ſuperiori libro oſtẽſum eſt, ſolere Eccleſiam in Concilijs præſertim œcumenicis nouas adinuenire voces, quibus antiqua myſteria fidei contra inſurgentes hæreticos, & nouas eorum opiniones, tergiuerſationes, & calumnias declaret, ac defendat; cur ergò non potuerunt Concilium Lateranenſe, & Tridẽtinum in ſimili vocis inſtitutione, vel approbatione antiqua Concilia Nicenũ. 1. & Epheſinum. 1. imitari. Quid ergò habet Rex, quod in tranſſubſtantiationis voce improbet, cùm rẽ negare nequeat, ſi catholicus non tantùm nomine, ſed & re vera, quod ſummoperè optamus, eſſe velit: aut quomodò poteſt negare, tranſſubſtantiationem eſſe antiquiſsimam, eo quòd ſola vox minùs antiqua ſit, cum in cauſis non diſsimilibus ſimiles antiquorum hæreticorũ tergiuerſationes Athanaſius, Cyrillus Alexandrinus, & alij Patres illis æquales grauiſsimè reprehenderint. Atq; hæc de huius myſterij ſubſtantia, ac veritate pro huius loci opportunitate dixiſſe ſufficiat, vt ad alios notatos errores tranſitum faciamus.

CAPVT IIII.

Euchariſtiam latriæ adoratione conuenienter adorari, & in hunc finem eleuari, & circumgeſtari.

1.
Chriſtũ Dominum cultu latriæ adorandũ eſſe, oſtenditur.

NON eſt difficile ex poſito principio fidei veritatẽ hanc euidenter elicere, & alterum Proteſtãtium errorem, quo Sacroſanctæ Euchariſtiæ adorationem taxant, vel negant, ſatis perſpicuè refellere. Nam Chriſtum Dominum verum Deum hominem vni-

A
ca, & perfecta latriæ adoratione adorandum eſſe docuit expreſſe Cyrillus cum Cõcilio Alexandrino in epiſtola ad Neſtorium de Excommunicat. his verbis, *Cùm verbum carni ſecundũ hypoſtaſim vnitum eſſe confitemur, vnum adoramus filium ac Dominum Ieſum Chriſtum.* Et in anathematiſmo. 8. damnat hunc modum loquendi, *aſſumptum hominem vnà cum Deo Verbo eſſe adorandum, & glorificandum,* & anathema dicit in eum, *qui non magis vnà adoratione Emmanuelem honorat, & vnam illi glorificationem, ſicuti Verbum caro eſt factum, adaptat.* Quam doctrinam approbauit Concilium Epheſinum. 1. & Concilium Calcedonenſe, vt ſupra retuli, & ab vniuerſa Eccleſia recepta eſt, nec poteſt illam negare Rex Angliæ, qui ſe quatuor prima concilia venerari profitetur. Præſertim quia ſępè in Euangelio legimus, huiuſmodi adorationem Chriſto Domino non raro datam, nec ab ipſo recuſatam, ſed approbatam potiùs. Vt patet Ioan. 9. in cæco à Chriſto illuminato, qui iam credens *procidens adorauit eum,* & cap. 20. in Thoma dicẽte, *Dominus meus, & Deus meus.* Et Paulus ad Philippenſes 2. de hac adoratione loquitur, cum dicit, *In nomine IESV omne genu flectatur.* Et ad Roman. 14. de Chriſto interpretatur illud Iſai. 45. *Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deum.* Eſt ergò de fide certiſsimum, Chriſtum Dominũ in ſua ſpecie viſibili perfectiſsimo cultu adorandum eſſe. Cùm igitur oſtenſum ſit, eundem Chriſtum Deum hominem verè, & realiter eſſe in Euchariſtia præſentem, nullus re vera credens Incarnationis, & Euchariſtiæ myſteria, negare poteſt, Euchariſtiam eſſe adorandam.

Cyrill.

B

Conc. Epheſ. 1.
Conc. Chalcedon.

Hæc veritas tam in quatuor primis Concilijs, quam in Scriptura continetur.

Ioan. 9. & 20.
Ad Philippen. 2.
Rom. 14.
Iſai. 45.

C

2.
An fortè quia Chriſtus ibi modo naturali, & viſibi non exiſtit, & ſub ſpeciebus ſacramentalibus latet, ideò ne tandẽ non æquè adorandus, ac ſi corporeis oculis obijceretur? At hoc ſolummodo contingat illis, qui ſuis tantùm ſenſibus fidẽ adhibent, qui profectò etiam in ſpecie viſibili Chriſtum non adorarent, quia eiuſdem diuinitatem non viderent. Qui ergò vera fide in ſua religione, & adoratione ducitur, ſicut adorat inuiſibile Verbum cum carne ſub qua latet, ita adorat Verbum carnem factum, licèt ſpeciebus ſacramentalibus ſit obuelatũ. Vnde ſicut

D

Chri-

A Chriſtus Dominus Thomæ dixit, *quia vidiſti me Thoma, credidiſti*: nam videndo Chriſti corpus, & eius vulnera, ipſũ Deũ credidit, & vt talem adorauit, ita quilibet Catholicus fidem adhibens verbis Chriſti, & videns ſpecies eiuſdem verbis conſecratas, Deum ſub illis per fidem intuetur, & ita ſacramentum illud adorat.

Quam ob cauſam hæc Euchariſtiæ religio, & adoratio antiquiſsima etiam eſt in Eccleſia, quod nullus, qui antiquos Patres legerit, negare poteſt, quos breuiter cõmemorabo, vt hac etiam ratione conſtet, immeritò Regem Angliæ hunc ar- B ticulum inter nouos, & nuperos annumeraſſe. Et in primis Ambroſ. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 12. priùs de Angelis dicit, Adorare non ſolùm diuinitatem Chriſti, sed etiam *ſcabellum pedum eius*, quod de myſterio Incarnationis intelligit, & ſcabellum *terram illam, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumptione ſuſcepit*, interpretatur, & ita exponit verba Pſalmi. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius*, dicens, *per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoq; in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarunt, neque enim diuiſus eſt Chriſtus, ſed vnus.* Vbi apertè loquitur de perfecta adoratione latriæ, & adorationi Chriſti in propria ſpecie exiſtentis, hanc ipſiuſmet ſub ſpeciebus ſacramẽtalibus latitantis, ęquiparat. Atque eodem modo exponit prędicta verba Pſalmi 98. Auguſtinus ibi, vbi eandem mouet quæſtionem, quomodò pręcipiamur adorare ſcabellum pedũ Dei, quod terra eſſe dicitur Matth. 4. & reſpondet, *Fluctuans conuerto me ad Chriſtum.* Et infrà. *Suſcepit enim de terra terrã, caro enim de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, niſi priùs adorauerit: inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Quod vtinam attentè legat, & cõſideret Rex Angliæ. Simili modo de hoc ſacramento intelligit Auguſtinus concion. 1. in Pſalm. 21. verba illa, *Manducauerũt, & adorauerunt omnes pingues terræ*, quod eodẽ modo exponit epiſt. 120. c. 7. & epiſt.

ti, ex Pa-

Ambroſ.

Pſal. 98.

Auguſt.

Idem.

A 118. c. 3. cõparans eum, qui frequenter ad Euchariſtiam accedit cũ illo, qui propter reuerentiam abſtinet. *Faciet* (inquit) *vnuſquiſq; quod ſecundum fidẽ ſuã piè credit eſſe faciẽdum, neuter enim eorum exhonorat corpus, & ſanguinẽ Domini, ſi ſaluberrimũ ſacramentum certatim honorare contendũt.*

Prætereà Cyrillus Hieroſolymitanꝰ catecheſi. 5. Myſtagogica, in qua ferè liturgiæ ritum deſcribit, cum de communione tractat, priùs docet, quanta reuerentia corpus Domini ſuſcipiendum ſit, deinde poſt cõmunionẽ corporis Chri- B ſti inquit, *Accede, & ad calicem ſanguinis illius, non extendens manum, ſed pronus adorationis in modum, & venerationis.* Plura tradit Chryſoſtomus homil. 24. in 1. ad Corinth. præſertim in fine, vbi inquit, *Hoc corpus etiam iacens in præſepi reueriti ſunt Magi, & cum multo metu, & tremore adorarunt, imitemur ergò vel barbaros nos cœlorum ciues.* Et infrà, *Tu non in præſepi vides, ſed in altari.* Et iterùm, *Non ſolùm hoc corpus vides ſicut illi, ſed noſti eius virtutem, & diſpenſationem*, inferiùs adhuc, *Nos ergò ipſos excitemus, & formidemus, & longè maiorem, quam illi barbari oſtendamus reuerentiam.* Vbi etiam eſt conſide- C randa æquiparatio inter Chriſti adorationem in propria ſpecie viſibili, & in ſacramento. Prætereà homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, circa finẽ, *Angelos etiam ait, genua flectere Domino in hoc ſacramento pro hominibus intercedentes, & dicentes, pro his ſupplicamus, pro quibus tuum largitus es ſanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Addit etiam ibi, *ſolitum fuiſſe Diaconum in Miſſa tempore conſecrationis ducere energumenos*, quos, *agitatos*, vocat, vtique à dœmone, *& iubet* (inquit) *caput inclinare*. Videri D etiam poſſunt Gregorius Nazianzenus Orat. 11. de Sancta Gorgonia, & Origenes homil. 6. in Ioſue, & Euſebius Emiſenus homil. 5. Paſchali, Theodoret. dialog. 2. & 3. & Ioannes Climacus, gradu. 23. *Donum* (inquit) *cœleſte ſuſcipiens adoro*, & Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 13. Neque contra veritatem hanc aliquid Rex adducit, nec quid afferri poſſit, facilè conijcere valeo.

3. Cyrill. Hieroſolym.

Chryſoſt.

Greg. Nazianz.

Origen.

Euſebi. Emiſen.

4. Ex quo fundamento nullo quidẽ negotio euertitur, quod in hoc puncto de eleuatione Euchariſtię poſt conſecratio-

N nem

nem adorandi cauſa, adducit Rex. Hoc enim reprehēdi non poteſt quia malum ſit, ſicut etiam nec quia nouum. Primum patet ex dictis, quia ſi adorare Euchariſtiam ducatur ſanctū, illam vt adoretur, proponere, & oſtendere populo, nō poteſt eſſe malū; ergò eleuare idē ſacramētum propter eundem finē, nō poteſt eſſe reprehēſibile, ſed potiùs maximè laudabile. Quid enim vel in ſubſtantia illius actus, vel in modo reprehenſione dignū excogitari poteſt? Quod autem mos ille nouus non ſit cōſtat ex Dionyſio. 3. cap. de Eccleſiaſt. Hierarch. p. 3. vbi de ſacerdote cōſecrante ait, *Sicq; venerandiſsima myſteria conſummat, & laudata oculis ſubijcat in ſignis ſanctè propoſitis*, & Baſilius li. de Spiritu Sancto c. 27. hanc ponit inter Apoſtolicas traditiones, quanuis nō eleuationem, ſed *oſtēſionem vocet diuini corporis, & ſacri poculi.*

Euchariſtię eleuatio maximè laudabilis, & antiqua.

Dionyſ.

Baſil.

5\. Et quanquam res non eſſet adeò antiqua, nihil obſtaret, quominùs approbāte illam Eccleſia cum omni fide, & reuerētia ſuſciperetur. Et ideò merito Conciliū Viēnenſe inter alios errores Beguardorum, & Beguinarum hūc damnauit, *quod in eleuatione corporis Ieſu Chriſti non debēt aſſurgere, neq; eidem reuerentiam exhibere.* Quod tamen non de omnibus fidelibus, ſed de quibuſdam valdè perfectis aſſerebant, quia dicebant imperfectionis eſſe, ab altiſsima contemplatione ad miniſterium Euchariſtiæ deſcendere, quæ erat ridicula dœmonum eluſio. Ideoq; etiam eſt valdè laudabilis conſuetudo Eccleſię, quod eo tempore, quo corpus Domini eleuatur, pulſetur campanula, qua circūſtantes ad Dominum adorandum excitentur. Neq; hoc itidem eſt adeò nouū, quin ante quadringentos annos fuerit à Gregorio. 9. Pontifice approbatum, teſte Nauclero, generat. 42. Et Iuo Carnotenſis ante quingentos annos gratias egit Reginæ Anglorum pro campanis, quas Eccleſiæ Carnotenſi dono dederat, indicans, ſolitas eſſe pulſari conſecrationis tempore. Huiuſmodi ergo mores, cū ad optimum finem ordinentur, & in ſe nihil indecens, aut diuino cultui indecorū contineant, ſiue parum, ſiue multum antiquitatis ſortiti fuerint, laudabiles omninò ſunt habendi.

Clemētina *Ad noſtrū*, de Hęret. Vide etiā Innoc. 3. c. *Sanè*, de Celebr. Miſſar.

Naucler.

6\. Atq; hinc etiā reſpōſum eſt ad articu-

A lum tertiū à Rege notatū, videlicèt de vſu circūgeſtandi diuinum ſacramentum in ſupplicationibus, quem vt ſuperſtitioſū damnare ſolent Proteſtantes, quia nouū, humano ingenio inuentum, & ad cultū Euchariſtiæ introductum. Quibus breuiter reſpōdemus, in primis confitendo, nō eſſe morem nimis antiquū, quāquàm neq; nimis recentē omnino: cùm ante ter centos quinquaginta annos inductus ſit authoritate Sūmorum Pontificum Vrbani. IIII. & Clement. V. cum generali Cōcilio Viēnenſi, vt habetur in Clemēt. B vnic. de Reliquijs, & venerat. Sāctor. Et ſtatim vniuerſali conſenſu totius Eccleſiæ, & mirabili acclamatione, & fructu ſuſceptus eſt, & in dies cōfirmatus, & auctus. Quod non ſine ſpeciali Spiritus Sācti prouidentia, ac nutu prorſus diuino factum eſſe, dubitare nemo poteſt, qui promiſsionibus Chriſti fidē dederit, quibus & ſe, & Spiritū Sanctū Eccleſiæ ſuæ in perpetuū gubernatorē, & protectorē eſt pollicitus affuturum. Deinde in hoc etiam puncto locū habet ratio facta, quia huiuſmodi inſtitutio, & Euchariſtiæ ſolēnis circūgeſtatio finem habet optimū, C & in actione ipſa nulla eſt ſuperſtitionis vmbra, ſed potiùs ad propoſitū ſibi finē magna vtilitas, & aptitudo maxima. Finis enim illius ſolēnitatis eſt tanti beneficij memoria populū Chriſtianum ad gratiarū actionē excitare, & ad percipiendū vberiùs tanti ſacramēti gratiam, & fructū cōmouere, vt prædicti Pontifices in exordio, & diſcurſu illius capitis ſumma cū pietate declararunt. Actio verò ipſa de ſe indifferens eſt, vnde facta propter bonum finem, & debita fide, ac reuerentia, fit honeſtiſsima, & religioſa, ſicut in figura legimus de circūgeſtatione arcę Num. D 14. & maximè 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 15.

Euchariſtię in ſuppl... circūgeſtationem non ſuperſtitioſam, ſed potiùs laudandam eſſe, ... ditur.

Vrban. 3. *Clem.* 5.

Ratio ſumpta ex ...

Nume. 14. 2. *Reg.* 6. 1. *Paralip.* 15.

7\. Quid ergò ſit, quod aduerſarij in hoc ſolenni ritu reprehendant, neſcio. Dicēt fortaſſe, non potuiſſe Eccleſiā huiuſmodi nouum ritum introducere. Sed hoc ab ipſis ſine Scriptura, ſine ratione, ſine vllo prorſus fundamento, imò cōtra Scripturā, & rationē aſſertū eſt. Scriptura enim nūquam hoc prohibuit; imò vbiq; ſignificat, ea, quæ pertinent ad cultum, cæremonias, & ritus huius ſacramenti, Eccleſię prouidētię, & diſpoſitioni eſſe cōmiſſa, iuxta illud 1. ad Cor. 11. *Cætera cùm venero,*

Refutatur hæreticorū euaſio.

Eccleſia poteſt ſtatuere quidquid ad maiorē Dei cultum opportunū fuerit.

1\. *Cor.* 11.

nero, diſponam. Deinde in veteri lege fuit poteſtas inſtituendi nouũ aliquod feſtũ, vt conſtat. 2. Machab. 4. & Eſther, & Iudith. vlt. ac proinde multò magis eſt hæc poteſtas in Eccleſia, & ita cõſueuit à primordijs, dies feſtos inſtituere ad Deum in Sanctis ſuis laudandũ; ergò maiori ratione potuit peculiarẽ diem inſtituere in honorẽ Sancti Sanctorũ, & tãti beneficij cõmemorationẽ, vt Clem. 5. ſupra in virtute argumentabatur. Deniq; naturalis ipſa cõditio humanæ naturæ poſtulat in his rebus varietatẽ, & mutationem, vnde incredibile eſt reliquiſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam ex hominibus congregatam ſine huiuſmodi poteſtate.

2. Machab. 4. *Eſther vlt.* *Iudith. vltim.* *Clem. 5.*

8. *In principio Eccleſiæ potuit hæc circumgeſtatio non eſſe vtilis.*

In principio igitur naſcentis Eccleſiæ potuit hæc celebritas nõ ſolùm non eſſe neceſſaria, verũ etiã neq; vtilis, quia Chriſtiani inter infideles viuẽtes, eisq; ſubditi nõ poterant ſine periculo, tam publico, & ſolẽni ritu ſacramentũ hoc colere. Poſteà verò licèt fieri potuiſſet, tamen per multũ tẽporis non eſt iudicata neceſſaria huiuſmodi ſolẽnitas, quia pura, & ſincera fide hoc myſterium ab omnibus Chriſti profeſſoribus tenebatur, & quotidie, vel ſaltẽ ſingulis Dominicis, ac feſtis diebus eius memoria cum magna deuotione, ac fructu recolebatur. Poſteà verò cùm errores cõtra veritatẽ huius ſacramenti ingruẽtes multiplicarẽtur, & charitas etiã, ac deuotio fideliũ remitti videretur, prudẽtiſsimè quidẽ eiuſmodi inſtituta eſt ſolẽnitas, quæ & fideliũ animos in fide tãti ſacramẽti magis cõfirmaret, & ad gratitudinẽ, dilectionẽq; excitaret ardẽtiorẽ. Quapropter meritò Conc. Tridentinũ anathema dixit illis, qui ſacramentũ hoc nõ eſſe adorandũ aſſererent, feſtiuaq; celebratione peculiari venerandũ, & in ſupplicationibus ſolenniter circungeſtandũ pernegarẽt. Nã in his omnibus vel ſupponitur error veritati præſentiæ Chriſti in hoc ſecramẽto cõtraria, vel ſaltẽ includuntur alij errores nõ minùs veræ fidei aduerſantes, vt Eccleſiã vniuerſalem poſſe in moribus errare, vel non poſſe præcipere, niſi quod in Scriptura præceptum inuenitur, vel, quod inde ſequitur omnes cæremonias per Eccleſiam inſtitutas eſſe ſuperſtitioſas. Et ſimilia, quæ àlijs locis ſatis ſunt refutata, & in ſequẽtibus ſæpiùs occurrent obuianda.

Conc. Trident.

CAPVT V.

De Laicorum ſub vna tantùm ſpecie panis communione.

CVM Rex in quarto articulo Eccleſiam Catholicam nouitatis inſimulat, eò quòd laicis in ſpecie tãtùm panis Euchariſtiam exhibeat, in eadẽ ſalebra hærere videtur, in eo enim nititur, quod Eccleſia in vſu, vel ritib⁹ ſacramẽti nihil addere, aut minuere poſsit, vel immutare, quod vniuerſe, & ſine limitatione ſumptũ, rationi, & Scripturæ contrarium eſſe demonſtrauimus. Quanuis enim illa, quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorum, & à Chriſto ſunt inſtituta, mutari per Eccleſiam non valeant, nihilominus ea, quæ ad accidentales ritus, & ad mores vtentiũ pertinent, variationem accipere, & Eccleſiæ authoritate pro tẽporum opportunitatibus mutari poſsũt. At in præſenti articulo ſolent aduerſarij vrgere dicentes, mutationem hanc contrariã fuiſſe Chriſti inſtitutioni, & præcepto. Nam Chriſtus omnibus præcepit vtriuſque ſpeciei perceptionem illis verbis Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba ita fuiſſe à principio Eccleſiæ intellecta, antiquus vſus cõmunicandi omnes fideles comprobare videtur. Accedit etiã, quòd ipſa mutilatio ſacramenti videtur eſſe cõtra illius inſtitutionem, ac ſubinde intrinſece mala, tali inſtitutione ſuppoſita.

I. Laicorum ſub vna ſpecie communionem immeritò reprehendit Rex.

Obiectio hæreticorum.

Ioan. 6.

Sed in his etiã obiectionibus non recedunt hæretici à ſuperba præſumptione, qua iudicium ſuũ Eccleſiæ catholicæ authoritati præferunt, eãq; in exponendo vero Scripturæ, & Chriſti ſenſu, errare poſſe; imò & erraſſe, dicere audent. Quia igitur ex cõtrario fundamẽto in hoc articulo potiſsimè cõuincendi ſunt, & illud ſatis eſt in ſuperioribus cõfirmatũ; ideò in præſenti breuiter dictis obiectionibus ſatisfaciemus, ſimulq; morem Eccleſiæ nec nouũ eſſe, nec à verbis Chriſti alienũ, oſtendemus. Duo verò, vt clariùs procedamus, in vſu Euchariſtiæ in vna tantùm ſpecie diſtinguere oportet. Vnũ eſt, an liceat interdũ mãducare corpus ſeparatim ab vſu calicis: vel hoc ſẽper, & quaſi intrinſecè malũ ſit: aliud eſt, an liceat priuare fideles toto vitæ tẽpore vſu calicis, quia

2.

Solutio.

In vſu Euchariſt. ſub vna ſpecie duo cõſideranda.

A licèt ponamus, aliquãdo poſſe licitè vna ſpecies ſine alia ſumi, nihilominùs ſupereſſe poteſt quæſtio, an liceat nunquã ſumere vtramque, poſſet enim eſſe neceſſarium interdum, vel in diſcurſu vitæ vtramque ſumere, eſto vnam tantum accipere aliquando liceat. Deinde diſtinguere oportet inter oblationem Euchariſtiæ, vt ſacrificium eſt, & participationem eius, vt ſacramentum eſt. Quoties enim hoc ſacramentum conficitur, ſacrificium Deo offertur, vt Catholica docet Eccleſia (quicquid hæretici ſentiant, quod nunc agendum non eſt) &

Sacerdoti ſacrificanti cõmunio ſub vna ſpecie non permittitur.

B quia ſacrificium hoc incruentum imago eſt cruenti ſacrificij in Cruce oblati, quod Christus Dominus in conſecratione vtriuſque ſpeciei ſeparatim facta repræſentari voluit, ideò nunquam Eccleſia permittit, vel ſacramentum hoc in vna tantùm ſpecie confici, vel à ſacerdote ſacrificante in vna tantùm ſpecie conſumi. Et ita de mutilatione ſacrificij, vel communionis ſacerdotalis, ſeu ſacrificalis (vt ſic rem declarem) nulla eſt quæſtio, illam enim fatemur, nunquam eſſe licitam: & probabile eſt, licèt non de fide certum, illam eſſe iure diuino prohibitã,

C vel fortaſſe intrinſecè malam, ſuppoſita inſtitutione. Sed hæc Theologis omittimus: nam ſolùm de laicorum cõmunione, ſeu participatione ſacramenti extra ſacrificium nunc tractamus.

3. Communio in ſola ſpecie panis ab initio Eccleſiæ vſitata eſt.

De vſu ergo communicandi ex præconſecratis in ſola ſpecie panis dicimus in primis, nec per ſe malum eſſe, neque vnquam fuiſſe in Eccleſia prohibitum, imò neque eſſe nouum, ſed potiùs ab initio Eccleſiæ fuiſſe in illa vſitatũ. Et quoniam ex hoc vſu cętera ſufficienter probantur, & Rex maximè huiuſmodi nouitatem reprehendit, illũ præcipuè oſtẽ-

D demus. Primò ex antiquo vſu ſeruandi Euchariſtiam ſub ſpecie panis ſola, & miniſtrandi illam infirmis, & deferendi in domum, vel in itinere, vtique ad conſumẽdam illam opportuno, vel neceſſario tempore. Morem autem hũc colligimus in primis ex his, quæ ex Dionyſio Alexandrin. Euſebius narrat lib. 6. Hiſtor. cap. 36. de Serapione Sene, qui cùm diù cõmunione priuatus, pœnitentiam egiſſet, eo quòd ſacrificium idolis obtuliſſet, tandem in articulo mortis exiſtens presbyterum ad ſe vocari iuſsit, cùm verò ille morbo etiam vexatus, ad Serapionem accedere non poſſet, *Exiguam Euchariſtiæ particulam nuncio dedit, præcipiens, vt eam madefactam in os Senis infunderet*, quod poſtquàm factum eſt, Senex feliciter è viuis exceſsit. Ex qua hiſtoria perſpicuũ relinquitur, particulam illam fuiſſe panis conſecrati, & pro tempore neceſsitatis conſeruati, & illum ſine vino, vel ſanguine pro integra communione fuiſſe datum, eamq́ue communionem non ſine miraculo, vel ſingulari Dei gratia fuiſſe à ſancto illo Sene expectatam, ac proinde Deo fuiſſe gratam, vt ſancta etiã mors Senis ſtatim ſubſequuta comprobauit.

Euſebius.

Serapio Senis in ſola ſpecie panis Euchariſtiã recepit.

Nec diſsimile eſt, quod de Ambroſio animam agente in fine vitæ eius ſcribit Paulinus, Honoratum Vercellenſis Eccleſiæ ſacerdotem in lecto ſuo iacentem ter vocem audiuiſſe, dicentem ſibi, *Surge, feſtina, quia modo eſt receſſurus, qui deſcendens* (ait Paulinus) *obtulit Sancto Domini corpus, quod vbi accepit, emiſit ſpiritũ, bonum viaticum ſecum deferens*, vbi de ſanguine nulla eſt mentio. Prætereà eundẽ Eccleſiæ morem oſtendit hiſtoria, quam de ſuo fratre Satyro refert idem Ambroſius in Orat. funebri de ipſo, videlicet è naui ſecum corpus Domini tuliſſe, cuius virtute à naufragio liberatus eſt, vt in ſuperioribus bis iam attigimus. Item Gregorius Turonen. lib. de Sancta Patrum vita cap. 3. de Sancto Gallo Epiſcopo refert, cùm reuelationem inſtantis mortis accepiſſet, poſt triduùmq; migraturum, *conuocaſſe populum, & omnibus confracto pane, communionem ſancta, ac pia voluntate partitum fuiſſe*. Hoc etiam confirmat antiqua conſuetudo Euchariſtiã ſeruandi pro infirmis, quæ ſumitur ex Cõcilio Turonico. 2. ſub Ioanne Papa III. anno quingenteſimo ſeptuageſimo celebrato, & Cõcilio Matiſconẽſi paulò poſt ſub Pelagio IIII. canon. 6. & ex Beda li. 4. Hiſtor. Anglor. c. 24. Nõ eſt enim veriſimile ſeruatã fuiſſe vnquã Euchariſtiã ſub ſpecie vini, cùm breui tẽpore, & facilè aceſcat, & corrumpatur, ſeruabatur ergò in ſola ſpecie panis, vt nũc etiã fit.

4.

Paulinus.

Ambroſius in ſola ſpecie panis Euchariſtiam ſuſcepit.

Ambroſ.

Greg. Tur.

Concil. Turonic.

Conc. Matiſcon.

Beda.

Alia etiam fuit antiqua conſuetudo, qua liberũ erat fidelibus corpus Domini (quod viri in manibus, fœminæ in linteolis nitidis accipiebant) ex Aug. ſerm. 252.

5. Euchariſtiã in domũ ſecum deferre, olim fidelibus licebat.

252. de Tempore) vel in Eccleſia conſumere, vel ſecum in domũ deferre ad ſecretè communicandum tempore opportuno, quæ communio ſine dubio in ſola ſpecie panis fiebat. Et ita ſumitur ex Tertulliano lib. 2. ad Vxor. cap. 5. ibi, *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnẽ cibum guſtes, & ſi ſciuerit, panem non illum credit eſſe, qui dicitur*. Et in eodem ſenſu poſsũt intelligi verba eiuſdem lib. de Orat. cap. vlt. *Accepto corpore Domini, & reſeruato, vtrumq́; ſaluum eſt, & participatio ſacrificij, & executio officij.* Quamuis poſsint hæc verba optimè intelligi de priori reſeruatione pro infirmis. Dicta etiam conſuetudo colligitur ex verbis Cypriani lib. de Lapſis, non longè à fine, vbi refert de quadam fœmina, *cùm arcam ſuam, in qua Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterritam eſſe, ne auderet attingere*, quod refert inter Euchariſtiæ miracula. Illud ergò Sanctũ in priuata arca reclusum nihil aliud erat, niſi corpus Domini in propriam domũ portatum iuxtà præfatam conſuetudinem, quam etiam commemorat libr. de Lapſis dicens, *Dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, vt aſſolet Euchariſtiam*. Qui mos ſolùm primis quingentis annis Chriſti duraſſe videtur. Nam in Concilio Cęſarauguſtano anno quingẽteſimo decimo octauo cap. 3. anathematizatur, qui probatus fuerit, *Acceptam Euchariſtiæ gratiam non conſumpſiſſe in Eccleſia*.

Tertull. *Cyprian.* *Conc. Cæſaraugust.*

6. Manifeſtùm ergò eſt, vſum communicandi interdùm in ſola ſpecie panis, antiquiſsimum fuiſſe in Eccleſia; ergò propter nouitatem non poteſt à Rege Angliç reprehendi, cùm in primis quinque ſeculis fuiſſe probetur. Et eadem ratione reprehendi nõ poteſt propter abuſum, vel aliquam inordinationem, cùm ipſi etiam hęretici fateantur, in illis prioribus ſeculis mores Eccleſiæ fuiſſe puros, & verbo Dei conſentaneos. Ratio autem Theologica, & Catholica eſt, quia Chriſtus Dominus nunquam prohibuit, vnam ſpeciem ſine alia ſumere, neque ex vi inſtitutionis, & attenta ſola rei natura id prauum eſt. Priorem partem cõtra aduerſarios ſufficienter probamus, petendo ab eis Scripturæ locum, vbi illa prohibitio ſcripta ſit. Nam cùm illum oſtendere nequeant, ſatis in eorum principijs conuincuntur, nullam eſſe talem prohibitionem ſpecialiter à Chriſto latam. Nos autem addimus, etiam ex traditione Eccleſiæ non haberi, ſed contrarium potiùs, vt videbimus. Imò ſi vera eſt opinio dicentium, Chriſtum poſt reſurrectionem dediſſe panem conſecratum duobus diſcipulis Luc. 24. inde habemus, exemplo Chriſti huiuſmodi cõmunionem in vna ſpecie eſſe comprobatam; & ſanè Auguſtinus id planè ſupponit lib. 3. de Conſenſu Euangeliſtar. cap. 25. & ſerm. 140. de Tempore, & Beda, & Theophylact. ibi.

Hic cõmunicandi modus non eſt à Chriſto prohibitus. *Luc. 24.* *Auguſt.* *Beda.* *Theophyl.*

Altera verò pars, præterquàm quòd ſufficienter authoritate Eccleſiæ probatur, ex principijs etiam fidei oſtendi poteſt, quia Chriſtus Dominus, qui eſt veluti ſubſtantia huius ſacramẽti, totus eſt ſub ſingulis ſpeciebus, potensque ſub vtriſque, vel ſeparatim ſumptis ad vitam dandam recipienti; ergò ſumptio ſolius panis ſufficit, & ad recipiendum Chriſtum, & ad recipiendum effectum ſacramenti, & ad ſignificationem ſacramentalem, quæ in vſu Euchariſtiæ quatenùs ſacramentum eſt, inuenitur. Nam quomodocunque hoc ſacramentum ſumatur, ſemper ſignificat perfectum conuiuium ad refectionem animæ ſufficiens propter excellentiam panis cœleſtis ſub ſpeciebus terreſtris panis contenti, & ſignificati. Sicut etiam hoc ſacramentum vt eſt Angelorum panis ſufficienter ſignificatus fuit per Manà, vel per panes propoſitionis ſine adiectione potus, aut vini, quamuis vbi ſub ratione ſacrificij, & oblationis præfiguratum eſt, vtraque ſpecies interuenerit, vt in oblatione Melchiſedech, quando panẽ, & vinũ obtulit. 7.

Chriſtus Dominus ſub qualibet ſpecie totũ ſacramenti effectum cõmunicat.

Reliquum eſt, vt de altera parte propoſita aliqua curſim ſaltẽ ſubnectamus: de perpetua nimirum carentia, ſeu ſeparatione fidelium non conſecrantium ab vſu calicis. In qua breuiter dicim⁹, Chriſtum nunquam præcepiſſe Paſtoribus Eccleſiæ, vt aliquando cõmunicent ſubditos ſub vtraque ſpecie, nec ipſis fidelibus huiuſmodi cõmunionem ſub legis, vel ſalutis neceſsitate conſtituiſſe. Priorem partem probamus in primis, quia tale præceptum non inuenitur ſcriptum, hoc enim pro aduerſarijs ſufficit, vt iam dixi. Dicent fortaſſe, pręceptum hoc da- 8.

Nullum datur pręceptum cõmunicandi ſub vtraque ſpecie.

Euaſio hæreticorum. tum eſſe à Chriſto Paſtoribus Eccleſiæ, dicente Apoſtolis ſuis in nocte Cœnæ, *Hoc facite in meam cõmemorationem*, quibus verbis id facere præcepit, quod ipſe fecerat, ipſe autem *accepit, benedixit,* ac *diſtribuit* diſcumbentibus vtrãque ſpeciẽ; ergò idem à miniſtris ſuis fieri voluit, & præcepit. Sed in primis cùm Proteſtãtes contra vniuerſalem Eccleſię ſenſum, nec ſubſtantialem ritũ huius ſacramenti, nec ſacrificij oblationem ex illis verbis probari velint, profectò nulla veriſimili ratione poſſunt pręceptum communicandi ſub vtraq; ſpecie inde colligere. Præſertim quia neque præceptum communicandi, quoties ſacrificio Miſſæ aſsiſtitur, in verbis illis cõtinetur, vt alibi oſtẽdimus, & ex antiquis Concilijs infra attingemus. Verbis igitur illis non præcepit Chriſtus; imitari factum illud quoad omnes circunſtantias, quas tunc pro tẽporis, & occaſionis opportunitate obſeruauit, aliàs oporteret, noctu ſemper, & poſt cœnam; imò & poſt lotionem pedum communicare. Item eſſet neceſſarium de iure diuino in azimo conficere, ſicut Chriſtus fecit. Item quoties ſacramentũ conficitur, alijs neceſſariò tribuẽdum eſſet, eàdemq; ratione ſemper deberet ſacerdos totum panem, quem conſecrauerat, diſtribuere, & à ſolo illo ſacerdote, qui ſacrum confecit, & finita ſtatim conſecratione accipiendum eſſet, ac deniq; ante calicis conſecrationem diſtribuere neceſſariũ eſſet: nam ita etiam fecit Chriſtus Dominus; hæc autẽ omnia incredibilia ſunt, & contra perpetuam Eccleſiæ cõſuetudinem. Solus ergò ſubſtantialis ritus huius ſacrificij, & ſacramenti illis verbis præceptus eſt, vt Concilium Tridentinum docuit ſeſſ. 22. cap. 1: reliqua enim, quæ accidentaria ſunt, Eccleſiæ diſpoſitioni Dominus commiſit, vt iam dixi, & Auguſtin. epiſt. 118. affirmauit.

Reijcitur euaſio, & verus ſenſus pręcepti ſtu chriſtiam conficiendi, traditur.

Cõc. Trid.

Auguſt.

9. Non deſunt verò ex aduerſarijs, qui præceptum hoc colligant ex alijs verbis Chriſti Domini apud Lucam cap. 22. *Bibite ex hoc omnes*, quod non ſolùm de his, qui tunc præſentes aderant, ſed etiã de omnibus futuris fidelibus intelligi obtendunt: aiuntq;, non ſine myſterio, & quaſi prophetico ſpiritu additũ eſſe verbum illud in diſtributione ſanguinis, po-

Obijcitur locus Luc. 22.

A tiùs quàm corporis, ad præcauendum, & prohibendum morem futurum in Eccleſia Romana excludendi fideles à participatione calicis. At hæc ponderatio friuola eſt: quamuis enim verba illa futuros homines comprehendere cõcederemus, de omnibus fidelibus illa intelligere neutiquam oporteret, ſed ad ſummũ de omnibus ſacerdotibus, quia ibi ſoli Apoſtoli aderant, qui tunc ordinati ſunt ſacerdotes, vt ſatis indicauit Concilium Trident. ſeſſ. 22. c. 1. & can. 2. dicens Chriſtum in cœna Apoſtolos ſacerdotes cõ-

Explicatur locus Lucæ 22.

Trident.

B ſecraſſe, dicens eis, & in eis ſucceſſoribus eorum, *Hæc facite, &c.* vbi licèt excluſiuam expreſſe non ponat, tamen ſolos Apoſtolos nominando, illos ſolos ibi adfuiſſe ſatis ſignificauit. Idemq; ex Matt. 26. & Ioan. 13. & alijs Euangeliſtis colligitur. Nam ſolos diſcipulos nominant, per quos quaſi per antonomaſiam Apoſtolos intelligunt, & Matthęus expreſſe addidit numerum duodecim, & quos in particulari nominant, omnes erant Apoſtoli. Ac denique cõmunis Eccleſiæ ſenſus eſt, Chriſtum non omnium diſcipulorum, ſed duodecim tantum Apoſtolorum pedes lauaſſe, illos ergo tantùm præ

C ſentes in Cœna habuit, illisq; ſolis dixit, *Hoc facite*; illis ergò tantùm dixit, *Bibite ex hoc omnes*. Deinde ineptum eſt, particulam *Omnes* ad futuros fideles referre, cùm Chriſtus ad ſolos præſentes, & de ſolo illo calice, quem illis præbebat, qui non poterat, niſi inter pręſentes, diuidi, loquutus fuerit. Et ita Marcus expoſuit ibi ſtatim eſſe impletum, quod Chriſtus præceperat, dicens, *Et biberunt ex illo omnes.* Neq; in illo verbo, vel ſigno aliquod inuenitur myſterium, ſed quia Chriſtus panẽ priùs fregerat, & in duodecim par-

D ticulas diuiſerat, & vnicuique ſuam porrexerat, non fuit neceſſarium dicere, *Accipite omnes, & comedite*: quia verò vnum calicem prębebat, vt ex eo omnes biberent, ideò verbis ſuis illud etiam expreſſit. Quod alijs verbis, & ſine illa diſtributione expreſsit Lucas dicens, *Accipite, & diuidite inter vos*, vbi particula *Vos* præſentes tantùm deſignat, non futuros.

Poſterior autem pars de neceſsitate fidelibus impoſita cõmunicandi aliquãdo ſub vtraque ſpecie maximè fundari 10.

ſolet

Obiicitur locus Ioan. 6.

ſolet in verbis Chriſti Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Verumtamen hic locus à Caluiniſtis vrgeri non poteſt, cum ipſi plerumque neget Chriſtum Dominum in toto illo capite Ioan. 6. de Sacramento Euchariſtiæ tunc loquutum. Deinde multi etiã catholici negarunt, verba illa intelligenda eſſe de Sacramentali manducatione corporis, & ſanguinis Domini, quorum ſententiam hactenus Eccleſia non damnauit, nec certum ſenſum illorum verborum declarauit, ſed ſolum vnum ſaltum, quem nunc hæretici approbant, excluſit.

Cõc. Trid.

Vnde Concilium Tridentin. Seſſ. 21. cap. 2, dixit, *Ex illo ſermone Domini non colligi, communionem ſub vtraque ſpecie eſſe à Domino præceptam, vtcumque iuxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes, intelligatur.*

Explicatur locus Ioan. 6.

Probabilior autẽ expoſitio eſſe videtur, ibi quidem impoſitam eſſe fidelibus communionis Chriſti in Euchariſtia neceſsitatem, non tamẽ eſſe impoſitam omnibus, & ſingulis fidelibus vtriuſque ſpeciei obligationem, ſed tantùm ſumendi carnem, & ſanguinem Chriſti, ſiue vno actu, ſiue multis ſumatur. Quia tota neceſsitas poſita eſt in vnione cum Chriſto per huius ſacramenti ſumptionẽ, quę ad ſalutem, & vitam ſufficiat: ad vitam autẽ ſufficit totius Chriſti manducatio, vt ex verbis eius ſtatim id elicientes confirmabimus. Sicut ad ſalutẽ ſufficit credere in Chriſtum, & illud eſt credere carnem, & ſanguinem eius, licèt hæc nõ ſingulis, ſeu diſtinctis actibus credantur, ita quia Chriſtus totus ſub ſingulis ſpeciebus continetur, ſola Euchariſtici panis receptio ad ſalutẽ ſufficit, quia in illa totus Chriſtus accipitur, & (vt ſic dicam) ſanguis eius re ipſa bibitur, licèt non per modum potus accipiatur. Vnde fit, vt præceptum illud integrè impleat, qui corpus Domini accipit, & è contrario ſequitur, illum tantũ violare præceptum illud, & Chriſti comminationem incurrere, qui à corpore, & ſanguine Domini abſtinet, vt rectè expoſuit Fulbert. Carnoten. epiſt. 1. ad Deodatum in fine.

Fulbert. Carnoten.

Et Chriſti verba egregiè hunc ſenſum recipiunt, ita vt negatio incluſa in particula *niſi*, cadat in totã ſequentem ſententiã, & vtrumque membrum eius, & ſenſus

A

ſit, ſi nec corpus meum manducaueritis, nec ſanguinem biberitis non habebitis vitam in vobis. Et ita legit Athan. lib. de commun. eſſentia Patris, &c. *Qui non comedit carnem meam, nec bibit ſanguinem meum, non habebit vitam æternam.* Et eodẽ modo exponit Auguſtin. tractat. 26. in Ioan. Cuius verba paulò poſt referam.

Athanaſ. Auguſt.

Per illa ergò verba ſolum voluit Dominus oſtendere, quàm ſit neceſſarium fidelibus per hoc Sacramentum Chriſtũ ipſum intra ſe ſumere. Voluit autem diſtinctè explicare ſumptionem corporis, 11.

B

& ſanguinis, non quia neceſſe ſit, diſtinctis actibus illa ſumere, ſed vel vt fidem huius ſacramenti diſtinctè proponeret, vel vt paſsionem ſuam ſignificaret, in cuius memoriam celebrandum ſemper eſt hoc Sacramentum, vel quia futurũ erat, vt in Eccleſia ſua neceſſarium eſſet, carnem, & ſanguinem ſuũ ſub diuerſis ſpeciebus accipere, quamuis non omnibus, ſed his, qui ſacrificant, hæc neceſsitas imponenda eſſet. Intentionem autem Chriſti domini in verbis allegatis eſſe, quam diximus, ex mente Concilij Tridentini in hunc modum probatur. Nam ipſemet

Confirmatur expoſitio tradita.

C

Chriſtus Dominus dixit, manducationẽ panis cœleſtis ſufficere ad ſalutem; ergo non conſtituit vt neceſſariam ſumptionem vini in propria ſpecie, & vt diſtinctam à ſumptione panis. Conſequentia euidens eſt, quia non poteſt vna ſpecies eſſe ſufficiens, ſi duplex eſt neceſſaria. Aſſumptum verò conſtat ex multis verbis Chriſti Domini Ioan. 6, ſcilicet, *Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, nõ moriatur.* Et infrà. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mũdi vita.* Et infrà poſt prædicta verba, qui-

Ioan. 6.

D

bus neceſsitatem carnis, & ſanguinis docuit, addidit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Vbi particula, *Et*, copulatiuè quidem, non tamen coniunctim, ſed diuiſim (vt dialectici loquuntur) ſumitur iuxta vocis proprietatem, & materię exigentiam, & iuxta cõmunem etiam Scripturæ vſum. Cùm enim dicitur Exod. 21. iuxta Hebraicam lectionem, *Qui percuſſerit patrem, & matrem, morte moriatur:* non eſt ſenſus cõiunctus, vt qui vtrũque ſimul parentem occiderit, moriatur, ſed

Exod. 21.

diuiſus, vt tam qui occiderit Patrem, quã qui occiderit matrem, moriatur. Sic ergò in præſenti ſenſus dictorum verborum Chriſti eſt. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo*, & *qui bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo*; ergo ſumptio vniuſcuiuſq; ſpeciei ſufficit ad ſalutem. Et rationem indicauit Chriſtus in verbis ſequentibus, *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me*, quaſi diceret, ſiue quis manducet carnem, ſiue bibat ſanguinem meum, me totum accipit, & ideò propter me viuet. Vnde iterum ſubiungit, *Qui manducat hunc panem viuet in æternum*.

12. *Idem ex Patribus confirmatur.* Præterea Patres antiqui nihil aliud ſub illis verbis intellexerunt pręceptum eſſe à Chriſto, niſi vt Chriſtum ſacramẽtaliter, & ſpiritualiter recipiamus, neque in hòc vim faciunt, quòd ſub vna vel duabus ſpeciebus recipiatur, ſed in hoc ſolũ, vt manducando, vel ſumendo ipſum, illi vniamur. *Cyril. Alexandr.* Sic Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 14. rationem illorum verborũ his verbis reddit. *Non enim poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ, fidei participes eſſe, qui per myſticam benedictionem Ieſum non ſuſceperint*. Et infrà. *Quia corpus Chriſti viuificare poteſt, & ſolo tactu ſuo corrupta redintegrare, Quomodo nõ viuemus, qui carnem illam & guſtamus, & manducamus? Reformabit enim omninò ad immortalitatem ſuam participes ſui*. Vbi eſt notanda partiacula excluſiua in antecedenti poſita: nam ex vi illationis etiam in conſequenti ſubintelligitur. *Chryſoſt.* Idẽ etiam Chryſoſtomus Homil. 46. in Ioan, vbi tam illis, quàm ſequentibus verbis nihil aliud ſentit voluiſſe Chriſtum docere, niſi neceſſarium eſſe, quod alij putabant impoſſibile, & perſuadere, ſe eſſe verum cibũ, qui ſaluat animam, *Ne obſcure loquutum in parabolis arbitrarentur, ſed ſcirent omninò neceſſarium eſſe, vt corpus comederent*. Et idem ferè habet Theophylactus in illum locum.

13. *Auguſt.* Auguſtinus pręttereà tract. 26. in Ioan. prædicta verba Chriſti, *Niſi manducaueritis, & cæt.* exponit per ſequentia, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam*, dicens, *Hanc ergò non habet, qui iſtum panem non manducat, neque iſtum ſanguinem bibit*. Et infrà. *qui non manducat eius carnem, nec bibit eius ſanguinem, non habet in ſe vitam*. Nõ ergo priuatur vita, niſi qui neutram ſpeciem recipit: à contrario verò, & *qui mãducat carnem, & qui bibit ſanguinem eius habet vitam*, vt idem Sanctus ſubijcit, & tract. 27. generaliter dicit, Chriſtum dediſſe corpus ſuum ad manducandum propter æternam vitam, & *ſignum* (inquit) *quia quis manducauit, & bibit, hoc eſt, ſi manet, & manetur, ſi habitat, & inhabitatur*. At vero in eo, qui manducat ſolum panẽ, Chriſtus manet, & ipſe in Chriſto, vt ipſemet Chriſtus teſtificatus eſt; ergò ille ſufficienter manducat, & bibit, teſte Auguſtino, quia totum Chriſtum recipit, & perfectè reficitur, quod illa verborũ diſtinctione maximè ſignificatum eſt, vt ſumitur ex eodem Auguſtino ſermone. 1. de Verbis Apoſtoli, & ex Euſebio Nicęno homil. 5. de Paſchate, & Cypriano in ſerm. de Cœna Domini inter alia dicente, *Potus, & eſus ad eandem pertinent rationem, quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia, & viuit, & incolumis perſeuerat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimẽto nutritur, &c.* *Cyprian.*

Neq; antiqua Eccleſiæ cõſuetudo ab hoc verborũ Chriſti ſenſu aliena eſt, ſed illum potiùs confirmat. Nam licèt verũ ſit, in primitiua Eccleſia vſum vtriuſque ſpeciei frequentem fuiſſe, & fidelibus cõmunèm, nihilominùs etiam eſt certũ, alterum vſum manducandi in vna ſpecie fuiſſe ab illo tempore inchoatum. Nam quod Lucas refert Actor. 2. de vſu fractionis panis multi referunt ad communicationem ſub vna ſpecie. Et quidẽ ex vi verborũ nihil aliud colligi poteſt. Vnde cùm certum ſit, omnes fideles tunc communicaſſe in fractione panis, nõ eſt certum, nec probari poteſt, omnes communicaſſe ſub ſpecie vini; imò veriſimiliùs eſt, non omnes fuiſſe ad hoc coactos. Nam (vt reliquos in præſenti ſubticeã) qui ex Nazarçis ad fidem conuertebantur, non prohibebantur tunc ſeruare legalia; ergò nõ eſt veriſimile, fuiſſe coactos ad ſumendum calicem, cum ex peculiari profeſsione ſua à vino abſtinerent. Ideq; cogitari poteſt de multis abſtemijs, qui vel vino vſi nunquam fuerant, vel ab illo abhorrebant. Quamuis ergò vſus calicis tunc etiam fuerit in vſu: quòd id ex neceſsitate imponeretur omnibus, ſiue ſemper, ſiue aliquando, nullo ſufficienti teſtimonio, 14. *Eundẽ ſenſum Eccleſiæ conſuetudo comprobat.*

monio, nec ſatis veriſimili coniectura oſtendi poteſt. Quin potius ſolum vſum panis fuiſſe generalem, & cōmunem omnibus, indicant prædicta verba Lucæ, & confirmant illa Pauli. 1. ad Corinth. 10. *Vnus panis, & vnū corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus.*

1. Cor. 10.

15. Et ſimiliter antiqui Patres, licèt interdum vtriuſque ſpeciei vſus mentionem faciant: ſæpius de ſola mãducatione corporis Chriſti loquuntur, quòd eius vſus generalior eſſet, & ſufficiens exiſtimaretur. Vt patet ex Ignatio Epiſtol. 13. ad Epheſ. vbi priùs dicit, *Date operam, vt crebriùs congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei.* Et in fine ſubiungit, *Obedientes Epiſcopo, & presbytero, mente indiuulſa frãgentes panem vnum, quod pharmacum immortalitatis eſt, mortis antidotum, vitamque in Deo concilians per Ieſum Chriſtum, medicamentum purgans vitia, & cuncta pellens mala.* Idē ſumitur ex Hieronymo epiſt. 50. ad Pammachium, quæ eſt apologia pro libris contra Iouinianum verſus finē, ibi, *Probet ſe vnuſquiſq́, & ſic ad corpus Chriſti accedat, non quòd dilatæ communionis vnus dies, vel biduū ſanctiorem efficiat Chriſtianum, vt quod hodie non merui, cras, vel perendie merear, ſed quod dum doleo, me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me paulisper ab amplexu vxoris, vt amori coniugis amorem Chriſti præferam.* Et lib. 2. cōtra Iouinianum, *Quaſi non & nos Chriſti corpus æqualiter accipiamus.* Similia legi poſſunt in dialogo contra Luciferianos. Item apud Auguſtinū epiſt. 180. ad Honorat. vbi ait, Diabolum ſępè perſuaſiſſe, apoſtatas fieri fideles, *quibus quotidianum miniſterium Dominici corporis defuit.* Vnde infra his verbis exhortatur Eccleſiæ Paſtores, *Magis timeamus, ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpirituali victu necentur, quàm membra corporis noſtri opreſſa hoſtili impetu torqueantur.* Denique idē ſignificauit Tertullianus lib. de Orat. c. vit. dicens, *Quod ſtatio ſoluenda ſit accepto corpore Domini.* Et infrà. *Accepto corpore Domini, & reſeruato.* Quę verba clariora ſunt de ſolo corpore, quia ſanguis ſub ſpecie vini nunquam potuit commodè reſeruari.

Ignat.
Hieron.
Auguſt.
Tertull.

16. Vnde maximè confirmatur hæc conſuetudo ex cōmunione quæ ſemper fuit infirmis tradita per modum viatici. Nam A ſi in aliquo tēpore eſt neceſſaria Euchariſtia de iure diuino, maximè in articulo mortis, vt eſt communis Theologorum ſententia valdè conſentanea rationi, quia præcepta affirmatiua tunc potiſsimum obligant, quando & maximè vrget neceſsitas, & tempus aptum ad implendum præceptum, abſoluitur. Sed in illo articulo non conſueuit Eccleſia dare vtrãq; ſpeciem, ſed ſolum corpus Domini; ergò ſignum eſt, ſemper Eccleſiam ſenſiſſe communionem ſub vna ſpecie ad ſalutē ſufficere. Nam quòd illa conſuetudo anB tiquiſsima fuerit, ex Ambroſio, Gregorio Turonenſi, & alijs adductis in præcedenti puncto colligitur, & clarius ex Cōcilio Nicæno cap. 12. iūcto. 14. alias cap. 13. & 18. nam in cap. 12. & 13. dicitur de ijs, qui recedunt ex corpore, *Antiquæ legis regula obſeruabitur etiam nunc, vt vltimo, & neceſſario vitæ ſuæ viatico nō defraudentur.* In cap. autem 14. prohibetur *Diaconus corpus Domini alijs porrigere,* & additur, *quod ſi non fuerit in præſenti Epiſcopus, vel Presbyter, Diaconi proferant, & edant.* Similiaque ſunt verba Gelaſij epiſt. 6. ad Epiſcopos Lucaniæ. C *Sacri corporis prærogatione, ſub conſpectu Epiſcopi, vel Prebyteri, ius non habet exercendi.* Vtique Diaconus, quibus in locis non ſine cauſa de ſolo corpore Domini fit mentio, quia Diaconus, cùm non poſsit conſecrare, nō poteſt dare Euchariſtiam, niſi ex præconſecratis, & reſeruatis, ſolùm autem reſeruabatur corpus Chriſti ſub ſpecie panis. Simileque eſt quòd in Concilio Rhemenſi cap. 2. reprehendūtur Presbyteri, *Qui laico, aut fœminæ ſacrum corpus Domini tradunt ad deferendum infirmis.* Vbi etiā fit mentio ſolius corporis, quia debebat D eſſe reſeruatum ex conſecratione priùs facta, & non niſi corpus reſeruabatur, Cùm ergo pręcipuè conſeruatum ſit hoc ſacramentum propter viaticum infirmorum, iudicatū fuit ſemper ſufficiens ſub ſpecie panis, vt pro viatico daretur. Ergò etiam iudicabatur ſufficiens ad implēdum diuinum præceptum de cōmunione huius Sacramenti.

Antiquiſsima conſuetudo cōmunicandi infirmos ſub ſpecie panis eunde etiā ſeī ſum oſtendit.

Conc. Nicæno.

Gelaſ.

Ex Concil. Rhemēſi refert Gratianus in cap. Peruenit, de Conſecrat. diſt. 2, ſed vide, quæ ibi notantur.

In quo puncto notari poteſt hiſtoria, quam refert Beda lib. 4. Anglicanæ hiſtoriæ cap. 14. de quodam Monacho, cui ægrotanti Petrus, & Paulus apparuerūt, & mortem inſtantem reuelarunt, *Sed primùm* 17.

Beda.

mùm (dixerunt) *expectare debes, donec Miſſæ celebrentur, ac viatico Dominici corporis, ac ſanguinis accepto, ſic infirmitate ſimul, & morte abſolutus, ad æterna in cœlis gaudia ſubleueris.* Et tamē inferiùs ſubditur de Prælato Monaſterij, *Miſſas fieri, atq; omnes communicare more ſolito, ſimulq; infirmāti puero de eodem ſacrificio Dominicæ oblationis particulam deferri mandauit.* Vbi expēdo dictionem, *Particulam*, quæ ſolùm ſignificat paruam aliquam partem panis conſecrati, & illam datam eſſe pro viatico Dominici corporis, & ſanguinis, quia per illam totum ſacrificium participatur, & in illa vtrumque cōtinetur. Expendo etiam quod ait, omnes communicaſſe, *more ſolito*, refert autem idem Beda lib. 2. eiuſdem hiſtoriæ cap. 5. conſuetudinem Angliæ tunc fuiſſe, *Euchariſtiam populo dare ſub ſpecie panis, quem videntes barbari, panem nitidum appellabant,* & à ſacerdote petebant, quibus ille reſpondit. *Si vultis ablui fonte ſalutari, poteſtis panis ſancti eſſe participes.* Beda.

18. Cōc. Tole. Pro eadem etiam conſuetudine notari poteſt decretum Concilij Toletani. 11. cap. 11, vbi refertur canon Toletani Cōcilij primi. 14. dicens. *Vt ſiquis acceptam à ſacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut ſacrilegus propellatur,* quem canonem explicat poſterius Concilium, intelligendum eſſe, ſi id voluntate fiat, non verò ſi ex infirmitatis impedimento id contingat. Nam multi infirmi, vt ibi diciur, Euchariſtiam ſibi oblatā reijciunt, non ex infidelitate, ſed quia *Præter Dominici calicis hauſtum, traditam ſibi non poſſunt Euchariſtiam deglutire.* In quibus verbis ſatis indicat, conſuetudinem ordinariam fuiſſe, dandi infirmis Euchariſtiam ſine hauſtu calicis, & in eodem ſenſu intelligere videtur alterum canonem antiquioris Concilij. Aliqui verò inde colligunt, infirmo, qui hoſtiam deglutire non potuerit, in ſola ſpecie vini viaticum tribuendum eſſe: quod non repugnat quidem iuri diuino, ibi tamen non dicitur. Magis colligi poſſet, ex Concilio Carthaginenſi 4. cap. 76. vbi de infirmo in ſimili caſu dicitur, *Si continuo creditur moriturus, infūdatur ori eius Euchariſtia.* infuſio enim eſt rei liquidæ. Sed nihilominùs id intelligi poſſet de particula hoſtiæ, quæ in calice poſita intra vinum non conſecratū, pro-

A priè dici poteſt iufundi ori infirmi. Et attenta præſenti conſuetudine Eccleſiæ potiùs hoc vltimo modo eſſet communicandus talis infirmus, quàm ſub ſpecie vini conſecrati, quia & minùs habet periculi, & magis eſt Eccleſiæ conſuetudini conſentaneum: nam vſus calicis extra ſacrificium generatim prohibitus eſt, & nulla eſt neceſsitas, quæ cogat ad vtendū epijKia, cum alter communionis modus ſufficiat, qui per ſe prohibitus non eſt. Nam licèt in Conclio Bracarenſi. 3. cap. 1. videatur prohibitus ille communicādi modus, vt intellexiſſe videtur Gloſſa in cāp. *Is qui.* 26. q. 6. quia ibi dicitur, non eſſe dandam, *intinctā Euchariſtiam* populis: nihilominùs vel illa prohibitio nō extenditur ad caſū neceſsitatis, vel (quod veriùs exiſtimo) non eſt facta in illo ſenſu, ſed aduerſus quoſdam, *Qui intinctā Euchariſtiam populis pro complemento communionis porrigebant.* Nam in vino conſecrato immergebant, ſeu humectabant Euchariſtiam, & illam dabant pro complemento communionis, quod erat ſuperſtitioſum, quia ſatis completa eſt communio in ſola ſpecie panis miniſtracta ſine vlla tinctione, & quando ambæ ſpecies accipiendæ eſſent, vt potuerunt aliquando accipi, ſeorſim miniſtrandæ eſſēt, ſicut Chriſtus Dominus illas præbuit. Aegroto deglutire non valenti, hoſtia in vino non conſecratum immiſſa ſubminiſtrāda eſt. Cap. Cum ōne crimē, de Cōſecr. diſt. 1. Cōc. Bracarenſ.

Neq; huic conſuetudini obſtat, quod aliquando legatur prohibita ſumptio corporis ſine ſumptione ſanguinis, vt ex Gelaſio Papa refert Gratianus in cap. *Comperimus,* de Conſecrat. diſt. 2. quod alij tribuunt Leoni, apud neutrū autem inuenio in epiſtola ad Maioricum, & Ioannem, ex qua citatur. Sed cuiuſcumque fuerit illa prohibitio, non obſtat, vel quia refertur ad ſacerdotes ſacrificantes, vt ibi Gratianus cū Gloſſa voluit, & aliqui ex Scholaſticis ſequūtur, ſic enim facta fuerat talis prohibitio in Concilio Toletano. 12. cap. 5. vel (quod magis eſt textui, & hiſtoriæ conſentaneū) ibi ſolùm eſt prohibitū id facere ex ſuperſtitione, vt in textu dicitur, ibi, *quoniam neſcio, qua ſuperſtitione docentur obſtringi,* exiſtimātes vtiq; non eſſe licitam vini ſumptionem. Qui videtur fuiſſe error Manicheorum: nam vt refert Leo Papa ſerm. 4. Quadrageſimæ cap. 5. cùm ſentirent, in Chriſto non fuiſſe veram carnem, ad tegendam infidelitatem 19. Cap. Comperimus. Cōc. Tolet. In ſacrificio vel ex ſuperſtitione corpus ſine ſanguine ſumi, prohibetur.

delitatẽ ſuam, noſtris audebant intereſſe A myſterijs. *Ita verò* (inquit) *in ſacramentorum communione ſe temperant, vt interdũ tutius lateant, ore indigno Chriſti corpus accipiunt, ſanguinem autem redemptionis noſtræ haurire omninò declinant.* Hoc ergò ſpiritu, & errore non ſolùm prohibitum, ſed etiam per ſe malum, & ſacrilegum ſemper fuit, à calice abſtinere. Hæc autẽ eadem fraus, & hypocriſis illorum hęreticorum oſtendit, communionem corporis ſine calice fuiſſe tũc inter fideles vſitatam, & morem illum ſanctum, & religioſum fuiſſe exiſtimatum, alioqui non B auſi fuiſſent Manichæi, ad occultandum ſuũ errorem vſum illum, ſi nouus eſſet, introducere. Vnde tunc etiam Pontifex poſſet pręcipere, vt corpus non ſumeretur ſine ſanguine, vbi ad vitandum illud ſcandalum neceſſarium fuiſſet, quamuis enim mihi nõ conſtet, id factum eſſe, poteſtas nihilominùs non deeſt. Ex illa tamen colligi non poteſt, Chriſtũ prohibuiſſe accipere vnã ſpeciẽ ſine altera, ſed infertur ſolummodo, poſſe Eccleſiam præcipere, vel prohibere aliquid, quod Chriſtus non præcepit, vel prohibuit, quod veriſsimum eſt; & ex eodem principio nos concludimus, potuiſſe Eccleſiã C quando temporis occaſio, & generalis ratio id poſtulauit, prohibere laicis vſum calicis, quamuis Chriſtus illum non prohibuerit, ſed abſq; præcepto conceſſerit.

20. Vnde poſſet vltimò hæc veritas perſuaderi rationibus, quibus oſtendi poteſt inprimis non fuiſſe conueniens, Chriſtũ præcipere, & ſub neceſsitate ſalutis conſtituere vſum calicis pro omnibus, & ſingulis fidelibus, tum quia totus Chriſtus ſub ſingulis ſpeciebus futurus erat, & omnem neceſſarium, ac conuenientem effectum huius ſacramẽti ſe ſumentibus ſub D qualibet ſpecie tribuere poteſt: tùm etiã quia vix poſſet id moraliter fieri ſine magnis incommodis, & periculis contra reuerentiam huic ſacramento debitam, quę vel propter multitudinem communicãtium, vel propter eorum varietatem, tam in conditionibus, & affectibus corporis, quàm in animi prudentia, & circunſpectione, vel deniquepropter miniſtrantiũ incuriam, nullatenùs poſſent iuxta humanam conditionẽ euitari. Deinde contrarijs rationibus probari poſſet, prudẽtiſsimè feciſſe Eccleſiam, introducẽdo, & approbando conſuetudinem hanc communicandi laicos ſub ſola ſpecie panis, quia illis nullum inde prouenit ſpirituale incommodum, quod ad effectum huius ſacramenti pertineat; imò eiſdem eſſe poteſt modus ille communicandi vtilior, tũ ad fidem erga hoc ſacramentũ perfectiùs exercendam, vtiq; Chriſtum in toto ſacramento, eundemque Dominum totũ in ſingulis ſacramenti partibus fidei oculis intuendo; tùm etiam ad maiorem obſeruantiam, purioremque eiuſdem ſacramenti cultum, vt ſatis explicatum eſt. In his enim, & alijs rationibus declarandis, immorari non eſt operęprętium, quia in commentarijs Theologicis, ad quos magis, quàm ad diſputationem de fidei fundamentis, pertinent, copioſè pro viribus noſtris id præſtitimus.

Statuta veritas ratione cõfirmatur

CAPVT VI.

De Miſsis priuatis.

VEnio ad vltimum punctum circa diuinum Euchariſtiæ myſterium à Rege tactum, de Miſsis priuatis, quarum vſum inter nouitios, & nuperos ritus ponit, & reprehendit. Notanda verò ſunt verba Regis dicentis, *In his articulis priuatas illas Miſſas numero, in quibus ſacrificus ſimul, & populi perſonam, & ſacerdotis ſuſtinet.* Nam in illis videtur Rex de Miſſa tanquam de vero ſacrificio loqui, aliàs immerito *Sacrifici*, & *Sacerdotis* nomina interponeret, ac ſacerdotẽ in Miſſa pro populo intercedere, & ideò ab illo diſtingui debere, ſupponeret. Propter quod dubito, an in illis verbis ex propria ſententia loquatur, credẽs, quod de Miſſę ſacrificio ſupponit, cùm Lutherus, Caluinus, & alij protetãſtes id negẽt, an verò ſolum intendat, Catholicos ex proprijs principijs redarguere? Nos verò Catholicam doctrinam de veritate, ac propietate huius ſacrificij ſupponentes, dicimus in primis Miſſam, ſiue publicè, ſiue ſecrete fiat ſemper eſſe verum ſacrificium, ac ſubinde nũquam eſſe ita priuatam, quin de ſe actio ſit publica, fit enim à ſacerdote, vt à miniſtro publico, authoritate Chriſti, & nomine Eccleſiæ conſtituto in his, quæ ſunt ad Deũ, vt pro vniuerſo Chriſtia-

1\.

Miſſas priuatas Rex abhorret.

Miſſa etiã ſi ſecretè fiat, eſt verũ ſacrificium & actus de ſe publicus.

Chriſtiano populo Deo ſacrificium offerat. Et ideo meritò dixit Concilium Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 6. *Miſſas, etiam ſi nullus in eis communicet, verè communes cenſeri debere, partim, quòd in eis populus ſpiritualiter communicet, partim verò, quòd à publico Eccleſiæ miniſtro, non per ſe tantùm, ſed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Chriſti pertinent, celebrentur.* Cōc. Trid.

2. Miſſa quoad ſubſtantiam ſēper eſt actio publica.

Iuxta hanc ergò catholicam doctrinam nulla eſt Miſſa, quæ (vt ita rem explicem) per ſe, & ſubſtantialiter ſit priuata: nam quoad principalem offerentem, qui eſt Chriſtus, & quoad miniſterialē, qui eſt ſacerdos, & quoad rem oblatam, quæ eſt caro, & ſanguis Chriſti, & quoad Deum, cui offertur. & quoad Eccleſiā Catholicam, proqua offertur, communis eſt; hęc autem ſunt, quę ad eius ſubſtantiam maximè pertinent, eiq; per ſe conuenire dici poſſunt. Solùm ergò poſſunt aliquæ Miſſæ dici priuatæ ex conditionibus, ſeu circunſtantijs, quę in illius celebratione interuenire poſſunt. Quoniā autem hæ circunſtantiæ multiplices eſſe poſſunt, per ſingulas diſcurrere oportet, & expendere, an in aliquo ſenſu Proteſtantium reprehenſio, vel potiùs calumnia contra Eccleſiam Catholicam veriſimile aliquod fundamentum habere poſſit.

3. Varijs modis poteſt dici Miſſa priuata. 1. Ex defectu concurſus populi.

Et primò quidem dici poteſt Miſſa priuata, quæ ſine populi concurſu celebratur. Quem ſenſum indicat Rex, cùm affirmat, Miſſas priuatas vocare, *In quibus ſacrificus ſimul, & populi perſonam, & ſacerdotis ſuſtinet*, hoc autem ſi attente conſideretur, neq; neceſſarium, neque in rigore verum eſſe poteſt, niſi ſupponatur, ſacerdotē omninò ſolū eſſe, quando ſacrificat: nam ſi miniſtros, vel ſaltem miniſtrum habeat, ille populi perſonam ſuſtinebit, & non ſolus ſacerdos. Tales autem Miſſas priuatas, in quibus nullus miniſtret ſacerdoti, Eccleſia nonpermittit, nec permiſit vnquam: prohibet enim Miſſam dici à ſacerdote ſine miniſtro. Nam in Concilio Moguntino ſub Leone III. cap. 43. dicitur nullum presbyterum rectè poſſe ſolum Miſſam facere, & ita obſeruat vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo, & omnes Catholici Doctores docent. Hoc autem ſatis eſt, vt non dicatur ſolus ſacerdos ſimul populi, & ſacrifici Cōc. Mog.

A perſonam ſuſtinere: nam miniſter, vel ſolus, vel ſimul cum perſona ſacerdotis populi perſonas ſuſtinet. Cùm enim Paulus ad Hebr. cap. 5. dicat, Pontificē creatum, quemadmodū pro populo, ita etiam pro ſe metipſo offerre, nullum eſt inconueniens, quòd ipſemet ſacerdos ſaltem ſimul cū miniſtro populi perſonam ſuſtineat. Quin potiùs ſi ſolam ſacrificij generalem rationem ſpectemus, non colligitur ex vi illius neceſsitas alicuius miniſtri, neque alicuius populi adſtantis, cōſtat enim Abel, Abraham, & alios Patriarchas in lege naturæ obtuliſſe interdū B ſacrificium ſolos, ſine alijs miniſtris, vel aſsiſtentibus, quia licèt ſacerdos eſſet ſolus, poterat nomine populi, & pro ſe, & pro illo toto ſimul offerre. Vnde quòd nunc requiratur aliquis ſacerdoti miniſtrans, eſt ex peculiari inſtitutione, quæ videtur magis eſſe Eccleſiaſtica, quàm diuina, quia magis poſtulatur propter accidētales cęremonias, quàm propter eſſentialem ritum conſecrationis. Ad Hebr.

4. Miſſa hoc modo priuata omnino irreprehēſibilis eſt.

Hinc ergò fit, nullam dari veriſimilem cauſam, ob quā reprehendi poſsit Miſſa priuata quoad hanc circūſtantiam, id eſt, C cui nullus aſsiſtit præter vnum miniſtrū, quia in tali modo offerēdi nihil cōmittitur, vel contra naturalem legem, vel cōtra præceptum Chriſti, vel contra præceptū, aut conſuetudinem Eccleſiæ. Primum conſtat ex dictis, & eſt per ſe manifeſtum, quia nec communis ratio ſacrificij, nec peculiaris modus, aut dignitas Euchariſtici ſacrificij multorum præſentiam requirit, poteſt enim cùm debita reuerentia, deuotione, & integro ritu à ſacerdote cum vno tantū miniſtrante fieri. Præceptum item Chriſti oſtendi nō poteſt, quia neque actio eius in nocte Cœ D næ, neque verba, quæ tunc Apoſtolis dixit, continent tale præceptum, vt ex ſimilitudine rationis colligi poteſt ex ijs, quæ in præcedenti puncto tradidimus. Itē ex ijs, quæ tradunt Cyprianus epiſt. 62. ad Cecilium, verſus finem, & Auguſtinus epiſt. 118. cap. 6. dicentes, nō pręcepiſſe nobis Chriſtū in conficiendo hoc myſterio obſeruare omnes circūſtantias, quas ipſe obſeruauit, ſed quæ ad ritū ſubſtantialem pertinent. Sic ergò quamuis ipſe coram multis celebrauerit, non ideò præcepit ſemper ita fieri. Aliàs neceſſa- Cyprian. Auguſt.

rij eſſent ſaltē duodecim aſsiſtentes, vel etiam nō deberent permitti plures, quia Chriſtus nō omnes diſcipulos, ſed tantū duodecim Apoſtolos ad cœnam vocauit, & ſimili ratione non in conſpectu fœminarum, ſed tantùm virorū eſſet hoc ſacrificiū offerendum. Deniq; non poteſt deſignari multitudo aſsiſtentiū, vel numerus eorum iure diuino neceſſarius ad cōficiendū hoc ſacramentum: ergò neq; eſt datum præceptum, vt coram multis abſolutè fiat, quia non magis vno, quam alio modo oſtendi poteſt, vel ſcriptum, vel traditum.

5. Præcepto autem Eccleſiaſtico videri poteſt olim fuiſſe ſtatutū, ne Miſſæ dicantur, niſi coram teſtibus ſaltē duobus, vt habetur in Concilio Nannetenſi cap. 30. & alij referunt ex Anacleto Epiſt. 1. vbi generaliter de Sacerdotibus dicit, *Nō ſoli ſacrificent, ſed teſtes ſecū adhibeant*, poſteà verò in Epiſcopis plures requirit. Verumtamen hoc ius, vel nunquā fuit generaliter introductū in Eccleſia per modū rigoroſi præcepti, vel certè per conſuetudinem contrariam abrogatū eſt, quia in his, quæ accidentaria ſunt, poteſt eſſe in Eccleſia varietas, vt ratio, vel occaſio temporum exigit. Et ita multiplicatis ſacerdotibus potuit, vel neceſſariū, vel magis cōueniens iudicari, vt vnus miniſter ſufficeret, ne propter ſolam aſsiſtentiū paucitatē, aut penuriam diuinus cultus minueretur, & Eccleſia, ipſiq; ſacerdotes fructibus ſacrificiorum priuarentur.

Cōc. Nannatenſ.
Anaclet.

Nullū præceptū eccleſiaſticū obligat ad ſacrificādū coram multis.

6. Secundo modo dicitur Miſſa priuata, in qua ſolus Sacerdos ſacramentū conſumit, & cōmunicat, & in hoc magnā vim faciunt Proteſtantes, fingentes eſſe non ſolū contra antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ſed etiam cōtra ius diuinum. Sed ducuntur ſolo ſpiritu contradicendi, & calumniandi Eccleſiam Romanam, quia ſine fundamento fingunt tale præceptū, vt facilè oſtendi poteſt diſcurſu ſæpe facto. Nam ex facto, aut verbis Chriſti nō colligitur de hac re præceptū diuinū, vt teſtimonia adducta, & ratio probant, quia ſolum Chriſti factum non inducit præceptū, neq; per aliqua Chriſti verba ſufficienter indicatum eſt. Deinde licèt verum ſit, in principio Eccleſiæ frequentiùs obſeruatum fuiſſe, vt fideles aſsiſtētes fractioni panis de illo participarent,

Secundo dicitur Miſſa priuata quia ſolus ſacerdos in ea cō municat.

Præter Sacerdotē nullus tenetur iure diuino cōmunicare in ſingulis Miſsis.

A tamen quod id factum fuerit ex obligatione præcepti, maximè diuini, nullo indicio oſtendi poteſt, veriſimiliuſq; eſt, ex ſola deuotione, & feruore fidelium, eo tempore id prouenitſe. Præſertim cū dicat Paulus. 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, nam poterant etiam tunc multi adeſſe ſacrificio, qui ſe probantes, non diſpoſitos ad communicandum inuenirent, & ideò ſemper etiā in Eccleſia fuit facilius Miſſam audire, quā in illa cōmunicare, quod non ita eſſet, ſi quoties Miſſa auditur cō-
B municare oportet, quia non eadē probatio conſcientiæ, idem ve iuſtitiæ ſtatus æquè ad vtrūq; poſtulatur. Deinde paulòpoſt Apoſtolorum ex hac vita deceſſū deſignari cæperunt tempora, in quibus ſoli fideles communicare obligabantur, cùm tamen extra illa tempora, & diebus ſaltem Dominicis Miſſas audire tenerentur. Merito ergò Concilium Tridentinum dānauit dicentes, illicitas eſſe Miſſas, in quibus ſolus ſacerdos cōmunicat. De quo puncto plura in ſcholaſticis diſputationibus diſſeruimus.

1. Cor. 11.

Cōc. Trid.

7. Tertio poteſt Miſſa dici priuata ex
C alijs circunſtantijs, vt ex loco, quia in priuata domo dicitur, & nō in publico templo, pro toto populo deputato: vel ex tēpore, ſcilicet, quia non fit hora conſueta: in qua populus ſolet ad ſacrificiū conuenire, ſed quacūq; alia ſacrificāti opportuna: vel ex modo, quia nō fit cū cantu, vel alijs ſimilibus ſolēnitatibus. Et de his ōnibus modis certum eſt, Miſſam priuatam non fieri illicitam, niſi aliquid contra ſpecialem Eccleſiæ prohibitionē, vel cōtra reuerentiam ſacramento debitam committatur. Ratio generalis eſt, quia in his ritibus accidētalibus nihil eſt iure diuino
D poſsitiuo definitum, & ideò quidquid non eſt per ſe malum, nec per Eccleſiam prohibitum, indifferens eſt. Vnde quòd ad locum ſpectat, ſolùm eſt per ſe neceſſarium, vt locus ſit per Eccleſiæ Paſtores approbatus, iuxta antiquos canones, à Concilio Tridentino grauiſsimè cōmēdatos, & innouatos. Dico autem per ſe, quia ſemper in Eccleſia vſitatum fuit, vt ex prudenti cauſa, vel neceſsitate Miſſæ in priuatis locis, aut domibus pro debito tempore, & opportuna occaſione oblata dicantur.

Tertio dicitur Miſſa priuata ex circunſtantijs loci, & temporis.

Prædictæ circunſtantiæ nō reddunt Miſſā priuatā illicitam.
Clemens Epiſt. 3. & Felix. 4. epiſt. 1. & multa Cōcil. quæ citantur de Conſecrat. diſt. 1.

8. Cõſuetudo celebrãdi in priuatis locis miraculis confirmata.

Paulin. *Auguſt.*

Quem morem miraculis etiam confirmatũ eſſe, antiquæ hiſtoriæ prodiderũt. Nam Paulinus in vita Ambroſij refert, cum aliquando Romæ adeſſet, ſacrificiũ in domo cuiuſdam Matronæ nobiliſsimę obtuliſſe, & paralyticam in lecto iacentẽ miraculoſe ſanaſſe. Et Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. 8. refert, quendam Presbyterum ſuum ſacrificium corporis Chriſti in quadam priuata domo, quæ à dœmonibus vim noxiam patiebatur, obtuliſſe, & orationibus ſuis habitatores illius domus ea vexatione dœmonis liberaſſe. *Theodoret.* Theodoretus etiam in Hiſtoria religioſa cap. 20. de ſe narrat myſticum ſacrificiũ in priuata domo cuiuſdam viri ſancti Maris vocati, propter eius conſolationẽ obtuliſſe. *Pius. 1.* Pius tandem. 1. Summus Pontifex in ſua Epiſt. 1. ad Iuſtum Veronenſem Epiſcopum habet, *Euprepia titulum domus ſuæ pauperibus aſsignauit, vbi nunc cum pauperibus noſtris commorantes Miſſas agimus.* (Habetur tomo. 3. Bibliothecæ Sanctorum.) Quæ quidem Miſſę ſaltem quo ad modum videntur fuiſſe priuatę, quoad locũ autem poteſt eſſe dubium, quia per titulos ſignificantur domus ad diuinum cultum mancipatæ, vt notat Baroronius an 112. nu. 4. Quia verò Pius non dicit domum illam jam fuiſſe cultui diuino dicatam ſed ab Euprepia pauperibus aſſignatam, & in illa adhuc cum pauperibus habitaſſe, ſatis veriſimile eſt, illam non fuiſſe Eccleſiam publicis officijs diuinis dicatam, ſed fuiſſe domum habitationi pauperum deſtinatam, in qua priuatim Miſſę dicebantur. Et hoc maximè ſolitum eſt fieri tẽpore perſecutionis Tyrannorũ, vel hęreticorũ, vt ſumitur ex multis, quæ memorat Victor lib. 3. de Perſecut. vandalica, & Sozomenus lib. 7. Hiſtoriæ cap. 5. & Auguſtinus in Breuiculo Collation. cap. 17. (*Victor.* *Sozomen.*) Item in illo tempore dicebantur Miſſæ in Cryptis. *Cornel. Papa.* Vnde Cornelius Papa ad Lupicinum Viennenſem Epiſcopũ exaggerãs vim perſecutionis ait, *Neque in Cryptis notioribus Miſſas agere Chriſtianis licet*, vbi expendo particulam, *Notioribus*, nam ſignificat in ſecretioribus, priuatim, & occultè dici potuiſſe, dicebantur deniq; *Cyprian.* tunc in carceribus, teſte Cypriano Epiſtola. 5. apud quem notanda eſt prudens monitio, *Ita* (inquit) *vt Presbyteri quoque, qui illic apud confeſſores offerunt, ſin-* A *guli cum ſingulis Diaconis per vices alternent:* quibus verbis etiam ſignificat, Miſſas illas fuiſſe priuatas quoad modum, & quoad perſonarum concurſum.

9. Cõſuetudo celebrandi Miſſã quocũq; opportuno tempore exemplis cõfirmatur.

Quo circa eiſdem exemplis facilè probari poteſt, conſuetudine receptũ fuiſſe, vt Miſſæ quocumq; opportuno tempore dicerentur, quia nec neceſſariũ erat, nec moraliter poſsibile, definitam horam celebrandi in tanta varietate occaſionum, & locorum obſeruare. Accedit, ſemper fuiſſe licitum ſacerdotibus, quotidie celebrare, ſi vellent, ſicut de Andrea Apoſtolo dixiſſe legimus, B *Ego omnipotẽti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari.* *Hierony.* Hieronymus etiam Epiſt. 150. ad Hedibiam quæſtio. 2. de ſe dicit, *Quotidie in ſacrificijs eius de genimine vitis veræ rubentia muſta calcamus.* Quod de Miſſis priuatis, quæ ab ipſo quotidie dicebantur, neceſſariò intelligi debet. Nam de eodem Hieronymo, ait Epiphanius *Epiphani.* Epiſt. ad Ioannem Hieroſolymitanum, quæ eſt. 60. inter Epiſtolas Hieronymi, ipſum nõ fuiſſe ſolicitum publicas Miſſas celebrare. De Caſsio etiam Namienſe Epiſcopo refert Gregor. Homil. 37. *Gregor.* C in Euangel. morẽ illi fuiſſe, *Quotidianas Deo Hoſtias offerre, ita vt penè nullus dies vitæ eius abſcederet, quo non omnipotenti Deo Hoſtiam placationis immolaret.* Et ſimilia in hiſtorijs dę vitis, & geſtis Sanctorum frequenter reperiuntur, ex quibus manifeſtè colligi poteſt, eos neque certam diem hebdomadæ, neque publicam, ac definitam diei horam ad celebrandum obſeruaſſe, ſed pro ſua deuotione, aut cõmoditate elegiſſe horam intra diei tempus ab Eccleſia permiſſum. Et inde à fortiori etiam perſpicuum manet, Miſſas D priuatas quoad intentionem offerendi, aut alias circunſtantias eodem modo fuiſſe ſemper licitas, & in vſu: Tum quia de illis eſt eadem ratio: tum etiam quia non poterant aliter Miſſæ, tam frequenter clebrari. Atque hæc ſufficiunr de hoc puncto, in quo nullam rationem dubitandi, vel difficultatem, quæ ad dogmata fidei pertineat, inuenio, alia verò, quæ ad ſacrificium Miſſæ ſpectãt, à Rege nõ attinguntur, & alibi ex profeſſo à nobis tractata ſunt. (3. tomo. 3. partis diſp. 73. & ſeq.)

CAP.

CAPVT VII.

De Erroribus, qui circa cultum, & innocationem Beatæ Virginis in Regis Præfatione notantur.

1. INter alia, quę in reddenda ratione ſuę fidei Rex Iacobus ſcribit in Præfatione ſua, non nulla de Beata Virgine cõſitetur, quæ ex catholica doctrina deſumpſit, à qua nihilominùs in alijs diſcrepat, quæ breuiter expendere, & non minùs certa eſſe, quam priora, oſtendere, neceſſe eſt. Primo ergo dum Mariam ſanctiſsimam Beatam Virginem appellat, rectè de perpetua illius Virginitate ſentire videtur, non enim poteſt ſimpliciter Virgo appellari, quæ aliquando virginitatem ſeruauit, ſi poſteà illam amiſit. Deinde recognoſcit, illam fuiſſe veram Dei Matrem, eo quòd Saluatori noſtro placuerit, ex illa humanũ ſibi corpus aſſumere, & in Chriſto non poſsit à diuinitate humana natura ſeparari; quod rectè dictum eſt, vt pote à Concilio Epheſino 1. cum Leone Magno, & Cyrillo Alexandrino mutuatum, Præterea dicit, ſe *pie ingenuèque fateri conſtanterque contendere, illam Virginem ſupra omnes beatorum hominum, ac ſpirituum ordines ad cœleſtẽ gloriam elatam, eius filio Deo ſimul, & homine excepto.* In qua confeſsione veritatem laudo, & complector, illius tamen certam fidem poſtulo, & fundamentum requiro. Si enim Rex dicens, piè, & ingenuè illam veritatem fateri, & pro illa cõſtanter contendere, ſolùm piam quandã credulitatem, conſtantemque opinionẽ illius veritatis ſe habere ſignificare intendit: confeſsioni fidei Catholicæ non ſatisfacit. Nam traditio antiquiſsima ab Apoſtolis orta, & vnanimi conſenſu Patrum ad nos vſque deriuata, & ab vniuerſali Eccleſia ſine vlla diſſenſione, aut hæſitatione recepta, certam fidem illius veritatis apud Catholicos facit. Si verò Rex ſereniſsimus verbis ſuis hanc fidem indicare voluit, aliquid eſſe firma fide credẽdum, quod in libris Canonicis expreſſe non ſit ſcriptum, fateatur neceſſe eſt. Verumtamen quia in veritate doctrinę quo ad hanc partem conuenimus, & de modo, & regula credendi, ſatis in ſuperioribus dictum eſt. ideò in hac veritate confirmanda non immoror, & lectorem ad

Cõc. Ephe.

A ea, quæ alibi ſcripſimus remitto.

2. Deniq; hanc Batiſsimam Virginẽ ſe venerari, Rex profitetur, quod etiam libenter legimus, & admittimus. Nec de verbo venerandi, vel adorandi quæſtionem mouemus, licèt fortaſſe Rex primũ admittere, poſterius autẽ cauere conſulto ſtuduerit: nam hoc etiam ſine reprehenſione fieri poſſe, ſi ſana mente, & legitimo ſenſu fiat, nõ dubitamus. Nam Cõcilium etiam Tridentinum Seſſ. 25. in Decreto de Inuocatione, & veneratione Sanctorum, illum loquendi modum obB ſeruauit, dicens, *Chriſtum adoremus, & Sãctos veneremur.* Epiphanius contra hæreſim. 78. cùm doceat, Viginem honore, & veneratione proſequendam eſſe, adorandam eſſe negat, vtiq; adoratione latriæ, ſeu diuino cultu, de quo ibi tractabat, & per antonomaſiam verbo adorandi ſimpliciter dicto ſigificari ſolet.

Cõc. Trid.

Epiphan.

3. Itaq; maioris claritatis gratia, & vt purè, & ſincere huius dogmatis ſenſum ſine ambiguitate verborum explicemus, tria verba notanda ſunt, ſcilicet, honorare, adorare, & venerari, nã duo priora diſtinxit Auguſtinus cõtra Sermonẽ ArianoC rũ cap. 23. *Nam honorat (inquit) omnis qui adorat, non verò adorat omnis, qui honorat,* honoramus enim nõ ſolũ ſuperiores nobis, ſed etiã ęquales; imò & inferiores, quin etiã Rex interdũ ſubditũ honorat, vt dicitur Eſther. 6. Adoratio autẽ ſolùm exhibetur potentiori, & ſuperiori in ſignum dignitatis, & excellentiæ. Eſt ergò honor teſtimoniũ virtutis abſolutè ſpectatę, quomodocũq; ad honorantẽ cõparetur. Adoratio verò eſt etiã virtutis teſtificatio cũ recognitione tamẽ ſuperioris dignitatis, & excellẽtię, & ideò qui honorat, nõ ſtatim adorat; è cõtrario verò qui D adorat, neceſſariò etiã honorat. Venerãdi autẽ verbũ licèt magis ad proprietatẽ adorandi accedere videatur, quia exhibitionẽ reuerentiæ, & obſeruãtiæ indicat; interdũ tamẽ ſolet pro verbo honorãdi, & in eadẽ ſignificatione vſurpari, vt ex latina proprietate, & vſu cõſtat. In præſenti ergò cauendũ eſt, ne in hac tantũ poſtrema ſignificatione verbũ venerãdi vſurpemus: parũ eſt enim Virginem honorare, niſi id fiat cũ debita mẽtis ſubmiſsione, & æſtimatione excellentis virtutis, & dignitatis eius. Honor autem ſic exhibitus, eſt

Quid inter ſit inter verba honorandi, adorandi & venerandi.

O 2 pro-

propriè veneratio, & reuerentia, & dici etiam poteſt quædam adoratio.

4. Adorationis plures ſpecies.

Nam ipſa etiam adorationis vox generalis eſt, & varios gradus, ſeu ſpecies habet, quædam enim in ſignum ſupremę & increatæ excellentiæ exhibetur, quæ latria dicitur, & interdum nomine adorationis ſimpliciter prolato ſignificari ſolet: alia vero eſt, quæ ob minorē excellentiam indicandam exhibetur, in qua ſignificatione interdū vſurpatur in Scriptura verbum adorandi, vt 1. Reg. 24. & 25. & 3. Reg. 1. & alibi ſæpè. Atque eodem modo diſtinguunt Theologi adorationem inferiorem (quam per nominū accommodationem duliam vocant) à ſuprema adoratione latriæ, & ſub priori membro cum ſingulari quadam excellētia, & perfectionē obſeruationem Virgini debitam conſtituunt, & hyperduliam vocant, Quæ verba fortaſsè Regi non placebunt, ſed de illis non contendemus, dum modo res nō diſpliceat, & per venerandi verbum non quencumque honorē ſed illum, qui cum debita æſtimatione, & animi ſubmiſsione in ſignum ſingularis excellentiæ, & ſanctitatis, Virgini exhibetur, ſignificemus. Merito enim dixit Auguſt. lib. de Geneſ. ad liter. cap. 4. *Dū modo intelligatur, quod intelligendum eſt. non magnopere curādum quid vocetur.* Nos igitur hac mente cōfitemur Beatam Virginem eſſe venerandam, & ab adorandi verbo, ne quempiam in fide infirmū offendat, abſtinemus. Nec videtur Rex ab hoc ſenſu alienus: nam ſtatim fatetur, Virginem eſſe veram Dei Matrem, quā nemo prudens negare poteſt, eſſe ſingularem excellentiam, & inſuper addit, Virginem in cœleſti gloria ſupra omnes Beatorum ſpirituum ordines eſſe collocatā, ergò neceſſe eſt, vt cū recognitione eiuſdem excellentiæ, & in teſtimonium, ac ſignificationem eius, honorem illi exhibeat, quando ipſam veneratur.

Latria. Dulia. Qua adoratione B. Virgo adoranda.

5. Quid Rex in veneratione B. Virgini debita coarguat, eiuſque obiectio.

His vero non obſtantibus aliquid obmurmurat, vel reprehendit Rex in cultu, & veneratione, quam Catholici Beatæ Virgini tribuimus, dicens, *Sed nec ipſam deridiculo auſim habere, nec impias in Deum voces emittere, non illi diuæ modo, ſed & Deæ nomen tribu ens.* Quibus alia adiungit, quæ propriè ad inuocationem pertinent, ideoque commodiùs inferiùs tractabuntur. Hæc autem reprehenſio hanc ferè obiectionem continere videtur: nam cultus, vel adoratio, non tantùm factis, ſed etiam verbis diuinitatem ſignificantibus exhibetur; ergò cum illa verba diuinitatem in Virgine ſignificent, adorationem ſimpliciter, ſeu latriæ continent; ergò non ad honeſtam, & debitam obſeruantiam, ſed ad idololatriæ labem ſpectant. Hæc verò obiectio nec fundamentum habet, neque alicuius momenti eſt. Nego habere fundamentum, quia nunquam Eccleſia Romana, ſeu Catholica in laudanda, ſeu inuocanda Beata Virgine illis vocibus vſa eſt, & ideò immerito illi tribuitur, ſiquid fortaſſe huiuſmodi in aliquo priuato Doctore inuenitur. Addo etiam, ſimiles voces rariſsimè inueniri in Patribus, vel Doctoribus Theologis, qui apud nos ſunt alicuius authoritatis. Solum memini legiſſe me nomen *Deæ*, apud Gregorium Nazianzenum in Tragedia de Chriſto patiente in fine, vbi ſic inquit, *Veneranda o Virgo caſta fœliciſsima, quando Beata nunc Beatorum in polo, exuta quidquid fæcis humanæ ſedes, æternitatis pallio ornata, vt Dea habita ſenectæ expers.* Ex huiuſmodi autem, vel ſimilibus verbis dico friuolam capi reprehendendi, vel obijciendi occaſionem, quia tam ex fide, & ſapientia ſcribentis, quàm ex antecedentibus, & ſequentibus verbis conſtat, non eſſe vſurpatam ad ſignificandam veram Deitatem per eſſentiam, ſed quandam excellentem participationem eius. Vnde poſſemus Regi reſpondere, verbis Chriſti Domini Ioannis decimo, *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & cætera.* Cùm ergo Scriptura iuſtos, Principes, & iudices Deos vocet propter quandam participationem, quid mirum, quòd Gregorius Nazianzenus ad ſignificandam inter omnes res creatas ſingularem excellentiam, dignitatem, & propinquitatem (vt ſic dicam) Virginis ad Deum, Deæ nomen vſurpauerit. Eò vel maximè, quòd non ſimpliciter aſſeruerit, illam eſſe Deam, ſed vt Deam habitam, nam particula, *Vt*, diminuit, & ſolùm participationem quandam, & imitationem dicit. Sicut Chriſtus Dominus Matth. 5. dixit *Eſtote perfecti, ſicut, & Pater veſter perfectus eſt*, Ioann. 16. *Vt ſint vnum*

Obiectio ex verbis Regis collecta. Satisfit obiectioni. Naziani. Verus Nazianz. ſenſus traditur. Ioan. 10. Matth. 5. Ioan. 16.

vnũ ſicut & nos vnum ſumus. Deniq́ue addere poſſumus Nazianzenum quaſi licentia Poetica vſum, & neceſsitate carminis cõpulſum vocem illam præter conſuetũ more fideliter interpoſuiſſe, nullũ timens periculum, ſicut re vera nullum erat, quod legentes poſſet in aliquem errorem inducere. Et hæc nunc ſufficiunt pro ijs, quæ de veneratione Virginis Rex attingit.

6. Contra inuocationem autem eiuſdem Virginis ſeuerius Rex inuehitur, nam & ſubſtantiam (vt ſic dicam) & modũ reprehendit. Negat enim in primis, Orandam eſſe Virginem à nobis, eiuſq; dogmatis egregium fundamentũ mirabilemq; rationem, vel potiùs coniecturam indicat, dicens, *Ne illud quidem in animum induco, tam otioſe in cœlis eam degere, vt abſurdis cuiuslibet inepti hominis orationibus pateat, ſeq́; eius rebus, ac negotijs immiſceat.* Et intra, *In cœlis, in æterno Sanctarũ animarũ receptaculo, in æterna eſt felicitate collocata, nunquam à tantis gaudijs vlla terrenarũ rerum cura, aut ſolicitudine auocanda.* Ex quibus verbis hęc ratio ſũmatim colligi videtur, Nõ poteſt B. Virgo, noſtra curare, vel noſtris precibus attendere, niſi à ſua felicitate auocetur; at hoc fieri non poteſt; ergo neq; illud à nobis faciendum, aut tẽtandum eſt. Deinde in modo interpellãdi Virginem tria potiſsimum taxat. Primo quia illam oramus vt non ſolùm precibus, ſed etiam imperio cũ filio ſuo agat, & quod illi imperet, ac dominetur. Secũdo quia perridiculè eam habemus, dũ fingimus, ipſam in terras ad ſacerdotum oſcula, & complexus deſcendere. Tertio, quòd ſimiliter credimus, propter nos acri, ac pertinaci altercatione cum dęmonibus contendere. Alij, deniq; addunt, quòd eam omnipotentem facimus, illi tribuendo, quod cunctas hæreſes ſola interemerit in vniuerſo mũdo, & eam poſtulando, vt beatos nos faciat filium oſtẽdendo, ac deniq; eam vocando ſpem noſtram, quod eſt proprium Dei, & mediatricem, ſeu aduocatam, quod eſt propriũ Chriſti.

[illegible]

Fundamentum Regis Iacobi.

Prima obiectio contra modũ inuocandi B. Virginem.
Secunda.
Tertia.

7. Verumtamen quod ad priorem partẽ attinet Proteſtãtes in ea ſequuti ſunt Cõſtantinũ Copronymũ, de quo Suidas ita memoriæ prodidit, *Mortalium omnium impuriſsimus præcipere auſus eſt, ne quis Ma-*

[illegible] Baroniũ tom. 9. [illegible] Chri. [illegible] 67. n. 1. 2.

A *riæ interceſsionem imploraret.* Quem errorẽ ſtatim vniuerſa Eccleſia deteſtata eſt, & authores, qui errorem referunt, ſatis oſtendunt, morem inuocandi Virginem antiquiſsimũ in Eccleſia fuiſſe. Sic enim ait Theophanes, ſi quiſquam corruens, vel dolens ſolitam Chriſtianorũ vocem emitteret, dicens, *Dei genitrix iuua,* vt inimicus Imperatoris dãnabatur. Et Theoſterictus eius temporis ſcriptor apud Nicetam ſic ait, *Quam Chriſtus ſibi in domicilium elegit, glorioſiſsimam, inquam, ſuam Matrem, omnibus alijs rebus creatis ſuperiorem, omnium hominũ ſalutem, mundi patro-*
B *cinium, quæ propter Virginitatis ſuæ præſtãtiam prope Deum verſatur: huius, inquam, venerandum nomen multis modis ab Eccleſia expellere ſtuduit, eius verò interceſsiones, per quas mundus conſiſtit, illas nec nominare quidem voluit, cùm diceret nemini eam poſſe opitulari.* Contra quem errorem ſatis nunc erit, morem hunc inuocandi Sãctiſsimam Virginem ex Sanctis, & antiquioribus Patribus, tanquam teſtibus Apoſtolicæ traditionis oſtendere.

Primus ſit Ambroſius Precatione. 2. præparationis ad Miſſam, vbi cùm Deũ 8.
pro charitate obtinẽda precatus eſſet, ſub
C iungit. *Et vt efficax hæc mea ſit deprecatio B. Mariæ Virginis ſuffragia peto, quam tanti meriti eſſe feciſti, vt prima inter mulieres nouum munus offerret, & nulla præter ipſam tam nouum acciperet.* Huic adiungo Auguſtinũ, qui in lib. Meditationũ cap. 35. poſt longam ad Chriſtum Dominũ orationem ita concludit, *Propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſeruitui, & da mihi effectum petitionis meæ, & deſiderij mei intercedente, & orante, & impetrante glorioſa Virgine genitrice tua Maria Domina mea cum omnibus Sanctis tuis. Amen.* Et cap.
D 40. Sic orat Virginem, *Sancta, & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & Mater Domini noſtri IESV Chriſti interuenire pro me digneris apud illum, cuius meruiſti effici templum,* & Sermone decimo octauo de Sanctis, inſignem habet orationem ad Virginem, ex qua Eccleſia ſumpſit illa verba, *Sancta Maria ſuccurre miſeris, &c.* Notatur autẽ in Antuerpienſi editione ſermonem illũ ab aliquibus tribui Fulgẽtio: ſed inter opera eius nõ inuenitur, & ideò meritò Theologi Louaniẽſes nõ in appendice, ſed inter vera Augu-

Antiquitas conſuetudinis B. Virginem inuocãdi ex Patribus colligitur.
Ambroſ.
Auguſt.

ſtini opera illum collocarunt. Ipſe autẽ Fulgentius in ſermone de Laudibus Mariæ ex partu Seruatoris, *Venite* (inquit) *virgines ad Virginem, venite matres ad Matrem,* & poſt multa ſimilia concludit, *Ideò omnes iſtos curſus naturæ Virgo Maria in Domino noſtro Ieſu Christo ſuſcepit, vt omnibus ad ſe confugientibus fœminis ſubueniret, & cætera.*

Fulgent.

His accedat Gregorius Nazianzenus, qui Oratio. 18. de Sancto Cypriano re-
9. fert, Beatam Iuſtinam à Dœmone ſolicitatam ad Deum confugiſſe: poſteàq; adiungit. *Virginemque Mariam ſupplex obſecrans, vt periclitanti virgini ſuppetias ferret, ieiunij, & chameuniæ pharmaco ſeſe communit, &c.* Et in Tragędia citata circa finem hæc addit, *Senectæ expers ſupremo ex æthere, benigna adeſto vocibus meis, preces admitte Virgo, o inclyta hic quando tibi Verbi parenti, ſed ſupra modum tamen, legemque, ſolus inter omnes contigit honor,* quam precationem pijſsimè, & elegantiſsimè vſque ad finem proſequitur, eamque his tribus verſibus concludit, *Regina, Domina, generis humani bonũ, Amica ſemper eſto tu mortalibus, Maximaque quouis in loco mihi ſalus.* Eadem fide, & pietate Chryſoſtomus in Procœmio ad Pſalm. 118. ſtation. 3. in fine, *Hæc* (inquit) *fratres, Patrum monumenta, & documenta ſunt, ex quibus nos haurientes, cum ea, quam adhiberi par erat, animaduerſione vobis impertiuimus, quæ nimirum Dei mandata in vobis proficiant, vt iuxta ſinceram veſtram fidem, ac religionẽ probæ quoq; actiones ſint. In quibus confirmabit vos Dominus Deus, dans vobis vberes miſericordias, & per interceſsiones incontaminatæ Dominæ noſtræ Deiparæ, ac ſemper Virginis, &c.* Omitto Athanaſium, Gregorium Nicænũ, & alios, quos de hac re alibi diſputans allegaui, libetq; hic adiungere Baſilium Seleuciæ Archiepiſcopum, qui Synodo Conſtantinopolitanæ adfuit, & licèt in Chalcedonẽſi action. 1. in fine legatur depoſitus, nõ tamen propter fidem, & paulò poſt reſtitutus eſt, vt ex action. 5. colligitur. Ille ergo in Orat. 1. de Annuntiatione Deiparæ, inter multa alia, quę de laudibus, & interceſsione Virginis dicit, hac tandem oratione concludit. *O ter Sacroſancta Virgo aſpice nos de cœlo oculo propitio, & nunc quidem educ nos hinc cum pace: ad iudicis autem thronũ à con-*

Greg. Nazianzen.

Chryſoſt.

2. Tomo. 3 partis diſp. 23.

Baſil. Seleuciæ Archiep. Refertur tomo. 2. Bibliothecæ.

A *fuſione liberos nos ſiſte, ac ſtationis tandẽ ad dexteram participes nos effice, &c.*

His addi poſſunt multa ex Damaſceno Orat. 1. de Natiuit. Mariæ ad finẽ, & Orat. 1. de eiuſde Dormitione, & Epiphanio, in ſermone de Laudibus Virginis, & Ephrem de eiuſdem Laudib. Beda in ſimili homil. de Sancta Virgine, Anſelmo lib. de Excellentia B. Virginis pręſertim cap. vlt. & Bernardo in homiliis ſuper *Miſſus eſt,* & in ſermonibus de Aſſũptione, Illephonſo in lib. de Virginitate Marię, Laurentio Iuſtiniano, & alijs quã
B plurimis Patribus, ſiue antiquioribus, ſiue recentioribus. In omnibus enim illis frequenter inueniẽtur deuotiſsimæ orationes ad B. Virginem cum magna reuerentia, laudibus, & encomijs de illius excellentia, & exhortationes ad fideles, poſtulandi Virginis interceſsionem cũ magna fiducia. Et ex illis omnibus euidenter colligimus, conſuetudinem hanc non nouã, ſed antiquiſsimã fuiſſe, neq; etiam fuiſſe antiquatam vel mutatam aliquãdo, ſed conſeruatam ſemper in cordibus, & ore fideliũ. Immerito ergò videtur illam Rex ponere inter eas cõſuetudines, quas
C nuperas, & nouitias vocitat.

10. *Damaſce.*

Ephrem. Beda. Anſelm. Bernard. Illephon. Laur. Iuſtinian.

Ratio autem, quę contra illã obijcitur Regij ſane ingenij videtur indigna, potiùſq; apparet eſſe alterius hominis parũ in myſterijs fidei, & rebus theologicis verſati. Nã qui Sanctorũ fęlicitatẽ contẽplari nouerunt, nõ ignorãt, viſionẽ illã diuinitatis, quæ homines, & angelos beatos efficit, eos non impedire, quominus, quę apud nos agũtur cognoſcere, & curare poſsint. Eſt enim viſio illa beata eminens quædam participatio diuinæ ſcientiæ, qua Deus ſe ipſum comprehendit, & ideò ſicut contemplatio, quam Deus de
D ſe ipſo habet, ipſũ nõ impedit, quominùs noſtra conſideret, & omnibus exactiſsimè prouideat; ita in ſuo gradu, & proportione contẽplatio beatorũ nõ neceſſariò excludit noſtrarũ rerũ cognitionẽ; imò potiùs illam vnicuiq; iuxta ſuę fęlicitatis gradũ, & ſtatũ confert. Vnde etiam fit, vt ſine ſuæ fęlicitatis diminutione, aut interceſsione poſsint Beati nos diligere, & ſecundum charitatis ſuæ gradum pro nobis intercedere. Sic enim de Sanctis Angelis dixit Chriſtus, *ſemper vident faciẽ Patris, qui in cœlis eſt.* Matt. 10. & nihilominus

11. Reſponſio ad Regis verba. Optimè ſtat viſio beata cum cognitione, & dilectione creaturarũ.

nus eos vocat Angelos hominũ, dicens, *Angeli eorum*, vtique cuſtodes, iuxta illud Pſal. 33. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis.* Si ergo Angeli beati poſſunt homines cuſtodire, & ex hac terrenarum rerum cura, & ſolicitudine ab æternis gaudijs ſuæ felicitatis non auocantur: quis cogitare poteſt, non poſſe B. Virginem orationes noſtras audire, & pro nobis intercedere, quin à ſua felicitate diſtrahatur?

Pſal. 33.

B. Virgo poteſt pro nobis intercedere, quin felicitatem ſuam deſerat.

12. Quod ſi hoc cuipiam difficilius videtur, quia longè feliciorẽ, & gaudijs æternis magis intentam Beatã Virginem eſſe credit, manifeſtè decipitur: nam cum ipſa felicitate, & eius gaudio creſcit etiam, & facultas conſiderandi res humanas ſimul cum diuinis, & affectus charitatis ad illarum curam, pro ratione ſui ſtatus, & propter maiorem Dei gloriam, ſuſcipiẽdam. Vnde Chriſtus etiam ipſe licet à principio conceptionis ſuæ longe felicior fuerit in anima ſua, quam nunc ſit B. Virgo, nihilominùs ſummam curam, & ſolicitudinem noſtræ ſalutis ſemper habuit, & pro nobis interceſsit, & nunc etiam noſtras exaudit orationes, noſtriq; curam habet, neque propterea à tantis gaudijs ſuæ æternæ felicitatis auocatur. Certè Beatus Petrus, cùm fidelibus ſcriberet, *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*, non timebat, ne poſt obitum ſuum à ſua felicitate propter noſtri recordationem, & interceſsionem retardaretur, ita enim illum locum intellexit Chryſoſt. Orat. in Petrum, quem alij ſequuti ſunt; cur ergò Rex cogitat, non poſſe B. Virginem ſine ſuæ felicitatis imminutione nobis opitulari?

2. Petr. 1.

Chryſoſt.

13. Quod verò ait Rex, non poſſe in animum inducere tam otioſè Virginem in cœlis degere, vt abſurdis cuiuslibet inepti hominis orationibus pateat. Interrogo, quid per abſurdas orationes intelligat, quovè ſenſu dicat eis patere Virginẽ? Abſurdæ enim orationes dici poſſunt, quibus aliquid abſurdum, vel indecens à Virgine poſtulatur, & has orationes audit Virgo, ſed non exaudit. Neque eſt alienum à perfectione Virginis, vel eximia eius felicitate, eſſe in eo otio in quo poſsit has orationes audire: nam Deus ipſe in eo eſt otio, vt huiuſmodi etiam

A orationibus pateat, & eas videat, non vt eas recipiat, ſed vt puniat potiùs. Quia otium illud non eſt vanum, aut vitioſum ſed contemplationis otium, omni quidẽ labore vacuum, non tamen rerum omnium cognitione, & altiſsima prouidentia deſtitutum; illud ergò otium in ſuo gradu B. Virgo participat. Quòd ſi abſurdas orationes Rex vocat omnes illas, quæ ab infimis, & vilibus hominibus, vel à magnis etiam peccatoribus fiunt, hoc nihil obſtat, quominùs, ſi fideliter, & honeſtè fiant, aditum patentem ad Virginem inueniant, & ab illa non ſolùm

B cognoſcantur, ſed etiã acceptentur, quãtum ſecundum ordinem diuinæ prouidentiæ expedire iudicauerit, quod cæteris etiam ſanctis commune eſt, vt capite ſequenti dicemus.

Ad primam verò obiectionem contra modum inuocandi Virginem, fundatam in verbo *imperandi*, eandem reſponſionem damus, quam ſuprà de nomine *Deæ* exhibuimus. Eccleſia enim non cõſueuit petere à Virgine, vt imperet filio, nec docere, habere Virginem hanc poteſtatem, aut illa interdum vti conſueuiſſe. At verò Auguſtinus lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 5. ſignificat, B.

C Virginem, quando Chriſto dixit Ioan. 2. *Vinum non habent, tentaſſe, iubere ſe filio poſſe tanquam matrem*, Chriſtum autem ideò reſpondiſſe, *Quid mihi, & tibi eſt mulier? vt diſtingueret inter Deum, & hominẽ*, & ſignificaret, virtutem faciendi miracula eſſe à diuinitate, ſecundum quam non erat ſubditus matri. Vnde Auguſt. tacitè reprehendit dicẽtes, B. Virginem poſſe petere à filio per imperium. Neq; verò putandum eſt, hac mente Virginẽ in nuptijs ad filium fuiſſe loquutam, ſed

D humiliter rogando, & ex charitate petendo, vt cum Hilario, Ambroſio, Cyrillo, & alijs Patribus alibi tradidimus. Neque etiam eſt nobis veriſimile, hoc fuiſſe Auguſtinum de Virgine ſuſpicatum, cùm in illius verbis nullum ſit talis ſuſpicionis fundamentum, aut veſtigiũ. Solùm ergò videtur indicare Auguſtin. Chriſtum ita reſpondiſſe, vt ab omnibus eam ſuſpicionẽ auferret. Vel certè vſus eſt Auguſtinus verbo iubendi latiori modo, pro verbo petendi cum materna fiducia, vnde ſimul ait, *tentauit iubere tanquam*

14. Diluitur 1. obiectio cõtra modum inuocandi Virginem.

Eccleſia nõ tribuit Beatæ Virgini imperiũ in Chriſtũ Dominum.

Auguſt. Ioan. 2.

quam Domina, quæ ſe agnoſcebat ancillam. Non ergò poterat ex proprio imperio petere, ſi ſe agnoſcebat ancillam. Ita ergo Eccleſia nunquam poſtulat à Virgine, vt iubeat, vel imperet. Solumque Petrum Damianum ſermon. 1. de Natiuit. Mariæ inueni dicentem, *Accedit non ſolùm rogans, ſed etiam imperans, Domina, non ancilla*, non tamen propterea Eccleſia modum illum loquẽdi approbat; imò neque illum fidelibus permitteret, ſi eo communiter vti vellent. Et nihilominus pietas Chriſtiana docet, verba, quæ per tropum, & exaggerationem dicta ſunt, ſana mente interpretari. Nam Ioſue. 10. ad vocem Gedeonis, *Sol ne mouearis*, dicitur Sol ſtetiſſe *obediente Deo voci hominis*: ſi autem Deus obediuit, homo imperauit. Eſt autem metaphorica locutio ad exaggerandam efficaciam orationis hominis apud Deum. Ita ergò Petrus Damianus loquutus eſt exaggerando, quãta ſit materna fiducia apud filium.

Petr. Damian.

Ioſue. 10.

15. Soluitur ſecunda obiectio.

Ad ſecundam obiectionem reſpondemus, fundatam eſſe in falſa calumnia fortaſſe conficta ab aliquibus Proteſtantibus: nam in Catholicorũ libris non exiſtimo aliquid ſimile reperiri. Quanuis enim ſæpè legatur, & pium, ac veriſimile ſit, B. Virginem ſupplicibus ſuis, ad eorum ſpiritualem cõſolationem interdum apparere, & loqui, vel per ſe, vel per miniſterium Angelorum: nunquam tamen legitur, aliquid indecorũ, vel quod pudiciſsimum non ſit, in huiuſmodi apparitionibus contigiſſe. Aut certè ſi aliquid huiuſmodi lectum alicubi fuerit, quod piam, & prudentem interpretationem non recipiat, credendum eſt, aut fuiſſe opus dœmonis ſe in angelum lucis transfigurantis, aut (quod ſæpè contingit) eſſe maleuolorum hominum deceptiones, qui ad eludendam authoritatem reuelationum, & ignominiæ, vel infamię notam his cœleſtibus viſitationibus inurendam, ſimiles confingere fabulas non verentur.

16. Satisfit tertiæ obiectioni, & quomodo B. Virgo dæmones propulſet declaratur.

Ad tertiam obiectionem de fuga dœmonum, reſpondemus, hunc effectum ſæpè fieri per orationes Virginis, & ideò, à Patribus ſæpè illi tribui: nam Cyrillus Alexandrinus Homil. 6. contra Neſtorium in Concilio Epheſino dicta, inter alia multa, quæ de Virginis excellentia,

Cyr. Alex.

A & efficacia prędicat, inquit, *Salue, per quã cœlum exultat, per quam Angeli, & Archangeli lætantur, per quam dœmones fugãtur.* Et Laurentius Iuſtinianus ſermon. de Annunciat. eam vocat inter alia *dœmonum fugam.* Et Eccleſia ad Virginem orat, *Maria mater gratiæ, tu nos ab hoſte protege.* Refertq; Surius Sanctum Richardum Anglum Ciceſtrienſem Epiſcopũ in mortis articulo ſemper in corde ſimul & voce illa verba habuiſſe, ſuiſque capellanis mandaſſe, vt ad eius aures illa pronuntiare non ceſſarent. Denique de fi-
B delibus ſuis dixit Chriſtus Marci vltim. *In nomine meo dœmonia eijcient.* Quid ergò mirum eſt, quod Beatiſsima Chriſti mater ad dœmones fugandos ſit potens? Quod verò in obiectione dicitur de pertinaci, & acri altercatione Virginis cum dœmone, calumniam ſapit nouatorum, & eſt modus loquendi ab eis inuentus ad fideliũ pietatis & deuotionis irriſionem: nunquam enim à Catholicis Doctoribus aſſertũ eſt, Virginem altercari cum dœmone, ſed vel illi imperare, vel (quod frequentius eſt) per orationem ad filium, illius fugam impetrare.

Laurent. Iuſtinian.

Vide Sur. die 3. Aprilis.

Marc. vlt.

C Atque hoc etiam modo dicitur Virgo omnes hæreſes vincere, ſcilicet, per Chriſtum, qui eſt verum lumen, qui illuminat omnem hominem, qui ſuo proprio iudicio damnari nolit. Et ſic etiam multi alij effectus gratiæ tribuuntur Virgini, non quia per ſe illos efficiat, ſed vel quia nobis Chriſtum omnium gratiarũ authorem peperit, vel quia per illum, & ab illo eos nobis impetrat. Et ſic etiam dicitur Virgo ſpes noſtra, vel quia per illam habuimus Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra, vt expoſuit Epiphanius in ſerm. de Laudib. Virginis, vel ad explicandam
D magnam fiduciam, cum qua ad illam recurrimus. Et ad eundem modum facilè intelliguntur quamplurimæ aliæ locutiones Sanctorum, in quibus ea, quæ ſecundum excellentiam ſunt Chriſti propria, per ſingularem participationem Virgini tribuunt, phraſim, & modum loquendi Scripturæ imitando. Qui ſenſus tam eſt notus fidelibus, & per ſe patens, vt nullam patiatur calumniam, nec maiori interpretatione, aut perſuaſione indigeat. Quod Caniſius, & alij Catholici ſcriptores copioſè, & eruditè reſponderunt;

17. Quomodo B. Virgo hæreſes interimat.

Epiphan.

Caniſ li. 5. de B. Virg. cap. 10. & ſeq.

derunt; & nos etiam alijs locis aliquid attigimus. De nomine autem Aduocatæ, ſeu Mediatricis, in cap. 9. de Sanctis generaliter dicemus.

1. tom. 3. p. q. 26. art. 1. comment. [illegible] 2. tom. [illegible] q. 23. lectio. 2. & 3. [illegible] tom. 4. de [illegible] tract. 1. lib. 3. cap. 9. [illegible] & ſequen. 10.

CAPVT VIII.

De ijs, quæ circa cultum Sanctorum in Regis Præfatione notantur.

1. MVLTA ſunt, quę in Præfatione, & ſidei ſuæ profeſsione Rex obijcit contra veram doctrinam quam Eccleſia Catholica de Sanctis vita functis credit, & profitetur, poſſuntque ad quatuor capita reduci, videlicet ad cultum, & inuocationem Sanctorum, reliquiarum, & imaginũ adorationem, quæ breuiter proſequemur, quia non plenam diſputationem, ſed ſolam ſufficientem reſponſionem dare intendimus, obiter oſtendendo non ſolum non eſſe nupera, ſeu noua, quæ in his Eccleſia obſeruat, verùm potiùs à pernicioſa nouitate, temerarioque errore excuſari non poſſe, qui hæc reprehendere auſi ſunt.

2. Quid de cultu Sanctorũ Rex ſentiat. De cultu ergo Sanctorũ ſic Regi placuit in ſua ſtatuere præfatione, *Colo equidem illorum memoriam, cuius honeſtandæ ergo noſtra publicè Eccleſia tot ſolennes dies instituit, quot Scripturæ authoritate in albũ Sanctorum relatos legimus. Sed tot nugis, quæ in nouitiorum Sanctorum actis, ac legẽdis perſcribuntur, ſanè credulitatem meam deludi non patior.* Ex quibus verbis confeſsionem Regiã ex ea parte recipimus, qua ſaltem in genere contendit, Sanctos homines cum Chriſto regnantes eſſe à nobis colendos, tanquam honore, & veneratione dignos. Id enim non ſolùm Scriptura, & Sancti Patres, ac Eccleſiæ traditio, ſed etiam ratio naturalis docet, vt confirmant verba illa Pſal. 138. *Mibi autẽ nimis honorificati ſunt amici tui Deus,* id eſt, ita ſentio, amicos Dei maximè colendos, & honorandos eſſe, ſeu, amicos tuos, Deus, valdè colo, & veneror. Quo teſtimonio ad hanc veritatem confirmãdam vſus eſt Hieremias Conſtantinop. in ſuo ad Proteſtantes reſponſo cap. 15. & ita etiam exponit Baſili. cum in Scholio ait, *Præſciuiſti me, inquit, & cum nondũ eſſem, adduxiſti me, & ego viciſsim rependo, vt diligentes te honore proſequar.* Vbi valdè notandum eſt, quod Baſilius indi-

Sanctos colendos eſſe Scriptura, & Patres teſtantur. *Pſal.* 138. *Hier. Conſtantinop.* *Baſil.* Refert ibi Genebrar.

A cat, & ex verbis Dauid colligit, ita eſſe gratum Deo ſuos amicos honorare, vt tanquam obſequium pro beneficijs ab eo acceptis ex gratitudine illi poſsit offerri. Nam vt rectè Ambroſius ſerm. 1. de Sanctis, *Quiſquis honorat Martyres, honorat & Chriſtum, & qui ſpernit Sanctos ſpernit & Dominum, cùm ipſe dicat ad ſanctos ſuos, qui vos honorat, me honorat, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Sic etiam Hieronymus epiſt. 53. ad Ripari. *Honoramus ſeruos, vt honor eorum redundet ad Dominum, qui dixit, Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.* Quod B ita etiam expoſuit Athanaſius lib. de Virginit. circa finem. Alia conſultò prætermitto, quia frequentia, & alibi à nobis tractata, & quia, vt dixi, Rex Angliæ, ſe etiam Sanctorum memoriam colere profitetur.

Ambr. *Hieron.* *Luc.* 10. *Matt.* 10. *Athanaſ.* tom. 1. 3. p. diſp. 52.

3. Adorãdi verbum Rex Iacobus detrectat. Non omittam autem aduertere, hìc etiam abſtinuiſſe Regem à verbo adorãdi, verboq; colendi vſum eſſe. Nos verò iuxta ea, quæ in præcedenti capite notauimus, vocum quæſtiones deuitantes, in illis non inſiſtimus, dummodò eorũ ſenſus verus ſit, & catholicus. Itaque ſi adorandi verbum per antonomaſiam cultũ C latriæ ſignificet, nouerunt catholici omnes, ſanctos in hoc ſenſu nõ eſſe adorandos, quo ſenſu aſſeruit Hieronymus ſuprà, ſanctos honorari à nobis, non adorari: nam potiùs eos honorando, Deũ adoramus, & lib. 1. contra Vigil. cùm dixiſſet, *Quis Martyrem adorauit?* illud explicando addidit, *Quis hominem putauit Deũ?* Eodemq; modo loquũtur Iuſtinus, Epiphanius, Damaſcenus, & ſæpè Auguſtinus. Et nihilominùs ſumpto adorationis verbo in ampliori ſignificatione, non dubitauit idem Auguſtinus dicere in Pſal. 25. de Sanctis, *Beatiſsimum Petrum piſcatorem modo genibus prouolutis adorat multitudo* D *credentium, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* E contrario autem ſumpto verbo colendi ſtrictiori modo, dixit idem Auguſtinus epiſt. 44. ad Maximũ Grammaticum. *Ne te hoc lateat, & in ſacrilega conuitia imprudentem trahat, ſcias à Chriſtianis catholicis nullum coli mortuorũ,* id tamen exponens ſubiungit. *Nihil deniq; vt numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo.* Addendo enim particulam *Numen*, ſe de cultu, & adoratione latriæ loqui, declarauit.

Hieron. Quomodo Sancti ſint adorandi. *Auguſt.*

Præter

4. Ciuili honore potiùs, quàm religioſo cultu Sanctos decorare videtur Rex Iacobus.

Præter hanc verbi colendi, & adorandi ambiguitatem aliam præcauere neceſſe eſt, quia verba Regis lubrica ſunt, & Caluiniſmum etiam in hac parte redolent. Caluinus enim ciuilem honorem, & cultum Sanctis vita functis conceſsit, deferendum; ſacrum verò, & religioſum cultum eis ſine idololatria dari poſſe negauit. Regis autem verba talia ſunt, vt de ciuili cultu intelligi facilè poſsint, nam, & ſolennes dies, quos Sanctorum memoriam honeſtandi gratia in ſua pſeudo eccleſia inſtitutos eſſe dicit, ſolùm ob ciuilem honorem inſtituti eſſe feruntur, ſicut etiam in Regum, & Principum ſecularium natalitijs interdum inſtitui ſolent. Quòd ſi in hoc tantùm ſenſu de cultu Sanctorum Rex loquitur, immeritò ad ſolos illos, qui Scripturæ authoritate in Sanctorum album relati ſunt, ſuas illas ſolennitates coarctat, poſſumus enim cultu ciuili benefactores defunctos, vel inſignes homines colere, etiam ſi de illorum felicitate certi non ſimus, ſaltem dũ non conſtet, illos eſſe damnatos. Catholica verò Eccleſia non ciuilem tantùm, ſed ſacrum, & religioſum cultum ſanctis tribuendum eſſe cenſet: licèt non latria, ſed inferioris rationis cultus ſit, ad quem ſignificandum nomen duliæ Theologi accommodarunt, ſicut in cultu B. Virginis explicuimus, eſt enim in cæteris ſanctis in gradu ſuo ſimilis ratio. Illos enim propter excellentiam quandã omni ciuili dignitate ſuperiorem veneramur, eoſq; in felicitatis æternæ celſitudine conſtitutos, tamquam ſuo modo nobis ſuperiores, & in illo ordine ſingulariter excellentes recognoſcimus, meritò ergò eos ſacro, & excellentiori cultu, & à ciuili diſtincto adorandos eſſe profitemur.

Sanctos ſacro, & religioſo cultu veneratur Eccleſia Catholica.

5. Conſuetudinem ſacro cultu Sãctos honorandi antiquiſsimam eſſe ex Patribus cõuincitur. *Ambroſ.*

Hanc verò doctrinam nuperam non eſſe, ſed antiquiſsimam, teſtimonijs Sanctorum Patrũ euincere facilè poſſumus. Ambroſius enim in dicto ſermon. 1. de Sanctis, qui eſt in feſto Sanctæ Luciæ, de Theſauro abſcondito in agro, ſic concludit, *Igitur fratres, quotieſcunq; Martyrũ memoriam celebramus, prætermiſsis omnibus ſeculi actibus, ſine aliqua dilatione concurrere debemus, reddere illis honorificentiam, qui nobis ſalutem profuſione ſui ſanguinis pepererunt, qui tam ſacrata hoſtia pro* A *noſtra propitiatione Domino ſunt oblati.* Honor ergò Sanctorum, teſte Ambroſio, non eſt tantùm ciuilis, ille enim ſeculi actibus exhiberi ſolet; hic autem per actiones religioſas, & ſacras, conſentaneas fidei, & ſacræ cauſæ, propter quam datur, tribuendus eſt. Vnde dixit Damaſcenus lib. 4. de Fide cap. 16. *Quibus rebus Deus colitur, eiſdem ſerui eius oblectantur, quapropter, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus Sanctos colimus.* Eſt ergò ſuo modo ſpiritualis hic cultus, qui actionibus ſpiritualibus exhibetur: nec propterea eſt æqualis cum diuino, quia ſemper ſpiritus, & intentio adorandi eſt longè diuerſa. Eſt autem hic cultus cum diuino cultu coniunctiſsimus, totuſq; in ſupremam Dei venerationem redundat, vt Athanaſius, Hieronymus, & Ambroſius ſuprà, & Baſil. orat. in quadraginta Martyres notant. Ideòq; conſueuit Eccleſia eiſdem ferè rebus, quibus Deum colit, ſanctos honorare, vt ieiunijs, vigilijs, orationibus, & alijs ſimilibus actionibus, vt ſumitur ex Concilio Toletan. 3. cap. 23. & Hieronymo contra Vigilantium, & Cypriano epiſt. 34. & 37. & Auguſtino 20. contra Fauſtum cap. 21. Vnde rectè Euſebius Cæſarienſis lib. 13. de Præparat. Euangelica cap. 7. ſic inquit, *Veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipſis facimus tanquam viris Sanctis, quorum interceſſione ad Deum non parùm iuuari profitemur.*

Damaſc.

B

Cultus ſanctis exhibitus eſt inferior cultu Dei, & in eius gloriam redundans. *Baſil.*

Cõc. Tolet. 3. Hieron. Cyprian. Auguſt. Euſeb.

C

Neque contra hunc modum venerationis, & cultus Sanctorum aliquid obijcere ſolent Proteſtantes, quod alicuius momenti eſſe videatur, & qualecunque illud ſit, alibi reſponſum eſt à nobis. In præſenti verò tacitè Rex obijcit, Catholicam Eccleſiam immeritò publicè venerari aliquos homines vita functos, de quorum æterna felicitate ſacræ Scripturæ authoritate non conſtat, & ideò ait, ſuam Eccleſiam (quam catholicam nominare non audet; imò velit, nolit, eam à Catholica diſtinguit) eorum tantum ſolennitates ſeruare, quos Scripturæ authoritate Sancti eſſe leguntur. Et virtute hoc confirmat, quia aliàs exponuntur fideles periculo, vt eorum credulitas deludatur, hominem damnatũ pro ſancto adorando, quod videtur magnum abſurdum,

6.

Tacita Regis obiect.

D

ſurdum, prudenti modo operandi contrarium. Vt autem illud periculum ſuadeat, adiungit, *in Sanctorum actis, ac legendis quam plures nugas eſſe conſcriptas.*

7. [illegible] ob- [illegible] Re- gis, & [illegible] [illegible] Eccleſia [illegible] [illegible] [illegible] tendi- [illegible].

Veruntamen Rex ſemper hęret in eo errore, nihil poſſe aut debere certò credi, niſi quod Scripturæ authoritate immediatè (vt ſic dicam) ſeu proximè probari poteſt, quod eſſe contra eandẽ Scripturam, & contra Eccleſiæ authoritatem in eadem Scriptura confirmatam, in ſuperioribus abundè ſatis oſtenſum eſt. Et in præſenti ſufficienter probari poteſt exemplo Innocentium ab Herode interfectorum, quos ſanctificatos per mortem fuiſſe, & nunc cum Chriſto regnare Scripturæ quidẽ authoritate probari nõ poteſt: & nihilominùs authoritate Eccleſiæ nixi ſine vllo periculo, aut falſitate illos colimus. Vt rectè tradit Auguſtin⁹ lib. 3. de Libero arbitr. cap. 23. & lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 5. & lib. 3. cap. 4. & in Sermonibus de Innocentibus, qui ſunt ſermo. 8. & 9. de Sanctis, & Origenes Homil. 3. in diuerſos, circa finem, de eiſdem loquens, inquit, *Horum memoria ſemper, vt dignum eſt, in Eccleſijs celebratur ſecundum integrum ordinem Sanctorum.* Et infrà, *Benè ergò, & ſecundum voluntatem Dei eorum memoriã Sancti Patres celebrari mandauerunt ſempiternam in Eccleſijs, velut pro Domino morientium, vel vt pro Iudæis, & gentibus credituris, vel etiam pro ipſis parentibus, vt eis interceſſio filiorum apud Deum plurimùm profuiſſet.* Pluraque videri poſſunt in Cypriano ſerm. de Stella, Mag. & Innocẽt.

Auguſt. *Origen.* *Cyprian.*

8. C[illegible]ſuetudo c[illegible]andi [illegible] feſtos Martyrũ ab Apoſtolis o[illegible]inem tra- h[illegible].

Præterea conſtat fuiſſe à temporibus Apoſtolorum Eccleſiæ conſuetudinem, memoriam in ſacrificio facere aliquorũ Martyrum in particulari, & notare diem Martyrij, vt ſingulis annis illud ſolenniter celebraretur, vt ſumitur ex Cypriano epiſt. 34. & 37. & Cyrillo Hieroſolymitano catecheſi. 5. myſtagogica, Euſebio lib. 4. Hiſtor. cap. 14. aliàs. 15. vbi de Martyre Polycarpo peculiarem mẽtionem facit, & ex Tertulliano lib. de Corona militis cap. 3. vbi hanc ponit inter traditiones non ſcriptas, quæ ſummam in Eccleſia authoritatem habent, eamq; confirmat Clemens Papa lib. 8. Conſtitut. cap. 39. Non eſt ergò nouum in Eccleſia colere Sanctos aliquos, quanuis

Cyprian. *Cyril. Hie[illegible].* *Euſeb.* *Tertull.* *Clem. Papa.*

A eorum ſanctitas, & felicitas Scripturæ authoritate probari non poſſit. Quod egregiè confirmant verba Epiſcoporum Europæ in epiſtol. ad Leonem, & teſtificantur orationes, ſeu conciones, vel homiliæ antiquorum Patrum factæ in honorem, & cultum plurium Sanctorũ in particulari, in quibus ſæpè de honore ſanctis debito egregiè loquũtur. Vt ſunt apud Gregorium Nazianzenum oratio. 18. in ſanctum Cyprianum, & Orationes in laudem Baſilij, Athanaſij, & apud Gregorium Nicænum oratio in Theodorũ B Martyrem, & ſimiles ſunt plures apud Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, & alios, vt de Sancto Ignatio, Laurentio, Geruaſio, & Protaſio, Philogono. Maximè verò notanda ſunt verba Chryſoſtomi ſermo. in Iuuentinum, & Maximum Martyres tom. 3. quem ſic inchoat. *Heri beatus Babilas cum tribus pueris nos hic congregabat, hodie verò pars Sanctorum militum in acie exercitũ Chriſti oſtẽdit, impar eorum eſt ætas, ſed par fides, illi tempore ſuperiores, iſti recentiores. Et cùm tantus theſaurus ſit Eccleſiæ nouas, & veteres habentis margaritas, ſed vna omnium eſt* C *gratia.* Et infrà, *Quod ſcientes non aliter priſcos, aliter recentiores colitis ſanctos, ſed eadem alacritate omnes. Non enim exploratis tempus, ſed exquiritis fortitudinem, fidẽ, zelum feruidum, & eas virtutes, quas præ ſe ferunt Sancti, ob quorum honorem hodiè conuenimus.*

Orationes Patrum in honorẽ Sãctorum eandem veritatem confirmant.

Greg. Nazianz. *Chryſoſt.*

Deſinat ergò Rex deſpicere Sanctos, quos nouitios vocat, quia non antiquitas, ſed vera ſanctitas, & felicitas eos tali cultu, & honore dignos efficit. Neque timeat errare, aut decipi, colendo vt ſanctos, quos vniuerſa Eccleſia colit, quę eſt columna, & firmamentum veritatis, ſed D potiùs vereatur cenſuram ab Auguſtino datam, quam hoc noſtro tempore præ oculis habendam, ac ſæpiùs repetendam cenſeo. In epiſtola enim 118. cap. 5. in tres ordines mores Eccleſiæ diſtinguẽs, in primo ponit ea, *quæ diuinæ Scripturæ præſcribit authoritas,* de quibus ait, *non eſſe dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus.* In tertio ponit ea, *quæ per loca, & regiones variãtur,* de quibus ait, in vnaquaque prouincia ſeruandum eſſe, quod neque contra fidem, neque contra honeſtos mores fieri ſolet. In medio verò ordi-

9.

Auguſt.

ordine ponit ea, *quæ toto orbe ſeruat Eccleſia, de quibus*, ait, *diſputare, quin ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Non ſanè alia ratione, niſi quia catholica, & vniuerſalis Eccleſia in his, quæ communi conſenſu approbat, & obſeruat, errare non ſinitur à Spiritu Sancto, quem illi Chriſtus peculiariter promiſsit, vt ab eo ſpecialiter regatur. Ergò quando vniuerſa Eccleſia Catholica de alicuius Sancti felicitate non dubitat, & in illius cultu concordat, non licet viro Catholico, & prudenti *diſputare, quin ita faciendum ſit.* Nam cùm veritas, & puritas non minùs in cultu, & recta exiſtimatione Sanctorum, quàm in cæteris moralibus rebus neceſſaria ſit, ſine vllà dubitatione cum Bernardo dicere poteſt, & debet vnuſquiſque catholicus, *Ego quod ab Eccleſia accepi ſecurus & teneo, & trado, quod non, ſcrupulosiùs fateor admiſerim.* Loquitur ad Canonicos Lugdunenſes de hac eadem materia colendi Sanctos, de qua tractamus.

10. Quamobrem nihil ad cauſam refert, quod Rex addit de nugis in actis, & legendis Sanctorum conſcriptis, nam ſiue illud verum ſit, ſiue per exaggerationem dictum, cultus, quem Eccleſia præbet alicui Sancto in Scriptura non canonizato, non fundatur in quauis humana hiſtoria, etiam graui, nedum ſuſpectæ authoritatis, ſed fundatur vel in antiqua traditione, cum vniuerſali totius Eccleſię cõſenſu, vel in authentica Pontificis declaratione, quam canonizationẽ vocamus, quæ tanto morum, & miraculorum examine, & tam graui inquiſitione, ac diligentia fit, vt ipſa per ſe poſſet moralem quandam certitudinem, ac ſecuritatem conferre: adiuncta verò Spiritus Sancti aſsiſtentia, & gubernatione, quam credimus eſſe à Chriſto promiſſam, ſit certitudo longè maior, quæ omne morale periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit. Sine hac verò certitudine nemo cogitur, hominem vita fũctum colere. Siquis verò ſua peculiari opinione aliquem eſſe ſanctum credat, & priuatim colat, nõ ſtatim damnandus eſt, ſed monendus, vt prudenter priùs rẽ examinet, & poſteà debitam circunſpectionem in modo colendi exhibeat. His enim obſeruatis non nocebunt veris fi- A delibus nugæ, ſi quæ forſan eſſent in Sãctorũ actis: quia ſi eas diſcernere valeãt, nõ eis adhibebunt fidem, vel ſi in aliquo fortè decipiantur, non pernicioſus error, ſed de rebus indifferentibus eſſe ſolet. Imò etiam in his magna cura, & diligentia à Paſtoribus Eccleſiæ adhibetur, vt Sanctorum hiſtoriæ, quàm fieri poſſit, emendatæ, & ab erroribus purgatæ per manus fidelium circunferantur. Audiuimus autem circunferri in Anglia hiſtorias quaſdam de geſtis Sanctorum, nõ ſolùm incertæ authoritatis, ſed etiam à fidei hoſtibus plerunque confictas, qui- B bus deludi nolumus Regiam credulitatem. Itaque Regem monemus, qui tam religioſè non patitur credulitatem ſuam his rebus deludi: longè maiori cura ferre non debere, fidem ſuam tot Caluini, Lutheri, & Proteſtantium, non dicam, nugis, ſed pernicioſsimis erroribus, in his, quæ ad ſalutem animæ neceſſaria ſunt, corrumpi.

Qua authoritate ditatur Eccleſia in colendis Sanctis.

CAPVT IX.

De Sanctorum inuocatione.

C QVANVIS Rex hanc Sanctorum inuocationem inter nouitios, & nuperos articulos Eccleſiæ Romanæ, vt ipſe loquitur, numeret, ideoq; illam ſimpliciter non approbet, neque admittat, nõ tamen ſatis explicat, in quo gradu, vel ob quam potiſsimam cauſam illam reijciat. Interdum enim ſolùm ſignificat eſſe ſuperfluam, aliamque viam, Deum per ſolum Chriſtum inuocandi tutiorem, & ad ſalutem eſſe potiorem, interdum verò obijciendo indicat, hanc Sanctorum inuocationem ſuperſti- D tioſam, & prohibitam eſſe. Tria igitur à nobis breuiter oſtendenda. Primũ, hunc morem non eſſe nouum in Eccleſia Romana, ſed antiquiſsimum, & perpetua traditione conſtantem in Eccleſia Catholica. Secundum, non eſſe inordinatũ, ſed pium, & religioſum. Tertium non eſſe minùs tutum hac Sanctorum vti interceſsione, ſed tutiùs, & vtiliùs longè, quàm illa carere. Hæc igitur oſtenſuri, obiectionibuſque, quas Rex ſubinnuit, ſumus ſatisfacturi. 1.

Quibus cõiecturis Sanctorum inuocationem Iacobus Rex deſpiciat.

Antiquitatem ergò huius conſuetudinis 2.

Antiquitas conſuetudinis inuocandi Sanctos ex Patribus deducitur.

dinis orandi Sanctos vita functos, oſtendunt in primis teſtimonia Patrum, quibus Sanctos eſſe colendos tradunt; nam ſimul etiam docent, eſſe à nobis inuocandos, & interdum hanc ipſam orationem in partem cultus, & honoris Sanctorum ponunt: aliquando vero inter alias cauſas illius cultus aſsignant, quòd cum Sancti de noſtra ſalute ſint ſoliciti, & pro nobis orent, iuſtum eſt, vt à nobis honorentur, vel è contrario dicunt, honorari à nobis, vt ſuis orationibus nos adiuuent, vt ait Auguſtinus 20. contra Fauſtum cap. 21. & ferè idem habet. 21. de Ciuitate, cap. 27. in fine. Vnde frequenter ſupponunt, vel apertè docent Patres, Sanctos in cœlo pro nobis apud Deũ intercedere. Quod tradũt generatim, licèt quaſi aliud agentes, Cornelius Papa epiſt. 1. ad omnes fideles, Anaclet. epiſt. 3. Leo ſerm. 2. Apoſt. Pet. & Paul. & ſerm. 1. & 4. de Ieiunio Pentec. & ſer. 5. de Ieiun. ſeptimi menſis. Hilarius in id Pſalm. 124. *Montes in circuitu eius.* Ambroſ. epiſt. 39. ad Horatian. & lib. 10. in Luc. 21. parum à principio, & optimè lib. de Viduis poſt medium, & lib. 2. de Iacob, & vita beat. cap. 10. Gaudent. ſermon. de Petro, & Paulo, Auguſtin. lib. 2. quæſtionum in Exod. quæſtion. 108. Idem optimè Pſalm. 85. in fine. *Dominus Ieſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes Martyres qui cum illo ſunt, interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes eorum, niſi cùm tranſierit gemitus noſter.* Et de Sancto Cypriano dixit lib. 7. de Baptiſm. cap. 1. *Adiuuet nos orationibus ſuis.*

August.

Cornel. Papa.

Anaclet. Papa.

Leo Papa.

Hilar.

Ambr.

Gaudent.

Auguſt.

3. *Hierony.*

Sic etiam Hieronymus contra Vigilantiũ fuſiùs, *Si Apoſtoli* (inquit) *& Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debẽt eſſe ſoliciti, quantò magis poſt coronas, & victorias, & triumphos,* quod latè proſequitur. Vnde epiſtol. 25. ad Paulam ſuper obitu Bleſillæ filię, *Pro te* (inquit) *Dominum rogat, mihiq́, vt de eius mente ſecurus ſum, veniam impetrat peccatorũ.* In quibus verbis Patrum duo conſideranda ſunt, vnũ eſt, Sanctos non ſolùm in generali, ſed etiã in particulari pro nobis noſtriſq; neceſſitatibus orare. Aliud eſt, ex eo, quod Sãcti pro nobis orent, optimè colligi, etiã poſſe à nobis honeſtiſsimè orari, quia cũ

A illos oramus, maximè ab illis petimus, vt pro nobis intercedant, nam ſicut neceſſitates noſtras cognoſcunt, vt pro illis orent, ita etiam orationes audient, quas Deo repræſentent, & propter illas ad orandum pro nobis inclinentur. Vnde idem Hieronymus in vita Hilarionis in calce totius libri commemorat deuotionem cuiuſdam Sanctæ Conſtantiæ, quę *ſolita erat, peruigiles in ſepulchro Hilarionis noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adiuuandas orationes ſuas ſermocinari.* Cyprianus tandẽ lib. de Mortalitate in fine, B de cœleſti patria loquens dicit, *Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequẽs nos, & copioſa turba deſiderat, iam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſolicita.* Et in ſermone de Stella, & Magis, de SS. Innocentibus ait, *A cunabulis in cœlum tranſlati facti ſunt ſuperni capitolij ſenatores, & iudices, nonnullis veniam obtinentes immeritis.* Et epiſt. 57. ad Cornelium ſcribit, *Si quis hinc noſtrũ prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Dñm noſtra dilectio, pro fratribus, & ſororibus noſtris apud miſericordiã Patris non ceſſet oratio.* C In quibus verbis (vt egregiè animaduertit Pamęlius) apertè ſupponit Cyprianus, Sãctos cũ Chriſto regnãtes, ſicut viuẽtes, quos hic cognouerunt, eadẽ proſequuntur charitate, ita & pro illis orare. Eandẽq; fidẽ oſtendit Cyprian. in lib. de Habitu Virgin. cùm in vltimis verbis ad illas dicit, *Mementote tunc noſtri, cùm incipiet in vobis virginitas honorari.*

Idem Hieronym.

Cyprian.

Apud D. Auguſtinũ infinita ſunt pro huius veritatis antiquitate teſtimonia ex quibus nõnulla annotabo. Vnum eſt in tract. 1. ſuper epiſt. 1. Ioãnis circa illa verba. *Si quis peccauerit, aduocatũ habem⁹ apud* D *Patrẽ Ieſum Chriſtũ,* quę in hac materia ſolẽt nobis obijcere hæretici, & ipſe quoq; ſibi obijcit, dicẽs, *Sed dicit aliquis; ergò Sãcti nõ petũt pro nobis; ergò Epiſcopi, vel Præpoſiti non petũt pro populo.* Reſpõdet autẽ, *Sed attendite Scripturas, & videte, quia & Præpoſiti commendãt ſe populo, nam Apoſtolus dicit plebi, orantes ſimul & pro nobis, orat Apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo, oramus pro vobis fratres, ſed & vos orate pro nobis, inuicem pro ſe omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet,* vtique excellentiori modo, vt qui ſolus

4. *Auguſt.*

Obiectioni hæreticorũ ſatisfacit Auguſtin.

Ad Coloſ. 4.

lus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & per quem omnes alijs orant, ſiue pro ſe, ſiue pro alijs intercedant. Nec refert quòd Auguſtinus ibi de Sanctis hìc viuentibus loqui videtur, tum quia re vera non reſtringit ſermonem, ſed de Sanctis abſolutè loquitur, tum etiam, quia ratio, quam inſinuat, dum ait, *Membra pro ſe inuicem orent*, generalis eſt, quia non ſolùm viatores inter ſe, ſed etiam cum beatis vnius ſunt myſtici corporis Chriſti membra, tum denique, quia excipiendo ſolum Chriſtum tanquam ſingularem aduocatum, generalem regulam de membris conſtituit, quòd poſſint eſſe pro ſuis fratribus interceſſores, ſi alij indigeant. Accedit, quòd ſermon. 44. de Tempore de Sanctis defunctis apertè loquitur, cùm dicit, *Tunc pro nobis abſque vlla dubitatione Sancti Martyres intercedunt, quando in nobis aliquid de ſuis virtutibus recognoſcunt*. Et in quodam tractatu de Expoſitione Symboli, qui olim erat ſermo. 181. de Tempore, & nunc in appendice poſitus eſt. 59. qui à Louanienſibus non eſt viſus Auguſtini, ſed ſumptus ex Gregorij ſcriptis, mihi autem phraſim, & doctrinam Auguſtini, magis quàm Gregorij redolet, vtcũq; verò ſit, ſaltem eſt certũ eſſe magnæ authoritatis. Ibi ergò in capite decimo tertio, *Sanctorum communionem*, ita explicat, *id eſt, cum illis Sanctis, qui in hac, quam ſuſcepimus fide defuncti ſunt, ſocietate, & ſpei communione teneamur. Si igitur cum Sanctis communionem in æterna vita habere volumus, de imitatione eorum cogitemus, debent enim in nobis recognoſcere aliquid de ſuis virtutibus, vt pro nobis dignentur Domino ſupplicare*. In quibus duobus teſtimonijs ſupponit Auguſtinus aliud fundamentum huius veritatis, nimirum cognoſcere Sanctos poſt hanc vitam actiones noſtras, & iuxta exigentiam illarum ad orandũ pro nobis moueri, quod maximè per orationes, & petitiones illis oblatas fieri poteſt. Sunt etiam alia loca, in quibus Auguſtinus non ſolùm docendo, ſed etiam orando huius conſuetudinis antiquitatem oſtendit, vt in libro ſeptimo de Baptiſmo capite primo cum de Beato Cypriano dixiſſet, *Iam corpore, quod corrumpitur, non aggrauante, animã ipſam perſpicere veritatem*. Subdit,

A *Adiuuet nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate tanquam in caliginoſa nube laborantes, vt donante Domino, quantum poſſumus, opera eius imitemur*. Præſertim verò videri apud ipſum poſſunt caput 24. & 40. Meditationum, vbi ad omnes Sãctos in generali, & ad plures in particulari deuotiſsimè orat. Et quanuis in eius verbis multa notari poſsint, quibus & ratio, & fructus orationum ad Sanctos declaratur, illa tamen ad prolixitatem vitandam miſſa facio: vt pauca quędam ex Græcis Patribus adiungam.

B Inter quos Chryſoſtomus ſæpiſsimè Sanctorum pro nobis orationes cõmendat, ſimul requirens cooperationem noſtram per illorum imitationem, vt homil. 79. ad Populum in fine, & in quodam ſermone ſecundo contra deſperationem, & ſuper Pſalm. 48. circa illa verba, *Frater non redimet, redimet homo*, vbi interrogat, *Quid ergo? ſunt ne ſuperuacaneæ Sanctorum preces? Nequaquam, ſed magnas etiam vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris*. Quæ verba poſſet quis reſtringere ad Sanctos hic viuẽtes, verum & Chryſoſtomus ſimpliciter loquitur, & ratio eadem eſt, vt iam dicam. Eodemq; modo loquitur homil. 5. in Matthæ. Præcipuè verò notandus eſt locus in oration. 8. ex decem nuper translatis, circa finem, vbi hęc habet verba, *Habemus Dominam noſtram Sanctam Mariam Deigenitricem, ſed & Apoſtolorum precibus opus eſt. Dicamus & nos Paulo, quemadmodum & priſci illi, cum in Macedoniam pertranſieris, nobis auxiliare*. In quibus verbis obiter aduerto, ſentire Chryſoſtomum, ita nos poſſe nunc loqui cum Paulo, ſicut cum eodem hic viuente alij loquebantur. Et ſubiungit. *Rogemus, vt dixi, Sanctam glorioſam Virginem, & Deigenitricem Mariam, rogemus Sanctos, & præclaros Apoſtolos, rogemus Sanctos Martyres*. Et infrà eleganter docet, non eſſe expectandum neceſsitatis tempus ad colendos, & nobis conciliandos ſanctos, ſed honore, & imitatione præueniendos eſſe, quod humanis etiam exemplis aptiſsimè declarat, & concludit, *Simus itaque Martyrum amici, non ob neceſsitatem, ſed dilectionem: ante tẽpeſtatem, vt tempeſtatibus afflicti, in tempeſtate verò, vt ſerenitatem inueniamus*.

S. Chryſoſ.

C D

Simi-

6. Similia multa ſumi poſſunt ex Baſi-
Baſilius. lio Homilia vigeſima, quæ eſt de San-
ctis quadraginta Martyribus, vbi inter
alia ait, *Paratum eſt hic Chriſtianis auxi-
lium. Sæpè laboraſtis, vt vnum pro vo-
bis orantem inueniretis, quadraginta ſunt
hi, vnam orationis emittentes vocem, vbi
enim ſunt duo, vel tres in nomine Domi-
ni congregati, ibi eſt Deus, vbi verò qua-
draginta fuerint, quis dubitet, Deum eſſe
præſentem? Qui aliqua premitur anguſtia,
ad hos confugiat, qui rurſus lætatur, hos
oret, ille, vt à malis liberetur, hic, vt duret in*
Cyril. Hieroſolym. *rebus lætis.* Cyrillus etiam Hieroſolymi-
tanus Catecheſi. 5. myſtagogica, *In ſa-
crificio* (inquit) *incruento mentionem faci-
mus Prophetarum, Apoſtolorum, & Mar-
tyrum, vt Deus orationibus illorum, & de-
precationibus ſuſcipiat preces noſtras.* Cy-
rillus item Alexandrinus lib. 12. The-
Cyrill. Alexandrin. ſauri c. 10. exponens illud 1. ad Timot.
2. *Vnus Deus, & vnus mediator hominum
Ieſus Chriſtus*, dicit, Chriſtum eſſe vni-
cum mediatorem naturaliter, & ſubſtã-
tialiter, *nam aliter*, ait, *Quomodo vnum me-
diatorem Chriſtum Paulus dixiſſet? multi
enim Sanctorum mediationis miniſterio vſi
ſunt.* Et adducit in exemplum Paulum,
& Moyſem, quorum miniſterium fuit
alterius rationis, præter orationem; ad-
dit verò Ieremiam: *Præcipuè* (inquit)
*quando clamabat ad Deum, recordare, quod
ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro
eis bonum.* Et ſic etiam ait alios Apoſto-
los, & Prophetas fuiſſe mediatores. Et
quamuis de illis hîc viuentibus loqui vi-
deatur, non tamen ſolummodò: nam de
eodẽ Ieremia iam defuncto dixit Onias
iam etiam defunctus, *Hic eſt fratrum ama-
tor, & populi Iſrael, hic eſt, qui multum
orat pro populo, & vniuerſa ſancta Ciuitate
Ieremias Propheta Dei.* 2. Machab. 15.
2. Macha. 15. Et de eodem Onia dicitur, viſum eſſe
manus extendentem, & pro populo orã-
tem. Atque ita illo teſtimonio ad hanc
Euſeb. veritatem confirmandam vtitur Euſe-
bius libro 12. de Præparat. Euangelica
cap. 1.

7. Ante aduentum Domini Sancti nõ inuocabantur, & cur. Sed oportet aduertere, licèt ante Chri-
ſti aduentum Sancti defuncti orarent
pro viuis, non tamen legi viuentes ho-
mines ad defunctos eo tempore oraſſe,
ſed ad Deum, vt *orationem mortuorum
Baruch. 3. audiret*, vt dicitur Baruch capite tertio,
A quia tunc Sancti defuncti non videbant
Deum, & ita non poterant cognoſcere
viuentium orationes, niſi fortaſſe ex ſpe
ciali priuilegio. Nunc autem in ſtatu fe-
licitatis conſtituti meritò orantur, quia
ratione ſui ſtatus omnia, quæ ad ipſos
pertinent, cognoſcunt. Nam vt dixit
Gregorius, *Quid non vident, qui viden-* Gregorius.
tem omnia vident? Vnde Apocalypſis Apoc. 5.
capite 5. viginti quatuor ſeniores offe-
rebant Deo orationes Sanctorum, quod
facere neutiquam poſſent, niſi illas cog-
noſcerent. Et ideò etiam Angeli Sancti
B ſemper potuerunt non ſolùm orare pro
hominibus, ſed etiam orari ab homini-
bus, quia ſemper viderunt Deum, & ita
etiam orationes hominum, quantun-
uis occultas ſemper cognoſcere potue- Tob. 12.
runt, vt ſumitur ex Thobiæ duodeci- Daniel. 10
mo, Daniel. 10. Zachariæ. 1. & Apo- Zachar. 1.
calyp. 8. Apoc. 8.

8. Hoc denique confirmant antiqui Pa-
tres in concionibus, ſeu homilijs, vel
etiam in hiſtorijs de Sanctis: nam ſæ-
piſsimè inter concionandum, aut ſcri-
bendum, vel orationes fundunt ad ſan-
ctos, quos laudant, vel populum ad il-
los orandos exhortantur, vel interdum
C ſcribunt, Sanctos ipſos hic degentes
ſuas orationes poſt ſuum obitum pro-
miſiſſe. Ita videre licet ex Sanctis cita-
tis in Ambroſio precatione ſecunda an-
te Miſſam, & Chryſoſtomo loco cita- Ambroſ.
to capite præcedenti de Beatiſsima Vir- Nicæn.
gine, Baſilio dicta Homilia vigeſima. Et
Nyſſeno Oration. in Theodorum Mar-
tyrem, Ephren dicta Oratione de Lau-
dibus Virginis, Nazianzen. Oratione Ephren.
18. in Cyprian. 20. in Baſilium, & idem Nazianz.
ſentit Oration. 24. loquens de Athana- Victor Vti
ſio. Eſt etiam optima oratio apud Victo- cenſ.
D rem Vticenſem lib. 3. de Perſecut. Van-
dalic. *Deprecamini Patriarchæ, orate San-
cti Prophetæ, eſtote Apoſtoli ſuffragatores,
præcipuè tu Petre beate, tu Sancte Paule gẽ-
tium magiſter, vniuerſimq; ingemiſcite San-
cti pro nobis Apoſtoli. Proſtrati rogamus, vt
non ſpernatis veſtros miſeros peccatores.*

Euſebius etiam lib. 6. Hiſtoriæ cap. 4.
aliàs 5. de Virgine Potamiæna ad mar- 9.
tyrium eunte refert, quendam Baſilidẽ, Euſebius.
vnum ex ſatellitibus, qui eam humaniùs
tractauerat bono animo eſſe, iuſsiſſe.
Nam (ait) *ſe ſimul ac abiret è vita à Domi-*

no ſuo veniam, & gratiam pro eo efflagitaturam, & libro octauo capite decimo ſeptimo de Theodoſia Virgine refert, acceſsiſſe ad quoſdam Sanctos confeſſores, qui vincti ſſidebant ante tribunal Tyranni, *eos obſecraturam, vt cùm eſſent apud Dominum, illius recordarentur*, & ea occaſione martyrium ſubijſſe. Denique Auguſtinus lib. 22. de Ciuitate. cap. 8. de Petronia, & Palladia, & alijs narrat, per orationes ad ſepulchra martyrum, & per eorum interceſsiones ſalutem miraculoſè impetraſſe. Et ſimilia attingemus in puncto ſequenti, & alia multa leguntur apud antiquos Patres, quæ ipſi tanquam vera, & ſibi nota referunt, & ideò à nullo prudente poſſunt nugæ reputari, ſed fide humana dignisſima exiſtimari, ex quibus aliqua in ſequẽti puncto referemus. Accedit, quod caput eſt, Patres, qui hæc referunt, certiſſimè crediſſe, illum modum orandi, impetrandi, & faciendi miracula, eſſe honeſtiſsimum, & frequenter in Eccleſia Catholica vſitatum. *Auguſt.*

10. *Inuocationem Sāctorũ Deo gratam eſſe.* Ex his manifeſtum relinquitur, fidem de interceſsionibus Sanctorum, & morem illos inuocandi ad illas petendas, nõ eſſe res nouas, ſed antiquiſsimas in Eccleſia Catholica, quod primo loco probandum propoſuimus. Inde verò ſufficienti etiam authoritate probatum relinquitur, quod ſecundo loco polliciti ſumus, hunc ritum orandi Sanctos nec ſuperſtitioſum, nec malum eſſe, ſed ſanctum, & Deo gratum. Quis enim credat potiùs Luthero, Caluino, & ſimilibus Nouatoribus Sanctorum orationes improbantibus, & in hac parte antiquos hæreticos Vigilantium, Conſtantinum Copronymum, & alios ſimiles ſectantibus, quàm Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Baſilio, Nazianzeno, Chryſoſtomo, & alijs ſimilibus Patribus verbo, & exemplo ſuo hanc orationem approbantibus; imò etiam referentibus, Deum magnis miraculis, quæ Chriſtus inter potiſsima ſigna ſuæ Eccleſiæ poſuit, illam approbaſſe, & confirmaſſe? Talis autem eſt hęc veritas, vt nõ ſolùm authoritate credi, ſed etiam ratione conuinci poſſit apud eos, qui aliqua fundamenta, ſeu principia noſtræ fidei non inficiantur.

11. Vnum enim ex principijs, etiam in A ipſa Scriptura contentis, eſt, ſanctum eſſe, & Deo placitũ, vt vnus pro alio apud Deum intercedat, orando. Paulus enim 1. ad Timot. 2. obſecrat, orationes fieri pro Regibus, Principibus, &c. & ad Epheſ. 6. præcipit orare pro omnibus ſanctis, id eſt, fidelibus, & Iacobus cap. 5. dicit, *Orate pro inuicem, vt ſaluemini, multũ enim valet deprecatio iuſti aſsidua.* Quod confirmat exemplo Eliæ. 3. Regum. 17. Idemq; exẽplo ſuo nos docuit primitiua Eccleſia, cum ad Deũ pro Petro orabat Actor. 12. imò & Chriſtus Domin⁹ exemplo ſuo idem oſtendit Ioan. 17. & B Luc. 22. & 23. Hinc ergò manifeſtè colligimus ſanctum eſſe, & Chriſto placitum, vt homines, qui cum ipſo regnant, pro peregrinantibus hominibus apud ipſum intercedant, quia in vtriſque, ſcilicet, viatoribus, & beatis opus eſt eiuſdem honeſtatis, & religionis reſpectu Dei, & charitatis reſpectu eorũ pro quibus oratur, neque fingi poteſt ratio, ob quam hæc ratio in homine viuente in corpore mortali admittatur, & non in ſpiritu glorioſo Deo magis grato, nam hæc interceſsio non eſt beatorũ ſtatui incongrua, C ſed maximè decens, & accommodata. Et ideò Scriptura ſacra hanc etiam orationem commendat tam in Angelis beatis, quàm in animabus ſanctis, vel glorioſis, vel nondum etiam gloriam aſſequutis, vt ex libris Machabæorum, & Apocalypſis, Tobiæ, & Danielis ſuprà probauimus.

Oratio vnius pro alio grata Deo eſt. *1. ad Tim. 2.* *Epheſ. 6.* *Iacobi. 5.* *Actor. 12.* *Ioan. 17.* *Luc. 22. & 23.*

Aliud principium fidei eſt, ſanctum, & Chriſto proinde gratum eſſe, vnum hominem ab alio petere, vt pro ſe oret rem licitam, & cum alijs conditionibus ad honeſtam orationem requiſitis. Hoc certè naturali ratione euidens eſt, quia D qui ab alio petit, vt pro ſe oret, ab illo actum licitum poſtulat, qui & in gloriã Dei per ſe cedit, & vtrique, ſcilicet, petẽti, & à quo petitur poteſt eſſe vtilis; cur ergò illa petitio non erit honeſtiſsima? Deinde rectè fecit ſereniſsimus Iacob⁹, monendo fideles, vt pro ſe inuicem orarent, & ſanctiſsimè præcepit Paulus vigilare in obſecratione pro omnibus Sanctis ad Epheſ. 6. vbi etiam addidit, *Et pro me, vt detur mihi ſermo*, & cætera, & ad Coloſſenſes capite 4. *Orationi inſtate, Vigilantes in ea in gratiarum actione, orantes* 12.

Rogare aliquem, vt pro ſe oret, ſanctum eſt. *Ad Epheſ. 6.* *Ad Coloſ. 4.*

tes ſimul, & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium, &c. Et ſimilia habet 2. ad Theſſalon. 3. ergo ſimiliter licitum eſt cuicunque viatori ab alio fideli petere, vt pro ſe oret, non enim magis eſt nobis hoc prohibitum, quàm Paulo, neque nos minùs indigere poſſumus orationibus aliorum, quam Paulus.

2. Theſſ. 3.

13.
A paritate rationis cõcluditur, licitum eſſe Sanctos vita functos orare.

Ex his ergo principijs euidenter colligimus, ſanctum, & Deo gratum eſſe, rogare homines vita functos, quos Sanctos, & iam beatos eſſe credimus, vt pro nobis orent. Probatur illatio, quia nulla ratio, vel occaſio malitiæ, vel inordinationis in hoc actu cogitari poteſt, magis quam in ea petitione, quæ fit ab homine nobiſcum viuente: nam differentia, quæ ab aduerſarijs cogitari poteſt, tantùm in fidei defectu poteſt eſſe fundata. Vel enim credunt homines iuſtos ex hac vita decedentes non videre Deum, nec fieri beatos vſque ad mundi finem, at hoc tam contra fidem Catholicam eſt, quàm contra id quod vt plurimum à Proteſtãtibus Anglis eſt receptum. Vel fortè timent, ne iuſti, & felices non ſint, illi, quos oramus, & hæc hæſitatio reſpectu eorum Sanctorum, quos vniuerſa veneratur Eccleſia, etiam eſt contra fidei integritatem, vt oſtendimus. Vel denique timent, ne homines mortui, etiam ſi felices ſint, noſtras orationes non audiant, & hoc etiam eſt contra ſanam doctrinam ſatis ab Eccleſia approbatam. Præterquàm, quòd talis ſuſpicio, vel metus nullum habet veriſimile fundamentum, quia Deo facillimum eſt, hanc cognitionem Sanctis ſecũ regnantibus præbere, eſtque valdè conſentaneum prouidentiæ ipſius Dei, vt illam præbeat, tum ad explendum iuſtum illorum deſiderium, tum quia & eorum ſtatui, & noſtro eſt maximè conſentaneum, vt ſpiritualem aliquam communicationem inter nos habere poſsimus, cùm ſimus membra eiuſdem corporis, cuius caput eſt Chriſtus, vt ſumitur ex Paulo ad Epheſ. 1. & 4.

Reijcitur diſparitas ab hæreticis cõficta.

Ad Epheſ. 1. & 4.

14.
Inuocatio Sanctorum nec mala eſt, nec prohibita.

Ex his ergo tandem ita concludimus, orare, & inuocare Sanctos cum Chriſto regnantes nec ex natura rei malum eſſe, neque etiam prohibitum; eſſe ſubinde omninò bonum, & licitum. Conſecutio per ſe euidens eſt. Maior autem diſcurrendo per omnes circunſtantias huius actionis, & per comparationem eius ad ſimilem petitionem inter viuentes demonſtrata eſt. Minor verò facilè etiam oſtenditur, quia illa prohibitio non eſt iuris diuini poſitiui, quia in Scriptura nõ inuenitur, & traditio Eccleſiæ potiùs oſtendit, ius diuinum hunc ritum orandi permittere, vel approbare, neque etiã eſt prohibita per ius Eccleſiaſticum, vt per ſe notum eſt: nam potiùs contrarius error in multis Concilijs, & nouiſsimè in Tridentino damnatus eſt. Vnde licèt Eccleſia non omnibus præcipiat orare Sanctos, præcipit tamen omnes de inuocatione Sanctorum rectè ſentire, & omnibus huiuſmodi orationem conſulit, & aliquibus miniſtris ſuis interdum hanc orationem præcipit, inſtituendo peculiarem modum, & ritum orandi Sanctos in diuinis, & publicis officijs, quem Sacerdotes, & miniſtri Eccleſiæ obſeruare tenentur. Eſt ergo ex omni capite ſancta, & religioſa huiuſmodi oratio.

Contra hanc autem catholicam doctrinam obiectiones quaſdam indicat Rex, quæ licèt ab ipſo curſim, & quaſi timidè proponantur, omittendæ non ſunt. Primam ſumit ex verbis Chriſti Matt. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ex quibus verbis videtur colligere voluiſſe, ad ſolum Chriſtum eſſe accedendum, vt pro nobis intercedat, vel vt neceſsitatibus noſtris ſubueniat. Veruntamen ſenſus verborum Chriſti eſt, ipſum eſſe vnicũ Redemptorem, qui peccatorum onus, & labores, ac pœnas ex peccatis contractas poſsit auferre, eundemq; eſſe authorem gratiæ, & legis Euangelicæ, qui ab onere legis veteris nos liberauit. Vocat ergo Chriſtus omnes ad ſe tanquam ad medicum, & authorem ſalutis. Et hoc modo vera eſt excluſiua, ita ſcilicet, nos Chriſtum vocare ad ſe, vt ad nullum alium abire permittat. Per hoc autem non prohibuit nobis inuocare Sanctos vt interceſſores ad ipſum Chriſtum, ſeu ad Deũ per ipſum, neque vllus Sanctorum Patrum illationem huiuſmodi fecit, aut verba illa ad præſentem materiam accommodauit, vel illa aliter intellexit. Vt videri poteſt in D. Hieronymo ibi, Chryſoſtomo Homilia 39. in Matthæ. Augu-

15.
Prima Regis obiectio contra doctrinam traditam.

Matt. 11.

Solutio.

Chriſtus Dominus tanquam Redẽptor, Sancti vero tãquã mediatores ad ipſum inuocantur.

Hieron.
Chryſoſt.

Auguſt. Auguſtino ſerm. 9. & 10. de Verbis Domini, quos alij expoſitores Latini, & Græci imitantur. Poteſtq; hic locus ex alijs declarari, in quibus venire ad Chriſtum, idem ſignificat, quod credere in ipſum. In hoc enim ſenſu dixit Ioan. 6. *Ioan. 6.* *Qui venit ad me non eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet in æternum.* Et iterùm, *Omne, quod dat mihi Pater ad me venit, & eũ, qui venit ad me, non eijciam foras*, id eſt, in gratiam meam ipſum recipiam, & fructũ redemptionis meæ communicabo. Hóc ergo modo iubemur venire ad ſolum Chriſtum, quia *non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* Hoc autem non obſtat, quominùs ad ſanctos per orationem accedere poſsimus, vt ab ipſo, & per ipſum auxilium nobis obtineant, vt ad ipſum veniamus, vel ſi iam venimus vt ab eo non recedamus. Sic enim, non obſtante ſufficientia redemptionis Chriſti, rectè petimus à viuentibus, vt pro nobis orent.

16. *Secunda obiect. ex Paulo ad Coloſ. 2.* Altera obiectio eſt, quia Paulus ad Coloſſ. 2. *prohibuit humilitatem, & religionem Angelorum, omnemq; eiuſmodi venerationis cultum in ſuperſtitione, & humilitate, non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatẽ carnis.* Ita Rex proponit verba Pauli, & non ampliùs declarat, quomodo ex eis aliquid contra inuocationem Sanctorum colligatur, cùm tamen in eum finem ab ipſo referantur: nam alioqui immeritò, & extra rem illa ibi proponeret. *Solutio.* Pauli tamen intentio lõgè diuerſa eſt, vt ex contextu manifeſtè conſtat, omniumq; Patrum expoſitione. Monuerat enim Paulus Coloſſenſes, vt ſicut acceperant Ieſum Chriſtum Dominum, ita in ipſo ambularent radicati, & ſuperædificati in ipſo. Vnde poſteà infert. *Nemo ergo iudicet vos in cibo, &c.* Quibus verbis eos cauere docet iudaicas cæremonias, & obſeruationem legis, deinde verò ſubdit, *Nemo vos ſeducat, volẽs in humilitate, & religione Angelorum*, per quæ verba non prohibet debitam venerationem, & inuocationem Sanctorum Angelorum, vt Nouatores ſentiunt, hoc enim neque ex verbis Pauli colligi poteſt, neque ex Patribus, aut expoſitoribus. Vnde aliqui illam poſteriorem clauſulam cum præcedenti coniungunt, & omnia intelligunt de obſeruatione legalium.

A Communior tamen, & magis literalis expoſitio eſt, illa poſteriora verba dici à Paulo contra errorem quorundam hæreticorum, qui dixerunt, Angelos eſſe huius mundi factores, & per ipſos accedendum eſſe ad Deum, & non per Chriſtum. Quam fuiſſe hæreſim Simonis Magi, refert Epiphanius hæreſ. 21. *Epiphan.* & illam voluiſſe damnare Apoſtolum, *Chryſoſt.* docuit ibi Chryſoſt. homil. 7. quem Oecumenius, & Theophylactus ſequuntur, *Oecumen. & Theoph.* qui explicant, illos hæreticos per fictam humilitatem dixiſſe, non oportere per B Chriſtum adduci ad Deum, quia hoc maius eſt, quàm vt id poſsimus aſſequi, ſed commodius eſſe, vt per angelos accedamus, ideoq; peculiarem cultum, & religionem Angelorum introduxiſſe, & hanc prohibuiſſe Paulum, affirmant.

Paulò verò aliter Theodoretus ibi dicit, eoſdem, qui obſeruantiam legis veteris defendebant, ad Angelos colendos induxiſſe, dicentes, legem fuiſſe per eos datam, refertque Concilium Laodicenũ hac ratione Angelorum cultum prohibuiſſe. Ita enim videtur legiſſe canonẽ 35. illius Concilij, qui iuxta verſionem antiquam, & Gentiani ſic habet, *Non* 17. *Theodor.* *Conc. Laodicen.* C *oportet, Eccleſiam Dei relinquere, & abire, & angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. Siquis igitur inuentus fuerit huic idololatriæ ſeruiens, ſit anathema, quia derelinquit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Alia verò tranſlatio non legit angelos, ſed angulos, damnatq; eos, qui in angulis congregabantur ad idola colenda. Veriſimilior autem eſt illa prior lectio, cùm Theodoretus author Græcus, & illi tempori vicinus ita illum canonem referat. Conſtat autem, ibi nõ fuiſſe damnatum omnem cultum D Angelorum, ſed eum, qui ab Eccleſia, & à Chriſto ſeparat: legem per angelos datam, legi Chriſti præferendo, vt Theodoretus vult. Aliter verò Tertullianus lib. de Præſcriptionib. hæreticor. c. 33. *Tertull.* generaliter dicit, *Simonianæ Magiæ diſciplina angelis ſeruiens, vtiq; & ipſa inter idololatrias deputabatur.* Vnde fit veriſimilis coniectura, Paulum per religionem Angelorum intellexiſſe, omnem ſuperſtitioſum cultum, qui per magicam artem malis angelis datur: *Senſus Pauli.* Quæcunque verò fuerit illa, quæ à Paulo vocatur, *Religio*

Ange-

Angelorum, certum eſt, fuiſſe ſuperſtitioſam, & partem idololatriæ, vt exponit Hierony. Hieronymus epiſt. 151. ad Algaſiam, q. 10. qui illa verba exponit de Iudęis, qui poſt Chriſti mortem, & abolitionem legis, *Quaſcumque offerunt victimas, non Deo offerunt, ſed angelis refugis, & ſpiritibus im-* Auguſt. *mundis.* Auguſtinus verò epiſtol, 59. ad Paulinum generatim ait, illa verba dicta eſſe à Paulo, *propter ſuperſtitiones gentiliū, Angelos* (inquit) *volens intelligi principatus, quos elementorum mundi huius præpoſitos in his obſeruationibus colendos eſſe arbitrãtur*, & de illis obſeruationibus ait, per [illegible], *Vt cor hominis velut religione humile reddatur, falſa humilitate, quæ magis inflat*, vt inferius dicit. Longiſsime ergo diſtat talis ſuperſtitio à cultu, & inuocatione Sanctorum, ſiue hominū, ſiue Angelorum.

18. Denique ponderanda ſunt verba dicentis, *Nemo vos ſeducat volens in humilitate*, vtique ficta, *& religione angelorum*, vtique malorum, *quæ non videt, ambulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenēs caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augmentum Dei.* Hæc enim verba non poſſunt in Eccleſiam Catholicam conuenire, quatenùs Sanctos colit, & inuocat. Quia neq; hoc facit inflata ſenſu carnis ſuæ, ſed exemplis, ac doctrinis Sāctorum Patrum in diuina Scriptura fundatis inſtructa. Neque per illum cultum recedit à capite, quod eſt Chriſtus, ſed ad illum potiùs refert omnem ſanctorum cultum, per illum enim Sanctos omnes impetrare, & ad illum etiam pro nobis intercedere profitetur. Et ita neq; fictā humilitatem, neq; falſam religionem introducit, neque impedit corporis Chriſti augmentum per influxum gratiæ ab ipſo manãtis, ſed potiùs per hanc cōiunctionem, & communicationem omnium membrorum huius corporis, totius corporis vnitas, & ſanctificatio melius perficitur. Quapropter maiori quidem ratione poſſunt talia verba in Proteſtantes cōuerti, illiſq; poſſumus ſereniſsimū Regē alloqui, *Nemo vos ſeducat, &c.* Nā Proteſtantes re vera Regem ſeducunt, *inflati ſenſu carnis ſuæ*, quia neque ab Eccleſia, neque à Patribus doceri volunt, *ſed dulci nomine ſcientiæ* (vt Auguſtinus ſuprà lo-

A quitur) Regem *ſeducunt, & auertunt à luce veritatis, quæ eſt Chriſtus Ieſus.* Vnde licèt ore Chriſtum confiteãtur, re ipſa caput non tenent, ex quo totū corpus creſcit in Domino; quia non poſſunt tenere idem caput, qui nolunt eſſe in eius corpore, nec poſſunt in illo creſcere per nexus, & coniunctiones, qui Sanctorum vnionem, & communicationem recuſant. Deniq; licèt iſti apertè non fingant religionem angelorum, quos colant, fingunt tamen illorum religionem angelorum, à quibus decipiuntur, & per quos alios ſe-
B ducunt. Dicta igitur verba Pauli, ſi ſecūdum proprium ſenſum conſiderentur, reprehenſionem gentilium cōtinent, nō Catholicæ Eccleſiæ. Si verò ſecundum generalem doctrinam, quam includunt, ſpectentur, hæreticos omnes, & pręcipuè Proteſtantes redarguunt, & conuincūt.

Tertiam obiectionem his verbis indicat Rex, *Sed qua fiducia, quo ve authore decurratur ad Deos Penates iſtos, ſiue Tutelares quaſi aulicos, & familiares Dei Optimi Maximi, equidem neſcio. Id illis probandum reliquerim, qui noua diſputandi, ac philoſophandi ratione Theologiam corruperunt.* 19. Tertia obiectio.
C Non quidem immeritò priùs quàm reſpondeam, poſſum cum Auguſtino interrogare, *Serium ne aliquid inter nos agitur, an iocari libet?* Credere namq; non poſſum Deorum Penatum, aut Tutelarium memoriam Regē renouare voluiſſe, niſi iocari potiùs, quã ſerio agere maluiſſet. Quod ſi res iſtæ tam leues Regi eſſe videantur, nobis iocari non vacat. Si autem graues exiſtimentur, mirum eſt, quòd nominum Deorum Penatum, & Tutelarium abſurditate, vel gentilitate terrere voluerit ignorantes. Non enim ignora- Epiſto. 44. ad Maximū
D re poteſt Rex à Chriſtianis Catholicis, nullum mortuorum hominum, aut Deū vocari, aut tanquam numen coli, aut inuocari. *Nihiloque ſecius* (ait Theodoretus) *vrbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur, quorum precibus, & interuentu apud Deum vtentes, per eos demum diuina munera conſequuntur.* Et paulò inferiùs. *Quid ergo aduerſus nos indignationem concipitis, cùm nullum quidem noſtrorum hominū referamus in Deos, quanquam debitos honores Martyribus perſoluamus, vt Dei teſtibus ſeruiſq; amantiſsimis.* Theodore. Lib. 8. contra Græcos.

20. Reſpōſio, Relicto ergò, & contempto Deorum nomi-

nomine,quod Rex dicit ſe ignorare, qua fiducia ad Sanctorum interceſsionem recurramus: mirum profectò non eſt;nam fides eſt fiduciæ fundamentum, & ideò vbi vera fides non eſt,fiducia eſſe nõ poteſt. Nos autẽ credimus, iuſtos vita functos,& cum Chriſto regnantes pro hominibus in hac vita peregrinantibus apud Deum intercedere, eorũque orationes Deum propter Chriſtum exaudire, & hac fiducia ad illos accedimus,non dubitantes, quin & noſtras petitiones audiãt, & magna charitate benignè ſuſcipiant. Poſſumusq; Regem interrogare,an interdum a ſuis ſubditis,quos fideles eſſe credat, vt pro ſe Deum precentur, poſtulet. Nam ſi hoc contemnit,Paulo contradicit,qui & pro ſe orari poſtulabat,& pro Regibus orare monebat: ſi vero id probat,& facit,peto,qua fiducia id faciat,certè non alia, niſi ea,quæ in aliqua fide fundetur: ſimili ergò fiducia ad Sanctos vita functos nos accedimus, quia neque minus apud Deum poſſe,nec minori charitate res noſtras curare credimus. Vnde cum iterũ Rex interrogat, quo authore hoc audemus? fidenter reſpondemus,in primis Spiritu Sancto principali authore nos id facere: ille enim eſt principalis author,qui Eccleſiam Chriſti docet, eiq; omnem ſuggerit veritatem. Deinde id etiam Chriſto authore nos facere, tum quia ipſe nos Eccleſiam ſuam audire præcipit: tum etiam quia per ſuos Apoſtolos nos docuit, pro inuicem orare, & per Apoſtolorum ſucceſſores, quos ipſe dedit Eccleſiæ Paſtores,& Doctores, Sanctos etiam vita functos inuocare docuit, non ſolum illorum verbo, ſed & eorundem exemplo. His enim modis hactenùs oſtendi,qua fide ſancti ſint inuocandi. Neque vereor in eorum numero comprehendi, quos falſa Proteſtantum calumnia deceptus Rex corruptores Theologiæ appellat. Hoc enim non veritatis indicium, ſed hæreticorum conuicium eſt,de quo proinde Theologus, & Doctor Catholicus gloriatur

21. Supereſt vt Sanctorum inuocationẽ non ſolum ſuperſtitione carere, ſed etiã tutiorem, & vtiliorem eſſe oſtendamus, hoc enim vltimo loco promiſimus, quoniam verba Regis hoc à nobis efflagitãt, ſubiungit enim, *Mihi ſatis eſt, Deum per Ie-*
A *ſum Chriſtum prout iubemur inuocare, & hanc viam tutiorem, ideoque in rebus ad ſalutem ſpectãtibus potiorem inſiſtere.* In quo puncto neceſſariũ eſt,opus à fide,& vsũ à iudicio ſecernere. Nam licèt alicui ſatis fortaſſe poſsit eſſe ad ſalutem, Deum per Ieſum Chriſtum inuocare,etiam ſi Sanctos non inuocet, non tamen ſola per Chriſtum inuocatio ſatis erit ad ſalutem ſi de Sanctorum inuocatione malè ſentiat, vel iudicet. Quia per hoc iudiciũ pertinax hæreticus cõſtituitur, hęretico autem homini ſola inuocatio Chriſti pro-
B deſſe non poteſt,quia neq; ex vera,& catholica fide,neque cum charitate cõiuncta eſſe poteſt. Deinde quamuis homini de fide inuocationis Sanctorũ rectè ſentienti, vſus talis inuocationis poſsit non eſſe impoſitus ſub præcepti neceſsitate, & ideò illi ſatis eſſe poſsit, Deũ per Chriſtum inuocare: multis verò, quibus neceſsitas inuocandi Sanctos ex officio, & debito,ac præcepto incumbit, non ſatis eſt, Deum per Chriſtum inuocare, niſi Sanctos inuocando, obligationi ſuæ, ac præcepto ſibi impoſito ſatisfaciãt. Quia licèt Chriſti redemptio, & interpellatio de ſe ad noſtram ſalutem ſufficiat,noſtrã
C tamẽ cooperationem,& præceptorũ obedientiam requirit,ideòq; licèt ab aliquo præceptorum contemptore inuocetur, ad ſalutem non ſufficit,nec talis inuocatio ab ipſo Chriſto, vel à Deo per Chriſtum exauditur.

De inuocatione Sanctorum malè ſentienti Dei per Chriſtum inuocatio nihil prodeſt.

Addimus prætereà,licèt inuocatio alicuius Sancti abſolutè, & per ſe ſpectata, 23.
non ſit ad ſalutem neceſſaria: interdum poſſe contingere, vt ex diuina ordinatione,& mirabili prouidentia neceſſaria ſit. Quòd ſi hoc Rex non intelligit,aut non credit, legat Auguſtinum dicentem, *Si*
D *Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet, ſed ideò de terra excitatus eſt Paulus, quia in terra inclinatus exauditus eſt Stephanus.* Quamuis ergò Paulo ſatis eſſe potuiſſet ad ſalutem Deũ per Chriſtum inuocare, nihilominùs (teſte Auguſtino) neceſſaria illi fuit ad ſalutem interceſsio Stephani: vtique quia beneplacitum fuit Deo per tale medium,& non aliter Paulum ad cognoſcendum, & inuocandum Chriſtum vocare. Ita ergo in alijs hominibus, & prædeſtinatis poteſt contingere, vt vnius ſalus per alterius Sancti

Inuocatio alicuius Sãcti poteſt interdum eſſe ad ſalutem neceſſaria.

Auguſt. ſermo. 1. & 4. de Sanctis.

Sancti interceſsionem prçordinata ſit: & vt Sanctus non ſit pro illo interceſſurus, niſi ab eo inuocetur. Hoc igitur modo vnius hominis pro alio interceſsio, & cõſequẽter inuocatio poteſt ex diuinæ prouidentiæ ratione eſſe neceſſaria, vt cum effectu ſalutem conſequatur ille, qui Sanctum inuocat, & pro quo Sanctus intercedit. Quamobrem neque ſecurè, neque piè dicitur, ſatiùs eſſe, Deum per ſolùm Chriſtum inuocare, quia licèt vnũ iubeatur, aliud non excluditur, & quia ad inuocandum Deũ per Chriſtũ, ſicut oportet, neceſſarium eſt diuinum auxilium, quod interdum per alicuius Sancti inuocationem impetrandum eſt.

23. Sanctorũ inuocatio tutior, & vtilior.

Ex quo euidentiùs concluditur, non ſolùm tutius, ſed etiam vtilius eſſe, inuocatione Sanctorum interdum vti, quàm illam omninò prætermittere. Eſt quidẽ tutius, tum quia qui omninò illam prætermittit, eam deſpicere, vel contemnere videtur, quod perniciosum eſt, & quã vis fortè non contemnat, huic periculo ſe exponit, quod tutum non eſt. Tum maximè, quia in hac inuocatione facta ex recta fide nihil periculi ad ſalutem eſſe poteſt, cùm ſit pia, & Deo grata, & aliunde, vt dixi, contingere poteſt, vt Deus per tale medium orantem ſaluare, vel bonum illud, quod optat, tribuere deſtinauerit; non eſt ergo ſatis tutum ab implorando Sanctorum patrocinio abſtinere, tantùm abeſt, vt tutius ſit. Multiplex verò vtilitas huius inuocationis in multis Eccleſiæ orationibus ſatis indicata eſt. Vna eſt, *vt quod noſtris meritis non valemus, Sanctorum patrocinio aſſequamur*: alia eſſe poteſt, *vt multiplicatis interceſſoribus* Deus largiatur, quod fortaſſe ſoli oratori roganti non concederet.

Vtilitates inuocationis Sanctorum. *Actor.* 10 *Ezech.* 6.

24. Hæreticorum euaſio præcluditur,

At inquiunt Proteſtantes, Deus non eſt ſicut homo, vt perſonas reſpiciat, Deus enim perſonarũ acceptor non eſt, & ideò nihil ad impetrandum confert, vel qualitas precantis, vel intercedentiũ multitudo. Sed hoc tam contra rationẽ quàm cõtra Scripturã ꝓfertur. Aliud eſt enim accipere perſonam, aliud verã perſonæ dignitatem, ſeu conditionem ad negotium pertinẽtem expendere. Acceptio enim perſonæ in communi vſu, & in allegatis Scripturæ verbis vitium ſonat diſtributionis, vel donationis, in qua cõditio perſonæ, quç ad cauſam non refert, neque perſonam tali muneri, vel dono magis aptam, vel dignam reddit, conſideratur. At verò in præſenti talis perſonarum acceptio locum non habet: nam ſanctitas perſonæ orantis, vel intercedẽtis talis eſt conditio perſonæ, quæ ad impetrandum illam reddit digniorem, & conſequenter multitudo etiam deprecãtium, quatenùs in eis, & maiora merita, & augmentum aliquod ſanctitatis conſiderantur, efficaciorem apud Deũ orationem reddit. Non enim ſine cauſa dixit Iacobus cap. 5. multum valere deprecationem iuſti, ſed quia, licèt oratio peccatoris interdum impetret, multò facilius iuſti oratio exauditur. Alioqui ſi Deus faciem orantis non reſpicit, & illius conditionem non conſiderat, cur dixit ad amicos Iob, *Ite ad ſeruum meũ Iob, & ſeruus meus Iob orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia*, niſi quia propter ſanctitatem, & patientiam Iob, illius potiùs, quàm ipſorũ eſſet orationem exauditurus? Et è conuerſo ad exaggerandam iram ſuam dixit Dominus per Ezechielem, *Terra cùm peccauerit*, &c. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob*, &c. ac ſi diceret, cum iſti me poſſent maximè placare, eos etiam pro tali populo orantes non exaudiam: quia non ſatis eſt pluriũ, & ſanctiſsimorum virorum interceſsio, ſi is, pro quo orant, non cooperetur, vt notauit Chryſoſtom. homil. 79. ad Populum, vbi nihilominùs oſtendit, orationem plurium efficaciorem eſſe, quod etiam latè proſequitur orat. 3. de Incomprehenſib. Dei natura.

Iacob. 5. *Iob.* 42. *Ezech.* 14 *Chryſoſt.*

25. *Greg. Nyſſæn.*

Eſtque ad hoc propoſitum valde notanda oratio Gregorij Nyſſæni ad Theodorum Martyrem ſub finem, vbi cùm multa à Martyre poſtulaſſet, ſubiungit. *Quòd ſi maiori opus fuerit aduocatione, ac deprecatione, fratrum quoque tuorum Martyrum coge chorum, & cum omnibus vna deprecare: multorum iuſtorum preces multitudinum, ac populorum peccata luant, admone Petrum, excita Paulum, Ioannem item Theologum, ac diſcipulum dilectum, vt pro Eccleſijs, quas conſtituerunt, ſoliciti ſint, &c.* Multò ergò magis orationes noſtrę cum Sanctorum interceſsionibus coniunctæ efficaciores fiunt, ac ſubinde vtiliores.

Neque

Neq; ꝑptereà Dei, vel Chriſti cultus minuitur, ſed augetur, quia dũ Sanctos inuocamus, diuinam maieſtatem magis reuearemur, noſtramq; indignitatem recognoſcimus, & per Sanctos Deum magis honorare, & glorificare cupim⁹, eiq; gratias pro tot beneficijs agimus. Quia, vt recte dixit Ambroſius ſerm. 14. de Sanctis Nazario, & Celſo, *Immenſacius pietas multiplex ad bonitatem, & artifex ad ſalutẽ proponens arduam virtutum palmam, raro appetitore pretioſam, in paucorum triumphis, plurimorum commodis proſpicit, illorum ſiquidẽ merita, noſtra vult eſſe ſuffragia.* Quod infrà exaggerans addit, licèt aliquis Sanctus, alicuius loci *peculiaris putetur priuilegio ſepulchri, omnium tamen eſſe cõmunione ſuffragij, non clauditur enim locis, quod diffunditur meritis, Inuocaſti vbique Martyrem, vbique te exaudiet ille, qui honoratur in Martyre.* Merito ergo Catholica Eccleſia Sanctorum inuocationem tanquam magis piam, & Deo gratiorem, ſibique tutiorem, & vtiliorem elegit, ſemperq; retinuit.

Ambroſ.

CAPVT X.

De Sanctarum reliquiarum cuſtodia, & veneratione

1\. DVO in hoc puncto potiſsimum carpit Rex, adorationem videlicet reliquiarum, & vſum aſſeruandi particulas à corporibus Sanctorum ſeparatas, vt à Chriſtiano populo videri, vel tangi poſsint. Priùs verò, vt vulnus ſuũ occultet, & ne cum Iuliano apoſtata, & Cõſtantino Copronymo, & alijs hæreticis reliquias Sanctorũ deteſtantibus ſentire videatur, quædam verba premittit, quibus ſe Sanctorum reliquias honore proſequi oſtendit, dicens, *Quod ad reliquias Sanctorum, ſi quas eius modi haberem, quas conſtaret Sanctorum corporum partes eſſe, eas ego honorificis tumulis ſolenniter inferrem.* Hic zelum Regis laudo, quod autem ſecundum fidem non ſit, doleo. In eo enim, quod Sanctorum reliquias honore aliquo dignas eſſe cenſet, rectè iudicat, inſinuat verò non religioſo cultu, ſed ſolo ciuili honore Sanctorũ reliquias tumulandas eſſe, quòd ſi ita ſentit, nõ rectè, neque ſecundum fidem Catholicam

Quem cultum Sãctorũ reliquijs tribuat Rex Iacobus.

A ſentit. Ipſum verò in hoc ſenſu fuiſſe loquutũ, verba, quæ paulò poſt ſubiungit, ſatis declarant, inquibus: *eiiquiarum adorationem pro intolerabili idololatria habere ſe,* dicit, *& abominari.*

In his autẽ verbis in primis aduerto, cũ ſuperiùs tractando de cultu B. Virginis, & Sanctorum non verbo *Adorandi*, ſed *venerandi*, vel *colendi* vſus fuerit, hic mutata locutione, *adorationem* reliquiarum abominari. Interrogo igitur, quo ſenſu, quavè ſignificatione nomen adorationis accipiat: nam ſi perfectam illam, & abſolutam, ac ſummam latriam, quæ ſoli Deo B debetur per nomen, *adorationis* intelligit, meritò quidem abominaretur eos, qui Martyrum oſſa, aut corpora, vera latria ſoli Deo debita adorarent; & immeritò talem adorandi modum Eccleſiæ tribueret. Quod profecto facere conuincetur, cum eam, quam abominatur reliquiarũ adorationem inter Romanę Eccleſiæ articulos numerare intendit. 2.

Sãctorũ reliquias latria à Catholicis adorari falsò machinantur Protestantes.

Sciat ergo calumniam hanc nec nouã eſſe, nec alia reſponſione, quam data ab antiquis Patribus indigere. Auguſtinus enim Maximo Philoſopho gentili, qui C Epiſt. 43. ita ad Auguſtinum ſcripſerat, vt ignoranter hanc idololatriæ notã inurere Chriſtianis videretur in Epiſt. 44. ſub finem ita reſpondet, *Ad ſummam tamẽ, ne te hoc lateat, & in ſacrilega cõuitia imprudentem trahat, ſcias, à Chriſtianis Catholicis, quorum in veſtro oppido etiam Eccleſia conſtituta eſt, nullum coli mortuorum, nihil denique vt numen adorari, quod ſit factum, & conditum à Deo, ſed vnum ipſum Deum, qui fecit, & condidit omnia.* Hieronymus verò contra Vigilantium, qui eandem calumniam impudentius Eccleſiæ imponebat, ſic loquitur in Epiſt. 53. *Os fœtidũ* D *rurſum aperire, & putorem ſpurciſsimum cõtra Sanctorum Martyrum proferre reliquias, & nos, qui eas ſuſpicimus, appellare cinerarios, & idololatras, qui mortuorum hominũ oſſa veneremur.* Et infrà. *Nos autem non dico Martyrum reliquias, ſed ne ſolem quidẽ, aut Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen, quod nominatur, & in præſenti ſeculo, & in futuro, colimus, & adoramus, ne ſeruiamus creaturæ potiùs, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſæcula. Honoramus autem reliquias Martyrum, vt eum, cuius ſunt Martyres,* 3.

Hæreticorum calumnia ex Patribus refellitur.

Auguſt.

Hieronÿ.

Hierony.

tyres, adoremus. In quibus verbis aduerto conſulto vſum fuiſſe Hieronymum verbis venerandi, & honorandi, vt calumniã hæretici euitaret, & adorandi verbũ Deo reſeruaret. Idemq; obſeruat in alio libro contra Vigilantium, vbi reliquias, *oſſa veneranda* appellat, quam venerationẽ negabat Vigilantius, propter illam Eccleſiæ imponens idololatriæ maculam, contra quem Hieronymus, *Quis vnquam, O inſanum caput aliquando Martyres adorauit. Quis hominem putauit Deum?* Ex quibus etiam verbis, & ex ſuprà dictis concluditur euidens ratio. Nam ſi Martyres ipſos, ſeu eorum beatos Spiritus fideles illo modo non adorant, vt ſuprà declaratum eſt, multo minùs eorum reliquias, & corpora mortua ſic adórabunt. Quæ ratio in reliquijs ad Chriſtum Dominum pertinentibus nõ ita procedit, quia Chriſto ſpecialis debetur adoratio, quomodo autem eius reliquię venerandæ ſint infrà dicemus.

4. Quòd ſi Rex non adeo ſtrictè nomen adorationis intellexit, cur venerationis nomine ad vitandam verbi inuidiam, & amphibologiam vſus non eſt? Vel (quod ad rem propriùs accedit) quid eſt, quod in adoratione reliquiarum abominatur, cum ipſemet reliquias Sanctorum aliquo honore dignas eſſe fateatur? Certè nõ video, quid ei diſplicere poſsit niſi quod reliquias tanquã res ſacras, actibꝰ etiã ſacris, & religioſis veneramur. Sed in hoc etiã puncto (ſi ita ſentit) toti antiquitati Catholicæ contradicit, & ab antiquis damnatis hæreticis, Eunomio, Vigilantio, & ſimilibus non diſſentit. Quod varijs modis poteſt breuiter oſtendi. Primò, quia Patres ideò docent, reliquias eſſe venerandas, quia earum honor, illorum Sanctorum, quorum ſunt reliquię, eſt veneratio, & inde eiſdem ſignis, actionibus, ac rebus Sanctos, & eorũ reliquias colendas eſſe demonſtrant. Quia ita eſt cultus reliquiarum cum honore Sanctorum cõiunctus, vt vnus non poſſit ab alio omninò ſeparari, quia vtriuſq; ratio eadem eſt, nimirũ excellentia ſanctitatis, quæ propriè, & vt aiunt, formaliter in animo exiſtit, & in corpus, & alias reliquias per quandam participationẽ, & habitudinem redundat. Quam veram, & Catholicam doctrinam his verbis elo-

Eodem cultu Sãctos & eorũ reliquias venerantur catholici.

A quentiſsime declarauit Ambroſius dicto Serm. 14. in fine, ſimul fundamentũ aduerſariorum proponens, & euertens. *Quod ſi dicas mihi: Quid honoras in carne iã reſoluta, atque conſumpta, de qua nulla iam Deo cura eſt? Et vbi eſt illud charisſimi, quod ipſa veritas loquitur per Prophetam? Pretioſa, inquit, in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valde honorificandi ſunt amici tui Deus. Honorare debemus ſeruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus inquit, cuſtodit omnia oſſa eorum, & vnũ* B *ex his non conteretur. Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam perennitate virtutis, honoro per confeſsionem Domini ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina æternitatis, honoro corpus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & Dæmones? Quod & afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro. Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honorauit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cælo,*

Ambroſ.

C Ex ratione igitur honorandi has reliquias, quæ longè altior eſt omni humana iuſtitia, vel dignitate politica, rectè colligimus, honorem etiam eſſe altiorem, atque ita ſacrum eſſe, & per res ſacras exhibere deberi. Sicque idem Ambroſius Epiſt. 58. ad fideles per omnem Italiam. &c. refert, ſibi reuelatum eſſe, vt in nomine Sanctorum, Geruaſij, & Protaſij Eccleſiam ædificaret, in qua eorum corpora collocaret, quod ſine dubio ad ſacrum honorẽ pertinet. Et in fine Epiſtolæ ponit hæc verba relata ex libello cum reliquijs inuentis. *Ego ſeruus Chriſti* D *Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte Sancta corpora, & in domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta arca ſaxea ſepeliui, credens, me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Honorabat ergo illos altiori mente, & fide, quàm ſoleant mortuorũ corpora ſolo Ciuili honore tractari, mẽs autem, & affectio eſt, quę qualitatem cultus cõſtituit, & diſtinguit. Et eodem modo idem Ambroſius epiſt. 55. in fine ad eoſdem Italiæ populos de inuentione reliquiarum Sanctorum Vitalis, & Agricolæ, ita concludit. *Hæc vobis*

5. Altiori cultu, quã ciuili Sanctorũ reliquias afficiendas eſſe.

Ambroſ.

bis pauca, & compendiario, dilectiſsimi fra- A
tres, de corporum Sanctorum Martyrum in-
uentione ſignificare curauimus, vt ipſorum
memoriam in Eccleſijs facere valeatis,

6. Similique modo, & ob eandem ratio-
nem, de hoc cultu reliquiarum ſentit Eu
ſebius lib. 13. de Præparat. Euangelica,
Euſeb. cap. 7. circa principium dicens, *Hæc nos*
quotidie factitamus, qui veræ pietatis, mili-
tes, vt Dei amicos honorantes: ad monumen-
ta quoque illorum accedimus, votaque ipſis
facimus tanquam viris Sanctis, quorum in-
terceſsione ad Deum non parũ iuuari profite-
Tom. 2. de Relig. tract. 3. lib. 1, c. 36. *mur*. Quomodo tandem Sãctis vota fie- B
ri poſsint, & debeant, alibi à nobis expli-
catum eſt, certum eſt autem cultum ſa-
crum continere, proprieque Deo fieri in
honorem Sanctorum cum Chriſto reg-
nantium, Addit verò Euſebius, ſpeciali-
ter ſolere fieri circa monumenta ſancto-
rum, vt idem cultus in honorem etiã re-
Theodoret. liquiarum aliquo modo redũdet. Et mul
Greg, Tur. ta ſimilia habet Theodoretus libr. 8. ad
Græcos, & apud Gregorium Turonen-
ſem lib. 2. de Hiſtoria Francor. cap. 37.
Auguſt. & colligitur etiam ex his, quæ refert Au
guſtinus lib. 20. contra Fauſt. cap. 3. De
hoc deniq; ſacro honore loquũtur Patres C
Hierony. quoties de honore reliquiarũ loquũtur.
vt videri poteſt apud Hieronymũ epiſt.
7. ad Lętam in principio, *Inundans*, in-
quit, *populus ante delubra ſemiruta currit*
ad Martyrum tumulos, ſi non extorquet fidẽ
prudentia, extorqueat ſaltem verecundia, &
epiſt. 17 ad Euſtochium, *Martyrum*, in-
quit, *vbique ſepulchra veneramur, & ſan-*
ctam fauillam oculis apponentes, ſi liceat,
etiam ore contingimus. Similia in vita Hi-
Auguſt. larionis, & in epitaphio Paulæ, & alibi ſę
Baſil. pè. Et Auguſtinus lib. de Cura pro mor
tuis agenda cap. 17. & 18. Baſilius homil.
in Quadraginta Martyres, Gregorius D
Greg. Na. Nazianzenus orat. 18. in Cyprianũ, &
Chryſoſt. optimè Chryſoſtomus homil. 66. ad Po-
pulum, vbi inter alia hęc notatu digniſsi
ma, *Etiam ipſe qui purpuram indutus eſt,*
accedit illa complexurus ſepulchra, & fa-
ſtu depoſito ſtat Sanctis ſupplicaturus, Et ho
mil. in Pſalm. 115. *Contemplare* (inquit)
ciuitates, &c.

7. Deniq; quòd in hoc genere cultus nihil
contra Dei religionem fiat, imò Deo gra
tiſsimus ſit, ratione fit peſpicuum, & mi-
raculis frequenter Deus ipſe conteſtatus
eſt. Ratio ex dictis clara eſt, quia oſſa
mortuorum Sanctorum nõ coluntur di-
uino honore; ergo ex hac parte in hoc
cultu non fit contra religionem Deo de- Reliquiarũ veneratio Deo gratã eſſe.
bitam. Deinde non colũtur ex falſa exi-
ſtimatione, ac ſuperſtitione, ac ſi illa per-
ciperent honorem ipſis exhibitũ, vel in
ſe haberent excellentiam propter quam
exhibetur: nam hac mente illis præbere
etiam ciuilem honorem, abſonum plane
eſſet, & ſtultum. Coluntur ergo ea fide,
qua credimus, illa eſſe organa, & vaſa, qui
bus ad bona opera ſanctus vſus eſt ſpiri-
tus, vt argutè admodum ſcripſit Auguſt. Auguſt.
lib. 1. de Ciuit. cap. 13. Et quia totũ illud
redundat in honorem ſanctarum anima-
rum, quas etiam credimus non ignorare,
& gratum habere obſequium, quod ipſis
in corporibus ſuis à fidelibus fit; ergo
nullus recta ratione vtens poteſt hũc cul
tum accuſare, vel leuiſsimæ inordinatio-
nis, etiam contra duliam, ne dum contra
latriam.

Teſtimonium denique Dei per mira- 8.
cula multiplex à Sanctis Patribus anti-
quis refertur, & præcipuè videndus eſt Eadem veritas miraculis cõfirmatur.
Ambroſius dictis epiſtolis 53. & 55. &
epiſt. 54. ad Marcelinam ſororem, vbi in-
ter alia dicit, *Dum transferimus Sanctorũ* Ambroſ.
corpora cæcus ſanatus eſt, &c. Quod mira-
culum cum alijs contra hæreticorum ca-
lumnias conſtantiſsimè defendit ſerm. 5.
de eiſdem Sanctis Geruaſio, & Prota-
ſio, qui omnino videndus eſt. Eademque
miracula (vt in duorum tantæ authori-
tatis, & ocularium teſtium irrefragabile
ſit hoc verbum) recognoſcit Auguſtinus Auguſt.
lib. 9. Cõfeſsio. cap. 7. & dicto etiam cap.
17. de Cura pro mortuis agenda, & lib.
22. de Ciuit. cap. 8. vbi alia multa de reli-
quijs Sancti Stephani, & aliorum Sancto
rum refert. Et ideò epiſt. 103. commen-
dans Epiſcopo Tinciano Gallam, & Sim
pliciolam, inquit. *Portant reliquias bea-*
tiſsimi, & glorioſiſsimi Martyris Stephani,
quas non ignorat Sãctitas veſtra ſicut & nos
fecimus, quàm conuenienter honorare debea-
tis. Plura etiam alia refert Theodoretus Theodoret.
dicto lib. 8. ad Græcos.

Confirmant præterea Patres frequẽ- 9.
ter veritatem hanc exemplo Eliſei, cu-
ius oſſa mortuum excitarunt, vt videre
licet in Clemente. li. 6. Cõſti. c. vlt. Chry Clemens.
ſoſto. Orat. in laudem Ignatij Mart. & Chryſoſt.
ſingu-

Cyril. ſingulariter in Cyril. Hieroſ. Catecheſ. 18. Nam id factũ eſſe dicit, *Vt non ſolùm animæ Sanctorum honorentur, ſed credatur, quod etiam corporibus mortuorum ineſt virtus, ſeu potẽtia, propter tot annorum inhabitationem animarum iuſtarum in illis, quorum miniſterio vſæ ſunt.* Deniq; ad hoc teſtimonium ſpectat efficacia reliquiarum Martyrũ contra dęmones, tum ad expellendos illos, tum ad coercendos, ne in idolis reſponſa darent. In quo genere pulchra eſt hiſtoria de reliquijs Sãcti Babilæ Martyris, quas impius Iulianus ex quodam ſepulchro transferri iuſsit, quia impedimẽto erant Apollini, ne in quodam vicino loco gentilibus reſponſa daret: fideliũ autem Eccleſia magna fide, & alacritate concurrit ad transferendam arcam Martyris, quam deferebant pſallentes ſummis clamoribus, cum exultatione dicentes, *Confundantur omnes, qui adorãt ſculptilia, & qui confidũt in ſimulachris ſuis*, ita refertur in vita Athanaſij ex Sozomeno lib. 5. Hiſtoriæ, c. 18. & 19. idem referunt alię Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Ruffini lib. 2. cap. 35. Theodoreti lib. 3. cap. 9. Socratis lib. 3. cap. 16. Tantum ergo abeſt, vt reliquiarum veneratio idololatria ſit, vt potiùs ad illam confundendam argumentum ſit efficaciſsimum.

Sanctorum reliquiis dęmones fugantur. — *Sozomen.* — *Ruffin.* — *Theodore.*

10. Quia verò Rex Angliæ peculiariter offenditur, ac preturbatur conſuetudine ſeparandi particulas reliquiarũ, ſeu corporum ſanctorũ, & illas publice oſtendẽdi, ſeu proponendi, id circò neceſſarium eſt, antiquitatẽ etiam, & pietatẽ huius cõſuetudinis ſpecialiter demonſtrare. Tam eſt enim antiqua hæc religio erga Martyres, vt de illis ſic ſcribat Theodoretus dicto lib. 8. *Animæ quidem triumphatorum Martyrũ in cœleſti nunc patria vitam agũt, angelorum choros interſitæ, eorum verò corpora non ſingula quidem ſingulis monumentis conduntur, ſed ciuitates, oppida, paganiq; conuentus hæc inter ſe ſortito partiti ſunt, laborantibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri non ceſſant*, Eundẽq; morem, eiuſq; rationem breui, ſed graui, & egregia ſententia, vt ſolet, explicauit Ambroſius dicto Serm. 4. de Sanctis Nazario, & Celſo, vbi priùs dixerat. *Exultant fælices ſingularium vrbium populi, ſi vnius ſaltem Martyris reliquijs muniantur Ecce nos populos Martyrum poſsidemus.*

Particulas reliquiarũ publice oſtendere, antiquum, & ſanctũ eſſe Theodore. — *Ambroſ.*

A Deinde verò ita ſubiungit, *Beatum itaque Nazarium Martyrem Chriſti Sancta Mediolanenſis Eccleſia licèt totum corpore ſecum retineat, & mundo tamen totum in benedictione tranſmiſit.* Et addit rationem, quam nunc expendimus: *Hæc eſt enim Sanctorum Martyrum gloria, quorum & ſi per vniuerſum mundum ſeminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.* Quaſi dicat, magna prudẽtia, & pietate communicari fidelibus per partes reliquias Martyrum, quoniam, & tota ratio venerationis in ſingulis contemplari poteſt, B vt integrè in eis Sancti colantur, & tota etiam virtus obtinendi à Deo beneficia, & miracula per talia inſtrumenta, & Sanctorum interceſsiones in ſingulis inuenitur.

11. *Baſil.* Sic etiam dixit Baſilius dicta homi. 20 de Sanctis quadraginta Martyribus. *Hi ſunt, qui noſtram obtinentes regionem quaſi quædam turres contra aduerſariorum incurſum refugium exhibent, nec vno in loco ſe ſe clauſerunt, ſed in multis locis hoſpitio recepti, multorum patrias ornauerunt, nec tamen ſeparati, ſed inter ſe commiſti, ſi in ſingulos ipſos diuiſeris proprium numerum non excedunt.* C Et infrà, *Nam hi quadraginta ſunt vnũ, & omnes apud ſingulos.* Sic item Gregorius Nazianzenus Oratio. 3. quæ eſt prima contra Iulianum, §. *Non victimas*, inter alias Martyrum laudes adiũgit, *Quorum vel ſola corpora idem poſſunt, quod animæ Sanctæ, ſiue tangantur, ſiue honorentur, quorum vel ſolæ ſanguinis guttæ, atque exigua paſsionis ſigna idem poſſunt, quod corpora.* Et in carmine Iambico decimo octauo ita ſcribit, *Venerationi tãq; magnæ eſt veritas, Exiguus etiam puluis, vt vel oſsiũ Particula veterũ quæpiã, aut paulũ comæ, Veſtis ve, ſparſi aut ſanguinis quædã notæ,* D *Cultũ parem habeant, atq; corpus integrũ.* Vnde ſimiliter orat. 18. in Cyprianum inter narranda eius miracula dicit, *Vel cineres Cypriani miracula feciſſe.* *Nazianz.*

12. *Greg. Niſ.* Gregorius vero Nyſſen. orat. in Sãctũ Theodorũ Martyrẽm cũ maiori exaggeratione dicit, quòd *puluerẽ, quo cõditoriũ, vbi Martyris corpus quieſcit, obſitũ eſt, auferre permittat, pro munere puluis accipitur, ac tanquã res magni pretij cõdenda terra colligitur. Nã ipſas attingere reliquias, ſi quãdo cõtingat, vt id facere liceat, quã id ſit multũ deſiderandum, & optandum, ac ſummarum*

precum donum, ſciunt experti, & eius deſiderij compotes facti. Ex verbis autem, quę ſubiungit diſcere poſſumus cauſam, ob quam ex reliquijs Martyrum partes aliquæ ſeparatæ ſeruentur, vt interdum poſsint populo oſtendi, vt fide, ac pietate illas aſpiciant, & ſi opus fuerit ad ſpiritualem fructum complectantur. Nam vt idem Sanctus ſubiungit, *Qui ea intuentur, quaſi corpus per ſe viuens, & florens amplectuntur; oculis, ori, auribus, omnibus ſenſuũ inſtrumentis adhibentes: deinde officij, & affectionis lachrymas Martyri, quaſi integer eſſet, & appareret ſuperfundẽtes, vt pro ipſis precator intercedat, ſupplices preces offerũt.*

13. Epiſt. ad Pãmachi. in fine. Hoc deniq; rectè confirmat, & antiquum morem apertiſsimè oſtendit Hieronymus contra Vigilantiũ, non longè à principio, vbi verba eius refert dicentis, *Quid neceſſe eſt, te adorare illud, neſcio quid, quod in modico vaſculo transferendo colis, quid puluerem linteamine circundatum adorãdo oſcularis.* Contra quem poſtquã Hieronymus declarauit illam non eſſe adorationẽ latriæ, ſeu diuinam, ſubiungit, *Et audes dicere, illud neſcioquid, quod in modico vaſculo tranferendo colis. Quid eſt illud neſcio quid? Scire deſidero, expone manifeſtiùs, vt tota libertate blaſphemes. Puluiſculum, inquit, in modico vaſculo pretioſo velamine circundatum. Dolet, Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, &c.* Et infrà. *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur? Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſsimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt.* Non potuit profectò clarioribus verbis vſum præſentis Eccleſiæ teſtimonio, & exemplo omnium Epiſcoporum ſui temporis approbare, Videat Rex Angliæ, vtrũ audeat, illos vt ſacrilegos, & fatuos dãnare, quod Hieronymus tanquã abſurdiſsimũ, & prorſus incredibile reliquit.

Hierony.

14. Vnde etiam facilè oſtenditur, quã ſit friuola, & indigna collatio, quam Rex, quaſi irridẽs proponit inter hunc modũ venerandi reliquias, & ſuppliciũ, quo ſolent puniri maleſactores, capita eorũ, aut alias cadauerũ partes in publicis, & excelſis locis ad perpetuam infamiam, & pęnã poſt mortẽ duraturã, ſuſpendendo. Nullus enim reliquias Martyrũ ad infamiam in publico collocat, niſi qui fideles perſe-

A quendo Martyres facit, & poſteà gloriã martyrij per ſimilem infamiam, & pęnã obſcurare conatur. Quapropter non immerito poſſumus, Hieronymum imitando exclamare, *Nos ne ſumus, qui Sanctos inhonoramus, an ille qui honorantibus illos viuis habitaculũ, mortuis ſepulchrũ, negat, qui fratrũ* (vtiq; fidelium) *exilia poſtulat?* Et paulò inferiùs, *Quis oſſa Sanctorũ, & innoxios cineres hucuſq; verberari ab imbribus ſinit?* Profectò, vt dixi, non niſi ille, qui fideles perſequẽdo, Martyres facit. Eccleſia autem Catholica non ad infamię imaginem, vt Rex ludificatur, ſed ad maiorẽ

B honorem, & ad oſtenſionẽ amoris, & ad fidem, ac deuotionem excitandam reliquias Sanctorũ, illo ſingulari modo conſeruat, ſuiſque fidelibus videndas, & tangendas proponit. Imò inſuper addo, hãc ipſam conſuetudinem oſtendere, longè altiori modo Eccleſiam de Sanctorum reliquiis ſentire, quàm vulgarium hominũ mortua corpora ſoleant reputari. Quod mihi Gregorius Nyſſenus in dicta Orat. de Sancto Theodoro his verbis explicauit. Poſtquam enim dixit. *Corpus Sancti Theodori veluti rem charam magniq; æſtimatam, atq; reconditam, in tempus regenerationis ſeruari, multis ſingularibus, & eximijs rebus præditum, propter quas ad alia corpora,*

C *quæ cõmuni, & vulgari morte diſſoluta ſunt, ne comparandũ quidem eſt, idq; in ſimili materia naturæ,* ſubiungit, *Nam cæteræ quidẽ reliquiæ abominabiles pleriſq; ſunt, ac nemo lubenter ſepulchrũ præterit, aut ſi ex inopinato apertum offendit, &c. prætercurrit. At ſi venerit in aliquem locũ ſimilem huic, vbi hodie noſter conuentus habetur, vbi memoria iuſti, Sanctæq; reliquiæ ſunt, primum quidem earum rerũ, quas videt, magnificẽtia oblectatur.* Et infrà, *Cupit deinceps ipſi cõditorio*

D *appropinquare, Sanctificationẽ, ac benedictionẽ, contrectationẽ eius eſſe, credẽs.* Cõſulens ergo Eccleſia huic pietati fidelium, illis interdum publicè particulas reliquiarũ videndas, & tangendas proponit, idque in maiorem Sanctorum gloriam cedere, quidquid aduerſarij calumnientur, prudenter exiſtimat.

Nec omittam in hoc puncto addere; 15.
multas eſſe reliquias Sanctorum, quę partes corporum non ſunt: & ideo cum eis ſepeliri non debent, ſed cum debito honore ſeruari, quarum Rex nullam mẽtionem

nem feciſſe videtur, quia illam ſuam imaginum infamia ad illas non poterat accõmodare. Huiuſmodi ſunt veſtes ſanctorum, quæ manibus contactæ ægritudines interdũ repellunt, vt de veſtibus Sãctorum Geruaſij, & Protaſij affirmat Ambroſius Epiſt. 54. & de ſudarijs Sanctorum Vitalis, & Agricolæ idem dicit epiſt. 55. vbi etiam clauos, & cruces Martyrũ inter has ponit reliquias. Multi etiã ex allegatis Patribus mentionẽ faciunt veſtium Sanctorum, eaſq; alijs reliquijs æquiparãt, & in eodem habent honore vt ex Nazian. & Aug. maxime intelligi poteſt. Vnde Cyril. Hieroſo. Catecheſ. 18. *Etiam ſudaria, & ſemicinctia extra corpus exiſtentia*, dicit, *contacta ab ægrotis, illos ab infirmitate liberabant*. Ratio autẽ moralis ſumi poteſt ex Auguſt. lib. 1. de Ciuit. c. 13. *Quia paterna veſtis, & annulus, ac ſi quid huiuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes maior affectus*. Sic ergo veſtium Sanctorũ affectus, & reuerẽtia, erga ipſos ſanctos amorem, & venerationem oſtendit. Vnde in vita Antonij legitur, cũ Antonius in morte ſic præcepiſſet, *Melotem, & palliũ tritum, cui ſuperiaceo, Athanaſio Epiſcopo date, quod mihi nouũ ipſe detulerat*, idẽ Athanaſius vitã ſcribens ſic ſubiũgit, *Legatarius autẽ Antonij benedicti, qui tritum palliũ cũ melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonij muneribus amplectitur, & tanquã magna hæreditate ditatus, lætanter veſtimentum recordatur, imaginem Sanctitatis.*

Ambroſ. *Cyril. Hieroſolym.* *Auguſt.* *Athanaſ.*

16. Et in hoc ordine reliquiarum ponendæ ſunt res aliæ, quibus ſancti in hac vita familiariter vſi fuerunt. vt ſunt libri, & res ſimiles, nam omniũ eſt eadem ratio. Atq; ita cathedra Sancti Iacobi Apoſtoli, & primi Hieroſolymorum Epiſcopi vſq; ad tempus ſuũ fuiſſe ab illius ſucceſſoribus cum magna æſtimatione ſeruatam, refert Euſebius lib. 7. Hiſto. cap. 14. in fine, & ſubdit. *Vnde declarat perſpicuè, quemadmodum veteres Patres ad noſtram vſq; ætatem Sãctis viris ob eorũ veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non ceſſent*. Quã traditionem conſeruans Sancta, & Catholica Romana Eccleſia, Petri, & Pauli non ſolùm corporũ reliquias, ſed etiam Petri cathedram, & catenas vſque ad hodiernam diem religioſe conſeruat, eaſq; in proprijs feſtiuitatibus Chriſtiano populo videndas, tangendas, & venerandas proponit.

Reliquiæ, licet Sãctorum par nõ ſint, eadem veneratiõnem ſibi vẽdicant.

Euſeb.

CAPVT XI.

De vera imaginum Sanctarum veneratione ſeu adoratione.

1\. CONtra imagines Sacras vehementius inuehitur Rex Angliæ, earũq; venerationem, ſicut & reliquiarum *intolerabilem idololatriã* appellat, nõ vult tamen Iconomachus haberi, ſemper enim nomẽ, & notam hæreticorum fugit, quorũ doctrinam ſequi non dedignatur. Probat autem ſe non eſſe Iconomachũ, *Quia non arguo* (inquit) *ſiquis aut fingere ſtatuas, aut imagines pingere, ſiue ad publicum ſplendorem, ſiue ad priuatorum hominũ domeſticos vſus volet*. At hoc nõ ſatis eſt, vt Iconomachus non ſit, niſi etiam fateatur, ſacras imagines venerandas eſſe, & non ſolùm ad externum ſplendorem, & domeſticos vſus, ſed maximè ad vſus ſacros, ad Dei, Sanctorũq; honorem, & bonum animæ, retinendas eſſe confiteatur. Prima enim, ac præcipua hæreſis Iconomachorum fuit, imagines Chriſti, & Sanctorum venerandas non eſſe, eiuſq; author fuit Xenaias Perſa, qui cum eſſet ſeruus, & nondum baptizatus, Epiſcopus à Petro Gnapheo factus eſt, vt refert Nicephorus lib. 16. Hiſtoriæ capit. 28. & ſubiungit, *Primus (O audacem animum, & os impudens) vocẽ illam euomuit, Chriſti, & eorum, qui illi placuerunt, imagines venerandas non eſſe*. Et ex Theodoro Lectore, antiquiore Scriptore eadem hiſtoria, eademque origo illius hæreſis habetur per Anaſtaſium in ſeptima Synodo action. 1. Et in eodem ſenſu eandem hæreſim poſtea ſequuti ſunt Leo Iſauricus, Cõpronymus Conſtantinus, & alij poſteriores.

Iconomachorũ hæreſis quam Anglia excitat.

Nicephor. *Anaſtaſ.*

2\. Denique in eodem ſenſu damnata fuit illa hæreſis ab Eccleſia. Nam ſi ſatis eſſet ad fidei integritatem, confiteri, imagines eſſe aptas ad ſplendorem humanum, & domeſticos priuatoſque vſus, vix credo, inuentus eſſet homo rationis compos, qui omnem imaginum vſum, etiam humanum damnaſ-

ſet, ac ſi ars pingendi intrinſecè mala eſſet, vel ſpecialiter Christianis prohibita. Vel certè ſi Manichæi, vel alij antiquiores hæretici illum errorem docuerunt, vt multi volunt, ad damnandum talem errorem, ſatis fuiſſet Eccleſiæ definire, non omnem vſum imaginum malum eſſe, ſeu ciuilem, ac priuatum vſum earum permitti. Quia verò per hoc non ſufficienter condemnabatur error Iconomachorum, ideò contra illos definitum eſt, venerandas eſſe ſacras imagines, & publicum, ac ſacrum, ſeu Eccleſiaſticum illarum vſum retinendum. Si ergo Rex Angliæ hoc neget, Manichęus quidem poterit non eſſe, Iconomachum autem ſe eſſe negare non poteſt.

3. Præterea præcipuus error Iconomachorum fuit, idololatrię accuſare, & damnare Eccleſiam, eo quod Chriſti, & Sanctorum imagines coleret, ſeu veneraretur, vnde ipſas imagines idola vocabant, & hac ratione eas è templis auferebant, & omnibus ignominijs afficiebant, & in ignem tandem conijciebant. Quæ omnia conſtant ex antiquis Hiſtorijs, & ex ſeptima Synodo Action. 1. & ſequentibus latiſsimè, quę in ſummã redegit Photius in epiſtol. de Septem Synodis, quæ in tertio tomo Cõciliorum ante eandem Synodum præmittitur. Rex autem Angliæ expreſſe dicit, ſe pro intolerabili idololatria habere, & abominari adorationem imaginum, intelligens ſine dubio adorationem, quam Eccleſia Romana imaginibus dare conſueuit, & paulò inferiùs conatur probare, imaginem eſſe idolum, & ad vtrumque ſuadendũ Scripturæ teſtimonijs vtitur, quæ Iconomachi etiam contra Eccleſiaſticam traditionem allegabant, vt ex dicta Synodo action. 3. & 7. habetur; Ergo negare non poteſt Rex, quin ſententiam in Iconomachis damnatam ipſe defendat, quid ergo illi deeſt, vt Iconomachus ſit? An fortè, quòd imagines non confringat, ignominijs afficiat, aut comburat, profecto licèt hoc ita eſſet, eum ab hæreſi Iconomachorũ nõ excuſaret, cũ hęreſis in animo, & pertinaci ſententia ſit, etiam ſi in illos exteriores effectus nõ prodeat.

Photius.

4. Veruntamen de Proteſtantibus notum eſt, in violandis imaginibus non fuiſſe antiquis Iconomachis impares, vt

A ipſi etiam Angli ſatis experti ſunt, & recentiores ipſorum hiſtoriæ copioſe teſtãtur; ergo Rex, qui eidem Proteſtantiũ ſectæ adhæret, & regiam illi exhibet authoritatem, eaſdem imaginum contumelias approbat, & earum aut hor cenſeri debet. Contra hanc hæreſim nunc nouam diſputationem inſtituere ſuperuacaneũ duco, cùm hæreſis noua non ſit, & eiſdem temporibus, quibus olim exorta eſt, pleniſsima eruditione, & ſumma authoritate ſit in ſeptima Synodo generali damnata. Damaſcenus etiam libros pro imaginibus ſcripſit, qui ad impugnandã

Sãderus lib. 1. & 2. de Schiſmate Anglicano.

B illam hęreſim ſufficiunt. Præter quàm quod noſtris temporibus multi viri Catholici de hoc argumẽto copioſiſsimè, & efficaciſsimè diſputarũt. Nihilomiùs tamen prætermittere non poſſumus, quin ſingula Regis verba expendamus, vt obiectionibus, quas indicat, ſatisfaciamus, inde namque veritas etiam Catholica cõfirmabitur.

Primò ergo Eccleſiam nouitatis accuſat per hæc verba, *Quòd illas* (id eſt imagines) *adorare, quod illis ſupplicari, quod aliquam Sanctitatis opinionem affingi illis oporteat, id quidem antiquis inauditum*. In quibus verbis oportet, vel falſa à veris diſcernere, vel obſcura, & ambigua declarare, ne vana ſit contentio, & vbi non eſt, error cogitetur, vel fingatur. Et in primis verbis illis, *Quod illis ſupplicari*, ſignificatur eſſe in Eccleſia, vel ab illa approbari conſuetudinem orandi imagines, vel illis ſupplicandi; hoc autem non ita eſt, in nullo enim decreto Eccleſiaſtico, vel graui ſcriptore Catholico ille modus loquendi inuenietur. Imò Concilium Tridentinum Seſsion. 25. Decreto 5.

C

Fideles non orant imagines.

D de Veneration. imaginum expreſſe dicit, *Habendas, & retinendas eſſe imagines, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quòd credatur, vel quòd ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda*. Notum eſt autem omnes Catholicos huius Sacri Cõcilij doctrinam indubitanter amplecti: ergo falſo attribuitur Catholicis, quòd imagines ipſas orent, & ab ipſis petant, Errauit autẽ fortaſſe, qui hoc dixit, quia idem eſſe credidit, orare coram imagine, & illi ſupplicare, cùm tamen longè diuerſa ſint. Nam fidelis qui orat coram

Cõc. Trid.

ram imagine Virginis v. g. mentem habet in Virgine fixam, & illam precatur, & non imaginem, licet illam oculis corporis conſpiciat. Non enim ignorat, ſolū illum eſſe orandum, qui poſsit preces audire, & facere, vel intercedere prout rogatur: orat tamen nihilominus corā imagine, vt ad maiorē deuotionem, & attentionem illius conſpectu moueatur. Supplicaret autem imagini, qui ab illa peteret tanquam ab auditum, & mentem habente, quod non ſolum Catholici inſtructi in fide, verum etiam, nec ruſtici homines cogitare poſſunt, & ideò licèt coram imaginibus oremus non tamē imagines ipſas. Coram illis autem orare antiquiſsimum in Eccleſia fuit, vt intelligi poteſt ex liturgia Chryſoſtomi, & alijs, atque etiam ex Hiſtorijs, quas infrà adducemus.

Orare corā imagine, & non ſupplicare imagini ...

6. Deinde in verbis illis *Quod aliquam ſanctitatis opinionem affingi illis oporteat*, non ſolum antiquis, vt ibi dicitur, ſed etiam præſentibus omnibus fidelibus, ac verè Catholicis inauditū quidpiā à Proteſtātibus, Regi in hac re ſicut in alijs pernicioſe imponentibus, falſo tribuitur, niſi fortaſſe in verbo ſanctitatis aliqua, vel ignorantia, vel deceptio lateat. Nam in primis idem Concilium Tridentinum citato loco pariter dixit, *Non quòd credatur, aliqua ineſſe in ijs diuinitas, vel virtus propter quam ſint colendæ*. Vbi excludendo ab imaginibus diuinitatem, principaliter excludit veram ſanctitatem per eſſentiam: dum verò ait non habere aliquam diuinitatem, ſignificat, neque veram aliquam participationem diuinæ excellentiæ, & Sanctitatis eis ineſſe. Hocque magis declarat, dum ſubiungit, non eſſe in eis virtutem aliquam, nam perinde fuit, ac ſi diceret, non eſſe in eis veram Sanctitatem etiam creatam. Ergo illa opinio ſanctitatis affictæ imaginibus commentum eſt Proteſtantium, qui Regi impoſuerunt, nam à Catholicorū ſenſu aliena eſt, cum ſit in orthodoxo Concilio damnata.

In imaginibus nullā ſanctitatē ... agnoſcūt Catholici.

7. Dixi autem, *Niſi in verbo Sanctitatis aliquid lateat*. Nam iuxta doctrinam Auguſtini libro ſecundo de Peccatorum merit. & remiſsion. capit. 26. *Non vnius modi eſt Sanctificatio*, & ſic etiam *multi modi ſunt Sanctitatis*, vt idem Auguſtinus dixit, Sermon. 14. de Verbis Apoſtoli cap. 9. Nam etiam communes cibos per verbum Dei, & orationem ſanctificari dixit Apoſtolus, primę ad Timoth. 4. & de pane benedicto, qui olim catechumenis dabatur, dicit idem Auguſtinus, Sanctum eſſe, & Sanctiorem, quàm ſint communes cibi, etiam priuatim benedicti: & panes propoſitionis in lege veteri dicebantur Sancti, & arca fęderis Sancta cenſebatur, iuxta illud Pſal. 98. *Adorate Scabellū pedum eius; quoniam Sanctum eſt*. quod ad litteram rectè de arca intelligitur, quæ Scabellum pedū Domini dicitur. 1. Paralip. 28. Et Arca teſtamenti vocata eſt, arca Sanctificationis. Pſal. 131. Et dies feſtiui dicuntur, *Sancti, & venerabiles*. Exodo. 12. & veſtes ſacerdotales dicuntur Sanctæ Exodi 28.. Denique templum ipſum, & maximè ſacratior pars eius, & Sacra vaſa, & alia cultui diuino dicata, Sancta dicebantur. In his ergo omnibus aliqua Sanctitas cogitanda eſt, quia nihil nominatur Sanctum, niſi ab aliqua Sanctitate. Non eſt autem illa Sanctitas vera, ſeu formalis, & intrinſeca (vt aiunt) ſed habitudo quædam ad veram aliquam Sanctitatem, vt Theologi latiùs declarant.

Auguſt. — *1. ad Tim.* — *Auguſt.* — *Pſal. 98.* — *1. Parali.* — *Pſal. 131.* — *Exod. 12.*

8. Cùm ergo dicitur, oportere aliquam ſanctitatis opinionem de imaginibus concipere, ſi non de vera ſanctitate, quę propria eſt intellectualiū rerum, ſed de analoga, & quaſi metaphorica ſanctitate, per habitudinem, ſeu denominationem (vt aiunt) extrinſecam intelligatur, id non ſolùm ſine rubore, aut metu tanquam verum admittimus, ſed etiam à Patribus traditum, & ratione naturali euidens eſſe, ſuppoſitis maximè fidei principijs oſtendemus. Nā ſacræ imagines eo ipſo, quod ad repręſentandas perſonas verè Sanctas, formatæ, & ad honorem aliquem eiſdem ſanctis exhibendum, & ad decentem, & religioſum ornatum templorum, & ad ſpiritualem profectum animarum inſtitutæ, ac deputatæ ſunt, inter res Sacras merito cenſeri debent. Vnde ſicut loca, vaſa, & veſtimenta Sacra, & alia proxima diuini cultus inſtrumenta ſanctitatē quandam extrinſecā, vt dixi, participare cenſentur, & ita paſsim in Exodo, & Leuitico, & alijs locis Scripturæ Sanctæ vocantur: ita etiam imagines

Imagines dicuntur ſāctæ ab extrinſeco.

Cõc. Nic. Adrian. Papa. Sanctorum his rebus ſacris in hoc genere ſanctitatis æquiparantur. Quod ſæpè tradit Concilium Nicænum. 2. & ſpecialiter in act. 2. Adrianus Papa in epiſt. ad Imperatores, *Non eſt dubitandum* (inquit) *omnia, quæ in Eccleſijs Dei ad laudẽ, & decorem domus illius conſtituuntur, Sancta, & colenda eſſe.* Atque id ex ſimilitudine rationis facilè intelligi poteſt, & ex Sanctorum teſtimonijs, quæ ſtatim referemus, magis conſtabit. Declarari deniq; poteſt humana, & morali ratione, ac exẽplo imaginis Regiæ, quo in hac materia ſępè vtuntur ſancti: nam imago Regis non eſt quidẽ Rex, neq; in ſe veram Regis excellentiam habet, tamen quia Regem repræſentat, & quaſi vicem eius ſuſtinet, tanquam quid regale æſtimatur, & ideò peculiarem quandam reuerentiam ſibi conciliat; ergo altiori modo, & ratione imagines Sanctorum, quatenùs ipſos repræſentant, vmbram quandam ſanctitatis participant, ratione cuius ſanctæ, & ſacræ per quandam analogiam nominantur. In his ergo duobus pũctis nihil amplius immorari exiſtimo neceſſarium.

Methodius Orat. 2. de Reſurrect. Baſilius lib de Spiritu Sanct. c. 18.

9\. Venio ad verbum, *Adorandi*, quod ad ſubſtantiam cauſæ, vt ſic dicam, ſpectat. In quo iterum aduerto, mutaſſe Regem verbum venerandi, quo in principio cõfeſſionis ſuæ vti cæperat, in verbum adorandi, vt exaggeret, vel magis apparentem reddat reprehenſionis cauſam. Nos autem ad verbi inuidiam, & amphibologiã tollendã, ſicut in reliquijs fecimus, ita etiam hic interrogamus, quid per verbũ adorandi ſignificare voluerit. Nam ſi illo vtitur vt antonomaſticè ſignificat ſupremum, & abſolutum latrię cultũ ſoli Deo debitum, fatemur quidem ingenuè, inauditum eſſe antiquis, oportere imagines adorari. Imò nos addimus, nõ ſolùm eſſe inauditum, ſed etiam ſæpiſsimè negatũ, non ſolùm ab antiquis, ſed etiam ab illis Patribus, quos Rex ipſe recentiores appellat, etiã ſi ante mille annos præceſſerint. Gregorius enim li. 7. in dict. 2. epiſt. 53. ad Secundinũ, qui ab illo imagines petierat, eius laudans deſideriũ ait, *Scio, quòd imaginẽ Saluatoris noſtri non ideò petis, vt quaſi Deũ colas, ſed vt ob recordationẽ Filij Dei, in eius amore recaleſcas, & nos quidẽ nõ quaſi ante diuinitatẽ, ante illã proſternimur,*

Latriæ cultum imaginibus exhibere prohibitum eſt. Gregor.

A *ſed illũ adoramus per imaginem, aut natum, aut paſſum, ſed in throno ſedentẽ recordamur.* Et infrà epiſt. 109. ad Serenum, & latiùs lib. 9. epiſt. 9. ad eundem, illum reprehendit eo quod imagines confregerit, zelũ autem laudat, quoniam putauerat nõ eſſe adorandas, vtiq; tanquam Deos, ſeu tanquam idola, in quo aliqui errabant: ait autem Gregorius illos fuiſſe docendos, & inſtruendos, ob priuatũ autem errorẽ nõ fuiſſe imagines confringendas.

Et in hoc ſenſu ſępe vtũtur verbo adorandi antiqui Patres, vt ſupra annotaui, 10.
& in eodẽ dicitur in ſeptima Synodo act. Synod. 7.
B 7. in definione fidei, *ſecundum noſtram fidẽ non exhiberi imaginibus veram latriam.* Et inferiùs Tharaſius in epiſt. ad Conſtantinum, & Irenem, licèt vtatur verbo, *adorandi*, ſtatim explicat, non intelligere de diuina adoratione, & ideò oſtendit, verbum, *adorandi*, iuxta gręcam proprietatẽ, minores etiam adorationes comprehendere. Et in eodem Cõcilio action. 3. Cõſtantinus Conſtantiæ Epiſcopus, qui Iconomachus fuerat, abiurando hæreſim ita loquitur, *Complector venerandas imagines, adorationem autem, quæ fit ſecundum latriam, hoc eſt Dei culturam, tantummodo Trinitati conſeruo,* & Adrianus Papa in Epiſtola ad Conſtantinum, & Irenen, & in altera Epiſtola ad Tharaſium, accuratè diſtinguit modum venerandi imagines, & interdum verbum, *adorandi*, ſingulariter Deo tribuit, comparatione vtique imaginum, quas dicit, eſſe honorandas, licet interdum etiam dicat, eſſe adorandas. Denique Concilium etiam Tridentinum citato loco imaginibus dixit *Debitum honorem, & venerationem impertiendam: per illas verò* (ait) *Christum adoramus, & Sanctos veneramur.* Sumpto igitur adorandi verbo in hac reſtricta ſignificatione, immerito Rex Eccleſię Catholicæ attribuit, quod imagines adoret, vel adorandas eſſe doceat. Incredibile autem videtur, Regem Angliæ tanta ignorantiã rerum Romanarum laborare, vt ſibi perſuaſerit, Romanam Eccleſiam hoc modo adorare imagines, aut Concilia, & Patres, qui pro imaginum veneratione pugnarunt, in hoc ſenſu fuiſſe loquutos. Neque magis credibile eſt, per calumniam voluiſſe Regẽ hoc crimen Catholicis imponere. Eſt ergò

Tharaſius. C Adrianus Papa. Cõc. Trid. D

gò veriſimilius, credere Regem, quancunque venerationem imaginum, præſertim ſub ſpecie ſanctitatis, & religionis eſſe prauam, & inſeparabilem ab idololatria, & ideò verbum adorandi in latiori ſignificatione vſurpaſſe.

Si ergò Rex verbum adorandi in ge-
11. neráli ſignificatione, & de quacunque ſacra veneratione intellexit, profecto non minùs mirabile eſt, quomodo auſus fuerit dicere, inauditum eſſe antiquis, imagines adorari, ſeu adorandas eſſe, cùm oppoſitum tam ſit vulgare, & euidens, vt vix poſsit ignorari. Nam in primis in prædicta ſeptima Synodo, & à Damaſceno in libris de Imaginibus, & ab Adriano 1. Pontifi. lib. de Imaginib. contra libros Pſeudocarol. & à Iona Aurelianẽſi, & ab alijs recentioribus tam multa ex antiquis Patribus ad huius fidei, & conſuetudinis antiquitatem oſtendendã allata ſunt, vt nullus, qui ea legerit, dubitare poſsit, hanc eſſe traditionem à temporibus Apoſtolorum inchoatam, & per continuam ſeriem, ac ſucceſsionem perpetuam in Eccleſia retentã. Primò enim ipſummet Chriſtum imaginem ſui non manu factam ad Agabarũ miſiſſe in Edeſſam, antiquæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ referunt, Euagrius libr. 4. Hiſtor. cap. 26. Nicephor. lib. 2. cap. 7. & Damaſc. lib. 4. de Fide cap. 17. & recipitur in dicto Cõcilio Nyſſeno. 2. act. 5. & defenditur ab Adriano Papa epiſt. 3. ad Carolum Magnum cap. 18. qui etiam affirmat Stephanum Papam prædeceſſorem ſuum illam hiſtoriam approbaſſe.

Imaginum adoratio ab Apoſtolis inchoata.

Euagrius. Nicephor. Damaſce. Conc. Nyſſen. 2. Adrian. Papa.

Deinde in eodem Concilio Nicæno
12. 2. acti. 1. Gregorius quidam Epiſcopus Peſsinuntis refert canonem Apoſtolicũ de imaginibus in tẽplis collocandis editum in Concilio Antiocheno, tempore Apoſtolorũ coacto, cuius meminit Innocentius. 1. epiſto. 18. ad Alexandr. illiusq; canones ex inuentis à Pamphilo in Bibliotheca Origenis refert, Turrianus lib. 1. contra Magdeburgenſes cap. 25. vbi hunc canonẽ de imaginibus pleniùs refert, quàm in ſeptima Synodo referatur, & ſic habet, *Ne decipiantur ſaluati* (id eſt fideles) *ob idola, ſed pingant ex oppoſito diuinam humanamq́, manu factam, impermixtam effigiem Dei veri, ac Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, ipſiusq́ ſeruorum contra*

Innoc. 1. Turrian.

A *idola, & Iudæos, neque errent in idolis, neq́; ſimiles fiant iudæis.* Vbi obiter notari poteſt, tantum abeſſe, vt imagines ſint idola, vt potius ad confutationem idolorum introductæ ſint, & veluti ad medium inter iudaiſmum, & gentiliſmum tenendum, vt infrà explicabo. Nota item eſt hiſtoria de antiquiſsima imagine Saluatoris, Cæſareæ collocata à fœmina, quã Dominus à profluuio ſanguinis liberauit Matt. 9. quam refert Euſebius lib. 7. Hiſtor. cap. 14. qui addit, non eſſe mirũ, *Matt. 9. Euſebius.*
hoc effeciſſe fœminam illam in recog-
B nitionem accepti beneficij, *cum & nos* (ait) *Petri, & Pauli Apoſtolorum, & Chriſti etiam ipſius imagines in picturis colorum varietate expreſſas, conſeruatasq́, aſpeximus.* Eandem hiſtoriam de Statua Chriſto erecta à prædicta muliere in memoriam beneficij refert Nicephorus lib. 10. cap. 30. & addit à Iuliano apoſtata fuiſſe ablatam, & contumelioſè confractam, Chriſtianos verò, ſicut potuerunt, illam in Eccleſiam tranſtuliſſe, & cultu conuenienti proſequutos eſſe. *Nicephor.*

Conſtantinum præterea cum Eccleſias ędificare cœpit, eas ſimul varijs ima- 13.
ginibus, & ſtatuis argenteis Apoſtolorũ,
C & aliorum Sanctorum ornaſſe, memorię proditum eſt à Damaſo in Pontific. in Sylueſtro, & à Paulino epiſt. 12. & alijs. Ad hæc Auguſtinus. 22. contra Fauſt. cap. 73. commemorat, imaginem Abrahæ ſacrificantis filium multis locis fuiſſe depictam, & lib. 1. de Conſenſu Euangeliſtar. idem affirmat de imaginibus Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli. Ambroſius etiam epiſtol. 57. cum Geruaſio, & Protaſio apparuiſſe ſibi perſonã grauem, *quæ ſimilis* (inquit) *erat Beato Paulo, cuius me vultum pictura docuerat*, id eſt,
D imago Pauli, quam familiarem habuiſſe videtur. Quod etiam de Beato Chryſoſtomo refert Damaſcenus oration. 1. de Imaginibus, dicens, *Habebat autem effigiem Apoſtoli Pauli in imagine, in loco, vbi propter corporis imbecillitatem quieſcebat.* Gregorius etiam Nyſſenus oration. in Theodorum Martyrem, refert certamina Sanctorũ Martyrum; & eorum Præſidis Chriſti tanquam in libro quodam potuiſſe in Eccleſijs legi, coloribus artificioſis depicta. Et Sanctus Baſilius Homil. de Sancto Barlaan, quæ eſt 18. poſt-

Damaſus. Paulin. Auguſt. Ambroſ. Damaſc. Greg. Nyſſen. Baſilius.

quàm lingua ſua Martyris fortitudinem depinxit, ſic concludit, *Exurgite nunc, ò præclari athleticorum geſtorũ pictores. Mutilam Ducis imaginem veſtro illuſtrate artificio, & obſcuriùs à me depictum coronatum athletam veſtræ induſtriæ coloribus conſpicuum reddite. Abibo certaminum, ac victoriarum Martyris a vobis poſita imagine victus, gaudebo tali hodie per veſtram dexteritatem victoria ſuperatus*. Et infrà, *Pingatur in tabula vna, & certaminum agonotheta Chriſtus, cui ſit gloria in ſæculorum ſæcula.*

14. Nazianz. Legi etiam poteſt Nazianzenus orat. 23. circa pincipium, vbi commemorat, Angelos cum corporea forma, veſtitu candido ſolitos fuiſſe depingi, *ad ſignificandum* (inquit) *naturalem ipſorum puritatem*. Et idem vſus imaginum colligitur ex eodem epiſt. 49. ad Olympium, & infinita alia ex Patribus, & hiſtorijs afferre poſſemus. Quòd ſi fortaſsè Proteſtãtes predictas hiſtorias vt incertas reiecerint, nihilominùs ſcripta Patrum, & teſtimonia, quæ vſum imaginum ſupponunt, & probant, negare non poſſunt. Deindè licèt in vna vel alia hiſtoria poſſit eſſe aliquis error, ſeu defectus veritatis, tamen vbi tot concurrunt exempla, multis, & grauiſsimis teſtibus confirmata, valdè temerarium eſſet, omnia falſitatis arguere, propter ſolam pertinaciam propriæ opinionis ſine alia probatione. Denique licèt Proteſtantes hæc non admittant, ſaltem ſine vllo fundamento aſtruent, cultum imaginum fuiſſe ab antiquis inauditum.

15. Euaſio refellitur. Dicent fortaſsè, prædictis hiſtorijs, & teſtimonijs probari quidem vſum imaginum, non autem cultum, vel adorationem, de qua Rex præfatis in locis loquitur. Aduertãt autem obſecro, non quẽcunque vſum politicum, & priuatum, ſed eccleſiaſticum, & ſacrum ex dicta traditione demonſtrari. Et cum eo coniunctam eſſe venerationem imaginum, quæ ſæpè in eiſdem locis expreſſe oſtẽditur. Quod quidem Patres ſeptimę Synodi diligentiſsimè expẽderunt, & ideò Synod. 7. poſtquàm in actio. 7. exhibendam eſſe imaginibus ſalutationem, & honorariam adorationem definijſſent, protinus addiderunt, *Sic enim Sanctorum noſtrorum Patrum optima diſciplina, & Eccleſiæ Catholicæ habet traditio*, & in fine exclamauit ſancta Synodus, *Omnes ſic credimus, hæc eſt fides Apoſtolorum, hæc eſt fides Patrum. Nos antiquæ Eccleſiæ legiſlationi inſiſtimus, nos decreta Patrum cuſtodimus.*

Poteſt autem hæc veritas ita declarari, 16. Finis imaginum. nam imagines quidem non ſunt per ſe, ac principaliter factæ, vt adorentur, ſed potiùs, vt per eas colantur, & honorentur perſonæ, quas repræſentant, ſimulq; vt ad ſacrum templorum cultum, & ad ſpiritualem vtilitatem fideliũ inſeruiãt. Hinc autem neceſsitate quadam etiam naturali rationi conformi, ortum eſt, vt ipſæ etiam imagines venerandæ ſint, & debito honore tractandæ. Quod fieri poteſt duplici modo, & ratione. Primò, quia in eis & per ipſas adorantur prototypa, ad quæ intentio adorantis præcipuè fertur, vt Concilia Nicænum, & Tridentinum, declararunt. Vnde fit, vt qui ſic adorat Chriſtum, v.g. in imagine, id faciat ſimul venerando imaginem circa illam ſignum reuerentiæ exercendo, vt oſculando, ſalutando, &c. In quo eſt notandum diſcrimen inter orationem, & adorationem: nam oratio ſiue mente, ſiue voce fiat coram imagine, nullo modo ad imaginem pertinet, neque illam (vt ita rem explicem) contingit, quia ad intelligentem ſolum poteſt immediatè referri; adoratio verò, quæ per actionem corporis exhibetur, licèt dirigatur ad perſonam, proximè exerceri poteſt circa rem diſtinctam à perſona, quatenùs illi coniuncta eſt, vel re ipſa, vt eſt veſtis, vel thronus, in quo Rex ſedet, vel habitudine, vt eſt imago, reliquiæ, & ſimilia. Et ideò quando per hæc quaſi inſtrumẽta adorantur perſonæ, neceſſe eſt, vt etiã iſta inſtrumenta, ſeu imagines aliquo modo coadorentur.

Oratio nullo modo tẽdit in imaginem, adoratio verò proximè verſari circa illã poteſt.

Alio modo poſſunt, & debent imagines cum veneratione tractari, quoties 17. actio aliqua circa illas exercetur, etiamſi tunc propria, & formalis adoratio perſonæ non fiat, ſed ſolùm ſpectetur imago vt res quædam ſacra, quæ cum debita veneratione tractanda eſt, ſicut ad alias res ſacras *reuerenter accedimus*, vt ſeptima Synodus in ſua definitione dixit. Et ſic etiam dixit Gregor. lib. 7. indict. 2. epiſt. Gregor. 5. *Sublata, cum ea, qua debitum eſt, veneratione; imagine Genitricis Dei, & Cruce*. Et nihilo-

nihilominùs hęc etiam reuerentia reſpectiua eſt reſpectu imaginis,quia tota exhibetur propter rem repræſentatã. Atq; ita fit, vt tota hæc veneratio imaginum ſit diminuta,& ſecundum quid reſpectu venerationis prototyporum. Et conſequenter efficitur, vt veneratio imaginũ quoruncunque Sanctorum angelorum, & hominum, infra Chriſtum Dominũ, non ſolùm deficiat à vera latria, ſed etiã â propria dulia ſimpliciter dicta: quę eſt abſoluta veneratio propter propriã excellentiam. Vnde veneratio etiam, quæ exhibetur imagini Chriſti, licèt cum ipſius Dei adoratione ſit coniuncta, non tamen eſt abſoluta latrìa, prout circa imaginem verſatur, ſed reſpectiua, & ſecundum quid,quia tota tendit adDeũ, & in eius excellentia fundatur. Et hac ratione interdum dicunt Patres, ſolas intelligentes perſonas eſſe venerandas, vel adorandas vtique abſolutè, & propter ſe: aliquando verò aſſerunt etiam res inanimes poſſe adorari,cultu ſcilicet reſpectiuo, & propter aliud, vt videre licet in dicta epiſtola Adriani ad Conſtantinum,&Irenen,& ſępè in alijs locis eiuſdem Concilij. Et ſic etiam dixit Auguſtinus lib.3. de Trinit. cap.10. *Signa mirabilia operum Dei, præſertim diuina virtute facta, & permanentia, & ſtuporem habere tanquam mira,& honorem tanquam religioſa,quæ verò ab hominibus fiunt, honorẽ habere poſſe tanquam religioſa, licèt ſtuporem non efficiant.*

Solæ intelligentes creaturæ propter ſe colantur.

Auguſt.

18. Sic ergò intellecta hac imaginum veneratione, recta ratione cõcluditur, tam eſſe antiquam in Eccleſia,quam eſt antiquus ſacer imaginumvſus,vt rectè dixit Nicephor.Conſtantinopolitanus in dialogo orthodoxo de imaginibus, apud Turrianum ſuprà, vbi inter alia inquit, *Cùm quærit hæreticus, vbi ſcriptum ſit de adoranda Chriſti imagine,reſpondendum eſt ibi ſcriptum eſſe, vbi ſcriptum eſt, adorãdum eſſe Chriſtum,quia imago vnum eſt cum prototypo,non natura,ſed habitudine,& ideò cõmunionem etiam habet, & nominis, & honoris,*modo vtique prædicto. Quam doctrinam Athanaſij authoritate, & aliorũ Patrum confirmat. Poteſt prætereà idẽ colligi ex ipſo antiquo vſu ſacrarũ imaginum: nam in templis, & altaribus collocatę ſemper fuerunt,vt ex teſtimonijs

Venerationem imaginum eſſe æque antiquã atq; earum vſum, concluditur.

Nicephor. Conſtant.

A citatis conſtat,& epiſtola.3. Adriani Papæ ad Carolum Magnum:hoc autẽ pertinet ad religioſum cultum, & venerationem: præſertim, quia etiam in ſacris calicibus ponebantur,vt conſtat ex Tertulliano in lib. de Pudicitia cap.7. & 10. Item in ſacris litanijs, & proceſsionibus conſuetum fuit,imagines crucis,& Sanctorum deferri, & Beda lib.1. Hiſtoriæ Anglorum cap.25.refert,Auguſtinum, & ſocios ad prædicandum Euangelium ingreſſos fuiſſe *Crucem pro vexillo ferentes argenteam,& imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam.* B Idem etiam oſtẽdit vſus accendendi lumina coram imaginibus, vt ex Fortunato lib. 4. de Vita Sancti Martini in fine cõlligitur.

Adrian. papa.

Tertull.

Beda.

Notauit Baronius anno Chriſti 402. n.53.

Fortunat.

19. Accedit, ſæpè probaſſe Deum hanc venerationem imaginum, miraculis, ſeu ſignis mirabilibus, quale fuit,in illa Chriſti imagine Cæſareæ collocata per modum ſtatuæ, quòd ad eius pedem quædã herba exorta,cùm fimbriam eius creſcẽdo attingeret, vires ad pellendum morbos,accipiebat,vt Hiſtorici,& Patres ſuprà allegati referunt, & Gregorius Turonenſis lib.1.de Gloria Martyrum cap. C 21. & ſimilia diuina beneficia facta per imaginem Chriſti ad Abagarum miſſam referunt hiſtoriæ ſuprà citatæ. Huc etiã ſpectat quod ſæpe ſola vnctione olei lãpadum ardentium coram imaginibus,infirmi ſanati ſunt, vt cõſtat ex Fortunato ſuprà,& alijs. Item ſatis admiratione dignũ eſt,quod Damaſcenus lib.3. de Imaginibus,circa finem, refert de Theophilo Alexãdrino, qui propter inimicitias, quas cum Chryſoſtomo in vita geſſerat, mori non eſt permiſſus, *donec allata fuit imago Chryſoſtomi,quam ille cùm adoraſſet, ſpiritum emiſit.*

Sacrarum imaginum veneratio ex miraculis cõprobatur.

Greg. Tur.

Damaſc.

D Pręterea imaginum ſacrarum iniurię, vel cõtumelię ſemper ſunt reputata grauiſsima ſacrilegia contra Sanctorum, & rerum ſacrarum debitum cultum, ergo ſignum manifeſtum à contrario eſt, cultum eis debitum, ſemper fuiſſe ſacrum exiſtimatum. Cõſequutio profectò euidens eſt. Aſſumptum verò colligimus in primis ex verbis Simeonis Stylitæ in epiſt. ad Imperatorem Iuſtinum relata in dicta ſeptima Synodo act. 1. *Omnem* (inquit) *blaſphemiam excedit improbũ hoc factum,quòd in Deum Verbum pro nobis incarna-* 20.

Imagines contumelia efficere grauiſsimũ ſacrilegium.

carna-

carnatum, eiusq́; glorioſam Matrem, & venerandam, ſanctamq́; Crucem deſignarunt. Nam cùm videamus pias leges veſtras, eos, qui imaginem, aut ſtatuam Imperatoris ignominia afficiunt, extremo, & iuſto mortis ſupplicio plectere, qua tandem pœna puniendi ſunt, qui in imaginẽ Domini noſtri, eiusq́; Matrem nefando facinore graſſati ſunt. Vbi clare ſentit, excedere hoc delictum iniuriam ciuilem, etiam in perſonam Imperatoris redundantem. Vnde interdũ acerbitas huius criminis cœleſti ſigno mõſtrata eſt, quale fuit copia ſanguinis, quæ ex imagine Crucifixi à iudæo telo confixa manauit, vt refert Sigebertus in Chronic. anno 560. & Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Martyrũ cap. 22. Et quoddam ſimile ex Athanaſio refertur in ſeptima Synodo act. 4.

Sigebert. *Greg. Tur.*

21. Denique ijdem Patres eiſdem locis loquẽtes de imaginibus, eas ſæpè ſacras, ſanctas, & venerabiles vocant, & interdum verbo adorandi, interdum autem verbo venerandi, aut ſalutandi eas, vtũtur, vt patet ex proximè allegatis, & ex Anaſtaſio Sinaita in Orat. de Sacra ſinàxi, dicente, *Non eſſe ſatis ingredi in Eccleſiam, ac diuinas imaginum Sanctorum formas, pretioſasq́; ac venerabiles cruces venerari, niſi etiam peccatorum ſordes confeſsione, & lachrymis abluantur.* Quam Orationem in Latinum conuerſam Pontifici Gregorio XIII. Achilles Statius Luſitanus obtulit, vt refert Baronius anno Chriſti. 599. n. 9. & 10. Qui etiam anno 656. ex actis, & vita Sancti Maximi refert pulchram hiſtoriam, & colloquium inter Maximum, & quoſdam Legatos Imperatoris ad eũ miſſos, quod his verbis concluditur, *Poſteà ſurrexerunt omnes tum lætitiæ lachrymis, & humili reuerentia inclinarunt ſibi inuicem, & oratio facta eſt. Et vnuſquisq́; eorum ſancta Euangelia, & pretioſam crucem, & imaginem Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, & Genitricis eius Dominæ noſtræ Deiparæ ſalutarunt.* Quæ ferè verba cõmemorat Euthymius Sardenſis Epiſcopus in dicta Synodo act. 4. Et in eis etiam expendi poteſt iuramẽtum, quod actio ſacra, & religioſa eſt, ſuper Euangelia, & imagines tanquam ſuper res ſacras, & religioſa veneratione dignas factum eſſe.

Anaſtaſ. Sinaita. *Baron.* *Euthy. Sardenſ.*

22. Eſt ergò ex traditione Patrum manifeſtum, antiquam Eccleſiam cum vſu imaginum earum ſacram venerationem ſemper obſeruaſſe. Et profectò ratio naturalis idem demonſtrat, quia talis eſt honor, qualis eſt excellentia, in qua fundatur; ratio autem venerandi imagines Chriſti, vel Sanctorum eſt eadem excellentia, vel ſanctitas prototyporum; ergo earum veneratio ad eundem ordinem, ſeu ad eandem virtutem ſpectat, ad quã honor talium perſonarum pertinet, quia ad eas omninò refertur. Sicut honor imaginis Regiæ, Regius quodammodo eſt, & illius iniuria ad crimen læſæ maieſtatis pertinere cenſetur. quo exemplo, & argumento, vt dixi, Patres, & Concilia vtuntur.

Ratio naturalis imaginum venerationem commendat.

CAPVT XII.

Obiectionibus Regis contra imaginum venerationem ſatisfit.

AT Rex Iacobus mirari non deſinit, *quod hominum ingenium, quæ Satanæ fraus, hoc tam audax commentum Eccleſiæ Chriſtianæ obtrudere attentarit.* Vehementerq́; ambigit, *an in vltimo iudicio excuſationes iſtius modi, ex illis argutiarum ineptijs petitæ, Chriſto idololatriã exprobranti, probandæ ſint.* Hæc ferè ſunt verba Regis, quibus prudenter, & pro cauſæ dignitate obuiare, mihi difficilius eſt, quàm fortiſsimis, & clariſsimis rationibus, aut teſtimonijs reſpondere. Nam ſi leuiter id egero, timeo, ne fidei Catholicæ cauſam, remiſsius, quàm par ſit, agere videar: ſi verò tantæ verborum acerbitati eadem loquendi libertate me opponam, vereor, ne inde Rex alicuius offenſionis occaſionem ſumat: ideoque ſatius duco, huiuſmodi verba, quę rationem ad cauſam pertinentem non continent, præterire, & obiectionibus, quas Rex innuit, ſatisfacere. Prius tamen ſereniſsimum Regem monere non omittam, vt conſideret, quàm ſit ſecurius catholicæ Eccleſiæ, Concilijs, ac Patribus antiquis ſimpliciter credere, quàm de eorum ſententia, & authoritate proprio arbitrio iudiciũ ferre. Quamobrem iterum, atque iterum humiliter obſecro, vt conſilium, quod alijs præbet, ſibi accipiat, mediteturq́; attentiſsimè, quam rationem

1. *In Præfat. pag. 49.* *pagin. 50.*

tionem, vel (vt ipſe loquitur) defenſionem, aut excuſationem in vltimo iudicio Chriſtus Seruator noſter accepturus eſt, an illius, qui in Deo, Sanctis, & eorũ imaginibus colendis, veſtigia Patrum ſequitur, eorumq; doctrinis operationes ſuas accommodat: an verò illius, qui nouos doctores antiquis præfert, & proprio iudicio traditiones Patrum damnare non veretur. A

2. Obiectio prima. At inquit Rex, obediẽdum eſſe Deo potiùs, quàm hominibus, Deus autem in Scripturis omnem imaginum adorationem, omniſq; rei à Deo conditæ ſimilitudinem coli vetat. B Secunda. Deinde omnis imago eſt idolum, idolum enim non eſt nihil, *non enim nihil fuit, cui Deus cultum deferri interdixit*; ergo omnis imago Dei, aut cuiuſcunque rei creatæ eſt idolum; ergo omnis adoratio imaginis, eſt adoratio idoli, ac ſubinde idololatria. Tertia. Tandem neque ſerpens æneus, neque corpus Moyſis nihil erant, ille tamen contritus eſt, & hoc abſconditum.

3. Primæ obiectioni ſatisfit. Reſpondetur, fieri non poſſe, vt quod Eccleſiæ Catholicæ definitio, ac traditio approbat, ſeu præcipit, diuino præcepto contrarium ſit, cùm Eccleſia ab Spiritu Sancto regatur, & Spiritus Sanctus non poſsit ſibi ipſi contraire. Negamus ergo imaginum vſum, & venerationem eſſe contrariam diuino præcepto. Imaginũ veneratio nullo præcepto diuino poſitiuo prohibetur. Nam vel illud præceptum ex nouo teſtamento allegatur, aut ex veteri; in nouo oſtendi non poteſt, niſi fortaſſe exiſtimetur incluſũ in prohibitione idololatriæ, quod friuolum, & vanum eſſe, ſtatim oſtendemus. Si autem ex veteri teſtamento allegetur, interrogabo rurſus, vtrum afferatur tanquam poſitiuum illius legis mãdatum, vel tanquam naturale. In priori enim ſenſu nolumus examinare, an in lege veteri fuerit tale præceptum poſitiuum, nec ne, quia hoc ad dogmata fidei non pertinet. Nam illo dato, inde inferre, venerationem imaginum, quam Eccleſia approbat, eſſe contra diuinum pręceptum, iudaicũ continet errorem, quia ſi tale præceptum poſitiuum fuit, cæremoniale fuit, aut ergo creditur, nunc obligare, & hic eſt iudaicus error: nam ſecundũ fidem cęremonialia mortua sũt, imò & mortifera; vel creditur, eſſe abrogatum, & ſic non poteſt ratione illius veneratio imaginum reputari contraria diuino præcepto, quia pręceptum abrogatum iam non eſt præceptum, neque opus illi contrarium, voluntati legiſlatoris repugnare dici poteſt.

4. Nullum datur pręceptum naturale imaginũ venerationem prohibens. Si verò præceptũ illud reputetur naturale, & morale, negamus, inueniri tale pręceptum in teſtamento veteri. Maximè enim ſumi poteſt ex verbis Exodi 20. & Deuteron. 5. *Non facies tibi ſculptile, neq; ſimilitudinem omnem, quæ eſt in cœlo deſuper, & in terra deorſum, neq; eorũ, qui ſunt in aquis ſub terra.* Ex locis Exodi 20. & Deutero. 5. nihil cõcludi, oſtenditur. In his autẽ verbis, vel non omnes rerum imagines, ſed ſolum ordinatæ ad indebitum cultũ (vt multi probabiliter credunt, etiam ex antiquis Patribus) prohibebantur: & ſic quidem præceptum erat naturale: negamus tamen ſub illo comprehendi Sanctorum imagines: illæ enim non ad indebitum, ſed ad honeſtiſsimum cultum, inſtitutæ ſunt, vt oſtendimus. Vel illo precepto omnes imagines ſimpliciter, & abſolutè, & propter quencũque vſum inſtitutæ (vt alij volunt) prohibitæ ſunt, & ſic pręceptum non fuit naturale, & ita nihil ex illo inferri poteſt ad præſentis temporis obligationem, vt iam declaratum eſt. C Et Proteſtantes qui illud in hoc ſenſu allegant, & nihilominus eſſe præceptum morale affirmant, probare id certè non poſſunt ex Scriptura: nam in illa hoc non dicitur, apud illos autem nulla alia probatio firma eſt, nec nos illam admittere tenemur. Veruntamen etiã non eſt ſufficiens coniectura, quòd verba illa in promulgatione decalogi inſerãtur: nam ibi etiam multis verbis proponitur præceptũ tertium de obſeruatione ſabbati, quod nihilominus quoad talem tẽporis determinationem non morale fuit, ſed cæremoniale. D Deinde nullus eſt Sanctorum Patrum, qui illa verba in dicto abſoluto ſenſu intellecta dixerit continere præceptum morale naturale, & nõ potiùs poſitiuum illi tempori accõmodatum. Denique nulla veriſimili ratione oſtendi poteſt, illam prohibitionem eſſe ex intrinſeco dictamine legis naturalis.

5. Et certè ipſe etiam Rex hoc idem cõcedere cogitur, ait enim aliquem vſum imaginum non eſſe prohibitũ nunc, & cõſequenter nec naturali iure, ideq; neceſſariò fatetur de imaginũ effectione:

cùm

cùm tamen verbum abſolutum Dei fuerit. *Non facies tibi ſculptile*; ergo vel per illa verba non fuit tantùm prohibitum illud, quod erat per ſe malum, & ita continebant præceptum poſitiuum, quod ceſſauit, vel ſi dicatur, per illa non eſſe prohibitũ abſolutè facere imagines, ſed facere ad venerationem, pari ratione reſtringi verba debebunt ad venerationem indebitam, ſeu ſuperſtitioſam. Nõ enim omnis veneratio imaginum de ſe mala eſt, aut honori diuino contraria, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt, & in ſequenti pũcto amplius declarabitur. Et ideò qui verba illa intelligunt de abſoluta prohibitione imaginum, conſequenter dicũt, effectionem, & vſum imaginum, & ſtatuarum ita fuiſſe prohibitam, vt illas per ſe depingere, aut fabricare non liceret; hoc autem manifeſtum eſt, non eſſe iuris naturalis, quanuis potuerit eſſe poſitiui, quod modo non curamus, quia nihil ad præſentem cauſam refert.

6. Satisfit ſecũdæ obiectioni.

In altera parte confundit Rex idolũ cum imagine, & in hoc fundat obiectionem, quæ proinde parui eſt momenti: nam ſacræ imagines Chriſti, & Sanctorum, idola non ſunt, & oppoſitum in ſeptima Synodo Action. 7. damnatum eſt. Quanuis enim ſimulachra gentium, quæ idola erant, re vera imagines fuerint, nõ proptereà quælibet imago idolum eſt, ſed illa tantùm, *quæ eſt Dei falſi ſimulachrum*, vt dixit Auguſtinus lib. Quęſtionum in librum Iudic. 441. Et idem ferè ſenſit Tertullianus lib. de Idololatria c. 4. dicens, *Idola eſſe imagines earum rerum, quas colit humanus error*. Quanquam hæc verba generaliora ſunt, & comprehendunt omnem imaginem inuentam, vel propoſitam ad colendum id, quod non eſt cultu, aut veneratione dignum. Eſt ergo differentia inter idolum, & imaginem, quod idolum eſt falſa imago, id eſt, rei, quæ non eſt, vel quæ non eſt adoratione digna, vt communiter Patres de idolis ſcribentes interpretantur; imago autem dicitur, etiamſi veram repræſentationem habeat. Reſtringendo autẽ generalem rationem imaginis ad ſacras, & Eccleſiaſticas imagines, de ratione illius eſt, vt ſit de re vera, & verè ſancta, ac proinde verè digna adoratione. Et ſic dixit Adrianus Papa in epiſt. ad Conſtantinũ, & Irenẽ in ſeptima Synodo Act. 2. *Imagines tantùm ob recordationem Sanctorum pingi, venerari, & coli, quos clarè conſtat, ſeruos eſſe Dei, & pro nobis apud Deitatem obſecrari, & intercedere.* Vnde etiam conſtat, quantum diſtet veneratio imaginũ ſacrarum ab idololatria: nam omnis cultus idololatriæ, vel ſiſtit in idolo tanquã in vero Deo, vel per ſimulachrum tendit ad colendum pro Deo eum, qui non eſt, vel ad colendum vt numen, impium aliquem, ſeu dœmonem, veneratio autem imaginum tendit, vel proximè in honorem Dei, vel ſaltem alicuius perſonę verè ſanctæ, qui tandem in Dei etiam honorem redundat.

Auguſt. — *Tertull.* — Diſcrimen inter idolũ. & imaginé. — *Adrian. Papa.* — Veneratio imaginũ ab idololatria longiſſimè diſtat.

7. Neque contra hoc obſtat, ſiue idolum dicatur eſſe aliquid, vt Rex contendit, ſiue eſſe nihil, vt ipſe Catholicis objicit. Nemo enim vnquam negauit idola gentium quoad ipſa corporea ſimulachra eſſe res aliquas etiam materiales, & ſenſibus patentes, quod commune etiam eſt imaginibus ſacris; in hoc ergo ſenſu idolum aliquid eſt. Et nihilominus propter falſam repræſentationem dici poteſt nihil (ſicut vocatur à Paulo. 1. ad Corint. 8. & 10.) quia res, quam repræſentat, vel nulla vera res eſt, vel nullam veram excellentiam habet, ob quam ſit colenda, vt Origenes Homil. 8. in Exodum, & aliqui interpretes Pauli illud eius verbũ intellexerunt. Quanuis etiam poſſit idolum dici nihil, quia nullius eſt virtutis, aut potentiæ, vt ibi interpretatur Chryſoſtomus homil. 20. quem Theophylact. & alij ſequuntur. Et ſic etiam aſſeruit Auguſtinus 20. contra Fauſtum cap. 5. ea, quæ colunt gentes, aliquid eſſe, quia ſunt idola, in quibus dœmonia adorantur, vel aliquæ partes mundi, quæ ſunt vera corpora, non tamen colenda, *ſed ad ſalutem* (ait) *nihil ſunt*. Sicut aliàs etiam dixit idem Auguſtinus, peccatum nihil eſſe, non quia actus peccati nihil ſit, ſed quia malitia eius, qua in ratione peccati conſtituitur, nõ eſt aliquid, ſed priuatio boni. Et ſimili modo Hieron. in Oſeæ. 7. in fine dicit, *Hæreticos impijſſimas hæreſes extruentes conuerti in nihilum*, iuxta tranſlationem ſeptuaginta ibidem, *Non quo deſierint eſſe, ſed quo comparatione Dei omnes, qui contra Dominum ſapiunt, non eſſe dicuntur: nam ſi Deus eſt veritas, quid-*

Qua ratione idolũ dicatur nihil. — *Origen.* — *Chryſoſt.* — *Auguſt.* — *Hieron.*

quid

quid contrarium veritati eſt, mendacium eſt, & nihil nominatur. Et ita etiam intelligit ibidem illud Eſther. 14. *Ne tradas ſceptrũ tuum ijs, qui non ſunt, Haud dubium* (ait) *quin idola ſignificet*; nimirum, quia falſa ſunt, & mendacium, vt tale eſt, nihil eſt. Eſt ergo idolum res aliqua vt imago, & materia quædam eſt, & eſt nihil, quatenus nihil eſt, quod repræſentat, ſiue ſit omnino nihil, ſeu nulla vera res, ſiue ſit nihil quatenus aliquid diuinum, aut ſanctum repræſentatur, quod verè ſanctum non eſt. Et hinc habet idololatria, quòd mala ſit, & quod idololatria ſit, & ideò multum ab illa differt ſacrarum imaginum veneratio.

8. Verùm huiuſmodi reſponſiones à Rege deſpiciuntur tanquam ſophiſtica, & arguta effugia: *nam Scriptura* (inquit) *omnis rei à Deo conditæ ſimilitudinem coli vetat*. Sed nihil nos mouent verba Regis, tum quia diſtinctiones illæ non ſunt à nobis inuentæ, ſed à Patribus, tum etiam quia ſunt rationi naturali valde conſentaneæ. Ad Scripturam verò in primis reſpondemus, iuxta Patrum, & Eccleſię traditionem, rectamq; rationem eſſe intelligendam. Deinde negamus, Scripturam prohibere omnis ſimilitudinis rei conditę venerationem, nullibi enim poteſt hoc pręceptum oſtendi, niſi fortè in prohibitione faciendi ſculptile, omneq; ſimilitudinem, intelligatur incluſa. Et tũc ad reſpõſionem datam reuoluimur. Nam vel fuit poſitiua, & nunc non obligat, vel ſi naturalem, & moralem obligationem continet, intelligitur de effectione idolorum, ſeu (quod perinde eſt) de effectione imaginum, quę tanquam Dij, vel tanquam Deorum ſimulachra colantur. Eſtq; hoc ipſi Scripturæ conſentaneum, quæ aliquam creaturæ adorationem permittit, vel interdũ iubet. Quod argumentũ authoritate Hieronymi cõfirmat Adrianus Papa in dicta epiſt. ad Conſtantin. aſſerentis in exemplum *duo Cherubim aurea, & cruſtas* (inquit) *illas, quas fabricauit Moyſes*. Dicitque Deum conceſsiſſe Iudæis hæc adorare. Quanuis enim hoc expreſſe in Scriptura non legatur, tamen id videtur collegiſſe ex eo, quòd erant imagines ſacræ, vel certè quia erant veluti partes Propitiatorij, quod etiam veneratione dignum erat,

Adoratio alicuius creaturę eſt Scripturæ conſentanea.

Adria. Papa.

A & ita in epiſtola 17. inter Epiſtolas Hieronymi, quæ eſt Pauli, & Euſtochij ad Marcellam, & ſtylus docet à Hieronymo eſſe conſcriptam, ſic dicitur, *Venerabantur quondam Iudæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant cherubim, & propitiatorium, & arca teſtamenti, manà, virga Aaron, & altare aureum*, & additur, *Nonne tibi venerabilius videtur ſepulchrum Domini?* quæ poſteriora verba declarant, priora etiam intelligi de veneratione ſacra. De qua clariùs dicitur Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam* B *ſanctum eſt*, vbi (vt ſuprà dixi) per *ſcabellum pedum Domini* arca teſtamenti intelligitur, & ex ratione adorandi, quæ proponitur, conſtat ſermonem eſſe de ſacra veneratione. Et hanc fuiſſe Dei voluntatẽ, patet ex modo, quo volebat, arcam illam reuerenter tractari, Deuteron. 10. & Ioſue. 3. & 1. Reg. 6. Et ratio ſanctitatis in eiſdem verbis data, oſtẽdit, res etiã alias dicatas diuino cultui, quæ ſanctæ in Scriptura vocantur, fuiſſe ſimili veneratione tractandas, vt apertè ſentit Damaſcenus libr. 4. de Fide capite 17. Non ergo omnis veneratio rei creatæ erat C in Scriptura prohibita, ſed illa tantùm, quę ad cultum veri Dei referri non poterat.

Deut. 10. Ioſue. 3. 1. Reg. 6.

Damaſc.

9. Denique ad exempla illa, quæ Rex adducit de ſerpente æneo, & de corpore Moyſi, reſpondemus, ex rebus partim incertis, partim ad cauſam non pertinentibus ſumpta eſſe. Nam licèt verum ſit, Regem Ezechiam confregiſſe ſerpentem æneum, quia filij Iſrael adolebant ei incenſum, vt habetur quarto Regum decimo octauo. Non eſt tamen certum, fuiſſe prohibitum in illa lege quocunque modo adorare illum ſerpen- D tem. Imò multi putant, licuiſſe, & in principio id factum fuiſſe debito modo: vtique venerando in illo, & per illum Deum authorem tanti beneficij. Quod potuiſſe rectè fieri, teſtatur Diuus Auguſtinus libro tertio de Trinitate, capite decimo, & non conſtat, ſpecialiter fuiſſe à Deo prohibitum. *Poſteà* verò ait Auguſtinus lib. 10. de Ciuitat. cap. 8. *Cùm populus errans, ſerpentem propter facti memoriam reſeruatum, tanquã idolum colere cœpiſſet, Ezechias Rex religioſa poteſtate Deo ſeruiens cum magna pietatis laude con-*

Occurritur obiectioni tertiæ.

4. Reg. 18

Auguſt.

triuit. Sic autem facto illo explicato, nihil ad cauſam de imaginibus Eccleſiæ pertinet, quia imagines non adorantur à fidelibus vt idola, neque huius mali periculum morale imminet. Et quandò aliquis error alicubi contingeret, non fractione imaginum, ſed doctrina, & luce Euangelij depellēdus eſſet error, & pius imaginum vſus conſeruandus, vt dixit Gregorius in dicta epiſt. 9. libri 9. Alij verò exiſtimant, nunquam Iudæos veneratos eſſe ſerpentem illum, imò id fuiſſe prohibitum in lege veteri, non naturali præcepto, ſed poſitiuo, nec ſpeciali lege, ſed illa generali, qua, probabiliter credunt, tunc fuiſſe prohibitam omniū imaginum venerationem, populum autem cœpiſſe agere contra illud præceptum, & ideò Ezechiam ad occaſionem tollendam ſerpentem confregiſſe. Qua etiam admiſſa ſententia, nihil habet commune illud exemplum cum cauſa imaginum, tum quia præceptum illud, ſi fuit, in lege gratiæ ceſſauit, tum etiam quia occaſio errandi, quæ tempore legis erat, ex propenſione ad idololatriam partim ex gentilium conſuetudine, & exemplo, partim ex ignorantia, & infirmitate fidei profecta, tempore legis gratiæ non inuenitur, vt rectè notauit Damaſcenus dicto lib. 4. cap. 17. & latius orat. 1. de Imaginibus. *Gregor.*

10. *Satisfit ſecundo exēplo.* In alio verò exēplo de corpore Moyſi ſolùm ex Scriptura habemus, mortuum fuiſſe iuſſu Dei, & ab eodem ſepultum, eiusq; ſepulchrum occultum fuiſſe hominibus Deuteron. vlt. Quam verò ob cauſam Deus voluerit occultare corpus Moyſi, Scriptura non declarat: Proteſtantes verò exiſtimare videntur, cauſam fuiſſe, ne Iudæi occaſionem ſumerent, committendi idololatriam, corpus Moyſi, vel eius ſepulchrum venerando. Et in hoc videtur fundari Regis argumentum, vt ſaltem propter tollendam occaſionē imagines etiam tollendæ ſint. Cui in primis reſpondere poſſumus, negando illationem, & ſimilitudinem, quia iam oſtenſum eſt, non eſſe in hac imperfectione Eccleſiam ſynagogę æquiparādam. Aliàs etiam ſepulchra Apoſtolorū, & Martyrum deberent eſſe fidelibus ignota; imò reliquiæ Sanctorum omnium comburendæ eſſent, ne fideles ad idolo- A latriam per occaſionem induceret, quod non ſolum impium, ſed etiam ridiculum eſt.

Deinde reſponderi poteſt, argumentum illud non in Scriptura, ſed magis in propria coniectura eſſe fundatum, & ideò parui momenti eſſe. Nam eſt quidem illa ratio probabilis, vt illam expendit Abulenſis, ad illam accommodans altercationem inter Archangelum, & diabolum ſuper Moyſi corpore, cuius meminit Iudas Apoſtolus in ſua canonica. Et eandem rationem inſinuat B Chryſoſtomus Homilia quinta in Matthæum, quanuis non dicat, occultaſſe Deum ſepulchrū Moyſi propter illam cauſam, ſed ait, *Non introduxiſſe Moyſem populum in terram promiſsionis, ne Iudæi illi prorſus tribuerent omnia beneficia, quæ per illum à Deo receperant*, & adiungit, *Vt igitur omnis huiuſmodi amputaretur occaſio, ipſum quoque eſt occultum eius ſepulchrum*. Eandemque rationem indicauit Auguſtinus, vel Author operis de Mirabilibus Sacræ Scripturæ libr. 1. capite vltimo. Sed nihilominus non eſt ratio neceſſaria. Nam idem Author de Mira- C bilibus Sacræ Scripturæ addit aliam, videlicet, *vt illam faciem, quæ conſortio ſermonis Domini rutilauerat, mortis mœrore repreſſam nullus videret*. Dici etiam poteſt, id factum eſſe quaſi ad complementum, & exaggerationem pœnæ iniunctæ Moyſi propter culpam diffidentiæ circa fluxum aquæ de petra; illa enim de cauſa terra promiſsionis priuatus eſt, Numer. 20. vt rectè ponderat Chryſoſtomus libro quarto de Sacerdotio prope initium, & Auguſtinus in libr. quinquaginta homiliarum, homilia vigeſima ſeptima, & Enarrat. in Pſalm. 98. verD ſus finem. Videtur autem voluiſſe Deus ad maiorem populi terrorem, vt nec viuus, nec mortuus illam terram ingrederetur, ideòque occultauit ſepulchrum eius, ne Iudæi oſſa illius ſecum deferrent, ſicut oſſa Iacob, & Ioſephi tranſtulerunt. Prætereà dici poteſt, occultaſſe Deum corpus Moyſi, vt in maiori admiratione, & interna reuerentia haberetur. Hoc enim inſinuauit Hieronymus Amos. capite 9. dicens, *Aſcendit Dominus cum Moyſe, cuius ſepulturæ locus, quia in cœlum aſcenderat, in terra non potuit*

Margin (right): II. — *Chryſoſt.* — *Auguſt.* — *Chryſoſt. Auguſt.* — *Hieron.*

potuit inueniri. Denique dici poteſt, & fortaſſe ſecuriùs, hoc eſſe vnum ex his, quæ ſecundum conſilium voluntatis ſuę operatur Deus, quorum cauſas inuenire non poſſumus, & quærere ſuperuacaneum eſt, id, quod inſinuauit Chryſoſt. Orat. 20. ad Hebr. dicens, *Quædam antiquorum Patrum oſſa translata eſſe in terram promiſſam, Moyſis autem oſſa ſita fuiſſe in terra aliena, & non ſolùm illius, ſed etiam Aaronis, Ieremiæ, & Danielis. Et ſimiliter*, ait, *quorundam Apoſtolorum, vt Petri, & Pauli, & cæt. ſepulchra nouimus, aliorum autem neſcimus, cuius rei rationem quærere ſuperfluum eſſet.* Illa ergò coniectura in tam graui cauſa ſuperuacanea etiam eſt. Chryſoſt.

CAPVT XIII.

De imaginibus Dei, vt Deus eſt.

1. PRÆTER obiectiones generales de veneratione imaginũ duas alias in particulari proponit Rex, vnam contra imaginem Dei, vtique vt Deus eſt; aliam contra crucis Chriſti adorationem, de hac poſteriori dicemus capite ſequenti, hìc prior expendenda eſt. In qua dicit, *Non ſolùm eſt prohibitum* (ſcilicet, in veteri teſtamento) *adorare imaginem Dei, ſed etiam effingere, additaq́; ratio, Deum ſub nullius vnquam aſpectum cecidiſſe.* Veruntamen in hoc puncto vulgaris diſtinctio imaginum Dei præmittenda eſt, vna eſt propria, vt ſi quis velit per depictam formam ad viuum exprimere propriam Dei formam, ſeu naturam, quæ dici poteſt formalis imago; alia verò eſt metaphorica imago, in qua per aliquam figuram corpoream repræſententur aliquo modo, & per analogiam proprietates rei ſuperioris, ſicut per figuram iuuenis, pennas, & indumentum album habentis, repræſentatur Angelus.

Obiectio Regis contra imagines Dei adorationem.

Imago Dei duplex.

2. Quod ergò ſpectat ad primum genus imaginum de fide certum eſt, non eſſe licitum, imò eſſe ſtultiſsimum, conari, talem imaginem Dei depingere. Quia cum Deus corpore careat, impoſsibile eſt, per imaginem corpoream, ſiue ſculptam, ſiue depictam ad viuum Deum repræſentare. Et hoc eſt quod dicitur

Propria, & formalis Dei imago ſcribi nequit.

A Iſaiæ.40. *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* & cap. 46. *Cui aſsimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?* Quæ verba, ſi attentè conſiderentur, non tam continent prohibitionis formam, quàm declarant, eſſe per ſe malum, & impoſsibile, talem Dei ſimilitudinem, aut imaginem formare. Et ideò non ſolùm in veteri teſtamento, ſed etiam in nouo eodem ferè modo idem prohibitum eſt, dicente Paulo Actor.17. *Non debemus æſtimare auro, & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis, & co-* B *gitationis hominis, Diuinum eſſe ſimile.* De hoc ergo genere imaginis Dei nulla eſt controuerſia, nam in hoc ſenſu & Patres communiter, quos referre non eſt neceſſe, & ſeptima Synodus Act. 3. & 5. & Scholaſtici omnes has imagines Dei omninò improbandas, tanquam veræ Dei exiſtimationi contrarias, conſtantiſsimè docent.

Iſai.40.& 46.

Act.17.

Septima Synod.

De altero verò genere imaginũ Dei nihil hactenus eſt certa fide ſtabilitum, & conſultò Concilium Tridentinum de imaginibus Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum agens, nihil de imaginibus Dei C dixit, & Concilium Nicænum. 2. reprobando priores imagines Dei, de poſterioribus tacuit, & ita inter Catholicos Doctores variæ ſunt in hoc puncto opiniones. Cùm ergo hìc ſolùm de dogmatibus fidei agamus, poſſemus hanc Regis obiectionem omittere, vt in hac parte in ſuo ſenſu abundet. Quia verò docere intendit, talium imaginum vſum eſſe impium, & contra diuinum pręceptum, & nos credimus, longè probabilius eſſe, neque malum, neque prohibitum; imò honeſtum eſſe, & magis piũ, ſi pru- D denter fiat, magisq́; conſentaneum Eccleſię vſui, ideò vtrumque breuiter probandum eſt. Primum ergo oſtendimus ferè diſcurſu ſuprà facto, quia depingere talem imaginem Dei non eſt prohibitum in nouo teſtamento ſpeciali præcepto poſitiuo, quia de imagine Dei ſolùm inueniuntur in nouo teſtamento citata verba Pauli, quæ apertè tantùm ius naturale declarant. 3.

Cõc. Trid.

Conc. Nicæn.

Deſcriptionem metaphoricæ imaginis Dei, neque malã neque prohibitã eſſe.

Si autem dicatur, contineri hanc prohibitionem in veteri teſtamento, de illa iterum interrogamus, qualis fuerit illa prohibitio? res enim dubia eſt, tam quo- 4.

ad ſenſum, quàm quoad genus pręcepti. Vnde ſi prohibitio dicatur eſſe moralis, & ex lege naturali, intelligenda erit de imagine propria, & nō de metaphorica, quia nulla eſt veriſimilis ratio, quę oſtēdat eſſe per ſe, & intrinſece malum, Deū metaphoricè depingere, vt ſtatim dicā. Et quidē in locis Iſaiæ citatis, in quibus ius ipſum naturale explicatur, de proprijs imaginibus Dei ſermo eſt: nam vt notat Hieronymus, in c. 40. irridet Iſaias ſtultitiam gentium, qui putabant idola ſua eſſe Deos, vel propriam Dei formam repræſentare. Vnde ad illa verba, *Cui ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* addit Hieronymus, *qui ſpiritus eſt, & in omnibus eſt, &c.* In capite autem 46. reprehenduntur iudæi gentium ſtultitiam in hoc imitantes. De hac item forma poſſunt conuenienter intelligi verba Moyſis Deuteron. 4. *Loquutuſq; eſt Dominus ad vos de medio ignis, vocem verborū eius audiſtis, & formam penitus nō vidiſtis.* Quanuis etiam ſenſus eſſe poſsit, nullam omnino formam vel quaſi perſonam ſēſibilem vidiſſe, ſed tantum vocē loquentis audiuiſſe: nam hoc magis indicant alia verba, quæ Moyſes infra repetit, *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua loquutus eſt nobis Dominus in Oreb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis cunctam ſimilitudinem.* Et ita eſt probabile, fuiſſe ibi, & Exodi. 20. prohibitum, fingere quancumque imaginem Dei, ſub quouis prætextu, quia rudis ille populus facilè exiſtimaret, illam eſſe propriā formam Dei, vel ipſas ſtatuas vt Deos adoraret. Tale autem præceptum ſic intellectum poſitiuum fuit, ac cęremoniale, conueniensque illi populo propter imperfectionem ſuam; & ideò nunc iam ceſſauit; & mutato etiam rerum ſtatu non fuit neceſſarium, quia illa occaſio, ſeu periculum ſublatum eſt, vt ſuprà dixi. Cuius etiam rei ſufficiens ſignum eſt, quia in Chriſti Eccleſia permittitur vſus talium imaginum Dei, non ſolùm nunc, ſed ante mille trecentos annos, vt intelligi poteſt ex varijs carminibus, quæ de his imaginibus habet Paulinus Epiſtol. 12. At Eccleſia non permiſiſſet illas tot ſæculis, ſi diuino iure prohibitæ fuiſſent.

Exponūtur loca Scripturę de imaginibus Dei loquentia. *Hieron.* *Deuter. 4.* *Exod. 20.* *Paulin.*

5. Sed inſtat Rex, non ſolū propter periculum adorationis, ſed etiam propter indecentiam, & inutilitatem, prohibitū eſſe, tales imagines effingere. Nam *cum Deus* (inquit) *ad viuum exprimi non poſsit, ſuperuacaneus eſt labor, conatuſq; inanis, id falſa adumbratione corrumpere, quod imitari non poſsis: quod nemo, non dico, Princeps, ſed vix quiſquā homo plebeius in ſua effigie ferre ſuſtineat.* At rationes iſtæ in Scriptura non leguntur, ſed à Proteſtantibus excogitatę ſunt. Et in priore earū quidpiam falſum ſupponitur, & ſanctæ Scripturæ cōtrarium, ne dicam iniurioſum. Nam ſi omnes metaphoricæ imagines, quæ ad viuum non poſſunt imitari prototypa, falſa adumbratione illa corrumpere dicenda ſunt, *omnes etiam parabolæ, ac figuræ ſignificandarum quarumcunq; rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio eſt intelligendū, dicentur eſſe mendacia*, vt in ſimili dixit Auguſtinus lib. contra Mendaciū. c. 10. Sic ergo, quando deſcendit Spiritus Sāctus in ſpecie columbæ, vel quando ſub ſpecie linguarum tanquam ignis miſſus eſt, falſa adumbratione forma eius corrupta eſt. Idemq; erit dicendum de imagine Chriſti ſub ſpecie agni, cùm tamen illius imaginis vſus antiquiſsimus in Eccleſia ſit. Item imago Angeli ſub ſpecie iuuenis, &c. eſſet formæ Angelicæ corruptio, quod non ſolùm eſt cōtra ſeptimam Synodū, ſed etiam contra Scripturam, quatenus in illa legimus imagines Cherubìm Exod. 25. 3. Reg. 6. Imò etiā eſt contra omnē rectam rationem, quia nos nō capimus res incorporeas, niſi inſtar corporearū, vt rectè declarant Dionyſius cap. 2. & vlt. de Cœleſti Hierarchia, & Tertullia. in Apologet. cap. 22. Denique omnes ſenſibiles apparitiones Dei, aut Angelorum in Scripturis eſsēt formarum illorum falſæ corruptiones. Quia ergo in metaphorica repræſentatione non eſt falſitas, ideò metaphoricæ imagines Dei falſitatis argui non poſsūt. Neque etiam poteſt inanis, aut ſuperuacaneus reputari vſus earum, cùm deſeruire poſsint ad manuducēdum quaſi intellectum hominis, vt inuiſibilia inſtar viſibilium cognoſcat, & ad memoriam myſteriorum, quæ Deus ſub forma viſibili operatus eſt.

Inſtantia Regis. *Enodatio.* *Auguſt.* *Exod. 25.* *3. Reg. 6.* *Dionyſ.* *Tertull.*

6. Vnde facilè etiam patet reſponſio ad aliam

aliam coniecturã, quod nullus Princeps, imo nec priuatus homo talem deformationem ſuæ formę permitteret: nam eodem modo Deum, qui ſæpe ſub forma viſibili apparuit, arguerent, quia nullus homo ita ſe ipſum deformaret. Imò etiã reprehenderent Scripturam, quia ſæpè loquitur de Deo tanquam de homine tribuens illi dolorem, pœnitentiam, corporis membra, & ſimilia: nam eſt eadem ratio de verbis ſcriptis, quæ de imaginibus: quia (vt recte dixit Gregorius) illud eſt imperitis imago, quod doctioribus Scriptura. Eſt ergo debilis illa coniectura, tum quia in illis imaginibus nulla eſt turpis deformatio, ſed metaphorica ſignificatio, tum etiam quia non fit ſine graui cauſa, & neceſsitate, orta partim ex diuina excellentia, quæ non poteſt aliter repræſentari, partim ex indigentia hominis, qui non poteſt ſpiritualia prout in ſe ſunt, concipere, cùm tamen per ſenſus debeat excitari ad eorum cognitionem, vel recordationem. Ideoq; non eſt ſimile, neque magni momenti argumẽtum ab hominibus ſumptũ, quia homo ſenſibilem formã habet propriæ imaginis capacem, & nihilominus non dedignatur homo, etiam Princeps, aut Imperator excellentiã ſuam, aut fortitudinẽ, per metaphoricam imaginem aquilę, aut leonis, aut aliam ſimilem repræſentari.

Gregor.

CAPVT XIIII.

De Crucis Chriſti adoratione.

1. VLtimò inuehitur Rex cõtra crucis Chriſti venerationem. Sed ne diutiùs forſan quàm neceſſariũ, aut par ſit, in hac materia immorer, hoc punctũ breuiter expediam, tum quia eadem ferè eſt ratio de Cruce, quæ de alijs reliquijs, vel imaginibus, tum etiã, quia Rex nihil in hoc objicit, niſi argutias quaſdam, quas olim Claudius Taurinẽſis, & Vuiclephus obiecerãt, & à Catholicis inanes reputatæ ſunt. De Cruce igitur triplex eſt cõſideratio, vt alibi dixi, ſcilicet, de ſigno eius circa propriã perſonam digito, vel manu expreſſam, vel de imagine crucis facta ex permanẽti materia, vel de ipſamet cruce, in qua Chriſtus paſſus eſt, vel integra, vel de particulis eius.

1. tom. 3. p. diſp. 56.

A De prima conſideratione nihil Rex attigit, & de illa dixi loco citato ſect. 3. Secundam etiam conſideratione Rex omiſit, quia eadem ratio eſt de imagine crucis, quæ de reliquijs.

Cõtra crucem verò tertio modo ſpectatam quod veneranda nõ ſit, hac breui ratione multis verbis conatur efficere. Nam ſi venerãda eſſet, maximè ratione cõtactus: hanc enim rationem præcipuè ſolent ſcholaſtici aſsignare. *An igitur ratione omnis contactus, vel alicuius?* Primũ dici nõ poteſt, tum quia licèt mulier, quę erat in fluxu ſanguinis, tangẽdo fimbriã B veſtimenti Chriſti ſenſerit virtutẽ eius, nõ ideò eam ſenſerunt omnes, qui Chriſtum premebant, Luc. 8. tum etiam quia aliàs labia Iudæ oſculo Chriſtũ tradẽtis, & manus militum cædentium, & crucifigentium Chriſtũ, & terra Chanaã quotidianis Chriſti veſtigijs tacta, eſſent à nobis adoranda, quod impiũ, & prophanum eſt dicere. Si autem non omnis cõtactus, ſed aliquis ſingularis ad hoc genus adorationis ſufficit, oportet oſtendere, quis ille ſit, & vbi Chriſtus ſingularem hanc benedictionẽ in lignum illud effuC derit, vel priuilegiũ cõceſſerit. Augetq; obiectionẽ his modis. Primò quia Chriſtus mulieri ſibi dicenti, *Beatus venter, qui te portauit*, reſpõdit, *Quinimò beati, qui audiunt verbũ Dei*. Secũdo, quia licèt Chriſtus dediſſet ſuę cruci virtutẽ faciẽdi miracula, nõ ideò eſſet adorãda, nam vmbra Petri faciebat miracula, quæ nõ idcircò poterat adorari. Tertiò, quia Prophetæ maledicunt cultoribus imaginũ, quę oculos habẽt, & nõ vident, & aûres, quæ nõ audiũt; ergo hæc acerbius dicerẽt in eos, qui partẽ ligni, neq; ad aurium, vel oculorũ ſimilitudinem formatã venerãtur.

2. Dilema Regis adorationem Crucis Chriſti oppugnantis.

Luc. 8.

Prima confirmatio.

Secunda.

Tertia.

D Videtur Rex in ſua obiectione ſupponere, vel exiſtimare, nos fingere, aut cogitare, Crucẽ Chriſti, & ſingulas partes eius ex cõtactu corporis Chriſti vim aliquam, ſeu virtutem faciendi miracula, aut extraordinaria beneficia conferẽdi; elicuiſſe, aut Chriſtum ipſum ſpeciali conceſsione, & voluntate illi contactui vim ſimilem, vel dignitatem contuliſſe. Hoc autem à ſenſu Eccleſiæ Catholicæ alienum eſt. Nam in primis licèt veriſſimum ſit, & hiſtorijs, ac teſtimonijs Patrum ſatis comprobatum, Chriſtum per

3.

Nullã vim patrandi miracula ex cõtactu corporis Chriſti in cruce fuiſſe deriuatã.

Vide Paulinum epiſt. 11. ad Seuerum, Euag. lib. 4. Hiſt. cap. 15. Ruffinū lib. 10. Hiſtor. cap. 8. Theodoretum lib. 1 cap. 18. Seuerum Sulpici libr. 2. ſacræ hiſt.

crucē ſuam multa edidiſſe miracula, quę nunc referre non eſt neceſſe: nihilominus nullus aſſeruit, vel cogitauit, Chriſtum virtutem aliquam miraculorū effectricem cruci ſuæ indidiſſe, aut certa lege, & promiſſione ſtatuiſſe, ad pręſentiam, vel tactum illius ſigna facere, nam hoc nullo fundamento affirmari poteſt, neque ad illius crucis venerationem ducitur neceſſarium. Neque etiam fingere oportet, Chriſtum ſpeciali voluntate, & quaſi poſitiua inſtitutione dediſſe illi cruci peculiarem dignitatem, ob quam honoretur: nam hoc etiam figmentum nō modo fundari nō poteſt, verùm nec ſatis intelligi, & ad veritatē, & rem de qua tractamus, ſuperuacaneū eſt, & impertinēs.

4. Catholica de Chriſti crucis adoratione doctrina explicatur.

Doctrina ergo Eccleſiæ & Theologorum Catholicorū eſt, ſicut reliquiæ ſanctorum ſunt venerabiles, non ex virtute, vel inſtitutione ſuperaddita, ſed quia ſuppoſita vera ſanctitate animarum, ſeu perſonarum, cum quibus peculiarem habuerunt coniunctionem, vel relationem ſufficientem, vt aliquid illarum eſſe cenſeantur, ex natura rei ſequitur, vt propter excellentiam talis animæ, vel perſonæ in veneratione habeantur: ita etiam maiori ratione crux Chriſti, & quæcūq; illius pars, tanquam pretioſæ Saluatoris reliquiæ à veris, & pijs Chriſtianis habetur, Quia ſuſtinendo Chriſtū ipſum, inſtrumentum fuit noſtræ redemptionis, ipſi Chriſto peculiari modo coniunctū, & ab illo ſanctificatum. Vt ſignificarunt Petrus. 1. epiſt. cap. 2. & Paulus ad Coloſ. 1. & 2. qui etiam ad Hebr. 9. indicat, fuiſſe quaſi altare, in quo Chriſtus ſe pro nobis obtulit. Ac proinde ob eiuſdem Chriſti amorem, & reuerentiam venerabilis eſt. Atque ita rationem venerandi Chriſti crucem explicuit Damaſc. libr. 4. cap. 12. dicens, *Hoc ingentis pretij lignum, ac venerandum, in quo Chriſtus ſe ipſum ſacrificij cauſa pro nobis obtulit, vt ex ſancti corporis, & ſanguinis contactu ſanctificatum optimo iure adorari ſolet.* Et infrà. *Nam ſi eorum, quorum amore flagramus, & domus nobis chara eſt, & lectus, & veſtis, quantò magis ea, quæ Dei, ac Saluatoris ſunt, per quæ nobis ſalus parta eſt.*

1. Petr. 2. Coloſſ. 1. & 2. Hebr. 9. Damaſc.

5. *Sexta Synod.*

Et hanc fuiſſe mentem antiquæ Eccleſiæ, ſatis colligitur ex canon. 73. ſextæ Synodo attributo, & ex ſeptima Sy-

A nodo, & ex Hieronymo epiſt. 17. Ambroſio Orat. de Obitu Theodoſij, Chryſoſtomo Homil. Quod Chriſt' ſit Deus, vbi ait, *Totum orbem contendere aliquid ex illo ligno habere, Et qui habent* (ait) *viri, & mulieres illud auro includunt, vt ceruicibus ſuis aptent, & indè valde ſunt honeſtati, & magnifici, & muniti, & protecti.* Et Gregorius Nyſſenus Orat. de ſancto baptiſmate, non longè ab initio, *Lignum crucis* (ait) *omnibus hominibus ſalutare eſt.* Per quod verbū indicat beneficia, quæ Deus ſolet per huiuſmodi crucis reliquias cōferre, cum vera fide, & pia veneratione

Septima Synod. Hieron. Ambroſ. Chryſoſt. Greg. Nyſſen.

B illa petentibus. Quanuis enim ſola miracula ſufficientem rationem adorandi non continerent, oſtendunt tamen, placitam eſſe Deo huiuſmodi venerationē, ac ſubinde crucem ipſam veneratione dignam eſſe. Adduntq; dicti Patres pręſertim Damaſcenus, idem eſſe de alijs Chriſti reliquijs, vt ſunt *claui, lancea, præſepe, indumenta, & viuificum ſepulchrū.* Adducitque Damaſc. illud Pſalm. 131. *Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius.* Idemque confirmat illud Iſai. 11. *Erit ſepulchrum eius glorioſum*, quod de Chriſti ſepulchro ab omnibus intelligitur, &

Pſal. 131. Iſai. 11.

C meritò, quia relatiuum *eius* refert *radicē Ieſſe*, quam eſſe Chriſtum, exponit Paulus ad Romanos. 15. Dicitur autem illud ſepulchrum glorioſum futurum, non ſolum eo tempore, quo Chriſti corpus in illo iacuit, ſed etiam perpetuo ratione illius. Et ita Hieronymus epiſt. 17. dicit, *ibi eſſe prædictum, locum ſepulturæ Domini eſſe ab omnibus honorandum.* Hęc ergò veritas ex principijs fidei, & ex Scriptura colligitur, & rationi naturali eſt conſentanea, & nullum oſtendi poteſt præceptum, quo talis veneratio crucis prohibea

Rom. 15. Hieron.

D tur. Quid ergo eſt, quod Proteſtantes in tam pio religionis opere calumnientur?

6. *Vualdenſis tom. 3. cap. 18.*

Ad obiectionem autem Regis, & interrogationem in ea factam reſpondit venerabilis quidam Anglus, nō omnem contactum corporis Chriſti fuiſſe ſufficientem rationem huius venerationis, *ſed tactum innoxium*, & ita vitabat abſurdum illatum ex oſculo Iudæ. Addunt verò alij ad maiorem explicationem, ſi præciſè ſpectaretur ratio contactus: non deeſſe in illo ſufficientem cauſam adorationis reſpectiuæ, propter Chriſti excellen-

Occurritur dilēmati Regis.

cellentiam, impietatem autem perſonæ, illam impedire: ne adoratio in hominem impium refundatur. Et ſimili modo vbi fuerit indecentia, vel occaſio ſcandali, vitãda erit adoratio, non obſtante cõtactu, quod ad exemplum de aſina, in qua Chriſtus ſedit, accõmodandum eſt. De terra verò illius regionis, quam Chriſtus ſuis pedibus tetigit, ſi conſtaret, nunc permanere quoad illas partes, quas Chriſtus tetigit, in eadem eſſet habẽda veneratione. Auguſt. Nam & Auguſtinus 22. de Ciuit. cap. 8. teſtatur, ſuo tempore *miracula facta eſſe per terram ſanctam de Hieroſolymis allatam* & à fidelibus fuiſſe in reuerentia, & honore habitam. Hoc verò tempore veriſimile eſt terram illã adeò eſſe mutatam, vt ratio illa contactus ceſſauerit. Et nihilominùs ſi aliquis viua fide, & recordatione Chriſti, & veſtigiorum eius, illam veneretur, piè faciet, & nulla erit reprehẽſione dignus, quia tota illa actio ad Chriſtum refertur, & relatio illa (vt ſic dicã) ſufficiens fundamentum habuit in actionibus, & greſsibus Chriſti.

7. Vnde ad dilẽma Regis reſpondemus, contactum per ſe ſufficere ad hanc venerationem reſpectiuam, niſi aliquid aliud ſecundum prudens iudicium impediat. Et ideò non oportet oſtendere, vbi Chriſtus hanc prærogatiuam ſuæ cruci contulerit, quia ſuis operibus id ſatis oſtendit recta fide, & ratione vtentibus: neq; hoc eſt priuilegium crucis, ſed eſt communis proprietas omnium reliquiarum Chriſti. Vnde exemplum ibi adductum de muliere tangente, & turbis prementibus Chriſtum, prædictis rectè perpenſis nequaquam vrget, quia hæc venerationis ratio, quæ ex contactu ſumitur, non eſt aliquod opus miraculoſũ, quale fuit illius mulieris ſanitas, quam Chriſtus cõtulit ſoli indigenti, & ex fide petenti, ſicut voluit, & altiſsimo ſuæ voluntatis conſilio diſpoſuit.

8. Reſponſio ad primam confirmationem. Ex alijs confirmationibus prior nihil ad cauſam facit, quia Chriſtus reſpondẽs *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei,* docuit quidem beatiorem fuiſſe Beatiſſimam Virginem credendo, & diligẽdo Chriſtum, quàm illum corporaliter concipiendo, non tamen negauit, quin fuerit magna dignitas Virginis, Chriſtum in ventre ſuo portare, neque negauit mulierem illam verè, & fideliter dixiſſe, *Beatus venter, qui te portauit,* quamuis neque omnem, neque pręcipuam rationẽ illius beatificationis explicauerit, vt eleganter attigit Beda lib. 4. in Lucam cap. 49. Beda. Ad ſecundã Alia verò de vmbra Petri facilè expeditur negando exempli ſimilitudinẽ, tum quia vmbra nihil eſt, tũ etiam, quia (vt dixi) ratio huius adorationis non eſt virtus aliqua faciendi miracula. Ad tertiam Denique veneratores Crucis longè ſunt à maledictionibus Prophetarum contra adorantes idola, quia nõ reſpiciunt ad formam, vel figuram ligni, ſicut idololatræ, ſed ad Chriſtum, quem in ligno, & propter quẽ lignum adorant.

CAPVT XV.

De errore circa Purgatorium.

I. INter alia dogmata Catholicæ fidei, in quibus Rex ab Eccleſia Romana ſe diſſentire fatetur, articulum de Purgatorio ponit pag. 52. Præfat. tam leuiter tamen illum attingit, vt ludere potiùs, quã fidei cauſam agere videatur. Iacob9 Rex purgatoriũ irridet. Nam licèt irrideat, & contemnat Purgatorij articulum (quod ipſe cõmentum vocat) nihil tamen ſolidum ad illum impugnandum adducit, imò licèt illum non credat, non tamen abſolute negat eſſe Purgatorium. ſed *ſi forte ſit*, dicit, *nobis eſſe ignotum, ſatiſque nobis eſſe credere, eas animarũ ſedes, quas nobis Deus in Scriptura reuelauit, cælos, ſcilicet, & inferos, neque vlterius de diuinæ prouidentiæ arcanis ſcrutandum eſſe.* Quocirca fundamẽtum pręcipuum Regis eſt, quia Purgatorij aſſertio ex Scriptura oſtendi non poteſt. Primũ fundamẽtum. *Sanè* (inquit) *Bellarminus nullum ei ex Scriptura fundamentũ aſtruere potuit.* Vnde infert, *Satis certè nobis fuerit, eas animarum ſedes cognoſcere, quas Deus ſuo verbo nobis voluit eſſe reuelatas.* Secundum. Præter hoc verò fundamentum, tacitè, & quaſi aliud agens, inſerit aliud quaſi latenter, dicens de Chriſto, *Ipſe eſt vera expiatio, verũq; purgatoriũ noſtrorũ peccatorũ,* quaſi ſubinferens: ergo aliud Purgatoriũ neceſſarium non eſt. In his autem verbis radix non ſolùm huius erroris, ſed etiam plurium aliorum, à quibus iſte pendet, deliteſcit, & ideò ab illo incipiendum eſt, & totum vlcus breuiter aperiendum, vt

integra errorum connexio detegatur, vt vel inde Rex intelligat, non rectè de rebus ad ſalutem neceſſarijs iudicare, cùm hęc *indigna exiſtimet, in quibus tempus, & opera impendatur.*

2\.

Error Proteſtantium circa redẽptionẽ Chriſti, & iuſtificationem impij.

Proteſtantes igitur ita de Chriſti redemptione, & impij iuſtificatione, ſeu remiſsione peccatorum plerumque ſaltem ceſent, vt totã noſtram iuſtitiam in remiſsione peccatorum ponant. Remiſſionem autem hanc ſolum in hoc docent cõſiſtere, quòd peccata nobis à Deo propter Chriſtum non imputẽtur, nõ in hoc quod, vel non ſint, vel non fiant. Addũt deinde, tunc non imputari, quando aliquis firma fide credit, ſibi non imputari peccata propter Chriſtũ, ſiue quæ priùs fecit, ſiue quæ in pręſenti cũ tali fide, & apprehenſione actu committit: nam Chriſtus hoc nobis promeruit; pro peccatis noſtris ſufficienter ſatisfaciendo. Atque ad hoc ſuadendum verba Pauli, & cæteras

2.*Petri*.2. Scripturas deprauant ad ſuam ipſorum perditionem, vt Petrus præmonuit.

Ex his autem principijs inferũt, quoties quis habet eam fidem, quæ ſufficit, vt peccatum non imputetur, prorſus non imputari, omnemque illius pœnam remitti. Nam vel peccator firma fide credit, iuſtitiam Chriſti ſatis eſſe, vt ſibi peccatum omninò, & integrè tollatur, & ad nullam pœnam imputetur, ſi ita credat: vel aliter de iuſtitia Chriſti, & non imputatione peccati per fidem cogitat: ſi hoc poſteriori modo in fide illa ſpeciali claudicet, verè non credit, ideoque neque integrè, neque ex parte peccatum ei remittetur, ſeu non imputabitur: ſin verò plenam fidem non imputationis concipiat, ad nullam omninò pœnam reputabitur peccatum; atque ita remiſsio pœnæ, ad quam poſſet peccatum mortale imputari, ſemper aut integra eſt, aut nulla.

4\. Deniq, ex eiſdem principijs inferũt in homine iuſto nullum eſſe veniale peccatum, ſed aut mortale eſſe, quod iuſtitiã auferat, aut nullũ eſſe: nam ſi iuſtus quod libet opus, quantumuis leue faciat, credens ſibi imputari ad aliquam culpam, eo ipſo infidelis eſt, & grauiter peccat, & Chriſto grauem iniuriam infert, de illius meritis, & ſatisfactione diffidens: ſi verò hæc faciat, firmiter credens ad nullam vel minimam pœnam imputari; nec leue

A peccatum committi (vtique quod imputetur) nam per Chriſtum purgatur, præueniente (vt ita dicam) purgatione, ſeu non imputatione. Atque in hoc ſenſu videtur Rex vocaſſe Chriſtum noſtrũ purgatorium. Ceſſat igitur, ſi hæc vera ſũt, omnis purgatorij neceſsitas, quia in homine iuſto nihil remittendum relinquitur, & ita ſi in eo ſtatu moriatur, non indiget purgatione; ſi verò ſine iuſtitia moriatur, peribit in æternum.

Hæc ſunt monſtra, & portenta ab hęreticis inuẽta, vt purgatorium de medio 5.

B tollere poſsint, vt vel hinc videat Rex, an aſſertio purgatorii parui ſit momenti, cũ ad illam euertendam neceſſarium ſit, potiſsima fidei fundamenta cõuellere; imò etiam opus ſit contra diuinam iuſtitiam, & ordinatam prouidentiam, addo etiam contra naturalem rationem, comminiſci plurima. Fides ergo Catholica principijs, ac fundamentis omnino contrarijs ſubſiſtit, quæ breuiter, & per tranſennam tã tùm indicabo, vt ad ſcopum intentũ perueniam: nam ſi ex profeſſo ſingula probanda, & diſputanda forent, iuſtum, atq; integrum opus neceſſarium fuiſſet. Primum ergo fidei fundamentum eſt, licèt

Copioſam Chriſti redemptioné non dare, omnes cum effectu ſaluentur.

Matth.25

C Chriſtus ex ſe ſufficiẽter, & copioſè omnes homines redemerit, & pro omnibus ſatisfecerit, nihilominùs cum effectu nõ omnes ſaluare, vt ipſemet docet Matth. 25. & eſt in noſtra fide per ſe notum, idque Rex Angliæ in citato loco ſupponit, dum confitetur, duo eſſe domicilia, cœlum, ac infernũ, humano generi in ęternum conſtituta. Ex quo fundamento apertè aliud ſequitur, videlicet, non obſtante Chriſti redemptione neceſſarium hominibus eſſe ad ſalutem conſequendam, vt aliquid agant, vel in eis fiat, quo

D meritum, & ſatisfactio Chriſti illis applicetur. Probatur, quia exiſtente infinito merito, & ſatisfactione Chriſti, volentis omnes ſaluare, vt Paulus dicit, ac ſubinde pro omnium ſalute ſe offerentis: nihilominus quidam ſaluantur, alij verò perpetuis deſtinantur ignibus; ergo hæc differentia non aliunde prouenire poteſt, niſi quia præter actiones, & paſsiones, quas Chriſtus ipſe exhibuit, neceſſarium ſit aliquid fieri ex parte noſtra, quo infinita Chriſti redẽptio nobis applicetur. Atque hoc etiam ſatis agnoſcit Iacobus Rex, cũ

iſtum

iſtum articulum concludit, dicens, *Id agamus, vt alterum conſequamur, alterum defugiamus.*

6. Diſcrimen ergo inter Proteſtantes, & Catholicos incipit ab hac neceſſaria applicatione meritorum Chriſti, per quam, nimirum, actionem, cognitionem, aut affectum fiat. Sit ergo ſecundum fidei fundamentum, hanc applicationem nõ fieri per illam fidem ſpecialem quam Proteſtantes fingunt de propria iuſtitia, aut non imputatione peccatorum, neque per illam peccata præterita remitti, neq; præſentia non imputari, neque iuſtitiam veram, quam propter Chriſtum accipimus, in illa non imputatione conſiſtere. Quæ omnia contra Regem, & Proteſtantes in eorum principijs ſufficienter probãtur, quia in Scriptura ſacra nullibi inuenimus impoſitam hominibus neceſsitatem credendi ſibi non imputari peccata, eo ipſo, quòd talis non imputatio credatur, alioquin locum prodant, vbi vel illa credulitas præcepta ſit, vel eius obiectũ, ſeu illa nõ imputatio reuelata. Nos enim audimus Paulum dicentem, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo,* & rationem ſubijcientem, *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Hæc ergo fides dogmatum eſt neceſſaria ad ſalutem, non de propria iuſtitia, quæ nullibi exigitur, Chriſtus etiã Dominus Marci vlt. dixit, *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Et Matthæi. vlt. addit, *Docentes eos ſeruare omnia quæcumq; mandaui vobis.* Fides ergo Euangelij, ſeu dogmatum, & baptiſmus cum obedientia mãdatorum ſunt media, ſeu actiones à Chriſto præſcriptæ ad participandam redemptionem eius; de fide autem ſpeciali, aut non imputationis peccatorum, nec verbum ipſe loquutus eſt, nec per Apoſtolos, aut Eccleſiam ſuam id nobis tradidit.

Meritorũ Chriſti ad homines applicationẽ nõ fieri per nõ imputationẽ peccatorum.

Marc. vlt.

Matt. vlt.

7. Adde, per ſe incredibile eſſe, peccata licèt re ipſa committantur, transgrediendo etiam diuinam, & naturalem legem, eo ipſo à Deo remitti, vel tanquam nihilum reputari, quòd is, qui illa committit, ita credit, & illa fiducia delinquit. Quid enim hoc eſt, niſi dare hominibus liberam licentiam peccandi? Profecto nihil

A cogitari poteſt iuſtitiæ Dei, & ſapientiſſimæ prouidentiæ magis contrariũ. Neq; minùs repugnat redemptioni Chriſti, ſic enim non veniſſet ad diſſoluenda, ſed potiùs ad fouenda, & multiplicanda opera diaboli. Dicit autem Ioannes, *Scitis, quia ille apparuit, vt peccata tolleret.* Et infrà, *In hoc apparuit Filius Dei, vt diſſoluat opera diaboli,* & Petrus, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatũ non fecit, &c.* & Paulus, *Vos in libertatem vocati eſtis, tãtum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.*

1. Epiſt. c. 3.

1. Epiſt. cap. 2.

Ad Gal. 5

B Nõ ergo applicatur homini Chriſti meritum per illam commentitiam fidẽ ſpecialem, ſed *per fidem, quæ per charitatem operatur.* Et ex hac fide ſpem iuſtitiæ cõcipimus, intercedente pęnitentia præcedentium peccatorum, cum obſeruantia mandatorum, ſine qua non poteſt ſubſiſtere vera iuſtitia. Non enim, qui ſe iuſtum reputat, ſed, *Qui facit iuſtitiam iuſtus eſt*; vt loco ſupra allegatò idem Ioannes ait. Et ſic etiam cætera omnia, quię dixi, frequentiſsima ſunt in Scripturis, & in proprijs locis ex profeſſo tractata ſunt.

Ibidem.

C Tertio docet Catholica fides, & ſequitur ex dictis, fructũ meritorum, & ſatisfactionum Chriſti non ſemper æqualiter omnibus credẽtibus, & iuſtis applicari. Ac ſubinde, non quoties peccata mortalia remittuntur quoad culpam, ita remitti quoad pœnam, vt ad nullam omnino etiam temporalem ampliùs imputentur, Vtrũque docuit Concilium Tridentinum, Primum Seſſ. 6. cap. 7. & 10. & Can. 14. Quod etiam ſumitur ex Paulo. 1. ad Corinth. 15. dicente, *Stella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Et ex verbis Chriſti Ioann.

D 14. *in domo Patris mei manſiones multæ ſũt.* Quæ ſunt variæ, & inæquales ſedes beatorum, vt omnes Patres exponũt, & ſingulariter Auguſtinus tract. 67. in Ioan. dicens, *Multæ manſiones diuerſas meritorũ in vna vita æterna ſignificant dignitates.* Sicut ergo in patria ſunt inæquales coronæ, ita in vita eſt inęqualitas in gratia, & iuſtitia, & conſequenter etiam in participatione meritorũ Chriſti. Omnis enim interna iuſtitia, eiuſque operatio per gratiam Chriſti confertur, atque ita fructus eſt, & participatio meritorum eius; eſt

Non ſemper remittitur peccatũ quoad omnem pęnã etiãſi remittatur quoad culpam.

Cõc. Trid.

Ioan. 14.

Auguſt.

eſt ergo in hac participatione inæqualitas.

9. Coc.Trid. Secundum autem docuit idem Concilium Trid. eadem Seſſ.6.cap.14.& canon.30.& Seſſ.14. ſequiturq; manifeſtè ex priori: nam qua ratione meritū Chriſti non ſemper æqualiter applicatur quo ad perfectionem iuſtitiæ, eadem ſatisfactio Chriſti non ſemper in nobis habet æqualem effectum quoad remiſsionem pœnæ temporalis· Ratio verò eſt, quia remiſsio pœnæ fit interueniente diſpoſitione aliqua, vel ſatisfactione ex parte hominis; hæc autem diſpoſitio, vel operatio poteſt eſſe maior, & minor; ergò & pœnę remiſsio, Peccata ergo mortalia poſt baptiſmū cōmiſſa (nam de baptiſmate alia eſt ſpecialis ratio) quamuis per pęnitentiam remittantur propter Chriſtū, non ſemper quoad pœnam temporalem omnino remittuntur, ſed iuxta modum pœnitentię, & diſpoſitionis. Et ideo orabat Dauid Pſalm.50. *Amplius laua me ab*
Pſalm.50 *iniquitate mea*, & ob eandem cauſam omnes Scripturę pœnitentiam de peccatis, etiam remiſsis, & eleemoſynas, aliaq; bona opera, ad eorum plenam remiſsionem obtinēdam, conſulunt. Eademque eſt cōmunis doctrina Sanctorum, vt videre licet in Auguſtino lib. de vera, & falſa pęniten.cap.15. Chryſoſtomo Homilijs de Pœnit. præſertim in 5.. Et optimè Ambroſ. lib. 7. in Lucam ad finem capit.12. dicente. *Sicut qui pecuniam ſoluunt, debitum reddunt, nec priùs euacuatur fœnoris nomen, quouſque totius ſortis ad minimum vſq; quocumque ſolutionis genere, qualitas vniuerſa ſoluatur, ſic compenſatione charitatis, cæterumque reliquorum, vel ſatisfactione quacumque peccati pœna diſſoluitur.* Et infrà. *Aut charitatis redimitur iniuria, aut iniuriæ æſtimatione pœna relaxatur.* Et infrà. *Vniuſcuiuſque peccatum ſupra ſcriptæ generis conditionis eluitur, cum tandiu exercetur noxius pœnis, vt cōmiſsi ſupplicia erroris expendat.* Qui ergo non plenè ſatisfecit, licèt iuſtus ſit, alicuius pœnæ debitor eſt.

Auguſt. Chryſoſt. Ambroſ. Matth. 3. & 4. Eccleſiaſt. 5. Ezechiel. 2?. cū ſimilibus.

10. Aliqua peccata hominibus etiam iuſtis ſūt, quæ gratiā nō tollunt. Cōc. Trid.

His accedit aliud fidei fundamentum, nimirum, eſſe in hominibus etiam iuſtis, quędam peccata, quę gratiam non tollūt, nec hominem Deo inimicum, aut reum æternæ pœnæ conſtituunt, & ideo venialia vocantur. Ita docuit Concilium Tridentinum dicta Seſſ. 6. cap. 15. & nunc

A ſufficienter probatur ex illo Prouerb. 24. *Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit, impij autem corruūt in malum.* Illi enim caſus iuſtorum aliqua peccata ſunt, non tamen talia, quæ iuſtitiam auferant, aliàs etiam iuſtus corrueret in malū, quoties ſic peccaret. Vnde rectè Auguſtinus Sermo. 41. de Sanctis hæc vocat *minuta peccata, à quibus in hac vita ſancti non ſunt immunes, quæ animam non occidunt licèt deforment*, & Epiſt.103. in fine, illa vocat *peccata leuia iuſtorum, quæ ordinarijs remedijs tolluntur.* Et propter eadem aſſerit lib.2. de Peccator.merit.cap. 7. protuliſſe Ioannem, *Si*
B *dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, &c.* 1. Ioan. 1. Item ad eadem peccata pertinet illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*, vt ibidem notat Beda, & Auguſtinus in Enchirid.cap.78. vbi multa exempla taliumpeccatorū ponit, & plura lib. de Natura, & Grat.cap. 36.& 38.

Prouerb. 25. Auguſt. 1.Ioan.1. Iacob.3. Beda. Auguſt.

11. Amicitia cū Deo non dirimitur propter quodcunque peccatum.

Ratio etiam naturalis hoc ſuadet, quia prudens, ac perfecta amicitia non diſſoluitur propter leuem aliquam negligentiam, vel offenſionem; ergo incredibile eſt amicitiam cū Deo propter quemlibet defectū leuē amitti, aut quodlibet pecca
C tum leuiſsimum reddere hominem diuino odio, & æterna pœna dignum. Quam uis autem hæc peccata tam acerbam pœnam nō mereantur, nihilominùs eo ipſo, quod peccata ſunt, aliqua certa pœna digna ſunt, vt rectè notauit Auguſtin. lib. Octoginta trium quæſtion. q. 26. quia vnicuiq; culpæ ſecundum debitum iuſtitiæ ordinem, & iuxta qualitatem eius, aliquis modus pœnæ reſpondet; Deus autem iuſtiſsimus eſt, & ideò hęc etiā peccata, quæ legi ſuæ aliquo modo derogāt, impunita non ſinit, iuxta illud Matth.5.
D *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem*, vbi Hieronymus *Hoc eſt, quod dicit, non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata perſoluas.* Et eodē ferè modo expoſuit Ambroſ. lib.7. in Luc. ad finem captitis.12. Deniq; vt Auguſtin. dixit dicto Serm.41. quamvis hæc peccata *animam non occidant, ita eam deformem faciunt, vt eam ad amplexus Sponſi cæleſtis, aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant.* Quod de huius vitę ſtatu, & de contemplatione Dei, & dilectione, quæ in hac vita haberi poteſt, intelli-

Auguſt. Matt.5. Hieron. Ambroſ. Auguſt.

telligendum puto: nam ſi de amplexu A Patriæ, & viſionis beatæ intelligatur, nõ vix, ſed omnino haberi non poterit talis amplexus Sponſi, niſi priùs deformitas talium peccatorũ auferatur. Quia vt dicitur Apocalypſ. 21. *Non intrabit in illã ciuitatem aliquid coinquinatum*, & in illo ſtatu maximè complebitur quod Paulus dixit ad Epheſ. 5. *Christus dilexit Eccleſiã, & ſe ipſum tradidit pro ea.* Et infrà. *Vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam.*

Apoc. 21.

Epheſ. 5.

12. Purgatorij ex iuſtis neceſsitas cõcluditur.

Ex his igitur principijs planè concluditur purgatorij neceſsitas, in hunc modum. B Homines iuſti dũ in hac vita viuũt habent ſimul cum iuſtitia, vel reatum aliquem pœnæ temporalis debitæ propter peccata remiſſa, vel propter venialia poſtea commiſſa; contingit autem ſæpe iuſtos mori in huiuſmodi ſtatu, quia vel poſt multa, & grauia peccata ſeram, ac leuem, & remiſſam pœnitentiam agunt, vel quia licèt multo tempore ante mortem in gratia viuant, frequenter venialiter peccant, & in adhibendis remedijs, & ſatisfactionis operibus exercendis negligentes ſunt; ergo neceſſarium eſt, vt poſt mortem ſit purgatorij tempus, & locus, C in quo ab his maculis mundari, & debitas pœnas ſoluere, atque ita paradiſum ingredi valeant; quandoquidem ſecundum fidem nullus ad beatitudinẽ admittitur ſine integra remiſsione culparum, & pœnarum, vt oſtenſum eſt. Quæ ratio, ad hoc dogma fidei confirmandum ſufficeret, etiam ſi ex Scriptura expreſſiùs probari non poſſet, quia principia huius diſcurſus in Scriptura ipſa fundata ſunt, & aliqua ex parte, quantũ ex facto pendent, ſunt etiam experientia notiſsima, & illatio eſt etiam neceſſaria, ac euidenter nota. Hęc autem ſufficiunt, tũ D ad reddendam aſſertionem omnino certam, tum etiam vt ab Eccleſia definiri potuerit, & fidelibus proponi, vt eam de fide credere teneantur, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt. Eccleſiam autem ita veritatem hanc definiuiſſe, ex Concilijs Florentino, & Tridentino conſtat. Et quãuis tã expreſſa definitio facta nõ fuiſſet, vniuerſalis conſenſus cum antiquiſsima Eccleſiæ Catholicæ traditione ad fidem faciendam ſufficeret.

Florentin. in literis vnionis Trid ſeſſ. 6. can. 30. & ſeſſ. 25. in princip.

13. Vnde vlterius infero, immeritò Iacobũ Regem hunc anticulum de Purgatorio inter eos, quos nuperos, & nouitios vocat, recenſere, cum neque Auguſtinus, nec Hieronymus, nec alij Patres illis æquales, qui certè nuperi non ſunt, veritatem tot fidei fundamentis ſubnixam ignorare potuerint. Quod etiam eorũ verbis oſtendere non eſt difficile, Auguſtinus enim in Pſalm. 37. in principio, de Purgatorio exponit verba illa, *Domine ne in furore tuo* (vel vt ipſe legit) *In indignatione tua arguas me, neq; in ira tua emẽdes me*, ſic enim legit, & dicit, *hanc emendationem in ira, per quam emendati ſaluabuntur, futuram eſſe poſt mortem ſic tamen quaſi per ignem.* Vnde ſic exponit, *in hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus ſit.* Prætereà lib. Octoginta trium quæſtion. q. 26. loquens de venialibus peccatis dicit, eis deberi certã pęnã, & in hoc ſeculo, & in futuro, vbi vel particulam, *&*, pro diſiunctione poſuit, vel ſub conditione intellexit deberi illam pœnam in futuro ſeculo, ſi in pręſenti non luatur. Clariùs vero dicto Sermo. 41. de Sanctis, de eiſdem peccatis agens dixit, *Quidquid de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandũ eſt, de quo dixit Apoſtolus, quia in igne reuelabitur, & ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, aut enim dum in hoc mundo viuimus, ipſi nos per pœnitentiam fatigamus. aut certè, volente, aut permittente Deo, multis tribulationibus pro iſtis peccatis afſligimur, & ſi Deo gratias agimus, liberamur.* Et infrà. *Ita peccata ipſa in hoc ſeculo purgantur, vt in futuro ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat, quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tandiu in illo Purgatorio igne moras habebimus, quãdiu ſupra dicta peccata minuta, tanquam ligna, fænum, ſtipula conſumantur.*

Articulum de Purgatorio antiquiſsimum eſſe ex patribus oſtenditur.

Auguſt.

1. Cor. 3.

Itẽ libro de Octo queſtionib. ad Dulcitium licet in. q. 1. ſolùm dicat, *Saluari aliquos ſic tamen quaſi per ignem, & non eſſe incredibile ita contingere aliquibus poſt hanc vitam, vtrum verò ita ſit, quæri poſſe*; tamẽ in queſt. 2. repetit, quæ dixerat libr. de Cura pro mortuis agenda cap. 1. quod allegat, & definitè, & tanquam certũ docet, ſuffragia viuorũ prodeſſe aliquibus ex mortuis, qui nec tam mali fuerunt, vt illis 14.

Idẽ Aug.

illis prodeſſe non poſsint, vt ſunt damnati, nec tam boni, vt illis nō indigeant, ſed medij cuiuſdam ſtatus, quos ipſe vocat, *non valde malos, quia licet bona pereuntia dilexerint, non tamen ſunt tales, quales illi, de quibus dictum eſt, quod regnum Dei non poſſidebunt, ſed iuſti aliqua indigentes purgatione.* Idemque docet in Enchirid. cap. 68. cum 96. vbi ait, *Negandum non eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentiū releuari.* Ideoque Monica glorioſa Auguſtini mater catholica fide bene inſtructa; dum animam ageret, nihil à filio, & ſocijs eius poſtulauit, niſi vt ad Domini altare memoriam eius haberent, vt ipſe refert lib. 9. Confeſsion. cap. 11. & in. 13. inſignem illam fidem, & pietatem commendat, & pro matris anima orat, alioſque vt orent, interpellat. Præterea libr. 21. de Ciuit. cap. 16. vbi dè infantibus morientibus cum ſolo baptiſmo, ait, ita eſſe ad beatitudinem diſpoſitos, vt non ſolùm pœnis non præparentur æternis, *ſed ne vlla quidem poſt mortem Purgatoria tormēta patiantur.* In quibus verbis appertè ſupponit, eſſe poſt hanc vitam purgatorias pœnas, de quibus infra dicit, *Purgatorias autem pœnas nullas futuras, quis opinetur, niſi ante illud vltimum, tremendumque iudicium?* Vtique vniuerſale. Nam poſt illud non erit neceſſarius purgatorij locus quia ante illud integra peccatorū purgatio in omnibus iuſtis fiet, & ideo in illo iudicio tantum in duo loca perpetuo duratura, omnes iudicandi diuiduntur. Et ita intelligenda eſt Scriptura, quoties de illis duobus terminis vltimis loquitur. Videri etiam poteſt apud eundem Auguſtinum (ſi eius eſt opus) lib. 5. Hypognoſticon cap. 5. & 6.

Poſt diem iudicij non remanebit purgatorij locus.

Auguſt.

15. *Auguſt.*

Denique in lib. Quinquaginta homiliar. homil. 16. circa finem hanc veritatē, idem Auguſt. pleniſsimè docet, cuius aliqua verba referam, quia & omnia fundamenta ſupra pōſita con firmant, & vehementer pungunt aduerſarios, *Qui temporalibus pœnis digna geſſerūt, de quibus Apoſtolus dicit, ſi cuiꝰ opus arſerit detrimētū patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamē quaſi per ignem, per fluuium igneum (de quo Propheticus ſermo commemorat) & vada feruentibus globis horrenda tranſibūt. Quanta fuerit peccati materia, tantā, & pertranſeundi mora, quantum exegerit culpa tantum ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationabilis diſciplina* Et infrà. *Illic ſermones otioſi, & cogitationes iniquæ, vel ſordidæ, illic multitudo leuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt, illic ſtagnum, vel plumbum diuerſorum ſubrepentium delictorum, quæ diuinam imaginem obſcurauerant, conſumentur, quæ omnia hic ab anima ſeparari per eleemoſynas, & lachrymas compendioſa tranſactione potuiſſent.* Et vt Rex intelligat, quomodo Chriſtus ſit purgatorium noſtrum, concludit, *Ecce ſic exigere habet ab homine rationem, qui ſeipsū pro homine dedit, & cōfixus clauis legi mortis ſe iunxit,* & in hoc Catholico ſenſu dixit idem Auguſt. 10. de Ciuit. capit. 24. *Dominum Ieſum Chriſtum eſſe principium, cuius incarnatione purgamur, eum quippe* (id eſt, Dœmonem) *in ſua carne contempſit, quam propter ſacrificium noſtræ purgationis aſſumpſit.* Et infrà, *Hunc ille Platonicus non cognouit eſſe principium, nam agnoſceret purgatorium.* Nihil aliud ergo eſt in Chriſto eſſe purgatorium, quàm eſſe redēptorem per quē poſſunt homines in hac vita perfectiſsime mundari, ſi velint ſe diſponere, alioqui ſi in hac vita id aſſequuti nō fuerint, in futura, ſi iuſti ſint, per condignas pœnas ſecundum rigorē iuſtitiæ purgabūtur, niſi aliqua ex partē propter ſuffragia viuentium ſubleuentur.

Idē Aug.

16. *Hieronyꝫ.*

Pręterea D. Hieronymus diſerte affirmat, dari poſt hanc vitam aliquam pœnam ignis temporalem in cap. vlt. Iſaiæ, ferè in vltimis verbis, docetque aliquorū Chriſtianorum opera eſſe per ignem probanda, & purganda, ita vt purgatio temporalis ſit, & finiatur. Et in lib. contra Iouinianum, eodem modo exponit locum Pauli. 1. ad Corinth. 5. & concludit, *Si is cuius opus arſit, & periȷt, & damnum ſuſtinuit laboris ſui, perdet quidem laboris præmium, ſed ipſe ſeruabitur, non tamen ſine probatione ignis; ergò is, cuius manſerit, quod ſuperædificauit ſine ignis probatione ſaluabitur, & inter ſaluationem, & ſaluationē erit vtique diuerſitas aliqua,* Quæ verba notanda ſunt, nam diſcurſum ſupra factū confirmant, licèt ordine cōmutato. Hieronymum enim ex diuerſo modo coſequendi ſalutem per ignem purgatorium, vel ſine illo, colligit quaſi à poſteriori diuerſitatem meritorum, & præmiorum: nos verò è contrario ex diuerſitate operum,

vel

vel malorum, vel bonorum diſponentiũ ad iuſtitiam, neceſsitatem purgatorij deduximus. Et in cap. 1. Ezechiel idẽ Hieronymus ita concludit, *Ex quo oſtenditur, poſt pœnas, atque ſupplicia & purgationẽ peccatorum, futuram miſericordiam duntaxat in his, qui Deum meruerint videre regnantẽ.*

17. *Ambr.* Eandem veritatem docuit Ambroſ. in cap. 14. Apocalypſ. circa illa verba, *Sine macula enim ſunt*, dicens, *Animæ ſanctorum ſine macula ſunt, quia ſiquas ſordes ex mundana habitatione contraxerunt, aut per pœnitentiam, & lachrymas, charitatisq́ opera, aut per flagella, aut certè poſt mortem igne purgatorio deletæ ſunt.* Et ſimilia habet in cap. 20. ad illa verba, *Hæc eſt reſurrectio prima.* Scio in dubium reuocari, an illud opus ſit Ambroſij, nemo autem dubitat, quin ſit alicuius Patris grauis, & ſatis antiqui. Veruntamen precatio ſecunda præparans ad Miſſam extra dubiũ Ambroſij eſt, & tamen in illa ſic orat Chriſtum, *Recordare, quia aduocatus meus es ipſe, qui iudicas. Quòd ſi etiam in illo adhuc ſeculo aliquid in me vindicandum reſeruas, peto, ne me poteſtati dæmonum tradas, dum ſcelus meum purgatoria pœna detergis.*

18. *Cyprian.* His accedat Sanctus Cyprianus, qui Epiſt. 52. ad Antonianum, dicit, *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam peruenire, aliud miſſum in carcerem, non exire inde, donec ſoluas nouiſsimũ quadrantẽ, aliud ſtatim fidei, ac virtutis accipere mercedem, aliud pro peccatis longo cruciatum dolore emundari, & purgari diu igne, aliud peccata omnia paſsione purgaſſe.* Idem ſumitur ex *Tertull.* Tertul. lib. de Anima c. 35. & c. 58. in fine, vbi ita exponit dictum locũ Matt. *Mat. 5.* 5. dicens, *Carcerem illum inferos intelligimus, & nouiſsimum quadrantem; modicum quoq́ delictum, mora reſurrectionis illic luendum interpretamur.* Quã fere expoſitio-*Athanaſi.* nem habet etiam Athanaſius in lib. Variarum Script. quæſtion. q. 62. Et plura alia ex Patribus græcis pro hac veritate *Gennad. Scholari.* congerit Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus in defenſione Concilij Florentini c. 3. Suntque præcipua tam in Græcis, quâm in Latinis illa, in quibus aſſerunt, ſacrificia: orationes, & eleemoſynas, & alia bona opera viuẽtium iuuare defunctos ad aliquã remiſſionem pœnarum; ſi in eo ſtatu receſſerunt, in quo illius auxilij ſint capaces.

A Quæ loca Sanctorũ conteſtãtium hanc antiquiſsimã traditionẽ tã ſunt frequentia, v ſuperuacaneum videatur illa referre, præ ſertim cũ articulus ille propriam diſputationẽ requirat. Qui autẽ illũ tradũt, neceſſe eſt, vt crediderint, aliquas fideliũ animas ita poſt mortẽ puniri, vt poſsint ab illis pœnis liberari, & hoc eſt, quod purgatoriũ vocamus. De illo autẽ dogmate videri poſſunt ſpecialiter Auguſtinus dicto libro de Cura pro mortuis agenda, & Cyrillus Hieroſolymit. Cateh. 5. Myſtagogica, & Cypr. Epiſt. *Auguſt. Cyrill. Cyprian.*
B 66. ad Clerũ, &c. & Ambr. orat. de Obitu Theodoſij & orat. 2. de Obitu fratris ſui Satyri. Damaſ. orat. de Def. fidel. *Ambroſ. Damaſc.*

Ex quibus intelligere præterea licet, ſine cauſa Regẽ Angliæ aſtruere voluiſſe, non potuiſſe Bellarminũ purgatoriũ ex Scripturis probare, nã ſicut Sãcti Patres nõ ſine Scripturis illud aſtruxerũt, licêt ſimul ex traditione Apoſtolica illud docerent; ita etiam Illuſtriſ. Bellarminus ſapiẽter, & eruditê veritatẽ hanc ex Scripturis cõprobauit, illas intelligẽdo, prout Sãcti Patres interpretati ſunt. Quòd ſi hoc Regi nõ ſatisfacit, quia ſua certa ſcientia aliter illas intelligit, iã reſ- 19.
C ponſum eſt, ſcientiã illã, quæ â ſenſu Patrũ, & catholicæ Eccleſiæ diſcrepat, nõ eſſe verã ſcientiã, neq; ex ſpiritu Dei eſſe, eo vel maximê, quòd (vt ſæpe dixi & cũ Paulino in eadẽ ferè cauſa dicit Auguſt. lib. de Cura pro mort. agend. c. 1.) Licet Scriptura deeſſet, Eccleſiæ authoritas ſufficeret. Nam certê cûm Scriptura docet, Eccleſiam eſſe columnam, & firmamentum veritatis, & traditiones Apoſtolicas credendas eſſe, virtute cõtinet purgatorij aſſertionem, quam & Eccleſia, & traditio docent. Deinde ad- *Auguſt.*
D dimus, veritatem hanc contineri ſatis in illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deus retribuere vnicuiq; ſecundũ opera ſua, iuxta illud 2. ad Corint. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq́ propria corporis, prout geſsit, ſiuè bonũ, ſiuê malũ.* Hinc enim habemus, nullũ malũ impunitũ à Deo relinqui, ideoq́, ſi in hac vita non puniatur, vel pro illo ſatisfiat, in futura vindicandũ eſſe pęna condigna, & culpæ cõmenſurata, ac ſubinde pena temporali, ſi perſona alioqui iuſta, & grata Deo ſit. *2. Cor. 5.*

20 Denique dicimus, etiam proximé, & immediaté probari ſufficienter veritatẽ hanc in nouo teſtamento, ex loco ſæpe citato 1. Corint. 3. *1. Corin. 3.* *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Et infra. *Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quanuis enim non negemus, verba illa aliter interdũ ab aliquibus Patribus exponi (quorum interpretationes nunc expẽdere non vacat) nihilominus hæc reijci nullo modo poteſt, quia & eſt valde conformis textui, & ſenſui Eccleſiæ, & â multis Patribus approbatur, vt ab *Ambroſ.* Auguſt. Hieronymo, quos iam retulimus, & Ambroſ. in Paulum, vbi multi alij eam probant, & Origen. *Origen.* *Paulin.* copioſê Homil. 6. in Exod. & optimê Paulin. in Epiſt. 9. ad Seuerum, vbi purgatorium vocat *ignem ſapientem*, & in carmine cõtinente paraphraſim Pſal. 1. vbi, *ignem arbitrum*, illud appellat. Et ita etiam expoſuit *Gregor.* Gregor. in cap. 3. Reg. circa finẽ, & lib. 4. Dialog. cap. 39. & Cæſar. Arelaten. *Cæſar Arelaten.* Homil. 8. in eundem locum. Locus etiam Matt. 5. *Matt. 5.* *Ne in carcerem mittaris, amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſsimum quadrantem,* Si recta ratione penſetur, non parum iuuat, maximé cũ ita etiã intelligatur âPatribus allegatis, Tertullian. Cyprian. Ambroſ. & Hieronymo, vt recentiores omittã. Denique hoc etiam inſinuari, vel ſupponi â Chriſto in verbis Matt. 12. *Matth. 12* *Non remittetur ei neque in hoc ſæculo neque in futuro,* Patres intellexerunt, vt Auguſt. *Auguſt.* *Gregor.* *Beda.* *Bernard.* 21. de Ciuit. cap. 13. quem imitati ſunt Gregor. dicto cap. 39. Beda in eum locum, ac Bernard. Et ſi attentê conſideretur prudens loquendi modus, nemo de re aliqua pro duobus temporibus ita loquitur, niſi in vtroque tempore, vel ſtatu res fieri ſoleat.

21 Ex veteri etiã teſtamento aliqua teſtimonia in ſuperioribus tacta ſũt. Quale eſt illud Pſal. 37. *Pſal. 37.* *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Iuxta interpretationem Auguſtini ſuprà relatam, quam etiam tradit Gregor. *Auguſt.* *Gregor.* in Pſal. 1. Pœnitentiæ. Maximê vero illa conuincũt teſtimonia, in quibus, operibus viuentium poſſe iuuari mortuos, vel aſſeritur, vel ſupponitur. Inter illa verô notius, & clarius eſt, quod lib. 2.

A Machab. c. 12. habetur, *Sãcta & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* *2. Mac. 12* Quod deſugere nõ poteſt Rex, niſi negãdo librũ eſſe canonicum. Ad hoc miſerrimũ refugiũ eſt, & de illo nunc diſputare eſſet in longũ, vel potiûs in infinitũ ire. Sufficiunt ergo, quæ de regula diſcernendi libros canonicos â nõ canonicis in ſuperiori libro diximus, & quòd Patres cõmuniter illo libro vt canonico vtãtur; & quod ſpecialiter Aug. dicto lib. de Cura pro mortuis agen. c. 1. inde veritatẽ hanc cõfirmet. Cũ ergo veritas hæc de purgatorijs pœnis tãto põ- B dere authoritatis, & rationis firmata ſit, videat. Rex, quo ſpiritu ductus illã vocare audeat *commentum indignum, in quo opera impendatur.* Neque putet catholicis eſſe contentionẽ cũ hæreticis, vel de ſtatu loci purgatorij, vel an vnus, aut multiplex ſit, nec de modo, aut qualitate pœnarum eius: nã licet hæc â Theologis ſobriê, & prudenter diſputentur (ſicut inquiri etiã poſſe, dixit interdũ Auguſtinus in ſuperioribus allegatus) ſi verò Regi harum rerum meditatio non placet, cum illo de his non cõtendimus, C dummodo temporales poſt mortẽ pœnas pro aliquibus iuſtis imperfectis deſtinatas eſſe, non neget.

De his vero, quæ purgatorium conſequi ſubiungit Rex, & friuola appellat, 22. cûm ab ipſo nõ impugnentur, nunc multa dicere non eſt neceſſe. Quia verô in margine libri hæc friula eſſe dicuntur, *indulgentiæ, iobilæa, & ſatisfactiones pro defunctis*, dicam breuiter, non niſi â Proteſtantibus, leuibus profectô, & impudentiſsimis hominibus, qui Regẽ in infantia peruerterunt, hæc potuiſſe friuola reputari. *Satisfactionem pro defunctis eſſe maximi põderis.* Aut enim friuola dicuntur, D quia veritatis fundamentum non habẽt, vel quia licet vera ſint, parui ſunt, aut nullius momenti. Hoc poſterius nullius hominis mentem, ſi recta ratione nõ careat, ſubire poteſt. Quis enim parui momenti reputet â debito grauiſsimæ pœnæ liberari? aut quis contemnendũ putet, aut charitatis opus eſſe neget; orationibus ad Deum fuſis, & proprijs afflictionibus, & eleemoſynis proximum â grauiſsima pœna liberare; aut quis non magni æſtimet poteſtatem penê diuinam, Chriſti, & Sanctorum ſatisfactiones

ctiones ad compenſandas purgatorij pę-
nas, efficaciter applicare? Profecto hæc
& ſimilia, non ideò quia parui momenti
ſunt, ſed quia incredibilia infidelibus vi-
dentur, à Proteſtantibus friuola reputan
tur. Putant ergo nõ habere veritatis fun
damentũ. At ſi verum eſt, quod Rex
dicit, hæc conſequi aſſertionem purgato
rij, cum oſtenſum ſit, purgatorium ma-
ximæ, & infallibili authoritati nixũ eſſe,
profecto non poſſunt cætera, quæ illud
aſſertum conſequuntur, non eſſe magno
pondere authoritatis fundata; ergo hac
etiam ratione non friuola, ſed veritatis
catholicę dogmata certiſsima dici poſſũt.
Si autem illi Pſeudotheologi, qui in
23. hoc Regi impoſuerunt, in ſacra doctrina
verſati eſſent, ſuffragia, & indulgentias
ad purgatorium conſequi nõ aſſererent:
non enim in illo fundantur, neque cum
illo neceſſariam habent connexionem.
Nam poſſet Deus, ſi iuſtitiæ rigore vti
voluiſſet, purgatorij pœnas ab homini-
bus defunctis, & illarum reis ſine vlla re-
miſsione, vel compenſatione exigere. At
indulgentiæ, & ſatisfactiones nihil aliud
ſunt, quàm pœnarũ purgatorij remiſsio
nes quędã, & compenſationes, quas Deus
propter infinitam bonitatem ſuam, &
propter eximia Chriſti merita Eccleſiæ
ſuæ conceſsit, vt & pœnę illæ mitiores
per Chriſtum fierent, & vt inter Chriſti
mẽbra maior, & excellentior eſſet chari-
tatis mutuæ cõmunicatio. Quocirca li-
cèt purgatoriũ, ſatisfactiones pro defun-
ctis, & indulgentiæ vnã habeant cõmunẽ
materiam, videlicet, debitum temporalis
pęnæ, quod in aliquibus iuſtis interdum
poſt hanc vitam manet, & ideò poſsit ali-
quo modo vnũ ex alio colligi, nihilomi-
nus propriè loquendo, vnũ in alio non
fundatur, ſed vnũquoque per ſe grauiſsi-
mũ habet veritatis fundamentum. Nam
purgatorij pęna fundatur in ordine diui-
næ iuſtitiæ per regulas fidei nobis ſuffici
enter manifeſtato, rationique valde con-
ſentaneo, vt oſtenſum eſt.
24. At verò ſuffragia, ſeu ſatisfactiones fun
dantur *in cõmunione Sanctorũ*, quã in ſym
bolo profitemur. Nam cõmunionem illã
non ſolũ inter mortales hic viuentes, ſed
etiam cũ iuſtis iã defunctis iuxta vniuſ-
cuiuſq; ſtatũ intercedere, Eccleſię autho
ritate traditũ eſt, & in Scriptura ſacra ſuf-

Indulgẽtiæ propter Chriſti merita à Deo Eccleſiæ largiuntur.

A ficiens fundamentũ habet. Quod in ſu-
perioribus capitib⁹ de cõmunione inter
nos, & Sanctos cũ Chriſto regnantes, oſtẽ-
ſum eſt, quatenus, & illos interceſsioni-
bus ſuis nos adiuuare, noſq; ab illis eas po
ſtulare; atque ipſos venerari, laudare, &
Deo pro ipſorum gloria gratias agere
poſſe, & debere, oſtendimus. Com-
munio vero noſtra cum iuſtis defunctis
nondum beatis, ſed in carcere pro aliqui-
bus debitis, decentis perpetua in etiam
Eccleſiæ traditione, & in Scriptura ſa-
cra fundata eſt, vt ex dictis in hoc capi-
B te intelligi poteſt. Oratio enim, eleemo-
ſyna, ſacrificiũ, & ſimilia opera Deo pro
defunctis oblata, vt à peccatis ſoluãtur, ad
hanc cõmunicationẽ pertinent; docent
autem Scriptura, & Eccleſię conſuetudo,
optimum eſſe orare, & operari pro defun
ctis. Vnde rectè colligit Auguſtin⁹ iã alle
gat⁹, ſufficienti authoritate cõuinci, hoc
non fieri ſine fructu: non eſt ergo friuo-
la ſatisfactio pro defunctis, ſed ſufficien-
tiſsimè fundata. Accedit, genus hoc com-
municationis charitati etiam, & rationi
eſſe valde conſentaneũ, & benignę pro-
uidentiæ diuinę valde dignum: non ergo
C pro Catholico reputari poteſt, qui hanc
tam Catholicã ab vniuerſali Eccleſia re-
ceptam veritatem, reputauerit friuolam.
Indulgentiarũ verò conceſsio (ad quã
etiã iobileą ptinẽt) duo habet ſolidiſsima 25.
fũdamẽta. Vnũ eſt infinitus theſaur⁹ me
riti, & ſatiſfactionis Chriſti Dñi, & San-
ctorum, quem theſaurũ ſaltem quantum
ad Chriſti diuitias, eorũq; ſufficientiam
non exiſtimo à Proteſtãtibus negari, id-
que nunc nobis ſatis eſt, quia ſatiſfactio-
nes Sanctorum nõ vt neceſſariæ, ſed ex
abundantia adiunguntur, quod amplius
explicare, & probare præſẽtis loci non
D eſt. Alterum fundamentum eſt ſuprema
poteſtas ligandi, & ſoluendi, quam Chri-
ſtus ſuo Vicario conceſsit, quæ in Euan-
gelio ſatis fundata eſt, vt libro ſequenti
oſtendemus. Quòd autem illa poteſtas
ad hanc diſpenſationem, & indulgentia-
rum cõceſsionem extendatur, Eccleſia-
ſtica traditio, & antiquiſsimus eiuſdem
poteſtatis vſus communi conſenſu Ec-
cleſiæ probatus ſatis oſtendit, vt latiùs
in diſputationibus Theologicis tractaui-
mus, in quarto tomo. 3. partis diſput. 48.
& ſequentib.

1. ## CAPVT. XVI.
De erroribus circa Eccleſiæ ritus, & Benedictiones

INter alia exempla, quę Rex ponit pro articulis, quos nouitios, & nuperos vocat, hæc verba adiungit pag. 48. Præfationis, in principio, *Baptizatio campanarum, & mille prætereà nugæ*, quæ verò ſint iſtæ nugæ, nec ipſe declarat, nec in margine exponitur. Vnde videtur ſub illis verbis omnes ſimiles benedictiones comprehendere: nam Proteſtantes ęquè ſolent de his omnibus nugari. Quanquam de hac, quam vocat baptizationem campanarum, magna exaggeratione Magdeburgenſes dixerint, horrendum eſſe errorem, magnumque ſacrilegium contra Chriſti inſtitutionem. Et ideò ad huius libri complementum operæpretium viſum eſt, pauca de his ritibus dicere, ad propriam obiectionē ex particulari exēplo ſumptam, reſpondendo, & illius occaſione aliquid de toto genere talium benedictionum attingendo.

Refert Bellarmi. lib. 4 de Pontifi c. 12. centu. 10. cap. 6.

2. Duo ergo in huiuſmodi ſignis, quæ cāpanę nūcupantur ſpectari poſſunt, videlicet, vſus talis inſtrumēti ad aliquas actiones publicas conuenienter exercendas, & ritus ab Eccleſia inſtitutus ad benedicendas campanas, & de vtroq; ſigillatim dicendū eſt. Principio igitur certū eſt, antiquam Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe, vt Miſſæ, & alia diuina officia in ſacris locis, ac tēplis fierent, vt certis horis, vel diebus Chriſtianus populus ad illa conueniret. Vnde neceſſariū etiam fuit, eſſe in Eccleſijs ſignum aliquod, quo dato populus ad Eccleſiam accederet. Ad hoc ergo munus inſtitutę ſunt campanę, quæ proptereà ſolēt interdū nomine Signorum abſolutè ſignificari, vt in cap. *Solent*, de Conſecrat. d. 1. & in cap. 1. & 2. de Offic. cuſtodis. Conſiderata igitur hac propria, & quaſi literali inſtitutionis ratione campanarum vſus, nemo prudens dubitare poteſt quin fuerit & vtiliſſimus, & conuenientiſſimus, quia ſignum aliquod publicum moraliter neceſſariū erat. Vnde etiā in veteri teſtamēto dixit Deus Moyſi Numer. 11. *Fac tibi duas tubas argēteas ductiles, quibus conuocare poſsis multitudinē, quando mouenda ſunt caſtra, &c.* Et ex Leuit. 23. colligitur, in feſtiuitatibus ſolitū fuiſſe populum tubis

Neceſsitas inſtituendi cymbala.

Cap. Solent cap. 1. & 2. de Offic. delegat.

Numer. 11.

Leuit. 23.

A clangētibus cōuocari, ſeu admoneri. Idē indicant verba illa Ioelis. 2. *Canite tuba in Sion.* Neceſsitas ergo alicuius ſigni, etiam in Eccleſia Chriſti moralis erat. Determinatio autē ad ſonitū campanæ ex humano arbitrio pendebat, & ideò rectè, & legitimè potuit ab Eccleſia fieri, ſicut facta eſt, & in re per ſe indifferētę ſufficiebat Eccleſiæ conſuetudo, vt nemo prudens, ac moderatus in illa offenderetur. Præſertim cū inſtrumentū illud ad prædictū finem ſit aptiſsimum, tum quia facilè, & ſine magna induſtria pulſari poteſt, tum B etiā, quia eius ſonus latè diffunditur, tum denique quia eſt magis durabile, & quaſi perpetuum.

Ioel. 2.

Accedit, hunc campanarū vſum non eſſe nouum in Eccleſia. Quamuis enim, vt eruditi authores teſtificantur certo nō conſtet, quo tēpore inceperint, non eſt tamen dubiū, quin ante mille annos vſus illarū iam fuerit in Latina Eccleſia cōmunis. Nā anno Sexcēteſimo decimo quinto vixit Sanctus Lupus Epiſcopus Senonenſis, in cuius Actis refertur, tēpore cuiuſdam Obſidionis Senonenſis ciuitatis, *Sanctum Epiſcopum ad Protomartyris Ste-* C *phani ædē ſe contuliſſe, & ad conuocandū populū ſignum tetigiſſe*, vt eſt apud Surium tom. 5. die 1. Septebris. Vbi etiam refert mirabilia Dei opera circa ſignū illud, ſeu campanam demonſtrata. Itē anno 665. obijt Sanctus Eligius Epiſcopus Nouiomenſis, in cuius vita lib. 2. c. 21. refertur, cùm prohibuiſſet Presbyterū in Eccleſia ſacra facere, & Presbyter prohibitione contempta, campanam pulſare tentaret ad populū conuocandū, ipſam ſonum nō rediditſe, donec Presbytero pęnitentiam agente, Sāctus Epiſcopus prohibitionē ſuſtulit. Refert Surius tom. 6. Prę- D terea Beda lib. 4. Hiſtor. Anglicanę. c. 23 mentionē facit cāpanę, ad cuius ſonū ad orationes excitari, & cōuocari ſolebant quędā religioſæ, quādo aliqua earū de ſeculo migrabat. Aliqui autē coniectant, tēpore Anaſtaſij Perſæ Mart. nondū fuiſſe introductū campanarū vſū, quia in ſeptima Synodo Act. 4. ex miraculis eius refertur, in quadā ſolēni ſupplicatione cōuocatos fuiſſe fideles, non ad ſignū cāpanę, ſed per *ligna ſacra pulſata.* Sed hoc & nō multū obſtat, quia Sanctus ille vigeſimo Septimo anno poſt ſexcenteſimum paſſus

3. Campanarum vſus ante mille annos introductus.

Surius. Beda.

Die 1. Decemb.

Synodo. 7. Baroni in Martyrologio. die. 22. Ianuarij.

paſſus eſt, &, & præterea verba illa de Eccleſia Græca dicta ſūt, in qua ſigna illa lignea vſq; ad annū Domini 865. duraſſe creduntur. Nam in illa anno ferunt, Venetiarum Ducem miſiſſe campanas ad Michaelem Imperatorem, & tunc earū vſum apud Græcos incepiſſe, relictis ligneis ſignis, vt notat Baronius eodem anno in fine. Quāuis alibi dicat, illa lignea ſigna non fuiſſe in vſu cōmuni ad conuocandum alicuius Eccleſiæ populum, ſed tantùm inter religioſos ad conuocandos monaſterij Monachos.

To. m. ann. 12.

4\. Quidquid verò in hoc acciderit, certū eſt, ſemper fuiſſe exiſtimata neceſſaria aliqua huiuſmodi ſigna, quæ (quod prę tereundum non eſt) ſacra etiam dicebantur: & inter ea campanarum vſum tanquam vtiliorem, & durabiliorē prçua luiſſe. Rectè autem aduertit Vualfridus Strabo lib. de Rebus Eccleſiſticis cap. 5. hæc ſigna publica non potuiſſe commode in Eccleſia primitiua in vſu haberi: quia diuina officia, propter multitudinē gentilium, & præſertim propter vim perſecutionum non poterant eſſe tam publica, nampotiùs vt ſecretè fierent, curabatur. Et ideò alijs modis inuitabantur fideles, vt prænunciando in vno conuentu alium proximè futurum, vel ſcriptis tabulis eum prodendo, vt ait Strabo loco citato, vel priuatim ſingulos per curſores vel Diaconum monendo, vt ex Epiſtolis Ignatij. 11. & 13. Baronius coniectat. Poſt datam verò pacem Eccleſiæ, eiuſq; amplitudinem neceſſarius fuit ſignorum publicorū vſus, & ita veriſimile eſt, paulò poſt Conſtantini tempora campanarum ritum fuiſſe introductū, qui poſtea perpetua traditione probatus eſt. De qua videri poſſūt, quæ refert. Coccius in Theſaur. tom. 2. lib. 3. art. 6.

Vualfrid. Strabo.

Baron. tom. 1. ann. 58. n. 102.

5\. Cum ergo conſtet nihil eſſe in ſimplici campanarū vſu, quod hæretici carpere poſsint, videamus, quid in earū benedictione, & (vt ſic dicam) ſymbolico vſu reprehendant, Aut enim in vniuerſūm omnē ſacrarum rerū benedictionem, & cæremonialem conſecrationē ab Eccleſia inſtitutam vt ſuperſtitioſam deteſtātur, vel peculiare aliquid in campanarū benedictione reprehēſione dignū inueniunt, vtrūq; autem vnico Auguſtini verbo refutare poſſemus, dicentis, *Si quid per totū*

In campanarū benedictione nihil reprehendi poſſe oſtenditur.

In ult. Epiſt. 138. a. 5.

A *orbem ſeruat Eccleſia, quin ita faciēdum ſit, diſputare, inſolētiſsimæ inſaniæ eſt.* Et quod alibi ait, *non eſſe credendum, inaniter fieri, vbi vniuerſæ Eccleſiæ claret authoritas.* Vlteriùs vero illud prius generale membrū non ſolum traditioni, ſed etiam Scripturæ, & rationi repugnat. Ait enim Paulus, creaturam omnem verbo Dei, & oratione ſanctificari. 1. ad Timoth. 4. Vnde legimus, Chriſtum ad multiplicandos panes, benedictione vſum eſſe in cœlum aſpiciendo Matth. 14, Additq; Marcus cap. 6. etiam piſces benedixiſſe, & Luc. 24. benedixit panem, per cuius fractionem voluit à diſcipulis cognoſci. B Quid ergo eſt, cur Eccleſia nō poſsit, vel res aliquas ſanctificare benedicendo illas, vel in hoc Chriſtum imitari? aut vbi hoc Chriſtus prohibuit? vel quæ moralis ſeu naturalis ratio cogitari poteſt, cui hoc repugnet? Eccleſia enim in huiuſmodi benedictionibus potiſsimè vtitur ſigno crucis, & oratione, ex quibus oratio à Chriſto Domino maximè cōmendata eſt; ſignū verò crucis magnam Sanctificandi vim ab ipſius morte accepit, quandam enim virtualem inuocationem, & propter Chriſti mortem deprecationem continet: C ergo vtroque titulo benedictiones Eccleſiæ religioſæ ſunt, & Deo gratæ.

De cura pro mort. agēd. cap. 1.

1. Timo. 4
Matt. 14.
Marc. 6.
Luc, 24.

Atque hoc etiam confirmant antiquę benedictiones aquæ luſtralis, panis, olei, cerei Paſchalis, & aliæ ſimiles, de quibus non eſt hic dicendi locus. Certum autem eſt, non eſſe nouas, ſed in primitiua Eccleſia vſitatas, vt facilè poſſet ex Patribus oſtendi, ſed id tanquam ab hoc loco alienum omitto, & locum hunc pręclaro teſtimonio Gregorij Nazianzeni concludo. Nam oratione prima contra Iulianum huiuſmodi ritus, & ſanctiones D Eccleſiæ (ita enim illas appellat) ſic laudat, vt dicat, *aptiſsimè illi congruere, taleſque eſſe, vt nullus eorum, qui veſtigijs noſtris inſiſtere cupiūt, æmulari poſsit, quā doquidem non magis humanis ingenijs, atque inuentionibus, quàm vi diuina, temporiſque firmitate vigorem adeptæ ſunt.* Addereque poſſumus, hunc ritū campanarū etiam miraculis fuiſſe interdum a Deo confirmatum, vt videri poteſt in Sigeberto in Chronico anno 1081. & in Baronio tomo octauo, anno. 615. numero 14. & in Duranto lib. 1. de Ritibus Eccleſ. c. 22.

6\.

Greg. Nazianz. Verſus finē. §. Neque enim n. 96.

Sigebert.
Baron.
Durantus.

7. Si verò peculiarem ritum benedicendi campanas ſpectemus, nihil habet præter orationes quaſdam, quibus peculiaria Dei beneficia per campanæ ſonum pro fidelibus poſtulantur, in quibus nihil eſt quod valde pium, & religioſum non ſit. Priùs enim pręmiſsis quibuſdam Pſalmis, & cõmuni ritu benedicendi aquam hæc oratio interponitur, *Aſsiſtat ſuper eã virtus Spiritus Sancti, vt cum hoc vaſculum ad inuitandos Eccleſiæ filios præparatum, in ea fuerit tinnitum vbicumque poſt modum ſonuerit eius tinnitus procul recedat virtus inſidiantium, &c.* Et poſtea petitur, vt in Chriſtianis audientibus tale ſignum, *creſcat deuotionis augmentum, & in Eccleſia dignè orent, & Deum laudent*, & hę petitiones in alijs orationibꝰ iterãtur, & ſpecialiter, *vt quicũque ad ſonitum eius cõuenerint ab omnibus inimici tentationibus liberẽtur in corpore, & à prauis cogitationibus mundentur in mente, ſemperque fidei Catholicæ documenta ſectentur, atque tuæ conſolationis gratiam recipere mereantur, Saluator mundi, &c.* Quæ omnes petitiones pijſsimæ ſunt, & magnam fidem oſtendunt. Et ex eis licet colligere, licèt prima ratio, ſeu occaſio inueniendi hæc ſigna fuerit moralis neceſsitas conuocandi Chriſtianum populum, poſteà verò Eccleſiam fideli cogitatione, & ſapienti inſtitutione illa ordinaſſe ad ſpirituales effectus, & aſſumpſiſſe illa (vt ſic dicam) tanquam inſtrumenta, per quæ fidelium fidem excitaret, qua interueniente, eiuſmodi beneficia per Chriſtũ à Deo impetrarent. Quocirca licet ipſa ſignorũ inſtrumenta propter corporalem (vt ita loquar) effectum fiant, ſcilicet, propter fidelium conuocationem, benedicuntnr autem propter ſpirituales effectus, arcendi dœmones, & omnia incommoda tam ſpiritualia, quàm corporalia, quę per eorum inſidias nobis proueniunt: & excitandi fideles ad fidei & deuotionis augmentum.

8. Sed vrgent Proteſtantes hoc eſſe genus quoddam ſuperſtitionis, quia vanum eſt ſine præcepto, aut authoritate diuina ſpiritualem fructum intendere per materialem ſonum campanarum, ex vi ſolius humanæ benedictionis. Reſpondemus autem facilè, præceptum diuinum non eſſe neceſſarium, nam ſatis eſt, actũ de ſe malum non eſſe, neque à Deo ſpecialiter A prohibitum. Deinde dicimus, authoritatem Dei non deeſſe, ſaltem in radice, & origine, quia ipſe dedit authoritatem Paſtoribus Eccleſiæ ad regendam Eccleſiam, & diſponenda ea, quæ ad accidentarios ritus Eccleſiæ pertinent. Et in ijs, quæ pro vniuerſali Eccleſia approbati ſunt, non deeſt etiam authoritas Spiritus Sancti Eccleſiã docentis, ac gubernantis. Deniq; fiducia, qua ſimiles benedictiones fiunt, eſt fundata in fide Chriſti, & promiſsionum eius, & ita longè abeſt ab omni ſuperſtitione. Quia ille ſpiritualis B effectus non expectatur, niſi à Deo per orationes Eccleſiæ, quæ in illa benedictione funduntur; & licèt quoad nos tranſire videantur, & in re benedicta virtutem non relinquant, ſemper manent in diuina cognitione. Ideòque licèt non ſemper infallibiliter obtineant effectus poſtulatos, ſæpe nihilominus impetrãt, quando aliæ opportunæ cõditiones concurrunt, quia generaliter hoc promiſſum eſt iuſtę orationi, qualis maximè cẽſenda eſt illa, quę nomine totius Eccleſiæ funditur.

9. Obiectio hæreticorũ diſſoluitur.

Inſtabunt verò aduerſarij, quia in hac benedictione interueniunt nõ ſolùm deprecationes, ſed etiam actiones quædam, C quæ nullum poſſunt habere effectum, & ideò vanæ, ac ſuperſtitioſæ videntur. Et præcipuè calumniantur Proteſtantes lotionẽ campanarũ, vndiq; enim intus, & extra cũ aqua benedicta lauari iubẽtur. Et ideò fortaſſe Rex nõ ſub nomine benedictionis, ſed nomine baptizationis hũc ritũ appellat: vel fortè, quia Caluino omnis vſus aquæ benedictæ profanatio quædam baptiſmi viſus eſt. Sed hoc vanũ omnino eſt, cùm in tali vſu, nec intentio, nec forma baptiſmi intercedat. De nomine autem curandũ non eſt, tum quia D Eccleſia neque in ritu benedicendi campanas, neque in aliquo decreto verbo baptizandi, ſed verbo benedicendi campanas vſa eſt. Tum quia nihil habet reprehenſione dignum, & non eſt nouum, ſed ſatis antiquum, vt ex his, quæ Durant. refert lib. 5. de Ritib. cap. 22. num. 6. intelligi poteſt.

10. Inſtantia.

Reiecta ergo voce, de huiuſmodi actionibus fatemur, non fieri propter aliquẽ effectum, quem propriè efficere, aut impetrare poſsint, & nihilominùs negamus, vane, aut ſuperſtitioſè fieri, quia propter aliquam

aliquam conuenientem ſignificationem
ſiunt, ad memoriam, vel affectum fideliũ
excitandum. Quæ ratio valde conſenta-
nea eſt humanæ conditioni, & ideò Deus
ipſe tam in ſacramẽtis antiquis, quàm in
nouis illã obſeruauit, quem ſuo modo, &
pro ſuo captu in inſtituendis ſuis rebus,
& cæremonijs Eccleſia imitatur. Et ita
per illam lotionem campanæ ſignifica-
tur in primis quædam illius dedicatio
ad vſum ſacrum, & ab alijs ſignis pro-
fanis ſeparatio. Item ſignificatur quan-
ta puritate, & decentia interna, & ex-
terna, quantaque fidei integritate ac-
cedere ad Eccleſiam debeant illi, qui ad
ſonitum talium ſignorum ad Eccleſiam
conuocantur. Circa huius autem ritus
antiquitatem non immoror: nam licèt
quidam Ioanni. 13. Pontifici illum tri-
buant, alij verò antiquiorem eſſe exiſti-
ment, res tamen incerta eſt, parumque
refert ad doctrinæ veritatem. Nam in
his rebus, quæ ex inſtitutione humana
pendent, & mutatio, & nouitas eſſe po-
teſt, vt ſuprà dixi. Non enim omnis no-
uitas, ſed profana, deteſtanda eſt: poteſt
autem aliqua eſſe pia, & prudenter, ac
legitima poteſtate inducta; talis autem
eſt vſus, & ritus, de quo tractamus, &
ideò quocunque tempore inceperit, ir-
reprehenſibilis eſt.

Summa, & totius libri conclusio cum apoſtrophe ad Angliæ Regem.

1. De noſtræ fidei myſterijs,
quæ Rex Iacobus in ſua
Præfatione attigit, ea ſtri-
ctim tractauimus, quæ ho-
mini ad prudenter creden-
dum parato ſufficere, non credituro au-
tem nimis multa videri poſſunt. Quan-
uis enim diuina hæc, & ſacroſancta my-
ſteria, ea præſertim, quæ ad diuinam
Euchariſtiam, ac Beatiſsimæ Virginis,
aliorumque Sanctorum cultum, inuo-
cationemque pertinent, adeò fines hu-
manæ rationis, & naturæ terminos ex-
cedant, vt ad eorum intelligentiam ni-
hil, quod ab homine dicatur, ſatis valeat

Vide Bernard. ſerm. 67. in Canti.

A exiſtimari: ad puram nihilominus, &
ſinceram fidem aduerſus ſcripta Regis
Angliæ perſuadendam, noſtræ fidei an-
tiquitatem, & in ea Sanctorum Patrum
conſenſionem oſtendere ſatis, ſuperque
eſſe iudicauimus. Ideòque & id ſolùm
demonſtrare promiſimus, & promiſsũ,
qua potuimus diligentia, certitudine, &
claritate impleuimus.

Supereſt sereniſsime Rex, vt ſicut 2.
nos, quod promiſimus, ſumma fideli-
tate exhibuimus, ita etiam à te, quod
& ipſe promiſiſti, qua debemus humili-
B tate exigamus. Hæc enim tua ſunt ver-
ba in Præfatione ad Chriſtianos Prin-
cipes: *Ego verò id ingenuè ſpondeo, quo-
ties religionis illius, quam profiteor, vllum
caput oſtendatur non antiquum, Catholicũ,
& Apoſtolicum, ſed nouitium eſſe (in rebus,
ſcilicet, ſpectantibus ad fidem) me ſtatim ab
eo diſceſſurum.* Et inferiùs. *Sic* (inquit)
*hunc locum concludam. Me nunquam vl-
lum fidei dogma, quod quidem ad ſalutem
eſt neceſſarium, amplecti recuſaturum, quod
tota Catholica Eccleſia iam inde ab Apo-
ſtolorum temporibus ſine intermiſsione, mul
tis poſt ſeculis conſtanter docuerit, & cre-
C diderit.* Cùm igitur non vnum tantùm,
ſed plura fidei grauiſsima dogmata, ni-
mirum, de veritate corporis, & ſangui-
nis Domini in Euchariſtia, de eiuſdemq;
cultu, debito vſu, ſacraque oblatione,
de Sanctorum cum Chriſto regnantiũ,
& præcipuè ſanctiſsimæ Virginis inuo-
catione, de fidelium animarum, purga-
tione indigentium, pœnis, atque ſuffra-
gijs, aliaque ſimilia, quæ Romana Ec-
cleſia docet, ac credit, antiquiſsima in
Eccleſia Catholica fuiſſe, manifeſtè oſtẽ-
derimus, cùmque Regem Angliæ illa
negare, & contraria vt vera, & Catho-
D lica profiteri, manifeſtum ſit, negare
profectò non poteſt, conditionem ab ip-
ſo poſtulatam, à nobis, & ante nos ab
alijs Catholicis eſſe impletam, ac ſub-
inde ipſum ſua ſponſione teneri, cuius
proinde exhibitionem multis titulis po-
ſtulamus.

Primùm, quòd promiſsio ſit Regia, 3.
quam decet eſſe conſtantiſsimam. De-
inde quòd ſuppoſito rerum Anglicana-
rum ſtatu, fuerit prudentiæ, ac religio-
ni valde conſentanea. Ad hæc, Rex ſe-
reniſsime, quia niſi veritati manifeſtatæ

 acqui-

acquieſcas, ſummum tibi periculum ſalutis immineat: nam ignoraſſe veritatem, humanum, ſed nolle agnoſcere declaratam, vel oppugnare agnitam, periculoſiſsimum eſt, cum ex lance fidei libretur æternitas. Demum, quòd nulla honeſta ratione, nullovè prætextu, verborum tuorum vincula ſubterfugere valeas. An clariorem lucem, maiusvè teſtimonium requiris? audi Chryſoſtomum dicentem: *Sicut ſemper diſcere, ſignum eſt, nunquam poſſe proficere, ſic teſtimonium ſemper quærere, ſignum eſt, nunquam velle credere.* An de tuis viribus, & poteſtate contra fidei hoſtes diffidis? at ſi voluntatis promptitudo non deſit, non eſt, cur impotentiam verearis, nam quod prudentia perſuadet, quodque fides docet, ac religio iubet, idem nullo profectò negotio exequi poteſt Regia potentia; prę ſertim quia ſi animus tibi non defuerit, Deus certè non deerit, cuius donum eſt ipſa fides, fideique defenſio. An ſcandalum peruerſorum hominum times? Audi Auguſtinum: *Si de veritate ſcandalum ſumitur, vtiliùs naſci ſcandalum permittitur, quàm veritas relinquatur.* Cæci ergo ſunt, & duces cæcorum, contemne illos, tui ſunt, abſcinde eos, facilè fiet, quod pro Deo, & re tua, & ſua fit. Vel tandem humanum aliquid pateris, & ne, ſi Romano ſubijciaris Pontifici, aliquid authoritati tuæ derogetur, times? Securus eſto, non tua quærit Romanus Pontifex, ſed te; nam fidei obedientia regnũ non minuit, ſed temporale potiùs auget, & pandit æternum, cuius claues Romano Pontifici commiſſæ ſunt, & ideò de tua eſt ſalute ſolicitus. Quod vt perſuaſum tibi habeas, quod tuum, quodque ipſius ſit ius, & poteſtas, ſequens liber oſtendet.

Chryſoſt.

Auguſt.

Finis Libri ſecundi.

LIBER

LIBER III.

DE SVMMI PONTIFICIS SVPRA TEMPORALES REGES EXCELLENTIA, ET POTESTATE.

HACTENVS oſtēſum eſt, in quas hæreſes, grauesque errores, contempto Catholicę fidei fundamento, Anglia tādem inciderit. Supereſt, vt de totius lapſus origine, id eſt, de negata Pontifici Summo debita obediētia, & vſurpato à temporali Rege falſo nomine ſupremi capitis in ſpiritualibus ſui regni, diſſeramus. Hoc enim fuit totius ſchiſmatis initium, & de ſchiſmate ad hæreſim peruentum eſt, vt ſuprà vidimus. Non eſt autem neceſſe, iterum miſeram, & turpem cauſam commemorare, quæ tantæ mutationi, & horrendo ſchiſmati occaſionem præbuit: nam hiſtoriæ veritas ſatis perſpicuè in principio primi libri deſcribitur, argumentum verò euidens, quod inde ſumitur, mutationem illam Anglicanam non à Deo vero, ſed à principe tenebrarum ortam eſſe, ſatis etiam in eodem libro inculcatum manet, ideoq; his, quæ ad præteritū factum ſpectant, omiſsis, de iure Regis, & Pontificis, in hoc libro tractandum ſupereſt. Et quanuis de abſoluta temporali Regis poteſtate, nulla lis, aut controuerſia mota ſit, ſed ſolùm de illius ad Romanum Pontificem ſubordinatione, dependentia, ac debita obedientia: nihilominùs vt exactiùs res tota intelligatur, A & Regi Angliæ pleniùs ſatisfaciamus (qui in Pręfatione ſua conqueritur, Pōtificem tantam in Reges poteſtatem iniquè vſurpaſſe, vt ſe poſſe contendat *pro libito* regna mutare, dare, & auferre) ideò priùs quid de Regum temporalium munere, & iuriſdictione fides doceat, poſt eà verò de Romani, Summique Pontificis primatu, & poteſtate, quam pro ratione ſui muneris in quoſuis temporales Principes exercere valeat, diſſeremus. Obſeruato autem, pro vniuſcuiuſque loci opportunitate, ordine doctrinæ, ſimul B errores varios ad hoc punctum pertinētes, quos ſparſim Rex in Præfatione, & in Apologia profert, animaduertemus, & refutabimus, obiectionibusque quas indicat, ſatisfaciemus: ad alia verò multa, quæ in hoc puncto dici poſſent, non digrediemur.

CAPVT I.

Vtrum Principatus politicus legitimus, & à Deo ſit.

1. Error aliquorum Iudæorū nullum principatum humanum agnoſcentium

POteſt hoc loco referri antiquus error quorundam Iudęorum, qui dicebant ſolum Deum eſſe tanquam Principem, & Dominum recognoſcendum, illi enim videntur, omnem Principatum

patum humanum, ac ſubinde regnũ etiã politicum tanquam humanę libertati cõ
Ioſephus. trarium reſpuiſſe. Ita refert Ioſephus libro 18. de Antiquit. cap. 1. vbi authorem huius erroris vocat Iudam Gaulanitam, fortaſſe enim ex origine hoc cognomen habebat: nam cap. 2. vocat Iudam Galilæum, fortè ex patria, libro autem 2. de
Act. 15. Bello Iudaic. cap. 2. vocat Simonem Galilæum, tamen in Actibus Apoſtolorum cap. 5. illius videtur fieri mentio ſub nomine Iudæ Galilæi, de quo dicitur, *In diebus profeſsionis auertit populum poſt ſe, & ipſe perijt, & omnes quotquot conſenſerũt ei diſperſi ſunt*. Cuius ſeditionis meminit
Ioſephus. etiam Ioſeph. loco citato, & lib. 7. de Bello Iudaic. cap. 29. & 31. & aliqui exiſtimant hos eſſe Galilæos, *quorum ſanguinẽ Pilatus miſcuit cum ſacrificijs eorum,* vt re-
Luc. 13. fert Lucas cap. 13. & exponit ibi Oecu-
Occumen. menius, & Anaſtaſius Nicænus q. 67. in
Anaſt. Nicæn. Scripturam. Et quoniam Chriſtus Dominus Galilæus erat, & ex Galilæa diſ-
Matt. 22. cipulos congregauerat, ideò fortaſſe Iudæi calumniam illi huius erroris moliebantur, quando illum interrogauerunt, *licet ne, cenſum dare Cæſari, an non?* vt ſenſit Auguſtinus enarrans verba illa Pſal-
Auguſt. mi. 118. *Principes perſequuti ſunt me gra-*
Hieron. *tis*, & Hieronymus ad Titum. 3. in principio.

2. Non conſtat autem mihi, an Iudas ille Galilæus de vniuerſis hominibus, an de ſolis Iudæis ſententiam ſuam protulerit; potuit enim ſpecialiter de Iudæis ſentire non potuiſſe ab Imperatoribus ethnicis in ſubiectionem redigi, vel ad ſoluenda tributa cogi, neque debere illos vt Dominos recognoſcere, quia populus ille ſub peculiari Dei regimine ſuſceptus erat. Et ideò fortaſſe poſteà etiã Apoſtoli, & Chriſtiani in principio de hoc errore ſuſpecti fuerunt gentibus, vt ex Iuſtino Apolog. 2. & Clement. Ale-
Iuſtin. xandr. lib. 4. Stromat. accipi poteſt, &
Clem. Alexandr. latiùs cap. 3. dicam. Quòd ſi Iudas ille abſolutè de omnibus hominibus, & Principibus humanis loquutus eſt, fundari fortè potuit in naturali hominis dignitate. Nam homo factus ad imaginẽ Dei, ſui iuris, ſoliq; Deo ſubditus creatus eſt, & ideò, non videtur poſſe iuſtè in alicuius hominis ſeruitutem, vel ſubiectionẽ redigi; ergo non poteſt vnus homo iuſtè

A compelli, vt alium tanquam Principem, & Dominum temporalem recognoſcat; ac ſubinde Principatus politicus, qui hũc dominatum vſurpat, nec legitimus, nec à Deo eſt.

Nihilominus veritas catholica eſt, politicum Principatũ debito modo introductum, iuſtum, & legitimum eſſe. Dico, *debito modo introductum*, vt excludam poteſtatem per tyrannidem vſurpatam, quia de illa conſtat, eſſe violentiam iniquam, nõ veram, & iuſtam poteſtatem, cùm iuſto titulo dominij careat; quis autem hic titulus iuſtus ſit, capite ſequenti 3. 1. aſſertio. Principatus politicus debito modo introductus iuſtus est.

B attingam. Sic ergo explicata dicta reſolutio habetur expreſſe in Sacra Scriptura Prouerb. 29. *Rex iuſtus erigit terram,* *Prouer.* 29.
& iterum, *Rex, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur.* Sapien. 6. *Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt*. In his enim locis, & ſimilibus apertè ſupponitur, temporales Reges eſſe veros, ac legitimos Principes, ſeu Dominos. Et ideò Petrus. 1. canonic. cap. 2. præcipit, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, &c.* Et infrà, *Regem honorificate,* *Sapient.* 6. *1. Petri.* 2.

C & Paulus ad Roman. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Et infrà, *Non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*, non tenetur autem aliquis propter conſcientiam obedire, niſi legitimam poteſtatem ad pręcipiendum habenti. Pręterea ex Patribus docuerũt veritatem hanc Clemens lib. 4. Conſtitut. cap. 12. dicens, *Eſtote ſubiecti omni Regi, & poteſtati in ijs, quæ Deo placent tanquam miniſtris Dei, & impiorum iudicibus.* Et vlteriùs, *Exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum, &c.* Et concludit. *Hæc enim eſt Dei lex*. Idem *Rom.* 13. *Clemens.*

D habet lib. 7. cap. 17. & Baſilius in Moralib. regul. 79. vbi etiam adducit illud ad Titum. 3. *Admone illos, principatibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*. Hieronym. epiſtol. 4. poſt medium. Vbi exemplis etiã ex brutis animalibus ſumptis id confirmat, dicens, *etiam muta animalia, & ferarum greges ductores ſequuntur ſuos. In apibus principes ſunt. grues vnum ſequuntur ordine literato, Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ, & cæt.* Et ſumpſiſſe videtur ex Cypriano libro de Idolorum vanitate. *Baſilius.* *Ad Tit.* 3. *Hieron.*

Atque

4. Ratione probatur aſſertio. Atque ex his teſtimonijs colligi in A primis poteſt ratio huius veritatis, quæ ex neceſsitate huius principatus, & poteſtatis eius, & conſequenter ex fine illius, qui eſt conſeruatio humanæ, ac ciuilis reipublicæ ſumitur. Homo enim natura ſua propenſus eſt ad ciuilem ſocietatem, eaque ad conuenientem huius vitæ conſeruationem maximè indiget, vt rectè Ariſtoteles docuit. 1. Politicor. cap. 1. & 2. quod etiam à Deo eſſe ſic ordinatum ad conciliandam inter homines concordiam, & charitatem longo diſcurſu expendit Chryſoſt. homil. 34. in 1. ad Corinth. Non poteſt autem communitas hominum ſine iuſtitia, & pace conſeruari, neque iuſtitia, & pax ſine gubernatore, qui poteſtatem præcipiendi, & coercendi habeat, ſeruari poſſunt; ergo in humana ciuitate neceſſarius eſt Princeps politicus, qui illam in officio contineat. Propter quod dicitur Prouerb. 11. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet*, & Eccleſiaſt. 10. additur, *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt*, quia non ſatis eſt, habere Principem, niſi ſit etiam aptus ad gubernandum. Et ideò in pœnam cõminatur Deus Iſai. 3. *Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis*. Cùm ergò humana natura non poſsit eſſe deſtituta medijs ad ſuam conſeruationem neceſſarijs, dubitari non poteſt, quin ex natura rei, & attento iure, & iuſtitia naturali, poſsit eſſe Princips politicus in ciuili ſocietate habens in eam legitimam, & ſufficientem poteſtatem. De quo diſcurſu videri poteſt Auguſt. lib. Propoſ. in epiſt. ad Roman. prop. 72. quem imitatur Anſelm. Rom. 13. & ibidem Primas. & Laur. Iuſt. de Triumphali Chriſti. agon. cap. 12.

Ariſtot. *Chryſoſt.* *Prouer. 11* *Eccleſiaſt. 10.* *Iſai. 3.* *Auguſt.* *Anſelm.* *Primaſi.* *Laur. Iu.*

5 Poteſtq; idem declarari naturali exemplo corporis humani, quod ſine capite conſeruari non poſſet. Eſt enim humana reſpublica ad modum vnius corporis, quod ſine varijs miniſtris, & ordinibus perſonarum, quæ ſint inſtar plurium membrorum, ſubſiſtere nõ poteſt. Vnde multò minùs conſeruari poterit ſine gubernatore, & Principe, ad quem totius corporis commune bonum procurare pertineat. Idem explicari poteſt exemplis ab arte (vt ita dicam) deſumptis, vt eſt de naui, quam neceſſe eſt perire, ſi gubernetor deſit. Item de exercitu, ſi deſit dux, & ſimilibus. Atque huc etiam tendunt exempla ex alijs animantibus è Cypriano, & Hieronymo deſũpta. Quibus (quod notandum eſt) non ſolùm intendunt concludere, neſſarium eſſe Principem in republica, ſed etiam vnũ tãtũ eſſe debere, *Nunquã enim regni ſocietas* (dixit Cyprianns) *aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſijt*. Loquuntur autem de ſupremo Principatu, nam ſub illo eſſe poſſunt plures gubernatores in diuerſis prouinciæ partibus; neceſſe eſt B autem, vt omnes vni ſubordinentnr, in quo ſit ſuprema poteſtas. Nam ſi plures eſſent nec inter ſe nec alteri ſubordinati, fieri nullo modo poſſet, vt vnitas, ſeu concordia, & obedientia cum iuſtitia, & pace conſeruarentur, vt per ſe ſatis notum eſt. Intelligendum verò etiã hoc eſt de vno Principe non quoad perſonam propriam, ſed quoad poteſtatem & conſequenter quoad perſonam aut veram, aut myſticam, ſeu politicam: nã ad regimen, & conſeruationem ciuilis ſocietatis humanæ non eſt abſolutè neceſſarius vnus Monarcha (ſunt enim alij modo regiminum ſufficientes, licèt fortaſſe non ita perfecti, vt infrà attingemus) & ideò cùm de vno Principatu politico loquimur, vnum tribunal, ſeu poteſtatem vnam intelligimus, ſiue illa in vna naturali perſona, ſiuè in vno Conſilio, ſeu congregatione plurium tanquam in vna perſona ficta, vt in vno capite exiſtat.

Ad Principatum politicũ vnum caput myſticum ſufficit.

6 Secunda aſſertio. Poteſtas politici Principis à Deo dimanat. Præter rationem ſumptam ex fine, & ex neceſsitate huius poteſtatis, iuſtitiam eius ex illius origine oſtendere neceſſe eſt. Propter quod addimus, Principem politicum poteſtatem ſuã à Deo D ipſo recipere. Quod etiam abſolutè loquendo, de fide eſt: nam expreſsè Paulus pro ratione obedientiæ debitæ tali Principi, adiunxit, *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinana ſunt*. Et infrà, *Dei enim miniſter eſt*, & Prouerbior. 8. dicit diuina ſapientia, *Per me Reges regnant*, & Sapien. 6. *Audite Reges*, & cæt, *quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſsimo*. Et ita 3. Reg. 10. de Rege Salomone dicitur *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael*, & Da-

Rom. 13. *Prouerb. 8.* *Sapien. 6.* *3. Reg. 10.* *Daniel. 2.*

Daniel. 2. Ierem. 27. & Daniel. c. 2. ad Nabuchodonoſor dixit, *Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium dedit tibi*. Et idem ſumitur ex Ierem. 27. Eadem eſt communis doctrina Patrum exponentium prædicta loca Pauli, præſertim Chryſoſtom. Homil. 23. & Orig. lib. 9. in Epiſtol. ad Roman. & Oecumeni. ibidem, qui ait, *Quia æqualitas in omnibus ſeditioſa res erat, ideò Deus poteſtatem adiunxit*. Homil. in Pſal. 148. circa verba illa, *Reges terræ, omnes populi, Principes, & omnes iudices terræ*, inter alia dicit, *fuiſſe opus Dei prouidentiæ in eos, qui magiſtratus gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuerſum diuiſiſſe*, Nazianzen. orat. 17. & Epiphanius contra Archontic. & hæreſ. 40. vbi inter alia de poteſtate Principis ait, *Non aliunde eſt, ſed ex Deo*, & Iſidorus Peleuſiota lib. 2. epiſt. 206. imperium à Deo formatum, atque inſtitutum dicit, & Theophilus Antiochen. lib. 1. ad Autolyc. *Deum* (inquit) *non Cæſarē adorabo, ſciens Cæſarem ab ipſo eſſe ordinatum*, & infrà dixit, Regem, ſiue Cæſarē eſſe honorandum, & pro illo ad Deum eſſe orandum, *Nam regnum* (ait) *ſeu imperium, rerumq́; adminiſtratio ipſi à Deo commiſſa, ſeu demandata eſt*. Idem latè docet Irenæus lib. 5. contra hæreſ. cap. 24. vbi loca Scripturæ, præſertim Pauli in hunc ſenſum exponit, & alias interpretationes refellit, & optimè Tertullian. lib. ad Scapulam cap. 2. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris, quem ſciens, a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat, & revereatur, & honoret, & ſaluum eſſe velit*. Denique Auguſtinus lib. 5. de Ciuitat. cap. 21. *Non tribuamus* (inquit) *dandi regni, & imperij poteſtatem, niſi Deo vero, &c.* Idemq; cōfirmant Patres in priori aſſertione allegati, & alij, quos in ſequenti capite referam.

[Margin: Chryſoſt. Origen. Oecumen. Chryſoſt. Nazianz. Epiphan. Iſidorus. Peleuſiota Theophil. Antioch. Irenæ. Tertullia. Auguſt.]

7. Ratio aſſertionis. Ratio huius aſſertionis multum pendet ex modo, quo credendum eſt, Deum dare huiuſmodi principatum, ſeu poteſtatem, quod ſequenti capite tractandū eſt. Et ideò nunc breuiter probatur, primò quia omnia, quæ ſunt de iure naturę ſunt à Deo vt authore naturæ; ſed principatus politicus eſt de iure naturæ; ergo eſt à Deo vt authore naturæ. Et ita hæc aſſertio fundatur in præcedente: nam cū hic principatus iuſtus, & legitimus ſit, non poteſt non eſſe conſentaneus iuri

A naturali, & cùm ſit neceſſarius ad conſeruationem humanæ ſocietatis, quam ipſa humana natura appetit, etiam hoc titulo eſt ex iure naturali talem poteſtatem exigente; igitur ſicut Deus, qui eſt author naturæ, eſt etiam author iuris naturalis, ita etiam eſt author huius primatus, & poteſtatis. Nam, vt Philoſophus dixit, qui dat formam, dat ea, quæ conſequuntur ad ipſam. Deinde poteſt eadē illatio fieri hoc modo, quia omne bonū dimanat à Deo vt à principali authore, iuxta illud Iacobi. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum* Iacob. 1.
B *eſt*, ſed principatus politicus eſt bonus, & honeſtus, vt oſtenſum eſt; ergo eſt à Deo. Denique hac ratione terreni Reges miniſtri Dei vocantur in Scriptura, vt vidimus; ergo eorum poteſtas miniſterialis eſt reſpectu Dei; ergo ipſe eſt principalis author huius regiminis. Declaratur autem maximè ex poteſtate, quam Princeps politicus habet ad vindictam de malis ſumendam, etiam illos vita priuando, ſi oportuerit: nam hoc ſine diuino nutu fieri nō potuiſſet, cùm ſolus Deus ſit Dominus vitæ hominis, & hoc ſignificauit Paul. dicens, *Non ſine*
C *cauſa gladiū portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit*. Vnde Rom. 13. etiam eſt illud Auguſtini lib. de Natura boni contra Manichæos, *etiam nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo*, & citat illud *per me Reges regnant*, & ſimilia. Aug.

8. Diluitur fūdamentū erroris in principio poſiti. Atque hinc facilè patet reſponſio ad fundamentum contrarij erroris intellecti in poſteriori ſenſu ſuprà declarato, in quo eſt propoſitæ veritati catholicæ cōtrarius. Quamuis enim homo liber creatus ſit, non tamen ſine capacitate, & aptitudine, vt iuſta cauſa, & rationi conſētanea poſſit alteri homini ſubijci, imò
D ſubiectio aliqua eſt homini naturalis, vel ſuppoſito naturali modo generationis, vt eſt ſubiectio filij ad patrem, vel ſuppoſito aliquo pacto, vt eſt ſubiectio vxoris ad virum. Sic ergo, ſuppoſita ſocietate ciuili, ſubiectio ſingularum perſonarum ad publicam poteſtatē, ſeu principatum politicum naturalis eſt tanquā conſentanea rectæ rationi naturali, & ad conuenientem humanæ naturæ conſeruationem neceſſaria. Et ideò neque cōditioni hominis hęc ſubiectio repugnat,

neque

neque etiã in aliquam Dei iniuriã redũdat, quia licêt Princeps politicus in gradu ſuo ſit Rex, legislator, & Dominus, longé tamen diuerſo, & inferiori modo, quam Deus. Nam de homine ſolùm per participationem quandã tanquam de miniſtro Dei hæc dicũtur; ſoli autem Deo per eſſentiã, & principaliter cõueniunt. Quòd ſi error ille in priori ſenſu Intelligitur, nõ opponitur aſſertioni catholicę a nobis propoſitę, quia licêt Iudaicus populus ex peculiari Dei priuilegio eſſet exemptus, ne iure Principibus ethnicis ſubdi poſſet: nihilominus in ipſa Iudæorũ republica legitimus principatus politicus inueniri potuit, ſicut re vera ſuis temporibus fuit, & ſimiliter in alijs regnis, & prouincijs gentium eſſet idem principatus, & in vnoquoque Principe ſupremo eſſet ſimilis poteſtas in populos ſibi ſubiectos. Verũtamen etiam in illo ſenſu non habuit ſententia illa fundamentum ſolidum; non vacat autem nunc, illud expẽdere, neque etiam examinare, an Iudæi iure, & legitimê, vel per iniuriã, & tyrãnidẽ fuerint Romanis ſubiecti, & ad ſoluendũ Imperatori tributũ coacti, nam huiuſmodi quæſtiones nihil ad præſens inſtitutum referunt.

CAPVT II.

Vtrum Principatus politicus immediatè à Deo ſit, ſeu ex diuina inſtitutione.

1. incipatũ. liticum mediate Deo eſſe itur Ia bus Rex. QVæſtio tractata in præcedenti capite, propter hanc, quam nũc propono, declarata eſt: in illa enim nulla eſt nobis contentio cum Rege Angliæ: ſed neceſſariò præmittẽda fuit, vt hæc poſsit intelligi. In qua Rex ſereniſsimus non ſolùm nouo, & ſingulari modo opinatur, ſed etiam acriter inuehitur in Cardinalem Bellarminum eo quòd aſſeruerit, *Non Regibus authoritatẽ à Deo immediatè perinde, ac Pontificibus eſſe conceſſam.* Aſſerit ergo ipſe, Regem non à populo, ſed immediatè à Deo ſuã poteſtatem habere, ſuam verò ſententiam quibuſdam argumentis, & exemplis ſuadere conatur, quorum efficaciã in ſequenti capite expendemus.

a Præfat. g. 140.

Sed quanquã cõtrouerſia hæc ad fidei dogmata directè nõ pertineat (nihil enim ex diuina Scriptura, aut Patrum traditione in illa definitum oſtendi poteſt) nihilominus diligenter tractanda, & explicanda eſt. Tum quia poteſt eſſe occaſio errandi in alijs dogmatibus. Tũ etiã quia prædicta Regis ſententia; prout ab ipſo aſſeritur, & intenditur; noua, & ſingularis eſt, & ad exaggerandam tẽporalem poteſtatẽ, & ſpiritualem extenuandã videtur inuẽta. Tũ deniq; quia ſẽtentiã Illuſtriſ. Bellarmini antiquã, receptã, verã, ac neceſſariã eſſe cenſemus. Quod vt oſtendamus declarare priùs oportet, quid ſit, poteſtatem aliquã eſſe immediate à Deo, ſeu (quod perinde eſt) Deũ eſſe immediatã cauſã, & authorẽ alicuius poteſtatis. In primis enim requiritur, vt Deus ſit cauſa proxima, ſua volũtate conferens talẽ poteſtatẽ. Non enim ſatis eſt, vt Deus tanquã prima cauſa, & vniuerſalis poteſtatẽ tribuat: nã licêt illo etiã modo poſsit Deus aliquo modo dici ĩmediatê efficere, vel donare, quidquid ab ipſo tanquã â prima cauſa pendet, ſiue ratione proximę virtutis, ſiue vt immediatũ ſuppoſitum, vt Philoſophi diſtinguunt: nihilominus hic modus immediatæ effectionis in præſenti nõ ſatis eſt. Quia nulla eſt poteſtas, quæ hoc modo non ſit â Deo, vt â prima cauſa, ac proinde immediate in illo genere: atq; ita poteſtas etiã data immediatê ab hominibus â Rege, vel Pontifice, datur etiã à Deo vt prima cauſa immediatè influente in illũ effectum, & in actum voluntatis createæ, per quã proxime donatur. At verô talis poteſtas non dicitur ſimpliciter eſſe immediate à Deo, ſed ſolûm ſecundũ quid nam proxime ab homine datur, & ab illo pendet. Tũc ergo dicitur poteſtas abſolute data immediate â Deo, quando ſolus Deus por voluntatẽ ſuã eſt cauſa proxima, & per ſe donans talẽ poteſtatẽ, & hoc modo in præſenti loquimur; alioqui friuola, & inutilis eſſet diſputatio.

Quæ requirũtur, vt aliqua poteſtas immediate à Deo cõcedatur.

Imô vlterius duos modos diſtinguere oportet, quibus Deus poteſt, & ſolet immediate, id eſt, ſola ſua potẽtia, & volũtate, aliquã poteſtatẽ cõferre. Vnus modus eſt, dãdo poteſtatem, vt ex natura rei neceſſariò connexã cũ aliqua natura, quã Deus ipſe cõdit, quod in Phyſicis facultatibus facilè poteſt conſiderari: nam Deus creãdo animã, dat illi immediatê intellectũ, & voltũatẽ, quia licêt huiuſmodi potẽtię ex anima ipſa naturaliter fluant,

 tamen

tamẽ quia ſol⁹ De⁹ animã ĩmediatê creat dicitur etiã immediatê cõferre potẽtias, quę illã cõſequũtur. Idẽ ergo eſt ſeruata ꝓportione in morali poteſtate, nã poteſtas patris in filiũ moralis eſt, & â Deo ipſo vt authore naturę ĩmediatê cõfertur, nõ vt peculiare donũ â natura omninô diſtinctũ, ſed vt neceſſariò cõſequẽs illã, ſuppoſito generationis fũdamẽto: ſicut ê contrario ſubiectio filij ad Patrẽ naturalis eſt, & â Deo immediatê, nõ ex peculiari inſtitutione addita naturæ, ſed vt neceſſariò cõſequens ad talem naturam rationalem ſic productam. Alio modo datur â Deo immediate poteſtas per ſe (vt ita dicam) & peculiari donatione, nõ vt neceſſariò connexa cum alicuius rei creatione: ſed vt voluntariè â Deo ſuper addita alicui naturæ, vel perſonæ. Cuius modi poſſumus exempla quaſi phyſica, & moralia adhibere; nam poteſtas proxima faciendi miracula quaſi phyſica eſt & tamen Deus illam immediate cõfert, cui vult, non ex aliquo debito, ſed ex cõſilio voluntatis ſuæ. Poteſtas quoq; iuriſdictionis, Petro v.g. data moralis fuit, & tamen Deus illam immediate, directê ac per ſe contulit. Ratio autem diſtinctionis non eſt alia, niſi quia poteſtates ipſæ poſſunt eſſe diuerſarum rationum, vel ordinum, & Deus potens eſt ad operandum, & connaturali, & præter, vel ſupernaturali modo.

4. Quamobrẽ cûm Rex adſtruat, Deũ immediatê dare Regibus principatum, & poteſtatem temporalem, videndum eſt, an illa aſſertio aliquo ex prædictis modis vera eſſe poſsit. Priùs verò declarandum eſt ſubiectum, cui dicitur Deus immediate dare hanc poteſtatem, & ad quod, vel quale regimen illam dare cenſeatur. Nam hæc poteſtas conſiderari poteſt, vel prout eſt, ſeu eſſe poteſt in toto corpore politico communitatis, ſeu ciuitatis humanæ, vel prout in his, aut illis membris eiuſdem cõmunitatis exiſtit, vel exiſtere poteſt. Item conſiderari poteſt eadem poteſtas vel præciſe, & abſtracte, vel ad certam ſpeciem politicæ gubernationis determinata. Nã (vt eſt moralis doctrina Philoſophis cõmunis) triplex poteſt eſſe regimen reipublicæ humanæ, monarchicum vnius Principis ſupremi, qui ſit vna ſingularis

A perſona, Ariſtocraticum vnius ſupremi Conſilij, ſeu tribunalis ex pluribus optimatibus coacti, & Democraticum, per totius populi ſuffragia, quię tres modi ſimplices ſunt, ex illis autem poſſunt alij componi, qui vel duos illorum, vel etiam omnes participent, quæ gubernationes miſtæ ſolent appellari. Poteſt igitur principatus politicus, vel per ſe, & præcisê conſiderari, vt poteſtas quædam ſuprema regendi ciuiliter rempublicam, abſtrahendo ab hoc, vel illo modo regiminis tã ſimplici, quâm mixto, B vel prout determinatus ad aliquã regiminis ſpeciẽ ex his, quas numerauimus. Quibus ſic propoſitis, & diſtinctis ſine vlla prorſus ambiguitate, euidẽtiq; ratione ſtatui poteſt quomodo Principatus politicus ſit immediatê â Deo, & nihilominus Regibus & ſenatibus ſupremis non â Deo immediatè, ſed ab hominibus cõmendatus ſit.

Ariſt. 3. Politic. cap. 5. & . Ethic. cap. 10.

Primo enim ſuprema poteſtas ciuilis per ſe ſpectata immediatê quidem data eſt â Deo hominibus in ciuitatem, ſeu perfectam communitatem politicã cõgregatis, non quidem ex peculiari, & C quaſi poſitiua inſtitutione, vel donatione omnino diſtincta â productione talis naturæ, ſed per naturalem cõſequutionem ex vi primæ creationis eius; ideoq; ex vi talis donationis non eſt hæc poteſtas in vna perſona, neque in peculari congregatione multarum, ſed in toto perfecto populo, ſeu corpore communitatis. Hæc reſolutio quoad omnes partes communis eſt, non ſolûm Theologorum, ſed etiam Iuriſperitorum, quos ſtatim referam. Nunc ratione oſtendo ſingulas partes. Primã quidem, & ſecundã quia hæc poteſtas politica naturalis eſt: D quia nulla etiam interueniente ſupernaturali reuelatione, aut fide, ex dictamine rationis naturalis agnoſceretur hæc poteſtas in humana republica, vt illius cõſeruationi, & æquitati omnino neceſſaria: ſignũ igitur eſt, eſſe in tali cõmunitate vt proprietatẽ conſequentẽ naturã, ſeu creationem, & naturalem ipſius inſtitutionem. Nam ſi præter hanc eſſet neceſſaria ſpecialis Dei donatio, & conceſsio non connexa cum natura, non poſſet ſola naturali ratione de illa conſtare, ſed opus eſſet, vt per reuelationem homi-

5. Suprema poteſtas ciuilis ſoli cõmunitati perfectę immediatè â Deo confertur.

Probatur prior aſſertionis pars primò.

hominibus manifeſtaretur, vt de illa certi eſſe poſſent, quod tamen falſum eſt, vt ex dictis conſtat.

6. Quòd autem ſaltem hoc modo neceſſario dicendum ſit, hanc poteſtatem eſſe immediatè à Deo, facilè ex eiſdem principijs concluditur, quia quæ conſequũtur naturam, immediatè dantur à proprio, & immediato authore eiuſdem naturæ, vt declaraui; ſed hæc poteſtas eſt proprietas quædam conſequens humanam naturam, vt in vnum politicum corpus cõgregatam, vt etiam oſtenſum eſt; ergo datur immediatè à Deo, vt eſt author, & prouiſor talis naturæ. Deinde probari hoc poteſt, quia hæc poteſtas eſt à Deo, vt capite præcedenti probatũ eſt, & reſpectu talis cõmunitatis non intercedit medium (vt ſic dicam) inter Deum & ipſam, per quod tribuatur. Nam eo ipſo, quod homines in corpus vnius ciuitatis, vel reipublicæ congregantur, ſine interuentu alicuius creatę voluntatis reſultat in illa cõmunitate talis poteſtas, cũ tanta neceſsitate, vt non poſsit per volũtatem humanam impediri; ſignum proinde eſt, eſſe immediatè à Deo, interueniente ſolùm illa naturali reſultantia, ſeu conſequutione ex natura, & dictamine rationis naturalis oſtẽdentis potiùs, quã eiuſmodi poteſtatem exhibentis. Neq; immediatam emanationem huius poteſtatis à Deo hoc modo declaratam, negauit vnquam Cardinalis Bellarminus, ſed illam potiùs ſuppoſuit, quia non inter populum, & Deum medium poſuit, ſed inter Regem, & Deum voluit populum eſſe medium, per quod Rex talem accipit poteſtatem, quod longê diuerſum eſt, vt iam declarabitur.

Probatur ſecundo.

7. Atque hinc euidens etiã eſt (quod in vltima parte aſſertionis dicebamus) poteſtatẽ hanc præciſe ſpectatã, vt eſt ab authore naturæ quaſi per naturalẽ conſequutionẽ, nõ eſſe in vna perſona, neq; in aliqua peculiari communitate, ſiue optimatũ, ſiue quorũcũq; ex populo, quia ex natura rei ſolũ eſt hęc poteſtas in cõmunitate, quatenùs ad illius cõſeruationem neceſſaria eſt, & quatenus per dictamen rationis naturalis oſtẽdi poteſt; ſed ratio naturalis ſolùm oſtendit, eſſe neceſſariã in tota cõmunitate, & non in vna perſona, vel ſenatu; ergò prout eſt immediatè

Altera pars aſſertionis oſtenditur.

A à Deo, ſolùm intelligitur eſſe in tota cõmunitate, non in aliqua parte eius. Quod intelligo de parte cõmunitatis non ſolũ indiuiduè, ſeu materialiter (vt ſic dicam) deſignata, ſed etiam formaliter, ſeu indeterminate, aut vage concepta, id eſt, non eſt immediatè in vna certa perſona, v.g. Adamo, Iacobo, vel Philippo, neq; etiã ex natura rei poſtulat eſſe in vna ſingulari perſona, & idem eſt cum proportione de ſenatu, ſiue ſpectetur materialiter vt conſtans ex talibus perſonis, ſiue formaliter, vt eſt cõgregatio ex tali, vel tãto

B perſonarum numero. Et ratio eſt manifeſta, quia ex vi rationis naturalis nulla poteſt excogitari ratio, cur hæc poteſtas determinetur ad vnam perſonam, vel ad certum numerũ perſonarum intra totã cõmunitatem magis, quam ad aliũ; ergo ex vi naturalis cõceſsionis ſolũ eſt immediatè in cõmunitate. Declaratur deniq; quia ex vi ſolius rationis naturalis non determinatur Principatus politicus ad Monarchiã, vel Ariſtocratiã, ſimplicem, vel miſtam, quia nulla eſt ratio, quæ definitum modũ regiminis neceſſariũ eſſe cõuincat. Quod vſus ipſe cõfirmat: nã pro-

C pterea diuerſę prouincię, vel nationes diuerſos etiã gubernationis modos elegerũt, & nulla illarũ cõtra rationẽ naturalẽ, aut cõtra immediatã Dei inſtitutionem operatur. Quare ſignũ eſt, poteſtatẽ politicam non eſſe à Deo immediatè donatã vni perſonæ, Principi, Regi, aut Imperatori, alioqui illa eſſet monarchia immediatè à Deo conſtituta: vel vni, vel alicui particulari ſenatui, aut particulari congregationi paucorum Principũ, alioqui illa eſſet Ariſtocratia à Deo immediatè inſtituta, idemq; argumentum de quacũque miſta gubernatione fieri poterit.

D Dices: ſi hæc ratio efficax eſſet, etiã probaret, Deũ nõ dediſſe immediatè toti cõmunitati hanc politicã poteſtatem, quia aliàs Democratia eſſet immediatè ex diuina inſtitutione, ſicut de Monarchia, & Ariſtocratia nos inferebamus. At hoc nõ minus eſt falſum, & abſurdũ in Democratia, quàm in alijs ſpeciebus regiminũ, tũ quia ſicut ratio naturalis nõ determinat, vt neceſſariã, Monarchiam, vel Ariſtocratiã, ita nec Democratiã; imò multò minus iſtam, quia omnium imperfectiſſima eſt, vt Ariſtoteles teſtatur, & eſt per *Ariſt.*

8. Obiectio.

T 2 ſe

ſe euidens. Tum etiam quia ſi illa inſtitutio eſſet diuina, non poſſet per homines immutari. Reſpōdetur, negando primam illationem, nam potiùs ex eo quod hæc poteſtas non eſt data à Deo inſtituẽte monarchiam, vel ariſtocratiam, neceſſariò conluditur datam fuiſſe toti cōmunitati, quia non relinquitur aliud ſubiectum humanum, vt ſic dicam, cui dari potuerit. Ad alteram verò illationem, ſcilicet, hinc ſequi, democratiam eſſe ex diuina inſtitutione, reſpondemus, ſi hoc intelligatur de inſtitutione poſitiua, negandam eſſe conſecutionem: ſi verò intelligatur de inſtitutione quaſi naturali, ſine vllo inconuenienti admitti poſſe, & debere. Eſt enim valde notanda differẽtia inter has ſpecies politicæ gubernationis, nam monarchia, & ariſtocratia introduci non potuerunt ſine poſitiua inſtitutione diuina, vel humana, quia ſola naturalis ratio nudè ſumpta non determinat aliquam ex dictis ſpeciebus vt neceſſariam, ſicut dixi; vnde cùm in humana natura per ſe ſpectata abſque fide, ſeu reuelatione diuina non habeat locum poſitiua inſtitutio, de illis ſpeciebus neceſſariò concluditur, non eſſe immediatè à Deo. At verò democratia eſſe poſſet abſque inſtitutione poſitiua, ex ſola naturali inſtitutione, ſeu dimanatione cum ſola negatione nouæ, ſeu poſitiuæ inſtitutionis, quia ipſa ratio naturalis dictat, poteſtatem politicam ſupremam naturaliter ſequi ex humana communitate perfecta, & ex vi eiuſdem rationis ad totam communitatem pertinere, niſi per nouam inſtitutionem in alium transferatur, quia ex vi rationis neque alia determinatio locum habet, neque immutabilior poſtulatur.

Solutio.

Monarchia & Ariſtocratia abſque poſitiua inſtitutione introduci nequeunt: Democratia verò maximè.

9. Quocirca poteſtas hæc, prout à Deo immediatè datur communitati, iuxta modum loquendi Iuriſperitorum, dici poteſt de iure naturali negatiuè, non poſitiuè, vel potiùs de iure naturali concedente, non ſimpliciter pręcipiente. Quia nimirũ ius naturale dat quidem per ſe, & immediatè hanc poteſtatem communitati, non tamen abſolutè præcipit, vt in illa ſemper maneat, neque vt per illã talis poteſtas immediatè exerceatur, ſed ſolùm quandiu eadem cōmunitas aliud non decre uerit, vel etiam ab aliquo po-

Quomodo democratia dicatur eſſe de iure naturæ.

A teſtatem habẽte mutatio legitimè facta fuerit. Exẽplũ eſt de libertate hominis, quę ſeruituti opponitur, eſt enim de iure naturali, quia ex vi ſolius naturalis iuris homo naſcitur liber, nec poteſt ſine legitimo aliquo titulo in ſeruitutẽ redigi, ius autem naturæ nõ præcipit, omnẽ hominem ſemper manere liberum, ſeu (quod perinde eſt) non ſimpliciter prohibet, hominẽ in ſeruitutẽ redigi, ſed ſolùm, vt id nõ fiat vel ſine libero illius cõſenſu, vel ſine iuſto titulo, & poteſtate. Sic ergò perfecta cõmunitas ciuilis iure

B naturæ libera eſt, & nulli homini extra ſe ſubijcitur, tota verò ipſa habet in ſe poteſtatem, quæ ſi non mutaretur, democratica eſſet, & nihilominus, vel ipſa volente, vel ab alio habente poteſtatem, & titulum iuſtum, poteſt tali poteſtate priuari, & in aliquam perſonam, vel ſenatum transferri.

10. Ex quibus tandem concluditur, nullũ Regem, vel Monarcham habere, vel habuiſſe (ſecũdum ordinariam legem) immediatè à Deo, vel ex diuina inſtitutione politicum principatum, ſed mediàte humana voluntate, & inſtitutione. Hoc

C eſt *egregium Theologiæ axioma*, non per irriſionẽ, vt Rex protulit, ſed verè, quia rectè intellectum veriſsimũ eſt, & ad intelligendos fines, & limites ciuilis poteſtatis maximè neceſſariũ. Nõ eſt autem nouum, aut à Cardinali Bellarmino inuentũ, vt prædictus Rex illi attribuere videtur: nam multò anteà illud docuit Cardinalis Caietanus in Apologia, ſeu tractatu 2. de Authorit. Papæ. p. 2. c. 1o. & Caſtr. li. 1. de Leg. pœn. c. 1. & Dried. lib. 1. de Libert. Chriſt. c. 19. & Victor. in Relect. de Poteſtat. ciuil. n. 8. & ſequẽtib. & ſumitur ex eodem in relect. 2. de

D Poteſtat. Eccleſiaſt. concluſ. 3. & ad 1. Soto lib. 4. de Iuſti. q. 2. ar. 1. in diſcurſu cõcluſionis 1. & latiùs q. 4. ar. 1. quos ſequutus eſt Ludou. Molina tract. 2. de Iuſtit. diſp. 21. Et inſinuat D. Thom. 1. 2. q. 90. ar. 3. & q. 97. ar. 3. & clariùs 2. 2. q. 10. ar. 10. Nec ſolũ à Theologis, ſed etiã à Iuriſperitis doctrina hæc tradita eſt cõmuniter in l. 3. ff. de Conſtitut. Princip. & in l. 2. ff. de Origin. iuris, & ex Modernis, à Nauarro in cap. *Nouit*, de Iudicijs, notab. 3. præſertim n. 41. & 85. & 94. & n. 112. & ſequẽtib. vſq; ad 121. & n. 147. Couar-

Nullus principatus politicus eſt immediatè à Deo.

Caietan. *Caſtro.* *Dried.* *Victor.*

Soto. *Molina.* *D. Thom*

Nauar.

Couarruuias in Practicis quæſtionibus cap. 1. nu. 6. qui alios etiam referunt.

Couarr.

11. Ex Patribus confirmatur aſſertio.

Præterea ſumi poteſt hæc veritas ex Sanctis Patribus, primo, quia ſæpe aſſerunt, hominem à Deo fuiſſe creatum ingenuum, & liberum, ſolùmque accepiſſe à Deo immediate poteſtatem dominandi brutis animalibus, & inferioribus rebus; dominium autem hominum in homines per humanam voluntatẽ, propter peccatum, aut aduerſitatem aliquã fuiſſe introductum. Quod tradidit Ambroſius ad Coloſſ. 3. in fine, & latiùs Auguſtin. 19. de Ciuit. cap. 15. & lib. Quæſtion. in Geneſ. q. 153. & Gregor. libr. 21. Moral. cap. 10. aliàs 11. & in Paſtorali p. 2. cap. 6. Quod enim illi de libertate vniuſcuiuſque hominis, & ſeruitute illi oppoſita dicunt, eadem ratione in perſona mixta, ſeu ficta vnius communitatis, ſeu ciuitatis humanæ verum habet. Nam prout à Deo immediatè regitur iure naturæ libera eſt, & ſui iuris, quæ libertas non excludit, ſed includit potius poteſtatem regendi ſe ipſam, & imperandi membris ſuis, excludit autem ſubiectionem ad alium hominem, quantum eſt ex vi ſolius naturalis iuris, quia nulli hominum dedit Deus immediatè talem poteſtatem; donec per inſtitutionem, vel electionem humanam in aliquẽ transferatur. Deinde hoc egregiè confirmat ſententia Auguſtini lib. 3. Cõfeſ. cap. 8. dicentis, *Generale pactum eſt ſocietatis humanæ obedire Regibus ſuis.* Nã per hæc verba ſignificat, Regium principatum, & obedientiam illi debitam fundamentum habere in pacto ſocietatis humanæ, ac ſubinde non eſſe ex immediata inſtitutione Dei, nam humanum pactum humana contrahitur voluntate.

Ambroſ. Auguſt. Gregor.

Auguſt.

12. *L. 1. ff. de Conſtitut. Princip. Vlpianus.*

Et fortaſſe hoc pactum nomine *legis Regiæ* ſignificatur in l. 1. ff. de Conſtitut. Princip. vbi Vlpianus ait, ideò Principis placitum legis habere vigorem, *quia lege Regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem tranſtulerit.* Quæ verba probauit, & tranſcripſit Iuſtinianus Imperator in §. *Sed & quod Principi*, inſtitut. de Iure natur. genti. & ciuili: illa enim lex non dicitur Regia, quia ab aliquo Rege lata ſit, ſed quia de imperio Regis lata eſt, vt in eadem l. 1. dicitur, vbi etiam

Iuſtinian.

A ſignificatur, conſtitutam eſſe à populo creante, & inſtituente Regis dignitatẽ, transferendo in illum ſuam poteſtatem, vt ibi etiam Gloſſæ, & Doctores exponunt. Non potuit autem illa lex ferri per modum ſolius præcepti, cum per illam populus ſe abdicauerit à ſuprema iuris dicendi poteſtate; ergo intelligi debet conſtituta per modum pacti, quo populus in principem tranſtulit poteſtatẽ ſub onere, & obligatione gerendi curam reipublicæ, & iuſtitiam adminiſtrandi, & Princeps tam poteſtatem, quam conditionem acceptauit; ex quo pacto firma, & ſtabilis permanſit lex Regia, ſeu de Regali poteſtate; non ergo immediatè à Deo, ſed à populo Reges hanc habent poteſtatem. Vnde etiam dicitur in l. 2. §. *Nouiſſimè*, ff. de Origi. iuris, *quia Senatus non omnes prouincias probè regere poterat, conſtituto Principe, datum eſſe ei ius, vt quod conſtituiſſet, ratum eſſet:* *L. 2. §. Nouiſsimè ff. de Origin. iur.*

13. Ratione probatur concluſio.

Ratio autem aſſertionis ex dictis facilè colligitur: nam illa poteſtas dicitur eſſe in aliquo immediatè à Deo, quę vel per ſolam Dei voluntatem, vel ex vi ſolius rationis naturalis, aut alicuius diuinæ inſtitutionis ad illum peruenit, ſed poteſtas, de qua tractamus, nullo ex his modis data eſt Regibus à Deo, loquendo ſecundum ordinariam legem, quia nec per ſpecialem voluntatem Dei immediatè data eſt (talis enim voluntas Dei nec reuelata, nec nota facta eſt hominibus) neque etiam ſolum ius naturale per ſe dictat, hanc poteſtatem debere eſſe in Regibus, vt oſtenſum eſt: inſtitutio denique ſeu determinatio, aut trãslatio huius poteſtatis ad Reges non à Deo immediatè facta eſt, vt ex vſu ipſo conſtat. Item quia aliàs talis inſtitutio immutabilis eſſet, & omnis mutatio in ea facta per homines fuiſſet iniqua; imò omnes ciuitates, regna, vel reſpublicæ deberent eandem inſtitutionem ſeruare, quia non eſt maior ratio de vna, quàm de alia, neque vna magis accepit ex diuina reuelatione talem inſtitutionem, quàm alia. Eſt ergo hęc humana inſtitutio; quia per homines immediatè facta; ergo per homines immediatè datur poteſtas Regibus, quorum dignitas per illam inſtitutionem creata eſt. Mediatè autem dicitur Deus dare hanc poteſtatem Re-

gibus, tum quia immediatè dedit illam populo, qui in Regem illam tranſtulit, tum quia Deus huic etiam translationi proximè à populo factæ, conſentit, & cooperatur tanquam prima, & vniuerſalis cauſa, tum deniq; quia illam approbat, & ſeruari vult. Sicut etiam lex humana immediatè quidem obligat ex voluntate Principis humani ferentis illam, mediatè verò etiam obligat ex vi voluntatis Dei volentis, vt legitimis Principibus obediatur, iuxta illud Petri, *Subiecti eſtote*, &c. *quia ſic eſt voluntas Dei.*

1. Petr. 2.

14. Eadem cõcluſio exẽplis oſtenditur.

Poteſt denique hoc exemplo dominij humani circa res inferiores declarari. Simpliciter enim loquendo, omnes res, quarum homines habent dominium ipſis à Deo donatæ ſunt, non tamen eodẽ modo. Nam immediatè non dedit Deus (ordinariè loquor) alicui homini proprium, & peculiare dominium alicuius rei, ſed immediatè omnia fecit communia, priuata autem dominia partim iure gentium, partim iure ciuili introducta ſunt; & nihilominus illa etiam priuata dominia ſunt mediatè à Deo; tum quia ducunt originem ex prima donatione Dei, tum etiam quia per ſuam generalẽ prouidentiam ad illa concurrit, tum denique quia illa ſeruari vult, poſtquàm ſunt conſtituta. Sicq; dixit Auguſtinus tract. 6. in Ioan. in fine, *Vnde quiſque poſſidet, quod poſsidet, non ne iure humano? nã iure diuino Domini eſt terra, & plenitudo eius*, iure tamen humano dicitur, *hæc villa mea eſt, hæc domus mea, hic ſeruus meus eſt.* Et infrà concludit, *Ipſa iura humana per Imperatores, & Reges ſæculi Deus diſtribuit generi humano.* Ita ergo proportione ſeruata, Deus eſt, qui diſtribuit regna, & Principatus politicos, ſed per homines, ſeu conſenſus populorum, vel aliam ſimilem inſtitutionem humanam.

Auguſt. Cap. *Quo iure diſt. 1.*

15. Obiectio.

Dicet verò fortaſſe aliquis, hoc diſcurſu ſolùm probari, poteſtatem Regis non dari à Deo alicui perſonę ſine interuentu voluntatis, vel actionis humanæ, id tamen non ſatis eſſe, vt non detur immediatè à Deo, nam etiam dignitas Apoſtolica data eſt Mathiæ mediante actione aliorum Apoſtolorum, & nihilominus data illi eſt immediatè à Deo, & ſimiliter Summus Pontifex à Cardinalibus eligitur, & tamen immediatè à Deo

A accipit poteſtatem. Et ſimiliter qui ſuccedit in maioratu per generationem à proximo parente ius illud tandem conſequitur, & nihilominus immediatè cenſetur habere illa bona à primo inſtitutore maioratus, quia ex vi ſolius voluntatis eius, etiamſi proximus parens maximè nolit, maioratum conſequitur. Sic ergo licèt temporales Reges per ſucceſſionem dignitatem Regiam obtineant, à Deo immediatè illam recipiunt ex vi primæ inſtitutionis.

16. Duobus modis poteſt interuenire voluntas hominis in collatione poteſtatis à Deo manantis.

Veruntamen hæc obiectio non eneruat, ſed confirmat potiùs diſcurſum B factum, tum quia exempla non ſunt ſimilia, tum etiam quia non aſſeruimus, quãcumque interpoſitam hominis voluntatem, vel actionem ſufficere, vt poteſtatis donatio à Deo immediatè non ſit, ſed ſolùm id fuit dictum de peculiari mutatione, & translatione facta per nouam inſtitutionem humanam. Duobus itaq; modis poteſt actio, aut voluntas humana interuenire in collatione poteſtatis à Deo ipſo ducentis originem, primò ſolùm deſignando, vel conſtituendo perſonam, quæ ſuccedat in dignitate à Deo C inſtituta, eodem prorſus modo, quo inſtituta eſt, & ſine authoritate, vel poteſtate illam mutandi, augendi, vel minuẽdi. Atque hic modus quoad Pontificiam dignitatem ſeruatus eſt in lege veteri ſecundum ſucceſſionem carnalem; in lege autem noua fit per legitimam electionẽ, qua perſona deſignatur. De hoc ergo modo ſucceſsionis verum eſt, nihil obſtare, quominùs poteſtas à Deo immediatè conferatur, & hoc tantùm probant exempla adducta. Et ratio eſt, quia ſemper confertur poteſtas ex vi primæ inſtitutionis, & ſolius voluntatis Dei, cuius D ſignum eſt, quia integrè, & immutabiliter, prout inſtituta eſt, confertur, & quia ſucceſsio etiam in eadem poteſtate ab eadem inſtitutione originem habet, ideò enim in lege veteri per generationem carnalem in Pontificatu ſuccedebatur, quia ita à Deo ipſo inſtitutũ erat, nunc autem deſignatio perſonæ alio, magiſque ſpirituali modo fit, quia Eccleſiaſtica traditio docet, ita eſſe à Chriſto inſtitutum, qui modum electionis, ſeu deſignationis perſonæ Vicario ſuo definiendum commiſit.

Primus modus.

Alio

17. Secundus modus.

Alio ergo modo poteſt fieri collatio po-
teſtatis ab homine per nouam donationẽ
vel inſtitutionem vltra deſignationem
perſonæ,& tunc etiam ſi talis poteſtas fú
damentum habeat in aliqua priori dona-
tione diuina alteri facta, nihilominus col
latio illa,quæ poſteà fit,ſimpliciter eſt de
iure humano,& non diuino,&immedia-
tè ab homine, nõ à Deo. Exemplum eſt
in ſeruitute, nam ſi aliquis homo ſe ven-
dat in ſeruum alteri, ſeruitus illa ſimplici
ter eſt de iure humano,& poteſtas,quam
Dominus in ſeruum accipit ab ipſo ſer-
uò immediate data eſt per poteſtatem,&
libertatem naturalem, quam ipſe imme-
diatè habuit ab authore naturæ. Ita ergo
eſt in præſenti de ſubiectione totius cõ-
munitatis humanę ad vnum Principem,
nam immediatè procedit à voluntate cõ
munitatis,& ideò immediatè eſt ab ho-
mine,& de iure humano, licèt originem
trahat à poteſtate naturali, quam eadem
cõmunitas ſupra ſe ipſam à ſuo autho-
re accepit. Et ratio clara eſt, quia in his,&
ſimilibus caſibus nec ſufficit deſignatio
perſonę,neq; eſt ſeparabilis à donatione
vel contractu,aut quaſi contractu huma-
no,vt habeat effectum conferendi pote-
ſtatem, quia ſola naturalis ratio non in-
ducit trãſlationem poteſtatis ab vno ho-
mine in alium per ſolam deſignationem
perſonæ ſine conſenſu,& efficacia volũ-
tatis eius, à quo poteſtas transferenda,
ſeu conferenda eſt. Vnde intelligi non
poteſt collatio poteſtatis, quę à Deo im-
mediate fiat, media generatione, electio-
ne, aut ſimili deſignatione humana,niſi
vbi ſucceſsio eſt ex diuina inſtitutione
poſitiua, poteſtas autem Regia non ex di-
uina inſtitutione poſitiua, ſed ſolùm ex
ratione naturali ducit originem, media
libera volũtate humana, & ideò neceſſa-
riò eſt ab homine immediatè conferente,
& non tantùm perſonam deſignante.

18. Et hinc etiam oritur (quod eſt clarũ
indicium huius veritatis) vt hæc Regia
poteſtas non ſit æqualis in omnibus Regi
bus, neque cum eiſdem proprietatibus
durationis,perpetuitatis,aut ſucceſsionis
& ſimilibus. In quibuſdam enim poteſ-
tas eſt ſimpliciter Monarchię, in alijs ve-
rò cum miſtione Ariſtocratiæ, ſeu cum
dependentia ab aliquo ſenatu, etiam quo
ad ſuffragia deciſiua, & interdum tantũ
A in certis caſibus, interdum in omnibus
grauioribus: vel aliquando in multis,ali-
quando in paucioribus. Item quibuſdã
Regibus data eſt poteſtas nõ ſolùm per-
ſonæ, ſed etiam eius generationi (vt ſic
dicam) id eſt, vt poſsint ad filios, vel ne-
potes dignitatem transferre: alijs verò
interdum datur pro perſona, & ſine car-
nali ſucceſsione, vt vno Rege mortuo,al-
ter eligatur, ſicut modo in regno Polo-
niæ,& in ipſo imperio Romano fit; imò
etiam poſſet Rex ad certum tempus eli-
gi,ſi ita fuiſſet alicubi in principio intro-
B ductum, qnia ex natura rei hoc non re-
pugnat. Ergo ſignum manifeſtũ eſt, hãc
eſſe immediatam inſtitutionem humanã
& ideo recipere poſſe totam illam varie-
tatem,quæ rationi non repugnet, & ſub
humano arbitrio cadere poſsit.

Atque hinc tandem fit, vt hæc Regia 19.
poteſtas, ſeu dominatio varijs modis ob-
tineri poſsit,quos hic etiã adnotare opor
tet, vt pleniùs reſolutio tradita intelliga
tur. Primus enim modus conferendi vni
Principi hanc poteſtatem, in primæua
inſtitutione,eſt per voluntarium populi
conſenſum. Hic autem conſenſus varijs
C modis intelligi poteſt, vnus eſt, vt pau-
latim,& quaſi ſucceſsiuè detur prout ſuc
ceſsiuè populus augetur. Vt v.g. in fami-
lia Adæ, vel Abrahæ, aut alia ſimili in
princpio obediebatur Adamo tãquã parẽ
ti, ſeu patrifamilias, & poſteà creſcente
populo, potuit ſubiectio illa continuari,
& conſenſus extendi ad obediendum illi
etiam vt Regi, quando communitas illa
cępit eſſe perfecta; & fortaſſe multa reg-
na (& in particulari primum regnũ Ro-
manæ ciuitatis) ita inceperunt. Et in hoc
modo (ſiquis rectè conſideret) Regia
poteſtas, & communitas perfecta ſimul
D incipere poſſunt. Alius verò modus eſſe
poteſt, quando communitas iam perfe-
cta voluntariè Regem eligit, in quẽ ſuam
transfert poteſtatem, qui eſt modus per
ſe maximè conueniens, & rationi con-
ſẽtaneus. Poſtquam verò hæc translatio
ſemel facta eſt firma, & perpetua, tunc
non eſt vlteriùs neceſſaria noua electio,
vel nouus populi cõſenſus, ſufficit enim
ille, qui in primordio regni datus eſt, vt
ex vi illius eadem Regia dignitas, & po-
teſtas per ſucceſsionem transferatur. Et
hoc modo in regnis ſucceſsiuis Reges

etiam dici poſſunt habere poteſtatẽ immediatè à populo, non per nouum conſenſum, ſed ex vi antiqui; à parentibus enim habẽt filij eadem regna in virtute primæ inſtitutionis, magis quàm parentum voluntate, nam etiam ſi pater nolit, primogenitus ſuccedit in regno, & ideò pater ſolùm ſe habet quaſi applicans, ſeu conſtituens perſonam, in quam eadem poteſtas ex vi eiuſdem primi contractus transferatur.

20. Præter hunc autem voluntarium modum ſolent interdum prouinciæ, ſeu populi liberi inuoluntariè ſubijci Regibus per bellum: hoc autem contingit, & iuſtè, & iniuſtè fieri. Quando ergo bellum iuſtum habuit titulum, tunc re vera priuatur populus poteſtate, quam habebat, & princeps, qui contra illum præualuit, verum ius, & dominium talis regni acquiſiuit, quia ſuppoſita iuſtitia belli, illa eſt iuſta pœna. Sicut capti in iuſto bello priuantur libertate à natura conceſſa, & efficiuntur verè ſerui in pœnam iuſtam. Et ideò ſupra dixi, poteſtatem Regiam fundari in contractu, vel quaſi contractu: nam iuſta punitio delicti vicem contractus habet quoad effectũ transferẽdi dominia, & poteſtates, ideòq; æqualiter ſeruãdus eſt. Sæpiùs verò contingit occupari aliquod regnũ per bellũ iniuſtũ, quo ferè modo clariora orbis imperia amplificata fuere, & tunc quidẽ in principio nõ acquiritur regnũ, nec vera poteſtas, cũ titulus iuſtitiæ deſit, ſucceſſu verò tẽporis cõtingit, vt populus liberè conſentiat, vel vt à ſucceſſoribus regnum bona fide præſcribatur, & tunc ceſſabit tyrannis, & incipiet verũ dominium, & Regia poteſtas. Atq; ita ſemper poteſtas hæc aliquo humano titulo, ſeu per voluntatem humanam immediatè obtinetur.

CAPVT III.

Fundamentis, & obiectionibus Regis Angliæ contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.

1. Primũ Regis fundamentũ ab inconuenienti deſumptum.

DVO videntur eſſe præcipua fundamenta Regis Iacobi, vt exiſtimet, Reges non à populis, ſed immediatè à Deo ſuam habere poteſtatem. Primum proponit, redarguendo Bellarminum, A & quædam incommoda inferendo. Primum incommodum eſt, quia contraria ſententia eſt, *Seditionum fundamentum, factioſis, ac rebellibus audiſsime arripiendum.* Quia ſi Princeps à populo ſuã poteſtatem haberet, *poſſet populus in Principem inſurgere, ſeque in libertatem vendicare, quandocumque ipſi videretur, nimirũ fretus eodem iure, & poteſtate, quam in Regem tranſtulit. Præſertim cum Bellarminus dicat populum nunquam ita ſuam poteſtatem in Regem transferre, quin illam ſibi in habitu retineat, vt in certis caſibus etiam actu recipere poſsit.* Atq; eodem modo inferre poſſet B Rex, integrum eſſe ſubditis, poteſtatem Principis reſtringere, & leges eius abrogare, & alia ſimilia facere, quæ ſuperioris ſunt poteſtatis. Nam ſi Rex à populo habet poteſtatem, ab illo ſemper pendet: ergo poteſtas populi ſuperior eſt; ergo poteſt omnia, quæ intulimus efficere. Illa autẽ ſunt abſurda, nam ſeditionibus occaſionem præbent, & Principum poteſtatem eneruant, vt ſeueritatem, vt integritatem iuſtitiæ ſeruare non valeant.

Reſpondemus, nullum ex his incommodis ſequi ex reſolutione, ſententia verè 2. C propoſita. Nã in primis negamus, ex ea occaſionẽ rebellionũ, aut ſeditionum cõtra legitimos Principes populo dari. Nã poſtquam populus ſuam poteſtatem in Regem tranſtulit, non poteſt iuſtè eadẽ poteſtate fretus ſuo arbitrio, ſeu quoties voluerit, ſe in libertatem vẽdicare. Nam ſi poteſtatem ſuam Regi conceſsit, quam ille acceptauit, eo ipſo Rex dominiũ acquiſiuit; ergo quamuis Rex habuerit à populo illud dominiũ per donationẽ, vel contractum, non ideò licebit populo dominium illud Regis auferre, nec libertatem ſuam iterum vſurpare. Sicut particularis D perſona, quæ ſuæ libertati renunciauit, & ſe in ſeruum vendidit, aut donauit, nõ poteſt poſteà ſuo arbitrio ſe à ſeruitute eximere. Idẽ ergo eſt de perſona ficta, ſeu cõmunitate, poſtquàm ſe alicui Principi plenè ſubiecit. Item poſtquam populus ſuam poteſtatem Regi cõtulit, iam ſe illa priuauit; ergo non poteſt illa fretus iuſtè in Regem inſurgere, quia nititur poteſtate, quam non habet, & ita non erit vſus iuſtus, ſed vſurpatio poteſtatis.

Quod verò Bellarminus ex Nauarro 3. dixit

A redargutione Regis illa [illegible] Bellarminus vendicatur.

dixit populũ, nunquam ita ſuam poteſtatem in Principem transferre, quin eam in habitu retineat, vt ea in certis caſibus vti poſsit, neque contrarium eſt, neque fundamentum populis præbet ad ſe pro libito in libertatem vindicandum. Quia Bellarminus non ſimpliciter dixit, retinere populum poteſtatem in habitu, *ad quoſcumque actus pro libito, & quoties velit exercendos*, ſed cum magna limitatione, & circũſpectione dixit, *in certis caſibus, &c.*

Quando poſſit populus in Regem inſurgere, ſeque ab eius poteſtate eximere.

Qui caſus intelligendi ſunt, vel iuxta cõditiones prioris contractus, vel iuxta exigentiam naturalis iuſtitiæ, nam pacta, & B conuentiones iuſta ſeruanda ſunt. Et ideo ſi populus tranſtulit poteſtatem in Regẽ, reſeruando eam ſibi pro aliquibus grauioribus cauſis, aut negotijs, in eis licitè poterit illa vti, & ius ſuum conſeruare. Oportebit autem, vt de tali iure, vel antiquis, & certis inſtrumentis, vel immemorabili conſuetudine ſufficienter conſtet. Et eadem ratione ſi Rex iuſtam ſuam poteſtatem in tyrannidem verteret, illa in manifeſtam ciuitatis perniciem abutendo, poſſet populus naturali poteſtate ad ſe defendendum vti, hac enim nunquam ſe priuauit. Extra hos verò, & ſimiles caſus, nũquam licet populo à legitimo Rege ſua poteſtate fretus deficere, & ita ceſſat omnis ſeditionis fundamentum, aut occaſio.

4. Atque eadem ratione nõ licet populo ſemel ſubiecto poteſtatem Regis magis reſtringere, quàm in prima translatione,

Poteſtatem ſemel in Regem tranſlatam populus retrahere nequit, neque eius iuſtas leges abrogare.

ſeu conuentione reſtricta fuit, quia id nõ permittit lex illa iuſtitiæ, quę docet, legitima pacta ſeruanda eſſe, & donationem abſolutam ſemel validè factam reuocari non poſſe, neque in totum, neq; ex parte, & maximè quando oneroſa fuit. Imò D nec leges Principis iuſtas poteſt populus ſua poteſtate nixus abrogare, ſed ſolùm tacito, vel expreſſo eiuſdẽ Principis conſenſu fretus, vt D. Thomas ſuprà docuit, & nos alibibi latiùs diximus. Vnde non eſt ſimpliciter verum, Regem pendere in ſua poteſtate à populo, etiam ſi ab ipſo eam acceperit, quia poterit pendere in fieri, vt aiunt, & poſteà non pendere in conſeruari, ſi plenè, & abſolutè illam accepit. Quocirca poſt quàm Rex legitimè conſtitutus eſt, ſupremam habet poteſtatem in his omnibus, ad quę illam ac-

D. Thmo. Lib. 7. de Legib.

A cepit, etiamſi à populo illam habuerit, quia lex iuſtitiæ hoc exigit, vt declarauimus.

Secundo loco inducit Rex exempla 5.
Saulis, & Dauid, qui nõ à populo, vt Bellarminus contendit, ſed à Deo immediate Principatum acceperũt. Quod ſpecialiter de Saule confirmat, quia per ſortes nutu diuino electus eſt, quod dicit eſſe ſignum certum poteſtatis immediatè à Deo acceptæ. Quod etiam ſuadet exemplo electionis Mathiæ, de quo inde ſcimus Apoſtolicam dignitatẽ immediate à Deo B accepiſſe, quia per ſortes ad illam electus eſt, Actor 1. Reſpondemus, circa exempla Saulis, & Dauid in vtrãque partem diſputari poſſe, an illi duo Reges à Deo, vel à populo immediatè acceperint poteſtatem: neutrum enim apertè ex Scriptura ſacra colligitur. Nam licèt ex eadem Scriptura certo conſtet, vtriuſque perſonam diuino nutu, voluntate, ac reuelatione fuiſſe in Regẽ deſignatam, non tamen inde ſequitur Deum etiam immediatè illis poteſtatem dediſſe: hæc enim duo diuerſa ſũt, & ex vno nõ rectè aliud colligitur. Num ſicut Deus interdum concedit hominibus facultatẽ deſignãdi C perſonam, cui daturus eſt ipſe immediatè poteſtatem; ita e conuerſo Deus potuit ſibi reſeruare poteſtatem deſignandi perſonã, cui populus daret immediatè poteſtatem.

Secundũ fundamẽtũ Regis.

Actor. 1.

Solutio.

6. Atque ita in facto illorum Regum cõtigiſſe ſatis veriſimiliter coniectat Cardinalis Bellarminus ex verbis Deuteron. 17. *Cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eã, habitaueriſque in illa, & dixeris, cõſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Do-* D *minus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum: non poteris alterius gentis hominem facere, qui non ſit frater tuus.* In quibus verbis duo tanquam diſtincta ponũtur, ſcilicet eligere eum, qui futurus eſt Rex, & conſtituere eum Regem, & illud prius reſeruat ſibi Deus, ſecundum autem populo concedit, ſeu relinquit, vt patet ex illis verbis. *Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit*, & ex cap. 28. ibi, *Ducet te Dominus, & Regem tuum, quem conſtitueris ſuper te, in gentem, quam ignoras, &c.* Conſtituere autem Regem, non ſigni-

Bellarmi.

Deute. 17.

Deute. 28

ſignificat tantum petere Regem, ſicut poſteà ille populus petijt. 1. Reg. 8. ſed ſignificat facere Regem. *1. Reg. 8.* Tum quia ita exponitur in dicto cap. 17. Deuteron. ibi, *Non poteris alterius gentis hominem Regẽ facere*, tum etiam, quia ibidem præcipitur populus conſtituere Regem eum, quem Deus elegiſſet: petitio autem Regis non poterat eſſe particularis perſonæ electæ à Deo, nam præceſsit talem electionem; ergo illa Regis conſtitutio non erat niſi creatio Regis, & immediata collatio Regiæ dignitatis, ac poteſtatis; ergo electio perſonę, quã Deus ſibi reſeruauit, nihil aliud erat, niſi perſonæ deſignatio. Supponitur ergo in illo loco, populum ex natura rei habere poteſtatem conſtituendi ſibi Rẹgem, non enim eam ibi peculiariter illi populo Deus conceſsit, ſed ſuppoſuit tanquam communem alijs gentibus, & illum ea vti permiſit, vel aliquando vſurum prędixit, ſicut impletum eſt. 1. Reg. 8. & ſequentibus, Et quamuis poteſtas etiam deſignandi perſonam naturaliter cuilibet populo conueniat, nihilominùs in peculiarem fauorem illius populi, vt aptior perſona ſemper deſignaretur, poteſtatem eligendi perſonam ſibi Deus reſeruauit.

7. Ex illo ergo loco optima coniectura fit, ita obſeruatum eſſe in creatione primi Regis illius populi, qui fuit Saul, quod etiam ex hiſtoria electionis eius colligi poteſt. *1. Reg. 10* Saulem poteſtatẽ ſuam à populo accepiſſe probabilius. Nam. 1. Reg. 10. poſtquã ſors cecidit ſuper Saul, dixit Samuel ad populũ, *Certè videtis, quem elegit Dominus*, quaſi petens, & expectans populi conſenſum & tunc clamauit populus dicens. *Viuat Rex.* Poſteà verò Rege iam conſtituto, ſubiungitur, ſcripſiſſe Samuelem legem regni, &c. Neque refert, quòd prius in eodem capite ante ſortes miſſas dicitur, Samuelem vnxiſſe Saulem, *Ecce vnxit te Dñs ſuper hæreditatem ſuam in Principem* (quia vt Bellarmi. ait, & eſt probabile) non fuit illa collatio poteſtatis, aut regni traditio, ſed certa promiſsio, & prædictio more prophetico futuri effectus, & veluti præparatio quædam animi Saulis ad futuram dignitatẽ. Quin potiùs quia poſt Dei electionem, & populi acclamationem, adhuc multi repugnabant, additur in cap. 11. *1. Reg. 11* Samuelem conuocaſſe iterum populum in Galgala ad innouandũ

A regnum, & ſubditur, *Perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saul coram Domino.* Quibus verbis non ſignificatur noua regni electio, ſed fuit confirmatio prioris, vt firmior apud populum maneret, & vt omnium ſubditorum animi magis acquiſcerent, omniſq; diuiſio, & diſſenſio tolleretur, vt rectè dixit Abulenſis ibi q. 12. & 13. *Abulenſ.* & confirmat Ioſephus lib. 6. Antiquit. c. 6. *Ioſephus.* & addit, ibi inſpectante tota multitudine iterum Samuelem vnxiſſe Saulẽ ſacro oleo, quod tamen Scriptura non refert: inde verò intelligi poteſt, vnctionem ſimilem non B ſemper fuiſſe cum regni traditione ſimul coniunctam, ſed potuiſſe etiam eſſe ſignum vel iam factæ, vel futuræ.

Vnde eodem lib. 1. Reg. cap. 16. ſimili modo ſecretè fuit vnctus Dauid à Samuele cum promiſsione regni, quod poſteà per multos annos pacificè poſſedit Saul, quod eſt apertum ſignum, per illam vnctionem non fuiſſe Dauidem factum Regem, ſed in ſucceſſorem regni deſignatum. 8. *1. Reg. 16.* Et ideò poſteà lib. 2. cap. 2. iterũ vnctus eſt à tribu Iuda, *2. Reg. 2.* vt *regnaret ſuper domum Iuda*, & ibi etiam refertur dixiſſe Dauid, *Licet mortuus ſit Dominus veſter Saul, tamen me vnxit domus Iuda in* C *Regem ſibi*, ſignificans promiſsionem Dei per populi cõſenſum fuiſſe completam. Ideòq; ſuper alias tribus regnare nõ cæpit, donec (vt refertur cap. 5.) *Venerunt Seniores Iſrael ad Dauid in Hebron, & percuſsit cum eis Rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino, vnxeruntque Dauid in Regem ſuper Iſrael.*

9. Eſt ergo probabilis hæc ſententia, cõtra quam parum valet argumentum Regis de ſortibus, nam electio per ſortes ſpeciali Dei prouidentia directas per ſe ſolũ D probat, deſignationẽ perſonę à Deo ipſo fuiſſe immediatè factam. Mathias Apoſtolatum ſuũ immediatè à Deo accepit. Neque inde fit Mathiam per ſortem electum non recepiſſe immediatè à Deo Apoſtolicam dignitatem, & poteſtatem. Quia licèt ex ſolò modo electionis per ſortes id ſufficiẽter nõ colligatur, ex qualitate, & excellentia talis dignitatis, & poteſtatis id colligitur. Erat enim dignitas Apoſtolica ſupernaturalis, & immediatè à Chriſto inſtituta, & ideò ſolus ipſe poterat illam immediatè donare. Vnde quamuis Apoſtoli ſine ſortibus ſolum Mathiam elegiſſent

giſſent (quod facere potuiſſent, ſi illum digniorem eſſe certò cognouiſſent, vt frequentiùs Patres inſinuant) nihilominus ab ipſo Chriſto immediatè accepiſſet dignitatem, & poteſtatem; ergo non ex ſortibus, ſed ex qualitate poteſtatis colligendum eſt, an immediatè à Deo conferatur.

10 Iuxta hauc ergò expoſitionem, illis locis,& exemplis potiùs cōfirmatur cōmunis ſententia tradita. Quia verò expoſitio illa de fide non eſt, neque omnino neceſſaria, concedamus Regi vt probabile, Saulem,& Dauid regnum,& poteſtatem immediatè à Deo accepiſſe, facilè enim poterit quiſque, ſi velit, Scripturæ verba ad hunc ſenſum accōmodare. Et de Dauid id apertè affirmat Soto lib.4.de Iuſtit.q.2.art.1. & de vtroque Nauarrus dicto cap. *Nouit*, notabil.3. n. 33.& 147. & idem ſentit Abulēſ. ſuprâ. Nihilominus hoc non ſolùm non obſtat reſolutioni poſitæ, ſed potiùs inde non minùs efficaciter confirmari poteſt. Primò, quia exempla ſpecialia parum valēt ad inferendam vniuerſalem regulā, imò ſolent eſſe exceptiones à regula,& ideò ex illis ſumi ſolet argumentū, quod Iuriſtæ vocant ab ſpeciali, ad inferendam regulam in contrarium. Deinde quia in eiſdem locis ſupponitur manifeſtè, eſſe in populo libero poteſtatem conſtituēdi ſibi Regem, imò & eligendi, & deſignandi perſonam, cui ius regni tribuat, quod probant apertè teſtimonia Scripturæ, quæ ſuprâ pōderaui. Et ideò Deus peculiariter ſibi reſeruauit electionem perſonæ in Regem illius populi conſtituendæ, quia ſecluſa Dei reuelatione,& præcepto totum hoc erat in arbitrio populi conſtitutum. Igitur neque inde inferri poteſt generalis regula pro omnibus regnis, videlicet, quod ad Deū pertinuerit, immediatè deſignare, aut eligere perſonam in throno regni conſtitutam, ſiue in initio talis regni, ſiue in eius progreſſu (aliâs oſtendat Rex Angliæ, quando Deus peculiari reuelatione, aut ſingulari ſigno elegerit: vel ipſum, vel aliquem ex progenitoribus ſuis in Britanniæ Regem) neque etiam poteſt inde inferri, Deum ordinarie dare, aut dediſſe Principatum Regibus temporalibus, etiam ſi fortaſſe in initio Iſraëlitici

Soto.

Nauarr.

Abulens.

Exemplis à Rege adductis, Principatum politicū immediatè à Deo non eſſe cōuincitur.

A regni propter ſpecialem, quā aſſumpſerat illius curam, ſemel atq; iterum id fecerit. Quod tādem colligi etiā poteſt ex alia prohibitione facta illi populo dicto c. 17. Deuteron. *Non poteris alterius gētis hominem Regem facere*: illa enim prohibitio abſque dubio nō fuit naturalis, ſed poſitiua. Conſtat enim, alias gētes,& nationes potuiſſe creare ſibi Reges ex quacunq; prouincia, vel natione, & in ipſis etiā Imperatoribus Romanis ita obſeruatum eſſe ſine vlla iniuſtitia, vel violatione iuris naturalis; fuit ergo illa prohibitio poſitiua, & ſpecialis; ergo ſuppo- B ſuit poteſtatē in illo populo creandi ſibi Regē ex quacunq; gente, niſi diuinitùs prohiberetur, & cōſequenter, ante illā prohibitionem in populo Iſrael, in alijs vero populis, quos illa ꝓhibitio nō pertinebat; ſemper hāc liberam poteſtatem fuiſſe, & per illam Reges incepiſſe, cōcluditur.

Deuteron. 17.

11 Tertiò poſſumus in Regis fauorem, eiuſque ſentētiæ confirmationem vrgere loca Scripturæ, & Sāctorum, quibus ſuprâ probauimus, Reges eſſe miniſtros Dei, & ab ipſo habere poteſtatē, nam in illis locis ſoli Deo tribuitur huius pote- C ſtatis donatio; ergo intelligenda ſunt de Deo immediatè donante, quia hæc eſt purior, & ſimplicior interpretatio, nā quidquid illi additur, præter ſcripturā dicitur. Itē miniſter alicuius ordinario & meliori modo immediatè ſolet ab eo cōſtitui, cuius eſt miniſter. Denique hac ratione nos dicimus, Pōtificem habere poteſtatem ſuam immediatè à Deo, quia Chriſtus ipſe illam cōtulit, & ex vi illius primæ donationis ad alios trāsfertur, licèt per miniſterium, ſeu electionē hominum transferatur; ergo eadē ratione D poteſtas Regia erit immediatè à Deo.

Tertia ob.

Ad hæc verò in primis reſpōdemus, ipſam Regiā poteſtatem eſſe immediatè à Deo authore naturę, vt diximus. Quia verò nō eſt per ſpecialem reuelationem, ſeu donationem, ſed per quādam naturalem cōſecutionem, quam ratio naturalis oſtēdit, ideò immediatè ſolùm datur à Deo illi ſubiecto, in quo ex vi ſolius rationis naturalis inuenitur; hoc autem ſubiectū eſt populus ipſe,& nō aliqua perſona eius, vt declaraui. Quia verò hanc eandē poteſtatē populus in Regem trāsfert;

ſert, ideò poteſtas Regia dicitur eſſe data à Deo. Et præterea quia ipſamet Re- *Solutio* gis electio non fit ſine diuina cooperatione, nec ſine peculiari prouidẽtia eius. *Chryſoſt.* Quod egregie declarauit Chyſoſ. homil. 23. in Epiſt, ad Rom. vbi tractans verba illa: *Nõ eſt poteſtas, niſi à Deo*, ſic inquit, *Quid dicis? omnis ergo princeps à Deo conſtitutus eſt? Iſtud* (inquit) *non dico. Nec enim de quouis Principe mihi ſermo nunc eſt ſed de ipſa re*, id eſt de ipſa poteſtate. Vnde ſubiungit. *Quod enim principatus ſint, quodque hi quidem imperant, illi vero ſubiecti ſunt, quodq́; non ſimpliciter, ac temere cuncta feruntur, diuinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit. Non enim Princeps eſt, niſi à Deo, ſed de re ipſa diſſerit, dicens: Non enim poteſtas eſt, niſi à Deo.* Vbi Theophylact. idem docet. Neque vero *Theophyl.* neceſſarium eſt; vt hæc omnia ita diſtincte in Scriptura explicentur. Nam conſtat, varios effectus eiſdem fere verbis Deo in Scriptura attribui, & ex materia ſubiecta ſecundum rectam rationem colligendum eſſe modum, quo à Deo eſſe dicantur. Nam etiam dicitur ſæpe Deus dare regna; propter ſpecialem permiſſionem, licet per iniuriam, & ſeditionẽ vſurpentur, vt Rex ipſe Angliæ de Ieroboam ſentire videtur, & in alijs multò *Auguſt.* eſt certius, vt notauit Auguſtinus lib. 5. *Orig.* de Ciuit. cap. 21. & Origen. Homil. 4. in libr. Iudicum. Vt autem Reges dicantur miniſtri Dei, ſatis eſt, quòd ab illo habeant poteſtatem, licet mediante populo, quia ille eſt modus maxime connaturalis, & optimus, qui intra latitudinem naturalis rationis cogitari poteſt.

Ad comparationem autem, ſeu æquiparationem, quæ in hoc fit inter Ponti- 13. ficem, & Reges, reſpondeo, eſſe rationem longe diſsimilem. Nam in primis Pontificia Monarchia in vniuerſam Eccleſiam ab ipſo Deo immediate eſt inſtituta, & præcepta, ita vt mutari non poſsit. Modus autem regiminis temporalis non eſt à Deo definitus, nec præceptus, ſed hominum diſpoſitioni hoc relictum eſt. Deinde ſpiritualis poteſtas nunquam fuit in cõmunitate totius Eccleſiæ, quia Chriſtus non contulit eã corpori Eccleſiæ, ſed capiti, ſeu Vicario ſuo, ideoque non poteſt Eccleſia in ele- A ctione Pontificis concurrere tanquam dans poteſtatem, ſed tanquam perſonam deſignans. Poteſtas autem ciuilis ex natura rei eſt in ipſa communitate, & per illam in hunc, vel illum Principem tranſlata eſt, voluntate ipſius communitatis, eam (vt ita dicam) tanquam rem ſuam alteri donantis. Vnde etiam fit, vt ſpiritualis iuriſdictio ſuprema Pontificis ita ſit iure diuino collata, vt limitari non poſsit, nec minui, nec augeri etiam per vniuerſalem Eccleſiæ conſenſum, imò nec per ipſiuſmet Pon- B tificis voluntatem. Quandiû enim dignitatem retinet, non poteſt illam in ſe minuere, vel mutare. Poteſtas autem Regia, vel cuiuſuis ſupremi tribunalis temporalis potuit à principio maior, vel minor conſtitui, & ſucceſſu temporum poterit mutari, aut minui, prout ad bonum commune expediens fuerit, per eum, qui ad hoc habuerit poteſtatem.

CAPVT. IIII.

C *Vtrum inter Chriſtianos ſit legitima poteſtas ciuilis, cui Chriſtiani parere teneantur.*

QVANVIS in quæſtione hac nõ ſit nobis cum aduerſarijs cõ- 1. trouerſia, quia vero multi ex illis (vt audio, & vt Rex Angliæ in ſua Præfatione ſæpe inculat) Romanum Pontificem eius doctrinæ inſimulant, quæ iura, & dominia Principibus debita euertat: quid de hac re vel fides catholica ſtatuat, vel ſanior Doctorum D ſententia tueatur, explicandum exiſtimaui, vt hoc etiam modo ad præcipuam controuerſiam de ſummi Pontificis primatu clarior, & aptior ſternatur via. Duobus ergo modis exiſtimatum eſt, & affirmatum, Chriſtianos Reges non habere ſupremam poteſtatem ciuilem ad leges ferendas, punienda delicta, & ius politicum dicendum. Vnus eorum fuit, qui dixerunt, in Eccleſia Chriſti non poſſe eſſe talem poteſtatem, neque vſum eius legitimum, quia Chriſtiani nulli temporali dominio poſſunt eſſe ſub-

ſubditi. Alius eſt, eorum, qui licet fatentur, eſſe in Eccleſia temporalem poteſtatem, negant tamen eſſe ſupremam in Regibus temporalibus, ſed in ſolo Pontifice, â quo Regum poteſtas per conceſsionem, vel tolerantiam deriuatur. De hoc ſecundo puncto in capite ſequenti dicemus, quia verò ſupponit primum, illud hic breuiter expediemus quia etiam noui ſectarij in illo non rectê ſentiunt.

2 [...]rimus [...]rreticoru [...]ror. [...] Multi ergo ex antiquis hæreticis, veluti ſequentes, aut imitantes Galilęorum errorem in cap. 1. relatu[m] dixerunt; Chriſtianos non eſſe ſubiectos Principibus temporalibus, præſertim Ethnicis. Quod aliqui ſolũ de perfectis Chriſtianis, & maximê ſpiritualibus dixerunt, vt Beguardi; alij de omnibus iuſtis, alij de omnibus Chriſtianis, quos errores hic latius recenſere ſuperfluum duco. Hinc effutierunt Anabaptiſtę, & alij ſimiles principatum politicum non eſſe Chriſtianis licitum, præſertim in Chriſtianos. Horum autem errorem diuerſa cogitari poſſunt fundamenta. Primum, & peculiare reſpectu Principum Ethnicorum eſt, quia indignum, & periculoſum eſt, infidelem dominari fidelibus, ideô enim Paulus monet, ſecunda ad Corinth. ſexto. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Et rationẽ varijs modis explicat, dicens, *quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli, qui autem conſenſus templo Dei cum idolis*. Cũ ergo primatus politicus â Deo ſit, non debet intelligi conceſſus contra ordinem debitum, & cum periculo fidei, nam quæ â Deo ſunt, ordinatiſsima ſunt, ergo eo ipſo quod aliquis in Chriſto baptizatur, & fidem eius recipit, fit immunis ab Ethnicorum Principum ſubiectione. Et confirmari hoc poteſt ex verbis illis Matth. cap. decimo ſeptimo vbi cûm Chriſtus Petrum interrogaſſet, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis?* & Petrus reſpondiſſet, *ab alienis*, concluſit Dominus, *Ergo liberi ſunt filij*, vtiq; â tributis, & conſequenter etiam â poteſtate, nam hęc duo correlatiua ſunt.

[...]imũ præ[...]cti erroris [...]ndamẽtũ.

1 Corin. 6.

Matt. 17.

A Nomine autem filiorum, Chriſtus omnes fratres ſuos, ac ſubinde omnes fideles comprehendit, *quia omnes ſunt filij regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena*, vt dixit Diuus Auguſt. libro primo, Euangelicarum quæſtionum, quæſt. vigeſ. tertia. Vel alio titulo illi eandem libertatem participant, quia omnes ſunt ſpeciali, & excellenti modo de familia Chriſti, qui eſt filius naturalis, cûm autem filius liber eſſe dicitur, cum illo comprehenditur eius familia, vt dixit Lyran. in eum locum, quem alij imitantur, & ſenſit Hieronymus, dicens, *Ille pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit, nos pro illius honore tributa nõ reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus*. Quę verba nõ poſsũt reſtringi, vt quidam volunt, ad ſolos Sacerdotes, vel Clericos: æque enim illa duo coniunxit, *pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit*. Subijt autem crucem pro omnibus ſimpliciter, tam laicis, quam Clericis, ergo pro omnibus ſoluit tributa, ergo omnes â tributis ſoluendis temporalibus regibus liberauit, ergo & ab illorum dominatu, & iuriſdictione illos exemit; quia vna libertas aliam comitatur.

B *Lyran.* *Hierony.*

C

Secundum, & generalius fundamentum huius erroris eſt, quia Chriſtiani liberi ſunt etiam â poteſtate Chriſtianorum Principum, quia hoc poſtulat Chriſtiana libertas, quam in hoc ſenſu intelligunt, & maximê exaggerant Lutherus, & alij huius temporis ſectarij ad hunc ſenſum detorquentes varias Scripturas, quibus abunde ſatisfecimus libro primo, de Legibus cap. decimo octauo, & decimo nono, & lib. tertio, cap. 31. & ideò illas nunc omittimus. Ex hoc autem principio, ſeu libertate Chriſtiana ſic intellecta rectê infertur, in Principibus etiam Chriſtianis non eſſe poteſtatem ciuilem aut politicam in homines fideles, quia ſi iſti non tenentur parerè, illi non habent ius præcipiendi, quia hæc duo correlatiua ſunt, & vno ablato, alterum auferri neceſſe eſt. Vnde inducunt etiam teſtimonia noui teſtamenti, in quibus Chriſtianis, & dominari, & ſubijci dicunt eſſe prohibitũ. Nam de dominatu dicitur Luc. vigeſ.

3 Secundum fundamẽtũ.

D

V, ſe-

Luc. 22. Matth. 20

ſecund. *Reges gentium dominantur eorum,* & cæt. *Vos autem non ſic,* vel vt Matthæus ait capite vigeſimo. *Non ita erit inter vos*, vbi Diuus Chryſoſtomus homilia quinquageſima ſexta, dixit Chriſtum voluiſſe diſcrimen hoc inter gentiles, & Chriſtianos conſtituere. De ſubiectione autem ait Paulus prima ad Corinthios, capite ſeptimo, *Nolite fieri ſerui hominum*, & indicat rationem, præmittens, *Pretio empti eſtis,* quaſi dicat, indignum eſſe, redemptos à Chriſto terrenis ſubijci poteſtatibus.

Chryſoſto. 1. Corin. 7.

4 Reijcitur prędicta hęreſis ex Scripturis, & patribus.

Hæc verò ſententia tota ſine dubio hæretica eſt. Nam in primis Apoſtoli docuerunt fideles iam ad Chriſtum conuerſos, vt Regibus, & poteſtatibus obedirent, non tantum propter vitandam pœnam, nec quia tunc reſiſtere non poterant, nec ſolum propter ſcandalum vitandum, ſed etiam, *propter conſcientiam & quia miniſtri Dei ſunt,* vt ex Petro, & Paulo in capite primo probauimus. Loquebantur autem hi Apoſtoli eo tempore, quo Imperatores, & Reges, ac Præfecti eorum, ſeu poteſtates infideles erant; & idololatræ; ergo ex eorum doctrina habemus, Chriſtianos eſſe ſubiectos Principibus etiam ethnicis, & conſequenter veros Reges infideles poteſtatem habere in Chriſtianos in ſuis terris degentes. Deinde ita intellexerunt illa loca, & docuerunt antiquiſsimi Patres, vt Diuus Chryſoſtomus, Ambroſius, Origenes, Epiphanius, & alij in capite primo allegati, & expreſsè Iuſtinus Apologia ſecunda, ad Antoninum Pium Imperatorem ethnicum, aliquantulum à principio, vbi exprofeſſo Chriſtianos ab hac calumnia liberat, dicens, *Tributa vero, & cenſus ijs, qui à vobis conſtituti ſunt, vbique in primis conamur pendere, quemadmodum ab eo inſtituti ſumus*, & affert verba Chriſti Matthæi vigeſimo ſecundo. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*, & concludit, *Hinc Deum ſolum adoramus, vobis autem in alijs rebus læti ſeruimus, Regesque vos, & Principes hominum eſſe profitemur, rogamusq́, vt vos cum regali poteſtate ſanam, bonaq́, mentem habere inueniamini.* In quibus verbis nomine omnium Chriſtianorum profite-

Iuſtinus.

Matt. 22.

A tur, eſſe infideles veros Reges, & Principes Chriſtianorum, vt homines ſunt, & poſſe in eos habere poteſtatem, etiam ſi ſanam mentem non habeant. Idem ſenſit Ignatius Epiſtola 10. ad Smirnens, & Optatus libro tertio, contra Parmenian. vbi expreſsè dicit, *etiam, ſi talis eſſet Imperator, qui gentiliter viueret.* Poſſumus deniq; ad hoc afferre verba Ambr. lib. 4. in Luc. c. 5. in fine, vbi expendens verba Chriſti Matth. 17. dicit, *Magnum quidem eſt, & ſperitale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubiecti, ne quis conſtitutionem Regis terreni putet eſſe ſoluendam*, vbi etiam alludit ad verba Pauli ad Roman. 31. Vnde manifeſtè loquitur de legitimo Rege, etiam ſi Chriſtianus non ſit, nam ita loquutus eſt Paulus, & Chriſtus de Cæſare Imperatore ethnico loquebatur, & in eodem ſenſu loquuntur alij Patres, quos ſtatim referemus.

Ignatius Optatus Ambros.

B

5 Ratione ex D. Thoma ſumpta eadē hæreſis rejicitur.

Rationem verò huius veritatis attigit D. Thom. 22. q. 10. art. 10. quia *Dominium (inquit) vel prælatio introducta ſunt ex iure humano, diſtinctio autem fidelium,*

C *& infidelium eſt ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod eſt ex gratia, non tollit ius humanum, quod eſt ex naturali ratione*, & ideò diſtinctio fidelium, & infidelium ſecundum ſe conſiderata non tollit dominium, & prælationem infidelium ſupra fideles. Quæ ratio eſt optima, & poteſt in hunc modum explicari, nã quando ſubditi alicuius Regis gentilis conuertuntur ad fidem, non eximuntnr ipſo facto, aut ex vi iuris diuini à iuriſdictione temporali ſui legitimi Principis, quia nõ poſsũt authoritate ꝓpria priuare alterũ dominio, & iure ſuo, neq; etiã,

D eis datũ eſt, vt id faciant authoritate Dei, quia hoc neq; illis eſt reuelatũ, nec ratio naturalis iddictat; imò contrarium docet Scriptura, recta etiam ratio. Tũ quia nõ interueniente conceſsione diuina, illud eſſet, per ſe loquendo, contra iuſtitiam. Tum etiam, quia cederet in ſcandalum infidelium, & quandam ignominiam Chriſtianæ religionis, cuius propagatio maximè poſſet illo modo impediri. Confirmatur, & explicatur exemplo de matrimonio inter fideles, quia non diſſol-

uitur

nitur ipſo facto per conuerſionem, verbi gratia, vxoris ad fidem, ſed adhuc manet vxor ſubdita viro infideli, quia retinet poteſtatem in ipſam, teſte Diuo Paulo primæ ad Corinthi. ſeptimo, vt latè explicat Diuus Auguſtinus libro primo de Adulterin. coniugijs in capite decimo octauo. Ratio autem eſt, quam D. Thomas tetigit, quia matrimonium inter infideles conſiſtit iuræ naturæ, profeſsio autem fidei per ſe non mutat ius naturæ, vel humanum contractum in illo fundatum. Quam rationem indicauit etiam Innocentius in capite. *Gaudemus*, de diuortijs. Ergo eadem ratione non amittitur legitima poteſtas ciuilis propter conuerſionem ſubditorum ad fidem.

1. Cor. 7. *Auguſt.* *Innoc. 3.*

6 [...]is rationis [D]. Thomæ [d]eclaratur.

Eſt autem valde notandum circa doctrinam Diui Thomæ in citato loco, rationem factam ſolùm procedere, quando dominium, & poteſtas Principis ethnici præexiſtit ante fidem ſubditorum, in quo etiam caſu videntur maximè procedere teſtimonia Petri, Pauli, & traditio Patrum, Vnde addit Diuus Thomas, ſi ſermo ſit de inſtituenda; vel tribuenda de nouo poteſtate infidelibus ſupra fideles, hoc nullo modo eſſe permittendum: *Cederet enim* (inquit) *hoc in ſcandalū, & fidei periculum*, nam ſubditi niſi ſint magnæ virtutis facilè ſequuntur imperium Principis, & religionem, *Et ſimiliter* (ait) *infideles contennent fidem, ſi fidelium defectus cognoſcant*. Hæc verò doctrina intelligenda eſt, quando noua ſubiectio fidelium ad Principem infidelem ex fidelium conſenſu, & voluntate pendet; in eo enim caſu procedunt efficaciter rationes Diui Thomæ, & teſtimonium Pauli, quod inducit primæ ad Corinthios ſexto, *Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos* (id eſt infideles ait Diuus Thomas) *& non apud Sanctos* (id eſt fideles.) Vt paulò inferiùs ipſemet Apoſtolus declarat, dicens, *Frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles*. Si enim ad priuata etiam iudicia inter fideles non ſunt infideles voluntariè in iudices eligendi, multo certè minus poteſt aliqua Chriſtiana plebs infidelem Principem ſibi preficere, & ideò, vt Diuus

[R]egem in[fid]elem ſibi [de] nouo vo[lunt]ariè creare [fi]delibus [no]n licet.

Cor. 6.

A Thomas ait, nullo modo id permittit Eccleſia.

At verò ſi contingeret, plebem fidelem inuoluntariè ſubijci denuo Principi infideli iuſto titulo, tunc procederet etiam aſſertio poſita, & ratio facta. Vt verbi gratiâ, Si Rex gentilis iuſto bello ciuitatem Chriſtianam occuparet, tunc verum dominium acquireret, nam hoc etiam eſt de iure gentium à naturali deriuatum, quod fides non tollit. Nec Eccleſia per ſe loquendo hoc impedit, quando Princeps infidelis Ethnicus eſt, & ipſi Eccleſiæ non ſubditus, prout modo loquimur. Idemque eſſet, ſi contingeret, Regem infidelem legitimo iure ſucceſsionis Chriſtianum populum Principi Chriſtiano antea ſubiectum obtinere, quia tunc etiam fides ſubditorum non impedit acquiſitionem dominij, nec pendet ex illius populi voluntate, ſed neceſſariò venit ex aliqua priori, & iuſta inſtitutione. Hæc autem intelligenda per ſe ſunt, id eſt, præcauendo ſcandala, & pericula fidelium, quæ ſequi etiam poſſunt ex ſubiectione fidelium ad antiquos Principes infideles, ideoque in vtroque caſu ſi talia incommoda probabiliter timerentur, & vitari non poſſent niſi vel non ferendo, vel non acceptando talem Principem, fieri poſſet, & deberet, quia ius, & poteſtas ad id faciendum, Eccleſiæ non deeſt. Atque hac ratione generaliter dixit Diuus Thomas citato loco, poſſe Eccleſiam de iure inſtituere, vt infideles priuentur dominio, & prælatione ſuper fideles, qui transferūtur in filios Dei, quamuis propter vitandum ſcandalum Eccleſia non vtatur hac poteſtate circa Principes infideles, aliàs ſibi non ſubditos. 7.

B C D

Rex gentilis iuſto bello ciuitaté Chriſtianā occupās verū etiā dominiū in illam conſequitur.

Quādo ſubiectio ad Principē infidelē vergit in detrimētū fidei, poſſunt fideles ſe ab ea eximere.

Vnde vlteriùs conſiderandum eſt, aliquos infideles eſſe ſubditos Eccleſiæ temporaliter tantùm, vt ſunt Iudæi habitantes in terris Principibus Chriſtianis ſubiectis, & de illis infidelibus non agimus, quia non ſunt ſupremi Principes, de quibus maximè nunc loquimur. Tamen de illis certum eſt, poſſe Eccleſiam, vel Chriſtianos Principes illos ita gubernare in temporalibus, & maximè in his, quæ ſpectant ad libertatem, & ſecurita- 8.

curitatem fidelium: prout ad bonum fidei expedire iudicauerint, quod alterius conſiderationis eſt. Alij verò ſunt inſideles ſubditi Eccleſiæ ſpiritualiter, etiam ſi alias ſint ſupremi Principes temporales, quales ſunt hæretici baptizati, qui nomine Chriſtiani ſunt, re tamen vera ſunt infideles, quia vera fide carent, ſubditi verò Eccleſiæ ſunt ratione baptiſmi, & characteris? Et de his vera eſt dicta reſolutio, non ſolùm propter vitandum periculum fidelium, ſed etiam propter directam poteſtatem, quam habet Eccleſia ad puniendos hæreticos, etiã ſi Reges ſint, vt infrà videbimus. Alij verò ſunt fideles nullo modo ſubditi Eccleſię, neque temporaliter, neque ſpiritualiter, neque iure, neque facto. Et in his ſolùm procedit illa doctrina D. Thomæ de poteſtate indirecta, per quam poteſt Eccleſia ſuos fideles ſubditos à moralibus periculis, & occaſionibus amittendi fidem, liberare, ac defendere. Nam per ſe non habet Eccleſia iuriſdictionẽ in hos Reges infideles, iuxta illud Pauli. 2. ad Corinth. 5. *De his, qui foris ſunt, nihil ad nos*, & ideo ſicut non poteſt illos ad fidem cogere, ita nec propter infidelitatis crimen eos punire, quapropter, neq; hoc titulo poteſt illos priuare dominio, & iuriſdictione, quam ſuper Chriſtianos habuerint. Solùm ergo id poteſt facere Eccleſia propter ſpiritualem gubernationẽ, & neceſſariam prouidentiam circa ſuos ſubditos fideles. Quòd autem hoc titulo poſſit, veriſſimum cẽſeo, quia qui dat gubernandi poteſtatem conſequenter tribuit quidquid ad illius conuenientem vſum neceſſarium eſt, vt in ſequentibus latiùs oſtendendum eſt.

9\. Poteſtque in præſenti optimum argumentum ſumi ex doctrina recepta, & approbata ab Eccleſia, & ſumpta ex Paulo 1. ad Corinth. 7. dicente, coniugem priùs infidelem ad fidem conuerſum, ſi alter neque conuerti ad fidem velit, neque cohabitare ſine iniuria creatoris, poſſe dimittere illum, & matrimonium diſſoluere; ergo eadẽ, vel maiori ratione data eſt poteſtas Eccleſiæ ad liberandũ fideles à iugo infideliũ quorũcũq;, quando ex tali ſubiectione fides periclitatur, hic enim æquè vrget ratio Pauli dicentis; *Nõ enim ſeruituti ſubiectus eſt frater, vel ſoror in huiuſmodi.* Quin potiùs notari poteſt in hoc diſcrimen, nam quia vinculum matrimonij indiſſolubile eſt natura ſua, & inter duas tantum determinatas perſonas conſiſtit, vt illo titulo diſſolui poſſit, neceſſe eſt, vt in particulari de periculo coniugis fidelis conſtet: at poteſtas Regia in multitudinem hominum cadit, & de ſe non eſt adeò immutabilis, ideoque ſatis eſt generale, & commune periculum in quo fideles Principibus infidelibus ſubditi moraliter loquẽdo, verſantur, vt Eccleſia poſſit omnes à tali ſubiectione liberare, etiam ſi de ſingulorum periculo in particulari non cõſtet, quia leges morales, quæ in vniuerſali feruntur, conſiderant ea, quæ vt plurimum eueniunt, etiam ſi in particulari ceſſare contingat. Nihilominus tamen raró Eccleſia vtitur hac poteſtate, & licitè id facit, etiam ſi fideles ſuos in aliquo periculo relinquat, quia vel non habet vires cum effectu, & fructu poteſtatem ſuam exequẽdi, vel quia maiora ſcandala probabiliter timet. Et nihilominus tunc ſinguli fideles ſubditi licitè poterunt, vel fugere, vel alio medio vti ad euadendum periculum, ſi de illo moraliter conſtet, tum quia magis tenentur conſulere animæ ſuæ, quàm iuri alterius, tum etiam quia tunc à tali Principe iniuriam, & violentiam patiuntur, & ideo parere non tenentur.

1. Cor. 7.

Quãdo poſſit diſſolui matrimonium inter infideles ꝓpter alterius conuerſionẽ ad fidẽ.

Ex quibus vlteriùs certiſsimum, ac de fide eſt, in Eccleſia Chriſti eſſe Chriſtianos Principes, ac Reges, veram poteſtatem politicam, ſeu ciuilem habentes in ſubditos ſuos etiam Chriſtianos, & fideles. Hæc aſſertio non eſt ſub his terminis *Fidelium, & Chriſtianorum Principũ*, in toto nouo teſtamento expreſſa, fortaſſe, quia quo tempore ſcriptum eſt, nondum erant temporales Reges ad fidem conuerſi, & ita non occurrit occaſio de illis loquendi. Adducta tamen teſtimonia ſufficienter illam probant, tum ex ſimilitudine, vel certè ex maiori atione, tum etiã quia verba Apoſtolorum valde indefinita, & vniuerſalia ſũt. Ait enim Petrus, *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deũ, ſiue Regi quaſi præcellenti.*

10\. Conclusio.

Inter Chriſtianos dare viros Reges ac Principes de fide certũ eſt.

cellenti. Et infrà. *Regem honorificate.* Et deinde præcipit ſeruis, ſubditos eſſe dominis, *non tantum bonis, ſed etiam diſcolis*; ergo idẽ à fortiori intelligit de omnibus fidelibus ſubditis Principibus, ſiue bonis, ſiue malis, non poſſunt autem dici boni Principes, niſi ſint fideles. Denique admonitio Pauli ad Titum. 3. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*, quam latiùs tradit ad Roman. 13, non fuit ab eo data pro ſolo illo tempore primitiuæ Eccleſiæ, ſed vt perpetuo in ea duraret; ergo nunc etiam habet locũ reſpectu Principum Chriſtianorum. Poteſtque idem confirmari teſtimonijs veteris teſtamenti, quibus conſtat Principes fideles habuiſſe politicum regimen ſubditorum fidelium, quorum imperio illi obedire tenebantur, vt de Moyſe, Ioſue, & alijs iudicibus vſque ad Samuelẽ, & poſteà de Saule, Dauide, & ſucceſſoribus eorum colligitur ex Deuteronom. 1. & 17. & ex libris Iudicum, & Regum, & 2. Paralipomen. 19. vbi etiam fit mentio inferiorum iudicum, & magiſtratuũ; ergo multo magis illa ſubordinatio, & ſubiectio ſeruanda eſt in lege gratiæ, quia non ſpectat ad cæremonialia legis veteris, & in generali loquendo, non pertinet ad propria iudicialia illius legis, ſed ad legem moralem iuris naturalis, vel immediatè, vel mediante aliquo iure humano, quæ iura in lege gratię durant, & perfectiùs obligant.

Ad Tit. 3. Roma. 13.

Deuter. 1. & 17. 2. Parali. 19.

Dicet verò fortaſſe aliquis, hoc fun-
11. damentũ rectè concludere ex hypotheſi, quòd in Eccleſia Chriſti ſint veri Reges, & Principes temporales verum dominium, & iuriſdictionem in Chriſtianos habentes: nã hoc poſito lex naturalis iuſtitiæ, & obedientiæ euidenter obligant ſubditos ad parendum. Aduerſarij autem, qui contrarium errorem defendunt, hoc principium negant, dicentes repugnare inſtitutioni Chriſti, & libertati Chriſtianæ, ſeu perfectioni legis gratiæ. Contra hoc verò probari poteſt illa ſuppoſitio ex perpetua Eccleſiæ traditione ab eo tempore, quo Imperatores, & Reges ad Chriſtum conuerti, & baptizari cæperunt, ſemper enim pro veris Regibus, & Principibus habiti ſunt, non minus, imò perfectiùs, & excellentiùs, quàm anteà eſſent. Hoc

Euaſio.

Reijcitur euaſio.

A conſtat ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis Euſebij, & aliorum, præſertim de Conſtantino, Theodoſio, & ſimilibus. Item hoc ſæpe profitentur Concilia generalia, vt patet ex Nicæno primo, cui Conſtantinus adfuit, & alijs. Præterea Summi Pontifices ſcribentes ad Reges, & Principes Chriſtianos, illos vt veros Principes, & Dominos temporales recognoſcunt, vt patet ex multis Epiſtolis Diui Leonis, & Diui Gregorij, & ex alijs, quos capite ſequẽti referemus. Nunc ſolum notamus verba Symmachi Papæ,
B Apolog. ad Anaſtaſium Imperatorem, *Nos* (inquit) *poteſtates humanas ſuo loco ſuſcipimus, donec contra Deum ſuas erigunt voluntates.* Concilium etiam Toletanum 12. capit. primo ſub excõmunicatione declarauit, Eringium eſſe verum Regem Hiſpaniæ, & Concilium Meldenſe cap. decimo quinto, & decimo ſexto, anathema fert in eos, qui Regiæ poteſtati contradicere præſumpſerint, & loquitur de Regibus Chriſtianis, & de illis, ait, habere poteſtatem à Deo, iuxta ſententiam Apoſtoli, quam proinde etiam de Regibus Chriſtianis intelligit.

Conc. Nicæn.

Symmach.

Conc. Tol. 12.

Cõc. Meldenſe.

Atque eodem modo intellexerunt
C Apoſtolica teſtimonia Chryſoſtomus, 12.
Ambroſius, & alij Patres, & optimè D. Auguſtinus libro Quarundam propoſitionum in Epiſtola ad Romanos, propoſition. 72. circa illa verba, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Rectiſſimè* (inquit) *admonet, ne quis ex eo, quod à Domino in libertatem vocatus eſt factus Chriſtianus, extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuum, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet, non*
D *ſe eſſe ſubdendum.* Et infrà. *Si quis ergo putat, quoniam Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddendum, aut tributum; aut non eſſe exhibendum honorẽm debitum eis, qui hæc curant poteſtatibus, in magno errore verſatur.* Vbi loquitur Auguſtinus de ſuo tẽpore, quando in Eccleſia iam erant Principes Chriſtiani, & ita verba Pauli accommodat ad omnes Principes pro tempore regnantes. Et verba illa Auguſtini mutuatus eſt Anſelm. in Paul. & breuius Primaſius. Idemque Auguſtinus lib. 3. contra Creſcon. capit. 51. declarat, quàm

Auguſt.

Anſelm. Primaſ. Auguſt.

quàm neceſſariũ ſit Regis officium etiã inter Chriſtianos, & quantò meliùs, & ſalubriùs per bonos, id eſt, pios, & fideles Reges, quàm per malos, & infideles exerceatur.

13. Pręterea hoc cõfirmãt honorifici tituli, quibꝰ antiqui Patres ad fideles Principes ſcribũt, vt Cyrillus Alexand. in lib. de recta fide ad Theodoſi. vbi priùs Chriſtianiſsimum Regem illum appellat, & poſteà ad eundem ait, *Vos eſtis ſummarum dignitatum fontes, & ſupra omnem eminentiam, humanæque felicitatis principium, ac origo.* Et infra, *Tam pij, & præclari veſtri imperij ſummum præſidium eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus; nam per illum Reges regnant, &c.* Et infra ſe oſtenſurum promittit, *quòd glorioſa in Deum pietas Regijs honoribus immobile ſit fundamentum.* Similia videri poſſunt in Ambroſio in Epiſtola ad Gratianum Auguſtum, quam ad libros de fide præmittit, vbi etiam illum vocat, *Chriſtianiſsimum Principem, & Principum Chriſtianiſsimum.* Itẽ in eiuſdẽ concionibus in obitu Theodoſij, & in obitu Valentiniani, & in varijs Epiſtolis ad ſui temporis Imperatores Chriſtianos. Idẽque agnouit Gregorius Nazianz. Orat. 17. cuius verba optima inferiùs commodiori loco referam.

Ambroſ.

Greg. Nazianz.

14. Addo prætereà antiquius teſtimoniũ Martialis Epiſcopi Lemouicenſis, qui prope tempora Apoſtolorum vixit, & in Epiſt. 2. ad Toloſanos cap. 8. refert cõuertiſſe ad fidem Principem quendam Galliæ, quem Regem appellat, eiuſque fidem valde commẽdat, & addit, *Cui obedire debetis in omnibus, quia Princeps vobis à Deo eſt conſtitutus, &c.* Notari etiam poteſt locus Tertulliani lib. de Idololatria cap. 15. vbi priùs ait, reddenda eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo, ſicut Chriſtus docuit. Vnde poſteà ſubinfert. *Igitur quod attinet ad honores Regum, & Imperatorum ſatis præſcriptum habemus, in omni obſequio eſſe nos oportere ſecundum Apoſtoli præceptum, ſubditos magiſtratibus, & Principibus, & poteſtatibus. Sed intra limites diſciplinæ quoaduſque ab idololatria ſeparamur.* Vbi licèt loquatur de tempore Imperatorum gentilium, tamen generaliter doctrinam intelligit. Vnde cap. 17. addit, Chriſtanos eo tempore potuiſſe ab Imperatoribus dignita-

Martial. Epiſcop. Lemouicẽſ.

Tertull.

A tem, & adminiſtrationem poteſtatis ciuilis accipere, dum modo ſine vlla idololatriæ labe illam exercerent. Vnde tandem rectè ſcripſit Proſper in libr. Epigrammaton capit. 34. *Reddendum eſt quidquid mundi benè poſtulat ordo, Propoſitumque piæ non violat fidei. Mittibus, & Sanctis nulla eſt ſpernenda poteſtas, Æquũ ſeruire eſt Regibus, & Dominis. Vt Chriſti famulis ad verum proſit honorem: Dilexiſſe bonos, & toleraſſe malos.*

Proſper.

Ratione facile etiam perſuaderi poteſt hæc veritas, quia Chriſtiana fides, aut baptiſmus non facit aliquem incapacem B Regiæ dignitatis, vel principatus, aut poteſtatis politicæ; ergo ſi quis ante fidem illam habebat, non amittet illam propter baptiſmum, aut fidem, ſi ad illã conuertatur: vel ſi iam Chriſtianus per legitimam electionem, vel alio iuſto titulo ad illam aſſumatur, verè illam acquirit, veruſque Rex, Princeps, aut Magiſtratus conſtituitur; ergo ſubditi etiam fideles, & Chriſtiani illi parere tenentur. Illationes quidem per ſe, & ex dictis euidentes ſunt. Antecedens autem probatur, quia vel illa incapacitas eſſet ex peC culiari Chriſti inſtitutione, vel ex natura rei, ſeu naturali aliqua repugnantia: nullum enim aliud fundamentum cogitari poteſt: vtrumque autem illorũ omnino falſum eſt, & irrationabile.

15. Ratione probatur aſſertio.

De primo patet, tum quia nullibi legimus, Chriſtum prohibuiſſe fidelibus Regium principatum, vt facilè infrà oſtendetur fundamentis cõtrariæ ſententiæ ſatisfaciendo. Tum etiam, quia potius de Chriſto, & de tempore gratiæ prædictum erat, Reges terræ fuiſſe in Chriſtum credituros, ipſumque adoraturos, Pſalmo 71. *Reges Tharſis, & inD ſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Sabà dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, &cæt.* Vnde Pſalmo ſecundo priùs dicitur adſtitiſſe Reges terræ aduerſus Chriſtum, & poſteà ſubditur. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, &c.* Et Iſaiæ 49. *Erunt Reges nutritij tui vultu in terram demiſſo adorabunt te, & ſcies, quia ego Dominus, ſuper quo non cõfundentur, qui expectant eum.* Et cap. 60. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui, &c.* Neque dici, aut cogi-

16

Pſalm. 71.

Pſalm. 2.

Iſai. 49.

A cogitari poteſt, Reges venientes ad Chriſti fidem eo ipſo amittere regna, & Reges eſſe deſinere, quia vt Eccleſia canit, *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.* Neque alia fuiſſet ſuauis, vel conueniens prouidentia, nam ſi Reges ad Chriſtum conuerſi ſtatim ab ipſo priuarentur regnis iuſtè poſſeſsis, pauci profectò eſſent ita regnorum contemptores, qui Chriſtiani fieri vellent. Non eſt ergo credibile, Chriſtum, qui omnium ordinum homines ad ſe vocat, & ſapienter, ac ſuauiter media ad illorum conuerſionem apta B diſpoſuit, tam magnum impedimentum conuerſioni Principum temporaliũ poſuiſſe, talemvè inſtitutionem in Eccleſia ſua reliquiſſe.

Tacitæ euaſioni occurritur.

17. Maximè, quia neque ad Eccleſiæ ſplẽdorem, neque ad bonum temporale regimen, neque ad ſpiritualem perfectionem talis inſtitutio pertinebat. Primum patet, quia multò magis illuſtrat Chriſti fidem, & Eccleſiam, quòd Imperatores, Reges, ac Principes terræ Chriſto, eiusq; Vicario ſubijciantur, & hoc ſine dubio eſt, quod in ſuprà poſitis promiſsionibus commendatur. Secundum etiam patet: C nam ratio ſuprà facta de neceſsitate politici principatus ad conſeruationem ſocietatis humanę non minùs habet locum in Eccleſia Chriſti, quàm extra illam, quia etiam Chriſtiani indigent communitate politica, in qua pax, & iuſtitia ſeruentur, & ad hoc etiam Chriſtiani indigent directione, & coactione ciuili, vt per ſe notum eſt: ergo cùm Chriſtus nec ſuam Eccleſiam in temporalibus malè gubernari voluerit, neque etiam miraculosè illam regere decreuerit, non debuit quaſi connaturale regimen ab ipſa tollere, & conſequenter nec Principatũ D politicum auferre. Tertia denique pars probatur, quia principatus politicus nõ eſt contra eſſentialẽ Eccleſiæ perfectionem, quæ in vera, & viua fide per charitatem operante conſiſtit. Cum enim ille principatus ſit iuſtitiæ, & rationi naturali conſentaneus, non poteſt eſſe charitati contrarius. Neque etiam eſt contra perfectionem conſiliorum, nam ad hanc non ſpectat, vt carentia temporalis dominij, aut iuriſdictionis ſub neceſsitate conſtituatur, ſed ſolùm ſub conſilio liberæ voluntati relinquatur, iuxta illud, *Si vis perfectus eſſe, &c.* Atque ita perfectio euangelica, & efficacia gratiæ Chriſti in hoc potiùs oſtenditur; quòd multi Imperatores, & Principes voluntariè imperia, & regna abdicarunt.

Ex quibus ſatis probatum manet alterum membrum, nimirum, Chriſtianos non eſſe incapaces principatus politici ex natura rei, vel ex aliqua naturali repugnantia. Tum quia potiùs oſtenſum eſt ex natura rei eſſe hoc regimen neceſſarium Chriſtianis, quibus multò etiam melius eſt, per Principes Chriſtianos gubernari, quàm per non Chriſtianos, vt obiter etiam oſtenſum eſt, ſatisq; eſt per ſe notum; ergo potiùs ex natura rei neceſſarium fuit, Chriſtianos eſſe capaces regnorum, & magiſtratuum temporalium. Tum etiam quia ſi eſſet aliqua repugnantia, vel eſſet cum libertate Chriſtiana, vel cum fide. At libertas Chriſtiana non conſiſtit in exemptione à iuſtis legibus humanis, neque in immunitate à iuſta coactione, aut vindicta peccatorum quando contra pacem, & iuſtitiam committantur; ſed conſiſtit in exemptione, vel à lege Moyſi, vel à timore ſeruili, ſeu (quod perindè eſt) conſiſtit in libera ſeruitute ex amore, & charitate, cui humanum regimen non repugnat, ſed potiùs illam iuuat, ſi adſit; ſi verò deſit, illius defectum per coactionem ſupplet. Fidei etiam nihil repugnat prædicta poteſtas, vel ſubiectio illi reſpondens, quia vtraq; eſt conformis rationi naturali, quæ non eſt fidei aduerſa. Quod certè ſatis confirmat Paulus in epiſt. ad Philemonem, in qua manifeſtè ſupponit, propter fidem, quam Philemon habebat, & Oneſimus ſeruus eius ſuſceperat, nec illi fuiſſe ablatum ius dominij, nec huic ſeruitutẽ eſſe ademptam; ergo à fortiori idem dicendum eſt de iuriſdictione politica, & illi correſpondente ſubiectione. 18.

In quo conſiſtat libertas Chriſtiana.

19. Ad primum ergo fundamentum cõtrarij erroris reſpondemus, verba illa Pauli, *Nolite iugũ ducere cum infidelibus*, ad literam intelligi de infidelibus, vt infideles ſunt, id eſt, nolite cum infidelibus in proprijs eorum operibus, quæ vt infideles operantur, communicare. Et hunc ſenſum probant omnes rationes Pauli. Ex hac autem ſententia ſolùm cõcluditur, fideles nõ debere obedire Prin-

Soluuntur fundamenta primi erroris. Primum.

 cipi-

cipibus infidelibus, ſi aliquid contra fidem, aut contra veram religionẽ præcipiat. Atq; in hũc modũ intellexerunt ibi locum illum Ambroſ. Theodoret. & D. Thomas, & Auguſt. lib. contra Donatiſtas poſt collationem cap. 6. & 21. Hieronymus autem lib. 1. contra Iouinian. & epiſt. 11. ad Ageruchiam, per iugum intelligit matrimoniũ, ſentiens, ibi prohiberi fœminæ Chriſtianæ cum gentili contrahere. Sed ſine dubio Apoſtolus ibi non loquitur ſpecialiter de vinculo matrimonij, quia neque de illo mentio ibi fit, neque in toto illo contextu occurrit occaſio de illo ſpecialiter tractandi. Probabile ſanè eſt, quod Chryſoſtomus ibi ait Homil. 6. admonere Paulum fideles generatim, vt nimiam conſuetudinem, & familiaritatem cum infidelibus euitẽt, vtique propter periculum, ne in fide, aut moribus ab eis corrumpantur. In quo ſenſu non tradidit Paulus ibi nouum prę ceptum poſitiuum, ſed explicat naturale, quo vnuſquiſque tenetur vitare periculum, ne in illo pereat. Atque hoc modo etiam reſpublica Chriſtiana tenetur vitare Principem infidelem, & non acceptare illum, ſi ex ipſius conſenſu pendeat, vel etiam repellere, ſi ex illius imperio morale periculum euerſionis timeatur, quod tamen non priuata, ſed publica authoritate facere debet, quando alioqui Princeps ius ad regnum legitimum habet. Atque ita & ſeruatur debitus ordo, & vitatur periculum.

Auguſt. *Chryſoſt.*

20. Exponitur locus Matt. 17.

Ad locum Matt. 17. quoniam tractãdo de immunitate Eccleſiaſtica latiùs expendendus eſt, nunc breuiter dico, nomine filiorum nõ comprehendi ibi omnes fideles; neque etiam omnes iuſtos, quia Chriſtus ad literam loquitur de filijs naturalibus, vt ex contextu, & ex omnium expoſitione conſtat. Ad Auguſtinum verò reſpondet D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 6. ad primum, loquutũ eſſe in ſenſu ſpirituali, & ita filios regni liberos eſſe à ſeruitute peccati, & à tributo, quod ratione illius pendere debebant. Quod non placet Caietano ibi, & ideò exponit, ſub filijs regni ſub quo ſubſunt regna terrena, intellexiſſe Auguſtinum non omnes iuſtos, ſed eos, qui præſunt quaſi filij, vt ſunt Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici. Veruntamen etiam iſti filij naturales non ſunt, & ideò ſub nomine, & ratione filiorum (ſi modo verborũ proprietati ſtetur) non comprehendentur. Et ideò Ianſenius putat, Auguſtinũ eſſe loquutum de ſolo Chriſto, etiam ſi in plurali de filijs loquatur, quia Chriſtus Dominus generatim de filijs naturalib⁹ loquebatur. Neque etiam comprehenduntur ſub illa libertate omnes Chriſtiani propter alium titulum, quòd ſint de Chriſti familia, vt ſatis explicuit Paulus ad Roman. 13. quia illa coniunctio cum Chriſto in eadem familia, id eſt Eccleſia, & valde ampla, & generalis eſt, & alterius ordinis, ſcilicet, ſpiritualis, quæ non tollit corporalem ſeruitutem, ſeu ſubiectionem, & conſequenter nec tollit ordinem iuſtitiæ, qui ex illa naſcitur. An verò ratione illius tituli immunitas illa ad omnes Eccleſiaſticas perſonas extẽdatur ex vi verborum Chriſti, poſteà videbimus, & verba Hieronymi, quæ hoc attingere videntur, exponemus.

D. Thom. *Rom. 13.*

21. Soluitur ſecundum fundamentum.

Ad aliud fundamentum iam reſponſum eſt, veram Chriſtianam libertatem non excludere honeſtam ſubiectionem ad legitimos Principes temporales non ſolùm Chriſtianos, ſed etiam infideles, vt ex doctrina Apoſtolorum ſatis declaratum eſt, & latiùs in dicto libro de Legibus. Ad verba demum Chriſti Domini reſpondemus, Chriſtum non intẽdiſſe per illa tollere iuſtum Principatũ inter Chriſtianos, ſed ſolùm eos docere ne gentilium Principum ambitionem, & tyrannidem imitentur. Et ideò non ſimpliciter de Regibus, ſed cum determinatione dixit, *Reges gentium dominantur eorum*, vbi etiam verbum *dominãdi* indicat nimium affectum, & ambitioſum gubernandi modum, ſicut Petrus. 1. canon. cap. 5. dixit, *Non dominantes in clero*. Atque ita expoſuit Chryſoſtom. Homil. 56. in Matthæum, & in alia breui narratione in Matthæ. cap. 20. Et ex occaſione, in qua Dominus, ad reprimẽdam diſcipulorum ambitionem, & de primatu contentionem, loquutus eſt, & ex verbis, quæ ſubiunxit, *Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor*, manifeſtiſsimè conſtat, Chriſtum non excluſiſſe ordinem, & gradus maioris, & minoris, ſed affectum diſcipulorum moderari voluiſſe.

1. Petr. 5. *Chryſoſt.*

Ad

22\. Ad Paulum autem reſpondetur, cùm ait, *Nolite fieri ſerui hominum*, non loqui de ciuili ſubiectione; imo nec de ſeruitute pœnali, ſeu rigoroſa, neutra enim repugnat, vel derogat pretio redemptionis Chriſti, nam ibidem paulò anteà dixerat, *Seruus vocatus es? non ſit tibi curæ*. Imo addit, poſſe ſeruitutem præferri libertati, vtique propter humilitatem, vt cum Ambroſio, & Gregorio, D. Thomas exponit. Igitur, cùm ait, *Nolite fieri ſerui hominum*, intelligit de ſeruitute qua homo Chriſto præfertur, ſeruiendo homini in ijs, quæ Dei ſeruituti opponuntur. Et quia hoc contrarium eſſet effectui redemptionis Chriſti, idcirco optimam rationem Paulus præmiſit dicens, *Pretio empti eſtis*. Hoc ergo modo ſeruire hominibus alienum eſſe debet à redemptis à Chriſto; ſubijci autem legitimis Principibus in ijs, quæ Deo non repugnant, non eſt indignum, ſed potiùs debitum, iuxta eiuſdem Redemptoris verba, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

CAPVT V.

Vtrum Reges Chriſtiani in ciuilibus, ſeu temporalibus ſupremam poteſtatẽ habeant, & quo iure?

1\. Poteſtas aliqua tunc ſuprema dicitur, quando ſuperiorẽ non recognoſcit: nam vox illa, *ſuprema*, negationem ſuperioris denotat, cui alter, qui ſupremam poteſtatem habere dicitur, obedire teneatur. Intelligitur autem de ſuperiore in terris, ſeu humano: nam cum Deo nulla ſit cõparatio, quis enim humanus Princeps, niſi atheus, vel amẽs ſit, diuinę ſe ſubtrahere poteſtati vel conari præſumat? excluditur ergo per negationem illam ſubiectio ad ſuperiorem hominem mortalem. Poteſt autem illa negatio varijs modis ſumi, & ideò vt quæſtionis titulus intelligatur, & ab alijs quæſtionibus, quæ hìc eſſe poſſunt, diſcernatur, modum, ac ſenſum illius negationis declarare neceſſe eſt. Primò enim negare poteſt ſimpliciter omnem ſubiectionem ad ſuperiorem hominem tam in ſpirituali materia, quàm in ciuili. Secũdò poteſt negare ſubiectionem in eadem materia temporali, ac ciuili. Et quãuis in priori quæſtione maxima ſit diſſenſio inter nos, & Regem Angliæ, ipſe enim nemini in terris ſubeſſe vult, etiam in ſpiritualibus, quod nos contra fidem, & obedientiam Chriſtianam eſſe credimus, nihilominus quęſtionem illam nũc non tractamus, quia nondum de ſpirituali poteſtate diximus, ſine cuius cognitione illius reſolutio intelligi nullo modo poteſt: ideoq; in vltimam huius libri partem illam remittimus, & in præſenti illam poteſtatem temporalem ſupremã vocamus, quæ in eodem ordine, ſeu materia alteri ſubiecta non ſit.

Deinde ſolet in præſenti diſtingui duplex ſubiectio, directa ſcilicet, & indirecta. Directa vocatur, quæ eſt intra ſinẽ, & terminos eiuſdem poteſtatis, indirecta, quæ ſolùm naſcitur ex directione ad finem altiorem, & ad ſuperiorem, ac excellentiorem poteſtatem pertinentẽ. Propria enim poteſtas ciuilis de ſe ſolũ directè ordinatur ad conuenientem ſtatum, & temporalem felicitatem humanæ reipublicæ pro tempore vitæ præſentis, & ideò etiam poteſtas ipſa temporalis appellatur. Quamobrem tunc ciuilis poteſtas dicitur in ſuo ordine ſuprema, quando in eodem, & reſpectu ſui finis ad illam fit vltima reſolutio in ſua ſphęra, ſeu in tota communitate, quæ illi ſubeſt: ita vt à tali Principe ſupremo omnes inferiores magiſtratus, qui in tali communitate, vel in parte eius poteſtatem habent, pendeant, ipſe verò Princeps ſummus nulli ſuperiori in ordine ad eundem finem ciuilis gubernationis ſubordinetur. Quia verò felicitas temporalis, & ciuilis ad ſpiritualem, & æternam referenda eſt, ideò fieri poteſt, vt materia ipſa poteſtatis ciuilis aliter dirigenda, & gubernanda ſit in ordine ad ſpirituale bonum, quàm ſola ciuilis ratio poſtulare videatur. Et tunc quanuis tẽporalis Princeps, eiuſq; poteſtas in ſuis actibus directè non pendeat ab alia poteſtate eiuſdem ordinis, & quæ eundem finem tantùm reſpiciat, nihilominùs fieri poteſt, vt neceſſe ſit, ipſum dirigi, adiuuari, vel corrigi in ſua materia à ſuperiori poteſtate gubernante homines in ordine ad excellentiorem finem, & ęternum: & tunc illa dependentia vocat ır indi-

2\. Subiectio duplex, directa, & indirecta: vtraq; quid.

indirecta, quia illa ſuperior poteſtas circa temporalia non per ſe, aut propter ſe, ſed quaſi indirectè, & propter aliud interdum verſatur.

3. Hinc fit, vt negatio illa ſubiectionis in temporalibus, quam prærogatiua ſupremæ poteſtatis temporalis includere creditur, in duos prætereà ſenſus ſubdiſtinguenda ſit. Poteſt enim negare, vel omnem ſubiectionem tam directam, quàm indirectam, vel tantùm directam, & ita duplex alia ſuboritur quęſtio. Prior eſt, an poteſtas Regis Chriſtiani ſit priori modo ſuprema, id eſt, nec directè, nec indirectè recognoſcens ſuperiorem in materia ciuili, & temporali; altera eſt, an poſteriori ſaltem modo ſit ſuprema, id eſt directum ſuperiorem in temporalibus non recognoſcens. Inter quas quæſtiones tanta eſt diuerſitas, vt prior ad dogmata fidei pertineat, & in illa ferè punctum totius controuerſiæ inter nos, & Regem Angliæ verſetur: poſterior autem neque ad materiã fidei pertineat, nec in ea ſit inter nos diſſenſio. Nihilominus tamen præſens quæſtio non in priori ſenſu, neque de indirecta ſubiectione, vel potiùs exemptione accipienda eſt: quia (ſi attentè conſideretur) ad quæſtionem de ſpirituali poteſtate pertinet, quia indirecta illa ſubiectio ſolùm ad ſpiritualem poteſtatẽ eſſe poteſt, vel (quod perindè eſt) ſi qua poteſtas excogitari poteſt, cui temporalis ſuprema indirectè ſubijciatur; ſola ſpiritualis eſſe poteſt, vt de ipſa diſputando videbimus, ideoq; in illum etiam locum hanc quæſtionem reijcimus. Titulus ergo pręſentis quæſtionis ſolùm de ſuprema poteſtate, quæ in eodem ordine ſuperiorem directè non recognoſcat, intelligendus eſt. Nam licèt, vt dixi, in hoc puncto nõ ſit nobis cum Rege contentio, quia tamen ſæpe ipſe de Catholicis conqueritur, quòd Chriſtianorum Principum iuriſdictionem, & obedientiam eis debitã abnegemus, ideò quæſtionem illam non eſſe hoc loco prætermittendam cenſui, vt Regiam poteſtatem Chriſtianorum Principum in his omnibus, quæ iuri naturali conſentanea ſunt, ſartam tectam iuxta catholicam doctrinam ſeruari, ex illius reſolutione manifeſtum fiat.

Senſus quæſtionis aperitur.

4. Fuit itaque quorundam Catholicorũ, A præſertim Iuriſperitorum ſententia, in Eccleſia Chriſti non ſolùm ſpirituale regimen, ſed etiam temporale eſſe monarchicum, ac proinde in vniuerſa Eccleſia Catholica vnum tantùm eſſe ſupremum Principem temporalem habẽtem per ſe, & directè ſupremam poteſtatem ciuilem in vniuerſam Eccleſiam, eumque eſſe Summum Pontificem ex Chriſti inſtitutione. Vnde conſequenter collegère, nullam rempublicam, nullumve Regem, aut Imperatorem habere ſupremam poteſtatem in temporalibus, quia non poſſunt eſſe duo ſuprema B capita in eodem ordine: igitur ſi Pontifex habet ſupremam poteſtatem temporalem directè, ac per ſe, neceſſe eſt, vt in reliquis omnibus Principibus temporalibus non ſit ſuprema poteſtas, quia nullus erit, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcat. Imò aliqui etiam addunt, omnia iura regnorum, & dominia Petro collata eſſe tanquam Chriſti Vicario, & ita Romanum Pontificem in illo iure ſuccedere, ideoque ſupremam poteſtatem ciuilem in habitu (vt ipſi loquuntur) ſolùm eſſe in Pontifice; quàn- C uis per alios Reges ex tacita, vel expreſſa conceſſione illam adminiſtret. Ita loquuntur pręcipui ex antiquis iuris Põtificij interpretibus, Gloſſa, Innocẽtius, Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Panormitanus, Felinus, & Decius in cap. *Nouit*, de Iudicijs, & in cap. *Cauſam quæ*. 2. & in cap *Per venerabilem*. Qui fil. ſint legitim. & in cap. *Solitæ*, de Maiorit. & obedien. & in cap. *Quod ſuper his*, de Voto, & alij in cap. *Quoniam*, diſt. 10. & in cap. *Cum ad verum*. 96. diſt. & ex interpretibus iuris Cæſarei Barthol. Oldrad. Paulus de Caſtro, & alij, quos Nauarr. & Couarr. infrà citandi referunt. Quibus acceſſit D. D Antonin. 3. p. tit. 22. cap. 5. §. 13. & 17. Aluarus Pelagius, & Auguſtin. de Ancona cum multis alijs à prædictis relati.

Prima ſententia negans.

Gloſſa. Innocent. Hoſtien. Ioan. Andr. Panormit. Felinus. Decius. Barthol. Oldrad. Caſtro. D. Anto. Aluar. Pelag. Augu. de Ancona.

5. Fundantur primò in multis decretis Summorum Pontificum, qui hoc affirmare videntur, quæ infrà referemus, cùm eorum mentem explicabimus. Secundò in vſu, & varijs effectibus oſtendentibus hanc poteſtatem. Huiuſmodi ſunt transferre imperium à Græcis ad Germanos, & inſtituere modum eligendi Imperatorem, & confirmare illum, & inter-

Primum fundamentum

interdum etiam deponere, qui omnes ſunt actus ſuperioris poteſtatis tēporalis. Si autem Imperator non eſt ſupremus multò minùs alij Reges. Vnde interdum etiam Reges fuerunt à Pontificibus depoſiti. Tertiò vt ſcripturas etiam ad hoc probandum inducant, ſupponunt, Chriſtum habuiſſe directam poteſtatem non ſolùm ſpiritualem, ſed etiam temporalē. Tum quia ipſe dixit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*, tum etiam quia erat filius Dei naturalis. Vnde inferunt, vtranque poteſtatem Vicario ſuo æqualiter cōmiſiſſe, tum quia ipſe nihil diſtinxit, ſed abſolutè dixit Petro, *Paſce oues meas*, ſub quo verbo *paſcendi* non minùs comprehenditur ciuile regimen, quàm ſpirituale: nam de Dauid dicitur 2. Reg. 5. *Tibi dixit Dominus, Tu paſces populum meum Iſrael.* Tum etiam quia ad bonum Eccleſiæ regimen, eiuſq; vnitatē, & pacem ita expediebat. Vnde additur quartò naturalis ratio, quia in vno corpore tantùm eſſe debet vnum ſupremum caput, à quo omnes actiones vitæ, ſiue corpori, ſiue ſpiritui ſeruientes tanquam à primario fonte procedant; ſed Eccleſia eſt vnum corpus myſticum, vt iam ſuprà declaratum eſt; ergo poſtulat vnum ſupremum gubernatorem in vtroq; ordine; imò vtramque poteſtatem in vna perſona; quia ſi in diuerſis perſonis ſint, infinitæ diſſenſiones, & lites orientur, quæ vix poſſūt humana diligētia, & ratione cōponi, vt experientia ipſa oſtēdit.

2. Reg. 5.

6. Nihilominus dicendum eſt, Reges Chriſtianos habere poteſtatem ciuilem in ſuo ordine ſupremam, nullumque alium recognoſcere directè ſuperiorem intra eundem temporalem, ſeu ciuilem ordinem, à quo in actibus ſuæ poteſtatis per ſe pendeant. Vnde fit, non dari in Eccleſia vnum ſupremum Principem temporalem totius Eccleſiæ, ſeu omnium regnorum eius, ſed tot eſſe, quot ſunt regna, ſeu reſpublicæ ſupremæ. Hæc eſt magis recepta, & probata ſententia inter Catholicos, quos ſtatim referemus. Probatio autem prioris partis ex poſteriori pendet: nam ſi non eſt vnum caput temporale, conſequens neceſſariò eſt, vt ſint multi Reges ſupremi, vt à nobis propoſitum eſt; nunc enim non intendimus in particulari expendere, an hic, vel ille Rex ſupremus ſit, nec Principes ipſos temporales inter ſe conferre, id enim â præſenti inſtituto ſatis eſſet alienum.

Vera ſententia ſtatuitur

A

7 Et ob eandem cauſam non tractamus nunc quæſtionem illam, an Imperator ſit ſuperior iuriſdictione in omnibus Chriſtianorum prouincijs, & regnis, & conſequenter ſit ſupremus Monarcha in vniuerſa Eccleſia. Quia licet ad poſteriorem partem aſſertionis poſſet pertinere, tamen nihil ferê pertinet ad dogmata fidei explicanda, ideoque breuiter ſupponimus, Imperatorem non habere hoc dominium aut ſupremam iuriſdictionem temporalem in vniuerſam Eccleſiam (quidquid Bartholus, & nonnulli alij Iuriſperiti cenſeant) quia vel nunquam illam habuit, vel licet habuiſſet, maiori ex parte illam amiſit. Quòd autem nunquam illam habuerit, probabiliſsimum eſt, quia neq; ſupernaturali, aut extraordinario modo â Chriſto Domino, vel Romano Pontifice illam habuit, vt ex dicendis à fortiori conſtabit, neque etiam aliquo humano iure illam acquiſiuit, quia nunquam vel per electionem, vel per iuſtum bellum vnus Imperator totum orbem, vel totam Eccleſiam ſibi ſubiecit. Vt enim demus, antiquos Imperatores Chriſtianos fuiſſe legitimos Principes totius ditionis ſuæ, non tamen inde ſit, fuiſſe etiam ſupremos Principes omniū Chriſtianorum, quia extra illorum territorium multi populi potuerunt eſſe Chriſtiani. Nā (vt rectè dixit Proſper. lib. 2. de Vocat. gent. cap. 6. *Gratia Chriſtiana non contenta eſt eoſdem limites habere, quos Roma, multoſque populos ſceptro Crucis Chriſti ſubdidit, quos armis ſuis ipſa non domuit.* Vnde & eſt illud, quod Leo Papa in ſer. 1. Apoſtolorū, de Roma dixit, *vt latiùs præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena.* Accedit, illud ipſum Romanum Imperium in Orientale, & Occidentale fuiſſe diuiſum, & deinde Occidentale Imperiū (quod ſolū in Chriſtianis permanſit, orientali â paganis occupato) licet quoad dignitatē in vna perſona duret, quoad iuriſdictionē in multos Principes, & Reges diuiſum eſſe. Ex quibus licèt aliqui ſint Imperatori ſubiecti, plures cēſētur legitimè exēpti; iure

B Imperator non habet ſupremam poteſtatem temporalē in vniuerſā Eccleſiam.

C

Proſper

D *Leo Papa.*

iure præſcriptionis,accedente ſimul populorum conſenſu, vel titulo iuſti belli. Ac proinde pręter Imperatorem plures eſſe Reges temporales ab illius iuriſdictione omnino liberos,vt ſunt Rex Hiſpaniæ, Galliæ, & Angliæ, nunc ſupponimus.

8. Solum ergo ſupereſt probanda aſſertio de Summo Pontifice, nam ſi ille non habet proprium dominium iuriſdictionis temporalis ſupremæ in vniuerſa regna Eccleſiæ,nullus alius fingi poteſt,qui talẽ primatum habeat, ac ſubinde plures erunt Reges temporales ſupremi. Quòd ergo Pontifex talem iuriſdictionem tẽporalem in vniuerſa Eccleſia nõ habeat, tenuerunt ex Theologis præcipuè Maior,Caietan. Victor. Soto, & Bellarminus,qui plures alios refert. Et ex Iuriſperitis Couarruuias in Reg. l. *Peccatum,* 2.p.§.9.n.7.& Nauarr.in cap. *Nouit,* notab.3.latiſsimè,& plures alios referendo n.41.& Petrus Bertrand.tract.de Orig. iuriſdiction.q.3. Et(quod caput eſt) ipſimet Pontifices Summi multis in locis hanc veritatem ſimpliciter recognoſcũt.

Maior in 4 d. 24. q. 3. Caiet. tom. 1. Opuſcul. tract. 2. c. 3 & 2. 2. q. 43. ar. 8. Victor. in ſuis Relectionib. Soto lib. 4. de Iuſt. c. 2 Bellar. lib. 5. de Sum. Pontif. c. 1 & ſeqq. Couar. Nauar. Bertrand.

9. Vnde illorum iuribus in primis probanda eſt aſſertio, Nicolaus enim Papa ad Albinum Archiepiſcopum ita ſcribit, *Sancta Dei Eccleſia gladium non habet, niſi ſpiritualem,* nomine autem *gladij* ſignificari ſolet in iure canonico poteſtas temporalis; ergo maximè id debet intelligi, & de directa poteſtate, & de iuriſdictione, quam Sancta Eccleſia per ſe,& vt ſic dicam ex intrinſeca ſua ratione habet. Nam in proprio territorio alio titulo cõparato habere poteſt Eccleſia, ſeu Eccleſiaſticus Prælatus gladium temporalem, ſicut Romanus Pontifex in ſua peculiari ditione illum habet. Præterea idem Nicolaus in epiſt. ad Michaelem Imperatorem ſic ait, *Nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit, quoniam Christus ſic actibus proprijs,& dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriusq; diſcreuit,&c.* Idem nobis tradidit Gelaſius Papa, cùm epiſt. 10. ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribit, *duo eſſe, quibus principaliter mundus regitur authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas,* & Gregor. Papa 1. lib. 2. indict. 11. epiſtol. 61. aliàs cap. 100. ad Mauritium Imperatorem ait, *Ad hoc poteſtas ſuper*

Auctoritate ſummorum Pontificum probatur aſſertio.

Nicol. Papa. Cap. *Inter hæc.* 33. q. 2. Cap. *Quoniam.* diſt. 10. & cap. *Cum ad verum,* d. 33.

Gelaſ. Papa.

Greg. Pap.

A *omnes homines Dominorum meorum pietati data eſt, vt terreſtre regnum cœleſti regno famuletur,* & Ioannes Papa I. in Epiſtola ad Iuſtinianum Imperatorem,quæ habetur in l. *Inter claros.* C. de Sacra Trinit. eius ſupremum principatum,& Regiam poteſtatem recognoſcit.

Præterea Innoc. III. in cap. *Nouit,* de Iudicijs, apertè ſentit Regẽ Francorũ ſupremam habere iuriſdictionem temporalem, quam Papa perturbare,aut minuere nolit: & ideò infrà dicit. *Non enim intẽdimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum* B *ſpectat iudicium,* apertè ſignificans, ad ſe non pertinere vtique; directè, vt rectè Gloſſa, & Innoc. adnotarũt. Quod ampliùs declarat, dum addit, *Niſi fortè iuri communi per ſpeciale priuilegium, vel conſuetudinem ſit derogatum.* Nam per hanc exceptionem declarat, per ius diuinum non eſſe iuri Regio derogatum. Idem præterea Innocentius in cap. *Per venerabilem,* Qui fil. ſint legit. de Rege Francorum expreſſe dicit, ſuperiorem in tẽporalibus non recognoſcere. Et de Apoſtolica Sede dicit, *In patrimonio Beati Petri liberè* (id eſt directè & abſolutè) C *poſſe diſponere, in quo & ſummi Pontificis authoritatem exercet, & ſummi Principis* (vtique temporalis) *exequitur poteſtatem,* planè ſentiens, in alijs regnis non ita liberè poſſe circa temporalia diſponere. Idem in cap. *Solitæ,* de Maiorat. & obedien. Imperatorem fatetur, *in tẽporalibus præcellere in ditione ſua,* & de Regali poteſtate dicit, *in carnalibus præeſſe,* & in cap. *Cauſam,* 2. Qui fil. ſint legitimi Alexander 3. expreſsè dicit, ad Regem, non ad Eccleſiam pertinere de tẽporalibus poſſeſsionibus iudicare, & loquitur in particulari de Rege Angliæ, D Satis ergo conſtat, ipſosmet Romanos Pontifices nunquam ſibi huiuſmodi poteſtatem arrogaſſe, quod ampliùs ex ſequenti diſcurſu conſtabit.

10. *Innoc. 3.*

Innoc.

Secũdo principaliter veritas hæc demonſtratur, quia nullus poteſt iuſtus titulus aſsignari, quo directum dominiũ iuriſdictionis temporalis in omnia Eccleſiæ regna ſummo Põtifici conueniat; ergo illam non habet, neque enim ſine iuſto titulo obtineri poteſt. Aſſumptum probatur, quia vel ille titulus eſſet iuris diuini poſitiui, vel iuris humani, mani-

11. Eadem concluſio ratione ſtabilis.

manifeſtum eſt enim ex ſuprà dictis, nõ poſſe immediatè ex iure naturali. Nam probatũ eſt, ex immediato naturali iure ſolam communitatem humanam perfectam, & politicè in corpus vnius reipublicæ congregatam habere ſupremam iuriſdictionem temporalem in ſe ipſam. At congregatio Eccleſiæ licèt ſit vnuũ corpus ſpirituale, ſeu myſticum Chriſti, & in hoc genere habeat fidei, baptiſmatis, & capitis vnitatem, non tamen eſt vnita in ratione vnius politicę congregationis, ſed in ſe continet varia regna, & reſpublicas, quæ in politico genere nullam inter ſe habent vnitatem; ergo ex vi iuris naturalis non eſt in tota cõmunitate Eccleſiæ immediatè vna ſuprema iuriſdictio temporalis, & vniuerſalis ſupra totam Eccleſiam, ſed tot ſunt iuriſdictiones temporales ſupremæ, quot ſunt politicæ cõmunitates, quæ non ſunt membra vnius regni, ſeu reipublicæ ciuilis.

12.
upremapo ſtas ciuilis on compe t Summo ontifici iu : humano.

Et hinc non minori euidentia concluditur, talem poteſtatem non eſſe in aliquo Eccleſiaſtico Principe aliquo titulo humano, quo mediante poteſtas illa naturalis in ipſum translata fuerit. Quia hic titulus vel eſt electio, & conſenſus populorum, & hic in præſenti locum non habet, vt per ſe manifeſtum eſt: nunquã enim omnes populi Chriſtiani propria voluntate, & conſenſu vni homini tanquam ſupremo Principi temporali ſe ſubmiſerunt. Vel eſt titulus iuſti belli, & de hoc etiam clarum eſt non habere locum in aliquo Eccleſiaſtico Principe. Vel eſt titulus legitimæ ſucceſsionis, & hic etiam eſſe non poteſt, præciſè ſiſtendo in iure humano, quia ſupponit legitimum titulum, & dominium in prædeceſſore, & ita aſcendendo neceſſariò ſiſtendum eſt in aliquo, qui alio priori titulo humano tale dominium ſine ſucceſſione obtinuerit, qui non poteſt eſſe, niſi vel cõſẽſionis populorum, vel belli, quod aut à principio fuerit iuſtum, aut per tacitum conſenſum ſubditorum per legitimum tempus iuſtum fuerit factum; nihil autem iſtorum habet locum in aliquo Pontifice, cuiuſcunque temporis, vel ſuperioris ſeculi cogitetur. Vel denique hic titulus eſt alicuius donationis ab homine factæ, & de hoc ferè eadem eſt ratio, quæ de titulo ſuc- A ceſsionis. Quia nemo poteſt donare, niſi quod habet; nullus autem Princeps etiã temporalis habuit vnquam ſupremam iuriſdictionem temporalem directam in omnes prouincias, & regna Chriſtiana, vt ſuprà tetigi, ergo nullus eſt, qui Eccleſiæ, vel Pontifici talem donationem facere potuerit.

Quę omnia rectè confirmant illa iura canonica, quæ tradunt Pontificem Romanum legitimum ius, & temporale dominium habere Romani regni, ſeu patrimonij (quod vocant) Sancti Petri, B per donationem à Conſtantino Imperatore factam, vt patet ex c. *Conſtantius.* 1. & 2. 96. diſt. & ex cap. *Fundamenta,* de elect. in 6. & cap. *Futuram.* 12. q. 1. Nam hinc apertè colligitur, titulo donationis ſolùm habere directè temporalem iuriſdictionem in regnum, & ciuitates, quæ ſunt de patrimonio Petri, ſub quo patrimonio comprehendimus omnem ditionem temporalem, quam nunc poſſidet Romanus Pontifex, ſiue totius patrimonij donatio facta fuerit à Conſtantino, ſiue ab illo fuerit inchoata, & ab alijs Regibus, & Principibus aucta.

Cap. *Cõſtantinus.* Cap. *Fundamenta.* Cap. *Futuram.*

Supereſt dicendum de titulo iuris diuini poſitiui, qui ſolùm potuit incipere C per Chriſti Domini donationem, & perſeuerare per legitimam ſucceſsionem, à Chriſto autem Domino nulla talis donatio facta eſt, & conſequenter nulla poteſt eſſe in tali iuriſdictione temporali legitima ſucceſsio; ergo neque hoc titulo conuenit Pontifici huiuſmodi iuriſdictio. Quod autem Chriſtus illam iuriſdictionem non dederit Eccleſiæ, probatur in primis, quia ſi dediſſet alicui, maximè Petro, vt nunc ſuppono ex his, quæ inferius de primatu Romani Pontificis dicenda ſunt. Petro autem non D donaſſe ſatis colligitur ex Matthæ. 16. vbi ante illa verba, *Quodcunque ligaueris, & quodcunque ſolueris,* præmittit Chriſtus promiſsionem, *Tibi dabo claues regni cœlorum,* non ergo promiſſit Chriſtus Petro claues regni terreni, ac proinde non promiſit temporale dominium, vel iuriſdictionem temporalem directam, ſed ſpiritualem poteſtatem. Quocirca quod ſtatim Chriſtus addit, *Quodcunq; ligaueris,* vel, *Quodcunque ſolueris,* ſecundum poteſtatẽ, quã

13.
Idem probatur de iure diuino.

Matt. 16.

nomi-

nomine clauium promiſerat, ſine dubio intelligendum eſt. Et ſimiliter verbum, *Paſce oues meas*, ſecundum eandem poteſtatem intelligendũ eſt; nam ibi promiſſionem priùs tactã Chriſtus adimpleuit. In nullo autẽ alio loco indicauit Chriſtꝰ, ſe dare temporale dominiũ, aut regnum propriũ directũ Petro, vel Eccleſiæ ſuę, neque etiam Eccleſiaſtica traditio hoc oſtendit, ſed potiùs oppoſitum, vt viſum eſt; ergo nulla ſupernaturali via nobis cõſtare poteſt de tali iuriſdictione temporali, & directa Pontificis: ergo nõ poteſt cum fundamento illi attribui, cùm non niſi ſupernaturaliter poſſit illã habere.

15. Deinde eſt optima coniectura, quia ipſe Chriſtus ſibi in humanitate ſua non aſſumpſit regnum terrenum, ſeu temporale, cum dominio, & iuriſdictione temporali directa, qualis eſt in Imperatore, vel alijs Principibus humanis: ergo neq; illam tribuit Vicario ſuo in terris. Antecedens ſupponimus ex his, quæ in primo tomo 3. partis de regno Chriſti diximus, (*Diſput. 48. ſect. 2.*) & nunc breuiter oſtenditur ex his, quæ Scriptura dicit de paupertate Chriſti Domini, vt eſt illud 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui propter nos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* (*2. Cor. 8.*) Vnde Ioannes 22. in Extrauagãt. *Cum inter nonnullos*, de Verbor. ſignifi. (*Ioan. 22.*) docens, habuiſſe Chriſtum, non obſtante paupertate, quarundam paucarum, & vſualium rerum dominium, manifeſtè ſupponit, non accepiſſe regnorum dominium, vel aliarum rerum, quarum proprietas homines diuites conſtituit. Et hoc ſignificauit ipſe Dominus, cum Matthæ. 8. & Luc. 9. dixit, *Filius hominis non habet, vbi caput reclinet*. (*Matt. 8. Luc. 9. & 12.*) Et de tẽporali iuriſdictione idem ſignificauit Luc. 12. vbi cuidam petenti, *Dic fratri meo, vt mecum diuidat hæreditatem*, reſpondit, *Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos*, quaſi diceret, non aſſumpſiſſe illud iudicium, nec ad temporalem iuriſdictionẽ exercendam in mundum veniſſe, vt rectè Ambroſ. Theophylact. & Eutym. adnotarunt.

16. Et hoc etiam confirmauit idemmet Dominus Ioan. 18. (*Ioan. 18.*) dicens, *Regnum meũ non eſt de hoc mundo*, id eſt, nõ eſt temporale, & terrenum, quale eſt regnum Cæ-

A ſaris, vt ibi exponunt Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 10. & ſequentib. & Chryſoſt. Homil. 82. in Ioan. & optimè Auguſt. tract. 115 dicens, (*Cyrill. Chryſoſt. Auguſt.*) *Audite omnia regna terrena non impedio dominationem veſtram in hoc mundo, regnum meum non eſt de hoc mundo*. Vnde omnes Patres docent aſſumpſiſſe Chriſtum regnum ſpirituale, quod veram paupertatem nõ excludit. Ideoque Zachar. 9. prædicitur venturus Saluator, qui eſſet Rex, & pauper, (*Zachar. 9.*) quod in Chriſto impletum eſſe declarauit Matth. cap. 21. & Ioannes cap. 22. (*Matt. 21. Ioan. 12. Pſal. 2.*)

B & in Pſal. 2. de Chriſto dicitur; *Ego autẽ conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum eius*, & ſtatim additur, *prædicans præceptum eius*, ad ſignificandum regnum illud eſſe ſpirituale, non terrenum. Vnde Auguſtinus ſuprà, montẽ illum, ſuper quem Chriſtus eſt Rex cõſtitutus, (*Auguſt.*) non eſſe de hoc mundo, dixit, *quia credentes in Chriſtum, qui ſunt regnum eius, non ſunt de hoc mundo*, Hilarius autè (*Hilarius.*) dixit, non eſſe Hieruſalem terreſtrem, ſed cœleſtem. Et hoc etiam modo prædictum eſt ab Angelo de Chriſto. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris eius*, & ſtatim ſubiungit, *& regnabit in domo Iacob*

C *in æternum, & regni eius non erit finis*, quia non temporale, ſed ſpirituale futurum erat, vt adnotarunt Epiphan. hæreſ. 29. & Hieronym. Ierem. 22. & Zachar. 6. (*Epiphan. Hieron.*) Ratio vero eſt quia temporale regnum non fuit Chriſto neceſſarium ad honorem, vel maieſtatem ſuam, & ad exemplum, ac redemptionẽ noſtrã fuit magis expediens, vt illud non aſſumeret.

Atque hinc facilè probatur prior illatio, quia Chriſtus non contulit Vicario ſuo poteſtatẽ, quã nõ ipſe aſſumpſit. 17 (*Obiectio.*) Dices, quanuis Chriſtus non habuerit

D temporale regnum caducum, & imperfectũ, habuiſſe tamen etiã in humanitate ſua propter gratiã vnionis dominium quoddam excellẽtius, per quod poterat ſua voluntate vti quibuſcuãq; rebus, vel regnis tẽporalibus, & cõſequenter per illud etiã potuiſſe dare Vicario ſuo tẽporalia regna, & directã iuriſdictionẽ temporalẽ. Reſpondemus, nõ negari, quin id (*Solutio.*) facere potuerit, ſicut etiã potuit ſibi aſſumere, ſed colligimus, nõ dediſſe, cũ illud nõ aſſũpſerit, quia nõ reliquit ĩ terris, niſi Vicariũ illius regni, quod ipſe de facto aſſump-

aſſumpſit, quod regnũ ſpirituale eſt, vt oſtẽdimus, & perfectè quidẽ cõſũmatur in gloria, in hoc verò mũdo inchoatur in Eccleſia militante. Itẽ quia Chriſtus habuit perfectam ſpiritualẽ poteſtatẽ ſine iuriſdictione tẽporali directa; ergo etiã potuit cõmunicare Vicario ſuo perfectã, ſeu ſufficientẽ iuriſdictionem ſpiritualẽ, ſine altera directè tẽporali. Ac denique quia ſicut fuit expediens, Chriſtũ ipſum non aſſumere temporalem iuriſdictionem, ita etiam conueniens fuit, vt Vicario ſuo illam non communicaret, ne aut Reges terræ perturbaret, aut ſpiritualia ſecularibus miſcere videretur.

18. Vnde poſſumus vltimò ratione argumẽtari, quia dominiũ temporale, cum iuriſdictione directa, & ciuili in vniuerſam Eccleſia nõ erat neceſſaria ad ſpirituale regimen Eccleſiæ, vt per ſe manifeſtum eſt, neq; etiã ad eundem finẽ erat vtilis, imò potiùs magno impedimẽto eſſe potuiſſet; ergo non eſt veriſimile à Chriſto fuiſſe datã. Minor probatur primò, quia tẽporale regimen eſt longè diuerſum ab ſpirituali, & implicat homines negotijs ſecularibus, quę maximè auertũt ab ſpiritualibus, propter quod dixit Paul. 2. ad Timot. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus*: ergo incredibile eſt, Chriſtũ Dominũ cõiunxiſſe has duas ſupremas, & vniuerſales poteſtates in vno ſupremo Põtifice Eccleſiæ, cùm moraliter impoſsibile ſit, vnũ hominẽ ſufficere vtriq; põderi vniuerſalis gubernationis.

Ad Timot. 2.

19. *Obiectio.* Dices. Hac ratione probaretur, Sũmũ Pontificẽ, vel alios Epiſcopos non poſſe, nec debere eſſe ſimul tẽporales Principes. Reſpondetur, in primis verum eſſe, Chriſtũ Dominũ id non inſtituiſſe, neq; præcepiſſe, neq; alicui ex ſuis miniſtris, ſeu Paſtoribus tẽporalem Principatum dediſſe. Et hoc probat diſcurſus factus, & cõfirmãt, quæ de Chriſti Domini regno diximꝰ, quia ille nec totius orbis, nec alicuius partis eius Principatũ temporalẽ, aut ſeculare iudiciũ ſumpſit, vnde nulli etiã Epiſcopo, vel Vicario ſuo illud cõmunicauit. Quod ergo ipſe de ſe dixit, *Quis me cõſtituit iudicem inter vos*, in vnũquẽque Epiſcopũ conuenit. Quod etiam alijs teſtimonijs, & lõgo diſcurſu oſtẽdit Bernar. lib. 1. de Conſiderat. ad Eugeniũ c. 6. & lib. 2. c. 6. Addo nihilominus, non

Prima reſponſio.

Bernar.

A prohibuiſſe Chriſtum, ne Pontifex, aut Epiſcopus poſsit eſſe ſimul tẽporalis dominus, quia nec talis prohibitio oſtendi poteſt, vt ſupra tactũ eſt, & ex dicendis magis cõſtabit: neq; etiã ſequitur ex ratione propoſita, quia nõ eſt per ſe malũ, eundem eſſe Eccleſiaſticum Paſtorẽ, & Principem tẽporalem. Quin potiùs licèt tẽporalis cura nimis ampla, & vniuerſalis nõ rectè cõueniat cũ ſpirituali ſolicitudine, nihilominus principatus aliquis tẽporalis moderatus poteſt nõ ſolùm eſſe licitus, ſed etiã expediẽs ad Eccleſiæ ſplẽdorem, & authoritatem conſeruandam,

B & ad neceſſarios ſũptus, & alios ſimiles honeſtos fines, vt rectè dicitur in c. *Fundamenta*. de Elect. in 6. Et ideò Chriſtus Dominus hoc non prohibuit, ſed humanæ diſpoſitioni recta ratione regulatæ, & pro temporum opportunitate id reliquit. *Cap. Fundamenta.*

20. *Secunda ſolutio.* Alitèr verò reſpõderi poſſet rationi factæ, illa ſolũ probari exercitiũ vtriuſque iuriſdictionis vniuerſalis nõ debuiſſe ſimul eidẽ perſonæ cõmitti, nihilominus tamẽ in habitu potuiſſe vtrãque iuriſdictionẽ dari Põtifici, datãq; eſſe ea lege, &

C cõditione, vt ſpiritualẽ per ſe, temporalẽ verò per alios ordinariè exerceret. Sed hoc etiã facilè impugnatur, nõ ſolũ quia etiã illa iuriſdictio in habitu nullo titulo, aut probabili modo oſtẽditur, vt probatũ eſt, ſed etiã, quia vel eſt impertinẽs, vel odioſa valdè. Aut enim qui illam habet, nunquã per ſe ipſum vti illa debet, & ſic erit otioſa, & inutilis, quia nunquam poterit quis illa vti per alios, niſi priùs per ſe illa vtatur, ſaltem illam delegando, vel ordinariam committendo. Si verò ad hunc vſum data dicatur, interrogo vlteriùs, an Pontifex v. g. cõmittendo hanc *Reijcitur reſponſio.*

D iuriſdictionẽ, illam omnino à ſe abdicet, & omnẽ illius curam prorſus relinquat, vel ita illam cõmittit, vt ſemper maneat temporaliter ſuperior, & cum poteſtate reuocandi cõmiſsionem, vel ſaltem limitandi eam, vel etiam ſub arbitratu corrigendi, aut emendandi acta per illam. Si priori modo hæc iuriſdictio in habitu cogitetur, eſt ſine fructu, & otioſa. Quid enim refert, quòd Pontifex habeat hanc poteſtatem in habitu, ſi neceſſariò debuit illam dare alijs, per quos exerceretur, & poſtquàm dedit iam nõ

poteſt actum ſuperioris exercere in illo ordine? Imò potiùs ſequitur, iam nunc illam non habere, & ſolùm fingitur aliquando habuiſſe, vt emanatio huius poteſtatis ad Principes ſeculares Pontifici attribuatur, quod inuidiæ ſatis plenum ducitur, odioſumq; nimis, & aliàs eſt etiã ſine fructu, & fundamento.

Si verò poſteriori modo cogitetur hæc poteſtas ita in habitu, vt poſsit exi-
21. re in actum, quando libuerit, vel quando oportuerit, ſic augetur odium, & inuidia, quia iam Principes temporales non erũt ſupremi Reges, falſumq; erit Sedulij carmen ab Eccleſia receptum, & celebratum ſatis, *Non eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia*, poteritq; Pontifex pro libito ſuo regna temporalia auferre, vel mutare, & iudicia temporalium rerum, diſpenſationes, & ſimilia ſibi etiam ad libitũ vindicare, ſaltẽ valide, nam licèt fortaſſe non bene faceret propter perturbationẽ ordinis, factũ nihilominus teneret, quia eſſet ex ſuprema iuriſdictione, â qua inferior pendet. Hoc autẽ nõ ſolùm odioſum eſt, & Regum animos perturbare poteſt non ſine cauſa; verũ etiam eſt per ſe incredibile, quia eſt contra vniuerſalem pacem Eccleſiæ, & contra vniuerſalem, ac perpetuum vſum eius. Vnde etiã Iuriſperiti, qui dicunt Sũmum Pontificem habere ſupremam iuriſdictionem tẽporalem, id non admittunt. Imò in multis actibus iuriſdictionis temporalis abſolutè negant, poſſe Pontificem extra ditionem ſuam temporalẽ illos vſurpare, etiam validè, vt cõmuniter tradunt Doctores in cap. *Per venerabilem*, Qui filij ſint legitimi. Ac denique ſi hoc modo haberet Pontifex iuriſdictionem temporalem totius Eccleſiæ, non minus oporteret ipſum eſſe ſolicitum de bono temporali regimine omnium regnorum Eccleſiæ, quàm de regimine ſpirituali omnium Epiſcopatuum: nam eſt eadem ratio, & obligatio, ſeruata proportione, & ita procedit ratio facta, quòd illa duplex ſolicitudo vniuerſalis humanas vires, & capacitatem moraliter excedat, ſitq; cõtra omnem rationem, & vſum.

Ex fundamentis contrariæ ſententię
22. primum, & ſecundum procedunt tantũ de poteſtate indirecta. Et profectò multi ex authoribus pro illa ſentẽtia relatis,
A de eadem tantùm ſuperiori poteſtate loquũtur, vt in fine huius libri declarabimus. Tertium autẽ fundamentũ procedit ex falſo principio, quia Chriſtus Dominus dominia tẽporalia non aſſumpſit, vt dictũ eſt. Simili modo deficit quartũ fundamentũ, quia Eccleſia non eſt vna reſpublica tẽporalis, ſicut eſt ſpiritualis, & ideò non indiget vna temporali poteſtate directè ſuprema, ſed vna ſpirituali, quæ ad temporalia extendatur, vt infrà etiam videbimus.

Soluuntur fundamẽta cõrrariæ ſententiæ.

CAPVT VI.

B *Vtrum ſit in Eccleſia Chriſti ſpiritualis poteſtas iuriſdictionis externæ, & quaſi politicæ à tẽporali diſtincta?*

DIximus hactenus de poteſtate tẽporali, vt conſtet, nullum Principem Chriſtianum iure poſſe Catholicam Eccleſiam, vel doctrinã arguere, quòd debitam poteſtatem illi pro libito eripiat: nũc dicendũ eſt de ſpirituali poteſtate, vt etiam oſtẽdamus, quid Reges ſchiſmatici in hoc genere indebitè vſurpẽt, & in quibus rebus Eccleſiaſticę poteſtati contra diuinum ius obedire, &
C ſubijci recuſent. Quia verò poteſtas Eccleſiaſtica multiplex eſt, ideò in titulo reſtringimus quæſtionẽ ad poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualis, & externę. Duplex enim diſtingui ſolet poteſtas Eccleſiaſtica, ſcilicet, ordinis, & iuriſdictionis: ad hæc enim duo membra alia, quæ adnumerari ſolent, reducuntur, vt rectè Nauarr. adnotauit. De poteſtate ergo ordinis hic non tractamus, non enim pertinet ad præſentem controuerſiã, quia illa nõ eſt poteſtas ſuperioris in ſubditos, ſed eſt facultas quædam moralis ad cultum
D Dei religioſum ordinata, vel per oblationem ſacrificij, vel per adminiſtrationem, aut diſpenſationẽ ſacramentorũ, quæ ad ſanctificationem fidelium ſunt inſtituta; vel denique per quaſcũq; alias cæremonias, quę ad ornatũ ſacrificij, aut ſacramẽtorũ, cõueniẽter, & ordinatê fieri debẽt. Vnde etiã Proteſtantes non omnino videntur hanc poteſtatẽ negare, quãuis ita illam interpretentur, vt nomine potiùs, quàm re illã cõfiteantur. Sed hoc in tractatu de Sacramẽtis examinandum eſt. 1.

Poteſtas eccleſiaſtica alia ordinis, alia iuriſdictionis. d.cap. Nouit, notab. 3.n.84.

Poteſtas item iuriſdictionis ſubdiſtin- 2.
guitur

Iuriſdictio … eccleſiaſtica duplex.

guitur in iuriſdictionem interni fori pœnitentiæ, & externi fori Eccleſiaſtici. Prior proximè conſtituit ſacerdotes ſuperiores, & iudices in quodam diuino, & ſecreto foro, quod in ſacramento pœnitentiæ exercetur. Et quamuis de hac etiã ſit magna contentio hæreticorum huius temporis contra Eccleſiam Catholicam, illam nunc prætermittimus, quia neque Rex Iacobus illam attigit, neque ad exteriorem politiã etiam eccleſiaſticã ſpectat.

Senſus quæſtionis.

His ergo poteſtatibus omiſsis ſermo eſt de poteſtate iuriſdictionis externæ datæ ad gubernandam Eccleſiã, quatenus eſt quædam ſpiritualis reſpublica, & corpus Chriſti myſticũ, quam ſpiritualẽ vocamus, vt à tẽporali eam diſtinguamus. Vnde iuxta intentionem noſtram idem eſt quærere, an hæc iuriſdictio ſit, & an ſit à temporali diſtincta.

3\. *Marſilij hæreſis, & fundamentum ſchiſmatis Anglicani.*

In hac ergo quæſtione fuit hæreſis Marſilij Paduani, qui ferè ante quingẽtos annos inter alias hæreſes dixit, Chriſtũ nullam iuriſdictionem Eccleſiæ ſuę, aut Epiſcopis, vel Romano Põtifici dediſſe, vel in laicos, vel in clericos; vel ad præcipiendum, ſeu obligandum; vel ad cogendum, ſeu puniendũ, ſed ſolùm dediſſe ſacerdotibus poteſtatẽ miniſtrandi ſacramenta, & prædicandi verbum Dei, & in reliquis omnibus diſpoſitioni, & iuriſdictioni temporalium Principum eos ſubiectos reliquiſſe. Ita errorem hũc referunt plures authores, ſed diſtinctiùs, quàm cæteri Albertus Pighius lib. 5. de Eccleſiaſt. Hierarch. Et in hoc errore videtur fuiſſe fundatus Henricus VIII. Rex Angliæ ad ſchiſma contra Eccleſiã Romanam excitandum. Vt enim Pontifici obedientiam negaret, conſequenter etiam negauit, ſe habere in terris ſuperiorem tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, & conſequenter aſſeruit in ſuo regno ſe habere totam poteſtatem ſupremam, quæ in Eccleſia reſpectiuè eſſe poteſt. Idemq́; de quocunque Rege temporali Chriſtiano cenſuiſſe videtur, quia non potuit maiorem rationem, aut titulũ talis poteſtatis in ſe, quàm in alijs ſupremis Regibus inuenire: idq́; diſertè, ac frequenter vel affirmat, vel ſupponit Rex Iacobus in ſua ad Chriſtianos Principes Præfatione.

Aluar. Pelagius li. 1. de Planctu Eccleſ. ca. 8.
Sander. lib. de Viſib. Monarch. in. 166.

4\. Ex quo manifeſtè conuincuntur, nõ

A agnoſcere in Eccleſia aliam poteſtatem iuriſdictionis præter eam, quæ eſt in Regibus temporalibus, vel quæ ab illa manat, quia nullum alium titulum ad illam vſurpandam prætendere poſſunt. Vnde ſicut ſupra diximus, Regiam poteſtatem à populo ad Reges manaſſe, ita referunt Anglicanæ hiſtoriæ, Regem Henricum ex conſenſu regni in Parlamento hanc ſibi arrogaſſe poteſtatem, idemq́; in ſimili conuentu fuiſſe in Eduardo proximo ſucceſſore declaratum, poſteaque in Eliſabeta innouatum. Ergo ſignum eſt B non aliter de hac poteſtate, quàm de politica ſentire. Ideq́; ſatis oſtẽdit Iacobus Rex, cùm iure hæreditario, & titulo carnalis ſucceſsionis illam habere profiteatur. Neq́; ab hoc errore alienus fuit Caluinus, aut Lutherus, nam licèt Caluinus primatũ Henrici non approbauerit, nihilominus ex alio principio huiuſmodi ſpiritualem poteſtatem negare cogitur. Ille enim cum Luthero, & alijs, omnes Chriſtianos pares in ſacerdotio faciunt, & diſtinctionem cleri à populo laico è medio tollunt, atque ita nullam poteſtatem ſpecialem ponunt in Eccleſia ad gubernandam illam, præter eam, quæ eſt in C magiſtratu politico, vel quæ in aliqua communitate ad ſeruandum rectum ordinem ex natura rei exiſtit.

Sander. in his Regib⁹.
Vide Bellar. libr. 4. de Pontifi. cap. 15.

5\. *Fundamentum dictæ hæreſis.*

Fundamenta huius erroris diuerſa sũt. Nam iſti, quos vltimo loco retuli fundari potuerunt, quia crediderunt, in Eccleſia nullum eſſe verum, ac proprium ſacrificium, & conſequenter nec verum, ac proprium ſacerdotiũ, ſed tantùm ſpirituale, ac metaphoricum, quod omnib⁹ Chriſtianis cõmune eſt, de quibus dicitur. 1. Petr. 2. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtũ.* Et infrà, *Vos autẽ genus electum regale ſacerdotium.* Marſilius autẽ licèt ſacerdotiũ nõ negauerit, & clerũ, ſeu presbyteros à populo diſtinxerit, negauit tamẽ in clero hierarchicũ ordinem, dixitq́; omnes presbyteros eſſe ęquales Epiſcopis, & Epiſcopos Papæ; vnde intulit non habere inter ſe, vel reſpectu populi ſubiectionẽ, aut prælationem, ſed omnes dixit eſſe ſubiectos politico magiſtratui. Afferebatq́; illud Luc. 22. *Reges gentiũ dominãtur eorũ, vos*

1. Petr. 2.

D (margin letter beside "tium ſanctum")

autẽ non ſic, quibus verbis arbitratus eſt, prohibitũ eſſe clericis omnẽ dominatũ, ſeu iuriſdictionem. Inducebatq; alia teſtimonia Scripturæ, quę à ſecularibus curis clericos abſtrahunt, vt eſt illud, *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus*. 2. ad Timot. 2. & illud, *Secularia iudicia ſi habueritis; contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum*. 1. ad Corin. 6. De Regibus autem Angliæ non mihi conſtat, quo alio fundamento nitantur, niſi, quia detorquendo Scripturas ad alios ſenſus, negant in eis eſſe fundatam ſpiritualem poteſtatem, & exaggerant quod Scripturæ præcipiunt omnibus Chriſtianis, Principibus, & magiſtratibus temporalibus ſubeſſe. Vnde in hoc æquiparant Eccleſiam Chriſti ſynagogæ, aut reipublicæ fideli, quæ in lege naturæ eſſe poterat, in quibus putant, nõ fuiſſe aliam poteſtatẽ gubernatiuam præter eam, quæ vel Regibus data eſt in lege veteri, vel in alio ſtatu ex natura rei eſſe poterat in tali cõmunitate ordinata per fidem ad veri Dei cultum, & religionẽ, & à populo in Principes, vel (quod perinde eſt) ex conſenſu populi in primogenitos transferebatur, tanquam vna, & eadem poteſtas connaturalis.

2. *Timot.* 2
1. *Cor.* 6.

6. Prima aſſertio de fide.

Nihilominus veritas catholica eſt, dari in Eccleſia ſpiritualem poteſtatem veræ, & propriæ iuriſdictionis, per quam poſsit Chriſtianus populus in ordine ad ſalutem animę conuenienter gubernari. Hæc aſſertio de fide certa eſt, vt cõmuni conſenſu Catholici docent, & probatur primò apertiſsimis Scripturæ teſtimonijs. Præcipua ſunt illa duo, *Quodcunq; ligaueris*, &c. Matt. 16. & *Paſce oues meas*, Matt. 21. quæ inferiùs ex profeſſo tractanda ſunt. Simile etiam eſt illud Matt. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus, & publicanus*, & adiungit, *Amẽ dico vobis, quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terrã, erunt & ſoluta in cœlo*, ligare enim, & ſoluere manifeſtè ſunt actus iuriſdictionis, & ibi non eſt tãtùm ſermo de iuriſdictione in foro interno, ſeu ſecreto pœnitentiæ, vt per ſe conſtat, nec de iuriſdictione temporali. Nam excommunicatio, de qua ibi ſermo eſt, cenſura eſt Eccleſiaſtica, quam etiam ipſe Rex Iacobus interdum ſpiritualem

Probatur ex Scriptura. *Matt.* 16. & 21. *Matt.* 18.

A appellat, in præfatione. Sunt etiam expreſſa verba Pauli. 2. Corinth. 13. *Ideò hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agã ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in deſtructionem*. Poteſtas autem ſpiritualis erat, nam temporalis, vel Regia in Paulo non erat. Itẽ ad eandem poteſtatem pertinet quod idẽ Apoſtolus ait Actor. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, vbi apertè dicit, Epiſcopis datam eſſe à Deo poteſtatem regendi Eccleſiam; regimen autem, & gubernatio idem ſunt. Vnde, niſi magna vis fiat verbis, de poteſtate iuriſdictionis Apoſtolus loquitur, vt autem ſignificet illud regimen eſſe ſpirituale, addit de Eccleſia, *quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, non enim acquiſiuit Chriſtus ſuo ſanguine temporale regnum, ſed ſpirituale.

2. *Cor.* 13
Actor. 20.

B

7. Ratione ſimul eadem veritas oſtenditur.

Vnde optima ratione ſimul cũ Scripturæ teſtimonijs poteſt hæc veritas cõfirmari. Habemus enim ex Scripturis, Chriſto Deo homini promiſſum eſſe à Patre regnum æternũ iuxta illud Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, & Iſai. 9. *Super ſolium Dauid, & ſuper regnũ eius ſedebit*. Et addidit Angelus Luc. 1. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid Patris eius, regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*. Hoc autem Chriſti regnum non in cœlo tantùm, ſed in terra etiam tradendum, ſeu inchoandum promiſſum eſt, vt patet ex Daniel. 7. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat*. Et infrà, *& dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient, poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius, quod non corrumpetur*; illum autem filium hominis eſſe Chriſtũ, qui in Euãgelio ſæpe filius hominis appellatur, omnes intelligunt, illiusq; regnum poſt alia imperia fuiſſe in terra inchoandum, & perpetuò eſſe duraturum, tum illo loco, tum etiam Daniel. 1. apertè prædicitur, & concordat illud Ezechiel. 37. *Faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael, & Rex ſummus erit Dominus imperãs, & non erunt vltra duæ gentes*. Quæ verba de Chriſto, & eius Eccleſia euidenter intelligun-

C D

Pſal. 131. *Iſai.* 9.
Luc. 1.
Daniel. 7

telliguntur, vt ex toto contextu vſque ad finem capitis conſtat. Hoc autem regnũ Chriſti corporale, ſeu temporale non eſt, ſed ſpirituale, & æternum, vt cap. 4. diximus, & colligitur ex verbis eiuſdẽ Ezechielis, *Saluos eos faciam de vniuerſis ſedibus, in quibus peccauerunt, &c.* & ex Ierem. 13. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex, & ſapiens erit, & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra, in diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Et hoc ipſum confirmant alia teſtimonia ex Scriptura, & Patribus dicto cap. 4. adducta.

8. Ex quo vlterius cõcludimus hoc regnum Chriſti non eſſe niſi Eccleſiam eius in qua ipſe ſpiritualiter regnat. Vt dixit Gregor. lib. 1. in 1. Reg. in vltimis verbis Et Auguſt. tract. 115. in Ioan. *Quod eſt regnum eius, niſi credentes in eum? Quibus dicit de mundo non eſtis.* Et infrà. *Vnde non ait, regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed non eſt de hoc mundo, nec dicit, non eſt hic, ſed non eſt hinc. Hic eſt enim vſque ad finem ſæculi:* Ergo ſicut regnum ſpirituale eſt, ita per ſpiritualem poteſtatem regi debet. Hoc autem regnum perpetuum eſt non ſolùm in cœlo, ſed etiam in terra, quãdiu mundus durabit, vt ex Auguſtino retuli, & in libro etiam primo tractando de Ecſia oſtendi; ergo etiam poteſtas ſpiritualis ad regendũ illud ita eſt à Chriſto huic Eccleſiæ conceſſa, vt in ea perpetuò duret, quia non poteſt regnum ſine poteſtate gubernatice illi proportionata conſeruari. Vnde rectè dixit Epiphan, hæres. 29. *Thronus Dauid, & Regia ſedes, eſt Sacerdotium in Sancta Eccleſia, quàm dignitatem Regiam, ſimulque Pontificiam ſimul cõiunctim largitus eſt Dominus Sanctæ Eccleſiæ ſuæ, tranſlato in ipſam throno Dauid non deficiente in æternum.* Et infrà. *A domo carnali Iuda, & Iſrael Regia dignitas tranſlata eſt, firmiter autem ſedet thronus in Sancta Dei Eccleſia in æternum.*

Gregor. Auguſt. Epiphan.

9. Ad hanc autem rationem tacitè reſpõdet Rex Iacobus in Præfat. pagin. 57. his verbis, *Nec ſi regna terreſtria à Monarchis terreſtribus regi debent, ideo Eccleſiam ſequitur à terreſtri quoque Monarcha debere gubernari.* Cur autem non ſequatur, duas rationes indicat, Prior eſt, *Quia neq; vnus eſt aliquis totius orbis, regnorumque omniũ moderator, ac Monarcha.* Altera eſt, *quia Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Monarcha eſt, Chriſtique vices explet, quem venturum promiſerat Spiritus Sanctus,* & hic illud adiungit, *Reges gentium dominantur eorum, vos autẽ non ſic.* Sed in his verbis attingit Rex aliã quæſtionem de Monarchia intra tractãdam, quæ diuerſa eſt à præſenti. Nunc enim ſolùm tractamus de ſpirituali poteſtate ſuprema ad regendum regnũ Chriſti, quod eſt Eccleſia, neceſſaria, & hanc dicimus eſſe debere in ipſa Eccleſia, prout in terris verſatur, ſiue ſit in vna perſona ſiue in multis, ſeu in congregatione ex illis compoſita, quod poſteà videbimus. Verba autem Regis eo tẽdũt, vt nulla ſit neceſſaria in hoc regno Chriſti poteſtas, quæ vices Chriſti gerat, vt maximè patet ex poſteriori ratione, quã de munere Spiritus Sancti affert, ideoq; hic prætermitti non potuerunt.

Euaſio Regis Angliæ, eiusque rationes. Prima. Secunda.

10. Circa primam ergo æquiparationem ſpiritualis regni Eccleſię cum regno terreno dicimus, ſi cum proportione fiat cõparatio, non minus eſſe neceſſarium in Eccleſia ſupremum aliquem gubernatorem terreſtrẽ, id eſt viſibilem hominẽ, & mortalẽ quàm ſit in regno terreſtri. Quia Eccleſia Chriſti vniuerſa non minus eſt vna, ſeu regnum vnũ in ſuo ordine, quã ſit regnum quodlibet temporale in ſuo. Et licet Eccleſia quoad finem, & præcipua media ſpirituale regnum ſit, nihilominus, quoad perſonas ex quibus cõſtat, etiam eſt terreſtris, & actiones, in quibus regi, vel dirigi, & corrigi debet, terreſtres etiam ſunt, id eſt, externę, & ſenſibiles, & illis mediantibus, ſeruanda eſt pax, vnitas, religio, & cætera omnia, quæ ad conuenientem huius corporis gubernationẽ ſunt neceſſariá; ergo non minùs eſt in hoc regno neceſſaria poteſtas ſuprema, quæ humano, & ſenſibili modo membra eius, & actiones eorũ in ordine ad æternã ſalutem dirigat, & gubernet. Et ideo rectè Bonifaci. 2. Epiſt. 1. & Gregor. lib. 4. Epiſtolar. cap. 96. alias Epiſt. 52. indict. 3. de eadem Eccleſia loquentes dixerũt. *Ad hoc diuinæ diſpenſationis prouiſio gradus diuerſos, & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt vna concordiæ fieret ex diuerſitate contexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum. Neque enim vniuerſitas*

Reijcitur euaſio Regis. Bonifat. Gregor. cap. vlt. d. 89.

uerſitas poterat alia ratione ſubſiſtere, niſi huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret. Quia vero in hac graduum diuerſitate, & ordine in infinitum procedi non poteſt, nec in eis eſſe diuiſio, ideò neceſſe eſt, in aliquo ſupremo capite vniri, ſeu terminari, Vnde ſubiungit Gregor. *Tunc vnumquodque ſalubriter impletur officium, cùm fuerit vnus, ad quèm poſsit recurri, Præpoſitus*. Quod profectò ſicut in vnaquaque congregatione ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica, & in vnoquoque Epiſcopatu, vel particulari Eccleſia, ſeu prouincia verum eſt, ita in vniuerſali Eccleſia multò maiori ratione eſt neceſſarium. Et ideò dixit Anaſtaſius Papa in Apologet, aduerſus Anaſtaſium Imperatorem, *Si omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta diuinis*, quam nos nunc ſpiritualem poteſtatem vocamus. Optima ergo eſt illatio, quam Rex improbat, ſi terrenum regnum à terreſtri Monarcha regi debet, etiam Eccleſia ſuum Monarcham, ſeu ſupremum gubernatorem in terris habere, neceſſarium fuit.

Anaſta. Papa.

11. Satisfit primæ probationi Regis

Prior autem Regis ratio non ſolũ hoc non expugnat, ſed potius comprobat, ſi alia diuerſitas inter Eccleſiam, & totum orbem quoad regna terrena cõſideretur. Nam in vniuerſo orbe terrarum non eſt vna tantùm reſpublica, vel vnum temporale regnum, ſed varia, & plurima, quæ inter ſe non componunt vnum politicũ corpus, & ideò neque vnus Monarcha, neque (generaliùs loquendo) vna præfectura, vel vnum ſupremum tribunal politicum, & humanum pro toto vniuerſo eſſe oportuit. Imò neque moraliter, vel humano modo potuit. At verò Eccleſia Chriſti eſt vnum corpus myſticum perfectum, & vnum (vt ſic dicam) ſimplex regnum per vniuerſum orbem diffuſum, vt in lib. 1. tractando de Eccleſia Catholica dictum eſt. Et ideò vna ſuprema poteſtas, quæ toti illi præſit, neceſſaria eſt. Quocirca ſi ſupponamus Eccleſię regimen eſſe monarchicum, vt infra oſtẽdetur, comparatio eius cum temporali regno non eſt cum vniuerſo orbe facienda, ſed cum ſingulis orbis regnis, ita vt ſicut vnumquodque regnum temporale ab vno Monarcha terreno regitur, terreno, inquam, quoad perſonam, quoad poteſtatem, quoad materiam, & proximũ

A finem, ita totum Eccleſiæ regnũ ab vno regatur Monarcha, terreno quidem quoad perſonam, cœleſte verò quoad poteſtatem, materiam, & proximum, ac principalem finem. Hac enim ratione Chriſti Eccleſia militans, licèt terrenum regnum dici poſsit, propterea quod ex mortalibus hominibus in terra degẽtibus cõſtat, nihilominùs in Scriptura ſæpe regnum cœlorum appellatur, & Chriſtus de illo dixit, *Regnum meum non eſt hinc.* Vbi Auguſtin. notat, non dixiſſe, *non eſt hic*, quia re vera in hoc mundo eſt, ſed *non eſt hinc*, quia licèt ſit in mundo, non eſt de

B mundo, ſed de Cœlo venit, ideoque tale regnum gubernatore indiget terreſtri ſimul, & cœleſti.

Ad alteram rationem cõcedimus quidem, Chriſtum Dominum eſſe principem Eccleſiæ ſuæ monarcham. Ideoque quandiu in terris deguit, & cum Apoſtolis ſuis cõuerſatus eſt, illam per ſe ipſum tanquam ſupremus illius Rex, & Pontifex gubernauit, Apoſtolos elegit, Sacerdotes, & Epiſcopos cõſecrauit, & ad prædicandũ miſit eiſq; diſcipulos adiunxit, & pro illius temporis, & ſtatus Eccleſiæ opportunitate cætera neceſſaria proui-

12. Diſſoluitur ſecũda Regis ratio.

C dit. Quia verò nunc eſt abſens ab Eccleſia militante quoad viſibilem præſentiã, ideò non poteſt ſicut anteà, per ſe, ac proximè paſtoris munus Eccleſiæ præſtare, & idcirco ad compenſandam viſibilem præſentiam ſuam Vicarium, ſeu Prefectum prouidit, cui Eccleſiæ ſuæ regimen commiſit. Quod quidem nõ negat Rex Angliæ, ſed (quod mirabile eſt) ait, hũc Vicarium eſſe Spiritum Sanctum, quia ad dirigendos, & docendos Apoſtolos non Petrum, ait, ſed Spiritum Sanctum ſe relicturum Chriſtus pollicitus eſt. Sed

D hoc, vel non propriè, vel non verè, neque ad rem, & cauſam, de qua tractamus dictum eſt. Scio quidem Tertullianum aliquando vocaſſe Spiritum Sanctũ Chriſti Vicarium, lib. de Præſcriptionibus hæreticor. cap. 13. & 28. impropria tamen, & metaphorica loquutione, ſolũ quia Chriſtus dixit Ioan. 14. *Alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritũ veritatis.* Et infrà. *Hæc loquutus ſum vobis, apud vos manens. Paraclẽtus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia,*

Tertullia.

Ioan. 14.

&

& ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Per quæ verba promittit Chriſtus Spiritũ Sanctum, qui internam virtutẽ. illuſtrationem, & ſuggeſtionem per gratiam ſuam fidelibus conferat.

13. Spiritus Sãctus nõ poteſt propriè dici Vicarius Chriſti

Hæc autem operatio non poteſt Spiritui Sancto attribui tanquam Vicario alterius, ſi proprietas verbi ſeruetur. Quia Vicarius propriè eſt alterius principalis authoris miniſter, qui vices eius gerit, & eius poteſtate ſibi commiſſa vtitur; at verò Spiritus interiùs docet, & inſpirat tãquam principalis, & proxima cauſa gratię, & internæ virtutis, quomodo Paulus dixit, *Neque qui plantat eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Nõ poteſt ergo in proprietate ſermonis Spiritus Sanctus dici Vicarius Chriſti. Lato autem, & improprio modo Tertullianus ita loquutus eſt, quia Spiritus Sanctus miſſus fuit, vt loco Chriſti Apoſtolos conſolaretur, & doceret, vel explicaret multa, quæ pro temporis breuitate, & opportunitate Chriſtus ipſe, vel tradere non potuerat, vel non oportuerat. Vnde dxit, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis,* ac ſi diceret, in me habebatis conſolatorem, quamuis autem diſcedam eo non carebitis, nam Pater alium dabit vobis, qui loco mei vos conſoletur. Et in eodem ſenſu (vt Euthymius ſignificat) dixit, de Spiritu Sancto, *quem mittet Pater in nomine meo,* id eſt, vt ea perficiat, quæ ego incepi, ſuggerendo, & declarando vobis, quæ docui, & addẽdo, quæ non poteſtis portare modo, & teſtimonium de me perhibendo. Hac ergo ratione dici aliquo modo poteſt Spiritus Sanctus vices Chriſti geſsiſſe, ſeu expleuiſſe, non per vicariam, aut miniſterialem virtutem, quod inferioris eſſet, ſed vt principalis cauſa perficiens, quod Chriſtus abſoluere in breui tempore vitæ ſuę non potuit. Vnde hoc modo quicumque alteri in officio ſuccedit, vel perficit, quod alter inchoauit, & perficere non potuit, dici poteſt vices eius ſupplere, etiã ſi vicarius eius propriè nõ ſit, nec per poteſtatem inferiorem, & participatã, & ab altero dependentem operetur.

Maldonat. c.14. Ioan. & ibi Tolet.

14. Quòd ſi hoc tantùm modo Rex Angliæ intellexit, Spiritum Sanctum vices Chriſti expleuiſſe, immerito ſentit, illã Spiritus Sancti operationẽ ſufficere ad externum, & hominibus accommodatum Eccleſiæ regimen, quia illa virtus, & operatio Spiritus Sancti inuiſibilis eſt, & merè ſpiritualis, ac interna, homines autem indigent etiam externo, & viſibili rectore. Deinde ſi ille inuiſibilis influxus Spiritus Sancti ſufficiens eſſet pro Eccleſia viſibili, non tantum Spiritus Sãctus, ſed etiam Chriſtus ipſe abſens, & nũc nobis inuiſibilis dici poſſet ſui ipſius præſentis, ſeu viſibilis Vicarius, quia de ſe etiam promiſit, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi,* vtiq; inuiſibili protectione, & auxilio, vt in ſuperioribus explicaui. Prætereà ſi Chriſtus, quia eſt principalis Monarcha Eccleſiæ, illi non contulit rectorem viſibilem, qui loco ipſius eam gubernaret, cur Rex Angliæ in ſua Præfatione, ſe, & alios Reges Vicarios Dei appellat? nam (iuxta ſuam opinionem, qua ſe credit eſſe caput Eccleſiæ in regno ſuo, etiam in ſpiritualibus) neceſſe eſt, vt cũ ſe appellat Vicarium Dei, intelligat, non ſolùm quoad regnũ temporale, ſed etiã quoad Eccleſiam Britannicam; ergo repugnat ſibi ipſi, cùm dicit Chriſtum nõ reliquiſſe Vicarium ſui præter Spiritũ Sanctum. *Pag. 134.*

15. Deniq; falſum eſt, Chriſtum nõ promiſiſſe Petrum, qui alios dirigeret, aut, doceret, non enim ſolùm promiſit, ſed etiam dedit, nam promittendo ei claues, & clauem regiminis, & clauem ſcientiæ promiſit. Item quando illi dixit. *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,* ſtatim addidit. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos,* Ac denique cum illi dixit, *Paſce oues meas,* & doctrinam, & regimen, ſeu directionem manifeſtè comprehendit, vt infra videbimus. Et vltra hæc in multis alijs locis ſignificauit Chriſtus futurã eſſe in Eccleſia prędecturam ſpiritualem, & aliquem, vel aliquos miniſtros ſuos, qui tanquam proprij, & viſibiles Vicarij vicem eius gerant. Ita intelligunt Patres illud Luc. 10. *Qui vos audit, me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit,* Ambroſ. ibi. & Hilar. Can. 27. in Matth. Idẽ colligit Chryſoſtom. lib. 2. de Sacerd. ex Lucę. 12. Nã cùm Chriſtus ſub parabola patris familias, qui vult magna vigilantia, & ſolicitudine à ſuis ſubditis expectari, & obediri, declaraſſet, quomodo ſit Domino ſeruien-

Veram ſpirituale iuriſdictionẽ Chriſt. Dominus Petro cõtulit.

Ambroſ. Hilarius. Chryſoſt.

ſeruiendum, Petrus eum interrogauit, *Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Reſpondit autem Chriſtus, *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator, & prudens?* ſignificans, Apoſtolos ſpecialiter vocatos fuiſſe, vt eſſent tanquam præcipui ſerui, quibus aliorum cura demandanda erat;
1.Petr.5. Et præcipue Petrum, qui ſuper totam familiam Chriſti erat conſtituendus non ſolùm ad communem vigilantiam, ſed etiam ad ſpecialem fidelitatem, & prudētiam obligari. Quā curam, & obligationem commemorabat Petrus, cum dicebat, *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei,*
1.Cor.4. *prouidentes non coactē, ſed ſpontaneè ſecundum Deum.* Et conſonant verba Pauli. 1. Corinth, 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur, &c.* & cap. 3. dixerat, *Quid igitur eſt Apollo, quid verò Paulus? miniſtri eius, cui credidiſtis,* id eſt, Vica
Rom. 13. rij eius, & loco illius Eccleſiā regentes, & ad Roman. 13. temporalem Principem;
16. vel iudicem Dei miniſtrum appellauit.

Nam quod illud miniſterium Apoſtolicum fuerit etiam cum poteſtate, & iu-
1.Cor.4. riſdictione ad ferendum iudicium, ſatis declarat idem Paulus in fine dict. cap. 4. dicens, *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* & cap. 5. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui vt præſens eum, qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c. tradere huiuſ-*
1.Cor.13. *modi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus eius ſaluus fiat, &c.* Et 2. ad Corinth. 13.
Hebr.13. *Si venero iterum, non parcam. &c.* Et ex-
1.Timo.6 preſſe ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis, ipſi enim peruigilant,*
ad Tit. 1. *&c.* Et 1. ad Timot. 5. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur.* Et ad Titum. 1. *Oportet, Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, &c.* Et c. 2. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio.* Denique huc ſpectant loca Pauli, in quibus deſcribit vnitatem cor-
Rom. 12. poris Eccleſię, & varia membra eius, vt
2.Cor.12. ad Roman. 12. vbi inter alia ait. *Qui præ-*
ad Epheſ. 4. *eſt in ſolicitudine,* & 2. ad Corinh. 12. & ad Epheſ. 4, vbi ponit, *Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores, & Doctores in opus miniſterij, in ædificationē corporis Chriſti.* Quem modum gubernationis dicit eiſe duraturum, *vſque ad conſūmationem*

A *Sanctorum,* id eſt, vſque ad mundi finem, vt in ſuperioribus explicatum eſt.

Atque ex his conſtat manifeſtè, hanc poteſtatem ſpiritualem eſſe omnino diſ- 17. Diſtinctio inter ſpiritualem, & temporalē poteſtatē.
tinctam à temporali. Primò quidem, & principaliter in fine; nam temporalis poteſtas ordinatur ad ſeruandam reipublicæ pacem, & moralem honeſtatem, iuxta illud Pauli. 1. ad Timot. 2. *Vt quietam* 1.Tim.2.
& tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Poteſtas autem Eccleſiaſtica ad æternam ſalutem conſequendam ordinatur, iuxta illud Pauli ad Epheſ, 4. Epheſ.4.
B *Ad conſummationem Sanctorum, &c.* & illud ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris,* ad Hebr.
ipſi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus veſtris reddituri. Alia differentia eſt in origine, quia poteſtas temporalis trahit originem à Deo authore naturę media ratione naturali, & ita per ſe ſpectata eſt de iure naturali: prout verò eſt in Rege, vel ſenatu, eſt de iure humano: poteſtas autem Eccleſiaſtica eſt de iure diuino poſitiuo, & ſpeciali promiſsione, & cōceſsione Chriſti, *Tibi dabo claues, Paſce oues meas, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Sicut enim finis, ad quem ordi
C natur hæc poteſtas, & actus, ac media, quæ illi ſubſunt, ſunt ſupra naturam, & vires humanas, ita & poteſtatem ipſam habere originem ſupra ius naturæ, vel humanum neceſſe eſt. Et ideò tandem hæ poteſtatos differunt tanquam materialis, & ſpititualis, naturalis, & ſupernaturalis, terreſtris, & cœleſtis. Atque ita Gelaſ. Pa.
explicant diſtinctionem hanc Gelaſius Nicol. 1.
Papa de Vinculo anathematis, & Nicolaus. 1. in epiſtol. ad Michaelem Imperatorem circa finem, dicens, *Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia po-*
D *teſtatis vtriuſque diſcreuit, propria volens medicinali humilitate ſurſum efferri, non humana ſuperbia rurſus in inferno demergi, vt* Gregor.
& Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Cap. ...
Pontificibus indigerēt, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur, quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus. Eaſdem differentias attingit Gregor. 7. lib. 4. Epiſtolar. epiſt. 2. ad Hedimanū, eaſq; ex Anaſtaſio Papa in epiſt. ad Anaſtaſiū Imperatorem, & Gregorio in Paſtorali confirmat. Idem docet Symmachus
in

10. Cap. ... 69. Cap. ... 96. Symma...

in Apologia contra eundem Anaſtaſiū Imperatorem, dicens. *Conferamus honorem Imperatoris cum honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille humanarum rerum curam gerit, iſte diuinarum.* Et infra. *Tu humana adminiſtras, ille tibi diuina diſpenſat.* Idem Symmachus in Synodo Romana, & refertur latè in cap. *Bene quidem.* 96. diſt. & plura alia in duobus capitibus ſequētibus referemus.

Soluuntur fundamenta errorum in principio capitis relatorum.

18 Neque huic doctrinæ catholicæ obſtant fundamenta aliorum errorum, quę in alijs hæreſibus fundantur, quas non poſſumus hoc loco ex profeſſo refutare. In fundamento ergo primi erroris hæreticum eſt dicere, non eſſe in Eccleſia Chriſti verum, & viſibile ſacrificium, aut verum, & proprium ſacerdiotum. Et ſimiliter hæreticum eſt dicere, omnes fideles eſſe in ſacerdotio æquales, quæ omnia alibi ſunt à nobis diſputata, & probata. Marſilius etiam Paduanus in fide errat, dum ſupponit, omnes clericos, ſeu ſacerdotes, & Epiſcopos iure diuino eſſe æquales. Nam quoad poteſtatē ordinis ex inſtitutione Chriſti Epiſcopus excedit presbyterum, & presbyter diaconū, &c. vt in tract. de Sacramento ordinis latè oſtenditur. In poteſtate autem iuriſdictionis eſt de Apoſtolis certiſsima differentia, quæ ex adductis teſtimonijs facilè colligi poteſt, & quoad Petrum, & ſucceſſores eius latè in ſequentibus oſtendetur. Præterea quòd ait Chriſtum prohibuiſſe Pontificibus temporaliter regnare, in primis omnino falſum eſt, & erroneum, vt cap. 8. oſtendemus. Deinde ad id, quod nunc agimus nihil refert, quia etiam ſi illud admitteretur; ſolū inde poſſet inferri Epiſcopos, aut Pontifices per poteſtatem quam habent, vt tales ſunt, non temporaliter regnare, ſed ſpiritualiter, quod nos omnino contendimus, cûm dicimus, poteſtatē illorum non temporalem eſſe, ſed ſpiritualem.

Tom. 3. tertiæ partis disp. 74. & 77.

19. Et hoc ad ſummum probat teſtimonium illud, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, (quod etiā Rex Angliæ non omiſit) nam etiam in illo ſenſu non prohibet Chriſtus Apoſtolis regnare, ſed ſic regnare ſicut Reges gentium, id eſt, temporaliter, neceſſe eſt autem, vt ſpiritualiter regnēt ſaltem illi, qui ſupremam in illo ordine poteſtatem habent. Niſi velimus dicere, etiam ſummum Pontificem non tam propriè regnare ſpiritualiter, quam vice regnare, quia non tanquam ſupremus Rex, ſed tanquam Vicarius ſummi Regis Eccleſiæ præeſt. Veritas autem eſt, non prohibuiſſe Dominum regnare, ſed gubernare dominādo perſonis, per elationem ſe illis præferendo, aut inhumaniter ſubditos tractando, vt dixit Gregor. in Paſtoral. 2. p. cap. 6. qui verba Chriſti exponit per illa Eccleſiaſti. 32. *Ducem te conſtituerunt*, aliàs, *Rectorem te poſuerunt, noli extolli eſto in illis quaſi vnus ex ipſis*, & per illa 1. Petri. 5. *Non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*, & per illa Pauli. 2. ad Corint. 1. *Non quia dominemur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.* Et ſimilia habet Gregor. 36. Moral. cap. 19. aliàs 22. & lib. 1. Regiſtri, & Bernard. lib. 2. de Conſiderat. in principio. Et ita per hæc etiā reſponſum eſt ad fundamenta, quæ in hoc puncto attingit Rex Angliæ, ad alia verô, quæ obijcit contra primatum Pontificis, & contra verum ſenſum Scripturarū, quibus ille probatur, in ſequētibus dicendum eſt.

Gregor. Eccleſiaſt. 1. Petr. 5. 2. Cori. 1. Gregor. Bernard.

CAPVT. VII.

Poteſtatē regendi Eccleſiam in ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis rebus, in temporalibus Regibus, ſeu Principibus non exiſtere authoritate probatur.

1. Quomodo ſe ſe habeāt poteſtas ſpiritualis, & temporalis, in ordine ad ſubiectum.

PRæter differentias inter poteſtatē ſpiritualē, & temporalē in pręcedēti capite traditas intercedit alia, quā quia origo eſt, & præcipuū Anglicani ſchiſmatis fundamentum, in hoc caput examinandā reſeruauimus, quanquā ex principijs poſitis in præcedenti capite manifeſtê concludatur. Conſiſtit autem hoc diſcrimen in hoc, quòd potentia tēporalis, & ſpiritualis per ſe nō reſpiciūt eaſdē perſonas, quibus cōuenire debeant ſed potiûs ſūt ſubiecto ſeparabiles, quod planè ſupponit diſtinctionē inter illas, & eā indicat. Duobus autē modis extreme contrarijs circa diſcrimen hoc errari poteſt. Primò, aſſerendo poteſtates has nō ſolū eſſe diſtinctas, ſed etiā eſſe adeò repugnātes, vt in eadē perſona cōiungi, diui-

diuino iuri contrariũ ſit. Et ita videtur erraſſe Marſilius de Padua, quanquã ille vel ſpiritualẽ poteſtatẽ cũ temporali cõfundat, vel non in quocunq; ſubiecto, ſed ſolũ in ſacerdotibus neget, poſſe ſimul conuenire. Veruntamen hic error hoc ſenſu intellectus fundamentũ non habet, & in capite ſequenti breuiter impugnabitur, quoniã ad præſens inſtitutũ parum refert. Alius ergo modus errandi eſt proprius Anglicanæ ſectæ, cuius principiũ, & fundamentũ eſt, poteſtatẽ ſpiritualẽ nõ ſeparari â tẽporali, ſed Regio ſceptro eſſe annexã. Ita voluit Hẽricus VIII. quẽ ſucceſſores eius Eduardus, & Eliſabetha ſequuti ſunt, vt latè refert Sander. in tribus primis libris de ſchiſmate Anglicano, vbi etiã varias leges ad huius poteſtatis amplificationẽ in illo regno â dictis Principibus latas deſcribit.

Error Anglicanæ ſectæ circa ſubiectum ſpiritualis poteſtatis.

Sander.

2. Deniq; in hoc errore perſiſtit Rex Iacobus, vt ex factis eius ſatis conſtat, & in Præfatione ſua ſæpe profitetur, præſertim pag. 5. præfationis, dicens, *Nã neq; me Pontifice vlla ex parte inferiorem eſſe credã.* Et in eodẽ ſenſu dicit pagin. 2. de temporalibus Regibus, *quos Deus in altiſsimo dignitatis gradu quaſi ſuos vicarios, & legatos ad exercenda iudicia in ſuo ſolio collocauit.* Et iterũ ad Reges pag. 10. *Quos Deus præcipuos ſibi in terris vicarios in adminiſtratione iuſtitiæ eſſe iuſsit.* Et in eodem ſenſu dicit pag. 14. controuerſiam, quã cum ſuis ſubditis catholicis habet, nõ aliunde eſſe motam, *quàm ab ambitioſa Pontificum tyrannide, quam illi contra authoritatem Scripturarum, contra Conciliorum, antiquorumq́; Patrum mentem, ſibi in temporalia Regum iura iniuſtè vſurparũt.* Tandemq; ibidem concludit, in hac Regum authoritate aſſerenda (vtiq; in hoc ſenſu) totã ſuã Apologiam impendiſſe. Huius autem erroris fundamentum ſolum videtur eſſe, quia non agnoſcit diſtinctionem inter poteſtatem ſpiritualem, & temporalem, & quia negat primatum Petri, & ſucceſſorum eius, de quibus in ſequẽtibus capitibus dicemus.

3. Veritas ergo catholica eſt, Reges tẽporales, vt tales ſunt, ſeu ratione ſuæ iuriſdictionis ſupremæ in Principatu politico nullam habere in Eccleſia ſpiritualem poteſtatẽ. Hæc aſſertio probari poteſt authoritate Scripturæ duobus mo-

A dis. Primò quia in teſtamento nouo hęc poteſtas promiſſa, & data eſt â Chriſto illis perſonis, qui Reges temporales nõ erant. Secundo quia non inuenitur data Regibus temporalibus, & ex vtroq; capite tã ſigillatim, quã ſimul ſumpto rectê concluditur, non eſſe in Regibus tẽporalibus, quia nõ poteſt eſſe niſi in illis quibus â Chriſto data eſt, & eorum legitimis ſucceſſoribus. Prior pars ſufficienter probatur teſtimonijs adductis capite præcedenti, quibus conſtat, Chriſtũ ſingulariter promiſiſſe, & dediſſe hanc

Prima concluſio.

Regibus temporalibus vt tales ſunt, nulla ſpiritalis poteſtas competit.

B poteſtatẽ Petro. Deinde aliunde etiam monſtratur, dediſſe illã omnibus Apoſtolis Ioan. 20. quibus, & ſucceſſoribus eorũ ſub nomine Eccleſiæ eã promiſerat. Matt. 18. Alia etiã teſtimonia oſtẽdunt, Paulũ ſæpe eſſe vſum hac poteſtate, eamq́; in Epiſcopis, & Eccleſiæ Præpoſitis inueniri, & ab eiſdẽ exerceri, nullus autem iſtorum Rex erat, aut iuriſdictionẽ temporalẽ adminiſtrabat. Vnde etiã ſumitur efficaciſsimũ argumentũ: nã priùs, quâm in Eccleſia eſſent Reges temporales, erant in Eccleſia Paſtores cũ vera iuriſdictione ſpirituali ad regendam

Efficax ratio pro concluſione.

C Eccleſiã, vt ex vſu eiuſdẽ poteſtatis, & ex allegatis teſtimonijs manifeſtê colligitur, ergo poteſtas hæc de ſe non pendet ex Regia poteſtate, neq; cũ illa ex vi illius coniuncta eſt: tunc enim Reges tẽporales illã non habebant, neq; ab eis illã receperant, qui legitimê illa vtebãtur.

Et hinc etiã apertè probatur ex Scripturis (quod etiam capite ſuperiori attigimus) hanc poteſtatẽ alterius eſſe originis, quã temporalem: nã temporalis poteſtas prout inuenitur in Rege, vel alia ſimili perſona; vel proximê, vel per ſucceſsionẽ, aut aliũ humanum titulum

4. Ex ſcripturis probatur concluſio.

D prouenit â multitudine populi, qui ſuã authoritatem Principi contulit; hæc autem poteſtas illam originem nõ habuit: nam in primitiua Eccleſia Apoſtoli illã habuerunt, non â populo Chriſtiano, ſed ab ipſo Chriſto; & alijs Epiſcopis illam communicarunt authoritate ſua, & independenter â populo, vt patet ex illo Pauli ad Titum. 1. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Et 1. ad Timot. 4. *Noli negligere gratiã, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per*

Et cap. 5. oſtendit fuiſſe cum iuriſdictione Epiſcopali, dicens, *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus, &c.* Cum ergo ex præcedentibus capitibus conſtet, totam poteſtatem Regiam à populo proxime manaſſe, conſequens profectò eſt, vt ex vi Regiæ poteſtatis nulla ſit in Rege ſpiritualis iuriſdictio, vel poteſtas.

5. Tandem altera probatio ab authoritate, quam vocant, negatiua Scripturæ, in præſenti efficax eſt ex eodem principio, & fundamento. Nam, vt rectè dixit D. Thomas, *in his, quæ ſunt ſupra naturam ſoli authoritati creditur*, &, *quæ ex ſola Dei voluntate proueniunt ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus diuinitùs reuelata ſunt*; ſed ſpiritualis poteſtas Eccleſiæ donum eſt ſuperans naturã, & ex diuina voluntate, & inſtitutione pendet tam vt ſit, quàm vt in tali perſona, vel per talem modum, aut ſucceſsionem ſit. Nulla eſt autem diuina reuelatio, vel authoritas, quæ oſtēdat, Chriſtũ poteſtatem hanc Regibus temporalibus dediſſe; ergo vt D. Thomas ſupra dicit, *Vbi authoritas deficit, ſequi debemus naturæ conditionem.* Quæ quidem conditio naturæ in præſenti eſt, vt tēporalis Rex ſolũ eam poteſtatē habeat, quã homines naturali ratione ducti illi cõferre potuerũt, ac ſubinde nudã, ac præciſam habeat temporalē poteſtatem. Quòd autē diuina authoritas maiori poteſtatati Regum teſtimoniũ nõ prębeat, manifeſtũ eſt. Nã in primis extra Scripturã aduerſarij non admittunt verbũ Dei, & quanuis admitterent, nulla eſt ſacra, ſeu Apoſtolica traditio, quæ talem poteſtatē in Regibus indicet, ſed contrariũ potiùs, vt ex diſcurſu huius capitis, & totius libri præſentis cõſtabit. De Scriptura verò ſufficienter id probamus poſtulando teſtimoniũ, vbi Chriſtus hanc poteſtatem Regibus contulerit, quod ſine dubio oſtendi non poterit, neque in veteri; neq; in nouo teſtamento, Nam teſtimonia, quæ afferri ſolent, in quibus Regibus obedire præcipimur, friuola ſunt, cùm nihil de noua poteſtate à Chriſto Regibus cõceſſa contineant, ſed illius tantũ obligationis naturalis nos moneāt, qua Regibus in his, quę ad eorũ iuriſdictionē pertinent, præcipiētibus obedire tenemur, vt latiùs inferiùs

1 p. q. 101. ar. 1,

3. p. q. 1. ar. 3.

A reſpõdēdo ad obiectiones declarabimus. Hic verò põderari poteſt, Paulũ, vbicũq; Eccleſiaſticã hierarchiã deſcribit, eiuſq; fundamenta, ſtructurã, miniſteria, & gubernationes diſtinguit, numerare quidē Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, & Doctores, Regũ autē, & Imperatorũ nullam facere mentionē, nõ quia illi nõ eſſent in Eccleſia futuri, ſed quia quod ad ordinem hierarchicũ Eccleſiæ ſpectat, illi propriũ gradũ non cõſtituũt, ſed cũ laico populo cõputantur, nec inter eos, qui ad ędificãdũ in rebus ſpiritualibus Chriſti corpus

B vſq; ad conſũmationē Sãctorũ poſiti ſũt; ſed inter eos, quid ædificandi ſunt, & cõſũmandi tantũ recenſentur. Deniq; expēdi poteſt, quod Chriſtus Dñs interrogatus, an liceret cenſũ dare Cęſari, accuratè reſpondit, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, indicãs profectò, Cęſari, ideſt, Imperatori, vel Regi ſolũ illud eſſe reddedũ, quod ex vi Cæſareæ, ſeu Regiæ poteſtatis debetur. Chriſtus ergo vt grauiter Salmeron notauit, ſicut poteſtatē Regiã non abſtulit, ita neq; illã auxit, neq; peculiare ius paſcendi oues ſuas ei cõmiſit. Addit etiã Chryſo. homil. 71. in Matth. *Cum audis reddenda eſſe Cæſari, quæ*

Salmer.

Chryſoſt.

C *ſua ſunt, illa ſolũ dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt, Nam quod fidei, ac virtuti obeſt, nõ Cæſaris, ſed diaboli tributũ, ac vectigal eſt.* Clarius Ambroſ. in Epiſt. 14, alias 33 ad Marcellinã Sororem, *Allegatur* (ait) *Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa. Reſpondeo, noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina ſunt imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, ſed ſi vis diuinitus imperare, eſto Deo ſubditus, ſcriptum eſt. Quæ Dei Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad ſacerdotē Eccleſia, publicorũ tibi mœniũ ius commiſſum eſt, non ſacrorum.*

Ambroſ.

D Tertiò probãda eſt aſſertio Pontificũ & iuris canonici teſtimonijs, quæ licet in propria cauſa dari videātur, maximã etiã in illa authoritaē habent., tũ propter clauem ſcientiæ, quã habent ad docendã Eccleſiã, vt in lib. 1. mõſtrauimus, tũ etiam, quia certã, & immutatã Eccleſiæ traditionē oſtendũt. Nõ enim ſoli moderni, ſed etiã antiquiſsimi Põtifices, Sãcti, & Martyres huic veritati teſtimoniũ prębuerũt. Primoq; poſſemus afferre omnia, que de primatu Romanę Eccleſiæ ſcripſerũt, ſed

6. Ex Sũmis Pontificib. probatur aſſertio.

hæc poſteâ cõmemoranda ſunt, & ideò nũc tantũ ea afferemus, in quibus vtrãq; poteſtatem inter ſe conferunt, vel in quibus obedientiam etiam ab Imperatoribus, & Regibus exigunt, quod, ſi in principibus tẽporalibus eſſet ſuprema ſpiritualis poteſtas facere non poſſent. Huiuſmodi eſt illud Anaſtaſij. II.

Anaſtaſ. 2 Pontificis ad Anaſtaſium Imperatorem. *Illud verò peculiarius pro amore imperij veſtri, & beatitudine, quæ cõſequi poterit regnũ pro Apoſtolico officio prædicamus, vt ſicut decet, & Spiritus Sanctus dictat, monitis noſtris obedientia præbeatur.* Et infrà. *Hæc me ſuggerentem frequentius non ſpernat pietas tua, ante oculos tuos habens Domini in Euangelio verba. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, qui autem me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.* Et Gela-

Gelaſius Papa. ſius Papa in Epiſt. 10. ad eundem Anaſtaſ. eandem poteſtatem ſibi, & non Imperatori conuenire conſtantiſsimè docet, vbi inter alia habet illa verba. *Duo ſunt Imperator Auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas, & cæt.* Et Symmachus Papa, ad eundem Impera-

Symmach. Papa. torem. *Si Chriſtianus Princeps es, qualiſcunque Præſulis Apoſtolici debes vocem patienter audire.* Et infrà. *Conferamus honorem Imperatoris cũ honore Pontificis, &c.* Et infrâ. *Si omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta diuinis; defer Deo in nobis, & nos deferemus Deo in te.* Vbi apertê negat poteſtatem ſpiritualẽ eſſe in Imperatore, ſed in Pontifice, & poſtea ſubdit. *Omnes catholici Principes ſiue cum imperij gubernacula ſuſceperũt ſiue cum Apoſtolicæ Sedi nouos agnouerunt Præſules inſtitutos, ad eã protinus ſua ſcripta miſerunt, vt ſe docerẽt, eius eſſe cõſortes.* Quod ſcripſit Symmach. ante mille cẽtũ annos & vſq; ad noſtra tẽpora ſeruatũ videm⁹.

7. *Idem Symmach.* Præterea hoc cõfirmat definitio eiuſdem Symmachi Papæ in Concilio Romano. 3. *Non licere laicis, quanuis religioſis, vel potentibus in quacumque ciuitate, quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis ſacerdotibus diſponendi indiſcuſsè à Deo cura commiſſa docetur.* Quæ ratio, & definitio in quacunq; cauſa Eccleſiaſtica locum habet. Multa etiam ad hanc veritatem cõ-

Gratian. firmandam congerit Gratian. 96. diſt.

A Et præſertim eam late confirmant Nicolaus Papa in Epiſt. ad Michaelem Imperatorem, vbi inter alia multa inquit. *Nicolaus Papa.* *Cùm ad verum ventum eſt,* (id eſt, ad euãgelicam veritatem) *neque Imperator iura Ponficatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit, quoniam idem mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus ſic actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, vt & Chriſtiani Imperatores, pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices, pro curſu temporalium tantummodò rerum*

B *Imperialibus legibus vterentur.* Idem tradit latè Grgor. VII. in Epiſt. ad Herimannum Metenſem Epiſcopum lib. 4. *Gregor.* Epiſt. 2. & in alia ad eundẽ lib. 8. Epiſt. 21. vbi dictis, & factis aliorum Pontificum, & Imperatorum, eãdem veritatẽ confirmat. Item Innoc. III. cap. *Solitæ,* Imperatorem ait, in temporalibus, Pontificem autem in ſpiritualibus antecellere. *Inno. 3.* Et Bonific. VIII. in Extrauag. vnic. *Bonif. 8.* de Maiorit. & obed. dicit, in Eccleſia eſſe gladium ſpiritualẽ manu ſacerdotis exercendum, & gladium temporalem manu laicorum pro Eccleſia, & ad nutum,

C & patientiam ſacerdotis exequendum. Quod tacitè confirmat Clemens. V. in Extrauag. *Meruit.* de Priuileg. licèt declaret, per Extrauagãtem Bonifacij Regem, aut regnum Galliæ non magis eſſe ſubiectum Apoſtolicæ Sedi, quàm anteà eſſet. *Clemens. 5* Denique hoc confirmat quod Gratian. diſt. 63. cap. 1. refert ex Adriano Papa, *Vt laici Principes, vel Potentes non interſint Eccleſiaſticis electionibus, quia in Eccleſiaſticis rebus nullam habent poteſtatem.* *Gratian.* Habeturq; in Concilio Conſtantinop. 4. aliàs Synodo. 8. cap. 22. vbi *Concil. Cõſtan. 4.*

D etiam cap. 12. non ſolum negatur Principibus temporalibus poteſtas creandi Epiſcopos, ſed etiam deponendus dicitur, qui per eorum tyrannidem fuerit intruſus. Item in 7. Synodo cap. 3. irrita dicitur electio Epiſcopi â Principe temporali facta, refertur â Gratiano ſuprâ dicta diſt. 63. cap. *Omnis.* *Synod. 7.* Sic etiam dixit Innoc. III. in cap. *Eccleſiæ.* de Cõſtitut. *laicis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis nulla eſt attributa facultas, quos obſequẽdi manet neceſsitas, nõ authoritas imperandi.* *Innoc. 3.* Et ſimilia habet in c. *Tua,* 1. de Decimis. Quæ ſũpta ſunt ex Cõc. 4, ſub Sym-

Symmach.3. Multaq; alia iura canonica poſſet afferri, in quibus exēptio cauſarū Eccleſiaſticarū à poteſtate laicorum præſcribitur: in illis enim ſupponitur, nō eſſe in Magiſtratibus temporalibus ſpirituale poteſtatem, ſed illa omnia in librum de immunitate Eccleſiaſtica reſeruamus.

8. His teſtimonijs adiungi poſſunt aliorū Patrū ſententiæ, qui licet Sūmi Pontifices nō fuerint, Epiſcopi tamen, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, aut Sācti Eccleſiæ Doctores, & in prioribus Eccleſiæ ſeculis fuerunt. Inter quos egregie Chryſ. Homil.4. & 5. de Verbis Iſai. inter alia multa dixit, *Quanquā admirandus videtur thronus Regius, tamen rerū terrenarū adminiſtrationē ſortitus eſt, nec præter poteſtatem hāc prætereà quidquā habet authoritatis.* Et homil. 88. in Matt. ad Diaconū dicit. *Maiorē illo* (id eſt, ſeculari Principe) *poteſtatē habes*, vtiq; in Eccleſiaſtica adminiſtratione. Idē plura in lib.3. de Sacerdotio. Et Cyrillus Hieroſoly. *Non ne* (inquit) *habet Eccleſia vitulū, & leonē ſimul paſcētes ſicut ad hodiernū vſq; diem cernimus mundanos Principes regi, & inſtrui ab Eccleſiaſticis.* Vbi alludit ad locū Iſai.95. *Lupus, & agnus paſcentur ſimul, Leo, & bos comedent paleas* & ſub verbo *paſcendi* duo illa includit, *regi, & inſtrui.* Cyrillus etiā Alexand. in epiſt.31. ad Ioann. & Synodū Antiochenā, & refertur in Synodo Epheſina tom.5.c.9. in fine, vbi admonet Epiſcopos, vt audiant eos, qui alios de hereſi accuſare volunt, ne apud extera tribunalia tumultuentur, & ſubdit. *Eſt autem multò melius, ac iuſtiùs, vt Eccleſiaſticæ quæſtiones in Eccleſijs agitētur, ac formētur, & non apud alios externos, quibus ſane huiuſmodi cauſarū tractatio prorſus non conuenit.*

…Chryſoſt. …Iſai.69. …Cyril. Hieroſymit. …Cyril. Alexand.

9. Celebris etiā eſt ſententia Nazianz. orat.17. ad ciues graui timore perculſos, vbi poſtquàm ad ſubditos concionē habuerat, ſubiungit, *Quid autem vos Principes, & Præfecti? ad vos enim iam noſtra ſe conuertit oratio.* Et infrà. *An me libere loquentē æquo animo feretis? Nam vos quoq; lex Chriſti imperio meo, ac throno ſubijcit, imperiū enim nos quoq; gerimus, addo etiā præſtantius, ac perfectius, niſi verò æquū eſt ſpiritū carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere.* In quibus verbis illa præcipuè pondero. *Lex Chriſti ſubijcit.* Ex quibus conſtat iuxta ſententiā Nazianzeni, inſtitutionē hanc, & poteſtatū diſtinctionem diuinā eſſe, & ex lege Chriſti. Multaq; ſimilia ex eodem ſumi poſſunt Orat. 1. quæ eſt Apologia pro abſentia ſua, & ex Orat.27. circa finem. Optime etiā Damaſcen. Orat.1. de Imaginib. circa finē, *Neq; enim, ait, piorum eſt Regū Eccleſiaſtica ſtatuta conuellere.* Et intra, *His de rebus ſtatuere, atq; decernere non ad Reges pertinet &c.* Et Orat. 2. parū à principio. *Regum* (inquit) *partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant*, quod confirmat teſtimonijs Pauli 2. ad Corinth.12. & ad Hebr. 13. ſuprà tractatis. Et apud Theodoretū lib. 4. Hiſtor. c. 16 eſt egregia ſententia Eulogij Presbyteri, qui cū à præfecto Imperatoris Valentis hæretici moneretur, *Cōmunica cū Imperatore.* Ait Theodoretus, *diſſimulanter, ſed valde facetē reſpondit. Nunquid cum imperio eſt etiam ſacerdotij dignitatem conſecutus?* Cùmque Præfectus ironia cognita in iram prouocaretur, ipſe iterum reſpondit, ſe habere Paſtorem, cuius nutum ſequeretur. Simile factum narrat Suidas verbo, *Leontius Tripolis Lydiæ Epiſcopus.* Cùm enim Conſtātius in Conuentu Epiſcoporū præſideret, & multa præſcriberet, alijs annuentibꝰ, ipſe tacebat, cūq; ab Imperatore interrogaretur, cur taceret, reſpōdit. *Miror qui fiat, vt alijs curandis deſtinatus, alia tractes, quid cū rei militari, & reipublicæ præſis, Epiſcopis ea præſcribas, quæ ad ſolos pertinent Epiſcopos,*

…Nazian. …Suſcip… …s, diſt.

Damaſce. Theodor. Suidas.

Ambroſius præterea in epiſt. ſuperiùs allegata ad ſororē Marcellinam. 14. aliàs 33. expreſſe negat, Imperatorē in ea, quę diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Idemque latè, & conſtantiſsimè docet in Orat. ſeu concion. 1. contra Auxētium, vbi inter alia inquit, *Scitis & vos ipſi, quòd Imperatoribus ſoleam deferre, non cedere, ſupplicijs me libenter offerre, non metuere, quæ parantur.* Et infrà. *Reſpondi ego, quod ſacerdotis eſt, quod Imperatoris eſt, faciat Imperator.* Et infra de Arianis, qui ab Imperatore petebant Eccleſiam, inquit. *Videte quantò peiores Ariani ſunt, quàm Iudæi illi quærebant, vtrum ſoluendum putaret Cæſari ius tributi, iſti Imperatori volunt dari ius Eccleſiæ.* Et infrà. *Imperator bonus intra Eccleſiā, non ſupra Eccleſiā eſt; bonus enim Imperator quærit auxiliū Eccleſiæ, nō refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita cōſtā-* 10. *Ambroſ.*

ter exponin⁹. In Actis etiã Cõc. Aquiliẽſis cũ Palladius hæreticus dãnationẽ Epiſcoporum fugiẽs ad prȩſentes laicos prouocaret, ſic reſpondit Ambroſ. *Sacerdotes laicos iudicare debent, non laici de Sacerdotibus*. Et infrà. *Et ſi in multis impietatibus deprehenſus ſit, erubeſcimus tamen, vt videatur, qui Sacerdotium ſibi vendicat, à laicis eſſe damnatus. Acper hoc quoniam & in hoc ipſo dãnandus eſt, qui laicorũ expectat ſententiã, cũ magis de laicis ſacerdotes debeant iudicare, eũ pronũcio ſacerdotio indignũ.*

11. Confirmat optimè veritatem hanc Athanáſius referens priùs, & cõmendans verba Hoſij ad Conſtãtiũ in epi. ad ſolitar. ã vitã agẽtes, *Deſine quæſo, & memineris te mortalẽ eſſe, reformida diem iudicij, ſerua te in illam diem purum, ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit; & quemadmodum qui tuum imperiũ malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date* (*ſcriptum eſt*) *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu Thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes Imperator*. Et inferùs ſic ex propria ſententia Scribit Athanaſius. *Si iſtud eſt iudicium Epiſcoporum, quid commune cũ eo habet Imperator? ſin contra iſta minis Cæſaris conſtantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis, quando à condito æuo auditum eſt, quando iudicium Eccleſiæ authoritatem ſuã ab Imperatore accepit?* Vocat autem titulo Epiſcopos, quos Conſtantius ſua authoritate creauerat, qui titulo tenus, vt infrà dicit, erant Epiſcopi, non veritate, quod mirum in modũ in Epiſcopos Anglicanos conuenit. Deniq; Auguſtin. in epiſt. 48. & 162. donatiſtas reprehendit, quòd in cauſa Eccleſiaſtica ab Epiſcoporũ iudicio ad Cõſtantinũ Imperatorẽ appellare auſi fuerint. *Neq; auſus eſt* (inquit) *Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas, & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe iudicarit.* Et infrà. *Quia in re illos quemadmodum deteſtetur audiſtis*. Et quoniam Cõſtantinus tandem hæreticorum importunitate victus ſententiam dixit, eum tacitè excuſat Auguſtin. dicens, *Eis ipſe ceſſit, vt*

Athanaſ.

Auguſt.

A *de illa cauſa poſt Epiſcopus iudicaret, à Sanctis Antiſtitibus poſtea veniam petiturus, dũ tamen illi, quod vlteriùs dicerent, non haberent, &c.* Et conſonat quod eadẽ de cauſa refert Optatus Mileuitan. lib. 1. contra Parmenian. circa finem. *Donatus* (inquit) *appellandum eſſe ab Epiſcopis credidit*, ad quam appellationem Conſtantinus Imperator ſic reſpondit, *O rabida furoris audacia, ſicut in cauſis gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt.*

Opt. Mi...

His addere poſſumus ipſorummet Imperatorum confeſsiones, ſeu teſtimonia. 12.
B Iuſtinianus enim Imperator in Authent. *Quomodo oporteat Epiſcopos, &c.* in principio ſic ait, *Maxima quidem in omnibus ſunt dona Dei à ſuperna collata clementia, ſacerdotiũ, & imperiũ: illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autẽ humanis præſidens, aut diligẽtiam exhibens, ex vno, eodẽq; principio vtraq; procedentia, humanã exornant vitam*. Intellexit ergo Iuſtinianus Imperator, nõ habere Imperatorẽ ſpiritualem poteſtatem circa res diuinas. Idẽque ſenſiſſe Cõſtantinũ Magnũ, qui iudiciũ inter Epiſcopos in Nicæno Concilio recuſauit, agnoſcens, & ad ſe nõ pertinere, dicẽs, *Deus vos conſtituit ſacerdotes, & nobis à Deo dati*
C *eſtis iudices, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolùm, de quo ſcriptũ eſt, Deus ſtetit in ſynagoga Deorũ in medio autem Deos diiudicat*, refert Ruffin. lib. 1. Hiſtor. additæ ad Euſeb. c. 2. Et Adrian. Papa. in epiſt. ad Michael. Imperatorem vbi etiã refert Theodoſiũ in epiſt. ad Synodũ Epheſinã ſcribentẽ, *illicitũ eſt, eum, qui non ſit ex ordine ſanctiſsimorũ Epiſcoporũ, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus*. Refert etiã Sozomenus lib. 6. hiſtor. c. 7. cũ Epiſcopi quidã legatũ ad Valentinianum Imperatorẽ miterent, poteſtatẽ petẽtes
D ad conueniendũ in Cõcilio pro rebus fidei, ipſũ reſpõdiſſe, *Sibi, qui vnus ẽ laicorũ numero erat, nõ licere ſe eiuſmodi rebus interponere*, quod etiã refert Nicephor. lib. 11. c. 40. Atq; de eodẽ Valẽtinian. refert Sozomenus, li. 6. hiſtor. c. 21. *piè admodũ in Deũ affectũ fuiſſe adeò, vt neq; ſacerdotibus quidquã imperare, neq; nouare aliquid in inſtitutis Eccleſiæ, quod ſibi deterius videretur, vel melius, omnino aggrederetur, nã quanuis eſſet optimus ſane Imperator, & ad res agendas valde accõmodatus, tamen hæc ſuũ iudicium longè ſuperare exiſtimauit*. Et in hiſtoria

Ex Imperatoribus ... dem ... tas ... tur.

Iuſtinian.

Conſtant. Magnus.

Ruffin.

Adrian. Papa.

Sozom.

Niceph. Sozom. Cap. ... tinian. 63 diſt.

ſtoria tripartita lib. 7. capit. 8. de eodem Valentiniano refertur, cum Mediolani mortuo Auxentio hæretico, ordinari cuperet Epiſcopum Catholicum, ad Epiſcopos dixit, *Noſtis apertè, eruditi quippe diuinis eloquijs, qualē oporteat eſſe Pontificē.* Et infrà. *Talē itaq; in Pontificali conſtituite ſede, cui & nos, qui gubernamus imperiū ſyncere noſtra capita ſubmittamus, & eius monita, dū tanquam homines deliquerimus, neceſſario velut curantis medicamenta ſuſcipiamus.* Cùmq; Epiſcopi peterent, vt ipſe decerneret tanquā pius, & ſapiens, reſpōdit ille, *Super nos eſt talis electio.* Extat prę terea inter epiſtolas Innocentij. 1. quædā Honorij Auguſti ad Arcadiū, in qua

Honor. Auguſt. ſcribens in cauſa Chryſoſtomi, ait, *Cùm, ſiquid de cauſa religionis inter Antiſtites ageretur, Epiſcopale oportuerit eſſe iudicium, ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis ſpectat obſequium.* Et infrà *Rebus deniq; ipſis docetur, quid de his ſenſerit diuina maieſtas, &c.*

Tom. 2. Epiſtolar. Pōtificum. Deniq; inter Acta octauę Synodi generalis refertur à Surio oratio Baſilij Imperatoris, in qua piè admodum, & fideliter ad laicos loquitur. *De vobis quid amplius dicam, non habeo, quā quod nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem habere. Hæc enim inueſtigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificū, & Sacerdotum eſt, qui regiminis officiū ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, ligandi, atq; ſoluendi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas, & cœleſtes adepti ſunt claues, non noſtrum, qui paſci debemus, &c.* quæ latè, & ſapienter, ac piè proſequitur.

CAPVT. VIII.

Eadem veritas rationibus confirmatur.

1. Prima ratio. CVM Catholica veritas ſufficiēter authoritate fundata ſit, ratione ex eiſdē principijs facilè poteſt demōſtrari. Quia poteſtas regendi in nullo homine inueniri poteſt ſine iuſto titulo, ex quo principio ſuprà probauimus, in Pōtifice non eſſe directam temporalem poteſtatem ſupremam; ex eodem ergo planè conuincitur, in temporali Rege non eſſe poteſtatē ad ſpirituale Regimē. Vnde qui primum libenter audiunt, neceſſe eſt, vt ſecundum admittant, niſi velint ad libitū voluntatis ſuæ ſine ratione loqui. Quia multò minus inuenitur iuſtus titulus ſpiritualis poteſtatis in tēporali Prin-

A cipe, quam temporalis poteſtatis in ſpirituali paſtore. Aſſumptū autem principium probatur breuiter, quia vel titulus ille eſſet iuris naturalis, vel poſitiui diuini, vel humani; hæc autem omnia facilè ex dictis excluduntur. Nam de iure naturali eſſe non poteſt, tum quia poteſtas ipſa naturalis non eſt, vt iam eſt probatū, tū etiam quia nulla poteſtas dominandi, vel regendi alios eſt in particulari perſona immediatè ex iure naturali, ſed in cōmunitate: hęc autē poteſtas ſpiritualis nō eſt in cōmunitate humana tanquā ab illa

B naturaliter fluēs, neq; prout eſt in particulari perſona, proximè fundari poteſt in volūtate eiuſdē cōmunitatis, tanquam cōferentis, ſeu trāsferentis in aliū talē poteſtatē, quia eſt lōgè altioris ordinis: ergo nō poteſt eſſe in rege de iure naturali. Et eadē ratione conuincitur, nō eſſe ex iure humano, quod in ſolo naturali fundetur, vel ab illo ducat originem, quale eſt ius gentiū, vel ciuile, quia ſi ius ipſum naturale nō attingit talem poteſtatē, multo minùs alia inferiora iura, quæ in illo fundantur.

De iure autē diuino res eſt manifeſta ex 2.

C dictis, quia tale ius authoritate diuina ꝓbandū eſt: nulla eſt autem authoritas, nō ſolùm diuina, verū nec probabilis humana, quæ tale ius Regibus datum eſſe oſtēdat. Imò licèt interdum poſſit ratione ſuaderi, aliquid eſſe de iure diuino, oportet, vt ex principijs reuelatis ſufficienter colligatur, vel ſaltē, vt ſuppoſita inſtitutione Eccleſiæ, magis conſentaneum diuinæ prouidentiæ oſtendatur. Nihil autem horū in præſenti interuenit, quia nullum eſt reuelatū principiū, ex quo talis poteſtas ſpiritualis in Regibus veriſimiliter cōprobetur, quin potiùs omnia

D principia reuelata illi dogmati repugnant, vt oſtenſum eſt. Ac denique omnis ratio conuenientis prouidentiæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ oſtendit, non debuiſſe cœleſtem hanc poteſtatem temporalibus Regibus committi, tum quia temporalibus curis, & negotijs ſecularibus ſunt implicatiſſimi, tum etiam quia literis Sacris, & diuinæ ſcientiæ vacare non poſſunt, quæ tamen doctrina maximè neceſſaria eſt in Eccleſiaſticis Paſtorib⁹. Propter quod Paulus dicebat Timotheo, *Attēde tibi, & doctrinæ.* Vbi

etiam indicat aliam rationem, quia cùm hæc poteſtas ad ſpiritualem finem, & ſalutem animarum conferatur, requirit in eo, cui confertur, ſtatum vitæ ſpiritualis, & perfectæ, vt poſsit non minùs verbo, & exemplo, quam poteſtate ſubditis prodeſſe. Reges autem temporales moraliter loquendo, & ex vi ſtatus hoc vitæ genus nõ habent, vel profitentur, & ideò ad hoc munus apti non erant. Deniq; ob hanc cauſam in Eccleſia Chriſti cũ regno non eſt per ſe coniunctum ſacerdotium; non enim aſſumpti ſunt Reges, vt pro hominibus conſtituantur in ijs, quæ ſunt ad Deum: ergo eadem ratione neque regimini ſpirituali apti erant. Aque hinc conſequenter excluditur omnis titulus fundatus in iure canonico, tum quia ius canonicum à iure poſitiuo diuino deriuatur, tum etiam quia rationes factæ non minùs in illo procedunt: tum denique quia oſtenſum eſt, ius canonicum tali Regum præſumptioni omnino repugnare. Atque hic diſcurſus euidentior fiet ex capite ſequẽti, in quo quàm ſint leuia, quæ Rex ſui iuris adducit fundamenta, oſtendemus.

3. *Secunda ratio.* Aliam rationem in hunc modum formare poſſumus, quia ſi poteſtas ſpiritualis eſſet in temporalibus Regibus, tot eſſent in Eccleſia ſupremi Principes ſpirituales, quot ſunt ſupremi Principes temporales, quod & abſurdum eſt, & principijs fidei multum repugnat. Cõſequutio manifeſta eſt. Primò quia ſi poteſtas regendi Eccleſiam in ſpiritualibus intrinſecè coniuncta eſt cum poteſtate Regia; ergo nõ reducitur in ſuperius principiũ infra Deum, neq; ab alia mortali poteſtate pendet. Secundo, quia non eſt maior ratio, cur vnus Rex alteri in ſpiritualibus ſubdatur, quã è contrario. Sed fortè Proteſtantes Anglicani, non ſolùm hoc concedunt, verum etiam præcipuè intendũt. *Euaſio Proteſtantium.* Neque exiſtimant eſſe vllum inconueniens, quia non admittunt plura capita in ſpiritualibus totius Eccleſiæ vniuerſalis, ſed plurium particularium Eccleſiarum, quę ſunt in diuerſis regnis tanquam partes Eccleſiæ vniuerſalis, atq; ita ſimiliter habere poterunt plura capita partialia. *Reijcitur.* Quã verò hoc ſit abſurdũ, & monſtroſũ in Eccleſia Chriſti militante in hoc mũdo, facilè intelliget, qui ex ſcripturis cõ- A ſiderauerit, Eccleſiã Chriſti, eſſe vnũ corpus myſticũ perfectiſsimè inſtitutũ. Nã tale corpus requirit vnã ſupremã poteſtatẽ, quæ ſupra omnia mẽbra eius efficaciã habeat, ſiue illa poteſtas ſit in vna perſona vera, ſiue in vna cõgregatione (quod poſteà videbimus) quia ſine tali poteſtate non poteſt eſſe debita vnio, & conformitas inter membra talis corporis.

4. *Alia euaſio præcluditur & Eccleſiæ ſupremũ caput debere eſſe vnũ oſtenditur.* Dicent fortaſſe ſatis eſſe, quod omnes Eccleſiæ particulares in vno capite Chriſto vniantur. Sed cõtra hoc eſt, quia Eccleſia militans, vt eſt in hoc mundo, eſt B vnũ ſpirituale regnũ, & corpus myſticũ perfectè vnũ in ſuo genere; ergo requirit etiam in hoc mundo vnũ ſupremũ tribunal, ſub quo gubernetur, aliàs non poteſt dici habere vnitatem, prout in hoc mũdo verſatur. Quod declaratur à ſimili, nam plura regna, quæ ſub diuerſis Regibus, aut Imperatoribus militant, non ſunt vnũ regnũ, vel imperiũ, quia non habent vnũ ſupremum regimen in terris, quanuis omnia vniãtur in vno Rege Deo, qui eſt ſupremus Rex etiã temporalis omniũ Regum. Vnde ex illa ſententia ſequitur apertè plures Eccleſias, quæ ſunt in mundo, nõ magis conſtituere vniuerſalẽ C Eccleſiã, quæ ſit propriè vna, quã plura tẽporalia regna ſint vna reſpublica tẽporalis, vel vnũ imperiũ aut regnũ. Et declaratur ampliùs alio exemplo accõmodato. nã ſi in diuerſis prouincijs verſentur duo exercitus Regis Hiſpaniæ, ſub duobus Ducibus ſupremis, & inter ſe nullo modo ſubordinatis, nõ poſſunt dici eſſe vnus exercitus, etiam ſi in eodẽ Rege remotè vniantur, & ab eo alterius rationis influxũ recipiant. Ita ergo dicendũ eſſet de diuerſis regnis quatenus ſunt Eccleſiæ diſtinctæ, ſi ſub ſupremis capitibus Eccleſiaſticis militarent. D

Accedit tandẽ, quòd vnitas Eccleſiæ ſine vnitate fidei, & ſacramentorũ conſeruari non poteſt: hæc autẽ vnitas fidei in diuerſis regnis, & prouincijs cõſeruari nõ poſſet ſine magno miraculo, ſi partes Eccleſię, & capita earũ in terris eſſent inter ſe omnino diuiſa, & ſine ſubordinatione ad aliquã ſupremã poteſtatẽ, cui omnes in terris obedire teneantur. Nã hoc ſatis oſtendit experientia, hinc enim orta ſũt omnia ſchiſmata, & Eccleſiarũ diuiſiones. Et ratio eſt clara, quia ſi duo Reges 5.

tempo-

tēporales ſunt ſupremi in ſpiritualibus. & vnus eligat in ſuo regno talē modū religionis, & alius alium; vnus vnam ſidem ſuo iudicio ex Scriptura ſumat, alius cōtrariam, quomodo poterunt ad vnitatem reduci? Atque hinc tandem concluditur, moraliter fieri non poſſe, vt duæ Eccleſiæ ſupremæ, id eſt, non recognoſcentes in ſpiritualibus ſuperiorem in terris, ſint vnitæ etiam in Chriſto, quia non vniuntur Chriſto, niſi per veram fidem, ac ſubinde per vnam, & eandem fidem, quia vera fides non eſt, niſi vna, ſed tales Eccleſiæ non poſſent in vna fide conſeruari, vt oſtenſum eſt: ergo neque vnionem in Chriſto retinere poſſent.

6. Obiectio. Dices, diſcurſum hunc eodem modo procedere de Epiſcopis, vel Apoſtolis, etiamſi in eis dicatur eſſe ſuprema poteſtas ſpiritualis. Reſpondeo, verum eſſe, Solutio. etiam illos reducendos eſſe ad vnum ſupremum caput, vt poſsit Eccleſiæ vnitas conſeruari. Quod autem, & quale ſit hoc caput, infrà videbimus: nam ex vi prędicti diſcurſus ſolùm ſequitur debere eſſe vnum, ſiue ilud ſit vnus Epiſcopus, ſiue vna Epiſcoporum cōgregatio. Inſtabis: Inſtantia. ſimiliter ab Anglicanis dici poſſe, quòd licet Rex temporalis ſit etiam in ſuo regno ſupremus in ſpiritualibus, cōparatione facta ad quamcūque aliam ſingularem perſonam: nihilominus poſsit ex omnibus Regibus Chriſtianis Concilium, ſeu Cōuentus congregari, in quo ſit ſpiritualis poteſtas ſuperior ſingulis Regibus, cuius authoritate poſsit vnitas Eccleſiæ conſeruari. A qua reſponſione non videtur alienus Rex Angliæ: nam & authoritatem legitimi Concilij recognoſcere videtur, quandoquidem primis quatuor Cōcilijs fidem adhibet, & quod iam in vſu non ſint conqueritur, Regibusque poteſtatem illa congregandi, & non Pontifici conuenire contendit.

7. Reſponſio. Veruntamen euaſio hæc non ſolùm rem non expedit, ſed potiùs magis inuoluit. Nam in primis ſi ante illius Concilij, vel conuentus conuocationem nullus Rex habet ſuperiorem in ſpiritualibus, quis habebit poteſtatem illud congregandi? nam ſi aliqui repugnent, nemo illos cogere poterit. Quòd ſi etiam Epiſcopi conuocandi ſint, nullus Rex poterit Epiſcopos ſibi non ſubditos ad conueniendū compellere, vel authenticè vocare: erit ergo res moraliter impoſsibilis, & ab authore Eccleſiæ inſufficiēter prouiſa. Sicut in rebus politicis ſi ad diſponendum ea, quæ ad bonum regimen totius vniuerſi ſunt neceſſaria, oporteret Reges omnes, & Principes ſupremos in temporalibus ad comitia conuenire, profectò impoſsibilis eſſet talis conuocatio, & ab omni prudente prouidentia aliena. Deinde quis futurus eſſet præſidens in tali conuentu, nullus enim alteri cedere volet, cùm ſit æquè ſupremus, & præſertim ſi agendum eſſet de rebus fidei, nam ſi in illis inter ſe diſſentirent, vnuſquiſque potiùs ſuo ſpiritui, quam aliorū opinionibus credendum putaret. Præſertim ſi vera eſſet Regis Anglię regula, qua propriam vniuſcuiuſque ſcientiam pro fundamento ſuæ fidei omnibus Regibus proponit.

Præterquàm quod admiſſo illo monſtroſo conuentu, vel Concilio, ſi illud eſſet ſupra ſingulos Reges, iam nullus temporalis Rex eſſet ſupremus in ſpiritualibus, prout Rex Angliæ pertinaciter contendit. Et ideò exiſtimo mentem illius non eſſe admittere poteſtatem alicuius Concilij tanquam ſuperiorem, ſed ſolùm deſeruire ad quandam prudentem conſultationem, & magis publicam rerum examinationem. Ideò enim de ipſis Concilijs cōſtanter non loquitur, ſed quæ vult, approbat, & quæ non placent, reijcit, iudicem ſe illorum conſtituens. Imò in quodam loco Prętationis ſuo arbitrio diſcernit inter conuocandos ad Concilium generale, ſi nunc congregandum eſſet. 8.

Tandem, ſi Reges ſupremi in temporalibus habent etiam in ſuis regnis ſpiritualem poteſtatem ſupremam reſpectu aliorum Regum, nullum relinquitur fūdamentum ad aſſerendum, congregationem talium Regum habere in Eccleſia poteſtatem ſupra totam ipſam, & ſupra omnes Principes eius. Quia ex ſola rei natura hoc non ſequitur, neque affirmari poteſt. Sicut in temporalibus, licet cōgregatio Regum fieret, non haberet ſupremam iuriſdictionem ſupra ſingulos illorum, niſi ſponte vnuſquiſque renūciaret iuri ſuo, mutando priùs regimen, & ex pluribus monarchijs vnam Ariſto- 9.

cratiam conſtituendo, quod voluntariū eſſet, & cogitatione potiùs confictum, quàm in re ſubſiſtens. Idem ergo erit in poteſtate ſpirituali, ſi ex natura rei eſſet cum temporali coniuncta. Quòd ſi quis fingat, Chriſtum ex peculiari inſtitutione voluiſſe ſingulos Reges eſſe in ſpiritualibus ſubiectos ipſorum congregationi, oportet, vt veſtigium aliquod huius inſtitutionis oſtendat. Eò vel maximè quòd omnia, quæ contra poteſtatem ſingulorum Regum diximus, æquè contra quancunque multitudinem, ſeu congregationem illorum procedunt. Eſt ergo commentitia, & planè monſtruoſa hæc ſpiritualis poteſtas ſuprema temporaliū Principum, quomodocunque fingatur, aut cogitetur.

Euaſio quædam refellitur.

10. Tertia ratio

Tertiam denique rationem ab incommodis conficere poſſumus: nam in primis ex tali poſitione ſequitur, poſſe Reges Chriſtianos, ſi velint, per ſe ipſos omnes actiones proprias Sacerdotum, & Epiſcoporum exercere, quales ſunt offerre Deo ſacrificium, vel (ſi hoc non admittunt) miniſtrare ſacramenta, ligare per excommunicationes, & cenſuras, & abſoluere ab eis, aut à peccatis, & alia, quę ad publicum Dei cultum pertinent. Hęc autem inaudita ſunt in Eccleſia Chriſti; imò etiam in Iudæorum ſynagoga dictū eſt Regi, *Non eſt officij tui Ozia, vt adoleas incenſum Domino*, & quia non ceſſauit, percuſſus eſt lepra. Quod non minus habere locum in Rege Chriſtiano rectè docuit Chryſoſt. Homil. 5. de Verbis Iſai. Et præterea ſi Rex temporalis eo ipſo, quòd eſt Rex, poteſt has actiones per ſe ipſum legitimè adminiſtrare, licebit etiā mulieri eaſdem per ſe exercere, nam eſt capax Regiæ poteſtatis, & cum illa, iuxta Proteſtantium opinionem, eandem ſupremam poteſtatem ſpiritualē habet. At Paulus mulieres in Eccleſia nec loqui permittit, nedum actiones ſacras exercere, ſed iubet tacere, & ſubditas eſſe.

2. Paralip. 26.

Chryſoſt.

1. ad Cori. 14.

11. Reſponſio hæreticorū

Poſſunt vero aduerſarij, diſtinguendo inter actiones, quæ poteſtatem ordinis requirunt, vel ſolam iuriſdictionem, reſpondere, poſſe Regem omnem actum iuriſdictionis Eccleſiaſticæ per ſe exercere, & ad hoc habere ſupremam poteſtatem, idq; ſatis eſſe, vt primatum in ſpiritualibus habeat, etiamſi actiones alias,

A quæ poteſtatem ordinis requirunt, per ſe non valeat exercere. Sed hoc in primis alienum eſt ab inſtitutione Chriſti: nam ipſe per illos voluit Eccleſiam regi, quos principales miniſtros verbi Dei, & ſacramentorum eſſe voluit, nimirū per Epiſcopos, in quibus poteſtas ordinis per excellentiam exiſtit. Deinde ſatis abſurdū eſt, vt ſupremus Eccleſiæ gubernator nō poſsit exercere præcipuos actus tam ad diuinum cultum, quàm ad ſanctificationem fidelium ordinatos. In republica enim ciuili nihil efficere poſſunt inferiores magiſtratus in ordine ad finem ſuæ poteſtatis, quod non poſsit Rex, aut Imperator altiori poteſtate in ordine ad eūdem finem præſtare: ergo multo magis in Chriſtiana republica, cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis ad ſpiritualem finem, & ſanctificationē animarum referatur: ita debuerunt illæ duæ poteſtates inter ſe ordinari, & inſtitui, vt in ſupremo Principe Eccleſiæ cū omni perfectione, & excellentia coniūgerentur, ideoq; nihil poſsit per inferiores fieri, quod non poſsit à ſuperiori, vel ſupremo perfici, quantum eſt ex vi poteſtatis.

Impugnatur reſponſio.

B

C

12. Ex principijs Proteſtantiū peculiariter refellitur prædicta reſpōſio.

Poſſumus etiam Proteſtantes ex ipſorum principijs conuincere. Nam apud illos poteſtas ordinis nihil eſt, niſi deputatio miniſtrorum à Rege, vel Magiſtratu tēporali facta. Nam ſi fortaſſe in Anglia (vt ferunt) aliæ cæremoniæ in conſtituendis miniſtris adhibentur, non reputantur neceſſariæ, nec à Chriſto inſtitutæ, ſed propter quendam ornatum exteriorem humano arbitrio excogitatæ, aut ſeruatæ. Ergo ſine illis poſſet Rex miniſtros ad eaſdem actiones inſtituere; ergo multò magis poſſet per ſe ipſum omnes illas actiones exercere. Idemque Regina Eliſabetha ex vi eiuſdem dignitatis potuiſſet, eademque ratione fœminas poſſet in miniſtros Eccleſiæ ſuæ cōſtituere. Quis enim credat fœminā poſſe eſſe caput Eccleſiæ, & non miniſtrū? Abſit autem ab Eccleſia Chriſti tam abſurda gubernatio, & hierarchia.

D

13. Ab incōmodis eadem reſpōſio impugnatur. Primò.

Quin potiùs ſi ſuprema ſpiritualis iuriſdictio temporalem conſequitur, & poteſtatem ordinis nullo modo poſtulat, profectò etiam in Rege ethnico eſſe poterit ſupra omnem Eccleſiā ditionis ſuę, quia

quia tam perfectam poteſtatem iuriſdictionis habet ſicut Rex Chriſtianus, & ex Scriptura non magis probari poteſt, ad vſum talis iuriſdictionis eſſe neceſſarium baptiſmum, quàm Epiſcopatum, ſeu clericalem ordinem. Et declaratur hoc ampliùs: nam in Eccleſia Romana, Conſtantinus v. g. priùsquâm ad fidem conuerteretur, habebat ſupremam poteſtatem temporalem: vel ergo iam etiam habebat ſpiritualem, & ſic admittitur incõueniens illatum, quo nihil poteſt eſſe abſurdius: vel ſi Conſtantinus illam non habebat, profectò apud Syluestrum erat; ergo etiam poſt baptizatum Conſtantinum eandem poteſtatem Syluester retinuit, non Conſtantinus. Quis enim illam tranſmutationem, ſeu translationem poteſtatis à Syluestro in Conſtantinum effecerit? aut quo verbo Dei factum èſt, vt Conſtantinus per ſolum baptiſmum ex oue factus ſit Paſtor, & ex ſpirituali filio in ſupremum parentem, & gubernatorem tranſierit? Sunt profectò hæc incredibilia, & abſurda. Quòd ſi Conſtãtinus baptizatus ſolam poteſtatem temporalem retinuit, eandem profectò ſolã ad poſteros tranſmiſit, eademq; in alios Reges, vel Principes, qui nunc extant, diuiſa eſt. Vel ſiqui ſunt alij Reges poſteà facti Chriſtiani, inde non trahentes originem, eadem ratio ad illos cum proportione applicari poteſt. Et ſimili modo, ſi poſt baptiſmum Conſtantini Sylueſter in ſuo Pontificatu cum eadem ſpirituali poteſtate perſeuerauit, eadem ad ſucceſſores vſque ad hodiernum diem peruenit. Idemq; eſt cum proportione de Anglia, & de quocunque Chriſtiano regno.

14. Secundò. Aliud etiam abſurdum inferre poſſumus. Nam ſi cum poteſtate ſuprema tẽporali coniuncta eſt ſimilis poteſtas ſpiritualis, cur non ſimiliter in quolibet inferiori Magiſtratu, vel Principe temporali, etiam ſi ſuperiorem recognoſcat, nõ eſt coniuncta vtraque poteſtas cum debita proportione, & ſubordinatione ad ſuperiorem? Eſt enim eadem ratio, neq; ex vi iuris naturalis diſcrimen conſtitui poteſt. Et Scriptura non magis dat ſpiritualem poteſtatem ſupremis Principibus, quam inferioribus. Vbi autem Scriptura de obedientia Principibus temporalibus debita loquitur, generaliter tam de Regibus, quàm de alijs magiſtratibus loquitur. Sic enim illud Pauli intelligitur, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, vt magis Petrus expoſuit, dicens, *Siue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſsis*. Si autem hoc abſurdum concedatur, totam hierarchiã Eccleſiaſticam quoad regimẽn externæ gubernationis euerti neceſſe eſt. Nam vbi Rex temporaliter creditur ſuprem⁹ gubernator in ſpiritualibus, eo ipſo Sũmus Pontifex inde excluditur; ergo ſi præfectus Regius vnius ciuitatis ibi etiã habet ſpiritualem præfecturam, excludendus conſequenter erit Epiſcopus ab ſpirituali regimine, quia nõ poſſunt eſſe duo capita eiuſdem ordinis, ſeu iuriſdictionis; ergo cum proportione, ſeu à fortiori excludentur omnes alij Præfecti, ſeu Eccleſiaſtici gubernatores, & ita velit, nolit Rex Angliæ, in Puritanorum Anarchiam, quod attinet ad regimen Eccleſiaſticum, incidemus. *Ad Rom. 13.* *1. Petr. 2.*

15. Euaſio. Reſponderi poteſt, non eſſe eandem rationem de ſupremo Rege, & inferioribus Magiſtratibus, quia Rex per ſe, & quaſi ex neceſsitate habet vtranque poteſtatem coniunctam; inferiores verò â Rege habent ſuam poteſtatem, & ideò poteſt Rex ſua voluntate illas poteſtates diuidere, & temporalem communicare Præfecto ciuili, ſpiritualem autem Epiſcopo. Sed in primis hoc totum non tranſcendit voluntatem, & inſtitutionẽ humanam, quam Rex ſuo etiam arbitrio poterit mutare, ſicut illam conſtituit; ergo poteſt totam hierarchiam Eccleſiaſticam euertere quoad Eccleſię regimẽ. Deinde Rex in ſua opinione non conſequenter loquitur, ſi hoc concedat, iam enim admittit poteſtates ſpiritualem, & temporalem eſſe diſtinctas, & ſubiecto ſeparabiles, & per ſuam voluntatem ſeparatas; cur ergo non erunt etiam ſeparabiles, vel etiam ſeparatæ in vtriuſque ordinis capite, aut quo titulo oſtendere poteſt, ſe vtranque poteſtatem habere? Reijcitur.

16. Prędicta euaſio ipſi Iacobo Regi repugnat. Alia etiam ratione non poteſt hoc cõſtare cum dictis Regis: nam ipſe reprehendit Bellarminum eo, quòd negauerit, Epiſcopos immediatè à Deo ſuam poteſtatem accepiſſe: ſentit ergo ipſe, Epiſcopos immediatè à Deo iuriſdictionem *In Prefatio. pag. 54.* *Libr. 4. de Põtif. c. 25.*

nem ſuam habere. Quomodo ergo poteſt nunc dicere, ſe illis dare iuriſdictionem, & in voluntate ſua eſſe poſitum, illam non ipſis, ſed ſuis Magiſtratibus tẽporalibus conferre? Niſi fortè ſe ipſum faciat iure etiam diuino ſuperiorem. Deinde Rex Angliæ in eodem loco fatetur, ſe à Puritanis diſſentire circa iuriſdictionem Epiſcoporum, Puritani autem affirmant iuriſdictionẽ Eccleſiaſticam cõferri à Magiſtratu tẽporali; ergo ſi Rex dicit, ſe conferre iuriſdictionem Epiſcopis, non differt à Puritanis in puncto iuriſdictionis Epiſcopalis, quidquid de differentia in ordinis dignitate ſentiat. Vt ergo gubernatio Eccleſiæ per Epiſcopos, & non per temporales Magiſtratus firma, & ſtabilis ſit, hanc inſtitutionem eſſe diuinam, & iuriſdictionem etiam Epiſcoporum à Chriſto deſcendere, ſiue mediante Papa, vt Bellarminus probabilius ſentit, ſiue immediatè, vt alij etiam Catholici probabiliter volunt. Ad præſentem enim cauſam non refert: nam quomodocunque ſit à Chriſto per poſitiuam inſtitutionem, non poteſt eſſe à temporali Rege, neque ab illo per ſe dependere, & cõſequenter non poteſt Regia poteſtas eſſe directè, ac per ſe ſupra Epiſcopalem, ac ſubinde neq; ſuprema in latitudine Eccleſiaſticæ iuriſdictionis. Quam repugnantiam in dictis, & opinionibus ſuis, ductus fortaſſe ſpiritu cõtradicendi Bellarmino, Rex non conſiderauit, cùm tamen ſatis clara ſit, vt in ſequenti capite iterum declarabimus.

CAPVT IX.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra veritatem in ſuperioribus capitibus probatam.

1. MVLTA ſunt, quibus Rex Angliæ ſuadere conatur, iuſto titulo ſpiritualem poteſtatem, & ſupremi capitis, ſeu gubernatoris ſpiritualis nomen in regno ſuo ſibi arrogare, & omnia, quæ adducit, obiectiones ſunt cõtra veritatem à nobis probatam, quas, licèt difficiles non ſint, prætermittere nõ poſſumus, vt omnibus ſatisfaciamus. Quia verò plures illarum ex factis Regum, vel Imperatorum ſumuntur, & ad præſens punctum non pertinent, vt cla- A riùs ſingulæ ſuis locis propoſitæ percipiantur, oportet hic tres quæſtiones diſtinguere. Vna eſt, quam nunc tractamus, an ſpiritualis poteſtas ſit in Principe neceſſariò coniuncta cum poteſtate temporali. Altera eſt, ſupponendo, has poteſtates eſſe in diuerſis perſonis, an ſit vna altera ſuperior, & quæ illa ſit, de quo puncto à capite 21. dicturi ſumus. Tertia eſt generalis quæſtio de exemptione clericorum à poteſtate temporali, etiam in cauſis ciuilibus, criminalibus, & tributis, quæ ſine dubio eſt longè diuerſa ab B alijs duabus, & ex alijs principijs in libro ſequenti tractanda. Igitur ſi quæ ſunt exempla aut facta Catholicorum Principum, quæ contra iuriſdictionem Eccleſiaſticam obijci aliquo modo poſſint, ad quæſtionem tertiam de immunitate clericorum maximè pertinent, vt ibi videbimus, & pauca etiam circa ſecundam quæſtionem attingemus. In præſenti verò puncto vix credo, inuenietur ante Henricum VIII. exemplum Principis vel ſolo nomine Chriſtiani, licèt hæretici, qui ex vi propriæ, & innatæ poteſtatis actum iuriſdictionis ſpiritualis vſurpare, C nedum ſupremam iuriſdictionem, & primatum ſpiritualis poteſtatis ſibi arrogare tentauerit. Et ideò his exemplis omiſſis, breuiter alios titulos expendemus, quibus Rex ius ſuum firmare, aut apparenter defendere tentat.

Primus eſt, quia iure naturæ hæ duæ poteſtates coniunctæ ſunt, Regia, & Sacerdotalis; ergo hoc ius naturæ manet integrum in lege gratiæ, quia gratia non deſtruit naturam, neque lex Chriſti data eſt ad tollendam legem naturæ, ſed perficiendam. Aſſumptũ probatur, quia ante legem Chriſti, & Moyſi ius tantùm D naturale obſeruatum eſt; nam ideò tempus illud naturalis legis vocatur. In illo autem tempore ijdem erant Reges, & Sacerdotes, vt conſtat de Melchiſedech, Abraham, Iſac, Iacob, & generaliter ex recepta regula, quod eo tempore primogeniti, & regni hæredes erant ſimul Sacerdotes, vt ſumitur ex Hieronym. epiſtol. 126. ad Euagri. & Ruperto lib. 5. in Geneſ. cap. 12. Vnde Paulus ad Hebræ. 12. Eſau prophanum vocat, eo quod primogenituram vendiderit, quæ ſacra erat ratione ſacerdotij.

[Margin: 2. Prima obiectio.]
[Margin: *Hieron. Rupert. Hebr.* 12.]

Hunc

Hunc titulum non inuenio à Rege A expreſſe propoſitum, propter complementum autem doctrinæ, & quia Rex allegando in fauorem ſuum quædam teſtimonia noui teſtamenti, illum ſupponere videtur, omittendum non duxi, quamuis re vera friuolus ſit. Nam in primis admiſſa illa antiqua conſuetudine, quæ non ſolùm inter fideles, ſed etiam inter gentiles viguiſſe videtur, negamus, illam eſſe de iure naturali, id eſt, lege naturali præceptam, licet mediãte ratione, & voluntate humana à generalibus principijs iuris naturalis originem duxerit. B Quia licèt ſacrificium ſit aliquo modo de iure naturali, & conſequenter etiam ſacerdotium, quod autem tali modo ſit inſtitutum, & his, vel illis perſonis attributum, non eſt iure naturæ præſcriptũ, ſed iure aliquo poſitiuo definiri, neceſſe eſt. Et hoc modo ante legem Moyſi, vel iure gentium, vel moribus populorum introductum eſt, vt dignitas ſacerdotalis præcipua cũ regali eſſet coniuncta. Qui mos ſicut in lege veteri mutatus fuit, etiam in lege noua mutari potuit. Imò ita factum eſſe, & ad perfectionem legis gratiæ hoc pertinere, docuit Nicolaus C Papa ad Nicolaum Imperatorem dicẽs. *Fuerunt hæc ante aduentum Chriſti, vt quidam typicè Reges ſimul, & ſacerdotes exiſterent, quod ſanctum Melchiſedech fuiſſe, ſacra prodit hiſtoria. &c.* Et infrà, *Sed cùm ad verum ventum eſt, eundem Regem, atq; Pontificem vltra nec Imperator, nec Pontifex vſurpauit.*

3. Reſponſio.

Regia poteſtas non eſt cum ſacerdotali iure naturæ coniuncta.

Nicolaus Papa.

4. Deinde ſi ſermo ſit de ſacerdote quoad poteſtatem ordinis, manifeſta eſt differentia, nam in lege naturæ non erat propria, & ſupernaturalis poteſtas ordinis, ſed erat ſolùm miniſterium ſacrificandi, & intercedendi pro populo, ad D quod poterat aliquis ſua ſponte, vel per conſenſum populi deputari, quia Deus eo tempore nihil in particulari de ſacerdotio, vel ſacrificio præſcripſerat, & ſic Anacletus Papa epiſt. 2. negat, Melchiſedech, vel Abraham, vel alios illius tẽporis viros ſacrificium obtuliſſe *ſacerdotali authoritate*, vtique à Deo peculiariter inſtituta. In lege autem veteri ſicut determinauit Deus ſacrificia, ita & ſacerdotium, ſeu Pontificatum, abſque interuentu populi, vel conſenſu eius. Quod etiam altiori, & excellentiori modo in noua lege Chriſtus inſtituit. Si autem ſit ſermo de ſacerdotio quoad poteſtatem iuriſdictionis, ſupponit in primis illa obiectio vel falſum, vel valde incertum, nimirum, ſacerdotem, vel Pontificem in lege naturæ habuiſſe iuriſdictionẽ ſpiritualem, quod vel falſum, vel incertũ eſt. Quia talis poteſtas neque à Deo ſpecialiter data eſt in illo ſtatu, vt per ſe notum eſt, nec ex iure naturali poteſt hominibus conuenire, quia poteſtas gubernatiua humana non tranſcendit ordinem humanum, & principaliter inſtituitur ad ordinandum homines adinuicem, ita vt licèt curam etiã habere poſſit diuini cultus, ſemper in modo, ac determinatione illius reſpiciat communẽ bonum reipublicæ humanę, vt in ſimili dixit D. Tho. 1.2.q.99. ar.3. Quapropter non rectè fit comparatio inter legem naturæ, & gratiæ, quia in lege naturæ omnis poteſtas gubernatiua, ſub temporali ſufficienter cõprehendebatur, nam illa eadem poſſet diſponere de ijs, quæ pertinent ad cultũ Dei, prout expediret cõmuni bono humanæ reipublicæ, ſecus verò eſt in lege gratiæ, quæ eſt lex diuina, quæ principaliter ordinat homines ad Deum, & bonum ipſius reipublicæ refert ad amicitiã hominum cum Deo. Ideoq; ſacerdotalis poteſtas in hac lege ſpiritualis eſt, & altioris ordinis, & non poteſt eſſe ab ipſis hominibus, vel eorum communitate, ſed ab ipſomet Chriſto manare debuit, ſicut de facto manauit, vt ſuprà oſtenſum eſt.

In lege naturæ nulla poteſtas ſupernaturalis ordinis.

Anacletus Papa.

In lege naturæ nulla iuriſdictio ſpiritualis extitit.

D. Thom.

5. Obiectio. Dices, illud eſſe verum de hominibus tantùm, vt homines ſunt, cõſideratis, ſic enim manifeſtum eſt, in eis eſſe non poſſe niſi poteſtatem naturalem, ſecus verò eſſe de hominibus Chriſtianis vt Chriſtiani ſunt, & vt componunt ciuitatem, non tantùm politicam, ſed etiam Chriſtianam. Nam ſicut talis communitas fũdatur in fide, & religione ſupernaturali, ita ex ea habet poteſtatem altioris ordinis cõnaturalem ipſi gratiæ ad diſponendum ea, quæ ſpectant ad diuinum cultũ conſentaneè ad veram fidem, & amicitiã Dei; ergo talis cenſenda nũc eſt poteſtas Eccleſiaſtica, & conſequenter potuit à tota cõmunitate Regi ſuo temporali cõferri. Reſpondeo, antecedens potuiſſe habere locũ, ſi Chriſtus Dominus Eccleſiã ſuam,

Solutio.

ſuam, & regimen eius non inſtituiſſet pe
culiari modo, & longê excellẽtiori, quã
ex ſola rei natura poſsit eſſe in commu-
nitate hominũ, etiam vt Chriſtiani ſunt.
Nunc autem Chriſtus ſua peculiari in-
ſtitutione præuenit (vt ſic dicam) & ſu-
blimauit ſpirituale regimẽ Eccleſię. Pri-
mum inſtituendo illam, per modũ vnius
corporis myſtici per totum orbẽ diffuſi,
in quo vnitas fidei, & concordia in ſub-
ſtantiali ritu religionis ad Dei cultum, &
ſanctificationem hominum ordinato, cõ
ſeruari poſſet; hoc autem ſine ſuprema
ſpirituali poteſtate fieri non poſſet, vt ſu
prà oſtendi. Vniuerſalis autem poteſtas
ſupra vniuerſum mundum non potuit
ab ipſis hominibus vbique etiam diſper-
ſis procedere, debuit ergo eſſe à Chriſto.
Item inſtituit Chriſtus quandam Eccle-
ſiam, quę in fide eſſet columna veritatis,
& in moribus ſemper eſſet ſancta, ideoq;
talem ei dedit poteſtatem ſpiritualem, vt
per illam ad vtrũq; finem rectê, & ſine
defectu ſubſtantiali poſſet dirigi, talis er
go poteſtas neceſſariò eſſe debet plus
quàm humana. Deniq; ex ſola rei natu-
ra, etiam ſi homines Eccleſiæ ſpectentur
vt Chriſtiani ſunt, non eſſet neceſſariũ
regi per Epiſcopos, vel alios ſimiles pa-
ſtores, quibus ſpecialis cura animarum
incumbat, nunc autem Eccleſia neceſſa-
riò regi debet per Epiſcopos, & ſacerdo-
tes, quorum inſtitutio, & diſtinctio ex
diuino iure ſine dubitatione deſcendit;
ergo poteſtas gubernatiua Eccleſiæ Chri
ſti in ſpiritualibus non eſt à populo Chri
ſtiano etiam fide illuminato, ſed eſt ab
ipſo Chriſto, vel immediatê, vel per par-
ticipationem ab illo, cui Chriſtus ipſe
immediatè illam communicauit.

6. *Secunda obiectio.* Secunda obiectio ſumitur ex aliqui-
bus locis veteris teſtamẽti, in quibus ſig-
nificatur, Pontifices legis veteris fuiſſe
inferiores, & ſubiectos Regibus. Sed hãc
obiectionem nunc omitto, quia quod ad
præſentem locum ſpectat, manifeſtum
eſt ex veteri teſtamento, Pontificiã dig-
nitatem, & poteſtatem Regiam in diuer-
ſis fuiſſe perſonis, quod nunc tantùm tra
ctamus. De comparatione autem harum
poteſtatum infrà dicendũ eſt, & ibi me-
liùs videbimus, an ſit neceſſarium, eandẽ
habitudinem, ſeu relationem inferio-
ris, & ſuperioris habere, ſeu habuiſſe in

A vtraque lege, veteri ſcilicet, & noua.

Eſt ergo tertia obiectio ſumpta ex te- 7. *Tertia obiectio ex nouo Teſtamẽto petita.*
ſtimonijs noui teſtamenti, in quibus pię
cipitur Chriſtianis omnibus, Regibus tẽ
poralibus obedire, vt ſunt in ſuperiorib⁹
allegata, & à Rege accumulata in Apo-
logia pag. 129. ſcilicet, Roman. 13. 1. Pe- *Rom. 13.*
tri. 2. vbi etiã adiungit illud 1. ad Timot. *1. Petr. 2.*
2. vbi Paulus præcipit orari pro omni- *1. Tim. 2.*
bus, ſed præcipuè pro Regibus, & omni- *Matt. 22.*
bus, qui in ſublimitate ſũt, & illud Matt. *Ioan. 18.*
22. *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, &c.* *Luc. 12.*
& illud Ioan. 18. *Regnum meum non eſt de*
B *hoc mundo*, & illud Luc. 12. *Quis me con-*
ſtituit iudicem inter vos? & illud Luc. 22.
Reges gentium dominantur eorum, &c.

Sed nullum ex his teſtimonijs ad cau 8. *Solutio ad prima duo teſtimonia.*
ſam facit, & nõnulla illorum contra Re-
gis intentionem probare poſſunt. Nam
in primis in nullo illorum eſt ſermo in
particulari de ſpirituali poteſtate, neque
in eis inſinuatur, fuiſſe Regibus tempo-
ralibus conceſſam, aut, quòd illis in ma-
teria talis poteſtatis præcipientibus obe-
diendum ſit. Cùm ergo Paulus inquit,
Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſub-
dita ſit, generatim loquitur de omnibus
C ſuperioribus, vt ex tenore verborum cõ
ſtat. Vnde rectè intelligi poſſunt cũ par-
titione accõmoda, ſcilicet, vnicuique in
eo, quod ſuperior eſt, obediẽdum eſſe ab
ijs, qui ei ſunt ſubiecti. Nam ita etiam in-
feriùs dicit, *Reddite omnibus debita, cui tri*
butum, tributum, cui honorẽ, honorem, &c.
Eſt ergo generalis diſtributio ſingulis
acccõmodanda iuxta menſuram poteſta
tis, quæ autem hæc ſit in ſingulis Pote-
ſtatibus, ibi non explicatur. Demus autẽ
ibi loqui Paulũ in particulari de poteſta-
te tẽporali, de qua paulò poſt dicit, *Non*
ſine cauſa gladium portat. Quid aliud ex il
D lo loco ſic intellecto colligi poteſt, niſi
obendiendũ eſſe Principibus tempora-
libus in his, quæ iuſtè, & rectè pręcipiũt?
quis autẽ hoc negat? aut quomodo inde
colligi poteſt, etiã in ſpiritualibus, & ec-
cleſiaſticis eſſe illis parendũ? Certê Pau-
lus non tantùm de Principibus Chriſtia-
nis, ſed etiã eo maximê tẽpore de Regib⁹
ethnicis loquebatur, quibus tanquã Do-
minis tẽporalibus Chriſtiani etiã obedire
tenebãtur, nec propterea prudẽs aliquis
dicet, fuiſſe tunc illos capita Eccleſiarum
in regnis ſuis. Omnia ergo, quæ ibi Pau-
lus, &

lus, & Petrus in ſua epiſtola dicunt, ad eundem ſenſum referuntur: nam vel intelliguntur reſpectiuè, vt vnicuiq; reddatur ius ſuū, vel obedientia debita, iuxta gradum poteſtatis ſuæ, vel ſi definitè de dominis temporalibus intelligantur, etiam ſunt in eorum foro, & materia intelligenda, prout ratio ipſa iuſtitiæ poſtulat, ibi enim Apoſtoli non condunt nouum ius, ſed ius ipſum naturale obſeruari præcipiunt. Simili enim modo ſeruos monent ſubditos eſſe dominis, & mulieres ſubditas eſſe viris, &c. A

9. Primo teſtimonio. 1. ad Timot. 2. nihil contra ſtatutā veritate colligi.

Ad tertium autem teſtimonium fatemur, Paulum obſecrare, fieri orationes pro omnibus hominibus, & deinde in ſpeciali addere, *pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, vt quietam, & tranquillam vitã agamus*. Quid verò hoc pertinet ad primatum ſpiritualem Regis temporalis? Nunquid quia Reges in primo loco poſuit, ideò dixit, illos eſſe capita Eccleſiarū in ſpiritualibus? Vana profectò eſt collectio, & longè aliam rationē reddit Chryſoſt. ibi Homil. 6. videlicèt, *ideò addidiſſe pro Regibus, quia neq; tūc Reges Deum colebant, & multis poſteà temporibus in infidelitate, quam per ſeriem ſucceſſionis acceperant, perſtiterūt*. Et infrà. *Quoniam verò conſequens eſſe cernebat, vt Chriſtiani ad iſta torpeſcerēt, neq; huiuſmodi admitterent monita, ſiquidem pro gentili, & ſacramētorum tempore preces oporteret offerre, vide, quid ſequutus adiunxit, vt ex conſideratione lucri admonitionem faciliùs, libētiuſq; reciperent. Vt quietam* (inquit) *& trãquillã vitã agamus*. Ergo ex mente Chryſoſtomi non ideò deſignauit Reges, quia ipſi ſint ſpiritualia capita Eccleſiarum (quod maximè tunc eſſe non poterant, cùm eſſent gentiles) ſed potiùs ne propter hanc cauſam fideles putarent, non eſſe pro eis publicè orandum. Neq; Paulus dixit, *præcipuè pro Regibus*, illam enim particulam *Præcipuè*, Rex de ſuo addidit, ſed ſimpliciter loquutus eſt, ac ſi diceret, etiam Reges ethnicos ſub *omnibus* comprehendi; nam licèt eſſent gentiles, orãdum pro eis erat, vt ad fidē cõuerterētur. Et hoc magis ſignificauit Paulus in ratione, quã ſubiunxit, *Hoc enim bonum eſt, & acceptum corã Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Ac denique quã- B C D

Chryſoſt.

uis Paulus addidiſſet particulam, *præcipue*, nihil referret, nam quia conuerſio Regum, & difficilior erat, & ad cõmune bonū Eccleſiæ magis eſt neceſſaria, ideò etiam potuit ſpecialiter, ac præcipuè cõmendari.

10. Teſtimonium Mat. 22 oppoſitum concludit.

De verbis autem Chriſti, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, iam ſuprà ex mente Chryſoſtomi, Ambroſij, & Athanaſij oſtenſum eſt, potiùs probare contrariū, ſcilicet, *Cæſari*, id eſt, Regi temporali, *reddenda eſſe quæ ſunt Cæſaris*, id eſt, tēporalis poteſtatis, quæ præciſa reſpõſio vim habet excluſiuæ, vt ſignificauit Theophyl. dicens, *Ieſus autem per hoc quod figuratum erat numiſma imagine Cæſaris, perſuadet illis deberi Cæſari, quæ eius ſunt, hoc eſt, quæ habent eius imaginē, nam in corporalibus. & externis obediendum eſt Regi, in internis autē, & ſpiritualibus Deo*, vtiq; vel immediatè præcipienti, vel per Paſtores ſuos iuxta verbum Pauli, *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ad Hebr. 13. De alijs etiã Chriſti verbis, *Regnum meū non eſt de hoc mundo*, dicimus etiam probare contrariū quod ex dictis non difficilè colligitur. Tria enim ex doctrina Auguſtini, & aliorum Patrum ex illis verbis adnotauimus, ſcilicet, Chriſtum habere regnum, etiam in hoc mūdo, licèt non de hoc mūdo, vnde meritò colligimus, Reges huius mundi, ex eo quod tales ſint, non habere poteſtatem in regno Chriſti, quatenus altioris originis eſt, & non de hoc mundo. Et pari conſecutione inferimus, hoc regnum Chriſti non carere ſuis gubernatoribus, qui licèt non ſint Reges huius mundi, id eſt temporales, ſunt ſpirituales Paſtores, & Regale ſacerdotium. Eademque ratio eſt de alijs verbis Chriſti, *Quis me conſtituit iudicem, & diuiſorem inter vos?* probant enim, temporales cauſas per ſe non pertinere ad Chriſti regnum, ſeu Vicarium eius, vnde potiùs à contrario, ſeu à commutata proportione inferendum erat, cauſas ſpirituales ad temporalem Regem non pertinere. Deniq; idem dicimus de vltimis verbis, *Reges gentium dominantur eorum*. Nam Chriſtus non addidit, Vos autem non gubernetis, vel non præcipiatis, aut corrigatis ſubditos, ſed potiùs ſupponit, illos futuros fuiſſe Rectores, ſeu Paſtores, & ideò dixit, *Vos autem non ſic*, quaſi præ-

Theophyl.

Hebr. 13. Teſtimonia etiam Ioan. 18. Luc. 12. & 22. doctrinam traditã confirmare oſtenditur.

ſupponendo regimen, & diſtinguen-
do illud à regno temporali, & modum
diuerſum in illo poſtulando, quem plu-
ribus verbis declarauit Petrus priori epi
ſtol. ca. 5. vt in ſuperioribus adnotatum
eſt.

11. Quarta obiectio.
Quarta obiectio ſumi poteſt ex no-
mine Vicarij Dei, quẽ Rex Angliæ cui-
uis Regi temporali attribuit. Et ne videa
tur nouus loquendi modus, ante Iacobũ
illo vſus eſt Eduardus Rex Angliæ, vt
ex ſuis legibus cap. 19. relatum inuenio,
qui tamen in numero Sanctorum poni-
tur. Poſſumusq; idem cõfirmare autho-
August. ritate Auguſtini lib. Quæſtionum vete-
ris, & noui teſtamenti. p. 2. q. 91. vbi de
Rege dicit, *Adoratur in terris quaſi vicari⁹*
Eleuther. *Dei*. Eleutherius etiã in quadam epiſto-
la ad Lucium Britanniæ Regem, ſic ſcrip
ſiſſe fertur, *Suſcepiſtis nuper miſeratione di*
uina in regno Britanniæ legẽ, & fidẽ Chriſti,
habetis vos in regno veſtro vtranq; paginã,
ex illis Dei gratia per conſiliũ regni veſtri
ſumite legẽ, vos enim in regno veſtro Vica-
rius Dei eſtis. Ergo præter hunc vicariũ
non eſt alius neceſſarius, qui immediatè
ſub Deo ſit, ac ſubinde in Rege eſt tota
poteſtas Vicaria diuinæ poteſtatis, ſiue
illa ſpiritualis ſit, ſiue temporalis. Auge-
Iſidor. req; poſſumus hanc obiectionem ex Iſi-
doro lib. 3. Sentẽtiar. ſeu de Sũmo bono
cap. 49. dicente, *Dedit Deus Principibus*
præſulatũ pro regimine populorum, Præſu-
latus autem nomen eſt ſpiritualis pote-
ſtatis: nam præſul non dicitur, niſi qui
ſpiritualibus præeſt.

12. Solutio ad 4.
Reſpondeo breuiter, conſecutionem
eſſe nullius momenti, quidquid de mo-
do loquendi in antecedente ſumpto ſen-
tiatur, de quo non eſt contendendum,
quanuis ea, quæ pro illo allegantur apo-
Auguſtinus immeritò pro contrario errore citatur.
crypha ſint? Nam liber ille Quæſtionũ
noui, & veteris teſtamenti, iudicio om-
nium doctiorum nõ eſt Auguſtini, quia
nec ſtylus illius eſt, nec doctrina in mul-
tis locis eſt Auguſtiniana. Quanquam il-
la ſententia bene explicata vera ſit, Re-
gem nimirum, adorari, id eſt, coli, & ve-
nerari propter dignitatem, in qua Deum
quodammodo repræſentat, cuius vicem
Supra dictã Epiſt. Eleutherio tribui.
gerit. Epiſtola etiam illa, quæ ex Eleu-
therio citatur commentitia eſt, quia ne-
que inter epiſtolas Pontificias, neque in
tomis Conciliorum, neque apud Catho-

A licos authores mentio illius inuenitur,
ſed ab aliquo hæretico conficta eſt, vt
notauit Sander. libr. 5. de Claue Dauid *Sander.*
cap. 6. Et illamet verba, quæ ex illa re-
feruntur, id ſatis oſtendunt, eſt enim
phraſis propria Nouatorum, & à Ponti-
ficibus Romanis prorſus aliena.

Non negamus autem poſſe Regem in 13.
bono, & ſano ſenſu Vicarium Dei appel
lari: nam Paulus ad Rom. 13. Reges vo-
cat miniſtros Dei, quod perinde ferè eſt. *Roma. 13.*
Vnde Ambroſius ibi ait, Principem *vi-* *Ambroſ.*
cem Dei agere, & ideò ſubiectionem eſſe
B illi ſeruandam. Idem autem eſt, vicẽ age-
re, quòd Vicarium eſſe. Hinc autem nõ
rectè infertur, Reges eſſe vicarios Dei in
ſpiritualibus: nam Deus primarius Rex
eſt, tam in regno temporali, quàm in ſpi-
rituali Eccleſiæ, & in vtroq; ſuos vica-
rios poſuit, in temporali, Reges; in ſpiri-
tuali Epiſcopos, & pręſertim Summum
Pontificem. Vnde ex eo, quod Rex in
vno regno Vicarius ſit, malè infertur eſ-
ſe in vtroq;. Nam etiam Reges gentiles,
de quibus etiam Paulus loquebatur, ſunt
miniſtri Dei, ac ſubinde vicarij, nõ tamẽ
in ſpiritualibus, ſed in temporalibus tan-
C tùm. Idem ergo dicendũ eſt de Regibus
Chriſtianis. Quanuis illi poſsint etiã dici
peculiari titulo vicarij Dei, ad defenden-
dam Eccleſiam, & protegendum Præla-
tos, vt poſsint in pace, & cum fructu ſpi-
ritualia miniſtrare. Et in hoc ſenſu San-
ctus Eduardus loquutus eſt. Iſidorus au- Ad verba Iſidori reſpondetur.
tem lato quodã modo præſulatum voca-
uit præfecturam, ſeu quancũq; regendi
poteſtatem, ſicut etiã cap. 49. antecedẽte
ſub titulo de *Prælatis* ponit Reges, &
quaſcũq; ſęculi poteſtates non ſolùm fi-
deles, ſed etiam infideles. Vnde clarum
eſt, non loqui de Prælatis in eo rigore,
D quo iam communi vſu vox illa pro Ec-
cleſiaſtico Antiſtite ſumitur, ſed prout
generaliter à verbo *Præfero*, deriuatur, &
quencũque ſuperiorem, vel primarium
gubernatorem ſignificare poteſt.

Quintò obijci poſſunt nõnulla Patrũ 14.
teſtimonia, qui Regi, vel Imperatori pri Quinta obiectio ex Patribus.
matum tribuere ſolent. Sed ex his, quæ-
dam pertinent ad cõparationem vtriuſq;
iuriſdictionis, quæ infrà, vt dixi, tracta-
buntur. Alia verò ſunt huius loci pro-
pria, quia in eis videntur proprios actus
ſpiritualis poteſtatis Regibus tribuere.

Tales

Tales enim actus ſunt, veritatem docere, errores depellere, & ſimiles; & tamen Epiphan. hæreſ. 40. dicit, Reges datos eſſe, vt omnia ex Deo bene diſponantur, & adminiſtrentur, *& ad bonam* (inquit) *ordinationem terræ, vbi cædes, & pugnæ, ignorantiaq́; ac doctrinæ bonæ, &c.* Significas hæc omnia cadere ſub Regis curam. Et ſic etiam Alcuin. in Præfat. ad libros de Trinit. ad Carolum dicit, Sapientiam illi datam eſſe, *vt regat, & doceat pia ſolicitudine ſubiectos*. Et infrà, ad illum pertinere ait, *iuſta decernere, rata præcipere, ſancta admonere, vt quiſq; lætus cum perpetuæ ſalutis præcepto domũ redeat.* Et infra ſubdit, *Principem populi Chriſtiani cuncta ſcire, & prædicare, quæ Deo placent, neceſſe eſſe, notiſsimum eſt. Neque enim quenquam magis decet, vel meliora noſſe, vel plura, quàm Imperatorem, cuius doctrina omnibus prodeſſe debet ſubiectis, &c.* Quin potius Cõcilium Arelatenſe ſub eodẽ Carolo Magno cap. vlt. poſt decreta omnia ſubiungit, *Hæc Domino Imperatori præſentanda decreuimus, poſcentes eius clementiam, vt ſi quid hic minus eſt, eius prudentia ſuppleatur, ſi quid ſecus, quàm ſe ratio habet, eius iudicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, eius adiutorio, diuina opitulante clementia perficiatur.* Addi etiam hic poſſent obiectiones ex Actibus congregandi generalia Concilia, vel præſidendi in illis; item creandi, vel deponendi Pontifices, hi enim actus, & ſimiles proprij sũt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis; & tamen illos ſæpiùs exercuiſſe Imperatores, Rex Angliæ in ſua Præfatione contendit.

Epiphan. | Alcuin. | Conc. Arelaten.

15. Solutio. Verus ſenſus Patrum aperitur.

Ad priorem partẽ reſpondeo, Patres nunquam tribuere Regibus proprios actus iuriſdictionis ſpiritualis, ſed interdũ per modũ exhortationis, vel laudis, aut honoris illos excitare ad exercendos actus aliquos, qui ſine iuriſdictione exerceri poſſunt, vel ad procurandum vt alij in Eccleſia cum fructu fiant per Paſtores, à quibus legitimè exerceri poſſunt. Vnus ex illis actibus eſſe poteſt, curare, vt ignorantia ab Eccleſia tollatur, & vt bona, & ſana doctrina conſeruetur, & augeatur, de quo loquitur Epiphanius. Habetq; locum etiam in politica republica intra limites ſuos, vt per ſe notum eſt, & ſic pertinet ad Regem ex vi propriæ poteſtatis. Reſpectu verò Eccleſiæ, & quoad doctrinam fidei, pertinere poteſt ad Regem, non quidẽ prædicando publicè per ſe ipſum, neque dando authoritatem prædicandi, ſeu præbendo auxilium Catholicis Prælatis, & prædicatoribus, & ſacrarum literarũ ſtudia ſunda[illegible] poteſtate ſeminatores malæ doctrinæ coercendo. Et hunc ſenſum declararũt Patres Cõcilij Turonẽſis ſub Carolo Magno in principio: poſtquam enim cõmendarunt pietatẽ, & ſapientiã Imperatoris, ſubiungunt, *His igitur intentus, pios, ac religioſos Dei ſacerdotes Eccleſiæ gubernacula in regno ſibi diuina largitate collato tenẽtes ſaluberrimis exhortationibus admonuit, vt operam darent, & actibus eminerent, quibus & ſe bene operando, & ſibi commiſſos verbis, & exemplis inſtruendo regerent.* Et idẽ ſuprà indicat Alcuinus dicens, *Multa eſt omnibus fidelibus in veſtra pietate gloriandi facultas, dum clementiæ veſtræ ſolicitudo ſacerdotalem, vt decet, habet in prædicatione verbi Dei vigorem.*

16. Germana Cõcilij Arelaten. expoſitio.

Reliqua verò, quæ retulimus laudis ſunt, & honoris verba, nam etiam Imperator Chriſtianus eſſe poteſt doctus, & bene inſtructus in doctrina ſacra, & priuatim iuxta occurrentes occaſiones poteſt veritatẽ docere. Simili etiam modo verba Patrũ Cõcilij Arelatenſis eo tendunt, vt protectionem, & adiutorium ad executionem ſuorũ decretorũ ab Imperatore petant, vt ex vltima clauſula verborũ cõſtat, reliqua autẽ ſunt verba modeſtiæ, & vrbanitatis, ex quibus nullum indiciũ vel ſubiectionis in ſpiritualibus ex parte Cõcilij, vel ſpiritualis poteſtatis in Imperatore, ſumi poteſt. Ad aliã etiã partẽ obiectionis vno verbo dicimus, illos actus propriè nõ eſſe Imperatoriæ poteſtatis, poſſe tamẽ, vel aliquãdo potuiſſe aliquã cooperationẽ, ſeu præparatoriam diſpoſitionẽ, aut cõditionem, quæ ſpiritualem poteſtatẽ non requirit, in eis exercere, vt in ſequẽtib. latiꝰ declarabimus.

CAPVT X.

Vtrum Chriſtus Dominus ſupremam Eccleſiæ ſpiritualem poteſtatem Petro contulerit?

1\. Priùsquàm ſpiritualem poteſtatem cum temporali cõferamus, ex qua præſens controuerſia maximè pẽdet,

det, inquirere oportet, an hęcpoteſtas ſit in Pontifice Romano, cum quo lis, & cõtentio tota Regis Angliæ verſatur. Quia verò Romanus Pontifex non poteſt habere hanc poteſtatem, niſi per legitimam ſucceſsionem, & ſucceſsio ab origine, & inſtitutione pendet, quæ à ſolo Chriſto fieri potuit, ideò de hac inſtitutione prius videndum eſt. In quo puncto duæ quæſtiones diſtingui poſſent, vna abſtracta (vt ſic dicam) ſeu generalis, an Chriſtus in ſua vniuerſali Eccleſia Monarchicum regimẽ in aliqua perſona, quæ vices eius gereret, reliquerit. Altera quæſtio eſt cõtracta, ſeu particularis, an tali perſonæ, ſcilicet, Petro, Chriſtus vices ſuas, & poteſtatem ſupra omnes fideles cõmiſerit, ſimul tamen illas tractabimus, quia quod ad fidem, & authoritatem attinet, non poſſumus meliùs oſtendere inſtitutionem, quàm ex ſingulari Chriſti facto, & rationem illius ex generali cauſa inſtitutionis poſteà inueſtigabimus.

2. Neque oportet in recenſendis erroribus, qui in hac materia fuerunt, & nunc à Lutheranis, & Caluiniſtis, cæteriſq; Proteſtantibus pertinaciter defendũtur, immorari, quia & notiſsimi ſunt, & nũc ſolùm de Anglicana ſecta tractamus, cuius caput, & defenſor, euiſdem Anglię Rex ſæpe in ſua Præfatione contendit, Chriſtum non dediſſe Petro maiorem, quàm cæteris Apoſtolis poteſtatem, & pag. 22. & 24. & pręſertim 58. in alios ſenſus verba Scripturæ detorquere conatur. Sed illius fundamenta poſteà expendemus, nũc priùs catholica veritas ſtabiliẽda eſt. Et quoniam quàm plurimi Catholici, & eruditiſsimi viri in hac veritate confirmanda diligentiſsimè laborarunt, operępretium non erit, omnia, quæ illi dixerunt, tranſcribere, & in hunc locum cõgerere, ſed pauca quædam, quæ iudicio noſtro ſelectiora, & efficaciora videbũtur, ex illis mutuabimur, & qua potuerimus breuitate, & perſpicuitate proponemus.

3. Concluſio de fide.

Dicimus ergo, Chriſtum Dominum inſtituendo Eccleſiam ſuam militantem, priùs quàm quoad viſibilem pręſentiam corporalẽ eam relinqueret, illam Petro tanquã Vicario ſuo, ac ſupremo Paſtori cõmendaſſe, ac ſubinde ſupremam ſpiritualem poteſtatem ad gubernandam illã A ei contuliſſe. Concluſio eſt certa de fide, quam præcipuè probabimus gemino illo teſtimonio, quo non ſolus Bellarminus, quẽ in hoc Rex Angliæ reprehendere auſus eſt; ſed omnes Pontifices, & Patres eandẽ veritatem confirmarunt.

Probatur cõcluſio ex promiſsione Chriſti. *Matt.* 16.

Primum eſt illud Matt. 16. vbi Chriſto quærenti, *Quẽ dicunt homines eſſe filium hominis?* cũ Petrus reſpondiſſet, *Tu es Chriſtus filius Dei viui,* Chriſtus dixit illi, *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro, & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt,* & *ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper* B *hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebũt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cœlorũ, & quodcũq; ligaueris ſuper terrã, erit ligatũ & in cœlis, & quodcũq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis.* Hæc fuit Chriſti promiſsio, qui fallere non poteſt in promiſsis, & ideò dubitari nõ poteſt, quin poſteà impleuerit, quod tunc promiſit. Videamus autẽ, cui promiſerit, & quid promiſerit: nam ſi hæc duo plenè, & fideliter intelligantur hoc ſolum teſtimonium ad aſſertionem confirmandam ſufficit.

4. Prædicta promiſsio Petro in propria perſona facta eſt.

Primò ergo euidẽs eſt ex tenore ver- C borum, promiſsionẽ eſſe factam Petro in ſua propria perſona, tot enim circunſtantijs deſignata eſt, vt de hoc dubitari non poſsit. Primò enim Euangeliſta retulit Simonẽ Petrum confeſsionem diuinitatis Chriſti feciſſe. Neq; exiſtimo vacare myſterio, quòd Euãgeliſta vtrũq; nomen cõiunxit *Simon Petrus.* Nã priùs Petrus vocabatur Simon, vt cõſtat Ioan. 1. Vnde quia hoc erat quaſi proprium, & primæuum nomen Petri, in negotio tam graui omitti nõ debuit, nomen autẽ Petri à Chriſto fuit illi impoſitum Ioan. 1. & hic adiunctum eſt, tum propter tol- *Ioan.* 1. D lendam omnem ambiguitatẽ, quia alius etiam Apoſtolus Simon vocabatur, tum propter myſterium, quod ſtatim Chriſtus declarauit. Deinde addit Euãgeliſta, Chriſtum ad eundem eſſe loquutũ. Et vt hoc magis eſſet teſtatum, Chriſtus iterũ eodem nomine illũ appellat, dicens, *Beatus es Simon;* & quia nomen Petri ad myſterium explicandum reſeruabat, ne nomen Simonis videretur ambiguum, addidit aliam circunſtantiam propriam illius perſonæ, dicens, *Bar Iona,* id eſt filius Ionæ, ſeu Ioãnis, ſicut idem dixerat

Ioan.

Ioan.1. Ioan. 1. *Tu es Simon filius Iona.* Nominauit autem Chriſtus Simonem in dicto loco, ſimul laudando illum, vt inde etiã intelligi poſſet; qualis eſſet promiſsio, & Hilarius. cui fieret: erat enim remuneratiua, & illi facienda erat, qui laudem in confeſsione meruerat. Sicut Hilarius ibi canon. 26. dixit, *Et dignum planè confeſsio Petri præmium conſequuta eſt, quia Dei filium in homine vidiſſet*, & Hieronym. ibid. *Teſtimonio de ſe Apoſtoli reddit vicem, Petrus dixerat, Tu es Chriſtus filius Dei viui, mercedem recepit vera confeſsio, Beatus es Simon Bar Iona.* Volens ergo Chriſtus non ſola laude, ſed etiam mirabili promiſsione Petrũ Hieron. remunerare, ſubiũgit, *Et ego dico tibi*, vbi rectè Hieronymus, *Quia tu mihi dixiſti, Tu es Petrus, &c. & ego dico tibi, non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe, feciſſe eſt.* Illa ergo particula *tibi*, eandem perſonam Simonis deſignat, ad illam ergo verba Chriſti diriguntur, illi ergo fit promiſsio. Maxim. Homil. 1. in Natali Petri, & Pauli, & Proſp. lib. 2. de Vocat. Gen. c. 28.

5. In verbis autem Chriſti conſidero, quædã eſſe tantùm affirmatiua per modum indicatiui, *Tu es Petrus*, alia prædictionem, & promiſsionem continentia, ſcilicet, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo, &c.* Prima ergo affirmatio eò etiã tendere potuit, vt magis exprimeretur perſona, de qua futura erat prædictio, & cui fiebat promiſsio. Cõmemorare ergo voluit Chriſtus hũc Simonem eſſe illum, cui multò anteà dixerat, *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Simulque (vt exiſtimo) indicare voluit Chriſtus, quam ob cauſam nomen Petri Simoni impoſuerit, nimirum, propter firmiſsimam, & immobilem fidem, quã recepturus erat, cuius primam, & inſignem confeſsionem tunc effecit, & ideò audire meruit, *Tu es Petrus.* Vnde rectè Ambr. Ambroſius ſerm. 6. de Varijs actionib. *Cùm vocaretur* (inquit) *Simon, per hanc deuotionem vocatus eſt Petrus.* Imò addit, quia Chriſtus eſt petra, *cum fideli Simone nomen ſuum communicaſſe.* Quod etiam attigit Chryſoſtom. Homil. 10. in Marcum. Optimè verò Cyrill. libro 2. in Ioan. cap. 12. adnotat, præuidiſſe Chriſtum futuram Petri fidem, & ideò illi

A dixiſſe vocaberis *Cephas, id eſt, Petrus, vocabulo ipſo commode ſignificans, quod in eo tanquam petra, lapideque firmiſsimo ſuã eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Denique addit Chryſoſt. Homil. in Pſal. 50. in prima eius parte paulo poſt principiũ, *proptereà Petrum à Chriſto appellatum, quia ſaxea fide præditus erat.* Vbi etiam bis illum appellat *baſim fidei*, & Homil. 9. de Pœnit. *Cum Petrum dico, Petram nomino indebilem, non ſe, crepidinem immobilem, &c.* ſignificans, Chriſtum vocaſſe Simonem Petrum propter immobilitatem, non quam in ſe, aut ex ſe haberet, ſed quam B in fide accepturus erat, & ideo alibi *fidei petram firmam, & ſolidam*, illum appellat. Quæ omnia eleganter complexus eſt Leo Pap. ſerm. de transfigur. cap. 1. dicens de Petro. *Tantumque in hac fidei ſublimitate complacuit, vt beatitudinis fœlicitate donatus, ſacrã inuiolabilis Petræ acciperet firmitatem, ſuper quã fundata Eccleſia portis inferi, & mortis legibus præualeret.* Chryſoſt. Leo Papa.

Vnde vlterius clare intelligitur, quid deſignauerit Chriſtus, cum dixit, *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* 6. Nam ſine dubio eundem Petrum deſignauit, vt frequentius antiqui, & grauiſsimi Patres intellexerunt, & ex contextu C apertè conſtat. Ideò enim Chriſtus prius illi dixit, *Tu es Petrus*, vt ad eundẽ ſtatim diceret, ſuper ipſum ſe ædificaturum Eccleſiam, & ad hoc munus illum per ſuam gratiam petram effeciſſe. Deinde oſtenſum eſt, illa verba cum ſequẽtibus continere promiſsionem remuneratiuam; ergo eidem fit, qui propter bonam confeſsionem beatificatus eſt, & nomen Petri meruit; ergo idem per vocẽ, *hanc Petram* deſignatur. Quod fiet euidentius ſi conſideretur, Chriſtum non D eſſe vſum voce *Petri*, vel *Petræ*, tanquã diuerſi generis. Vnde ſi Chriſti verba hoc modo Euangeliſta retuliſſet, *Tu es petra, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; nemo dubitaret, quin illæ particulæ. *Tu, & hanc*, eandem petram, atque adeo eandem perſonam diſignarent; at Chriſtus ita locuutus eſt, & Matthæus etiam Hebraicè, vel Syriacè ita ſcripſit, nam in illis linguis vox fœminina, & maſculina Petri, aut Petrę nõ diſtinguuntur, & ita vtroq; loco habet *Petra* Syriaca verſio, Gręcus autẽ, & Latin⁹

interpres perſonæ Petri, quia vir erat, maſculinum nomen accõmodarunt, fundamentum autem ædificij fœminino nomine petram appellarunt, quia in his linguis ita ſolet cum proprietate vocari.

7. Præterea per illud ſignum *hoc*, vel *hæc*, deſignari ſolet res ſingularis præſens, ibi autem non erat alia res nomine petræ ſignificata, & cui iam nomen petræ tanquam proprium, & ſine metaphora, eſſet impoſitum, niſi perſona Petri; ergo illũ ſine dubio deſignauit Chriſtus, dicens, *Super hanc petram.* Nam vt omnis occaſio errandi; imò & dubitandi tolleretur, pręmiſit, *Tu es Petrus*, quaſi præ oculis ponens eum, quem deſignare volebat. Prętereà cùm Chriſtus proximè ſubiunxit. *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, quis dubitet, per pronomen *Tibi*, Petrum deſignaſſe? & ad illum eſſe loquutum, cùm ad illum à principio ſermonem ſuum direxerit, & eodem tenore ſemper cum eodem fuerit loquutus? ergo etiam cùm dixit, *Et ſuper hanc petram*, de eadem perſona loquutus eſt. Denique quia non eſt credibile, in tam claro, & continuo contextu Chriſtum nunc ad Petrum loqui, deinde rem aliam per pronomen *Hanc*, deſignare, & ſtatim ad Petrum redire. Sic enim incerta, & ambigua eſſet tota ſententia, & promiſsio, & ſuperuacanea fuiſſet diligentia tot modis, & circunſtãtijs determinandi perſonam, cui promiſſio fiebat.

8. Atque ita intellexerunt hunc locum quoad hanc partẽ de perſona, cui fit promiſsio, in primis omnes Pontifices Romani, qui hoc punctum attigerunt, præſertim Clemens epiſt. 1. ad Iacobum, & Anacletus epiſt. 2. & 3. Leo ſuprà, & ſer. 2. & 3. in die aſſumptio. ſuæ. & epiſt. 89. cuius alia verba in ſequẽtibus referemus, & multa ex Gregor. adduximus lib. 1. cap. 6. & plura congerit Gratianus in ſuo decreto diſt. 12. 21. & 22. & in ſequentibus plura referemus, in quibus Pontifices ſuum primatum non in humano, ſed in diuino iure fundant, ob ſucceſsionem Petri, ad quem Dominus promittendo, in hoc teſtimonio loquutus eſt.

Eadem veritas ex ſummis Pontificibus confirmatur.
Clemens.
Anaclet.
Leo Papa.
Gratian.

9. Et eodem modo hæc verba intellexerunt alij Sancti Epiſcopi, & antiquiſsimi Doctores Eccleſiæ Cyprianus epiſt. 55. ad Cornelium, dicens, in Petro fũdatam

Idem ex Patribus oſtenditur;
Cyprian.

A eſſe Eccleſiam, & eodem modo loquitur epiſt. 69. 71. & 73. & alijs locis, quæ ſuprà lib. 1. cap. 5. & 6. adnotauimus. Item Hilarius cano. 16. in Matt. vbi poſt verba ſuprà citata, *Dignũ planè confeſsio Petri præmium conſequuta eſt*, ſubiungit, *O in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, &c.* Idem habet libr. 6. de Trinit. & Pſalm. 131. Ambroſ. lib. 4. de Fide cap. 3. *Habes* (inquit) *in Euangelio quod Petro dixit, Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, eidem autem ſuprà dicenti, Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpondit, Tu* B *es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* & ſubiungit verba valde notanda, *Ergo cui propria authoritate regnum dabat, huius fidem firmare non poterat? quem cùm petram dicit, firmamentum Eccleſiæ indicauit.* Idem optimè Pſal. 40. circa finem, *Ipſe* (inquit) *eſt Petrus, cui dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.* & addit, *vbi Petrus, ibi Eccleſia.* Idem latè ſerm. 6. ſuprà citato, & ſerm. in Cathedram Sancti Petri, & ſerm. 11. de Sanctis. Latè etiam Auguſt. ſerm. 29. de Sanctis, qui eſt quintus Sãctorum Petri, & Pauli, *Solus inter Apoſtolos meruit audire, Tu es Petrus, & ſuper* C *hanc petram ædificabo Eccleſiam meã. Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis eſſet ad fundamentum, columna ad ſuſtentaculum, clauis ad regnum*, & multa ſimilia habet in ſerm. 16. qui eſt de Cathedra Petri, & ſerm. 49. de Verb. Dom. cap. 3. & lib. 2. de Baptiſm. cap. 1. referẽs hęc verba Cypriani, *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*, adiungit, *Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, à poſteriori Apoſtolo Pau*- D *lo eſſe correctum, &c.*

Hilar.
Ambroſ.
Auguſt.

Optimè etiam Pacianus epiſtol. 3. ad Sympronian. circa mediũ, *Ipſo* (inquit) *referente Matthæo ad Petrum loquutus eſt Dominus, ad vnum, ideò, vt vnitatem fundaret ex vno*, & ſtatim refert verba *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Supra etiam retuli Cyrillum Alexandrin. & Chryſoſtomum, quibus addi poteſt Cyrillus Hieroſolymit. catecheſ. 18. dicens, *Ordinauit Saluator noſtram ſanctam Eccleſiam Chriſtianam, de qua dixit Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo* 10.

Pacian.
Cyrill. Hieroſol.

bo Eccleſiam meam. Et Nazianz.orat.26.
Nazianz.
Vides (inquit) *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat* Item Baſilius in cap.2.Iſai.
Baſil.
cum dixiſſet Eccleſiam fuiſſe ædificatã in Prophetis, & Apoſtolis, ſubdit, *Quorum vnus erat Petrus, ſuper quam petram pollicitus fuerat ſuam ſe ædificaturum Eccleſiam.* & lib. 2. contra Eunomium circa principium de Petro ait, *qui quoniam fide præſtabat, Eccleſiæ commiſſam ſibi ædificationem ſuſcepit*, & Homil. 29. quæ eſt de Pœnitentia, *Petrus tertiò abnegauit, & collocatus eſt in fundamento*, Et infrà. *Petrus dixerat iam anteà, & beatus pronuntiatus fuerat, dixerat: Tu es filius Dei excelſi, & vicißim audierat, ſe eſſe petram, ita laudatus à Domino: licet enim petra eſſet, non tamen petra erat vt Chriſtus. Vt Petrus petra erat. Nã Chriſtus vere eſt immobilis petra, Petrus vero propter Petram. Axiomata nanque ſua Ieſus largitur alÿs: largitur autem ea non euacuatus, ſed nihilominus habens. Lux eſt. Vos eſtis lux mundi, inquit, Sacerdos eſt, & facit ſacerdotes. Ouis eſt, & dicit. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Petra eſt, & petram facit. Quæ ſua ſunt, largitur ſeruis ſuis.* Similiter Epipha.
Epiphan.
in Anchorato non longè à principio de Petro loquens ſub nomine Principis Apoſtolorum ſubiungit, *Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum, petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & cæt.*

11. His Patribus accedunt alij exponentes Matthæum, Theophylact. & Euthymius ſequentes Chryſoſtomũ, ſed præcipuè Hieronymus, dicens, *Simoni, qui*
Hierony.
credebat in Petram Chriſtum, Petri largitũ eſt nomen, ac ſecundum metaphoram petræ recte dicitur ei, Aedificabo Eccleſiam meam ſuper te. Non potuit ſanè literalis ſenſus verius, aut clarius explicari. Vnde alijs locis ſæpe dicit, Eccleſiam Chriſti ſuper Petrum fuiſſe fundatam, Dialog. 1. contra Pelagian. aliquantulum à principio, & Epiſt. 54 & 57. & lib. 1. contra Iouiuian. prius Petrum *Petram Chriſti*, appellat poſtea verò tacite occurrẽs obiectioni, & rationem declarans, inquit, *Super Petrum fundatur Eccleſia, licet id ipſũ in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, &*
A *cuncti claues cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Vbi eſt attentè conſiderandum, inter Apoſtolos & æqualitatem quandam, & caput nihilominus conſtituere. Aequalitas enim eſt in Apoſtolatu, in certitudine doctrinæ, ſuper quam fortitudo Eccleſiæ ſolidatur, & in vniuerſali clauium poteſtate: caput autẽ vnum, quod propter tollenda ſchiſmata poſitum eſt, authoritatem, & iuriſdictionem Petri in
B alios etiam Apoſtolos indicat, & perpetuitatem poteſtatis, ſine qua concordia ſchiſmatibus contraria perpetua in Eccleſia eſſe non poſſet.

Similemque ſententiam habet Leo 12.
Papa Epiſt. 89. cap. 1. dicens, *Huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium* Leo Pap.
Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in Beatißimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in con-
C *ſortio indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei, in Petri ſoliditate conſiſteret.* Denique apud alios Patres frequens eſt. vt Petrum hac ratione vocent Eccleſiæ catholicæ fundamentũ, Petram Eccleſiæ, Pontificem Eccleſiæ primum. Vt videri poteſt in Iſidoro lib. 2. de Offici. Eccleſiaſtic. cap. 5. & libr. Iſidor.
de Vit. & mor. Sanctor. cap. 69. & alijs Petr. Chryſolog.
locis, quæ lib. 1. cap. 6. indicauimus. Et
Petr. Chryſolog. ſerm. 107. Laurent. Laurent.
D Iuſtinian. lib. de Obed. cap. 12. Tertull. Iuſtin.
ſæpe antequàm in hæreſim incidiſſet, Tertull.
eiſdem modis de Petro loquutus eſt, vt in lib. de Præſcript. cap. 22. & lib de Monogamia cap. 8. A qua ſententia etiam factus hæreticus non diſceſsit, quanuis illam aliquo modo corruperit lib. de Pudicitia cap. 25. vt cap. 17. commodiùs animaduertemus.

Nemo igitur dubitare poteſt, quin Petro facta ſit illa promiſsio, ſupereſt iã 13.
explicandum, quid illi promiſerit. Duplex enim in verbis videtur eſſe promiſsio,

miſsio, vna de fundamẽto Eccleſiæ; alia de poteſtate ligandi, & ſoluendi: exiſtimo tamen, eſſe eandem, prius per metaphoram, & poſteà per verba magis propria explicatam. Cum ergo Chriſtus dixit, fundaturum Eccleſiam ſuper Petrũ promiſit Petro, effecturum ipſum Eccleſię fundamentum adeo firmum, & immobile, vt & totam Eccleſiæ molem ſuſtinere poſſet, & cum tanta firmitate, vt cadere nunquam, aut ruere poſſet. Hinc Ambroſius in dicto lib. 4. de Fide cap. 3. dicens in verbis ſupra allegatis, *cui propria authoritate regnum dabat*, ſignificat, Chriſtum ibi promiſiſſe Petro regnum Eccleſiæ, & quia hoc regnum & fide cõſtituitur, & perpetuum eſſe debet, ideo addit Ambroſius, potuiſſe etiam Chriſtum firmare fidem Petri, & illum firmamentum Eccleſiæ conſtituere, indicans, hoc totum in illis verbis fuiſſe Petro promiſſum. Quod etiam declarauit ſerm. 2. ex varijs, qui eſt de Cathedra Petri, dicens, Petro eſſe promiſſum, vt *tanquam ſaxum immobile totius orbis Chriſtiani cõpagem, molemq́, contineat*. Et ſimilia fere habet Auguſtin. dicto ſerm. 16. de Sanctis Hieronymus vero dicto lib. 1. contra Iouinian. ſentit ibi eſſe promiſſum Petro, futurũ fuiſſe caput Apoſtolorum, Cyprianus autem cum Auguſtino dicto lib. 2. de Baptiſm. cap. 1. Primatum Eccleſiæ ſentiunt, ibi eſſe Petro promiſſum. Chryſoſt. etiam Homil. 55. in Matthæ. dicit promiſſum eſſe Petro, fore Eccleſiæ Paſtorem. Hæcque omnia in idem recidunt,

Petrus Mat. 16. in Eccleſiæ fundamentũ deſignatus fuit.

Probatur ex patribus. *Ambroſ.* *Auguſt.* *Hierony.* *Cyprian.* *Chryſoſt.*

14. Probatur ratione.

Ratio denique metaphoræ eſt, quia ſingularis aliqua dependentia Eccleſiæ â Petro per illam metaphoram ſignificata eſt, quæ nõ poteſt in alio conſiſtere, niſi quia dãda erat Petro ſingularis poteſtas ad inſtruendam, & regendam Eccleſiam in fide, & moribus, à qua tam ædificatio quàm conſeruatio Eccleſię perpetuò pẽderet. Vt ſi nauis dicatur fundata in aliqua perſona, ſtatim per metaphoram intelligitur pendere ab illa tanquam â gubernatore, & nauclero, & ſic etiam regnum dicitur in Rege fundari, & è conuerſo Rex dicitur fundamentum regni. Quocirca licet metaphora fundamenti, vel Petrę alios etiam poſsit habere vſus, & ſignificationes, tamen accommodata

A ad hunc locũ & has circũſtãtias, nulla præter hanc poteſt eſſe accõmodata, & ideò Patres, & Eccleſia ita illam intellexerũt.

Vt verò rem apertius explicaret Chriſtus, addidit aliam metaphoram, & explicationem eius, dicens, *Tibi dabo claues Regni cœlorum*, ſolet enim nomine clauis poteſtas Regia, ſeu regendi ſignificari, vt patet Iſai. 22. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius*, id eſt, Principatum, ſeu Põtificatum, vel poteſtatẽ, de qua paulò anteà dixerat, *Poteſtatem tuam dabo in manu eius*, Chriſtus ergo promittens claues regni cœlorum Petro, nihil aliud promiſit quàm poteſtatem regendi Eccleſiam, B quæ in terra eſt regnum ſpirituale tendens ad regnum cęlorum cõſequendum, & ideo per poteſtatem quandam cœleſtem gubernanda eſt. Quam poteſtatem per verba ſatis propria ſtatim explicauit Chriſtus dicens, *Et quodcũque ligaueris ſuper terram, &c.* his enim verbis expreſsè promiſit Petro ſingularem poteſtatem ligandi, atque ſoluendi, quæ poteſtas nõ eſt alia, niſi poteſtas leges ferendi, quę homines ligent, ſeu obligent, vel etiam puniendi, aut cenſuras ferendi, aut ſimilia onera imponendi, vel auferendi, vt patet, C tum ex communi vſu talium verborum, tum ex ſimilibus verbis Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis, & cæt.* Et ex alijs Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, & cæt.* Ergo claues illę non aliud per metaphoram ſignificant, niſi poteſtatẽ ſpiritualem ad regendam Chriſti Eccleſiã in ordine ad regnũ cœlorum conſequẽdum. Ex hoc ergo loco manifeſtê probatur primatus Petri, quanuis hæretici varijs obiectionibus, & euaſionibus illum obſcurare nitantur, quibus in ſequenti capite reſpondebimus, ne veritatis D poſitæ cõfirmationẽ intermittamus.

15.

Iſai. 22.

Chriſtus per claues ſupremã ſpiritualem poteſtatem Petro cõtulit.

Matth. 18

Ioan. 20.

Omnia igitur, quæ de prædicta Chriſti promiſsione diximus, ex alijs Chriſti verbis Ioan. 21. maximê confirmantur, & ex vtroque loco ſimul ſumpto, & inter ſe collato euidentiſsima fit veritatis teſtificatio. Nam quod Chriſtus promiſerat, ad Patrem aſcenſurus impleuit, dicens Petro, ſemel, & iterũ, *Paſce agnos meos*, & tertio, *Paſce oues meas*, per quæ verba curã, & gubernationẽ totius Eccleſiæ illi cõmiſit, & Vicarium ſuum illum conſtituit, & tunc planê claues regni cœlo-

16. Confirmatur eadẽ aſſertio ex Io. an. 21.

cœlorum & poteſtatem ligandi, atque ſoluendi proprio, & peculiari modo illi tribuit, ſicq; ſuper humeros eius tanquã ſuper firmum fundamentum, & ſaxum immobile Eccleſię ædificium impoſuit. Quæ omnia facile perſuaderi poſſunt, ſi totum Chriſti factum, eiuſque verba pura intentione, & mente conſiderentur. Prius enim, quàm Chriſtus Petrum Põtificem Summum crearet, ter illũ interrogauit, *Simon Ioannis diligis me plus his?* & *dilligis me?* ſeu *amas me?* per quod in primis ſignificare voluit, aliquid magnũ, & excellens, & ſibi maximè charum voluiſſe Petro commendare, ſuam nimirũ Eccleſiam, quã ipſe maximè diligebat, pro qua ſeipſum tradidit, & Patrem, ac matrem reliquit, vt oſtendit Paulus ad

Epheſ.5. Epheſ.5. Deinde manifeſtato amore Petri erga ipſum dixit illi Chriſtus, *Paſce oues meas.* Per quæ verba contendunt hæretici nullam poteſtatem eſſe datam Petro, ſed ſolùm præceptũ prædicandi verbum Dei, quod eſt animarum cibus. Sed

Reijcitur quædam hæreticorũ expoſitio. *Ioan.20.*

eſt vana, & ridicula expoſitio, nam de miſsione ad prædicandum iam Chriſtus dixerat Ioan.20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos,* & dicturus erat poſteà in diſceſſu ſuo, *Euntes docete omnes gentes:* quid ergo neceſſe erat pro ſolo munere prædicationis tam ſingulariter cũ Petro agere, tantumque pondus verborum, & interrogationum præmittere?

17. Quid verbũ paſcendi in Scriptura ſignificet.

Deinde, verbũ *paſcendi* eo modo, quo ibi à Chriſto vſurpatum eſt, non ſolũ, ſignificat actùm (vt ſic dicam) miniſtrandi cibos, ſed etiam munus, & ſolicitudinẽ procurandi omnia, quæ & ad nutriendas oues, & ad illas regendas, tuẽdas, & in vita conſeruandas pertinent. Denique omnia, quæ ſunt paſtoralis muneris comprehendit. Perinde enim fuit, Petro dicere, *Paſce,* ac dicere Paſtorem mearum ouiũ te relinquo. Bonus autem paſtor, (vt ipſemet Chriſtus dixit Ioann.10. *Intrat per oſtium, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & ante eas vadit, & eum oues ſequuntur, quia ſciunt vocem eius.* Et infrà. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis,* & vt ibidem ſignificat, non ſe gerit ſicut mercenarius, qui cum nõ ſit paſtor, videt lupum venientẽ, & dimittit oues, & fugit; ergo ex Chriſti ſententia ad munus Paſtoris intrantis per oſtium, id eſt,

A per ipſummet Chriſtum, vt ipſe explicuit, ſeu (quod idem eſt) ab ipſo ſuper gregem ſuum conſtituti, pertinẽt nõ ſolum cibum miniſtrare, ſed etiam cuſtodire, & regere, & omnia alia, quæ paſtoralis cura requirit: non ergo ſolam verbi prædicationem, ſed totam hanc curam gregis ſui Chriſtus Petro commendauit. Et ſine dubio hæc eſt maximè vſitata ſignificatio illius verbi in ea metaphora vſurpati, non ſolùm in communi loquendi modo, ſed etiam in Scriptura Sacra, vt patet ex illo 1.Petr.5, *Paſcite, qui in vo-* *1.Pet.5.*

B *bis eſt gregem Dei, prouidentes nõ coacte, ſed ſpontaneè ſecundum Deum,* vbi *paſcere* ſine dubio non ſignificat tantùm prædicare: nam per ſolam concionem non ſolet fieri coactio, ſed ſignificat regimen ſeu gubernationem, quæ interdum nimis violẽta eſſe ſolet, & ideò ſubiungit, *Non dominantes in cleris.* Similiter. *Verbum prouidentes,* manifeſtè oſtendit, Petrum eſſe loquutum de prouidentia, & ſolicitudine Paſtoris in regendis, & cuſtodiendis ouibus, & non de ſola verbi prędicatione. Sic etiam 2.Reg.5. *Tu paſces populũ meũ* *2.Reg.5.*

Iſrael, in cuius explicationẽ additur, *Tu*

C *eris dux ſuper Iſrael,* & cap.7. *Nunquid loquens loquutus ſum ad vnam de tribubus Iſrael, cui præcepi, vt paſceret populum meum Iſrael,* quod ſtatim declaratur per illa verba. *Ego tuli te de paſcuis ſequentem greges, vt eſſes dux ſuper populũ Iſrael.* Et de Chriſto dicitur Iſai,40. *Sicut paſtor gregem ſuũ paſcet,* & infinita ſimilia ſunt in Prophetis; ergo hoc ipſum ſignificauit Chriſtus Petro, cùm illi oues ſuas paſcendas commiſit. *Iſai.40.*

18. Poteſtas Petri ad totã Eccleſiã extenditur.

Ac deniq; cũ oues indefinite poſuit omnes abſq; dubio ſine diſcrimine cõprehẽdit, quia in ſimilib⁹ locutionib⁹ indefi-

D nitus ſermo ęquiualet vniuerſali, & quia nulla eſt maior ratio de his, quàm de illis ouibus talia verba interpretandi. Imò, quia ibi nominatim diſtincti ſunt agni, & oues, Euthymius exiſtimat, ſignificatum eſſe, nõ ſolum imperfectos, ſed etiã perfectos Petri curæ fuiſſe ſubiectos. Bernardus autem libr.2. de Conſiderat. ad Eugeniũ exponit, non ſolum communem plebem, ſed etiam Prælatos, & Epiſcopos vſque ad ipſos etiam Apoſtolos Petro cõmẽdatos, & ſubiectos fuiſſe. Vnde ſic ait cap.8. *Non modo ouium, ſed* *Euthym.* *Bernard.*

&

& Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probẽ, quæris? Ex verbo Dñi. Cui enim, *non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorũ ſic abſolutè, & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, paſce oues meas, Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni. Oues meas inquit. Cui non planum, nõ deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri cõdiſcipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege, & vno paſtore, ſecundũ illud, vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas ibi perfectio.* Quibus verbis egregiè Bernardus prædictum ſenſum confirmauit, & locupletauit.

19. Tradita expoſitio verborũ Chriſti ex Patribus confirmatur.

Neque noua eſt, aut recens hęc interpretatio, eodem enim modo veteres Patres dicta Chriſti verba intellexerunt. Nam Leo Papa ſerm. 3. Aſſumptionis ſuæ in eandem ſententiam dixit, *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarũ gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, quamuis in populo Dei, multi Sacerdotes ſint, multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Chyſoſt. homil. 87. in Ioann. *Quid tandem*, ait. *alijs omiſsis, de his duntaxat Petrum affatur? os erat Apoſtolorũ, & Princeps, & vertex ipſius cætus, propterea & Paulus cum præter alios viſurus aſcendit, ſimul vt ei oſtenderet, iam ſibi fiduciam habendam, tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit.* Et infrà. *Ter autẽ interrogat, & ſæpe idem præcipit, vt demonſtret, quanti ouium ſuarum curam faciat, & quod hoc maximum ſit amoris argumentum.* Cyrillus item lib. 11. Ioan. cap. 64. *In ſingulis*, inquit, *confeſsionibus, variatis parũper verbis, audiuit, rationalium ouium curã ſibi eſſe habendam.* Et ſimiliter Auguſtin. tract. 123. *Nec aliud totiens audit à Petro, quàm ſe diligi, nec aliud totiens commendat Petro, quàm ſuas oues paſci.* Quid autem ſit paſcere oues Chriſti, paucis verbis in fine eiuſdem tractatus declarat, dicens, *debere eos vſq; ad ſanguinem pro veritate certare, quibus oues ipſas paſcendas, regendasq; cõmittit.* Et ſerm. 62. de Verb. Domini, explicans eadem verba, *Paſce oues meas. Pertineat* (inquit) *ad nos cura, ad vos obedientia, ad nos vigilantia paſtoralis, ad vos humilitas gregis, &c.* vbi verbo, *Paſcendi*, verbũ *obediendi* Opponit. Intellexit ergo, paſtoralem curam non conſiſtere tantùm in docendo, ſed etiam in regendo, & pręcipiendo, & hanc eſſe commiſſam Petro ſuper totam Eccleſiam. Sicut etiam dicit ſerm. 49. de Verb. Domini, *dicit Dominus Petro, in quo vno format Eccleſiam, Petre amas me? Reſpõdet, amo, paſce oues meas.*

Leo Papa. Chryſoſt. Cyrill. Auguſt.

Et item Ambroſius ſerm. 48. de Tempore in feriam 3. hebdomadæ ſanctę, eũdem locum tractans, ait. *Qui ante lachrymas præuaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos accepit, qui prius ſeipſum non rexit.* Et in dicto ſermo. 1. de Sanctis, ſeu de cathedra Petri, *Tanquam bonus Paſtor* (inquit) *tuendum gregem accepit, vt qui ſibi infirmus fuerat, fieret omnibus firmamẽtum.* Vbi ad vtrũq; teſtimonium alludit, & alterum cum altero cõiungit. Et ad Galat. 1. declarat, per verbum, *paſcendi*, delegatam eſſe Petro curã Eccleſiarũ, dicens de Paulo, *Dignũ fuit, vt cuperet videre Petrũ, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curãEccleſiarũ.* Deinde lib. 10. in Lucã cap. 24. in fine. *Dominus* (inquit) *non dubitabat, qui interrogabat non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in cœlũ amoris ſui nobis velut Vicarium relinquebat, ſic enim habes, Simon Ioannis diligis me? vtique tu ſcis Domine, quia amo te, dicit ei IESVS. paſce agnos meos.* Et infrà. *Iam non agnos vt primò, nec ouiculas vt ſecundò, ſed oues paſcere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Et lib. 5. de Fide in Prooemio latè eundem locum in eodem ſenſu explicat, dicens, Petrum eſſe ſeruum illũ prudentem, & fidelem, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Idem ferè habet lib. de Dignitate Sacerdotali cap. 2. Vtrumque verò teſtimonium optimè connectit Cyprian. lib. de Vnit. Eccleſ. circa principium, dicens, *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, paſce oues meas. Super illũ vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parẽ poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, &c. Et quorũ remiſeritis peccata, &c. tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram*

20. Ambroſ. Cyprian.

thedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Et infra. *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & cathedra vna mõſtretur.* Et infrà. *Qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

21. Ex epithe- ... veritas ...ultur.

Denique veritatem hanc confirmant varia epitheta, quæ ſolent Patres Petro tribuere ad illud munus explicandum, & poteſtatem, quam â Chriſto in dictis locis recepit. Sic enim vocatur *Caput Apoſtolorum* à Hieronymo lib. 1. contra Iouinian. & Optat. lib. 2. & 7. Cont. Parmeni. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. c. 64. caput, & Principem, & lib. 13. Theſaur. cap. 2. Apicem Apoſtolorum vocat. Dicitur etiam conſtitutus, *Paſtor Paſtorum,* ab Euſebio Emiſſeno in ſerm. de Sancto Ioan. Euangeliſt. & rationẽ reddit, quia *regit ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos, & oues in Eccleſia nihil eſt.* Vnde Iſidor. de Vita, & morte Sanctor. cap. 69. Petrum vocat Paſtorem humani gregis. Item Origen. lib. 5. in cap. 6. ad Roman. circa finem, ait, *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum, velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitas exigitur.* Vocatur itẽ Petrus Chriſti Vicarius in Cõcilio Nicæno can. 39. de quo canone plura dicemus inferiùs. Et Anſelm. Matt. 16 illum vocat principalem Vicarium, quia etiam alij Epiſcopi omnes, qui poteſtatẽ ligandi, & ſoluendi accipiunt, ſunt modo ſuo Vicarij Chriſti, Petrus autẽ eſt principalis. Quem ob eandem rationem ibi vocat Principem Apoſtolorum, quod eſt frequens in alijs Patribus. Et ſic etiã frequenter dicunt, accepiſſe primatum Eccleſiæ, vt eſt apud Ambroſ. 2. ad Cor. 12. & ad Galat. 2. & optimê Beda ex dictis verbis, *Paſce oues meas* in Homil. de Vigilia Apoſtolor. Petri, & Pauli. Ideq; voluit Chryſoſt. Homil. 80. ad populum dicens, *Ei per totum terrarum orbem Eccleſiæ præſidentiam traditam eſſe, ſeu orbis terrarum curam ei eſſe demãdatam,* vt ait homil. 87. in Ioa. Vel *totiùs Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſe,* vt ait Damaſcen. orat. de Transfigurat, vbi ad Petrum ita de Eccleſia loquitur. *Hanc Chriſtus ſuo ipſe cruore comparauit, tibi autem vt fidiſſimo famulo in fi-*

Hierony. Optat. Cyril. Alex. Euſeb. Emiſſ. Iſidor. Origen. Conc. Nic. Anſelm. Ambroſ. Beda. Chryſoſt. Damaſ.

A *dem tradidit.* Et infrà. *Qui te cæleſtis regni clauicularium inſtituit.* Et infra, dicit voluiſſe Chriſtum Petrum adeſſe ſuæ trãſfigurationi, *vt Antiſtitem, qui totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet.* Vnde tandẽ dixit Ephren ſerm. de Transfigurat. ſicut vnus Moyſes Hebræorum Princeps fuit, ita Petrum Eccleſiæ Chriſtianorũ fuiſſe Principem conſtitutum. Et plura videri poſſunt in Gregor. Homil. 21. in Euangel. & lib. 3. epiſtolar, epiſt. 3. aliàs cap. 67. & lib. 1. epiſt. 24.

Ephren. Gregor.

22. Tandem ſi velimus aliquam rationem huius diuini conſilij reddere, oportet, inſtitutionem regiminis ab electione perſonæ ſeparare. Electionis enim perſonæ nullam poſſumus propriam reddere cauſam præter diuinum beneplacitum. Nam licèt Deus ea fide, & charitate Petrum diſpoſuerit, quæ ad tale miniſteriũ ſuſcipiendum dignum illum redderet, vt ex verbis Matthæi, & Ioannis ſupra tractatis manifeſtum eſt; nihilominùs fides Petri nõ fuit prima ratio electionis eius, ſed voluntas Dei, nam quia illum elegerat, ideò illum ita vocauit, vt cooperando vocationi Vicarius Chriſti fieri poſſet digniſsimè. Inſtitutionis autem primatus propria ratio fuit, quam Cyprian. Leo Papa, & alij Patres tetigerunt, vnitas Eccleſiæ, & optimum regimen eius, quia ſi in Eccleſia nõ fuiſſet vnum caput ad quod diuerſa Eccleſię membra recurrerent, facilè per diuerſa ſchiſmata rumperetur, vt etiam Anſelmus ſuprà rectè dixit.

Ratio inſtitutionis Primatus Petri

23. Vt autem optimũ eſſet regimen, oportuit caput hoc vnum eſſe Monarcham; nam Monarchia forma regiminis eſt omnium optima, vt ex Patribus, Theologis Philoſophis, & hiſtorijs eruditè oſtendit Cardinalis Bellarminus lib. 1, de Roman. Pontif. cap. 2. & ſequentibus. Quòd ſi in alijs communitatibus, aut regnis humanis hoc verum eſt, multò certè magis in regimine totius Eccleſię fuit neceſſariũ, quia cùm reſpublica Eccleſiaſtica ſit ampliſsima, & pro vniuerſo mundo ſit inſtituta, non poſſet conuenienter per vnam poteſtatem ſupremam gubernari, niſi talis poteſtas in vno homine reſideret. Nam ſi eſſet in congregatione multorũ, non eſſet in mundo talis poteſtas apta ad regendum, niſi quando tales perſonæ in

Regimẽ Eccleſiaſticũ, Monarchicũ eſſe debet.

vnum

vnum Cõcilium eſſent cõgregaræ. Quo modo ergo poſſet difficultatibus occurrentibus ſubueniri, quando talis congregatio deeſſet, vel à quo poſſet cum efficacia cogi, ſi nullũ eſſet in Eccleſia caput, ad quod huiuſmodi generalis prouidentia, & cura Eccleſiæ perpetuò pertineret? Profectò hæc ratio conuincit primatum Petri fuiſſe moraliter neceſſariũ, eademque conuincit, fuiſſe illum Principatũ nõ pro ſola perſona Petri, ſed perpetuum, vt conuincunt etiam illa verba, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, ſicut in lib. 1. latè probatum eſt, & ſequentibus amplius confirmabitur.

CAPVT XI.

Obiectionibus contra ſuperioris capitis doctrinam ſatisfit.

1. Contra primatum Petri intellectũ in ſenſu à nobis ſuperiori capite declarato, nonnulla in tranſcurſu, & quaſi obiter attingit Rex Iacobus, quibus ſatisfacere neceſſe eſt. Dicit enim ille in pagin. 60. ſuæ Præfationis. *Verum quidem eſſe, Petrum, & ætatis, & temporis, quo à Chriſto vocatus eſt, ratione, vnum ex primarijs Apoſtolis fuiſſe, Principem ordine illorum duodecim, quos primos Chriſtus elegit, & de tribus illis vnum, quos ordinis ſeruandi gratia cæteris præpoſuit.* Et pag. 59. doctrinam, quam Catholicam eſſe oſtendimus, *nuperam*, & *nouitiam* vocare veritus non eſt, Quod apud me argumentũ efficax eſt, Proteſtantes, vel Sãctos Patres non legiſſe, vel regem ſuum turpiter decepiſſe. Nam ex dictis luce clarius conſtat, doctrinam traditam de primatu Petri cum ipſa Eccleſia ortam eſſe, & in verbis Chriſti eo modo intellectis, quo ab antiquiſsimis Patribus expoſita ſunt, eſſe fundatam: nullus ergo, qui nõ ex induſtria fallere, & falli velit (quod de Sereniſsimo Rege credendum nõ eſt) doctrinam hanc nuperam, aut nouitiam vocare poteſt. Loquutus eſt ergo ex deceptione, & veritatis ignoratione, non tamen probabili, vel quæ illum à graui lapſu, & culpa excuſet, cùm poſsit facilè ignorantiam, & errorem depellere, ſi velit. Præter quam quòd ſi Petrum ſatetur eſſe Principem duodecim Apoſtolorum, quid quæſo, eſt quod addit, *Principem ordine*, aut *ordinis ſeruandi gratia*? aut quis eſt iſte ordo, vel in qua excellentia, aut dignitate perſonę fundatus eſt? Omnis enim ordo, vt iuſte, ac prudenter inter àliquas perſonas conſtituatur, fundamentum aliquod excellentię, ſeu exceſſus, aut inęqualitatis in eis requirit, quod conſtituendo ordini proportionatum, & accommodatum ſit.

Petri primatũ nemo nouitatis arguere poteſt.

Petrum nõ poſſe dici Principem Apoſtolorũ niſi ratione ſupremæ poteſtatis.

Si ergo Petrus nullam dignitatem, vel poteſtatem habet maiorem, quam cæteri Apoſtoli, nec iuriſdictionem in illos, 2. ſecundum quem ordinem princeps illorum appellatur? Nam exceſſus ętatis, vel antiquitas vocationis, apud Deũ parui momenti ſunt, apud quẽ ſicut non eſt perſonarum acceptio, ita neque eſt ętatũ differentia: imò in conſpectu illius ſępe ſunt nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. Præſertim, quia non conſtat, Petrũ fuiſſe ſeniorem cęteris Apoſtolis, aut ante omnes vocatum, cùm ſaltem Andreas illum præceſſerit, vt dè vocatione ſumitur ex Ioannis. 1. & de ætate probabile cenſet Epiphan. hæreſ. 51. Neque etiam fundari poteſt ille ordo in gradibus ſanctitatis, nam hoc iudicium Deo reſeruatum eſt, neque hactenus eſt nobis reuelatum, quis Apoſtolorum in vera Sanctitate apud Deum cæteris maior fuerit. Neque item ſatis eſt, quod Chriſtus familiariùs cũ illo egiſſet, & in nonnullis actibus, quibuſdam alijs eum prætuliſſe videatur: nam hac ratione etiam Ioannes dici poterit Princeps ordine: imò & Iacobus, nã fuit vnus ex illis tribus, quos in aliquibus negotijs Chriſtus peculiares ſocios habere voluit. Præſertim quia ſola illa peculiaris fauòris, aut amoris Chriſti oſtenſio non erat ſufficiens fundamẽtum alicuius ordinis inter Apoſtolos per manſuri poſt Chriſti diſceſſũ. Accedit, quòd Rex ſemper loquitur de ordine politico in Hierarchia Eccleſiaſtica, ad quã pręteritus ille fauor, ſeu beneuolentia parũ referebat, neq; prudens aliquis Paulũ reputabit ordine minorem, quia ex illis tribus nõ erat, vel quia Chriſto in mortali corpore viuẽti familiariter nõ adhęſit. 3.

Ioann. 1. *Epiphan.*

Deniq; eo modo, quo Petrus inter Apoſtolos Princeps cenſetur, non ab hominibus, ſed à Chriſto, ac proinde iure diuino illum Principatum habuit; ergo ſi fuit

fuit Princeps ordine, neceſſe eſt, talem ordinem ab ipſo Chriſto creatum, & inſtitutū eſſe; At non legimus Chriſtum in Eccleſia ſua inſtituiſſe dignitates aliquas, quæ propter ſolum ordinem politicū ſpecialem honorē, aut ſedes primas in ſedendo, aut loquendo ſibi vendicent, ſed legimus tantū, 1. ad Cor. 12. Chriſtū poſuiſſe in Eccleſia primū Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertiò Doctores, alios Paſtores, & Doctores, ac denique alias gratias, vel miniſteria diſtribuiſſe: in his autē omnibus nō poteſt dici Petrus Princeps inter Apoſtolos ratione ordinis. Vt ergo quod verum eſt, aſſeramus, cogitatio talis ordinis politici in Eccleſia Chriſti, vt ab ipſo inſtitutæ, nupera eſt, & nouitia, nam ordo ille inter Petrum, & alios Apoſtolos in ſuperiori poteſtate ad regendum, & gubernandum tam illos, quā vniuerſam Eccleſiam in perpetuū fundatus eſt. Et hoc docuit nos Chriſtus, & legimus in antiquis Patribus, reliquæ verò adinuētiones, & nouitates humanę ſunt,

4. Obiectio Regis contra probationem Primatus Petri ex ſcripturis.

Sed in primis inuehitur Rex contra duplicem illam probationē primatus Petri ex locis illis. *Tu es Petrus, &c.* & *Paſce oues meas*. Et priùs quidē quaſi Bellarminum irridens pag. 22. ait, *Nec poſterius diſputationis meæ caput alijs machinis adoritur, quàm illis Chriſti verbis: Paſce oues meas: & Tibi dabo claues Regni cælorum*, Poſteà verò pag. 24. Sic (ait) *nouum, & egregium, ſcilicet, ſenſum his Chriſti verbis affinxit, Paſce, &c. quaſi hoc ſignificarent, tolle, proſcribe, abdica Chriſtianos Principes, atq; Reges. His quoque quodcūq; ſolueris, &c.* Ac deniq; pag. 128. eò progreditur, vt *inuerecundam, ac impudentem vim*, appellet, *illam, quam ſenſum illorū duorum locorū Cardinalis attulit, vt ex eis ſupremam in temporalibus Pontificis poteſtatē ſupra Reges, ac Principes aſtrueret*. In his autem verbis nulla ratio, nullumvè teſtimonium obijcitur, ſed ſolùm conuicia, & Proteſtātium calumniæ, quibus Rex fidem adhibet, proferuntur. ideoq; poſſemus facilè illa præterire; ne autē aliquem, ob rerū confuſionē, & veritatis ignorationē, moueant; falſa à veris diſcernere, & rem totam explicare neceſſarium eſt.

5. Solutio.

Bellarminus ergo, & nos omnes, qui in hac cauſa vnū ſumus, ex illis locis non probamus proximè, & immediate primatum Petri in ciuilibus, ſeu temporalibus, ſed in Eccleſiaſticis, ſeu ſpiritualibus: an vero hæc poteſtas ſpiritualis ad temporalia extendatur, alia quæſtio eſt tractanda, & decidenda, & authoritate Eccleſiaſticæ traditionis, & vi rationis, ex priori fundamento ſupremæ ſpiritualis poteſtatis, prædictis teſtimonijs comprobato. At Rex ita refert Bellarmini probationem, ac ſi teſtimonijs illis *Pontificem abſolutum temporalem dominū regnorum omnium eſſe, & ſuo arbitrio poſſe illa dare, vel auferre probare voluerit*, quòd à vera illius mente longiſsimè diſtat. Vnde in ſua reſpōſione modeſtè, prudenterque interrogat: *Vbi quæſo expoſitionem illam tam inciuilem, & inuerecundam in libello meo vidiſti?* Non igitur ipſe affinxit ſenſum illum Chriſti verbis, qui nunquam in libris eius extat, ſed qui te decepit (ô Rex) eum ſenſum ſine vlla ſpecie veriſimilitudinis affinxit. Igitur ſenſus, quem Bellarminus illis teſtimonijs affinxit, idem eſt cum illo, quo Primatum Petri in ſpiritualibus probauimus, qui vere quidem egregius eſt, & non nouus, ſed communi Patrum antiquorum conſenſu probatus.

Ex Scriptura immediate ſolū primatum Petri in ſpiritualibus, probant catholici.

6. Quādo poſſit Pontifex Principibus temporalibus regna adimere.

Ex hoc verò ſenſu per illationē, & neceſſariā cōſequutionē rectè potuit Bellarminus eiſdē teſtimonijs cōuincere Petri abdicandorū Regū poteſtatē, non quidē omniū arbitratu ſuo, *ita vt, ad libidinē condonare, & adimere regna poſsit*, vt Rex pag. 23. loquitur, ſed hæreticorū, & incorrigibiliū, vel ad illorū dignū ſuppliciū, vel ad ſuarū ouiū neceſſariam defenſionē, ac proinde nō ex dominio abſoluto, vel directa (vt vocant) poteſtate, ſed ex indirecta. Non dicat ergo Rex Angliæ, verba, *Paſce oues meas*, ita à nobis exponi, ac ſignificarent, *Tolle, proſcribe, abdica Chriſtianos Principes*, hoc enim nullus catholicus dixit. Si autē quod verū eſt, ſyncerè teſtatum cupit, dicimus, inter alia multa, quę in illis verbis, & poteſtate per ea data cōtinentur, etiā illud eſſe. *Tolle, proſcribe, abdica hæreticos Reges*, qui emendari nolūt, & ſubditis ſuis in rebus ad fidē catholicā pertinētibus, pernicioſi ſunt. Hic autē ſenſus nullā vim verbis Chriſti affert, ſed neceſſaria cōſecutione ex eis elicitur: nec eſt nouus, ſed perpetua Eccleſię traditione cōprobatus, neque ex illo directa

 poteſtas

poteſtas Petri in temporalibus, ſed tantũ indirecta colligitur, quam à ſuprema ſpirituali poteſtate ſeparari non poſſe oſtendimus.

7. Secunda obiectio.

Pergit autem Rex obijciendo contra expoſitionẽ illorum locorũ, quatenus ad probandam ſingularem Petri ſpiritualẽ poteſtatẽ afferuntur. Et primo argumentari videtur ab authoritate Doctorũ etiã catholicorum, qui varijs modis loca illa ſunt interpretati, vnde Bellarminũ alloquutus pagin. 58. ait. *Sed neque eſt inſcius, quam rationem veteres afferant, cur Sancto Petro potiſsimum oues paſcere Chriſtus mandauerit.* Deinde ipſe approbare videtur expoſitionem dicentiũ, vtrũq; ſcilicet, *Tibi dabo claues*, & *Paſce oues*, Petro quidem dictũ eſſe, ſed ad omnes pertinuiſſe Apoſtolos, quorum ipſe perſonas ſuſtinebat. Quod inde confirmat, quia alibi poteſtas clauium in plurali numero conceſſa eſt Matth. 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Ex quibus verbis colligere vult, clauium poteſtatem non minus cęteris Apoſtolis, quàm Petro fuiſſe collatam, ac proinde non habuiſſe primatũ. Imo multi ſunt ex Proteſtantibus, qui non ſolis Apoſtolis, ſed toti Eccleſiæ poteſtatẽ clauium collatam eſſe velint, quia in dicto loco Matt. 18. Chriſtus dixerat; *Dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, & ſtatim quaſi rationẽ reddens ſubiungit. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlo*: ſignum ergo eſt, loquutum fuiſſe Chriſtũ ad Apoſtolos, vel diſcipulos, prout Eccleſiam repręſentabant, vel virtute continebant.

8. Reſponſio.

Sed quia hæc obiectio vtrũq; teſtimoniũ inuoluit, & non eſt in vtroq; eadem omnino ratio, ſigillatim de illis dicere neceſſe eſt. Et in primis de verbis, *Paſce oues meas*, non inuenio apud veteres Patres diſſentientes ſentẽtias, aut expoſitiones, neque circa perſonam, cui ſingulariter dictum eſt *Paſce*, neq; circa ſignificationẽ verbi *Paſcendi*, neq; circa perſonas nomine ouium & agnorum cõprehenſas. Quãuis enim in exponendis his duabus vocibus vltimis ſit aliqua varietas, an illæ duę voces, *agni*, & *oues* eaſdem, vel diuerſas perſonas ſignificent, re tamen vera nulla

A diſcrepantia eſt, quæ ad præſentẽ cauſam referat. Omnes enim catholici cõueniũt totum Chriſti gregem, cunctaſque oues fuiſſe Petro commiſſas, ſiue ſub ſingulis vocibus agnorũ, & ouium, ſiue ſub vtraque ſimul propter diuerſas proprietates omnes ſignificatę fuerint. Et hinc neceſſario ſequitur, verba illa ad ſolum Petrũ pertinuiſſe, eique non vt gerenti aliorũ perſonam, ſed propriiſsime, & ſpeciatim propter ſingulare munus ipſi cõmiſſum, dicta fuiſſe. Quod ex cõmuni conſenſu Patrum in pręcedenti capite ſatis probatum eſt, & ex contextu ipſo ſatis probari poteſt.

Verba Ioan. 21. Paſce, &c. ad [illegible] Petro [illegible] ſunt.

B Tum quia Chriſtus interrogãdo Petrũ, *Diligis me plus his*, ſatis diſtinxit illum à cæteris, vt tantùm cum propria eius perſona, non vt repræſentante cæteros, ſed vt ab illis diſtincta, negotiũ transigeret. Tum etiam, quia ſub nomine ouium alios Apoſtolos comprehendit, vt ſuprà probatum eſt: ergo verbum *Paſce*, neceſſariò dictum fuit Petro vt ſoli, ſeu vt paſtori ſub aliqua ratione vnicè conſtituto: quia non poterant ſinguli Apoſtolorum ſimul eſſe paſtores eorundem vniuerſorum: Neque ipſorum aliquis
C factus eſt Paſtor Petri, ſicut Petrus cæterorũ omniũ eſt Paſtor conſtitutus.

Neque aliquis veterum Patrum, vt dixi, aliter quoad hanc partem verba illa intellexit. 9.
Quamuis enim nonnulli Patres dicant, quod tunc Chriſtus Petro dixit, cæteris etiam Epiſcopis, & Paſtoribus Eccleſiæ dictum eſſe: intelligunt dictum eſſe in Petro tanquam in exemplari, & conuenire alijs ſecundum conuenientem proportionem. Nam licèt ſolus Petrus ſit vniueſalis Paſtor Eccleſiæ conſtitutus, non excludũtur particulares Paſtores, quorum ſingulis non
D omnes, ſed quædam ex ouibus committantur, iuxta illud, primę Petri. 5. *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei*, vbi particula, *qui in vobis eſt*, particularem gregem determinat, & Acto. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei.* Sicut ergo alij Paſtores ad partem ſolicitudinis cum Petro aſſumuntur, ita intelligere debent, ſibi eſſe dictum, *Amas me? Paſce oues meas.* Non quia quando Chriſtus ſimilia ferè verba protulit, ad omnes particulares Paſtores formaliter loqueretur

1. Petri. 5.

Actor. 20.

quereretur, vel ad Petrum in perſona omnium,ſed quia virtus , & ratio verborum Chriſti in omnibus Paſtoribus cũ proportione locũ habent. Nõ enim poſſunt eſſe rectè diſpoſiti ad paſcendũ gregẽ Chriſti niſi ipſum ament Chriſtũ. Et hoc ſenſu dixit Auguſt. lib. de Agone Chriſtiano. *Cum Petro dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? paſce oues meas.*

Auguſt.

10. Venio ad alium locũ Matt. 16. in quo nõ nulla maior eſt expoſitionũ varietas, præſertim quoad illa verba, *Et ſuper hanc petram*: nam interdũ Patres exponunt, illam particulã, *Hanc* deſignare fidẽ Chriſti Dei, & hominis, ſuper quã dicunt, fundatã eſſe Eccleſiã, vt indicat Chryſoſt. ibi homil. 55. & Hilarius. Frequenterq; alij dicere ſolent, fidẽ eſſe fundamentũ Eccleſiæ. Alii verò exponunt, Chriſtũ dicendo, *Super hãc petram*, ſe ipſum deſignaſſe, quia vt dicitur. 1. ad Corint. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter illud, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, de quo cap. 10. dicitur, *Petra autem erat Chriſtus*. Quam expoſitionem habet Auguſt. tract. 27. & 124. in Ioan. & ſerm. de Verbis Dñi. Veruntamen nullus ex his Patribus, qui aliter hunc locũ expoſuit, negauit, Petrũ eſſe peculiari modo petram. & fũdamentũ Eccleſię, vt ſuprà de Hilario, & Chryſoſtomò, oſtenſum eſt, & idẽ eſt de Ambroſio, & alijs, qui ſolẽt pro expoſitione priori allegari. Nam eiſdẽ locis vtrũq; dicunt, ſcilicet, & Petrũ, & fidem Chriſti, ſeu cõfeſsionem eius eſſe fundamentũ Eccleſiæ. Vtrũq; enim ſub diuerſis rationibus verũ eſt, quia Petrus tanquam Chriſti Vicarius, locũ ipſius abſentis tenens, Eccleſiæ fundamentũ eſt, eãq; ſuo modo poſt Chriſtũ ſuſtinet. Fides autem dicitur fundamentum tanquam ratio fundandi (vt ſic dicã) nam propter fidem ſingularem Petrus factus eſt Eccleſiæ fundamentũ, & per fidem cõſtitutus eſt firma petra ad Eccleſiam fundandã accõmodata. In hoc ergo ſenſu dicti Patres loquuti ſunt, & Chryſoſtom, homil. 2. in Pſal. 50. recte dixit, *Ob robur confeſſionis vocatus eſt Petrus, dicente Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petrã, &c.* Quòd ſi non de fide Petri in ſpecie, ſed de fide in genere ſermo ſit, illa etiã dicitur fundamentum Eccleſiæ, quia eſt prima ratio, & quaſi forma Eccleſiæ membra conſtituens, & vniens. Et hoc modo ſolent interdum illa verba per accõmodationẽ, & in ſenſu myſtico ad totam Eccleſiam, & ſingulos fideles applicari, vt fecit Origen. tract. 4. in Matt. Qui tamen non negat, in proprio, & literali ſenſu ſolum Petrum ibi eſſe à Chriſto nomine *Petræ* ſignificatum, & in fundamentum Eccleſiæ promiſſum, vt ex eodem conſtat homil. 5. in Exod.

Prima expoſitio verborum Matt. 16. Et ſuper hanc petrã. &c.

Chryſoſt.

Hilari.

Secunda expoſitio.

1. Corint.

Auguſt.

Etiã auctores prædictæ expoſitionis Petrũ fundamẽtũ Eccleſię cõſtituunt,

Fundamentũ Eccleſię quomodo Petrum, & fidẽ quadret.

Chryſoſt.

Origen.

11. Altera vero ſentẽtia Auguſtini, quòd Petra ſit Chriſtus, quoad doctrinam per ſe ſpectatam veriſsima eſt, quoad ſenſum autem verborum Chriſti difficilè accõmodari poteſt. Nihil enim veriùs dici poteſt, quam Chriſtum eſſe lapidem angularem, & petram, in qua principaliter Eccleſia fundata eſt. Imò ſolum Chriſtũ per ſe, & virtute ſua Eccleſiæ fundamentum eſſe. Quod verò in dicto loco Matt. de ſe fuerit Chriſtus loquutus, aut dicẽdo, *Super hanc petram*, ſe ipſum ſignauerit: re vera non poteſt literali, ac proprio verborum ſenſui accõmodari, vt ex dictis in ſuperiori capite manifeſtũ eſt. Vnde vel expoſitio Auguſtini non vt literalis, ſed vt myſtica ab ipſo eſt tradita: vel ad pręcedentem expoſitionem reducenda eſt, De Chriſto enim loquitur vt eſt obiectũ fidei, quam confeſſus eſt Petrus, & ita eo modo dicitur, per *hãc petram*, Chriſtus indicari, quo fides, vtique vt ratio, propter quã Petrus factus eſt Eccleſię fundamentũ. Sic autẽ loqui Auguſtinũ de Chriſto ex eius verbis ſumi poteſt. Nam lib. 1. Retract. cap. 21. ſic ait, *Poſteà ſic expoſui, quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. vt ſuper hunc intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus, &c.* Adde, Auguſtinum proponere ſenſum illum non vt certum, ſed vt probabilem, & ad illum motum fuiſſe ex diuerſitate vocabuli Petri, & *Petra*, quæ in re nulla fuit, vt iam dixi. Deniq; Auguſtinus alium ſenſum nõ excludit, multòque minùs de veritate ipſius ſententiæ dubitat, quod Petrus etiam fuerit Petra, in qua fundata ſit Eccleſia, id enim ſæpe docet in locis capite ſuperiori allegatis: in dictoq; cap. 21. lib. 1. Retract. ait, ſenſum illum ore multorum cantari in verſibus Beatiſsimi Ambroſij. *Hoc ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluuit.*

Expeditur, & explicatur expoſitio Auguſt.

12. Poteſtas ligãdi, & ſoluendi perpetua, & in dependens extitit in Petro, in alijs vero dependenter ab illo.

Deniq; quod Rex obijcit de Verbis, *Quæcunq́, ligaueris*, quod alibi in plurali dictum ſit, *Quæcunq́, ligaueritis*, difficultatẽ non habet, nam certũ eſt, & Petrum, & Apoſtolos poteſtatẽ ligandi, & ſoluendi recepiſſe, verũtamen ipſa verborũ differentia oſtendit, aliter Petro, aliter õnibus Apoſtolis poteſtatẽ illam fuiſſe promiſsã. Num Petro promiſſa eſt, vt ordinaria, & vniuerſalis, ac perpetuo in Eccleſia permanſura, alijs verò Apoſtolis data erat, vel ſolũ quaſi delegata pro eorũ perſonis; vel ſi cõſideretur vt in Epiſcopis eorũ ſucceſſoribus permanſura erat, data eſt depẽdẽter à Petro, & per Petrũ, vt Leo Papa, Anſelmus, & alij Patres ſuprà allegati adnotarunt. Et ex circũſtãtijs vtriſuq; loci id manifeſtè colligitur, vt ex dictis in ſuperiori capite ſatis cõſtat. Sicut Ioan. 20. generaliter Petro, & alijs dixerat Chriſtus, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, & nihilominus cap. 21. ſpecialiter dicit Petro, *Paſce oues meas*, vtique tanquam ſupremus Paſtor, omnibus, etiam ipſis Apoſtolis ſuperior,

13. Exponuntur quædã loca Auguſt. *Auguſt.*

Neq; contra veritatẽ hanc obſtãt non nulla teſtimonia Auguſtini, quę hic obijci ſolẽt, quia dicit, Petrũ quando claues accepit, Eccleſiam ſignificaſſe: intelligit enim ſignificaſſe Eccleſiã, quia vt Eccleſiæ Princeps poteſtatem clauiũ accepit, nõ pro ſua perſona tantũ, ſed vt in Chriſti Eccleſia, & in ſucceſſoribus, & alijs Põtificibus, & Epiſcopis adiutorib⁹ ſuis perpetuò durarent. Et ita dixit tract. 50. in Ioan. *Si hoc Petro tantũ* (id eſt, pro ſua tãtũ perſona) *dictũ eſt, non facit hoc Eccleſia*, quia nimirũ cum Petro poteſtas extincta fuiſſet. Vnde quia nunc Eccleſia etiã ligat, & ſoluit, infert: ergo *Petrus, quando claues accepit, vtiq́, Eccleſiam Sanctã ſignificauit*. Quæ illatio nulla fuiſſet, ſi intellexiſſet, Petrũ repræſentaſſe Eccleſiã tanquam vices eius gerentem, quia id neq́; neceſſariò ſequitur, neq; verum eſt. Cũ neq; Eccleſia hanc repręſentationẽ, ſeu delegationẽ Petro cõmiſerit, nec Chriſtus ſua poteſtate illam fecerit, cũ verbis ſuis illam nõ ſignificauerit. Ergo intellexit Auguſtinus, Petrum Eccleſiam tunc repræſentaſſe ratione ſui Primatus, & ſedis; ſic enim quod datur capiti propter corpus, cenſetur dari Eccleſiæ in ſuo capite, ſicut quod datur Regi ad regendũ,

A regno dari exiſtimatur. Et ſic dixit idẽ Auguſt. tract. 124. in Ioan. Petrum propter primatũ ſuum perſonam Eccleſiæ geſſiſſe. Quod apertiſsimè explicat dicens, *Eccleſia, quæ fundatur in Chriſto, claues regni cœlorum accipit in Petro.* *Idẽ Aug.*

41. Expoſitio verb... Auguſti... Chriſti... bis ... batur. *Matt. 18.*

Deniq; hic etiam fuit modus loquendi Chriſti Matth. 18. *Dic Eccleſiæ*, id eſt Eccleſię Paſtoribus, vt omnes exponũt, & res ipſa clamat, nõ enim poteſt peccatũ fratris toti cętui Eccleſiæ denũciari, ſed Paſtores nomine Eccleſię ſignificantur, quia Eccleſia eſt in Epiſcopo tanquã in capite. B Simili ergo modo dicitur Petr⁹ in dictis locis Eccleſiã repręſentaſſe. Et ita etiã ſolutũ relinquitur, quod ex eodẽ loco Matth. obijciebatur, quia quod ſubiũxit Chriſtus, *Si Eccleſiã non audierit, ſit tibi tãquam Ethnicus, & publicanus*, ſimili modo Paſtores Eccleſiæ intellexit; eiſdẽ ergo, ſeu ratione illorũ dixit. *Quæcũq́, alligaueritis*, ibiq; in plurali loquutus eſt, quia peccata nõ erant denuncianda ſoli ſupremo Paſtori, ſed etiã cæteris, ideoq́; vt diximus, ſine pręiudicio ſingularis poteſtatis Petri illud dictũ eſt. *Nam ſi quid cum eo cõmune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquã niſi per Petrũ dedit, quod alijs non negauit*, vt egregie Leo Papa. C ſer. 3. aſſũp. ſuę.

15. Inſtantia in Præfat. pag. 58.

At verò cõtra reſponſionẽ hanc vrget Rex vlteriùs in hęc verba, *Quod ni eſſet* (id eſt, ſi nõ Apoſtoli omnes, vel Petrus nomine omniũ æquè à Chriſto claues accepiſſet) *qui potuit, quæſo, Paul⁹ Corinthiorũ Eccleſiæ auctor eſſe inceſtũ illũ excõmunicãdi, cũ ſpiritu ſuo? dicendũ ſanè fuerat cũ ſpiritu Petri. Qui potuerunt omnes Apoſtoli cenſuris ſuis in nomine Chriſti vti nec vllibi eius Vicarij meminiſſe?* Verũtamẽ hæc coniectura parui momẽti eſt. Nã in primis licèt Petro claues ſingulariter datę ſint, nihilomin⁹ etiã Paulo, & alijs Apoſtolis im D mediatè Chriſtus cõtulit ligãdi, & ſoluẽdi poteſtatẽ, & ideò rectè potuerunt cenſuras ferre in nomine, & virtute Chriſti, cuius erant proximi miniſtri, nulla Petri facta mẽtione. Deinde etiã ſi à Petro immediatè poteſtatẽ accepiſſent (ſicut nunc Epiſcopi accipiũt, iuxta probabiliorẽ ſententiã) nõ oporteret, inferẽda excõmunicationis ſentẽtia Vicarij Chriſti meminiſſe, ſicut neq; nunc Epiſcopi catholici, licèt Epiſcopũ Romanũ, vt Chriſti Vicariũ recognoſcãt, cũ excõmunicationis ſentẽtiã ferunt

1. Cor. 5.

Refellitur.

ferunt, non dicunt in nomine, vel virtute Papæ, ſed vel ſimpliciter vtuntur ſua ordinaria poteſtate, vel dicere etiam poſſunt in virtute Chriſti, vel per poteſtatem ſibi â Chriſto conceſſam. Et ratio eſt, quia licet Petrus ſit vniuerſalis Paſtor Eccleſiæ, non eſt tamen principalis author, & Dominus, ſed illius Vicarius. Vnde etiam ipſe Petrus, ferendo cẽſuram, dicere poterat in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ideſt, vice & authoritate eius. Idẽ ergo facere poſſũt inferiores Prælati, quia licet mediante Petro tãquã diſpẽſatore principaliter â Chriſto habẽt authoritatẽ, & in virtute illius operantur. Sicut Prorex alicuius regni, vel prouinciæ ſępe authoritatem à Rege accipit conſtituendi per ciuitates gubernatores, & magiſtratus, & nihilominus illi omnes in publicis ſententijs, & præſertim quando gladio vtuntur, ſe authoritate Regia, non Proregis id facere profitentur.

16. Prælatus inferior poteſt in cenſura ſua addere, ſe id facere poteſtate â Pontifice accepta addere vero in virtute Papæ non ita cõgruit.

Nec tamẽ nego poſſe miniſtrũ, vel legatũ Pontificis excõmunicando, dicere, ſe id facere poteſtate à Põtifice accepta. Nam verũ dicerent, & ſine iniuria Chriſti: quia per illa verba non attribuitur effectus Pontifici vt principali cauſæ ſimpliciter, ſed tantũ in genere miniſtri, ſeu Vicarij communicantis iuriſdictionem ſuam. Quod ſecus fortaſſe eſſet ſi diceretur in nomine aut virtute Petri, aut Papæ, quia hæc verba videntur ſignificare authoritatem principalis Domini, vt ſenſit D. Thom. 1. ad Corinth. 5. Et ideò talis modus loquendi nõ eſt in vſu. Alio vero, ſcilicet, authoritate mihi â Papa conceſſa, vel alio ſimili vti ſolent interdum Eccleſiaſtici iudices præſertim delegati. Dico tamen etiam illum modũ loquendi non eſſe neceſſarium neq; vſitatum ab ordinarijs Paſtoribus, vt ſunt Epiſcopi, qui poſt acceptam poteſtatem ad modũ cauſæ proximæ, ſuo iure vtũtur. In Apoſtolis vero, vt dixi, interceſsit maior ratio, quia non â Petro, ſed immediatê â Chriſto habuerunt authoritatem. Vnde conſtat, meritò dixiſſe Paulum, *& ſpiritu meo*, nec debuiſſe, imò nec potuiſſe dicere, *& ſpiritu Petri*, tum propter rationem datam quia Paulus nõ habebat poteſtatem â Petro, quia erat Apoſtolus non ab hominibus, neq; per

A homines, ſed per Ieſum Chriſtũ, vt ipſe dicit ad Galat. 1. tum etiam quia ibi particula illa, *Et ſpiritu meo*, non ſignificat virtutem, ſeu poteſtatem operandi, ſed conditionẽ neceſſariam ad iudicandum, nimirum, notitiam ſufficientem cauſæ, vt patet ex illis verbis, *Abſens corpore præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum, qui ſic operatus eſt*: nam in eodẽ ſenſu ſubiungit, *congregatis, vobis, & meo ſpiritu*, id eſt, mea notitia, & ſpirituali præſentia. Hæc autem conditio non poterat attribui Petro, imo neque propriê

B Chriſto, quia eſt propria, & perſonalis conditio requiſita ex parte miniſtri, præter quam requiritur authoritas principalis Domini, ideoq; Paulus addidit *cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

17. Vltima obiectio ex varijs indicijs. Primum indicium. In Præfati. pag. 59.

Tandem obijcit Rex indicia quædam directè contra Petri primatum. Vnum eſt, *quia in omnibus Apoſtolorum congreſſibus Petrum, vt è multis vnum, legimus inter illos conſediſſe*, vt in Concilio, cuius fit mentio Actor. 15. Vbi etiam ad nuntios mittendos, ſolum dicitur, *Viſum eſt Apoſtolis, & presbyteris, totique Eccleſiæ mittere electos viros. Sed merum* (ait Rex)

C *de Eccleſiæ capite ſilentium. Sic in eorum literis Apoſtolorum, ſeniorũ & fratrum fit mentio, de Petro, nec verbum.* Alterũ indiciũ eſt, quia Paul. 1. ad Corinth. 1. æque reprehendit dicentes, *Ego ſum Cephæ*, ac dicentes, *Ego ſum Pauli, ego autem Apollo*, cum tamen ſi Cephas eſſet caput Eccleſiæ, damnandi potius eſſent, qui ab eo non ſtabant, tanquam â fide catholica recedentes, & ſoli Petri ſectatores habendi eſſent fideles. Tertium indicium eſt, quia Paulus ad Galat. 2. cum Petro tam parum comiter egit, vt illi non ſe æquaret modo, ſed etiam anteferret. Quartũ

Secund. indicium. 1. *Corinth.* 1.

Tertium.

D indicium, licet per irriſionem poſitum, addit, quia Paulus ad Galat. 1. dicens, ſe profectum Hieroſolymam, *vt Petrum viſeret, & certis de rebus cum eo ageret*, nõ addidit, *eo quoque ſe ad ſacra pedum oſcula eſſe profectum.*

Quartum.

18. Hæc vero, & ſimilia digna non ſunt, quæ contra totius Eccleſiæ authoritatẽ, & verba Chriſti ſatis expreſſa proponãtur, illis tamen ſatisfaciendum eſt, ne aliquid omiſiſſe videamur. Ad primum in primis dicimus, falſum eſſe quod ſumitur, nam Actor. 1. refertur quidam Apo

Actor. 1. Petrus in omnibus cõ greſsibus tã quam caput primum locũ obtinuit

ſtolorum congreſſus, & tamen non ſolum Petrus tanquam caput primo loco ponitur, ſed etiam ipſe, tanquam caput, totum cætum alloquutus eſt, & de creãdo duodecimo Apoſtolo loco Iudæ, decreuit, quod alij ſecuti ſunt. Vbi rectè Chryſ. Homil. 3. inquit, *Quã eſt feruidus, quàm agnoſcit creditum à Chriſto gregem, quàm in hoc choro Princeps eſt*, ergo teſte Chryſoſtomo, quem alij ſequuutur, in illo conuentu Petrus vt ſuperior cæteris, & vniuerſalem curam gerens proponitur. Quod etiam notauit Leo Papa 9. Epiſt. ad Michaelem cap. 16. dicens. ibi Petrum authoritate ſua vſum fuiſſe. Vnde non ſine cauſa fere ſemper vbi numerantur Apoſtoli, primo loco ponitur Petrus tanquam dux, & Princeps cæterorum, quod non caſu, neque ob aliam excellentiam, aut prærogatiuam factum eſſe, eruditè Bellarminus oſtendit lib. 1. de Summo Pontif. c. 18. Quocirca etiam in Hieroſolymitano Concilio primus eſt, qui loquitur, & magna authoritate ſuam ſententiam profert, quod etiam ad primatum, & (vt ſic dicam) ad præſidentiã eius in Concilio pertinuiſſe, multi adnotarunt. Vnde neceſſarium non fuit, poſteà in decernenda legatorum miſſione. vel in forma decreti ſpecialem mentionem Petri facere, tum quia Petri, & ſententiæ eius iam facta ſufficienter fuerat, tum etiam quia non ſpecialiter nomine Petri, ſed nomine totius Cõcilij Epiſtola, & definitio ſcribebatur. Addi etiam poteſt, in authoritate, & ſpiritu nõ errãdi in fide habuiſſe tũc Apoſtolos quãdã æqualitatẽ, & ideo quoad hoc õnes in primo ordine poſitos fuiſſe.

Chryſoſt.

Leo Papa.

19. Ad ſecundũ *Chryſoſt.* Ad ſecundũ indiciũ reſpondemus, nihil ad præſentẽ cauſam pertinere: nã vt notat Chryſ. Orat. 3. in 1. ad Corinth. Inter Corinthios *non erant ſchiſmata eo, quod in fide diſſiderẽt, ſed ex eo, quod humana contentione diuiſa eſſet ſententia*. Quod ſatis explicuit idem Paulus, tum blande, & leniter eos obſecrando, *vt ſint perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia*, tũ explicando quales eſſent contentiones, quia de priuatis magiſtris, aut baptizatoribus gloriabantur, & ab eis nominabantur, dicentes, *Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*. Poſuit autem Paulus ſuũ, & Petri, & Apollinis nomen, non quia

A reuera ſub his nominibus diuiſiones, & contentiones fierent, ſed illa ponendo loco illorũ, qui erãt capita factionum, vel ne illos nominando magis exacerbaret, vel vt rẽ magis exaggeraret, nã ſi ſub nominibus Principũ Apoſtolorũ non licebat, contentiones, & diuiſiones facere, multò minius aliorum nominibus. Cum ergo contentiones ſolum eſſent, quôd vnuſquiſq; de proprio magiſtro, ſeu miniſtro gloriabatur, ac ſi melius ab eo eſſet baptizatus, aut inſtructus, non oportebat, vel damnare eos, qui à Cepha nõ

B nominabantur, vel eos laudare, qui de illius baptiſmo gloriabantur, ſed illos tãtum cõmendare, qui dicebant, *Ego ſum Chriſti.* Quia neq; illi, qui dicebant. Ego ſum Pauli, vel Apollo â Petro viſibili capite in fide diſsidebant, ſed ſolũ in ſpeciali affectu, vel æſtimatione baptiſmi, aut magiſtri ſui: nec qui Cephæ ſe eſſe dicerent, in hoc eſſent tolerandi, quia licet Petrus eſſet viſibile caput, nõ tamen vt Princeps ſupremus, ſed vt Vicarius Principis, qui eſt ſolus Chriſtus, â quo ſolo nominãdi ſũt Chriſtiani. Nec ꝑ priuatos affectus etiã circa Petrũ, & Paulũ,

C diuidẽdus eſt Chriſtus, ſeu Chriſtianorũ nomẽ, quia nec baptiſmus eſt melior, eo quôd à meliori miniſtro detur, neq; ſimiles cõtentiones in Eccleſia mouẽdę ſunt.

De tertio indicio ſũpto ex facto Pauli reſiſtentis Petro, dici poſſent multa, 20. Ad tertium
niſi nuper in lib. 9. de Legib. à nobis dicta fuiſſent ideoq; breuiter dico, etiã antiquos hęreticos inde ſumpſiſſe argumẽtũ cõtra dignitatẽ, vel potius cõtra doctrinã Petri. Quibus vno verbo reſpondet Tertull. lib. de Præſcrip. hæret. dicens, *Tertul.*
Cæterũ ſi reprehenſus eſt Petrus, cõuerſationis fuit vitiũ nõ prædicationis. Falsũ ergo

D eſt, Paulũ aut parũ comiter egiſſe cũ Petro, aut illũ ſibi æquaſſe, nedũ antetuliſſe. Quid enim? ſi Rex Angliæ minus cõſideratê, & cũ ſcandalo ſuorũ ſubditorum aliquid ageret, & aliquis familiaris, vel conſiliarius ſuus eũ moneret id nõ rectè fieri, vel eſſe iniuſtũ, aut alijs eſſe offendiculo, ideò ſe Regi anteferret, aut illũ vt Regẽ nõ recognoſceret? Minime vero, alioqui nunquã licebit ſubdito fraternê corripere Prælatũ ſuũ, aut illi cũ debita reuerentia reſiſtere, vt ſcandadũ publicũ tollatur, quod dici nõ poteſt. Igitur ex

illo

illo facto Pauli colligi nõ poteſt, ſe ante poſuiſſe Petro in poteſtate, vel Prelatione: nã licet eſſet inferior, poterat illo charitatis officio vti. Et ita ĩtellexit locũ illũ Aug. Ep. 19. & D. Th. 2. 2. q. 33. a. 4. ad 2.

Auguſt. D. Thom. 21.

Ad quartu. Hierony. Ambroſ.

Ad quartũ de profectione Pauli ad vidẽdũ Petrũ, Galat. 1. certè Hieron. ibi dicere nõ dubitauit, aſcendiſſe *ſtudio honoris priori Apoſtolo deferẽdi*, & Ambr. *dignũ fuit, vt cuperet videre Petrũ, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarũ.* Et alij etiã Patres ita ſæpe loquuntur. Et quanuis fateamur, ex ſolo illo facto Pauli nõ colligi neceſſariò prælationẽ Petri, tamen ſuppoſitis alijs teſtimonijs dignitatẽ Petri cõmendantibus, magnũ indiciũ inde ſumitur, Paulũ recognouiſſe Petrũ vt caput ſuũ, & vniuerſalẽ Eccleſiæ Paſtorẽ, ideoq; quãprimũ cõmode potuit, aſcendiſſe Hieroſolymã, inuiſere illum, & debito proſequi honore. Nec dubitandũ eſt, quin Paulus pro humilitate ſua pedes Petri oſculari cuperet, veruntamen nec id modeſtia, & ſubmiſsio Petri permiſiſſet: nec deniq; neceſſe fuit, Paulũ eo loco referre modũ honoris, ac reuerentiæ, quã Petro exhibuit. De conſuetudine autẽ venerandi Põtificẽ per pedũ oſcula, cui tacitè Rex Angliæ hic detrahere voluit: nõ eſt hic dicendi locus, legat cui placuerit Ioſephum Stephanum opuſc. de Adorat. pedum in Tom. 13. Tractatuum.

CAPVT XII.

An primatus Petri perpetuò, & per ſucceſſionem in Eccleſia perſeueret.

1. Hæreticorum error.

NOn deſũt ex huius tẽporis hẹreticis qui nõ ſolũ abſolutè negẽt Petrũ, vel põtificẽ Romanũ eſſe toti⁹ Eccleſiæ Paſtorẽ, Chriſtivè Vicariũ, ſed etiã ex hypotheſi, licèt Petrus illã prærogatiuã habuiſſet, cũ illo extinctã fuiſſe dicant, vt hoc modo facilius in Põtifice Romano perſeuerare abnegẽt. Vt ergo errorẽ hũc funditus euertamus, & per eoſdẽ gradus ad veritatẽ intentã perueniamus, prius oſtẽdemus hoc capite, Petrũ nõ extraordinario iure, ſeu ſingulari vel (vt ſic dicã) vitali priuilegio, ſed iure ordinario, & ratione Eccleſiæ perpetuo duraturẹ Vicariũ Chriſti creatũ fuiſſe, poſteà vero ad Romanũ Põtificẽ in ſequẽti capite gradũ faciemus.

Principio igitur ſtatuimus, Primatũ Petri non illi ſoli pro ſua perſona fuiſſe collatum, ſed vt perpetuò in Eccleſia duraret in eo fuiſſe inſtitutum. Hoc facilè probari poteſt ex dictis in duobus capitibus præcedentibus. Nam hac ratione poſtquam Chriſtus dixit Petro, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſtatim adiungit, *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, promittens perpetuam Eccleſiæ durationẽ in Petro fundatam, tanquam in petra firmiſsima, & perpetuò duratura, vt ſuprà lib. 1. latè comprobatum eſt, & confirmatum ex alia Chriſti promiſsione, *Ego rogaui pro te Petre, vt nõ deficiat fides tua.* Et hac etiam ratione dixit Auguſtinus, vt præcedenti capite explicuimus, Petrum repræſentaſſe Eccleſiam, quando illi claues datæ ſunt, quia non pro illius tantùm perſona, ſed pro illius ſede vt perpetuò cum Eccleſia duraret, eamq; regeret, ſuoque modo ſuſtentaret, illi datæ ſunt. Vnde ſicut ex illis verbis, *Tu es Petrus, &c.* intulit Ambroſ. Pſal. 40. ita nos inferre poſſumus, *vbi Eccleſia, ibi Petrus*, & quandiu durat Eccleſia tandiu durat Petrus, quod etiam ſignificauit idẽ Ambroſius ſubiungens, *Vbi Eccleſia, ibi nulla mors, ſed vita æterna*, & ideò addidit, *Et portæ inferi non præualebunt ei.* Rectè quidẽ dixit, *vbi Eccleſia, ibi nulla mors*, quia, licèt ſinguli de Eccleſia moriantur, Eccleſia non moritur, & licèt Petrus defecerit, ſedes Petri non deficit.

2. Concluſio de fide.

Primatus Petri cum eius vita nõ fuit extinctus. Probatur Mat. 16.

Auguſtin.

Ambroſ.

3. Ioan. 21.

Alia præterea verba Chriſti, *Paſce oues meas*, ſi eius intẽtio, & inſtitutionis ratio prudẽter cõſiderentur, nõ minùs efficaciter dictã veritatẽ cõfirmant. Nã in primis ratio ex Patrib⁹ ſuprà adducta, quòd Chriſtus indefinitè Petro commendans oues ſuas, vniuerſas oues illius curæ cõmiſiſſe intelligitur, æquè in totius temporis, ac in cuiuſcũq; loci ouibus procedit, quia ſicut futuræ erãt oues Chriſti in diuerſis locis, ita in diuerſis tẽporibus, & in quolibet tẽpore oues indigebant ſupremo aliquo Paſtore, ſicut & in omni loco. Deniq; cùm Chriſtus dixit, *Paſce oues meas*, certũ eſt, nõ fuiſſe loquutũ de ſolis ouibus, quæ iam tunc erant in ouile ſuũ cõgregatæ, paucæ namq; illæ erant, Chriſtus autem futuræ Eccleſiæ ſuæ ex omnibus gẽtibus cõgregãdæ prouidebat.

A Igitur non tantùm præſentes, ſed etiam futuras oues ſuas Petro commendauit, cùmq; limitationem temporum non adhibuerit, omnium temporum oues Petro commiſit, ſicut de loco diximus, vel de numero dici poteſt. Dicet aliquis, rectè hinc probari, commẽdatas fuiſſe Petro oues etiam futuras, dum ipſe viueret, nõ verò poſteà futuras. Quomodo enim futuras poſt ſe oues paſcere poſſet?

Euaſio quędam refellitur.

Reſpõdetur, illud eſſe incredibile, quia aliàs non ſatis Chriſtus ouibus ſuis prouidiſſet, cùm tamen non minorem curam gereret ouium poſt mortem Petri futurarum, quàm ipſo viuente. B Vnde rectè Chryſoſtom. Homil. 55. in Matt.

Chryſoſt.

Apertè (inquit) *hic prædixit magnam eorum, qui credituri, & erant, & ſunt, multitudinem fore, & ſublimiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ Paſtorem conſtituit.* Vtique futuræ ex omnibus, qui erant, & ſunt credituri. Neque eſt difficile ad explicandum, quo modo Petrus poſt mortem ſuam potuerit paſcere oues Chriſti in hoc mundo relictas. Tum quia hinc intelligimus Chriſtum non tantùm Petro in perſona ſua, ſed Sedi Petri, ſeu Petro vt continenti C in ſe tanquam in ſemine, & fundamento omnes ſucceſſores ſuos, oues ſuas commendaſſe. Tum etiam quia propter hanc cauſam ad Paſtorale munus Petri pertinuit prouidere modum, quo ſibi ſuccederetur, vt oues Chriſti ſine Petro Paſtore non relinquerentur, etiam ſi perſona Petri deficeret, & ita vſque hodie Petrus paſcit oues Chriſti per ſucceſſores ſuos.

4. Ioan. 10.

Atque hoc confirmant optimè verba Chriſti Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ nõ ſunt ex hoc ouili, & illas oportet, me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Paſtor.* D Nam ex illis colligimus, in Eccleſia Chriſti tam eſſe futurum ſemper vnum Paſtorem, ſicut vnum ouile, ac ſubinde Paſtorem illum à Chriſto datum, & inſtitutum duraturum eſſe donec totũ ouile Chriſti congregetur. Significauit etiam Chriſtus in illis verbis, Paſtorem vnum in Eccleſia ſua neceſſarium eſſe propter ouilis vnitatem; hæc autem vnitas ouilis omni tempore ſeruanda erat, quia in omni tempore vna eſt Eccleſia; ergo & vnus Paſtor à Chriſto conſtitutus pro omni tempore datus eſt, non in eadem perſona, ſed in eodem throno, ſicut Eccleſia vna eſt, non in eiſdem perſonis, ſed in eiuſdem populi ſucceſsione. Vnde Auguſtinus lib. de Paſtorib. cap. 13. *Hic inuenio* (inquit) *omnes Paſtores bonos in vno paſtore. Non enim vere boni Paſtores deſunt, ſed in vno ſũt. Multi ſũt, qui diuiſi ſũt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neque enim vere modo ideo tacentur Paſtores, quia non inuenit Dominus, cui cõmendet oues ſuas: tunc autem ideo cõmendauit, quia Petrum inuenit. Imo vero in ipſo Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.*

5. Euaſio. Reijcitur.

Sed dicent fortè Aduerſarij, illum vnum Paſtorem eſſe Chriſtum, nam ſtatim Auguſtinus addit, *Omnes boni Paſtores in vno ſunt, vnum ſunt, illi paſcunt, Chriſtus paſcit.* Reſpondetur, Chriſtum quidem eſſe principalem Paſtorem, in quo omnes alij Paſtores ſimul etiam cum Petro nituntur, & vniuntur, nihilominus tamen etiam in terris, neceſſarium eſſe vnum Paſtorem Chriſti Vicarium, in quo inferiores Paſtores proxime vniãtur, & nitantur. Quia ſicut Eccleſia militans viſibilis eſt; ita Deus in ea poſuit viſibiles Paſtores, & Doctores, cũ quibus plebs vniri debet, & vt ipſi Paſtores inter ſe vniantur, neceſſarius etiam eſt vnus Paſtor viſibilis, qui locũ Chriſti abſentis teneat. Vnde Auguſtinus ſuprà ſubiungit.

Auguſtin.

Nam & ipſum Petrum, cui commendauit oues ſuas, quaſi alter alteri vnum ſecum facere volebat, vt ſic ei oues commendaret, vt eſſet ille caput, ille figurã corporis portaret, id eſt Eccleſiæ, & tanquã ſponſus, & ſponſa eſſent duo in carne vna. Et ſerm. 24. de Sanctis cap. 2. in eodem ſenſu dixit, *In vno Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum.*

6. Cyprian.

Multo verò clarius, & copioſius Cyprianus lib. de Vnit. Eccleſ. circa principium, *Vt vnitatem* (inquit) *manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit.* Vbi manifeſte inſtitutionem, & diſpoſitionem vnius cathedræ, ad vnitatem Eccleſiæ conſeruandã inſtitutæ, diſtinguit ab ipſomet Chriſto inſtituente. Et ſimiliter præter Chriſtũ deſignat vnum alium Paſtorem, in quo illa cathedra, & inſtitutio incepit, vt ab illo originem duceret, non vt cũ illo fini-

finiretur. Vnde ſubiungit, *Exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur*, ſentiens, tantum durare cathedram illam, quantum Eccleſia durat. Et hoc ipſum multis alijs locis ſignificauit idem Cyprianus, præſertim epiſtol. 40. *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata*. Et epiſt. 55. vbi habet illam celebrem ſententiam, *inde oriri hæreſes, & ſchiſmata, quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, neque vnus in Eccleſia ad tẽpus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur*. Et ſimilia ferè habet epiſtol. 69. ad Florentium, & epiſt. 73. ad Iuuaianum, *Petro* (inquit) *primum Dominus, ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, vt illud ſolueretur in cœlis, quod ipſe ſoluiſſet in terris*. Quem locum recognoſcens Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo cap. 17. dicit, *Quia in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, manifeſtum eſt, quòd illa vnitas etiam vna columba perfecta ſit dicta*. Ex ratione ergo illius inſtitutionis manifeſtum eſt, non fuiſſe ſolùm ſpecialem fauorem, vel gratiam perſonæ Petri factam, ſed diſpoſitionem regiminis perpetuò in Eccleſia duraturi.

Cyprian. — Auguſt.

7. Ratione probatur aſſertio.

Vnde etiam ſumitur ratio moralis, in optima Eccleſiæ gubernatione fundata. Eſt enim Chriſtus Dominus ſupremus Rex, quem dedit Deus caput ſupra omnem Eccleſiam, vt ad Epheſ. 1. dicitur, id eſt, ſupra triumphantem, & militantem, quæ vna eſt, & vnum corpus Chriſti, quaſi ex illis duabus partibus conſtitutum, vt ibidem, & ad Coloſſen. 1. dicitur. Sunt ergo illæ duæ Eccleſiæ quaſi duo regna partialia vnius integri regni Chriſti, ideòque ad ipſum tanquam ad proprium Regem pertinet vtriuſq; regni gubernatio. Fieri autem non poterat ſine ingenti, & extraordinario miraculo, vt ſimul eſſet Chriſtus viſibiliter præſens in vtraque huius regni parte, & alioqui cœleſtis locus poſt reſurrectionem ratione ſtatus illi debitus erat, & ad fidẽ credẽtium non expediebat, vt inter eos Chriſtus viſibiliter permaneret, ſicut ipſe dixit, *Expedit vobis, vt ego vadã*; ideoq; cœleſte regnum per ſe ipſum nunc immediatè regit. Ergo cùm non poſſit eodem viſibili modo partem hanc militantem ſui regni gubernare, ad illius ſapientiam pertinuit modum regiminis hominibus accommodatum in eo prouidere. Ergo ſicut regnum hoc duraturum eſt, quandiu mundus durauerit, ita modus regiminis eius non poteſt eſſe alius, niſi quem Chriſtus inſtituit, & è conuerſo inſtitutio regiminis eius ita facta eſt, vt non minùs, quàm regnum ipſum ſit duratura, alioqui imperfecta fuiſſet, & inſufficiens. Fuit autem illa inſtitutio monarchiæ in Petro, vt vidimus; ergo non tantùm pro Petro, ſed etiam pro ſucceſſoribus eius facta eſt. Quod his ferè verbis declarauit Cyprian. epiſt. 27. *Dominus noſter Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Et infrà. *Inde per temporum, & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur*. Vbi non ſolùm Põtificatus Romani, ſed etiam omniũ aliorum Epiſcoporum ſucceſſionem ab illa primaria, & quaſi radicali inſtitutione deriuari ſignificat, quod libro etiam de Vnit. Eccleſiaſt. latius proſequitur.

Epheſ. 1. — Coloſſ. 1. — Cyprian.

A — B — C — D

8. Denique non ſolùm Petro, ſed etiam ſucceſſoribus eius datam eſſe poteſtatẽ, & paſtoralem curam, & ita primatum eius eſſe perpetuum, apertè declararat Leo Papa in ſerm. 2. de Aſſumpt. ſua dicens, *Et ſi multis Paſtoribus curam ſuarum ouium delegauit, ipſe tamen dilecti gregis cuſtodiam non reliquit. De cuius principali, æternoq; præſidio etiam Apoſtolicæ opis munimen accepimus, quod vtiq; ab opere ſuo nõ vacat, & firmitas fundamenti, cui totius Eccleſiæ ſuperſtruitur altitudo, nulla incumbẽtis ſibi templi mole laſſeſcit. Soliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt, & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit*. Et infrà, *Manet ergo diſpoſitio veritatis*, & cætera, quæ proſequitur. Et ſimili modo Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdot. vbi tractans locum Ioan. 21. Inter alia inquit, *Quanam de cauſa Chriſtus ſanguinem effudit ſuum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum*

Leo Pap. — Chryſoſt.

tum Petri ſucceſſoribus committebat. Et adiungit. *Iure igitur, ac meritò ſic loquebatur Christus. Quiſnam fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiã ſuã?* Et infrà dicit apertè, ſucceſſores Petri ea nunc agere, *quæ cum Petrus ageret,* inquit, *illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item Apoſtolos longè præcellere.* Similiter D. Auguſtin. lib. de Vtilit. credendi cap. 16. per ſucceſsiones Epiſcoporũ ab Apoſtolica ſede hanc perpetuitatem declarat, & libr. 11. contra Fauſtum cap. 2. *Vides in hac re, quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis ſedibus Apoſtolorum vſq; ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot conſenſione firmatur.* Et eodem modo hanc veritatem declarant Optatus, Pacianus, & alij, quos in ſequenti capite commodiùs referemus.

Auguſt.

9. Obiectio.

Sed obijcere poſſunt hæretici, quia alij Apoſtoli pro ſuis tantùm perſonis legationem, ſeu dignitatem Apoſtolicã acceperunt; ideòq; poſt mortem non habuerunt in illa dignitate ſucceſſores; ergo nec Petrus in ſuo Apoſtolatu ſucceſſorem habuit, quia licèt inter Apoſtolos fuerit primus, & inter eos principatum aliquem, vel poteſtatem acceperit, propter ſeruandum ordinem, & concordiã; nihilominus nulla maior ratio ſucceſsionis in eo, quâm in alijs reperitur. Reſpõdetur, contrarium poſſe eodem argumẽto probari, nam in Apoſtolis duo conſiderari poſſunt à Chriſto Domino illis collata, ſcilicet, poteſtas ordinis, & dignitas Apoſtolica. Prior nihil aliud in eis fuit præter ordinationem, ſeu conſecrationem Epiſcopalem, quæ ad fundamẽta Eccleſiæ pertinet, & ideò cum illis extincta non eſt, ſed in illa habent Epiſcopos ſucceſſores, vt ſentit Cyprianus lib. de Vnit. Eccleſiæ, & alijs epiſtolis citatis, Auguſt. enarrat in Pſalm. 44. & Hieronymus epiſt. 85. ad Euagrium. Et ideò de hac poteſtate intelligendum eſt, quod ibidem ait, omnes Epiſcopos eſſe æquales. Poſterior verò, id eſt Apoſtolica dignitas, multa includebat priuilegia, nimirum, poteſtatem immediatè à Chriſto delegatam ad prædicandum per vniuerſum orbem cum authoritate, & ſpeciali poteſtate ab ipſo Chriſto conceſſa, iuxta illud, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto*

Diluitur obiectio, & retorquendo.

Epiſcopi ſuccedũt Apoſtolis quoad ordinis poteſtatẽ, nòn verô quoad omnem aliã prærogatiuam.

Cyprian.
Auguſt.
Hieron.

A *vos.* Item multas gratias, & prærogatiuas tali muneri accommodatas, vt fuerunt abundantia ſpiritus cum confirmatione in gratia, & in fide, cum quadam ſcientię plenitudine, ita vt in rebus fidei nec falli, nec fallere poſſent, vel docendo, vel ſcribendo, itemq; vt præter donum linguarum, quod ad docendum habebant, haberent etiam directionem ſpiritus ad canonicè ſcribendum. In hac ergo dignitate verum eſt, Apoſtolos non habuiſſe ſucceſſores, erat enim extraordinaria, & ſolùm pro initio diſſeminandi Euangelium, & plantandi Eccleſiam requiſita, B non verò ad ordinarium regimen eius neceſſaria.

Vnde etiam in hac parte, quoad multas ex dictis prærogatiuis Petro non ſucceditur. Præter hæc autem duo, aliquid ſingulare tributum eſt Petro, nimirum, ius ſupremi Paſtoris, & Vicarij Chriſti in eius Eccleſia, ſimpliciter, & abſolutê pro quocunque loco, & tempore ſpectata. Et in hoc non eſt comparandus Petrus cum cæteris Apoſtolis, aliàs nihil ſingulare accepiſſet, & ideò quoad hanc partem illatio eſt nullius momenti, & C potiùs (vt dixi) oppoſitum inferre licet ex ſingulari conceſsione, & ex ratione muneris. Poteſt autem in cæteris Apoſtolis peculiari modo authoritas Epiſcopalis quoad iuriſdictionem conſiderari, quatenus ordinarium regimen, & ſedem alicuius Eccleſiæ receperunt, ſicut Iacobus frater Domini Hieroſolymis cõſtitutus eſt Epiſcopus, quod tamen de alijs non eſt certũ, quanuis eadem ratione fieri potuerit. Quoad hanc ergo Epiſcopalem authoritatẽ, quia ordinaria eſt in Eccleſia, etiam ſucceditur Apoſtolis, ſicut Iacobo Simeon ſucceſsit. Et ita quo D ad hoc poteſt aliqualiter admitti comparatio, longè tamen diuerſa ratione, tum quia hæc ordinaria dignitas Epiſcopalis non eſt data alicui Apoſtolo extra Petrum, iure diuino, ſed mediante Petro, vt de Iacobo refert Euſeb. lib. 2. Hiſtor. cap. 1. & de Ioanne Epheſi commorante veriſimile fit ex Irenæo lib. 3. cap. 3. in fine, vt omittam, quæ de Andrea, Barnaba, & alijs hiſtoriæ referunt. Vbi ergo Apoſtoli vt proprij Epiſcopi particulares Eccleſias regebant, iuriſdictio illa certis limitibus continebatur, & intra illos tantùm

10. Romani Epiſcopi in primatu in omnibus priuilegijs Petro ſuccedunt.

Epiſcopalis dignitas mediante Petro collata fuit Apoſtolis.

Euſeb.
Irenæus.

Vide Baronium tom. 1. Annal. an. 44. n. 29. & ſequétib. & an. 51. n. 54

A tantùm eis ſuccedebatur, Petri autem iuriſdictio, quam à Chriſto immediatè recepit, fuit vniuerſalis pro tota Eccleſia, & ita fuit etiam illi proprium, in hac dignitate ſucceſſorem habere.

CAPVT XIII.

Romanum Epiſcopum verum Petri ſucceſſorem eſſe, & in eo Petri poteſtatem perſeuerare, ex diuina Scriptura credendum eſſe, oſtenditur.

1. Prima aſſertio.

Plures ſimul Petro in primatu ſuccedere non poſſũt.

SVpponimus id, quod ſatis in ſuperioribus probatum eſt, ſemper in Eccleſia requiri aliquem Petri in eius vniuerſali regimine ſucceſſorẽ, nũc verò addimus, illum in vnoquoque tempore vnum tantùm ſupremum Epiſcopum, vnamq; perſonam eſſe poſſe. Quia oſtenſum eſt, Eccleſiaſticam rempublicam, eiuſq; ſpirituale regimen ita ſemper conſeruari debere, ſicut à Chriſto eſt inſtitutum, eſt autem monarchicum ex inſtitutione Chriſti; ergo ita debet per ſucceſsionem conſeruari; ergo vnus tantùm ſimul, ſeu quouis tempore poteſt eſſe Petri ſucceſſor, licèt per ſucceſsionem in diuerſis temporibus multiplicari, neceſſarium ſit. Declaratur ampliùs, quia ſi plures Epiſcopi ſimul Petro ſuccederent, tribus modis id poſſet intelligi.

2. Prima ratio concluſion.

Primò vt vnuſquiſque eorum ſuccederet tantùm in parte paſtoralis muneris, quaſi primatum inter ſe diuidendo, ita vt totus quidem eſſet in omnibus ſimul, non tamen in ſingulis; neque in omnibus collectiuè, ſed diuiſus in ſingulis per partes. Et hunc modum aſſeruiſſe referuntur aliqui ex Proteſtantibus, allegantes illud Cypriani de Vnit. Eccleſ. (Cyprian.) *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur*. Veruntamen hoc nihil aliud eſt, quàm verã ſucceſsionem in primatu Petri negare: nã eo ipſo, quod primatus eo modo diuideretur inter multos, nullus eorũ eſſet vniuerſalis paſtor Eccleſiæ, ſed tantũ eius partis, quæ illi cõtingeret; ergo nullus eorum eſſet verus, &(vt ſic dicam) adæquatus ſucceſſor Petri, nullus enim eſſet ſupremus ſimpliciter, quem cęteri recognoſcerẽt, quod habuit Petrus. Et conſequenter nullus eſſet petra fundamentalis Eccleſiæ, & ad nullum eorum pertinerent verba Chriſti, *Paſce oues meas*, quatenus per illa omnes oues vni Paſtori commendatę ſunt. Denique in nullo eorum vnitas Eccleſiæ ſeruaretur, ſed potiùs in illis multis Eccleſia ſcinderetur, ſicut Occidens, & Oriens in diuerſa imperia diuiſa fuerũt, quod quantum repugnet vnitati Eccleſiæ ſuprà oſtenſum eſt. Nec ſenſus verborum Cypriani eſt ille, quem Proteſtantes fingunt, cùm idemmet Cyprianus tum in eodem libro, tum alijs locis iam ſæpe allegatis vnam cathedram maximè B commendet, & vnum Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ, ſine quo eius vnitas ſubſiſtere non poteſt. Senſus ergo eſt, Epiſcopatum totius Eccleſiæ vnum eſſe ſub illo tamen particulares eſſe Epiſcopos, qui in partem ſolicitudinis vocantur, non vt ſupremi Paſtores in ſuis diœceſibus, ſed ſub vno, qui ſupremus eſt. Quem ſenſum ſatis declarauit Cyprianus, ſubiungens, *Eccleſia quoq; vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur*. Et poſt varia exempla ſumpta ex multis radijs, ramis, vel fluminibus, qui vnitatem habent in origine, de vnitate Eccleſiæ ita concludit, C *Vnum tamen caput eſt, & origo vna, & vna mater fœcunditatis ſucceſsibus copioſa*, quã matrem alibi in particulari deſignat, vt mox videbimus.

Verus Cypriani ſẽſus traditur.

3. Secunda ratio.

Secundo modo cogitari poteſt ſucceſſio plurium ſimul in primatu Petri, non diuiſim, ſed collectiuê, & per modum vnius tribunalis, ſeu congregationis. Et hunc modum excogitare potuerũt, qui non obſtante primatu Petri, dixerunt, generale Concilium eſſe ſuprà Papam. Quanquam illi fortaſſe dicere cogerẽtur, etiam tempore Petri, Apoſtolorum, D vel Epiſcoporum Concilium fuiſſe ſupra Petrum, quia eadem eſt ſeruanda proportio, neque eſt maior ratio de vno tempore, quàm de alio, imò nec poteſt aliter doctrina ſubſiſtere, vt ſtatim oſtẽdam. Ita verò ſentire de Petro, & de eius primatu non ſolùm fundatum non eſt in Euangelio, verùm etiam verbis Chriſti repugnat, vt conſtat ex his omnibus, quæ de primatu Petri diximus. Nam Chriſtus Petro commendauit ſimpliciter oues ſuas, ſiue ſigillatim ſingulas, ſiue ſimul totum earũ gregem, & ſupra illũ

Petro

Petro tribuit poteſtatem, & ideò totius corporis Eccleſiæ fundamentum illum conſtituit. Ipſis autem ouibus, ſiue diuiſim, ſiue ſimul toti gregi non ſolùm poteſtas ſupra Petrum data non eſt, verum etiam neque vlla omnino poteſtas legitur immediatè à Chriſto collata. Sed de hoc aliàs, nunc enim ſatis à nobis probatum eſt, Petro ſimpliciter datam eſſe poteſtatem ſupra totam Eccleſiam, nõ pro eius perſona tantum, ſed vt ei ſuccederetur. Hoc ergo ſuppoſito, dicimus, ſucceſſorem in ea poteſtate, quam Petrus habuit, vnam tantum perſonam eſſe poſſe, B & non plurium congregationem, aliàs mutata fuiſſet Chriſti inſtitutio, ex monarchica in Ariſtocraticam, quod eſſe nõ poteſt ſine eiuſdem Chriſti authoritate, quæ reuelata non eſt, neque per Scripturam, neque per traditionem. Et deinde illa non eſſet ſucceſsio, ſed eſſet noua creatio, ſeu alterius regiminis inſtitutio, cuius originem oſtẽdere oporteret: nam Petri primatus ex vi primæ inſtitutionis per ſolam ſucceſsionem perſeuerat, vt oſtenſum eſt. Denique abſtrahendo â quæſtione de comparatione Papæ, & Concilij, certum eſt, Petrum habuiſſe C primatum in tota Eccleſia, quandiu actu non erat congregatum Concilium, cuius congregatio ex volũtate Petri pẽdebat, cùm ſolus ipſe in tota Eccleſia eſſet ſuperior; ergo ſucceſſor etiam Petri in hac eadem poteſtate debet eſſe vna perſona, vnum Epiſcopatum gerens, quidquid inde circa illius cum Concilio comparationem ſubſequatur, quod præſenti inſtituto nihil refert.

4. Tertiò probatur concluſio.

Tertio tandem modo cogitari poteſt, habere Petrum ſimul, & pro eodem tẽpore plures ſucceſſores, diuiſim, & in ſolidum habentes integrum primatum, & D vniuerſalem curam paſtoralem. Et hic modus à nullo etiam hæretico aſſertus, aut excogitatus eſt. Nam in primis repugnantiam inuoluit, quia ſi plures eſſent primi, nullus eorum eſſet poſitiuè primus, id eſt, ſuperior omnibus, ſed ad ſummum negatiuè, id eſt, non habens alium ſupra ſe; vtrunque autem repugnat. Quia ex priori membro ſequitur, nullum eorum ſucceſsiſſe Petro in primatu, quia Petrus poſitiuè fuit omnibus ſuperior, & ſimpliciter fuit Paſtor om-

A nium ouium Chriſti extra ipſum, quod nullus illorum haberet. Ex altero verò membro, & vnitas Eccleſiæ deſtruitur, & corpus eius monſtroſum fingitur, vt potè habens ſimul duo capita æqualia, quæ nec pacem, nec concordiam inter ſe habere potuiſſent. Et ideò ipſa etiam natura vniuerſa hanc Potentatuum multitudinem abhorret, vt dixit etiam Philoſophus in fine Metaphyſicæ, & melius Cyprianus de Idolor. vanit. & Athanaſius contra Idola. Vnde ipſa etiam bruta animalia ducem vnum ſequi ſolent, vt latè Hieronymus epiſtol. 4. Denique ſi alij Apoſtoli non habuerunt cum Petro ſimilem æqualitatem, qui fingi poteſt, aliquem poſteà fuiſſe Epiſcopum ſucceſſori Petri iuriſdictione æqualem? aut quæ fingi poteſt inſtitutio, vel neceſsitas pluriũ ſimul in vnius poteſtatis adæquatê, & in ſolidum ſucceſsionis? Eſt ergo certum Petri ſucceſſorem vnam tantum perſonam, ſeu vnum Epiſcopũ eſſe poſſe. Quo ſemèl legitimè creato, vt rectê dixit Cyprian. epiſt. 52. *Quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foras fiat neceſſe eſt, neque habeat Eccleſiaſticam ordinationẽ, qui Eccleſiæ non tenet vnitatem. Quiſquis ille fuerit, multum de ſe licet iactans, & ſibi plurimum vindicans, prophanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſsit, quiſquis poſt vnum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non iam ſecundus ille, ſed nullus eſt.* Sit igitur conſtans in vna ſede Epiſcopali, ſeu in vna Epiſcoporũ ſerie ſucceſsionem hanc conſtituendam eſſe. Cyprian.

5. Secunda aſſertio de fide.

Hinc ergo concludimus ſolum Romanum Epiſcopum eſſe verum ſucceſſorem Petri, & poteſtatem Petro datam ad oues Chriſti paſcendas, in illo perſeuerare. Hæc aſſertio certa, & catholica fide tenenda eſt, nam licèt expreſſè, & in proprijs terminis in Sacra Scriptura non legatur, in principijs in illa reuelatis virtute continetur, quod per Eccleſiam ſufficienter declaratum eſt; imò quadam rerum euidentia, & experimento conſtat. Declaratur in primis, nam ex Scriptura habemus, Petro datum eſſe primatum Eccceſiæ, vt perpetuò in illa duraturum, vt ſatis probatum eſt. Hæc autem duratio, cùm non eſſet futura in vna, & eadẽ perſona, neceſſariò futura erat per plu-

Solus Romanus Epiſcopus eſt verus Petri ſucceſſor.

plurium perſonarum in eadem dignitate A ſucceſsionem, & hoc etiam ſufficienter in Scriptura cõtinetur, non per additionem aliquam, ſed per legitimam eiuſdem Scripturæ interpretationem. In qua autem Sede, vel Epiſcopatu relicta fuerit hæc ſucceſsio, & perſonarũ ſeries in hac dignitate ſuccedentium, Scriptura non retulit, quia hiſtoria canonica noui teſtamenti vſque ad mortem Petri non peruenit. Ideóq; vt Eccleſiæ certò conſtet, in tali ſede impletam eſſe, & hactenus impleri inſtitutionem à Chriſto factam, & in Scriptura reuelatam, ſatis eſt, vt appli B catio (vt ſic dicam) illius inſtitutionis, & dignitatis ad talem epiſcopatum per euidentem traditionem, & continuum, ac notiſsimum vſum eidem Eccleſiæ ſufficientiſsimè proponatur.

6. Vicarium Chriſti viſibilem, & in determinata ſede eſſe debere.

Nam ſicut in primo libro ex ratione, inſtitutione, & fine Eccleſię Chriſti neceſſariũ eſſe oſtendimus, illam in indiuiduo, & in particulari eſſe viſibilem, ita ex inſtitutione, & fine muneris Vicarij Chriſti, neceſſariũ eſt, illum eſſe viſibilẽ Eccleſiæ, in particulari, ac determinata ſede, & ſucceſsione. Quid enim prodeſſet Eccleſiæ cõfusè credere, eſſe in terris C aliquem Epiſcopum, ſeu epiſcopatũ cũ poteſtate, & munere Vicarij Chriſti, ſi in particulari non agnoſceret, ac certò crederet, quiſnam talis epiſcopatus eſſet? Aut quomodo poſſent oues ſuũ Paſtorẽ ſequi, vel ad illũ recurrere, vel vocẽ eius audire, & recognoſcere, niſi in particulari talem Epiſcopũ in tali ſede, vel epiſcopatu ſedere crederent? Sicut ergo Eccleſia viſibilis non tantùm fide humana, ſed etiam diuina creditur eſſe vera Eccleſia, quia ſenſibilia ſigna, per quæ videtur, nõ ſunt ratio credẽdi, ſed proponunt vt euidenter credibile, illam eſſe veram Eccle- D ſiam, quam Deus ſemper in mundo eſſe futurã reuelauit: ita non ſolùm fide humana, ſed etiam diuina credendum eſt, Romanum Pontificẽ eſſe caput viſibile huius Eccleſię vice Chriſti, quia ſigna illa, quibus hoc caput oſtendimus, faciunt credibile euidenter, illum eſſe, quẽ Chriſtus ex vi ſuæ inſtitutionis Vicarium ſuum conſtituit. Hoc ergo modo dicimus, aſſertionem poſitam eſſe de fide, & in Scriptura, Eccleſiæ traditione adiuncta, ſufficienter contineri.

Supereſt, vt ſigna, & teſtimonia huius euidentis credibilitatis afferamus. Primumq; & quaſi fundamentale ſit, D. Petrum in Epiſcopatu Romano vltimo tẽpore vitæ ſuæ ſediſſe, ibique mortuum fuiſſe; nam hinc fit conſequens, vt ſucceſſores eius in eadẽ ſede permanſerint. 7. Probatur concluſio.

Diuerſi ſtatus Petri in primatu.

Vt antecedens meliùs intelligatur, tria tempora, ſeu ſtatus in Petro poſt Chriſti aſcenſionem diſtinguere poſſumus. In primo præſedit vniuerſali Eccleſiæ Chriſti ſine determinatione ad propriam, & ſpecialẽ curam alicuius particularis epiſcopatus, nimirum per quinque vel ſex annos priùs quâm Antiochiæ ſedem figeret, vt ex Euſebio in Chronico, & ex alijs antiquis hiſtorijs conſtat. *Euſeb.* In ſecũdo ſedit Petrus Antiochiæ ab vltimo Tiberij anno per ſeptem annos. Quibus finitis ſecundo, vel, vt alij volunt, tertio Claudij anno, & quadrageſimo quarto, vel quadrageſimo quinto aduentus Chriſti Eccleſiam Romanam fundauit, ac ſedem ſuam in eam tranſtulit, ibiq; vſque ad mortem ſedit, quam in eadem vrbe Roma per martyrium paſſus eſt.

8. Hinc ergo fit, ſucceſsionem in cathedra Petri non potuiſſe in Hieroſolymitana, vel Antiochena Eccleſia cõtingere. Quia in priori nunquam ſedit, ſed in ea Iacobum primum omnium ſedere fecit, cui Simeon ſucceſsit, vt diximus, & eſt in hiſtorijs notum. In poſteriori autem non permanſit, ſed ad tempus tantùm in ea ſedit, & conſequenter adhuc viuens, ibi ſucceſſorem habuit, quem ipſe ſua authoritate conſtituit, vel Euodium, vel Ignatium, de quo videri poteſt Turrianus in Conſtitutiones Clementis lib. 7. cap. 46. & Baron. in Martyriolog. die 1. Februarij. *Turrian. Baron.* Succeſsit autem Euodius Petro in particulari epiſcopatu Antiocheno, non verò in primatu, ſeu epiſcopatu vniuerſali. Nam Antiochenam ſedem, non à Chriſto immediatè, ſeu diuino iure, ſed arbitrio ſuo, & humano iure Petrus ſibi aſſumpſerat, & ideò facilè potuit illam relinquere, & alteri tradere. Pontificiam autẽ dignitatem immediatè à Chriſto, & diuino iure habuit, ideòq; quandiu vixit, illam nõ reliquit, neq; vt exiſtimo, relinquere potuit, quia ex immediata electione, & collatione, ac præcepto ipſiuſmet Chriſti Eccleſiã vniuerſalem

ſalē habuit ſibi cōmendatā. Relinquitur ergo, vt in Romana Sede Petrus habuerit ſui Pontificatus ſucceſſorem, tū quia in nulla alia poteſt eſſe veſtigium, vel ratio huius ſucceſsionis, etiam ſi ſit Alexādrina, quia nunquam Petrus in ea ſedit, vel Conſtantinopolitana, quæ viuente Petro fundata non fuit, tum etiam quia Petrus in morte habere debuit ſucceſſorem; ergo in epiſcopatu, in quo mortuus eſt, ſcilicet, Romano, illum habuit.

Solùm in Romana ſede potuiſſe Petrum habere Primatus ſucceſſorem.

9. Refellitur euaſio quorundam hæreticorum.

Non defuerunt nihilominus hæretici, qui vt vim huius argumenti fugerēt, Petrum Romæ ſediſſe, aut in ea mortuū eſſe, negauerint. Sed ſuperuacaneum duco, contra eos diſputationem longiorem texere, tum quia neque Rex Angliȩ hoc inſinuat, neque vt opinor Proteſtantes Anglicani in hac ſententia permanent, licèt fortaſſe aliquādo illam tentauerint, tum etiam quia euaſio illa nullum habet veritatis veſtigium, neque probationē, cui reſpondere neceſſe ſit. Aliunde verò Petrum Romæ fuiſſe, ipſiuſmet verba indicant epiſt. 1. cap. 5. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, ibi enim nomine Babylonis Romam ſignificari, omnes Catholici interpretes, & Doctores interpretati ſunt, quos moderni ibi congerunt, & ideò eos referre non eſt neceſſe: nam inferiùs etiam tractando de Antichriſto aliquid de hoc puncto attingemus. Ac denique in eadem Roma Petrum vſque ad mortem Pontificatum geſsiſſe, & ibi mortuum eſſe, omnes Patres antiqui tam Græci, quàm Latini cōmuni conſenſu tradiderunt, quos latè refert Sander. lib. 6. de Viſibili monarchia cap. 10. & Bellarmin. lib. 2. de Romano Pontifice à principio per plura capita. Nunc ſufficit nobis authoritas Hieronymi lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. & ad Galat. 2. & Euſebij in Chronico, cuius ferè verba Hieronymus mutuatus eſt, & cū eis alij tam Latini, quàm Græci hiſtorici conſentiunt. Præter teſtimonia ipſorummet Pontificum ſucceſſorū Petri, quæ ſtatim referemus.

1. Petr. 5. *Sander.* *Bellarm.* *Hieron.* *Euſeb.*

10. Sander. lib. 3. de Claue Dauid. cap. 6.

Addunt deniq; nonnulli Catholici, licèt hæreticis daremus, Petrū non fuiſſe Romæ, nihilominùs potuiſſe Pontificē Romanū eſſe ſucceſſorē Petri: nam potuit Petrus alibi exiſtens, aut ſedens, vel Romæ, vel alibi ſucceſſorē ſibi deligere.

A Quod quidē verè dictū eſt, & ex abundantia ad confuſionē hæreticorū, procedit tamen ſolū de poſsibili, ſeu de poteſtate. Vt autē de facto conſtet, multū refert, quod Petrus Epiſcopus Romanus fuerit vſq; ad mortē. Nam ſi Petrus alibi ſedem habuiſſet vſque ad mortem, vt Romanus Epiſcopus in Pontificia ſede illi ſuccederet, oporteret illā inſtitutionem oſtendere ex peculiari Petri ordinatione, quȩ re vera non extitit, quia nō alibi, ſed in Romana ſede, & vrbe mortuus eſt. Quo poſito non fuit neceſſaria

Etiam ſi Petrus Romæ non ſediſſet potuit ſucceſſorem in Primatu inſtituere.

B noua inſtitutio, aut voluntas Petri, nam ex natura rei, ſuppoſita priori inſtitutione diuina, qui in Romana ſede Petro ſucceſsit, primatum etiam eius conſequutus eſt, & ita per ſucceſsionem ad reliquos Romanos Pōtifices deriuatus eſt.

Aliter verò fugere poſſunt aduerſarij, etiamſi vel inuiti, fateri cogantur, Petrū fuiſſe Epiſcopum Romanum vſque ad mortem, videlicet, inde ſolùm ſequi, ſucceſſorem Petri fuiſſe Epiſcopum Romanum, non tamen rectè inde colligi, eundem ſucceſſorem fuiſſe etiam totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopum, & paſtorem. Quia hæ duȩ dignitates, ſeu epiſcopatus diſtincti ſunt, & ſeparabiles: nam

11. Alia euaſio hæreticorū

C poteſt eſſe Pontifex Eccleſiæ vniuerſalis, licèt non ſit Epiſcopus alicuius diœceſis particularis, ſicut in Petro in initio ſui Pontificatus vidimus. Poteſt præterea vniuerſalis illa dignitas priùs coniūgi cum particulari Epiſcopatu, & poſteà ab illo ſeparari, ſicut factum vidimus in ſede Antiochiæ, vbi Petrus habuit ſucceſſorem in Antiocheno epiſcopatu, qui non ſucceſsit in Papatu; ergo potuit idē contingere in morte Petri, & Romano Epiſcopatu; quia in ipſo etiam Petro cō-

D iunctio talis Epiſcopatus cum primatu non erat de iure diuino, ſed humano, vtique ex voluntate Petri, & ita potuit facilè per mortem ceſſare. Imò eo ipſo, quod ſucceſſor Petri à Romana tantùm, & non ab vniuerſali Eccleſia electus eſt, videtur conſequens, vt in particulari epiſcopatu, non in vniuerſali ſucceſſerit.

Reſpondemus, non minùs certum eſſe, primum ſucceſſorem Petri, & conſequenter reliquos in epiſcopatu Eccleſiæ Catholicæ, quàm in Epiſcopatu Romanæ

12. Refellitur euaſio.

manæ Eccleſiæ ſucceſsiſſe. Hoc probamus, quia vna tantùm perſona ſemper Petro ſucceſsit, vt ex hiſtorijs conſtat, & ex Patribus, quos capite ſequenti referemus; ergo vel illa perſona ſimul cum epiſcopatu Romano primatum Eccleſię habuit, quod intendimus; vel primatus ſine ſucceſsione relictus eſt, & perijt; hoc autē poſterius eſt impoſsibile, quia eſt contra ius diuinum, & contra promiſsionem Chriſti; ergo prius eſt omninò certum. Quocirca ex quo Petrus ſedem ſuam Romæ collocauit, & Pontificalem dignitatem illi Epiſcopatui coniunxit (ſiue illa coniunctio fuerit ex diuina inſtitutione, per ſpeciale præceptum, ac reuelationem, vt aliqui volunt, ſiue fuerit ex humana voluntate Petri, licèt diuinitùs inſpirata) eo ipſo, quòd à Petro viuente mutata non eſt, rata manſit, ideòq; qui Petro in Epiſcopatu ſuffectus eſt, illi in vtraque dignitate neceſſariò ſucceſsit. Et quidquid ſit de illa quæſtione, quæ à Theologis diſputatur, an poſsit Summus Pontifex ſeparare primatum à Romana ſede, & illum, vel in alio epiſcopatu collocare, vel ab omni particulari epiſcopatu ſeparatum relinquere, certum eſſe exiſtimo, dum aliquis Summus Pontifex id non fecerit, non poſſe vniuerſam Eccleſiam, vacante Papatu, id efficere, quia non poteſt inferior poteſtas mutare, quod per ſuperiorem conſtitutum eſt, & quia ſicut Petro ſoli datus eſt primatus pro ipſo, & ſucceſſoribus eius, ita ad ſolum illū, ſeu ad Summum Pontificem ſpectat determinare ſedem Pontificalem, & modum electionis, & ſucceſsionis eius præſcribere. Sic ergo cum Petrus ſuam ſedem Romæ collocauerit, & in illā totum ſuū primatum, & poteſtatem contulerit, illamq; inſtitutionem viuens non mutauerit, non potuit poſteà Eccleſia acephala per mortem Petri illam inſtitutionem mutare, ideòq; ſucceſſor Petri in Epiſcopatu Romano ex neceſsitate ſimul in primatu ſucceſsit.

Succeſſor Petri in Romano Epiſcopatu, in primatu etiam neceſſario ſucceſſit.

13. Neque obſtat, quòd illius ſucceſſoris electio à clero Romano, & non ab vniuerſa Eccleſia facta fuerit, nam (vt dixi) determinare modū ſucceſsionis non ad corpus Eccleſiæ, ſed ad ipſum Petrum pertinebat, ideòq; ſicut voluit Petrus, Pontificatum in ſede Romana ſtabiliter collocare, ita etiā ſtatuit, electionem ſucceſſoris à clero Romano fieri. Vel certè Petrus ipſe Clementem ſibi ſucceſſorē deſignauit, vt author eſt ipſe Clemens epiſt. 1. ad Iacob. fratrem Domini, & lib. 7. Conſtitution. cap. 45. licèt (vt probabilior ſententia fert) ipſe Lino, & Cleto priùs ceſſerit, & poſteà illis ſucceſſerit. Atque ita omnes illi in Pōtificatu, ſimul cum Epiſcopatu Romano ſucceſſerunt, eodemque modo ſucceſsio ad omnes ſequētes Epiſcopos Romanos deriuata eſt. *Clemen.*

CAPVT XIIII.

Romanum Pontificem ſucceſſorē eſſe Petri, teſtimonijs Sanctorū Patrū oſtēditur.

CVM ad confirmanda omnia fidei dogmata, magnā vim habeat Eccleſiaſtica traditio, maximam profectò in præſenti articulo habere debet, quia veluti in quodam facto, & rerū cōcurſu, continuaq; ſucceſsione conſiſtit. Ideoq; neceſſariū duximus, omni teſtimoniorū genere veritatē hāc cōfirmare. Et primò vtemur teſtimonijs antiquorū Patrum, qui non ſolùm affirmant, Epiſcopos Romanos Petro in Pōtificatu ſucceſsiſſe, ſed etiam inter præcipua fundamēta, & ſigna veræ, & catholicæ Eccleſię hanc enumerant ſucceſsionē, vt in lib. 1. ſæpe inſinuatū eſt, & nunc breuiter receſſebim⁹. Primo enim Irenæ. lib. 3. c. 3. ſic inquit, *Quoniā valde longum eſt, omnium Eccleſiarū enumerare ſucceſsiones, maximæ, & antiquiſsimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſsimis Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & cōſtitutæ Eccleſiæ indicātes, &c.* Et infrà. *Fundantes igitur, & inſtruentes Beati Apoſtoli Eccleſiam, Lino epiſcopatū adminiſtrādæ Eccleſiæ tradiderūt.* Et poſteà enumerat ſucceſſores vſq; ad Eleuteriū. Et in illis verbis aduerto ſimpliciter dicere, *Epiſcopatū adminiſtrādæ Eccleſiæ tradiderunt*, & ſine reſtrictione ad Romanam Eccleſiam, quia non poterat vna ab altera ſeparari; & ideò de Romana Eccleſia premiſit. *Ad hāc Eccleſiā propter potētiorē principalitatē, neceſſe eſt, omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui ſunt vndiq; fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndiq; conſeruata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* 1. *Irenæus.*

2. *Auguſt.* Secundò Auguſtinus contra epiſtolã Fundamenti cap. 4. inter certa indicia Catholicæ Eccleſiæ hoc ponit. *Ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum.* Et in Pſalmo contra partem Donati, *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede. Et in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſsit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Vbi clariſsimè oſtendit, ſucceſsionem eſſe in ipſa Pontificali dignitate, quæ per Petrã ſignificatur. Et ita libr. 2. contra Litter. Petilian. cap. 51. eandem dicit eſſe cathedram Eccleſiæ Romanæ, & cathedrã, in qua tunc Anaſtaſius ſedebat. Ac denique epiſt. 165. ſucceſsiones omnium Pontificum à Petro vſque ad Anaſtaſium enumerat. *Optatus.* Simili modo Optatus libr. 2. contra Parmenian. *Videndum eſt* (ait) *qui, & vbi prior cathedra ſederit.* Et infrà, *Negare non potes, ſcire te, in vrbe Roma Petro primò cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur.* Vbi clarè loquitur de cathedra Epiſcopali ſupra totam Eccleſiam. Vnde addit inferiùs; *Ergo cathedra vnita, quæ eſt prima de dotibus* (ſcilicet Eccleſiæ Catholicæ) *ſedit prior Petrus, cui ſucceſsit Linus, &c.* vſque ad Siricium.

3. *Epiphan.* Eandem ſucceſsionem accuratè refert Epiphan. hæreſ. 27. circa finem, & poſt illam ſubiungit. *Et ne quis miretur, quòd ſingula ita exactè recenſemus, per hæc enim ſemper claritas oſtenditur:* ſentiens, ad claritatem veræ, & catholicæ doctrinæ neceſſariam eſſe huiuſmodi ſucceſsionẽ, eiusque notitiam, quia, vt de Petro ipſe dixit in Ancorato circa principium, *Hæc eſt Petra firma, ſuper quam Eccleſia ædificata eſt, & portæ inferorum, quæ ſunt hæreſes, & hæreſiarchæ, non valebunt aduerſus illam. Iuxta enim omnem modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit claues cœlorum, & ſoluit in terra, & ligat in cœlo.* Quam petram, & poteſtatem vſque ad ſua tempora per ſucceſsionem deducit, vt oſtendat in ea eſſe firmatam fidem, contra quam hæreſes non præualent. Eandem Pontificum ſeriem deſcripſit verſibus Tertullianus lib. 5. contra Mar-

A cionem cap. vltim. vbi loquens de Apoſtolorum diſcipulis, qui *ſucceſſere per orbem,* ſubiungit, *Ex quibus electum magnũ, plebiq; probatum. Hac cathedra Petrus, qua ſederat ipſe locatum. Maxima Roma Linum primùm conſidere iuſsit,* & cætera, quæ proſequitur vſque ad Theleſphorum, de cuius tempore dicit, *Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ compoſita à Petro cuius ſucceſſor & ipſe, iamq; loco nono cathedram ſuſcepit Higinus.* Et poſteà Pium, & Anicetum recenſet. Et lib. de Præſcript. cap. 30. mentionẽ facit Eleu- *Tertull.*

B terij, qui poſt Anicetum, imò, & poſt Soterum ſedit. Sic enim ait, *Conſtat, catholicam primo doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, donec* (ſupple, relegatus eſt Marcion) *ſub Epiſcopatu Eleuteri Benedicti,* & cap. 36. *Habes Romam, vnde nobis quoq; authoritas præſto eſt. Statu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt,* vbi per *totam doctrinam* intelligo etiam firmitatem, & doctrinæ incorruptionem.

Denique D. etiam Hieronymus breuiter ſucceſsionem hanc declarat lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. in Clement. Et ſę- 4. *Hieron.*

C pe Cyprian. agens de Electione, & ordinatione Cornelij, præſertim epiſt. 45. ad *Cyprian.* Cornelium, vbi priùs Eccleſiam Romanam vocat, *Eccleſiæ catholicæ radicem, & matricem.* Poſtea verò dicit, *Nunc Epiſcopatus tui & veritas pariter, & dignitas apertiſsima luce, & manifeſtiſsima, & firmiſsima comprobatione fundata eſt. Vt te* (ſicut priùs dixerat) *vniuerſi Collegæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt, catholicæ Eccleſiæ vnitatem, pariter, ac charitatem probarent firmiter, ac tenerent,* vbi clarè docet Epiſcopum Romanum ritè electum ita eſſe Petri ſucceſſorem, vt in il-

D lo vniuerſalis fundetur, & vniatur Eccleſia, ſicut in Petro fundata, & vnita fuit. Vnde loquens de eodem Cornelio epiſt. 52. ad Antonianum: *Factus eſt* (inquit) *Cornelius Epiſcopus, cum nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri, & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret.* Atque hi quidem Patres de ipſa ſucceſſione Pontificũ in ſede, & dignitate Petri expreſsiùs loquuntur, ſunt verò alij plurimi, qui dignitatem ipſam in Epiſcopo Romano recognoſcunt, & exaggerant, quos infrà cap. 17. referemus.

CAP.

CAPVT XV.

Pontificem Romanum in dignitate, & poteſtate, ac Primatu Eccleſiæ ſucceſſorem eſſe Petri eorundem Pontificum authoritate comprobatur.

1. QVANVIS hoc probationis genus Proteſtantes parum moueat, vt infrà dicam, nihilominus illud omittendum non cenſui, tum quia re vera eſt grauiſsimum, & pro Catholicis vtiliſsimum, multaq́, argumentorum genera in ſe complectitur: tum etiam quia Rex Iacobus in ſua Præfat. pag. 60. cum dixiſſet, Petrum eſſe primum, vel Principem Apoſtolorum ætate, vocatione, vel ad ſummum ordine, nõ poteſtate, ſubiungit, *Nec aliquid ſibi amplius trecentis poſt Chriſtum annis Romanæ ſedis Epiſcopus arrogauit*. Vt igitur teſtimonium hoc per errorem, & deceptionem à Rege datum eſſe conuincam, non ſolùm per trecentos, ſed etiam per ſexcentos, vel plures Chriſti annos diſcurram, & euidenter oſtendam, Romanos Pontifices à principio naſcentis Eccleſiæ, Primatũ Eccleſiæ non tantùm quoad ordinem politicum, ſed multò magis quoad ſuperioris authoritatem, & poteſtatem & Petro, & ſibi arrogaſſe.

2. *Varij modi quibus Pontifices ſuam dignitatem aſtruunt.* Vt autem verborum, & teſtimoniorũ vis percipiatur, oportet aduertere, varios eſſe modos, quibus Pontifices ſuam dignitatem aſtruunt. Vnus eſt expreſſè in Petro declarando excellentiam poteſtatis, ſeq; appellando ſucceſſores Petri, & verba de Petro dicta, ſibi applicando. Alius eſt, eos dignitatis titulos aſſumendo, qui non niſi ratione talis Primatus eis conuenire poſſunt. Alius eſt, ſibi attribuendo, vel reſeruando actus ſupremæ iuriſdictionis, & ſpiritualis poteſtatis ſupra totam Eccleſiã. Cùm enim exiſtimari non poſsit, iniuſtè iuriſdictionẽ vſurpare voluiſſe, ſupponunt, in illa ſede ſucceſsionem in hac ſuprema dignitate conſeruari. Vltimus denique eſt, ex profeſſo pro hac veritate pugnando, & contra errores illi repugnantes diſputando. Ex quibus loquendi, & probandi modìs & ex varijs actibus ſupremæ poteſtatis, quos Romani Pontifices ſemper exercuerunt, varia genera argumentorum ad confirmandam veritatem ſumi poſſunt.

A Vt tamen perpetua Eccleſię traditio euidentiùs pateat, cõmodiùs viſum eſt, ſeruato temporum ordine, quid ſinguli Põtifices in omnibus ſeculis de ſuo Primatu docuerint proponere.

Primò ergo Anacletus Papa Epiſt. 1. Apoſtolicam Sedem eſſe dicit, ſuper quã Chriſtus fundauit Eccleſiã, & ideó maiores cauſas ad ipſam pertinere, & Epiſt. 2. *Eccleſiæ* (inquit) *gubernacula tenemus*, & Epiſt. 3. ex profeſſo hanc veritatem cõfirmat, & declarat, dicens, Romanam, & Apoſtolicam Eccleſiam ab ipſo Saluatore primatum obtinuiſſe, & eminentiã poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias. 3. *Anaclet. Papa.* Teſtimonia Pontificum vſque ad trecentesimum Christi annum.

B Secundo Euariſtus Epiſt. 1. *Romanum Epiſcopum caput vocat, ad quod in dubijs recurrendum eſt.* *Euariſt. papa.* Alexander primus Epiſt. 1. vocat *apicem, & caput.* *Ælexand. 1.* Tertiò, Sixtus. I. Epiſt. 1. *Omnium Eccleſiarũ caput.* *Sixtus. 1.* Quartò, Anicetus Epiſt. vnica, *ad ſe pertinere*, ait, *terminare omnia Epiſcoporum iudicia.* *Anicetus.* Quintò, Idem habet Eleuterius in ſua Epiſt. cap. 2. *Eleuteri⁹.* Sextô, Victor. Epiſt. 1. ad Theophilum dicens, *Contrarium agere, nihil aliud eſſe, quàm Apoſtolorum ſucceſſorumq́ue ipſorum terminos tranſgredi, ac decreta violare.* *Victor.*

C 4. Zepherinus Epiſt. 1. ex loco Matth. 16. vbi, caput totius Eccleſiæ vocat Romanam Eccleſiam, & ad eam cæteras Apoſtolica authoritate inſtruere, pertinere dicit, & in fine, *Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Domino Ieſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cuius fides omnes ſemper deſtruit errores.* *Zepherin⁹* Octauo idem ſupponit Anterus ad Epiſcopos per Beticam, & Toletanam prouinciam conſtitutos, reſpondens ad eorum conſultationẽ de mutatione Epiſcoporum, & prius per occaſionem dixit, *Anterus.*

D *Petrum*, quẽ *ſanctum Magiſtrum noſtrum, & Principem Apoſtolorum* vocat, de Antiochia vtilitatis cauſa trãſlatum eſſe Romam. Idemq; fieri poſſe declarat in alijs Epiſcopatibus Apoſtolica authoritate, & ſubiungit. *Hæc vt petiſtis, licet vobis incognita non ſunt, tenenda mandamus.* Et in fine. *State itaque fratres, & tenete traditiones Apoſtolorum, & Apoſtolicæ Sedis.* Nono, Fabianus in Epiſt. 1. Pontificiam authoritatem ſtatim oſtendit, tum in titulo ad omnes *comminiſtros vbique catholicæ Eccleſiæ*, tum in exordio *diuinis præ-* *Fabian.*

ceptis, & Apoſtolicis monemur inſtitutis, vt pro cunctarum Eccleſiarum ſtatu, impigro vigilemus affectu. Vnde conſequens eſt, debere vos ſcire, quæ apud Romanam in ſacro aguntur ritu Eccleſiæ, vt eius ſequentes exempla, eius veri filij inueniamini, quæ veſtra eſt mater vocata. Vbi certê ſupponit appellationem hãc iam tunc fuiſſe vbiq; peruulgatam, & receptam. Idemq́ue eodem modo colligitur ex Epiſt. 2. quæ eſt ad omnes Orientis Epiſcopos, & ex Epiſt. 3. ad Hilarium, vbi de ſe dicit, *Ob hoc diuina gratia fuiſſe ad faſtigium ſacerdotale prouectum, & in quadam ſacerdotum Dei ſpecula conſtitutum ad prohibendum illicita, & docendum ſequenda.* Et deinde ſeruandum ordinem Eccleſiaſticis iudicijs præſcribit *Salua* (inquit) *in omnibus Apoſtolica authoritate*, vtique Romanæ Eccleſiæ.

5. *Cornelius.* Decimo, Cornelius epiſt. ad Cyprianum, quæ eſt 46. inter epiſtolas Cypriani, refert quoſdam per ignorantiam deceptos; ſchiſma contra ipſum feciſſe, poſtea vero, veritate agnita, reſipuiſſe per verba ſequentia, quæ illorum propria eſſe affirmat. *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſsimæ catholicæ Eccleſiæ electum à Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus.* Et infrà. *Mens noſtra ſemper in catholica Eccleſia fuit, neque enim ignoramus, vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſsi ſumus, vnum Spiritum Sanctum, vnum Epiſcopum in catholica Eccleſia eſſe debere.* Quam confeſsionẽ ita ipſe approbat, vt dicat, *Iſta eorum proſeſsione non moueremur?* Et infra. *Has literas exiſtimo, te debere ad cæteras Eccleſias mittere.* 11. *Lucius.* Lucius in epiſtola ad Occidentales ſic incipit, *Literas dilectionis veſtræ, quas ad Beati Petri Apoſtoli Sedem pro veſtri cauſa negotij miſiſtis, libenter ſuſcepimus.* Et poſtea tanquam vniuerſalis Paſtor, reſpondet, & multa diſponit. 12. *Sixtus. 2.* Sixtus II. in Epiſtola prima prius dicit, *ſe illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius à Chriſto eſt laudata confeſſio, & cuius fides nullum vnquam fallit, ſed omnes hæreſes deſtruit.* Poſtea verò ſubdit, licitum eſſe Epiſcopis ad Sedem Apoſtolicam appellare. *Cuius diſpoſitioni omnes maiores Eccleſiaſticas cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumque ſucceſſorum, atque canonum au-*

A *thoritas reſeruauit, quoniam culpantur Epiſcopi, qui aliter erga fratres egerint, quam eiuſdem Sedis Papæ fieri placuerit.*

6. *Diony.* Decimo tertio, ſimilia habet Dionyſius Epiſtola ſecunda, ad Seuerum Epiſcopum, *Ab initio* (ait) *tantam accepimus à Beato Petro Apoſtolorum Principe fiduciam, vt habeamus authoritatem, auxiliante Domino vniuerſali Eccleſiæ ſubuenire.* Et poſteà parochiarum diuiſionem fieri præcipit, & normam ab ipſo datam omnibus fieri notam. *Vt non ſpecialis fiat,* (ait) *ſed generalis hæc præceptio.* 14. *Felix.* Felix Epiſtola prima, *Maiores*
B *cauſas totius Eccleſiæ ſibi reſeruatas eſſe confirmat.* 15. Marcellus epiſtola prima, ad Epiſcopos Antiochenæ prouinciæ *Marcellus* ſic incipit, *Solicitudinem omnium Eccleſiarum iuxta Apoſtolum circunferentes, & cætera.* Quæ latê proſequitur, omnia ſupra dicta confirmando, & addit, *Nullam Synodum legitime fieri poſſe ſine Romanæ Sedis authoritate.* Atque hæc ad Regis aſſeuerationem confutandam ſufficere poſſent: nam Marcellus vſque ad annum Chriſti trecenteſimum decimum ſuperuixit, ad maiorem autem
C veritatis euidentiam ſaltem per alia, tria ſub ſequentia ſecula diſcurrendum eſt.

7. *Euſeb.* Pontificum teſtimonia pro hac veritate ab anno Chriſti trecenteſimo vſq; ad ſexcenteſimum. Decimo ſexto, Euſebius Epiſtolam tertiam ſic incipit, *Benedictus Dominus Deus noſter, qui per miſericordiam ſuam Romanam Eccleſiam Beati Petri Apoſtoli ſacerdotio dicauit, nobiſque viam monſtrandam circa nos (propter vniuerſalem curam, quæ nobis eſt propter priuilegium eiuſdem Eccleſiæ) inuicem charitatis indulſit, & cæt.* 17. *Melchiad.* Melchiades in Epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, dicens, ad ſe pertinere de Epiſcopis iudicare, ſubdit,
D *Hos enim Dominus ſuo iudicio reſeruauit, hocque priuilegium Beato clauigero Petro ſua vice ſolummodo commiſit. Quod eius iuſte prærogatiuum ſuccreſcit ſedi, futuris hæreditandum, atque tenendum temporibus, quoniam & inter Apoſtolos fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cæt.* 18. Ex *Syluest.* Syluestro afferre poſſumus canonem vltimum Romanæ Synodi ſub illo conſtitutæ, qui ſic habet, *Nemo iudicabit primam ſedem, quoniam omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari. Neque ab Auguſto, neque ab omni clero, neque à Regi-*

Regibus, neque à populo iudex iudicabitur. Et ſubſcripſerunt ducēti octuaginta quatuor Epiſcopi cum aliquibus præsbyteris, & diaconis, & ipſe etiam Conſtantinus Auguſtus. 19. Marcus in epiſt. ad Athanaſiū, & Epiſcopos Aegypti, *Hæc*
Marcus. (inquit) *eſt ſancta, & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum, Chriſti Eccleſia*, quam etiam eſſe dicit immaculatā in fide, quia promiſsio facta Petro in Romanis Pontificibus impletur. 20. Iulius. 1. epiſt. ad Orientales, Romanam ſedem primam
Iulius. 1. vocat, & ad illam pertinere dicit iura cō uocandi Synodos, iudicandi Epiſcopos, & maiores cauſas ad ſe reſeruandi, *quia omnibus prælata eſt non ſolùm canonum, & Sanctorum Patrum decretis, ſed Domini Saluatoris noſtri voce.* Quod etiam repetit in reſcripto contra Orientales pro Athanaſio.

Vigeſimo primo. Liberius in reſcrip-
8. to ad Athanaſium in principio authori-
Liberius. tatem dicit, ſe in Petro ſuper vniuerſam Eccleſiam accepiſſe. 22. Felix. 2. in re-
Felix. 2. ſcripto ad Athanaſium, & Aegyptios de Romana ſede intelligit Chriſti verba, Matt. 16. 23. Damaſus in epiſtol. 2. ad
Damaſus. Epiſcopos Affricæ, priùs dicit, *Nos qui ſupra domum Domini, hoc eſt, vniuerſalem Eccleſiam Catholicā Epiſcopale ſuſcepimus miniſterium.* Deinde ſubiungit, *Scitis firmamentum à Deo fixum, & immobile, atq; titulum lucidiſsimum ſuorum ſacerdotum, id eſt omnium Epiſcoporum, Apoſtolicam ſedē eſſe conſtitutam, & verticem Eccleſiarum.* Et ſubiungit ſtatim verba Chriſti. Et inter epiſtolas huius Pontificis extat quędam ad ipſum, Aurelij Carthaginenſis Epiſcopi poſtulantis ab ipſo ſtatuta, & decreta in Romana Sede à fine Petri vſq; ad ipſum Damaſum, *iuxta Apoſtolicæ* (inquit) *Sedis authoritatē.* Quæ mittens Damaſus ait epiſt. 5. *Ea te cuſtodire optamus, & alijs prædicanda, ac publicanda mandamus, vt ab omnibus inuiolatè debita venera-*
Siricius. *tione cuſtodiantur, &c.* 24. Siricius epiſt. 1. ad Himerium Tarraconenſem Epiſcopum, *Portamus* (inquit) *onera omnium; imò hæc portat in nobis Beatus Apoſtolus Petrus.* Et Epiſtola tertia ad vniuerſos orthodoxos, *Nobis loqui neceſsitas imperauit, cui omnium Eccleſiarum cura eſt.* 25. Anaſtaſius cunctis Germanicis, &
Anaſtaſ. Burgundiæ regionis Epiſcopis ſic ſcri-

A bit, *Exigit dilectio veſtra, ex authoritate Sedis Apoſtolicæ veſtris reſpondere conſultis.* Et poſteà ſub hac verborum forma reſpondet. *Apoſtolica authoritate mandamus.*

Vigeſimo ſexto. Innocentius primus 9.
varijs loquendi modis, & in multis epi- *Innocent.*
ſtolis hanc veritatem docet, & vniuerſalem poteſtatem, quam in Euangelio fundat, præcipiendo, & decernendo exercet, quæ omnia hic referre, prolixum eſſet. Et ideò ſatis erit loca deſignare, ſcilicet, Epiſtola 1. ad Victricium. 2. ad Exuperium. 3. ad Innocentium, & ferè B per omnes ſubſequentes, ſpecialiter verò notanda eſt epiſtola 17. ad Archadium Imperatorem, in qua his verbis illum excommunicat. *Ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apoſtoli Petri creditus eſt, ſegrego, & reijcio te, & illam à perceptione immaculatorum myſteriorum Chriſti Dei noſtri, & cæt.* quæ ibi proſequitur, poteſtate ligandi, & ſoluendi vtendo in omnes Epiſcopos, & Patriarchas. Notanda eſt etiam Epiſtola 27. ad Epiſcopos Macedoniæ: nam cùm Innocentius ab eis epiſtolas accepiſſet, *In* C *eis*, ait, *multa poſita eſſe peruidi, quæ ſtuporem mentibus noſtris inducerent.* Et infrà illa explicans dicit, *Quæ cùm ſæpiùs repeti feciſſem, aduerti, Sedi Apoſtolicæ (ad quam relatio quaſi ad caput Eccleſiarum miſſa currebat) fieri iniuriam cuius adhuc in ambiguum ſententia duceretur.* In epiſtola etiam 29. ad Decentium latè idem oſtendit. Et optimè in epiſtola 31. & 32. ad Concilia Carthaginenſe, & Mileuitanum.

Vigeſimo ſeptimo Zoſimus epiſtola 10.
1. ad Heſichi. Epiſcopum. *Miramur*, ait, *Zoſimus.*
ad dilectionem tuam ſtatuta Apoſtolicæ ſe- D *dis non fuiſſe perlata.* Et infrà, *Siquid authoritati tuæ æſtimas defuiſſe, ſupplemus.* Et infrà, *Sciet quiſquis hoc poſtpoſita Patrum & Apoſtolicæ ſedis authoritate, neglexerit, à nobis diſtrictiùs vindicandum.*
28. Bonifacius. I. epiſtola 2. ad Epiſ- *Bonifac. 1.*
copos Galliæ, de iudicijs Epiſcoporum in grauibus cauſis ita concludit, *Noſtra neceſſe eſt authoritate firmentur*, & Epiſtol. 3. ad Hilariū Epiſcopum ita ſcribit, *Metropolitanæ iure munitus, & præceptionibus noſtris fretus accede, &c.* 29. Cœleſti- *Cœleſt. 1.*
nus. I. epiſt. 1. ad Epiſcopos prouinciarū

Viennenſis, & Narbonenſis, *In ſpecula* (inquit) *à Deo conſtituti*. Et infrà *Circa longinqua ſpiritualis cura non deficit, ſed ſe per omnia, qua nomen Dei prædicatur, extẽdit*. Et in Epiſt.4. ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam, de Athanaſio loquẽs, inquit, *In hac ſede quietem communionis inuenit, a qua ſemper catholicis ſubuenitur*. Et Epiſt.5. ad Neſtor. curã fidei, & omniũ Eccleſiarum ad ſe dicit pertinere, idẽq; ex cæteris eius epiſtolis apertè colligitur.

11. Trigeſimo ex Leone Papa multa in ſuperioribus adducta ſunt, nam in omnibus ferè epiſtolis ſe oſtendit vniuerſæ Eccleſiæ paſtorem, vt Epiſt.4. in initio, verbis etiam expreſsit, dicens, *Diuinis præceptis, & Apoſtolicis monitis incitamur vt pro omnium Eccleſiarum ſtatu impigro vigilemus affectu*. Notanda etiam eſt Epiſt. 47. ad Synodum Chalcedonẽſem, in qua cùm dixiſſet, voluntatem Imperatoris fuiſſe, vt congregaretur Concilium, addit, *Beatiſsimi Petri Apoſtoli iure, atque honore ſeruato*, & infrà dicit per ſuos Vicarios ſe in vniuerſali Synodo præſidere. Et Epiſt.53. in qua reprehendit Anatolium Patriarham Conſtantinopolitanum, eo quod Alexandrinæ, & Antiochenæ Eccleſiæ præferri voluiſſet, quod in duabus ſequentibus Epiſtolis repetit, & in poſteriori quæ eſt ad Pulcheriam Auguſtam, ſic inquit, *Conſenſiones Epiſcoporum, ſanctorum canonum, in Nicæna Synodo conditorum regulis repugnãtes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per authoritatem Beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus*. Optima eſt etiam Epiſt.84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum, cui, vt ipſe dicit, vices ſuas delegauerat, *vt curam* (ait) *quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares*, & in Epiſt.89. ad Epiſcopos Viẽnenſis prouinciæ exprofeſſo declarat diuinam inſtitutionem de Eccleſiaſtica monarchia in Petro, & eius ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis. Quam inter alia probat ex conſuetudine conſulendi eandem Sedem, appellandi ad illam, & quod ab illa fuerint retractata, vel confirmata iudicia, quam *dignitatem diuinitus datam*, ſe tueri dicit, *non ſua quærens, ſed quæ ſunt*

A *Chriſti*. Idem optimè tractat in ſermonibus de Aſſumptione ſua, præſertim in tertio.

Trigeſimo primo idem profitetur Hilarius Papa Epiſt. 3. ad Aſcanium Epiſcopum, & in principio Concilij Romani ſub ipſo congregati. 32. Idem ſupponit Simplicius Epiſt. 1. ad Zenonem Hiſpalenſem Epiſcopum, cui Apoſtolicæ Sedis vices committit, & in Epiſt. 3. ad Zenonem Imperatorem, quem filium vocat, & ad fidem tuendam excitat dicens inferius, *Perſtat enim in ſucceſſo-*
B *ribus ſuis* (id eſt Leonis Papæ) *hæc, & eadem Apoſtolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ouilis iniunxit, & cæt*. Et in Epiſt.5. ad Acatium habet illa verba notanda. *Quia ſanctæ memoriæ prædeceſſorum noſtrorum extante doctrina, contra quã nephas eſt diſputare, quisquis rectè ſapere videtur, nouis aſſertionibus non indiget edoceri*. Et Epiſt.9. ad Zenonem Auguſtum *Eccleſiarum* (inquit) *omnium curam ſuſtinens, & cæt*. Quod etiam oſtendit in Epiſt.13. ad eundem, vbi etiam in quodam canone Concilij Nicæni diſpenſat.

12, *Hilar. Pa.*

Simplic.

C Trigeſimo tertio, Magnus præterea huius dignitatis defenſor fuit Gelaſius. 1. Epiſt. 2. ad Epiſcopos Dardaniæ, & 6. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 11. & 27. & maximè in Epiſt. 10. ad Anaſtaſium Imperatorẽ, vbi veritatem hanc latè cõfirmat, & quantũ Põtifex Imperatorẽ, quem filium vocat, antecellat, declarat. Et in Epiſt. 11. ad Dardanos teſtatur, Apoſtolicam Sedem omnes Synodos confirmare, & nullum Epiſcopum poſſe iudiciũ eius ſubterfugere, & cæt. Multaque ſimilia habet in commonitorio ad Fauſtum, & in tomo de Vinculo ana-
D thematis, & maxime in decreto de Apocriphys ſcripturis in principio. 34. Anaſtaſius 2. in Epiſt. ad Anaſtaſium Auguſtum, illum monet, vt ſuis mandatis obediat, quia ſedes Petri ex ordinatione diuina in vniuerſali Eccleſia tenet principatum. 35. Idem latius oſtendit Symmachus in Apologet. contra eundem Anaſtaſium Auguſtum, ex quo multa in ſuperioribus deſumpſimus. 36. Hormiſda Epiſt. 1. ad Anaſtaſium Auguſtum iam aliquo modo correctum, eum laudat, dicẽs, *De orthodoxa concordia cogitatis*

13. *Gelaſ. 1.*

Anaſt. 2.

Symmach.

Hormiſda.

tatis Eccleſiæ in Beati Apoſtoli Petri reuerentia, diuina ſpecialiter præcepta ſeruantes. Et infrà, *Directis ad nos ſacris affatibus,cō memorationem Sancti Concilij facere pietas veſtra dignata eſt. De qua re tunc pleniſsimū poterimus præbere reſponſum, dum cauſam congregationis nos volueritis euidenter agnoſcere.* In quibus verbis ſatis oſtendit decretum Concilij congregandi ad ſe, & cauſa cognita pertinere, de qua re plures epiſtolæ inter eoſdem Pōtificem, & Imperatorem videri poſſunt. Et ſimilia
Nota. habet idem Pontifex in epiſt.22,ad Iuſtinum Imperatorem cum multis ſequentibus.

Trigeſimo ſeptimo Bonifacius. 2. in
14. Epiſt.ad Eulalium Alexandrinū Epiſco
Boniſa.2. pum in principio eandem dignitatem,& fiduciam in poteſtate Petri oſtendit. 38. Idem optimè Ioannes.2.epiſt.2.ad Iuſ-
Ioan.2. tinianum Imperatorem. 39. Vigilius Pa-
Vigil.pap. pa epiſt.1.cap.7. Sic ait, *Nulli vel tenuiter ſentienti, vel pleniter ſapienti dubium eſt, quòd Romana Eccleſia forma,& fundamentum ſit Eccleſiarum,&c.* Idem ſumitur ex epiſt.eiuſdem 2. ad Iuſtinianum Auguſtum,quem filiū appellat. Idem ex epiſt. 4.ad Aurelianum Epiſcopum,& in fragmento Theodori Epiſcopi Cæſareæ, & aliorum,& ex epiſt. 7. ad vniuerſum populum Dei. 40. Pelagius.1. in epiſt.1.ad
Pelag.1. Vigilium in fine poſt confutationem cuiuſdam erroris addit, *Det operā tua dilectio,vt omnibus Eccleſiæ filijs innoteſcat,&c.* & ſubiungit rationem, *Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cuius Domino Ieſu Chriſto eſt glorificata confeſſio,& cuius fides omnes hæreſes deſtruit.* Epiſt.etiam 3.optima eſt,& valde notanda pro his, quæ in ſequentibus dicemus, & Epiſt. 5. in dubitationibus circa vniuerſales Synodos ad ſedem Apoſtolicam eſſe recurrendū. 41. Ioannes 3.in epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ,& Galliæ dicit, eos ſuis literis Apoſtolicis admonere,anteceſſorū ſuorum veſtigia ſequendo, & iterum verſus finem. *Monente* (inquit) *Dominicæ vocis imperio, quo Beatiſsimus Apoſtolus Petrus trina repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur,vt Chriſti oues,qui Chriſtum amat, diligenter, & cum magna cura paſcat,quoniam ipſius Sanctæ Sedis, cui per abūdantiam diuinæ gratiæ præſumus, ipſius*
Pelag. 2. *amore cohortamur,&c.* 42. Pelagius. 2.

A epiſt.1.contra Ioannem Cōſtantinopolitanum Epiſcopum, qui primatum ambiebat, inquit, *Reiecta penitus audacia, quæ contra Apoſtolicam Sedem, & contra ipſam Domini Saluatoris vocem ſumpta eſt, diſputandi contra Domini præcepta vana errantium corda conquieſcant*,& cætera, quæ latè proſequitur,docens,Romanam Sedē inſtituente Domino,caput eſſe omnium Eccleſiarum, ad ipſamque pertinere Cōcilia congregare, nec poſſe legitima eſſe, quæ illius authoritate non fulciantur.

Quadrageſimo tertio, Magnus tandē 15.
B Gregorius, qui vſque ad ſexcenteſimū Gregor. decimum annum Domini Eccleſiæ præſedit eandem Pontificiam authoritatem, actibus exercuit, & verbis confirmauit, vt ex epiſtolis eius conſtat,ex quibus aliqua breuiter perſtringemus. Nam generatim loquēdo in omnibus ferè illis curā vniuerſalis paſtoris egregie demonſtrat, & præſertim notanda eſt Epiſt. 24. libri. 1. quæ eſt ad omnes orbis Patriarchas,in qua onus ſibi impoſitū exaggerat,& quinque generalia Cōcilia veneratur,& quaſi denuo confirmat, & epiſt.71. *Quantò Apoſtolicæ ſedi* (ait) *ab Eccleſiis cæteris reuerentia exhibetur,tanto eā in earum decet eſſe*
C *tuitione ſolicitā*, & lib. 2. indict.11. epiſt. 7.cap.46.poteſtatem ſupra omnes Epiſcopos,& ad omnes cauſas arduas terminandas profitetur, & exercet. Poſteà verò lib.3.epiſt. 32.aliàs indict.13. cap. 76. grauiter reprehendit elationem Ioānis Conſtantinopolitani, & minatur coercitionem,niſi reſipiſcat,& per occaſionem dicit, *Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica totius Eccleſiæ cura,& Principatus committitur.* Quę etiā repetit lib.7. epiſt.69.vbi etiam dicit, ſine Apoſtolicę Sedis conſenſu, & autho-
D ritate nullum Concilium vires habere. Et in eodem lib. Epiſt. 64. agens de eodem Epiſcopo Conſtantinopolitano, ait, *In quodam crimine Byzantius Primas fuerat accuſatus,& piiſsimus Imperator eum iuxta ſtatuta canonica per nos voluit iudicari.* Et infrà de eodē Primate ait, *quod ſe dicit ſedi Apoſtolicæ ſubijci, ſi qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio, quis ei Epiſcopus ſubiectus ſit.* Et lib. 6. indict.15.cap.37. alias cap. 201, ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum,refert illius Patriarchæ epiſtolā, in qua recognoſcit cathedram Petri in

ſede

Sede Romana, & adiungit. *Quis eſt, qui neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam? &c.* Libr. 4. epiſt. 51. aliàs cap. 95. pallium mittit cuidam Epiſcopo. Idem epiſt. 54. & ſæpe Epiſcopos confirmat, & interdum deponit, vel excommunicat. Et lib. 7. epiſtol. 125. *Quæ ſemel* (inquit) *Apoſtolicæ ſedis authoritate ſancita ſunt, nil egent firmitatis, &c.* & inuumera ſimilia in illis epiſtolis inuenientur.

16. Præcipue verò notandus eſt inſignis locus eiuſdem Pontificis ſuper. 5. Pſalmum pœnitentiæ, circa illa verba, *Qui laudabant me, aduerſus me iurabant.* Ibi enim quaſi deſcribens huius temporis ſchiſmata, inquit, *Erroris veſania noſtris maxime temporibus malitiæ ſuæ virus exercuit. Et totius Eccleſiæ pacem ſchiſmatica infeſtatione turbauit. Concitauit enim aduerſus Eccleſiam Dei non ſolùm innumerabilẽ populi multitudinem, verùm etiam Regiam, ſi fas eſt dicere, poteſtatem. Nulla enim ratio ſinit, vt inter Reges habeatur, qui deſtruit potius, quàm regat imperium, & quotcumq; habere poteſt peruerſitatis ſuæ ſocios, eos à conſortio Chriſti efficit alienos. Qui turpiſſimi lucri cupiditate illectus ſponſam Chriſti efficit captiuam, cupit abducere, & paſsionis Dominicæ Sacramentum auſu temerario contẽdit euacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis pretio redempta Saluator noſter voluit eſſe liberam: hanc iſte poteſtatis Regiæ iura tranſcendens, facere conatur ancillam. Quanto melius foret ſibi dominam ſuam eſſe agnoſcere, eiq; religioſorum Principum exemplo deuotionis obſequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſuæ dominium accepit poteſtatis? Ipſe enim eſt, qui ait. Per me Reges regnant. Sed immenſæ cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt patet, ingratus beneficio, & contra Deum faſtuoſus, terminos, quos poſuerunt Patres noſtri, contempto diuino timore, tranſgreditur, & contra catholicam veritatem ſuæ furore tyrannidis effertur. In tantum autem ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc Beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit, dicens: Tibi dabo Eccleſiã meam, Obſtruatur ergo os loquentium iniqua & omnis hæreticorum acies obmuteſcat: quia* A *nullas vires habet mendacium, quod ipſius voce veritatis inuenitur deſtructum.*

Sicut his ſex primis ſeculis Romani Pontifices Primatus ſui teſtimonium, & manifeſtiſsima ſigna dederũt, ita prorſus in omnibus poſterioribus ſeculis ipſorũ ſucceſſores conſtantiſsimè docuerunt, & pro hac veritate, ad vnitatem fidei, & Eccleſię conſeruandam neceſſaria, maximè propugnarunt. Nõ exiſtimo autẽ opportunum ſingulorum ſententias ſigillatim proſequi, tum quia Proteſtantes de his maximè poſteriorib⁹ Põtificibus hoc nõ B negant; tum etiam quia omnia iura, & decreta canonica, quæ in Decreto, & Decretalibus continentur, plena ſunt huiuſmodi teſtimoniis. Quædam vero inſigniora loca, quæ præſenti controuerſię magis videtur accommodata deſignanda breuiter cenſui. Videndę ergo ſunt epiſtolæ Honorij. 1. ad Eduinum Regem Anglorum, & Honorium Epiſcopum, nam ex illis conſtat, tum Regem, tum Epiſcopos Angliæ ab Apoſtolica ſede ſpiritualia iura impetraſſe, vel accepiſſe. Nam ibi Pontifex ad Regis petitionem duo pallia mittit duobus Metropolitanis, & C vtrique, vt authoritate Papæ ſucceſſorẽ in morte poſsit ſibi ſubrogare concedit. Videri etiam poteſt epiſtola Leonis II. ad Epiſcopos Hiſpanię de recipiẽda ſexta Synodo; cuius fit mentio in Concilio Toletan. 14. eamque integram refert ex vetuſto, & authentico codice Garſias Loaiſa in ſua collectione Conciliorum Hiſpaniæ. In illa ergo Leo Romanã Eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem Sanctam Ecccleſiam omnium matrem appellat, & de ſe ait *Nos licèt impares vicè tamen Apoſtolorum Principis fungimur.* Et ſimiliter Benedictus. 2. in epiſt. ad idem Conciliũ D in eodem loco relata, *Beati* (inquit) *Petri Apoſtolorum Principis licèt impares pro commiſſo, diuina ope, miniſterio locum implemus.* Eſt etiam conſulenda epiſtola Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem, quæ habetur in ſexta Synodo act. 4. vbi loca Euangelij ſuprà tractata ad Romanam Eccleſiam pertinere oſtendit, & in hoc maximè inſiſtit, quòd in fide nunquam errauit, nec errare poteſt.

Eſt etiam valde notãda epiſtola Adriani. 1. ad Imperatores Conſtantinum, & Irenem, quæ habetur in Septima Synodo

17. Poſteriores etiam Pontifices æque conſtanter ſuum primatum tutati ſunt.

44 Honor. 1.

Leo. 2.

Benedict. 2.

45 Agath.

18. Adrian. 1.

46

do. Nam in priori parte eius, *Imperatorē exhortatur ad permanendum in fide Petri, & Eccleſiæ Romanæ, & ad honorandam Sāctiſsimam Romanam Eccleſiam, Principem Apoſtolorum, ſicut à ſuperioribus pijs Imperatoribus factum eſt, qui ex toto corde Vicarium eius dilexerunt.* In altera vero parte, quę à Gæcis omiſſa eſt, tamen in Vaticana bibliotheca ſeruatur, & ab Anaſtaſio addita eſt, de hac ſede dicit, *in toto orbe terrarum primatu fungens, caput omnium Eccleſiarum conſtituta eſt, &c.* reprehenditque Patriarcham Cōſtantinopolitanū, quod auderet vniuerſalis Epiſcopi nomen aſſumere, cùm neque in ſecundo ordine ſine authoritate Pontificis Romani vnquam potuerit nomen habere. Et addit notanda verba: *Quod ſi ſuper prælatam ſibi Sanctam Romanam Eccleſiam, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, deſcribatur, tanquam Sanctarum Synodorum rebellem, atque hæreticum ſe manifeſtare certum eſt. Quia ſi vniuerſalis eſt, etiam noſtræ Sedis Primatum habere dignoſcitur; quod ridiculum omnibus fidelibus Chriſtianis apparet, quia in toto orbe terrarum à Redemptore mundi Beato Petro Apoſtolo Principatus ac poteſtas data eſt, & per eundem Apoſtolum Eccleſia*
19 *Romana vſque hactenus tenet Principatum, poteſtatem, & authoritatem.*

47 Nicol, 1. Præterea Nicolaus. 1. in ſuis epiſtolis ſæpe hanc veritatem profitetur, prę ſertim Epiſt. 6. ad Phocium; & in ſeptima reſponſione eius, copioſè verò, & efficaciter in epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem, quæ eſt prima ad ipſum, & in altera ad Eundem idem confirmat, & in 10. ad Epiſcopos Conſtantinopolitanæ
48 Ioann. 8. ſedi ſubiectos, & in 18. 20. & 30. & ferè in reliquis. Multa etiam ſimilia habētur in epiſtolis Ioannis. 8. quæ licet in tomis Conciliorum non habeantur, in 3. tomo epiſtolarum Pontificaliū nouiſsimè editæ ſunt, ſpecialiter verò in epiſtol. 73. ad Lambertū Comitem notari poſſunt illa verba, *Sedem Apoſtolicam, quam Deus omnipotens ſupra petram ſui nominis fundare dignatus eſt, non ſolùm Reges, & Principes terræ, verum etiam Imperatores Auguſti, & totius orbis Domini ſuis apicibus, vt pote caput omnium Eccleſiarum Dei honorauerunt, dignisque præconijs eius Pontifices Vicarios ſcilicet Beati Petri Apoſtolorū Principis laudauerunt; votiſque ſupplicibus de-*

A *precari ſtuduerunt, & vſque in finem ſeculi Petri manente nomine, ac memoria, ſupplicare nō deſinent.* Idē epiſt. 87. ad Ludouic. Regem Caroli Imperatoris filium, quē vice Patris ſuum à ſecretis conſiliarium 20.
conſtituit.

49. Leo. 9. Deinde Leo. 9. in Apologia contra Michaelem, & Leonem cap. 9. inter hæreſes Orientalium Epiſcoporum ponit preſumptionem aſſumendi nomen vniuerſalis Epiſcopi, quod ait, Romano Epiſcopo oblatū eſſe à Synodo Chalcedonēſi, & licèt poſt Chriſtum illi maximè con- B uenire poſsit, propter modeſtiam, & humilitatem illud nō acceptaſſe, & cap. 10. decernit, de Apoſtolica ſede neminē mortalium poſſe facere iudicium, *Beatiſsimo (inquit) & Apoſtolico Pontifice Syluestro diuinitùs decernente, ſpiritualique eius filio Conſtantino, religioſiſsimo Auguſto, vniuerſa Nicæna Synodo approbante, ac ſubſcribente, &c.* Videri etiam poteſt eius epi-
ſtola ad Petrum Epiſcopum Antiochenum, & epiſt. ad Conſtantinum Mona- 50 Gregor. 7.
chum Imperatorem. Gregorius item. 7. in ſuis epiſtolarum libris multa habet in huius veritatis confirmationem, ſpecia- C liter autem videri poſſunt in lib. 1. epiſt. 63. ad Regē Aragonię, & 64. ad Alphōſum, & Sancium Reges Hiſpaniæ, vbi fidelitatem eorum ad Apoſtolicam ſedem laudat, & concordiam cum illa commendat, & lib. 3. epiſt. 10. ad Henricum Regem, vbi in ipſa ſalutatione ait, *Henrico Regi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionē, ſi tamen Apoſtolicæ ſedi, ſicut Chriſtianum Regē decet, obedierit, &c.* Et deinceps tota epiſtola eſt in confirmationem Romani Primatus; & poſtea excommunicat Sige- Notā.
fredum Moguntinum Archiepiſcopum & alios propter ſchiſma ab Eccleſia Ro- D mana. Et tandem ipſum etiam Regem excommunicat, & *omnes Chriſtianos à vinculo iuramenti, quod illi fecerunt, vel facient, abſoluit, & vt nullus ei ſeruiat, interdicit.* Libro autem 4. epiſt. 12. ad Epiſcopos, & Principes regni Theutonicorum refert, qualiter idem Rex humiliatus ad pœnitentiam, *abſolutionis veniam impetrauerit,* recepto ab eo ſecuritatis iuramento. Et in eodem lib. epiſt. vlt. ad Regem, & Prin-
cipes Hiſpanię, eandem curam vniuer- 51
ſalem profitetur, vt latius ibi videri po- Innoc. 3.
teſt. Innocentius etiam III. egregie de Pri-

Primatu Eccleſiæ Romanæ ſcripſit in ſerm. 2. de Conſecratione Pontificis, & in varijs epiſtolis decretalibus tam lib. 1. quàm ſecundo ſępe idem repetit. Ac denique ferè in omuibus Bullis, Conſtitutionibus, & Extrauagantibus eandem ſupremam poteſtatem moderni Pontifices exercuerunt ſemper, & exercent. Eſt ergo euidens in hoc puncto perpetua eorundē Pontificū traditio, & conſenſio.

CAPVT XVI.

Occurritur Proteſtantibus, argumentum ex Pontificium traditione ſumptum eludentibus, & authoritate Conciliorum confirmatur.

1 *Primus euadendi modus.*

ALtero verò è duobus modis ſolent aduerſarij Eccleſiæ Romanæ allatis teſtimonijs Pontificum reſpōdere. Prior eſt, non conſtare, prædictas epiſtolas decretales eſſe legitimas; imò multa in eis reprehendunt, propter quæ earum authoritatem contemnunt. Verū tamen hęc reſponſio non ſolum apud catholicos, ſed etiam apud quoſcūque eruditos, & prudentes viros tanquam friuola, & incredibilis reijcienda eſt, vt latè oſtendit noſter Franciſcus Turrianus in libris in defenſionem illarum epiſtolarū editis, in quibus omnibus calumnijs Magdeburgenſiū reſpondet. Nos autem breuiter dicimus, in primis tantā eſſe epiſtolarum antiquitatem, vt timeri non poſsit ad confutandos nouos errores fuiſſe confictas. Prætereà de Leonis. 1. epiſtolis nullus hactenus dubitauit, & tamen ipſe epiſt. 2. c. cap. 5, *cuſtodire mandat,* omnia decretalia conſtituta, tam beatę recordationis Innocentij, quàm omnium prædeceſſorum ſuorum. Et clarius Gelaſius Papa, qui ante mille centum annos fuit. in decreto de Libris authenticis, quod Gratianus etiam refert diſt. 15. cap. 3. ſic inquit *Decretales Epiſtolæ, quas beatiſsimi Papæ diuerſis temporibus ab vbe Roma pro diuerſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt.* Idemque poſt trecentos, & quinquaginta fere annos confirmauit Nicolaus. 1. in epiſt. 42. ad Epiſcos Galliæ, cuius magnam partē Gratianus inſeruit Decreto, diſt. 19. cap. 1. D. Item Hieronym. epiſt. 11. ad Geruch. teſtatur, aliquando iuuaſſe Damaſum Orientis, atque Occidentis conſultationibus reſpondentem. Non poteſt ergo dubitari, fuiſſe conſuetudinem Pontificum Romanorum per has epiſtolas Eccleſiam gubernandi, ergo neq; veriſimile eſt omnes perijſſe, neq; aliàs eſſe, niſi quæ in Eccleſia Romana receptæ, & ſeruatæ ſunt.

Reijcitur euaſio, & adductas Epiſtolas legitimas eſſe oſtenditur.

Turrian. *Leo. 1.* *Gelaſ.* *Gratian.* *Nicol. 1.* *Hierony.*

2. Ad hæc, multę ex his epiſtolis inſertæ ſunt. & connexæ cum epiſtolis aliorū Patrum, quæ in dubium reuocari non poſſunt ſine magna impudentia, & temeritate. Vt patet ex epiſtolis Cornelij cū epiſtolis Cypriani, Innocentij, cum ſcriptis Chryſoſtomi, & Auguſtini. Item ex epiſtola Marci Pontificis cum epiſtola Athanaſij ad eundem, itemque ex epiſtola Liberij. Item ex multis alijs inter epiſtolas Hieronymi, & Auguſtini. Item ex epiſtola Theodoreti ad Leonem cū reſponſo eius. Quædam etiam ſunt inter alia opera eorundem Pontificum recepta, vt inter opera Gregorij, Leonis, &c. Neque eſt maior ratio de illis, quàm de cæteris operibus dubitandi. Multæ item à grauiſsimis hiſtoriographis referūtur, vt capite ſequēti probabo. Extant prętereà antiquiſsima exemplaria plurium, epiſtolarum in Vaticana biblioteca, ex quibus ſumma fide, & diligentia nouiſſimè editæ ſunt, & correctæ. Denique quanquam de vna, vel altera epiſtola, vel parte eius poſſet aliqua ratio dubitationis vel ſuſpicionis oriri, nihilominus quod attinet ad pręſentem cauſam, tantam habemus impoſitam nubem teſtiū (vt verbis Pauli vtar) tantamque concordiam ſententiarum, & actionum ſupremæ iuriſdictionis, vt nullus niſi nimis pertinax & impudens dubitare poſsit, quin hic fuerit omnium Romanorum Pontificū ſenſus, & conſenſus, vniuerſa item Eccleſia cum eis conſpirante, & conſentiente.

3. Tunc verò occurrit altera reſponſio dicentium, in hoc negotio non eſſe Pontificum teſtimonium audiendum, quia nemo in propria cauſa eſt, legitimus teſtis. Verumtamen hæc etiam reſponſio à viro catholico audiri nō poteſt. Primò quia re vera Pontifices Romani in hoc negotio nō tam ſunt teſtes in propria cauſa, quam in cauſa Chriſti, & vniuerſali totius Eccleſię. Deinde, quia non tam

Vide Oldrad. conſ. 96. & Nauar. in c. Nouit. no tab. 3. nu. 44. & 45. Confutatur alia euaſio.

tam ſunt teſtes, quàm iudices in ſimilibus cauſis, nam ad eos ſpectat, dogmata fidei declarare, & Eccleſiæ proponere, vt in ſuperioribus viſum eſt, hic autem articulus ad dogmata fidei pertinet, vt ijdem Pontifices eadem certitudine decernunt, & ex diuina Scriptura in ſuperioribus probatum eſt. Vnde ſiue iudices, ſiue teſtes dicantur, non proprio, ſed diuino ſpiritu ducti, veritatem docuiſſe credendi ſunt. Præterea, etiam ſi eorum teſtimonium vt humanum conſideretur, maximæ authoritatis eſt, & rem facit euidenter credibilem: nam credibile non eſt, in hoc puncto per ignorantiam erraſſe, quia aliqui eorum fuerunt ſapientiſsimi, nonnulli verò Apoſtolorum diſcipuli fuerunt; & cum eis familiariter conuerſati ſunt, præſertim Clemens, & Anacletus, quos fuiſſe Petri Diaconos Ignatius teſtatur in Epiſtola quinta ad Trallianos, per illos autem cum Lino, Cleto, & ſimilibus hæc traditio ad ſucceſſores peruenit. Fuerunt etiam illi viri ſanctiſsimi, vt propterea credi non poſsit ex ambitione, & arrogantia poteſtatem ſibi non datam vſurpare voluiſſe. Multi etiam ex illis fidem ſuam ſuo ſanguine conſignarunt. Cum ergo hunc articulum inter dogmata fidei docerent, non ſolùm verbo, ſed etiam vita, & morte ſua illum confirmatum reliquerunt. Denique cum Rex Angliæ profiteatur, ſe non audere antiquis Patribus primorum ſeculorum, reſiſtere, ſi conſtanter loqui velit, neceſſe eſt, vt in tantorum Patrum conſpectu taceat, eiſque contradicere non audeat. Vt autem illū ampliùs vrgeamus, addemus quatuor Cōcilia generalia, quæ ipſe veneratur, mire cum dictis Pontificibus conſentientia.

Ignatius.

4. Traditio Pontificum ex quatuor Concilijs generalibus probatur. *Cōc. Nic.*

Concilium itaque Nicænum primum lib. 3. in canonibus ſumptis ex Iulio Papa. 1. epiſt. 2. in canon. 1. ſic dicitur, *Non debent præter ſententiam Romani Pōtificis Concilia celebrari.* Et canon. 2. *Epiſcopi in grauioribus cauſis liberè Apoſtolicam appellent ſedem, atque ad eam quaſi ad matrem cōfugiant, &c.* Et canon. 3. *Dum iterato iudicat Apoſtolicæ ſedis Pontifex cauſam Epiſcopi, nullus alius in eius loco ordinetur*, & redditur ratio, *quia inconſulto Romano Pōtifice, non eſt permiſſum, tales cauſas omnino*

A *definire*, cum Petro dictùm ſit à Domino: *Quodcūq; ligaueris, &c.* Et in canonibꝰ. 80. ex Græco, & Arabico translatis, in can. 39. ſic dicitur. *Ita præeſt Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille, qui tenet ſedē Romæ, caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum, quando quidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & ōnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiā Chriſtianam, & quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.* De

B quo canone videnda ſunt, quæ in tom. 1. Conciliorum notantur. Et illi concordat Concilium Sardicenſe in canon. 4. & 7. quæ ſunt de cauſis Epiſcoporū à Pontifice Romano terminandis. *Cōc. Sard.*

5. *Cōc. Conſt.*

Deinde in Concilio Conſtantinopolitano. 1. can. 3. aliâs. 5. dicitur. *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat honoris primatum poſt Romanum Epiſcopū.* In quo canone vnum ſupponitur, & aliud ſtatuitur. Supponitur quidem, Sūmum Pontificē habere primatum in Eccleſia, & hoc eſt, quod nunc ad nos ſpectat: nam generale Concilium id ſupponit, quod pro certo, & indubitato habuit. Neque fingere po-

C teſt Rex Angliæ Concilium loqui de Primatu ſolùm ratione politici ordinis, quoad aliquem externum ſplendorem, vel honorem: nam loquitur de primatu eo modo, quo ab ipſis Romanis Pontificibus gerebatur, iuriſdictione, nimirum & poſtetate, & canon. 2. proximè præcedente, conſtat Concilium loqui de Primatu in regimine, & gubernatione Eccleſiæ. Altera verò pars illius Canonis multis temporibus recepta non eſt, vt conſtat ex Leone Papa Epiſtola 53. aliâs 51. ad Anatolium capite ſecundo, & ex duabus ſequentibus ad Marcianū,

Subterfugiū præcluditur,

Leo Papa.

D & Pulcheriam Auguſtos. Et ex Gregorio libro ſexto Epiſtolarum. epiſtol. 31. & 37. & ex Nicolao primo, & Leone Nono locis ſupracitatis. Sed hoc etiam Primatum Eccleſiæ Romanæ commendat, ideo enim ſtatutum illud, neque tunc, neque poſt multa tempora vim habuit, quia Romana Eccleſia illud non probauit, quādo verò illa conſenſit, habere cæpit effectum, vt conſtat ex Innoc. 3. cum Concilio Lateranenſi cap. *Antiqua*, de Priuilegijs.

Gregor. *Nicola.* Leo.

Cc Præ-

6. Concilio Epheſin. 1 Pręterea Concilium Epheſinum primum in epiſtola ad Cœleſtinum Papam, quæ habetur tomo quarto, illius ſynodi, cap. 17. illum tanquam ſupremum Paſtorem, & fidei iudicem alloquitur in hũc modum, *Sanctitatis tuæ circa pietatem, zelum, eiuſdemque circa fidei ſynceritatem, curam noſtri omniũ ſeruatori apprimè gratã, & placitam cum omni admiratione complectimur: eſt enim vobis tam eximijs in more poſitum, vt in omnibus celebres ſitis, ſtudiaq; veſtra ſolida Eccleſiarum firmamenta conſtituatis.* Vbi certè non tantùm de perſona Cœleſtini, ſed de more ipſius ſedis loquitur, vnde ſubiungit. *Quia verò neceſſitas exigebat, vt omnia, quæ in hac ſacra Synodo acciderunt, ſanctitati tuæ declararentur, non potuimus hiſce noſtris literis ad tuam ſanctitatem non perſcribere, &c.* In quibus verbis etiam oſtendunt dependentiam à Põtifice Romano. Vnde tomo ſeundo eiuſdem Concilij cap. 15. cùm totum Concilium, auditis Cœleſtini literis in abſentia legatorum eius acclamaſſet, & illius inſtructionem ſequutum fuiſſet, cumq; legati poſtea adueniſſent, & quod factũ fuerat, intellexiſſent, Philippus vnus ex illis dixit, *Gratias agimus ſanctæ, venerandæque huic Synodo, quod literis Cœleſtini ſanctiſſimi, Beatiſſimique Papæ vobis recitatis Sancta Eccleſiæ membra Sanctis veſtris vocibus, pijsque præconijs, ſancto veſtro capiti vos exhibueritis: non enim ignara eſt veſtra beatitudo totius fidei, cæterorumque omnium Apoſtolorum caput Beatum Apoſtolum Petrum extitiſſe.* Quod iterum latiùs repetit idem Philippus, dicens nulli eſſe dubium, Petrum fuiſſe Chriſti Vicarium ab ipſo conſtitutum, nec non per ſucceſſores ſuos huc vſque ſemper viuere, eiuſque ſucceſſorem, & Vicarium Sanctum eſſe Romanum Pontificem. Quos Sermones Sacra Synodus deteſtata nõ eſt, ſed potiùs conſenſit legatis Apoſtolicis, & magna conformitate eidem fidei cum illis ſubſcripſit. Et capite decimo ſeptimo, in Epiſtola Synodi ad Imperatores inter alia referunt, Cœleſtinum literas miſiſſe ad Cyrillum, vt ſuas in hac parte vices ſubiens, Romæ definita perficeret, & poſtea miſiſſe Philippum Presbyterum, *Qui Sanctiſſimi Cœleſtini* (inquit) *perſonam hic ſuſtinet.* Multaque alia ſimilia euidentia ſigna Primatus Pontificij in illo Concilio leguntur.

Neque pauciora reperimus in Concilio Chalcedonenſi, in quo fuerunt etiam legati Leonis Papę loco illius Concilio præſidentes, ex quibus Paſchaſius Act. 1. in principio ſic loquutus eſt, *Beatiſſimi, atque Apoſtolici viri Papæ vrbis Romæ, quæ eſt caput omnium Eccleſiarum, præcepta habemus præ manibus, quibus præcipere dignatus eſt eius Apoſtolatus, vt Dioſcorus Alexandrinorum Archiepiſcopus nõ ſedeat in Concilio, ſed audiẽdus intromittatur,* & totum Concilium Leoni tanquam capiti obediuit. Et in Act. 2. lectis Leonis epiſtolis, omnes Cõcilij Patres dixerũt; *Ita credimus; Petrus per Leonẽ ita loquutus eſt.* Et in act. 3. Leo ſæpe vocatur *vniuerſalis Patriarcha, & vniuerſalis Archiepiſcopus,* & circa mediũ Iulianus Epiſcopus dixit ad legatos Papæ, *Nunc veſtra ſanctitas Primatũ tenet ſanctiſſimi Leonis.* Et infrà. *Petimus veſtram Sanctitatem, qui habetis locum Sanctiſſimi Papæ Leonis, contra eũ* (id eſt, cõtra Dioſcorũ) *proferre ſententiã. &c.* quæ omnia partim nomine totius Concilij fiebant, partim illis conſentiebat. Præter hæc refert Surius in fine actionis 15. eiuſdem Concilij ſequentes ſententias. *Veneramur ſecundum Scripturas, & canonũ definitionem ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe, & maximũ omniũ Epiſcoporum.* Item alia. *Siquis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiã appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum Antiquæ Romæ, quia Petrum habemus petram refugij, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit ius diſcernendi Epiſcopi criminati infamiã ſecundum claues à Domino ſibi datas.* Item *Alia omnia ab eo definita teneantur tanquã à Vicario Apoſtolici throni.* Hæ verò ſententiæ non inueniuntur nunc in Concilio Chalcedonenſi, ſed eas allegat Surius ex Diuo Thoma in Opuſculo contra errores Græcorum, apud quem inuenio ſecundam & tertiam, in capite trigeſimo ſecundo. §. *Oſtenditur etiam quod Petrus,* primam autem ibi non inuenio, ſed in §. *Oſtenditur etiam quod Prædictus,* ſic inquit, *Legitur in Chalcedonenſi Concilio, quod tota Synodus clamauit Leoni Papæ, Sanctiſſimus Apoſtolicus, & vniuerſalis Patriarcha, per multos annos viuat.* 8.

Præter hęc vero ſunt expreſſa teſtimonia

7. Cõc. Chalc.

monia eiuſdem Concilij act.16. in epiſt. ad Leonem, in qua referũtur geſta in Cõcilio, vbi prius ex illo Matt. 16. *Vbi ſunt duo, aut tres congregati in nomine meo, ibi ſũ in medio eorum* inferunt, *quantam circa ſacerdotes peculiaritatem potuit demonſtrare, qui & patriæ, & labori, ſuæ confeſsionis notitiam prætulerunt, quibus tu quidem ſicut mẽbris caput præeras in ijs, qui tuũ tenebant ordinem.* Et infra Eutychetis ſcelera referens, ait. *Et eos quidem, qui ea, quæ paſtoris ſunt, ſapiunt, abſcidit, eos vero qui lupi demonſtrati ſunt, ſuper oues impoſuit, & poſt hæc omnia inſuper & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore cõmiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt, contra tuã quoque Apoſtolicam Sanctitatem. Et excõmunicationem meditatus eſt contra te, qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas.* Et inferius petunt confirmationem decretorũ ab ipſis, & ſpecialiter circa præeminentiam Patriarchæ Conſtatinopolitani. Et quamuis hoc Pontifex nõ probauerit, vt ſupra diximus, tamen in ipſa petitione cõfitetur Synodus Primatũ Pontificis, & ita exponunt decretum ſecundæ Synodi ſupra relatum, *Quæ præcepit* (aiunt) *poſt veſtram ſanctiſſimã, & Apoſtolicam ſedem honorem habere Conſtantinopolitanam, quæ eſt ſecunda ordinata, confidentes quia lucente apud vos Apoſtolico radio, vſque ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam conſuete gubernando, illum ſpargẽtes, hunc ſæpiùs expanditis, &c.*

Idẽ Conti. Matt.18.

9. Ex alijs Synodis eadẽ traditio cõfirmatur.

Eodem modo confirmari poteſt eadẽ traditio ex multis, quæ habentur in quinta Synodo generali. Cõſtantinopolita. 2. à Vigilio Papa cõfirmata. Item ex ſexta Synod. act. 17. & 18. & ex 7. Synodo ſub Adriano Papa coacta, quę ſub eius obedientia, & iuxta eius inſtructionem in omnibus proceſsit, vt ex act. 7. in fine colligitur. In octaua etiam Synodo extat canon 21. in quo Primatus tribuitur Eccleſiæ Romanæ, quam vocat ſedem Petri Principis Apoſtolorum. Et vt alia omittam, quæ, ſi legitima fuerunt, ſub obedientia Romanæ ſedis ſemper proceſſerunt, ſpecialiter hanc veritatem docuit Concilium Lateranenſe, ſub Innocent. 3. cap. 5. & 6. & expreſsiùs eam definit Concilium Florentinum in literis vnionis, Græcis cum Latinis conſentientibus, His verbis. *Definimus Sanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificẽ in vniuerſum orbem obtinere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro, paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino Ieſu Chriſto plenam poteſtatem datam eſſe, &c.* Deniq; Conciliũ Tridentinũ à principio, & in toto ſuo progreſſu Pontificis authoritatem recognoſcit, eiuſque confirmationem in fine poſtulat, & ſpecialiter Seſsion. 6. cap. 1. de Reformatio. eum vocat Dei in terris Vicarium habentem ſupremæ ſedis authoritatem.

Cõc. Late. Cõc. Flor. Cõc. Trid.

10. Ex cõcilijs etiam prouincialibus poſſent multa congeri, quę breuitatis cauſa prętermittimus, videri tamen poſſunt Concilium Romanum ſub Syluestro, & Romanum tertium, & quartũ ſub Symmacho, & Concilium 4. Aurelianenſe capit. 1. & Concilium Carthaginenſe, & Mileuitanum in epiſtolis ad Innocentiũ Papam, quæ ſunt 90. & 92. inter epiſtolas Auguſtini, in quibus authoritas Eccleſiæ Romanę ad plenam hæreſis damnationem poſtulatur. Quod etiam confirmant alij Epiſcopi cum eodem Auguſtino in epiſtol. 95. ad eundem Innocentium, quarum facit etiam mentionẽ, idem Auguſtin. in epiſtol. 106. dicens. *Ex duobus Concilijs Carthaginenſi, & Mileuitano, relationes ad Apoſtolorum ſedem Miſſæ ſunt, ſcripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium præter Conciliorum relationes epiſtolas familiares, &c. Ad omnia nobis ille reſcripſit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem.* Et concordat cum illis Concilium Affricanum ſub Bonifacio capite 35.

Cõc. Rom. Cõc. Aure. Cõc. Carth. Auguſt. Cõc. Affr.

11. Præter hæc verò animaduerti poteſt Concilium Turonicum ſecundũ in cuius capite 21. habentur illa notanda verba: *Quis ſacerdotum contra decreta, quæ à Sede Apoſtolica proceſſerunt, agere præſumat.* Et fere ſimilia habet Cõcilium Bracharenſe primum cap. 18. vbi omnes Epiſcopi dixerunt, conueniẽs eſſe, vt omnia inter ipſos concordi celebrarentur officio, & adiungunt, *præcipue cùm & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad inter*

Cõc. Turo. Cõc. Brac.

rogationes ſuas quondam venerandæ memoriæ Profuturi prudenti ab ipſa Beatiſsimi Petri accepit cathedra. Et addidit Lucreti⁹ Bracharenſis Epiſcopus, *Recte Paternitas veſtra authoritatē ſedis Apoſtolicæ recordata eſt, &c.* Et ſtatim c. 22. & 23. ſtatuunt, vt in ordine Miſſę & baptiſmi prædictā inſtructionem Romanæ ſedis ſequātur.

Cōc. Tolet. 1. Vnde Conciliū Toletanum. 1. in aſſertione fidei in vltimo anathematiſmo dicit, *Si quis in ſalutari baptiſmo contra ſedem Sancti Petri aliquid faciat, anathema ſit.* Maximè verò noſtrū propoſitū confirmāt

Cōc. Tolet. 3. ān. 685 ſub Pelag. 2, verba Cōc. Toletani. 3. ſatis antiqui can. 1. *Permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ Sanctorū Præſulum Romanorū epiſtolæ.* His enim verbis ſatis conſtat, quanta fuerit eo tempore authoritas non ſolū Eccleſiæ Romanæ, ſed etiam epiſtolarū decretaliū eius, de quibus ſimile decretum habetur in Concilio Toletan. 14. cap. 11.

CAPVT XVII.

Eadem traditio Patrum authoritate confirmatur.

1. QVanuis ad confirmandā fidē de Romani Pōtificis primatu ſatis ſuperq; ſit authoritas Pontificū, & Conciliorū, nihilominus nō eſt omittenda authoritas Sāctorū Patrū, ex quibus nōnullos ſupra adduximus, qui ſucceſsioni Pōtificis Romani in cathedra Petri expreſſum teſtimoniū præbuerunt; nunc verò alij inducēdi ſunt, qui de excellentia ipſius cathedræ, eiuſq, dignitate teſtificentur, quibus & cōcordia traditionis euidentiùs conſtabit, & eorū authoritatę fortaſſe Rex Angliæ, qui aliquid Patribus deferre videtur, magis mouebitur. Eſt autē prę oculis habendū eoſdē argumentādi modos ex doctoribus poſſe deſumi, quos in Pontificibus adnotauimus, nimirum ex verbis, & titulis, quibus Romanos Pontifices honorant, ex actibus ſupremæ iuriſdictionis ſpiritualis, quos illi tribuunt, & ex illuſtrioribus ſētentijs, quibus eorū primatū profitētur.

2. Patres Græci Primatū Pontificis aſtruentes. Prius ergo à Græcis, qui in præſenti cauſa minus ſuſpecti iudicari poſſunt, incipiemus.

Ignat. Primo ergo Ignatius in epiſt. 15. ad Romanos, Romanā Eccleſiam honorificentiſsimè ſalutat, & de illa dicit, *Quæ præ*

A *ſidet in loco Romanæ regionis.* Polycarpus item cū *Romam venit, ad Amicetum Eccleſiam in vrbe regentem*, vt eum de Paſchæ quæſtione conſuleret (teſte Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Polycarpo, & Irenæo lib. 3. cap. 3.) ſatis recognouiſſe videtur Pontificē Romanū vt Paſtorem, & fidei magiſtrū. Clarius verò, & vberiùs Irenæus lib. 3. c. 3. Romanam Eccleſiam maximā, & antiquiſsimā vocat, & ab Apoſtolis Petro, & Paulo fundatam eſſe dicit. Et ſubiungit. *Ad hanc Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam,* B *hoc eſt, eos, qui ſunt vndiq, fideles. &c.* Polycarp. Hierony. Irenæus.

Deinde D. Athanaſius in epiſt. ad Marcū Romanorum Epiſcopū ſic eum ſalutat. *Dño Sancto, & Apoſtolici culminis venerādo Marco Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ ſedis, atq, vniuerſalis Eccleſiæ patri, Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorū Epiſcopi ſalutē.* Et infrà petitionem ſubiūgens, ait, *Optamus, vt à veſtra Sanctæ ſedis Eccleſiæ authoritate, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, &c.* Et infrà. *Veſtri ſumus, vobiſque obedientes cū omnibus nobis cōmiſsis, & ſumus, & eſſe ſemper volumus.* Et in epiſt. ad Felicem. 2. quę inter acta eiuſdem Felicis in tom. 1. Conciliorū habetur, ipſe cū C alijs Epiſcopis Aegypti auxiliū ſedis Apoſtolicę implorat his verbis: *Veſtro Sācto ſuggerimus Apoſtolatui, vt noſtri more ſolito ſolicitudinē gerere dignemini.* Et infrà. *Quia ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra Apoſtolica Sācta ſede auxiliū hauſimus & noſtri vos curā gerere agnouimus, præfatā Apoſtolicā, & ſummā expetimus iuxta canonū decreta ſedē, vt inde auxiliū capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata, atq, ſubleuationes ceperūt. Ad eā quoq, quaſi ad matrē recurrimus.* Et infrà D *Quod nequaquā vobis incōſultis agere præſumimus* (ſcilicet, de fide definire) *canonibus iubentibus, abſq, Romano nos de maioribus cauſis nihil debere decernere Pontifice.* Et infrà. *Ob id vos, prædeceſſoreſq; veſtros, Apoſtolicos videlicet, Præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniūq; Eccleſiarū curam eis habere præcepit.* Et infrà. *Cui omne Epiſcoporū iudicium eſt cōmiſſū.* Et infrà, *de hoc* Primatu exponit locū Matt. 16. & authoritate Cōc. Nicęn. omnia cōfirmat. Huic cōcordat Baſil. epiſt. 52. quę eſt ad eundē Athanaſ. dicēs, *Viſum eſt mihi cōſentaneū, vt* 3. D. Athan. Baſil.

vt ſcribatur Epiſcopo Romæ, vt quæ hic geruntur, conſideret, &c. A

4. Gregor. Nazian. Gregorius etiã Nzianzen. orat. 23. in laudem Heronis cõmemorat Petrũ Alexandrinum Athanaſij ſucceſſorem à ſede ſua pulſum à Lucio Ariano, ad Romanũ Pontificem confugiſſe, *Ac per tacitã* (inquit) *accuſationẽ omnibus lachrymas mouit, vt calamitatis magnitudinẽ in oculis, & aſpectu defigerent, & auxilium nanciſceretur, quemadmodũ & nactum eſſe ſcimus.* In quib⁹ verbis Nazianzen⁹ ſimul cũ Petro Alexandrino Põtificis authoritatem ad iudicandas etiam Orientis cauſas recognoſcit. Quod etiã ex eodem Nazianzeno colligitur orat. 52. quæ eſt ſecunda ad Cledonium, vbi commemorat Vitalium Apollinaris ſectatorem quendam fidei libellum fraudulenter edidiſſe, hereſim occulte profitendo, Damaſum autẽ, fraude cognita, eũ ab Eccleſię cętu abdicaſſe: deniq; libellũ cum anathematiſmo deleuiſſe. Eodem modo Põtificiam poteſtatem teſtatus eſt Chryſoſtomus iu epiſto-

Chryſoſt. lis ad Innocent. 1. petẽs ab illo auxiliũ cõtra eos, qui iniuſte illũ depoſuerant, tum declarando depoſitionẽ fuiſſe irritam, tũ puniẽdo malefactores, pro quibus tamẽ pie intercedit, vt ſi reſipiſcant, non excõmunicentur, in hoc ipſo poteſtatem Pontificis recognoſcens. B C

5. Cyrill. Quæ eſt 18 inter epiſt. Cyril. & habetur in Cõcil. Epheſ. tom. 1. c. 29 Epiſt. 12. inter epiſt. Cyril. & dicto tom. 1. cap. 16. Simili modo Cyrill. in epiſt. ad Cœleſtinũ in cauſa Neſtorij rem totã ad ipſum ſicut ad caput retulit, & ſubiungit: *At quamuis res ita habeat: nõ prius tamen illius cõmunionẽ deſerere auſi ſumus, quã hæc ipſa pietati tuæ indicaremus, &c.* cui Cęleſtin⁹ reſpondit, *Noſtræ ſedis authoritate aſcita, noſtraq; vice, & loco cũ poteſtate vſus, eiuſmodi non abſq; exquiſita ſedulitate ſententiam exequeris, nẽpe vt niſi decem dierũ interuallo ab hui⁹ noſtræ numerationis die numerãdorũ nefariã doctrinã ſuã conceptis verbis anathematizet.* Et infrà. *Illicò ſanctitas tua illi Eccleſiæ proſpiciat, is vero modis omnibus ſe à noſtro corpore ſegregatũ eſſe intelligat.* Cui epiſtolæ Cyrillus obediuit, vt cõſtat ex eius epiſt. ad Neſtoriũ, quæ eſt de excõ- D

Epiſt. 10. & dict. tomo: 1. cap. 14. municatione, dicens. *Quod niſi iuxta tẽpus in literis Cœleſtini ſacratiſsimi, Reuerendiſſimiq; Romanorũ Epiſcopi expreſsũ præſtiteris, certo ſcias, nullam tibi deinceps cum Epiſcopis, & Sacerdotibus Dei conſuetudinem, nullum ſermonem, nullũ deniq; inter eos locũ futurum eſſe.* Et ſimilia habet in ſequenti epiſtola ad Clerum, populũq; Conſtan- D. Thom.

tinop. Refert pręterea D. Thomas opuſc. 1. contra errores Græcor. cap. 32. §. *Habetur*, eundem Cyrillum in libro Theſaurorum dicentem, *Sicut Chriſtus accepit à Patre pleniſsimam poteſtatem, ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſsimẽ commiſit.* Item *nulli alij, quàm Petro, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Vbi particula *Soli* nõ excludit ſucceſſores, ſed alios Apoſtolos, nam paulo poſt dicit, dediſſe Petro poteſtatem, & Eccleſiæ. Et inferius ait Diuus Thomas, *Oſtenditur etiam, quod ſubeſſe Romano Pontifici, ſit de neceſsitate ſalutis, dicit enim Cyrillus in libro Theſaurorum: Itaque fratres, ſi Chriſtum imitamur, vt ipſius oues vocem eius audiamus, manentes in Eccleſia Petri, &c.* Nec dubitandũ eſt de his teſtimonijs, etiãſi nunc in Theſauro non inueniantur, tum propter D. Thomæ authoritatem; tum etiam, quia plures libros Theſauri perijſſe ſcimus.

Denique ex Eccleſiaſticis hiſtoris à Græcis etiã cõnſcriptis cõſtat, antiquiſſimã Eccleſiæ praxim fuiſſe, vt in cauſis grauioribus ex tota Eccleſia etiã Orientali ad catherã Petri fieret recurſus, ad petendam, vel fidei declarationẽ, vel alicuius hęreſis damnationẽ, vel Synodi cõgregationem, aut confirmationẽ, vel ad petendũ iudicium per modũ appellationis, aut iuſtę defenſionis; ex quibus manifeſte conſtat poteſtatem ſupremã Romani Epiſcopi omnibus Gręcis à principio Eccleſiæ agnitã, & creditã fuiſſe. Huius autẽ praxis præter teſtimonia adducta, optimũ argumentum ſumitur ex Hiſtoria Euſeb. lib. 7. c. 24. vbi de Paulo Samoſateno ait, *Vbi ſimul cũ orthodoxa fide Epiſcopatũ amiſiſſet, & ex Epiſcopi domo eius Eccleſiæ propria exire nollet: Imperator Aurelianus de ea re rogatus ſententiã, ſanctiſsime quid eſſet agendũ decreuit. Præcepit enim, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ, & vrbis Romæ Epiſcopi per literas tribuendã perſcriberent.* Tanta enim erat fama publica Primatus Romani inter Chriſtianos Gręcos, vt etiã gentiles nõ lateret, & ideo Imperator licet infidelis eã ſententiã protulit, ſanctiſsime vt ait Euſebius, approbans ſentẽtiam illam, & conſequenter etiam Primatũ, quia fidei cõformis fuit, licet ab infideli lata fuerit. 6. Ex conſuetudine grauiores cauſas ad Pontificem deferendi, idem Primat⁹ colligitur.

Eadem traditio ſumitur ex Theodo-
7. Theodore. re.lib.2.hiſtor. cap. 22. vbi de Conciliabulo Ariminenſi ait, *Præiudicij vim habere non debet, præſertim cum formula illa compoſita ſit, neq; Epiſcopo Romano, cuius ſententia præ cæteris omnibus expectanda erat, conſentiẽte, &c.* & lib.5.cap.10.refert Damaſum poſt exortam ſectam Apollinaris, illum, & diſcipulum eius Timotheum abdicaſſe, & per literas Oriẽtalibus ſignificaſſe, quas ibi refert earumque initium eſt. *Quod veſtra charitas debitam ſedi Apoſtolicæ reuerentiam tribuit, filij honoratiſsimi, vobis quoque ipſis maximo ſane honori eſt. Nã licet in Sãcta Eccleſia, in qua S. Apoſtolus ſedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ ſuſcepimus tractãda ſint, nobis primæ partes deferuntur, tñ confitemur nos illo dignitatis gradu longe inferiores eſſe.* Et infra ſignificat idem Pontifex, Orientales catholicos ad ipſum recurriſſe, dicens: *Quid eſt, cur abdicationem Timothei à me rurſus requiratis, qui etiam hic iudicio ſedis Apoſtolicæ, Petro quoque Epiſcopo Alexãdrino præſente abdicatus eſt vna cũ magiſtro Apollinario,* Quibus omnibus Theodoretus aſſentitur. Imò ipſe etiã cum aliquãdo in fidei ſuſpicionẽ veniſſet, ad Leonẽ Papam per epiſtolam confugit, dicens, *Ad Apoſtolicã veſtram ſedẽ currimus, vt Eccleſiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus, vobis enim per omnia primos eſſe conuenit. Multis enim, quibus ſuperiores eſtis, ornatur veſtra ſedes. Alias enim vrbes ornat vel magnitudo, vel pulchritudo, &c. Veſtræ autem redundantem bonorum copiam dedit is, qui eſt omnium largitor, ea eſt enim omnium maxima, & præclariſsima, & quæ præeſt orbi terrarum.* Et cætera, quæ latè proſequitur.

8. Socrates, Huic denique traditioni adſtipulatur Socrates libr. 2. Hiſtor. cap. 5. Vbi Concilium Antiochenum illegitimum fuiſſe ſignificat, quia Iulij Pontificis Romani authoritatem non habuit, *Cùm canon* (ait) *Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiæ ſancire.* Et c.11.referens Athanaſium, & plures alios Orientales Epiſcopos ab Eccleſijs ſuis eiectos, Romam perueniſſe, vt Iulium Epiſcopum Romanum de ſuo ſtatu certiorem facerent, inquit. *Quoniam Eccleſia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat,* & lib.4.

A capit. 3. ſimilia referens de Petro Alexandrino, de illo adiungit: *Cum literis Damaſi Epiſcopi Romani reuerſus eſſet, populus illis confiſus expellit Lucium, Petrum autem in locum illius introducit.* Et Sozomenus lib.3. hiſtor, cap. 8. referens fugam Athanaſij, & aliorum ad Iulium Romanum Epiſcopum addit, *Quorum criminationes cum Epiſcopus Romanus intellexiſſet, in communionem recepit. Et cum propter ſedis dignitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis ſuas Eccleſias reſtituit, ſcripſitque ad Epiſcopos Orientis, eoſque in-* Sozomen.
B *cuſauit, &c. Deditque mandatum, vt quidã illorum, omnium nomine ad diem conſtitutum accederent.* Et cap.9, alias literas eiuſdem Iulij refert, in quibus præter alia illud continebatur, *Legem eſſe ad ſacerdotij dignitatem ſpectantem, quæ pronunciat, acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi Romani conſtituuntur.* Additque (quod notandum eſt) cùm ſuis literis apud rebelles Orientis Epiſcopos nihil proficeret, à Cõſtante Imperatore quaſi à ſeculari brachio adiutoriũ poſtulaſſe, atq; ita tandẽ Orientales Epiſcopos Romam venire coegiſſe, & lib.6.cap.22.or-
C ta controuerſia de Spiritus Sancti dignitate, inquit. *Epiſcopus Romanus de ea certior factus, ſcripſit ad Epiſcopos Orientis literas, vt vna cum Epiſcopis, & ſacerdotibus Occidentis Trinitatem conſubſtantialem eſſe, & gloria æqualem crederent. Quo facto ſinguli rebus ab Eccleſia Romana ſemel iudicatis acquieuerunt, ſicque illa controuerſia finẽ habere viſa eſt.* Et hæc de Patribus Græcis ſufficiunt.

Ex Latinis multa in ſuperioribus capitibus, & in primo lib. adducta ſunt, quæ hic non ſunt repetenda, ſed breuiter inſinuanda, & aliqua ex parte locupletanda. 9. Patres Latini in eandẽ veritatẽ cõſpirantes.
D Primò ergo Tertullian. lib. de Præſcrip. c.36. *Habes Romam, vnde* (inquit) *authoritas præſto eſt.* Et lib. de Pudicit. cap. 1. Epiſcopum Romanũ vocat *Pontificẽ maximũ, & Epiſcopũ Epiſcoporũ*, vbi Pamelius plura eiuſdẽ authoris loca deſignat, quæ omitto, quia hic author cũ ab Eccleſia Romana defecerit, non recte de Primatu illius ſenſit, quãuis nõ omnino illũ ignorauerit. Magnus igitur, & fidelis huius veritatis aſſertor fuit Cyprianus, qui in ſuis Epiſtolis ſæpiſsime ad vnitatem Eccleſiæ requirit vnum ſupremum caput, illudq; Tertull. Pamel, Chryſoſt,

illudque eſſe dicit in Eccleſia Romana, A vt videri poteſt epiſtol. 40. 45. 52. & 55. & 76. cuius verba ſæpè retulimus.

Ambroſ. Item Ambroſ. Orat. de Satyro fratre, & 1. ad Timot. 3. & lib. 1. epiſtolar. in 7. ad Siricium Papam cum alijs Epiſcopis, ſic inquit: *Recognouimus literas ſanctitatis tuæ boni Paſtoris excubias, qui fideliter commiſſam tibi ianuam ſerues, & pia ſolicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus, quem oues Domini audiant, & ſequantur.* Et epiſt. 4. ad Imperatores Gratianum, &c. agens de vitandis Arianis: *Quomodo* (inquit) *fieri poteſt, vt eum, quem ſocietati eorum inſertum vidimus, non etiam aſſertorem perfidiæ iudicemus. Quid etiam ſi defuiſſet? tamen totius orbis Romani caput Romanam Eccleſiā, atq; illam ſacroſanctam Apoſtolorum fidem ne turbari ſineret, obſecranda foret clementia veſtra, inde enim in omnes venerandæ communionis iura dimanant, &c.* Et epiſt. 9. ad Theophil. Alexandrinum, *Referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrū Romanæ ſacerdotem Eccleſiæ, quoniam præſumimus, ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant.* Et infrà: *Vt nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, cùm id geſtum eſſe cognouerimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructū huius examinis adipiſcamur.* Quibus verbis ad Orientalem Epiſcopum ſcriptis, de conſuetudine Romani Epiſcopi gubernandi etiam Orientales ſatis teſtatur Ambroſius.

10. Hieron. Eiuſdem vſus, & poteſtatis teſtis eſt Hieronymus epiſt. 11. ad Ageruchiam, dicens (vt ſuprà retuli) ſe aliquando iuuiſſe Damaſum in reſpondendo ad Oriētis, & Occidentis ſynodales conſtitutiones. Et epiſt. 16. ad Principiam referēs, quod ſuprà tactum eſt de Athanaſio, & Petro Alexandrino, qui perſecutionem D Arianæ hæreſeos declinantes, *quaſi ad tutiſsimum communionis ſuæ portum Romā confugerant.* In epiſt. etiam 8. ad Demetriadem circa finem, Sedem Romanam *Cathedram Apoſtolicam* vocat, idem de Primatu eius ſentiens, quod de Primatu Petri, de quo eius ſententiam ſuprà retulimus. Idem copioſiùs in epiſt. 57. ad Damaſum, cuius verba iam in ſuperioribus adducta ſunt, vbi etiam docet, habere illam ſedem priuilegium Petri non errandi in fide. Quod etiam ſentit Apolog. 2. ſeu lib. 3. Apolog. contra Ruffinū, vbi habet illa verba: *Attamen ſcito, Romanam fidem Apoſtolica voce laudatam huiuſmodi præſtigias non recipere, etiam ſi Angelus aliter annunciet, quàm ſemel prædicatum eſt.* Et infrà: *Et tamen miror, quomodo probauerit Italia, quod Roma contēpſit, Epiſcopi ſuſceperint, quod Sedes Apoſtolica condemnauit,* tacitè negans, id fieri potuiſſe, aut ſe illud credere.

Ex Auguſtino etiam recurrente ad Romanum Pontificē tanquam ad Chriſti Vicarium, multa ſuprà diximus ex 11. Auguſt. B epiſt. 90. 92. & 95. eiuſdem Auguſtini. Quibus concordat idem Auguſt. lib. 2. Retract. cap. 50. dicens, *Pelagianam hæreſim ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ Innocentio, & Zoſimo cooperantibus Conciliorū Africanorum literis damnatam eſſe.* Et in epiſt. 157. in principio ſe ſubditum Romani Pontificis apertè profitetur, dum ait, *Me apud Cæſaream præſente venerunt, quo nos iniuncta nobis à venerabili Papa Zoſimo Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* Et infrà, relatis verbis eiuſdem Zoſimi, ad probandam neceſsitatem baptiſmi in remiſsionē pec- C catorum, ſubiungit. *In his verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, atq; fundata, certa, & clara eſt catholica fides, vt de illa nefas ſit dubitare Chriſtiano.* Et epiſt. 102. de Romana Eccleſia inquit, *In qua ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit Principatus,* & ibi etiam refert, in cauſa Donatiſtarum iudicium Apoſtolicæ ſedis expectatum fuiſſe. Idemq; repetit lib. 1. contra epiſt. Parmen. c. 5, & epiſt. 165. vbi ait, ad cognoſcendam Eccleſiam Catholicam maximè ſpectandam eſſe ſucceſsionem in ſede Petri, ſentiens, illam eſſe petram, ſuper quam fundata eſt Eccleſia. Quod expreſsiùs declarauit in Pſalmo contra partem Donati tom. 7. dicens, *Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.*

Præterea ex eodem fundamento dicit lib. 1. contra Iulianum cap. 4. *Puto tibi eam partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit Dominus glorioſiſsimo martyrio coronari. Cui Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, iam tunc periculoſam iuuētutem tuā Pelagianis laqueis exuiſſes. Quid* 12. Idē Aug.

enim potuit vir ille ſanctus Africanis reſpõdere Concilijs, niſi quod antiquitùs Apoſtolica ſedes, & Romana cum cæteris tenet perſeueranter Eccleſia. Qui locus eſt valde notandus: nam in eo planè docet Auguſtinus, definitionem Pontificis facere certam fidem, etiam ſine generali Concilio. Vnde in lib. 2. de Peccato origin. cap. 7. etiam de Cœleſtio Pelagij ſocio refert, *non fuiſſe auſum, beati Papæ Innocentij literis obſiſtere*, imò ſe omnia, quæ ſedes illa damnaret, damnaturum eſſe promiſiſſe. Denique lib. 1. ad Bonifaciũ in principio inter alia dicit, *Non dedignaris, qui non alta ſapis, quanuis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium, & amorem rependere impenſum.* Et infrà: *Cùm communis ſit omnibus nobis, qui fungimur Epiſcopatus officio, quanuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio ſpeculæ Paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particula muneris, &c.*

13. *Proſper.* Concordat cum Auguſtino Proſper contra Collatorem cap. 10. vbi definitiones Innocentij, & Zoſimi contra Pelagium infallibiles reputans, tanquã abſurdum infert contra Collatorem. *Secũdum tuam cenſuram errauit Papa Innocentius Petri ſede dignißimus.* Et infrà: *Errauit ſacroſancta Beati Petri Sedes, quæ ad vniuerſum orbem Papæ Zoſimi ore loquitur.* Et cap. 41. iterum inquit: *Beatæ memoriæ Innocentius nefandi erroris capita Apoſtolico mucrone percuſsit.* Et infrà: *Africanorum Conciliorum decretis beatæ recordationis Papa Zoſimus ſẽtẽtiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitũ.* Vbi addit etiam Bonifacium, de quo ait, *Contra inimicos gratiæ Dei non ſolùm Apoſtolicis, ſed etiam Regijs vtebatur edictis.* Et de Cœleſtino adiungit, *prædeceſſorum ſuorum ſtatuta, & decreta ſynodalia inuiolabiliter ſeruanda cenſebat.* Et de eodem ſubdit, *Nec ſegniore cura ab hoc eodem morbo Britannias liberauit, &c.* Et infra dicit, eadem cura Scotiam feciſſe Chriſtianã.

Cap. 16. aliàs. 6. Et in libro de Ingratis cap. 2. ſic ait, *Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris facta caput mundi, quicquid non poſsidet armis, religione tenet.* Et ſimiliter lib. 2. de Vocat. gentium imitatus Leonem, ait: *Roma per Apoſtolici ſacerdotij principatum amplior facta eſt arce religionis, quàm ſolio poteſtatis.* Quomodo etiam dixit Fulgẽtius lib

A de Incarnat. & gratia cap. 11. *Romanam Eccleſiam Petri, & Pauli verbis tanquam ſplendentibus radijs illuſtratam, eorumq́; decoratam corporibus, mundi cacumen eſſe.* Ex Optato etiam Mileuitano contra Parmenian. multa relata ſunt; ſpecialiter verò lib. 2. *Negare* (inquit) *non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primò Epiſcopalem cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omniũ Apoſtolorum caput Petrus, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.* *Fulgent.*

B Similiter Iſidor. in epiſt. ad Eugeniũ Toletanum Epiſcopum, cùm poteſtatẽ Petro datam modo à nobis ſupra tradito explicaſſet, ſubiungit, *Cuius dignitas poteſtatis, etſi ad omnes Eccleſiarum Epiſcopos eſt transfuſa, ſpecialiùs tamen Romano Antiſtiti, ſingulari quodam priuilegio, velut capiti, cæteris membris celſior permanet in æternum.* Et in Præfatione ad canonũ collectionem, quæ habetur primo tomo Conciliorum, ait, cum Concilijs collegiſſe decreta, & epiſtolas ſynodicas Põtificum, *Quia in eis pro culmine Sedis Apoſtolicæ non impar Conciliorum extat authoritas.* Et in fine: *Synodorum* (inquit) *congregandarũ authoritas Apoſtolicæ Sedi priuata commiſſa eſt poteſtate, nec vllam Synodum ratam eſſe legimus, quæ eius authoritate non fuerit congregata, vel fulta, hæc canonica teſtatur authoritas, hæc hiſtoria Eccleſiaſtica roborat, hæc Sancti Patres confirmant.* Hoc etiam confirmat Beda in Homil. Diui Benedicti Angli tom. 7. de quo ait: *Ad Beatorum Apoſtolorum limina peregrinaturus aduolauit, vt quia rudis adhuc in gente Anglorum fides, & Eccleſiarum inſtitutio florebat, ibi potiùs perfectam viuendi formam ſumeret, vbi per ſummos Chriſti Apoſtolos totius Eccleſiæ caput eminet eximium.* Et lib. 2. Hiſtor. Anglor. cap. 1. de Gregorio ait, *Cùm primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuerſis iam dudum ad fidem veritatis eſſet Prælatus Eccleſijs, noſtram gentem eatenus idolis mancipatam Chriſti fecit Eccleſiam, &c.* Et lib. 3. cap. 25. refert Regẽ Angliæ, & alios illo iam tempore crediciſſe, claues Petro datas in Eccleſia Romana permanere. Et in lib. 4. cap. 1. & ſæpè in illa hiſtoria oſtendit, quanta fuerit ſemper Romani Pontificis circa Anglos prouidentia, & eorundem

14 *Iſidor.* *Beda.*

C D

dem ad eundem Pontificem obedientia.

Deniq; omnes etiam poſteriores Patres eandem veritatē conſtantiſsimè docuerunt, ex quibus duos tantùm numerabimus, Anſelmum, & Bernardum, qui grauiſsimè de Pōtificia dignitate loquuti ſunt. Anſelmus enim lib. de Incarnatio. Verbi, ſic incipit: *Domino, & Patri vniuerſæ Eccleſiæ in terra peregrinantis Sūmo Pontifici Vrbano Frater Anſelmus.* Et infrà: *Quoniam diuina prouidentia veſtram elegit ſanctitatem, cui vitam, & fidem Chriſtianam cuſtodiendam, & Eccleſiam ſuam regendam committeret, ad nullum alium rectiùs refertur, ſiquid contra Catholicam fidē oritur in Eccleſia, vt eius authoritate corrigatur, nec vlli alij tutiùs ſiquid contra errorem reſpondetur, oſtenditur, vt eius prudentia examinetur.* Et in Præfatione ad Epiſtolam ad Romanos dicit, illam epiſtolā primo loco poni, quanuis prima omniū ſcripta non fuerit, quia & in illo tempore Roma caput totius Orbis extitit, & vſque hodie Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum obtinet Principatum.

15. *Anſelm.*

16. *Bernard.* Diuus autē Bernardus multò copioſiùs hoc ipſum docet epiſt. 125. ad Gaufridum, vbi inter alia dicit, *Alemaniæ, Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Hiſpaniarum, & Hieroſolymorum Reges cum vniuerſo clero, & populis fauent, & adhærent Domino Innocentio, tanquam filij Patri, tanquam capiti membra ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* Item epiſt. 131. ferè de eodem argumento ad Mediolanenſes, & epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum, *Legi* (inquit) *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Quam ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & Beati Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio.* Et de ſublimitate illius Sedis egregiè loquitur epiſt. 237. ad Eugenium, & latiùs lib. 3. de Conſiderat. ad eundem, cap. 8. ex quo plura verba in ſuperioribus relata ſunt, & ideo illa prætermittimus. Addi etiam hic poſſent temporaliū Regum, & Imperatorum teſtimonia, & exempla, ſed ex illis aliqua in ſuperioribus tacta ſunt, & plura in ſequentibus afferemus, ſpiritualem poteſtatem temporali comparando. Nunc ſufficiant notanda verba Conſtantini Imperatoris in

A cap. *In memoriam*, diſt. 19. vbi ſic inquit, *Honoremus Sanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis ſacerdotalis ma ter eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis. Quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa ſancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Præter authoritatem autem non eſt hìc ſpecialis ratio poſtulāda. Sufficiūt enim adductæ de perfecto regimine Eccleſię, & de neceſsitate vnius capitis in vno corpore ad vnitatem eius, & fidei conſeruādam. Nam quòd hoc caput in tali Sede B ſit conſtitutum, licèt plures habeat morales congruentias, quæ & à Patribus inſinuantur, & facilè cogitari poſſunt, propria ratio eſt voluntas Chriſti, & Petri, quæ ex adductis teſtimonijs nobis ſatis innotuit. *Cōſtantin. Imperat.*

CAPVT XVIII.

Duabus obiectionibus contra Primatum Pōtificis ex Scriptura, & Concilijs deſumptis, ſatisfit.

C CONTRA Pontificis Romani dignitatem, & Primatum multa ſparſim in ſuo libello obijcit Rex Angliæ præter ea, quæ contra Primatū Petri ſuprà retulimus, ex quibus multa comparationem inter Pōtificem, & Reges temporales attingunt, quæ meliùs poſt dictam comparationem factam in ſequentibus examinabimus. Vbi etiam de poteſtate Pontificis ſupra Reges in temporalibus dicendum eſt. Nūc ſolùm his, quæ contra ſupremam ſpiritualem Pontificis poteſtatem abſolutè obijci videntur, reſpondebimus. Hæc autem tam D in Præfatione, quàm in Apologia Regis ad tria capita reduci videntur, hís exceptis, quæ ex factis Regum, vel Imperatorum deſumuntur, de quibus, vt dixi, poſteà videbimus. 1.

Primum caput eſt, quia hoc dogmā nullum vel debile fundamentum habet in verbo Dei, vt dicit in Apolog. pagin. 118. & in Præfatione pag. 22. 28. 60. & alijs quàm plurimis locis. Poſſumuſque in huius obiectionis confirmationem pō derare, quod Paulus ad Epheſ. 4. miniſteria Eccleſiaſtica, & ordinem Eccleſiæ deſcri- 2. *Prima obiectio.*

deſcribens, nullam de Vicario Chriſti mentionem facit, cùm tamen ille aptiſſimus locus videretur ad illum proponẽdũ, ſi ad hierarchiam Eccleſię pertineret. Vnde valde miratur Rex dicta pag. 60. & ignorare ſe dicit, *Quibus artibus Pontifices Romani facti ſint Vicarij Chriſti; imò verò Dij in terra, triplici corona inſigniti, cœli nimirum, terræq́ ac inferorum Reges, totius orbis iudices, & ipſi à nemine iudicandi, fidei capita*, & cætera, quæ proſequitur concludens, *Quibus, inquam artibus ad tantum faſtigium aſcenderint, equidẽ neſcio.*

Cõfirmatio Ad Epheſ. 4.

A

3. Solutio.

Veruntamen vel hoc ipſo intelligere Rex poſſet, ſi ſapere vellet, hoc non eſſe humana arte factum, ſed in virtute illius verbi, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, vt ſanctè, & catholicè antiqui Patres intellexerunt. Qua enim arte Sylueſter Papa Conſtantinum Imperatorem ita ſibi ſubiecit, vt Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, & maiori honore ſe ipſo dignum confiteri non erubuerit: eàdem reliqui Sancti Pontifices eandem dignitatem, & poteſtatem conſeruarunt, & contra portas inferi defenderunt. Artes etenim illæ non fuerunt aliæ præter verbum Dei, magna virtute ſpiritus liberè prædicatum, & interdum diuinis virtutibus, & illuſtrationibus pro temporum, iuxta diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem, opportunitate confirmatum. Errat ergo Rex, & verbo Dei contradicit, dum ait, Primatum Papæ debile in verbo Dei habere fundamentum. Nam & in verbo Dei ſcripto Petri Primatus perpetuus, & per ſucceſsionem ſemper duraturus ſufficienter continetur: & per verbum eiuſdem Chriſti non ſcriptum, ſenſus verbi ſcripti cum certitudine traditus eſt. Et prætereà ſucceſſionem illam Petri in Romana Sede permanſiſſe euidenter eſt declaratum. Nec poſſunt Rex, vel doctores eius Proteſtantes vim huius verbi effugere, niſi & negando veritatem verbi non ſcripti, & verbum ſcriptum ſua certa ſcientia, & priuato ſpiritu interpretando. Vtrũque autem eſſe à catholica veritate alienum; imò hæreſum omnium, & ſchiſmatum fundamentum, in primo libro ſatis demonſtratum eſt.

B

C

D

4. Ad confirmationem à nobis additam ex loco Epheſ. 4. reſpondere poſſumus ex doctrina Auguſtini lib. de Fide, & operib. cap. 9. vbi tractans locum Actor. 8. de Eunucho, quem baptizauit Philippus, licèt nihil plus dixerit, quàm *credo, filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, vnde aliqui argumentabantur, non eſſe neceſſariũ aliquid aliud docere catechumenos, vt baptizentur: ipſe verò reſpondet: *Scriptura tacuit, atq́ intelligenda admiſit cætera, quæ cum illo ſpadone baptizando Philippus egit.* Sic ergo nos dicimus, licèt Paulus tacuerit illo loco de vno Chriſti Vicario, totius Eccleſię paſtore, illud intelligendum reliquiſſe in cæteris, quæ deſcribit.

Diluitur cõfirmatio Auguſt.

Poteſt autem hæc reſpõſio in nos retorqueri: ſuperiùs enim hoc loco vſi ſumus ad probandum Reges non habere in Eccleſia ſpiritualem poteſtatem, quia Paulus nullam, vel in illo loco, vel in alijs ſimilibus illorum mentionem fecit: quæ illatio eodem prorſus modo eludi poteſt. Reſpondeo ex verbis eiuſdem Auguſtini loco citato. *Atque in eo, quod ait* (ſcilicet Lucas) *Baptizauit eum Philippus, intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis gratia breuitatis, tamẽ ſerie traditionis ſcimus implenda: pari modo etiam in eo, quod ſcriptum eſt, euangelizaſſe Philippum ſpadoni Dominum, nullo modo dubitandum eſt, & illa in catechiſmo dicta eſſe quæ ad vitam, moresq́ pertinent eius, qui credit in Dominum Ieſum Chriſtum.* Ita ergo in præſenti dicimus, Paulum ſub illa deſcriptione Eccleſiæ comprehendiſſe omnia, quæ vel ex traditione, vel ex alijs Scripturæ locis, ad Eccleſiæ ordinem, & hierarchiam pertinere perſpicuum eſt: Eſt autem ſatis nobis traditũ, & in Scriptura, & extra illam, Eccleſiam viſibilẽ eſſe vnum ouile ſub vno Paſtore viſibili, vicem Chriſti gerente; hũc ergo Paſtorem ſub generali nomine Paſtorum Paulus explicuit, quia non aſſumpſit ibi prouinciam in particulari explicãdi gradus omnes, & miniſteria Eccleſiaſtici ordinis. Cuius etiam argumẽtum eſt, quia tractans idem argumentũ. 1. Corinth. 12. omiſit Euangeliſtas, quos ſub Prophetis cõprehendit, & ibi ponit virtutes, & alia, quæ in loco ad Epheſ. omiſit, & in neutro loco ponit presbyteros, & diaconos, quãuis ad Eccleſiaſticã hierar-

5. Inſtantia.

Reſpõſio.

hierarchiam pertinere, ex alijs Scripturę A
Ex Scriptura primatus Pontificis, nõ Regum colligitur. locis manifeſtũ ſit. At verò de Regibus nulla Scriptura, vel traditio docet, in Eccleſiaſtica hierarchia habere peculiarem locum, aut munus Eccleſiaſtici regiminis, aut miniſterij, ideoq; dum illis locis præcipuis tacentur, prorſus excluduntur: pręſertim quia nec ſub ſpecifica, nec ſub generali verborum forma comprehenſi ſunt.

6. Secunda obiectio. Secundam obiectionẽ paucis his verbis indicat Rex in Præfat. pag. 60. *Ita interim generalibus Concilijs ſuberant* (vtiq; Romani Epiſcopi) *vt & nuper Conſtantienſe Concilium tribus Pontificibus abdicatis, quartum inaugurauerit.* Quæ obiectio
Cõfirmatio confirmari poteſt, quia in alijs caſibus deponuntur Pontifices, vel aliter iudicantur ab Eccleſia, mediantibus Concilijs. Ita enim fieri poſſe, dictum Concilium Conſtantienſe definiuit, & Baſilienſe cõfirmauit, & vtrũq; id exequi tentauit. Et olim Marcellinus Papa depoſitus fuit à Concilio Sinueſano; & in caſu hæreſis deponi poſſe traditur in cap. *Si Papa*, diſtin. 40. & communiter ab omnibus Catholicis receptum eſt.

7. Reſpondeo in primis, obiectionẽ hanc ad quæſtionem potiùs de comparatione Papæ, & Cõcilij generalis, quâm ad quęſtionem de Primatu Põtificis pertinere. Patres enim, qui Concilijs Conſtantienſi, & Baſilienſi interfuerunt, & Gerſonius, alijq; Doctores, qui generale Concilium ſupra Põtificem eſſe opinati sũt; nihilominus certa fide credebant, Epiſcopum Romanum eſſe ſupremũ, & vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, ſupra omnes Epiſcopos, & Patriarchas, habentem in illos ſpiritualem iuriſdictionem, & in omnes fideles cuiuſcũq; cõditionis exiſtãt, etiamſi Reges, vel Imperatores ſint, & contra hoc obiectio facta non procedit, vt per ſe cõſtat, idq; inſtituto noſtro ſufficiebat, quidquid de altera quęſtione comparata ſentiatur. Quia tamen omninò verum eſſe credimus, in Concilio generali nullam eſſe iuriſdictionem immediatè à Chriſto collatam, ideoq; dum legitimus, & indubitatus Pontifex viuit, ab illo pendere Concilij generalis iuriſdictionem, ac proinde illi ſubeſſe (quod alibi tractandum eſt) ideò breuiter dictis obiectionibus ſatisfaciendum eſt.

Ad obiectionem ergo principalẽ reſpondemus, tempore Concilij Conſtan- 8.
Solutio obiectionis. tienſis tres fuiſſe in Eccleſia prætenſos Pontifices. Gregor. 12. Benedict. 13. & Ioan. 23. nominatos. Cum autem certũ ſit, & ſupra probatum, non poſſe ſimul eſſe in Eccleſia plures veros Pontifices, fit conſequens, vt non omnes illi fuerint Pontifices. Vnde etiam fieri potuit, vt nullus eorum eſſet certus Pontifex, atq; adeò nec Pontifex, quia nondum erat aliquis eorum ſufficienti conſenſu Eccleſiæ receptus, nec credebatur legitimè
B electus. In tali autem caſu ius habet Cõcilium generale, quanuis acephalum, ad inquirendum de vero, & legitimo Pontifice, & ſi nullum ex prætenſoribus legitimum, ac certum Pontificem eſſe inuenerit, omnes deponere, vel potiùs nullum eorum verum Pontificem eſſe declarare, ac ſubinde de vero Pontifice Eccleſiæ prouidere. Et hoc ad ſummum fecit Conſtantienſe Concilium deponẽdo dictos tres Pontifices, & Martinũ. 5. eligendo. Ex hoc autem facto nihil contra Pontificis dignitatem, aut poteſtatẽ colligi poteſt, quia cùm Pontifices dubij nõ
C ſint veri Pontifices, poteſtas Concilij ſupra illos, nihil derogat veris Põtificibus; nam electo poſtea vero Pontifice per tale Concilium, in illo erit plena Põtificia poteſtas, ipſo Cõcilio ſuperior, quia non ab illo habet poteſtatem, ſed à Chriſto. Quia verò dicere quis poteſt, Ioannem 23. fuiſſe Pontificem ſatis certum, quidquid de hoc ſit, addere poſſumus, ipſum tandem voluntariè renunciaſſe Papatui, vt ex hiſtorijs conſtat, & ſimiliter ceſsit Gregor. 12. Benedictus autẽ 13. aliàs Petrus de Luna, licèt nunquã cedere voluerit, mortuus tamẽ eſt paulò poſt Martini
D electionẽ, & Clemens quidam, qui in locum eius fuerat ſuffectus, paulò poſt renuntiauit, & Martinus V. tanquam vnicus, & verus Pontifex ab vniuerſa Eccleſia cognitus, & receptus eſt.

Quod ſi quis inſtet, Baſilienſe Concilium ſubſequens depoſitionis ſentẽtiam 9. Refellitur inſtãtia quędam.
contra Eugenium. 4. vnicum, & indubitatum Pontificem tuliſſe, & Amadeum Felicem appellatũ, loco illius creauiſſe. Reſpondetur, in hoc erraſſe Concilium illud, quod mirandum non eſt, quia iam tunc non legitimè, nec ſub obedientia Apoſto-

Apoſtolicæ ſedis procedebat. Vnde etiã errauit in approbanda aſſertione, quòd Concilium generale ſit ſupra Papam, in Concilio Conſtantienſi traditam. Vnde conſequenter exiſtimauit, Conciliũ ſemel legitimè congregatum ſine ſuo conſenſu non poſſe diſſolui à Pontifice; imò poſſe, ipſum Pontificem ad aſsiſtendum Concilio, cogere. Quod tamen fundamẽtum omnino falſum eſt, & in eo Conſtãtienſe Concilium errare potuit, quia nec à vero, ac certo Pontifice conuocatum fuerat, nec illius præſentiam per ſe, vel legatos habebat. Vnde ſolùm ad tollendum ſchiſma legitimè coactũ fuerat, non ad dogmata fidei definiẽda. Exceſsit ergo terminos poteſtatis ſuæ, & ideò errare potuit, & conſequenter etiam in hoc errauit Baſilienſe illud ſequens, quia, vt dixi, iam tunc non legitimè procedebat. Atque ita prædicta aſſertio poſteà à Põtificibus, & Concilio Lateranenſi ſub Leone X. reprobata eſt. Et Eugenius. 4. tam aſſertionem, quàm ſententiam Baſilienſis Concilij pro nihilo habuit, vt in eodem Concilio refertur ſeſſ. 38. Et cũ Eugenio ſenſit vniuerſa Eccleſia, quæ non obſtante illa ſententia tam Eugeniũ, quàm ſucceſſorem eius Nicolaũ V. pro veris Pontificibus habuit, Antipapa Felice repudiato, qui poſteà Nicolao ceſsit, & ita ſemper Pontificia dignitas integra manſit.

10. Reſponſio ad confirmationem. In Apolog: pag. 105.

Antiquum verò exemplum de Marcellini depoſitione à Rege non obijcitur, qui acta illius Concilij non admittit, & contradictionis arguit, quia in eis ſæpè dicitur, *Pontificem à nemine iudicari*, & nihilominus Marcellinus inde iudicatus exiuit; nam ſententia anathematis in eũ lata eſt, cui omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt, neque enim poterat Marcellinus ſe ipſum excõmunicare. Neque deſunt etiam ex Scriptoribus Catholicis, qui de illa hiſtoria Marcellini dubitent, vt videre licet in Baronio tom. 2. ann. 302. n. 95. & ſequentib. & ann. 303. n. 89. & ſequentibus. *Baronius.* Veruntamen ipſemet admonet, non oportere antiquam hiſtoriã cõmuniter in Eccleſia receptam in dubium reuocare. Pręſertim cum Nicolaus Papa in epiſt. ad Michaelẽ Imperatorẽ, illam vt veram referat, & illa vtatur ad Apoſtolicę ſedis authoritatem confirmandã. *Nicol. Papa.*

A Eſt igitur aduertendum, peccatum Marcellini cuiuſdam infidelitatis fuiſſe, & ideò ad Concilium pertinuiſſe de illo inquirere, tum propter publicum ſcandalum in materia fidei, tum propter Eccleſiæ ſecuritatem. 11. Quia tamen culpa ſolum fuerat contra confeſsionem fidei, & non hæreſis, ideò Epiſcopi congregati ſæpe dixerunt, *Tuo te ore iudica, nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Ex quibus verbis authoritas ſuprema Pontificis cõfirmatur. Ipſe autem Marcellinus videtur in ſe ipſum ſententiam protuliſſe, dicens, *Peccaui coram vobis, & non poſſum in* B *ordine eſſe ſacerdotum.* Per quæ verba viſum eſt aliquibus renunciaſſe Pontificatui, eamq; renunciationem Epiſcopos acceptaſſe, & propterea de illis dici, *Subſcripſerunt in eius damnationem, & damnauerunt eum*, non vi iuriſdictionis, quam in ipſum, dum fuit Pontifex, haberent, ſed voluntariè conſentiendo illi: & renuntiationẽ acceptãdo. Atque ita nemo eum, dum eſſet Pontifex, iudicauit, ſed, vt ſtatim ſubiũgitur, *ore ſuo damnatus eſt.* Poſtquàm autem deſijt eſſe Pontifex, potuit etiam à Concilio cenſuris ligari, C vt per ſe conſtat. Vel fortaſſe Papatui non ceſsit, vt eſt probabilius, quia hoc ibi expreſſè non dicitur, nec verba citata renunciationem pręſe ferunt, ſed pœnitentiam, nec Damaſus, nec Platina, vel Romanum Breuiarium id referunt, ſed potiùs fuiſſe Pontificem, etiam eo tempore, quo martyrium paſſus eſt, ſignificant, & clarè teſtatur Baronius anno Chriſti 304. Hoc autem ſuppoſito dicẽdum conſequenter eſt, ipſum non fuiſſe propriè in Eccleſiaſtico foro damnatum ſeu punitum, vel cenſura ligatum, ſed voluntariè ad aliorum exemplum, & in D ſui peccati vindictam ſe ipſum ſeparaſſe, & ab officio quaſi ſuſpendiſſe, ſeu abſtinuiſſe. Quod iudicium Concilium illud probauit, & quaſi declaratoriam ſententiam criminis tulit, ipſomet Marcellino annuente, & in hoc ſenſu dicitur, Concilium illud damnaſſe Marcellinum. Et ita nulla eſt in dictis illius Concilij contradictio.

Ex dictis etiam Concilio Sin[illegible] primatus Põtificis cõfirmatur.

Marcellinus non [illegible] Con[illegible] depo[illegible].

Baronius.

12. Occurritur exemplo de Papa hæretico.

Ad vltimam partem illius obiectionis de Papa hæretico, reſpondemus in primis, non eſſe certum: an Papa etiam vt perſona priuata, poſsit in hæreſim perti-

pertinaciter labi. Vnde ſi vera eſt ſententia quę negat, Papã eſſe poſſe hæreticum, ceſſat obiectio. Quia vero contrarium videntur canones, & Concilia ſupponere, vt patet ex cap. *Si Papa* diſt. 40. & ex Concilio Romano ſub Adriano & ex octaua Synodo, admiſſo illo caſu concedendum eſt, Papam tunc poſſe iudicari, & dignitate priuari. Quomodo autem id fiat ſine præiudicio dignitatis, variê â Doctoribus explicatur; non eſt autem in præſenti neceſſarium ſingulas ſententias referre, & examinare. Dico ergo breuiter, Papam hęreticum non ab hominibus, ſed ab ipſo Deo deponi, quãuis non ſine miniſterio Eccleſiæ, ſeu Cõcilij ferentis in ipſum ſententiam declaratoriam criminis. Sicut enim Papa ab hominibus eligitur, & nihilominus non ab hominibus, ſed ab ipſo Chriſto immediatê dignitatem recipit; ita etiam licet per ſententiam hominum declaretur hæreticus, nihilominus non iure humano, ſed diuino ſtatim manet dignitate priuatus. An vero ad talem priuationẽ, ſeu depoſitionem neceſſaria ſit talis ſententia, vel ipſuminet peccatum hæreſis ſufficiat, ſaltem externum, & facto ipſo notorium, â Doctoribus cõtrouertitur. Mihi autem rationi, & recto regimini magis conſentaneum videtur, neceſſariam eſſe ſententiam criminis declaratoriam, datam â Concilio authoritatem habente, vt omnia ordinate fiant, & ſchiſmatum pericula tollantur.

Papa hæreticus à Deo ipſo deponitur, non ab hominibus.

Ante depoſitionem Pontificis ſententia criminis declaratoria præmitti debet.

CAPVT XIX.

Explicantur quædã loca Gregorij quæ Rex obijcit, & veri tituli Romani Epiſcopi defenduntur.

1\. Recenſetur teſtimonia Gregorij.

TERTIA obiectio principalis ſumitur ex Gregorio in varijs epiſtolis, in quibus reprehendit Ioannem Conſtantinopolitanum eo quod vniuerſalem Epiſcopum ſeu Patriarchã ſe ipſum appellaret, & nominari vellet, & ad illum magis confundendum, adiũgit, *Nullus vnquam deceſſorum meorũ hoc tam prophano vocabulo vti conſenſit*, lib. 4. indict. 3. c. 80. aliàs epiſt. 39. ad Anaſtaſium Antiochenum, vbi etiam ait. *Sicut enim veneranda veſtra ſanctitas nouit, mihi* A *per ſanctam Chalcedonenſem Synodum Pontifici ſedis Apoſtolicæ, cui Deo diſponente, deſeruio, hoc vniuerſitatis nomen oblatum eſt, ſed nullus, &c.* Et ſimilia habet epiſt. 32. ad Mauricium 33. & 34. ad Conſtãtiam, & 38. ad eundem Ioan. & 36. ad Anianum, & lib. 7. epiſt. 69. ad Euſebiũ Theſſalonicen. Et addit lib. 6. epiſt. 30. ad Mauricium aliàs cap. 194. *Ego fidenter dico, quia quiſquis ſe vniuerſalem ſacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in elatione ſua Antichriſtũ præcurrit, quia ſuperbiendo ſe cæteris præponit.* Aliam etiam rationem reddit Gregor. B quia ſi vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, *Patriarcharũ nomen cæteris derogatur.* Et ideo ait, *nullus Romanorum Pontificum hoc ſingularitatis vocabulum aſſumpſit, nec vti conſenſit, ne dum priuatum aliquid daretur vni, honore debito ſacerdotes priuarentur vniuerſi.* Quæ ratio æquè in Summo Pontifice procedit. Vnde idem Gregorius lib. 7. indict. 1. epiſt. 30. ad Eulogium Alexandrin. qui ad ipſum ſcribens, eum vniuerſalem Papam vocauerat, ait, *Quod peto dulciſſima mihi ſanctitas veſtra vltra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus, quã* C *ratio exigit, præbetur.* Et infrà. *Si enim vniuerſalem me Papam veſtra ſanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur vniuerſum.* Vbi ſignificat, repugnare, vnũ eſſe vniuerſalem Epiſcopum & alios eſſe veros Epiſcopos. Et hanc ſententiã tradidit ante Gregorium Pelagius 2. contra eundem Ioannem in epiſt. 1. ad illegitimum Concilium Conſtantinopolitanũ. Et ante hos Pontifices legitur in Concilio Carthaginenſi. 3. cap. 26. & in Concilio Affiricano tẽpore Bonificij, canon qui ſic habet. *Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps ſacerdotum, vel ſummus* D *ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus.*

Pelagi. 2.

Concil. Carthag.

Hoc argumentum valde vrget Rex Angliæ in Apologia pagin. 106. & 107. & ex allegatis teſtimonijs Gregorij multa ex his, quæ pro primatu Romani Põtificis adduximus, vel certè omnia eneruari putat. Maximeque redarguit Bellarminum, eoquod in fauorem primatus Romani Pontificis alio teſtimonio Gregorij vſus fuerit, in quo Apoſtolicã ſedem, *Caput fidei*, vocat lib. 11. epiſtola 42. Nam *qui nomen* (inquit) *vniuerſalis* 2.

Epiſcopi repudiabat, hic caput fidei ſe ſe vocari æquo animo laturus erat? Et ideo ipſe exponit de capite, ſeu gubernatore in genere, ſiue ille ſit Papa, ſiue Rex intra ditiones, & fines ſuos. Et quia videbat expoſitionem hanc eſſe violentam, vt reuera eſt, veniam petit, vt ſi illa reijciatur, dicere poſsit, *Gregorium, vel minùs cautè loquutum eſſe, vel per exceſſum.* Cum eadem tamen Regis venia, ipſe ſimul vtrumque committit, quia ſine vlla ratione, vel fundamento non ſolum verbis Gregorij, ſed omnium etiã antiquorum Patrum liberam illam cenſuram adhibet. Imò addere poſſumus, etiã in verba Chriſti redundare, non eſt enim minus eſſe fundamentum Eccleſiæ, quàm eſſe caput fidei, Chriſtus autem de Petro, id eſt de Petri ſede, vt ſuprà probaui, dixit, eſſe fundamentum Eccleſiæ; exceſsit ergo, vel incautê loquutus eſt Chriſtus, ſi exceſsit, vel incautê loquutus eſt Gregorius, Apoſtolicam ſedem caput fidei appellando.

Non enim de ſua perſona tãtum, ſed
3. de ſede ſua loquebatur Gregorius. Sic enim ait. *Illud autem admonemus, vt Apoſtolicæ ſedis reuerentia nullius præſumptione turbetur, tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput fidei nulla pulſetur iniuria, & canonum maneat incolumis atque intemerata ſemper authoritas.* Ex hac enim verborum ſerie conſtat, eandem Apoſtolicam ſedem, cui reuerentiam exhiberi monuerat, poſtea vocare *caput fidei, quod a membris nulla eſt pulſandum iniuria, vt eorum ſtatus integer perſeueret.* Quod ego maxime de fidei ſtatu intelligo, quia qui contra reuerentiam Apoſtolicæ ſedi debitam omnia perturbant, in vera, & integra fide perſeuerare nõ poſſunt. Et ideo fortaſſe modum loquendi mutauit, & quam prius vocauerat, *Apoſtolicam Sedem*, poſtea vocat, *caput fidei*, vt indicaret magnum periculum imminere, contemnendo obedientiam, & reuerentiam debitam Apoſtolicæ ſedi, nam facile trãſſit vſque ad periculum amittendi fidem. Et confirmatur: quia non exceſsit certè, neque incautê loquutus eſt Chriſtus cum dixit Petro: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*: hoc autem munus cum illo priuilegio. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, non tantùm

A perſonę, ſed etiã ſedi Petri collatum eſt, vt lib. 1. oſtendimus; ergo nullus eſt exceſſus, neque incauta loquutio, ſi Pontifex, qui tanquam viua regula fidei ad confirmandos fratres poſitus eſt, caput fidei appelletur. Vnde Patres Concilij Chalcedonenſis in Epiſt. ad Leonẽ Pap. *firmitatem fidei*, illum appellant dicentes, *Firmitas tua filijs, quod decet, adimpleat.*

Eo vel maximê, quod rectê poteſt intelligi, vocari caput fidei, quia eſt caput omniũ fideliũ, poſito abſtracto pro cõcreto, ad denotandum, non eſſe veram 4.
B fidem, niſi in membris huius capitis, vel fidem ipſam eſſe, quæ membra cum capite coniungit. Vnde ſit, vt tam caput, quam membra fidei appellentur, quia per fidem in vnum corpus coaleſcunt, quod eſt Eccleſia. Atque ita nihil aliud eſt eſſe caput fidei, quam eſſe caput Eccleſiæ, in quo capite in ſuo genere fides Eccleſiæ nititur. Quapropter ridiculum eſt, verba illa ad Reges temporales accõmodare, aut tantum de gubernatore politico, & ſolum ordinis externi cauſa leges ferente, caput illud interpretari, cũ Gregorius aperte loquatur de capite totius Eccleſiæ, & in ſpiritualibus: nam
C propter hanc etiam cauſam caput fidei vocat. Et quanuis verum ſit, in principio epiſtolæ Gregorium tractaſſe de cõcedendo Panormitano Epiſcopo vſu pallij, qui vſus ad quandam Eccleſiaſticã cæremoniam pertinet, inde ſumpta occaſione illum poſtea monet, vt diſciplinam Eccleſiaſticam circa reuerentiam Apoſtolicæ ſedis, & circa incolumem, & intemeratam canonum authoritatem, & morum integritatem obſeruet, & obſeruari faciat, quæ omnia ad Eccleſiaſticũ, & ſpirituale regimen pertinent; igitur
D de capite huius regiminis loquebatur Gregorius, cum ſedem Apoſtolicam caput fidei appellauit.

Retorquendo ergo Regis argumentũ ex hoc loco legitimus aliorũ ſenſus erui facilê poteſt. Nam ſi Gregorius ſedem ſuam caput fidei vocauit, quia firmitas fidei, & cura, ac ſolicitudo conſeruandi, ac propagandi illam, & conſequenter etiam honeſtos mores, qui ex illa pendent, illi ſedi commiſſa eſt, quando nomen vniuerſalis Epiſcopi recuſauit, non ſupremam paſtoralem curam ſuæ ſedis ne-

5. Legitima teſtimoniorũ Greg. explicatio traditur, & argumẽtũ Regis in eum retorquetur.

negare, ſed verbi inuidiam, & elationis, vel ambitionis ſpeciem cauere voluit. Neque ſolum ex citato loco, ſed ex alijs etiam innumeris; imo ex eiſdem, vbi de nomine vniuerſalis tractat, manifeſtè colligitur, Gregorium in ſe, & in ſede ſua curam ſupremi, & vniuerſalis Paſtoris agnouiſſe. Nam in eadem epiſt. 32. ad Mauricium, dixit: *Cunctis Euãgelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt.* Et infrà. *Cura ei totius Eccleſiæ, & Principatus committitur, tamen vniuerſalis Apoſtolus non vocatur.* Ecce vbi & Principatum agnoſcit, & nomen abnuit. Et in epiſt. 36. & 38. ſimul nomen illud contemnit, & vniuerſali poteſtate vtitur, diſſoluendo, & reprobando illegitimum Concilium ſine authoritate ſuę ſedis cõgregatũ, & cõminando cenſuras Ioanni, niſi reſipiſceret. Imò in lib. 7. epiſt. 64. eundem Ioannem propter idem nomen reprehendit, licèt ipſe non negaret, ſe Apoſtolicæ ſedi ſubijci, vt idem Gregorius refert, qui etiam addit, ſe neſcire Epiſcopum, qui eidem ſedi ſubiectus nõ ſit; ergo recuſando vocabulum vniuerſalis, non intendit ſuæ ſedi vniuerſalem iuriſdictionem negare. Vnde etiam epiſt. 69. tractaturus eandem cauſam, ſic incipit, *Suſcepti regiminis cura conſtringimur officij noſtri ſolicitudinem vigilanter extẽdere, & cæt.* Et infrâ, eandem curam oſtẽdit, dicens *Acta in Concilio ſine ſedis Apoſtolicæ authoritate, atque conſenſu nullas vires habere,* & in fine profert generalem cenſuram contra violantes ſua pręcepta: vt omittam alia loca ſuprà citata, in quibus Gregorius Primatum Romanæ Eccleſiæ, & cõmẽdat, & exercet.

6. Bellarm.

Cur ergo Gregorius nomen vniuerſalis Epiſcopi tanquam prophanum vetuit, & repudiauit? Reſpondetur cũ Cardinali Bellarmino lib. 2. de Clericis, cap. vlt. in fine, duobus modis poſſe nomen vniuerſalis Epiſcopi vſurpari. Primo ad ſignificandum vnum Epiſcopum, qui ſit proprius, & proximus paſtor totius Eccleſiæ vniuerſalis, & omnium Eccleſiarum, ac diœceſum particulariũ, eo vtiq; modo, quo v. g. Conimbricẽſis, eſt vnicus Epiſcopus totius diœceſis ſuę, in qua poteſt habęre vicariũ vnũ, vel plures, nõ

Nominis vniuerſalis epiſcopi duplex acceptio.

A tamen aliũ Epiſcopũ. Hoc igitur modo fingere vniuerſale Epiſcopũ totius Eccleſiæ, contra ius diuinũ eſt, & ideô vox illa vniuerſalis Epiſcopi, in hac ſignificatione vſurpata, prophana eſt, & ſacrilega. Alio modo poteſt dici vniuerſalis Epiſcopus; qui per modũ cauſæ vniuerſalis iuriſdictionẽ habet in totã Eccleſiã, non excludit autẽ particulares Epiſcopos, qui & veri Epiſcopi ſint, & quaſi cauſæ proximæ habentes ordinariã iuriſdictionẽ ſub Pontifice Sũmo. Et in hac ſignificatione ſumpta vox illa in ſe quidẽ non eſt prophana, quia rẽ verã, & maximè ſacram, & Eccleſiæ neceſſariã ſignificat, tamen vt vſurpata à Patriarcha Conſtantinopolitano prophana erat, & plena ſuperbiæ, & præſumptionis, quia per eã ſibi tribuebat, quod non habebat. Et ob contrariam rationẽ attributa in eo ſenſu Pontifici Romano nõ eſt prophana, ſed veritatẽ ſignificat, & ideo in Cõcilio Chalcedonẽſi Leoni Pap. attributa eſt, vt Greg. Papa in dictis epiſtolis ſæpe teſtatur. Et in eodẽ ſenſu æquiualentia nomina à Concilijs, & Patribus Epiſcopo Romano ſunt attributa, vt eſſe *caput vniuerſalis Eccleſiæ,* in Concilio Chalcedonen. acti. 16. *habere curã vniuerſalis Eccleſiæ,* Leo epiſt. 82. Euſeb. epiſt. 3. Diony. epiſt. 2. *Rectorem domus Dei,* Ambroſi. 1. ad Timot. 3. deniq; *Epiſcopũ vniuerſalis Eccleſiæ,* vt ſæpe vocatur in epiſtolis Pontificijs ſupra allegatis, & in Cõcilio Chalcedonenſi acti. 3. & in multis alijs epiſtolis Epiſcoporũ, vel Principũ ſcribentiũ ad Pontifices Romanos, quæ in Actis Conciliorũ, & inter Epiſtolas Pontificias referuntur & ſpecialiter videri poſſunt, quæ in Concilio Chalcedonenſi act. 3. leguntur.

Nomen vniuerſalis Epiſcopi ſi alios particulares Epiſcopos non excludit Põtifici congruit.

Conc. chal. Leo Pap. Euſeb. Dion. Ambroſ.

D Nihilominus tamen Gregorius nomẽ vniuerſalis Epiſcopi repudiauit, tũ propter humilitatis exceſsũ; nã in hoc melius dicere potuiſſet Rex Angliæ exceſſiſſe Gregoriũ, non per ambitionẽ, ſed propter humilitatis exemplũ. Tũ etiam vt efficacius ſuperbiã Conſtantinopolitani Epiſcopi cohiberet, tũ deniq; quia propter vocis ambiguitatẽ poſſet alios Epiſcopos offendere, & hac ratione ſæpius vtitur Gregorius, & quia hoc periculũ in vſu aliarũ vocũ non inuenitur, ideo aliàs deteſtatus non eſt. Et per hæc

7. Cur Greg. nomen vniuerſalis epiſcopi deuitatit.

 etiam

etiam reſponſum eſt ad Pelagiũ Papam, nã eadẽ ratione, qua Gregorius, motus eſt, vt ex verbis in d. epiſt. 1. eſt manifeſtũ, & ſimul in eadem epiſtola Romanũ Epiſcopũ vocat caput omniũ Eccleſiarũ.

8. De nomine autẽ Sũmi Pontificis nunquã dubitatũ eſt, vt teſtatur Iuſtinianus Imperator, in Authentico de Eccleſia Roman. collat. 1. dicens, *Vt legum originẽ anterior Roma ſortita eſt, ita & ſummi Põtificatus apicem apud eam eſſe, nemo eſt, qui dubitet*; imo Conciliũ Chalcedonẽſe Leoni, in epiſt. ad eum, dicit, *Summitas tua, & cæt.* & Gregor. lib. 1. Dialogor. c. 4. referens hiſtoriã de Equitio ait, *Equitius cœpit immenſas gratias omnipotenti Deo agere, aſſerens, quod ſe per ſummũ Pontificẽ viſitaſſet*, cum nuncius à Pontifice miſſus ei dixiſſet, *quia Pater eius Apoſtolicus Pontifex eum videre vellet.* Hierony. verò in Præfat. ad Euangelia Damaſũ vocat *ſummũ ſacerdotẽ*, quod per inde eſt, Canon ergo ille Concilij Carthaginenſis & Africani non intelligitur de Romano Pontifice, ſed de Primate Africano, vt rectè Gloſſa expoſuit in cap. 3. diſt. 99. Neq; enim prouincialia ſeu nationalia Concilia, quomodo Papa vocãdus eſſet, ſtatuere poterant; imo fortaſſe ne Papæ fieret iniuria, Primatẽ ſuũ Sũmum Pontificẽ appellari Patres illorũ cõciliorum vetuerunt.

Iuſtinian. Imper. — *Con. Chal.* — *Gregor.* — *Hierony.* — *Gloſſa.*

CAPVT XX.

Alijs obiectionibus ex factis Imperatorum, & coniecturis deſumptis reſpondetur.

1. QVarta obiectio inſinuatur à Rege in Præfat. pagin. 60. Phocæ memoriã faciente, affirmanteq; vſq; ad Phocæ tempora Pontifices Romanos Imperatoribus paruiſſe. Vnde indicat, quod alij Proteſtantes aſſerere ſolent, Phocam ſtatuiſſe, vt Romanus Epiſcopus Primatũ inter alios obtineret. Quibus aliqui ex hiſtoricis fauere videntur, nã Beda de Temporib. in Phoca, ſic inquit, *Hic rogante Papa Bonifacio ſtatuit, ſedem Romanæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primã ſe omnium ſcribebat.* Et eodẽ ferè modo id narrant Paulus Diaconus in lib. 4. de Geſtis Longobardorum c. 11. & Anaſtaſius Bibliothecarius in ſua hiſtoria, & Antonius Sabe- A licus Æneade 8. lib. 6. & Pomponius Lętus in compendio hiſtoriar. Romanar. in Phoca, & plures alij eodẽ modo hiſtoriam referunt. Et propter illa ſola verba perſuadere volunt Proteſtantes, eo anno (qui fuit ſexcenteſimus ſeptimus, vt Genebrardus cũ alijs, vel ſexcenteſimus ſextus, vt vult Baronius) incepiſſe Romanum Pontificem habere Primatũ in vniuerſam Eccleſiã, præſertim in Orientalẽ. Quanquã neq; in hoc ſibi conſtẽt; nam Magdeburgenſes centur. 6. dixerũt Romanum Pontificẽ à Iuſtino Impera- B tore anno 520. factum eſſe Patriarchã, niſi forte iſti loquuti ſint de Patriarchatu Occidentali, illi vero de Primatu, qui ad Orientalẽ etiã Eccleſiã extenderetur.

Quarta Regis obiectio & huius capitis prima. — *Beda.* — *Paulus diaconus.* — *Anaſt. Bibliothecar.* — *Ant. Sabe.* — *Põp. Læt.*

2. Alij dixerunt Romanam Eccleſiam à Conſtantino IIII. habuiſſe Primatum, quia Platina in Benedicto 2. dicit *Cõſtãtinum Benedicti ſanctitate permotum, ad illum ſanctionem miſiſſe, vt ille, quem clerus, populus, exercitusque Romanus Pontificem delegiſſet, eundem ſtatim verum Chriſti Vicarium eſſe, omnes crederent, nulla vel Cõſtantinopolitani Principis, vel Exarchi Italiæ expectata authoritate, vt ante fieri con- C ſueuerat.* Alij in Conſtantinũ I. hanc Romani Epiſcopi referunt dignitatẽ, quia in edicto Cõſtantini in cap. penult. d. 96. ſic dicitur. *Conſtantinus Imperator quarta die ſui baptiſmi, priuilegiũ Romanæ Eccleſiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano ſacerdotes ita hunc caput habeant, ſicut iudices Regem.* Et poſtea ponuntur latè verba Priuilegij, quæ etiam referuntur in 1. tom. Concilior. & approbãtur à Gelaſio cum Conc. 70. Epiſcopor. Et eiſdẽ ferè verbis vtitur Leo 9. cõtra Michael. c. 10. Atq; hinc alij dixerunt à Concilio Nicæno datum eſſe priuilegiũ Eccleſiæ D Romanæ; nam Leo 9. ſuprà dicit Pontificem à nemine iudicari poſſe, *Beatiſſimo, & Apoſtolico Pontifice Sylueſtro decernente, & Conſtantino Auguſto ſpirituali eius filio cũ vniuerſa Synodo Nicæna approbante*: Simileſq; loquutiones inueniuntur in Concil. 4. ſub Symmacho, & in alijs ſupra allegatis. Alij deniq; ad tempora quidẽ Apoſtolorũ hanc referũt inſtitutionẽ, dicunt tamen Apoſtolicã eſſe non diuinã, quia interdũ dicunt antiqui Põtifices Petrũ volentibus alijs Apoſtolis in Principẽ eorũ conſtitutũ fuiſſe. De quibus

Platin. — *Gelaſ.* — *Leo 9.*

Turrecre. Bellarm. quibus, & alijs erroribus videri poſſunt Turrecrem. lib. 2. de Eccleſ. c. 39. & ſequētib. & Bellar. lib. 2. de Pontif. c. 17.

3. Veruntamen hæc omnia neque fundamentum habent, neq; veriſimilitudinem vllā, quia Primatus Eccleſię Romanæ antiquior eſt omnibus Imperatoribus Chriſtianis, vt ex traditione antiquiſsima ſuprà demonſtratum eſt. Præter quam quod etiam probauimus, temporales Reges nullam habere ſpirituale̅ poteſtatē, vel iuriſdictionē, qua de rebus Eccleſiaſticis poſsint diſponere. Primatus autem Eccleſiaſticus ſpiritualis, & ſupernaturalis eſt, vt probauimus, quomodo ergo poterant Imperatores illum inſtituere, aut conferre? Denique probauimus; dignitatē hanc eſſe ex Chriſti inſtitutione, & ex vi illius durare per cōtinuam ſucceſsionē, ſemperq; ex eodem diuino iure tranſire ad Romanū Pontificem, ſuppoſita determinatione ad talē ſedem â Petro facta; ergo vanū eſt quærere inſtitutionē huius dignitatis ab Imperatoribus. Quin potius neq; â Concilijs, vel Patribus, neq; ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino initium habuit, vt Anacletus, & alij Pontifices ſupra relati teſtantur, & ex Euangelio ita â Patribus intellecto probauimus. Vnde vbicunq; ſcriptum inueniatur ab aliquo ex Patribus, vel Scriptoribus catholicis, Romanam ſedem ab aliquo Concilio, vel à Patribus habere Primatum, ſenſus eſt, habuiſſe non tanquam ab inſtituente, vel donante, ſed vt à declarante, vel defendente, ſeu conſeruante talē dignitatem, ſic enim Concilium Nicænum declarauit, Romanum Epiſcopum habere primatū in omnes, & addit, *ſemper etiam habuiſſe*. Optimè vero Nicolaus I. in epiſt. ad Michaelem Imperatorē dixit, *Priuilegia huic ſanctæ Eccleſiæ à Chriſto ſunt donata, à Synodis non donata, ſed celebrata, & honorata*. Sic dixit Iuſtinian. Imp. in Authen. de Eccleſiaſ. tit. cap. 1. *Sancimus ſecūdū definitionē ſynodorū, ſāctiſsimū ſenioris Romæ Papā primū eſſe omniū ſacerdotū.*

Primatū pōtificis ab Imperatoribus eſſe non poſſe conuincitur.

Nicola. 1.

Iuſti. Imp.

4. Ad Phocā Obiectioni occurritur. Quod ergo Rex Angliæ dixit, ante Phocam Romanos Pontifices paruiſſe Imperatoribus, ad ſequentia capita ſpectat, vbi de cōparatione vtriuſq; poteſtatis agemus, & id falſum eſſe oſtendemus Quod vero inſinuat, & clarius contendunt alij Proteſtantes, Phocā aliquid poteſtatis, vel iuriſdictionis Romano Pōtifici contuliſſe, falſū eſt, & aut ex ignorātia; aut (quod veriſimilius eſt) ex maleuolentia Proteſtantiū introductū. Eſt enim ex dictis in præcedenti puncto recolendū, inter Gregoriū, & Ioannē Cōſtantinopolitanū fuiſſe cōtentionē de vocabulo *vniuerſalis*, quæ non tā fuit, de re, ſeu de poteſtate ipſa, (nā Ioānes ipſe, vt vidimus ſubditū ſe eſſe Gregorio fatebatur:) quā de titulo, qui propter aliorum offenſionē, ſuperbiā, & periculū tranſeundi in ſchiſma, Romanis Epiſcopis maximê diſplicuit. Cum ergo Pelagius, & Gregorius, neq; ſuis monitis, neq; interuentu Imperatorū Ioannem Conſtantinopolitanū ad ſuā ſententiā, & ſaniorem mentem trahere potuiſſent, & Cyriacus Ioannis ſucceſſor in eadē dementia perſeueraret, Bonifacius III. qui poſt Sabinianum vnius tantum anni Pontificem, Gregorio ſucceſsit, apud Phocam obtinuit, vt Cyriacū cōpelleret, illum titulū non vſurpare, declarando ſoli Eccleſiæ Romanæ poſſe cōpetere, vt rectè Platina in Bonifacio 3. Blōdus lib. 9. decad. 1. Genebrar. in Chronico ann. 607. & Baronius in Annalib. ann. 606. declararunt. Eſtque per ſe euidens, quia multo ante Phocā in Concilijs Nicæno, & alijs declaratus fuerat ſedis Apoſtolicæ Primatus, & ſpecialiter in Concilio Chalcedonenſi proclamatus fuerat Romanus Pontifex vniuerſalis Epiſcopus, quāuis Pōtificū modeſtia, ac moderatio nomen illud acceptare noluerit. Aduertit etiam Baronius Cyriacum non negaſſe ſubiectionē, & obedientiā Romano Pontifici, quia ſtatim poſt electionē ſuā reſponſales ſuos ſimul cum Epiſtola ſynodali ad Gregoriū Papā miſit, vt ex eodē Greg. habetur lib. 6. epiſt. 31. Ex quo etiā conſtat, Gregoriū nunquā fuiſſe conqueſtū de vſurpata iuriſdictione, ſed de ambitioſo titulo, alijs Epiſcopis, & maximê ſedi Romanæ iniurioſo. Igitur Phocas authoritate ſua Romanā ſedē defendit, & ſuperbiā Cyriaci compreſsit, nihil verô nouum Benedicto contulit.

Platina. Blondus. Genebrar. Baron.

Greg. Phocas ſolū Pōtificis primatū tutatus eſt.

5. Ad Iuſti. De Iuſtino autē nullā inuenio hiſtoriā, quæ in authoritate ſit, referentē, Iuſtinū ſeniorē aliquid poteſtatis Romano Epiſcopo cōtuliſſe, nō ſolū in illo anno

quingẽteſimo vigeſimo, verũ etiã nec in toto tẽpore Imperij ſui. Nã licet cũ magna fide & reuerentia ad Hormiſdã Pap. ſępe ſcripſerit, & ad Eccleſiã Romanã munera miſerit; nũquã tamẽ ſpecialia priuilegia illi ſedi contulit, vnde igitur errorẽ illũ, vel ſuſpicionẽ eius hæretici ſumere potuerunt? Præſertim quia ex actis in Cõcilio Chalcedonẽſi, & multis alijs ſuprà adductis euidenter oſtenſũ eſt, Primatũ Eccleſiæ Romanæ ante Iuſtinũ in vniuerſo orbe fuiſſe notiſsimũ. Atq; eodẽ modo facilè confutatur quod de Cõſtantino IIII. dicebatur, nam hic plus quam ducentis annis poſt Iuſtinũ imperauit; ſed Primatus Eccleſiæ Romanæ antiquior fuit Iuſtino, & ideò ab illo eſſe nõ potuit, ergo multò minus à Cõſtãtino nouiore oriri potuit. Neq; verba Platinæ hoc indicant, ſed ſolũ, Imperatorẽ Conſtantinũ ceſsiſſe cõſuetudini, qua ſolebat cõſenſus Imperatoris, vel Hexarchi ad cõſũmatã Põtificis creationẽ expectari, de poteſtate autẽ ſũmi Põtificis nihil Cõſtãtinus loquut⁹ eſt, imò ex verbis eius apertè colligitur, ipſum ſenſiſſe, Põtificem ritè electum ſtatim eſſe Vicarium Chriſti.

Ad Conſtãtinum iunior.

6. *Ad Conſt. Magnum.*

Eadẽ reſponſio locũ habet in Cõſtantino Magno, nã ante illius cõuerſionẽ Põtifex Romanus Eccleſiaſticã iuriſdictionẽ in vniuerſa Eccleſia exercebat, nõ ſolũ in Occidente, ſed etiã In Oriente, vt ſatis in ſuperioribus oſtẽſũ eſt. Nihil ergo ad hanc poteſtatẽ pertinens Cõſtantinus Eccleſiæ Romanæ contulit, ſed quod inuenit, id probauit, & credidit; imo etiã ſua obedientia, & ſubiectione recognouit, & in reuerentiã & honorẽ tantæ dignitatis tẽporalia etiã bona Eccleſiæ Romanæ cõceſsit, vt maiorẽ honorẽ, & ſplẽdorẽ illi cõciliaret. Quod ex verbis eiuſdẽ edicti cõſtare poteſt. Nã in principio confitetur, Deũ per Apoſtolos Petrũ, & Paulũ mirabilia erga ſe operatũ eſſe. *Interueniente* (ait) *Patre noſtro Sylueſtro, & vniuerſali Papa.* Et infra ſic inquit. *Quantã poteſtatẽ idẽ ſaluator noſter ſuo Apoſtolo Beato Petro contulit in cœlo, ac terra, lucidiſsimè nobis idẽ venerabilis Pater edixit.* Et infrà ſubiungit. *Iudicauimus, vt ſicut in terris ſanctus Petrus Vicarius filij Dei videtur eſſe conſtitutus, etiã & Pontifices, qui ſucceſſores ſunt ipſius Principis Apoſtolorũ,*

A *Principatus poteſtatẽ amplius, quam terrena Imperialis amplitudo habere videtur, obtineant.* Interponit autẽ hæc verba, *Cõceſſã à nobis, & à noſtro imperio,* quod intelligẽdũ eſt de conceſsione per conſenſũ, & recognitionẽ, nõ per propiã donationẽ, ne verba hæc repugnent præcedentibus, in quibus, Petrũ fuiſſe Chriſti Vicariũ, & Romanũ Pontificẽ, eſſe ſucceſſorẽ eius, cõfeſſus eſt, & ideo eius Principatũ pręfert Imperiali, non poterat autẽ Imperator dare poteſtatẽ Imperiali maiorem. Vel etiã intelligitur conceſsiſſe ſedi Petri ſplendorẽ, & Principatũ temporalem B in ſpiritualis honorem, vt ita in maiori eſſet honore, quã ipſũ imperium. Quod ſignificant verba ſequentia, in quibus valde notandum eſt, appellare imperiũ *terrenã potentiã,* & *terrenũ thronũ* Pontificatũ verò *ſacroſanctum, & ſedem ſacratiſſimam Beati Petri, &c.*

7. *Ad Conci. Nicæn.*

Ad vltimã partẽ de Concilio Nicæno, & alijs, patet etiã reſponſio ex dictis & ex verbis Leonis 9. ibidẽ citatis, prius enim dicit. Pontificẽ à nemine iudicari, *Sancto Sylueſtro diuinitus decernente*, hoc eſt, nõ à ſe ſtatuente, ſed ius diuinũ declarante: C hoc enim verba in rigore indicant, & materia poſtulat, nõ enim poterat ipſe authoritate ſua ſe ipſũ eximerẽ; declarauit ergo ſe diuinitùs exemptũ. Et addit Leo, *Conſtantino Auguſto, & Nicæna ſynodo approbante, & ſubſcribente,* vtiq; definiendo, declarando, & promulgãdo tale eſſe diuinũ priuilegiũ Apoſtolicę ſedis. Et nihilominus addit Leo, Conſtantinũ contuliſſe hoc priuilegiũ, quod neceſſario intelligendũ eſt iuxta ſuperius dicta, contuliſſe. ſ. approbãdo, & vt obſeruaretur, ſtatuendo. Et ſic etiã dixit Ioannes 2. in epiſt. ad Iuſtinianũ Imperatorẽ *Ioan. II.* D *Romanæ ſedis reuerentiã conſeruatis & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis vnitatem, ad cuius authorẽ, hoc eſt, Apoſtolorũ primũ Domino loquente, præceptũ eſt. Paſce oues meas, quã eſſe omniũ verè Eccleſiarum caput, & Patrum regulæ, & Principũ ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reuerendiſsimi teſtantur affectus.* Quibus verbis rectè cõplectitur, quid Chriſtus, quid vè Patres, & Principes huic dignitati cõtulerint, na à Chriſto eſt inſtitutio, & collatio poteſtatis cũ præcepto paſcendi, à Patribus vero eſt declaratio, ac definitio, Impe-

Imperatoribus vero propriè cõpetit recognitio. & defenſio. Deniq; idẽ cũ proportione dicendũ eſt de Apoſtolis reſpe ctu Petri: nõ enim alij Apoſtoli cõtulerunt Petro poteſtatem, vt ex Euuangelio conſtat, ſed datam à Chriſto libentiſſimè acceptarunt.

Præter has obiectiones ſolent à Proteſtãtibus aliæ fieri ex rationibus, ſeu cõ

8. *Alia obiectio ex coniecturis.* iecturis petitæ, vt quòd vnus homo non poſſit Eccleſiã per vniuerſum orbẽ diffuſam cõmodè gubernare. Vnde ad hoc perſuadendũ ſolent exaggerare, vel etiã fingere defectus, aut vitia, quæ in aliqui- B bus Põtificibus notata ſunt, & Rex Angliæ nõ prætermittit inſimulare quædã, quæ in electionibus Pontificũ cõmitti affirmat. Denique alij adduntvulgarem; & in multis rebus communem eorum obiectionem, quia fit magna iniuria Chriſto, ſi præter ipſum aliud conſtituatur totius Eccleſiæ caput.

Sed hæc parui momẽti ſunt, nam ſi hoc

9. *Solutio.* Eccleſię regimen merè humanũ eſſet, & ſolis humanis viribus, prudentiàve morali, aut ſolo naturali arbitrio peragẽdũ eſſet, nõ immeritò vnius hominis capacitatẽ excedere iudicaretur; quin potiùs C fatemur, neq; ordinaria gratię auxilia ad id ſufficere, niſi Deus lõge maiora, & ſpecialia offerret. Cũ autẽ Chriſtus Domin⁹ & ſingularẽ prouidentiæ ſuæ pręſentiã, & Spiritus Sancti aſsiſtentiã ſuo Vicario promiſerit, & pro illius fide peculiariter rogauerit, quãuis humanę fragilitati difficile ſit onus ſpiritualiter gubernãdi totum vniuerſum, non eſt tamẽ impoſsibile, nec ita moraliter difficile, quin plures Pontifices, & maiori ex parte egregiè illud ſuſtinuerint, & perfectè, ac ſanctè im

Plures ex Põtificibus regimini totius Eccleſiæ perfectiſſime ſatisfecerunt. pleuerint. Eò vel maximè, quod licèt vnus ſit ſupremus Põtifex, nõ tamẽ ſolus D vbiq; & immediatè gubernat, ſed alios etiã Epiſcopos, & Paſtores in partẽ ſolicitudinis ex diuina iſtitutione vocat, eisq; quantũ expedit, partẽ ſuæ iuriſdictionis cõmunicat, ſibiq; maiora, & grauiora, omnẽq; recurſum ad conſeruandã vnitatẽ, & concordiam neceſſariũ reſeruat, Atq; hoc modo vnius regimẽ nõ ſolùm fit poſſibile, ſed etiã ad vnitatẽ Eccleſiæ cõſeruandã fuit neceſſarium, vt oſtendimus; imò etiam eſſet ſuo modo facile, niſi per errores, & ſchiſmata perturbaretur.

A Ad ea verò, de quibus perſonas Põtificũ eorum hoſtes criminatur, dicere in 10. *Criminationes hæreticorum refelluntur.* primis poſſumus cũ Aug. epiſt. 165. *In illũ ordinẽ Epiſcoporũ, qui ducitur ab ipſo Petro vſq; ad Anaſtaſiũ* (nos dicamus vſq; ad Paulũ V.) *qui nunc eandẽ cathedrã ſedet, etiã ſi quiſquã traditor per illa tẽpora ſubrepſiſſet, nihil præiudicaret Eccleſiæ, neq; innocentibus Chriſtianis, quibus Dñs præuidẽs de Præpoſitis malis ait. Quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite. dicunt enim, & nõ faciunt, vt certa ſit ſpes fidelibus, quæ nõ in homine, ſed in Dño collocatur.* Deinde addere poſſumus, quod idẽ Auguſtinus Donatiſtis reſpondit, lib. de Vnico baptiſmo cõtra Petilian. c. 16. *Quid opus eſt, vt Epiſcoporũ Romanæ Eccleſiæ, quos incredibilibus calumnijs inſectatus eſt, obiecta ab eo crimina diluamus? Nã licet de criminibus arguãtur, nunquid etiã conuincuntur? aut conuicti aliqua inſtrumentorũ firmitate mõſtrantur?* & cætera, quæ eleganter proſequitur. Nõ negamus tamen aliqua peccata, & ſcandala de aliquibus Pontificibus in hiſtorijs referri, ſed hi & pauci ſunt cõparationemultitudinis tot illuſtriũ, & Sãctorũ Pontificũ, & mirũ eſſe non debet, quod in tãta multitudine pauci mali inuenti ſint, cũ inter duodecim Apoſtolos vnus traditorfuerit. Vnde ſicut iſte Apoſtolicã dignitatẽ nõ fędauit, ita neq; vllus Põtifex prauus Apoſtolicã ſedẽ maculauit, quia nullus in eis fuit hęreticus, ſaltẽ qui hæreſim publicè docuerit, & vita mala ſanctitatem ſedis non diminuit. Et quod de perſonis Pontificũ dicimus, de eorundẽ electione dictũ intelligatur. Nã quod Rex Angliæ obmurmurat, noſtra ætate accidiſſe ignoramus, & licèt fortaſſe interdũ cõmiſſum ſit, immeritò notatur, ac reprehenditur, ac ſi frequens, vel perpetuũ eſſet; ideoq; meritò Bellarminus reſpondit, *ſolenne eſt aduerſarijs, id, in* *Bellarm.* *quo vnus aliquãdo peccauit, ad omnes transferre.* Ac deniq; licèt in tali electione homines, vt homines interdũ delinquant, non inde neceſſariò fit, vt electio nõ ſit a b Spiritu Sancto, qui nouit malis bene vti, etiã ad dignã perſonã eligendam, & licèt interdum propter ſua occulta iudicia permittat, vt in electione perſonæ erretur, nihilominus propter Eccleſiæ bonum, & firmam inſtitutionem Spiritus Sãctus aſsiſtit, vt ritè electo, quicũq; ille

ſit, ſuã cõferat poteſtatem, & ita peccata hominum non obſtant, quominus vno, vel alio modo electio ab Spiritu ſácto ſit.

11. Pontificis primatus nõ iniuriã Chriſti, ſed eius ſingularem erga Eccleſiam prouidentiã præ ſe fert.

Denique ad vltimam parte negamus, in iniuriam cedere Chriſti, quod vnum habeat in terris Vicarium, qui ſuo modo caput viſibile militantis, & viſibilis Eccleſiæ ſit, quia hoc eſt caput miniſteriale; ipſe autem Chriſtus ſolus ſemper eſt caput principale. Sicut etiã ſuprà de Petra dicebamus, vel ſicut Chriſtus etiã in Scriptura dicitur, *Paſtor animarũ noſtrarum*. 1. Petr. 2. quod non obſtat, quominus alijs hominibus dicatur, *Poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Act. 20. Nam licèt Chriſtus ſit, *Princeps Paſtorũ*, ſupremus, & principalis, vt dicitur. 1. Petr. 5. nihilominus alij etiam ſunt paſtores tanquã miniſtri illius Principis; imò iſti etiam interdum Principes appellãtur, iuxta illud: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terrã*, omnes tamen sũt ſub illo ſupremo Principe. Ita ergo Papa & eſt Paſtor, & Epiſcopus, & Princeps Paſtorum, & Epiſcoporum, vtiq; mortalium, ſeu miniſterialium ſub immortali, & abſoluto Principe. Atque eodem modo eſt miniſteriale, & mortale caput ſub principali, & immortali. Et ideò hoc non ſolùm non derogat dignitati Chriſti, ſed etiam charitatem, & potentiam eius, & ſingularem erga Eccleſiam ſuam prouidentiam commendat.

1. Petr. 2. Actor. 20. 1. Petr. 5. Pſal. 44.

CAPVT XXI.

Vtrum perſonæ Principum, ſeu Regum temporalium ſpirituali poteſtati Summi Pontificis ſubiectæ ſint.

1. Poteſtas ſpiritualis, & temporalis dupliciter inter ſe conferuntur.

QVanuis in præſenti præcipuè agẽdũ ſit de ſubordinatione, ſeu cõparatione ſpiritualis, & temporalis poteſtatis, nam ad illarum perfectam cognitionem hoc præcipuè declarandũ ſupereſt, nihilominus ab ipſis perſonis, in quibus tales poteſtates inſunt, initium ſumimus, quia fundamentum prædictæ ſubordinationis indê maximè pendet. Quod vt declarẽ, aduerto, prædictas poteſtates ſpiritualem, & temporalẽ poſſe comparari vel in nobilitate, & excellentia, vel in ſubordinatione, & ſubiectione vnius ad alteram: hæc enim duo adeò diuerſa ſunt, vt poſsint ſeparari, ad eũ modum, quo in phyſicis facultatibus poteſt

A vna eſſe excellentior alia (vt viſus auditu) etiam ſi vna alteri in actione ſua non ſubijciatur, vel ſubordinetur. Nũc ergo nõ cõparamus has poteſtates in abſoluta perfectione, & excellentia: nã explicãdo diſtinctionẽ ſpiritualis poteſtatis â tẽporali, ſatis oſtendimus, illã eſſe excellẽtiorẽ iſta, quod etiã ex profeſſo docui in opere de legibus, & ſuppoſita diſtinctione vtriuſque poteſtatis, vix poteſt habere dubitationẽ. Quia ſpiritualis poteſtas eſt altior quędam participatio diuinę poteſtatis, perfectiores effectus, altiorẽ finẽ, nobiliorẽ originẽ, & quoddã eſſe diuinioris, atq; excellẽtioris ordinis habẽs,

B vt varijs etiã loquendi modis Patres oſtẽdunt, quos in citatis locis adnotaui.

Cõparamus ergo has poteſtetas in ſub ordinatione, ac depẽdentia vnius ab alia quę vel inter ipſas poteſtteas formaliter (vt ſic dicam) cogitari poteſt, vel ſolum inter perſonas, in quibus tales poteſtetas exiſtunt. Inquiri enim poteſt, an vna ex his poteſtatibus poſsit alterã ad ſuos act⁹ applicare, vel ab eis cohibere: vel an perſona habens vnã poteſtatẽ ſubijciatur habẽti aliã quoad actus ad illã pertinẽtes, in quo etiã quęri poteſt, an hęc ſubiectio re

C ciproca, vel tãtũ ex altera parte ſit. Quæ omnia, vt punctum difficultatis attingamus, de illis perſonis tractanda proponimus, in quibus hę poteſtetas in ſupremo excellentiæ gradu inueniuntur, vt ſunt, Imperator, & Pontifex Summus. Tres igitur reſultant quæſtiones. Prima eſt, an Sũmus Põtifex Perſonas Regum, & Principũ temporaliũ habeat ſibi ſpiritualiter ſubiectas. Secũda, an Pontifex habeat ſibi ſubiectã nõ ſolũ perſonã Regis, ſed etiã eius poteſtatẽ temporalẽ, quantunuis ſupremã, ita vt poſsit illius actus

Variæ quæſtiones quæ ex vnius poteſtatis ad aliam ſubordinatione oriuntur.

D præcipiendo dirigere, exigere, ſupplere, vel impedire. Tertia his conſequens eſt, an Pontifex ratione ſuæ ſpiritualis poteſtatis poſsit Chriſtianos Principes non ſolũ dirigere, præcipiendo, ſed etiã cogere puniendo, etiã vſq; ad regni priuationẽ, ſi opus fuerit, quod eſt ferè punctũ, & cardo totius controuerſiæ, & ideo accuratius tractandũ eſt. Poſſuntq; tres ſimiles quæſtiones ê conuerſo moueri, .ſ. an Rex, vel Imperator perſonas Papę, vel aliorũ Epiſcoporũ habeat ſibi in tẽporalib⁹, & ciuilib⁹ ſubiectas. Itẽ an Rex

ſua

ſua temporali poteſtate poſsit ſpirituali dominari, in ordine ad ſuam gubernationem illam excitando, aut cohibendo. Tertiò, an poſsit Rex præcipere Pōtifici cum poteſtate coerciua, etiam vſq; ad depoſitionem. Ex his autē tribus poſterioribus quæſtionibus prima ad diſputationem de exemptione clericorum à poteſtate ciuili, pertinet, cui totum librum ſequentem dicamus, & ideò ibi copioſè tractabitur; hic verò ſolùm de perſona Pontificis aliquid attingemus, quātù ad ſoluendas aliquas obiectiones fuerit neceſſarium. Secunda verò quæſtio ſuppoſita reſolutione priorum quæſtionum, nullam habet difficultatem, & ideò cum illis per quandam conſequutionem expedietur. Tertia verò quæſtio annexa eſt præcedentibus, & quatenus ſpectare poteſt ad Pontificem, vt Pontifex eſt, in ſequentibus etiam obiter expedietur, quatenus verò de Pontifice, vt eſt homo, vel ciuis, in ſequenti libro ſimul cum prima reſoluetur.

3. Error Proteſtantium circa Regū ad Pontifices ſubiectionem.

In hoc ergo capite prima quæſtio propoſita tractanda eſt, in qua ſententia Proteſtantium eſt, Regem temporalem, & in vniuerſum Principem in temporalibus ſupremum nulli homini in ſpiritualibus eſſe ſubiectum, ac ſubinde nec poteſtatem Regis à poteſtate alicuius hominis pendere. Qui error à Marſilio Paduano originem duxit, & illi maximè adhæſit Henricus VIII. Rex Angliæ, quem nunc ſereniſsimus Iacobus imitatur, vt non ſolùm eius facta, ſed etiā verba, quæ in varijs locis ſuæ Præfationis poſuit, oſtendunt. Nam in hoc ſenſu pagin. 2. de temporalibus Regibus ait: *Quos Deus in altiſsimo dignitatis gradu quaſi ſuos vicarios, & legatos ad exercenda iudicia in ſuo ſolio collocauit.* Et clariùs in pagin. 5. *Nam neque me Pontifice vlla ex parte inferiorem eſſe credam.* Et iterum ad Reges pag. 10. *Quos Deus præcipuos in terris Vicarios in adminiſtratione iuſtitiæ eſſe iuſsit.* Et in eodem ſenſu dicit pagin. 14. controuerſiam, quam cum ſuis ſubditis Catholicis habet, non aliunde eſſe motam, *quàm ab ambitioſa Pontificum tyrannide, quam illi contra authoritatem Scripturarū, contra Conciliorum, antiquorumq́ Patrum mentem ſibi in temporalia Regum iura iniuſtè vſurparunt.* Tandemque ibidem cōcludit, in hac Regum authoritate aſſerēda (vtiq; in hoc ſenſu) totam ſuam Apologiam impendiſſe. In quibus locis; licet interdum de ſubiectione in temporalibus loquatur, intelligit tamē de ſubiectione tā directa, quā indirecta, vt enim vtramq; à Regibus excludat, ſpiritualē etiam negat, ideoq; poteſtatem etiam ſpiritualem ſibi arrogat, & in hoc fundamento tota eius machina nititur.

Cùm hæc ſcriberem, liber Illuſtriſsimi Cardinalis Bellarmini ad manus meas peruenit, in quo Guillelmo Barclaio, 4.
qui Pōtificis poteſtatem in rebus temporalibus nouo quodam modo negauit, reſpondet. Profitebatur enim ille habere Pontificem ſupremā poteſtatem in ſpiritualibus, etiā ſupra Reges, & Imperatores, & nihilominus negauit ſubordinationem poteſtatis temporalis ad ſpiritualem, & conſequenter etiā negauit, poſſe Pontificem in temporalibus rebus ad ius, vel dominium Regis pertinentibus, mutationē aliquam facere, vel in illis aliquid diſponere. Et quanquā in prædicto libro multa eius fundamenta referantur, nullum tamen graue vel ab authoritate, vel ab vrgente ratione petitum inuenio, & qualiacunq; illa ſint, illis tam plenê, & erudite Cardinalis ſatisfacit, vt nihil addere neceſſe ſit. Summa itaq; omnium eſt, quia Reges Chriſtiani habent ſupremā poteſtatem in temporalibus; repugnat autē eſſe ſupremā, & eſſe alteri ſubiectam, ſiue directe, ſiue indirectê. Ad vtrunq; autē perſuadendum ex Scripturis colligit vulgaria teſtimonia, quibus obedientia ad temporales Principes cōmendatur, & adiungit poteſtatem Pontificis quoad temporalia nullum in Scriptura habere fundamentum, neq; in vſu vel traditione Eccleſiæ. Multa etiam accumulat, in quibus quæſtionem hanc de poteſtate ſpirituali Pontificis cum quæſtione de exemptione clericorum confundit, cùm tamen, vt ſæpe dixi, diſtinctæ ſint, & ex principijs longê diuerſis definiendę: ideoq; omnia, quæ ad exemptionem pertinuerint, in ſequentē librū remittimus, alijs verò in capite ſequenti ſatisfaciemus.

Fundamētū prædicti erroris.

5. Aſſertio de fide.

Principio ergo contra Regem Angliæ id ſtatuimus, quod Barclaius admittit, Pontificē Romanū eſſe ſpiritualē

Patrem

Patrem, & Paſtorem ſummum Regum, & Principum temporalium, quantuncumque in ſuo ordine ſupremi ſint: ac proinde in his, quæ ad animam, & ſpirituale regimen ſpectant, Reges eſſe Pontifici Romano ſubiectos. Hæc aſſertio directè reſpondet primæ quæſtioni propoſitæ, eſtque de fide Catholica tenenda. Et noua probatione non indiget, ſequitur enim euidenter ex principijs capitibus præcedentibus traditis. Oſtendimus enim Papam eſſe Paſtorem omniũ ouium Chriſti; at Reges Chriſtiani inter oues Chriſti computantur, alioqui extra ouile, & extra Eccleſiam Catholicam erunt; ergo etiam illorum Paſtor eſt Papa; ergo è conuerſo ipſi ſpirituali Pontificis poteſtati ſubiacent: nam hæc duo correlatiua, & inſeparabilia ſunt. Quapropter Scripturæ, Pontificum, Conciliorum, & Patrum teſtimonia, quæ probant, Pontificem Summum ſuccedere Petro in vniuerſali poteſtate regẽdi Eccleſiam, probant etiam Reges ſubdi eidẽ poteſtati Pontificis, ſaltem in ſpiritualibus: nam poteſtas data in totum ouile, ſeu corpus, ad ſingulas oues, ſeu partes extenditur. Et qua ratione illa poteſtas cęteros baptizatos cuiuſcunq; inferioris conditionis ſub ſe complectitur, eadem Reges etiam, & Imperatores comprehendit, quia nullo iure exempti ſunt, & Regia dignitas cũ Chriſtiana ſubiectione non repugnat, aliâs etiam cum Chriſtiana fide, & profeſsione pugnaret, cùm ipſa Chriſti fides obedientiam hanc à ſuis cultoribus requirat.

Reges temporales in ſpiritualib9 ſubijciũtur Pontifici.

6. His generalibus rationibus, & teſtimonijs addi poſſunt ſpecialia verba, in primis Concilij Nicæni canon. 39. inter octuaginta ex Arabico translata, vbi de Pontifice Romano dicit, *Ipſe eſt primus ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianã*. Vnde Symmachus Papa Apolog. in Anaſtaſium Imperatorem, ſic ad eum loquitur: *Tu ſi Chriſtianus Princeps es, qualiſcunq; Præſulis Apoſtolici debes vocem patienter audire.* Et Anaſtaſius Papa II. in epiſt. 1. ad Anaſtaſium Imperatorem, obedientiam in his, quæ illum monebat, ab ipſo requirit. Et

Probatur cõcluſio, primò ex Concilio Nicæno, & Patribus.

Symmach. Papa.

Anaſt. 2.

A Gelaſius ad eundem: *Licèt præſideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis.* Et infrà: *Subdi te debere cognoſce religionis ordine, &c.* Ex teſtimonijs etiam ſuprà allatis, quibus Primatum Romanæ Sedis oſtendimus, multa expreſſe declarant, inter oues Petro cõmiſſas, etiam Reges, & Imperatorem numerari. Præſertim Nazianzenus in Oratione ad Populum timor. percul. *Suſcipe* (ait) *vocem liberiorem, ſcito, te ſſe ouem gregis mei.* Et Chryſoſtomus Homil. 83. *Siis, qui* B *diademate coronatur, indignè adeat, cohibe, maiorem illo poteſtatem habes.* Et Ambroſius libr. de Dignitat. Sacerdot. cap. 2. ait, *Regum colla ſubmitti pedibus Sacerdotum.*

Gelaſ. *Nazianz.* *Chryſoſt.* *Ambroſ.*

Multum denique veritas hæc ex factis, exemplis, ac teſtimonijs Chriſtianorum Imperatorum, ac Regum manifeſtatur: nam in primis de Philippo primo Imperatore Chriſtiano memoriæ proditum eſt, obediuiſſe Fabiano Papæ, præcipienti, vt ad communionem non priùs accederet, quàm inter publicos pęnitentes ſedens peccata defleret, vt Euſebius refert lib. 6. Hiſtor. cap. 25. aliàs C 27. & Nicephor. libro 5. capite 25. De Conſtantino etiã nota eſt hiſtoria, quod in Concilio ſe ab Epiſcopis iudicandum eſſe dixerit, non de illis iudicaturum, apud Ruffin. lib. 1. cap. 2. Satis etiam piè Iuſtinus Imperator in l. 4. C. de Summ. Trinit. & fide Cathol. *Nos* (inquit) *reddentes honorem Apoſtolicæ Sedi, & veſtræ Sanctitati, quod ſemper nobis in voto fuit, & eſt, vt decet Patrem, honorantes veſtram ſanctitatem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinauimus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis, quoniam nobis ſemper fuit magnum ſtudium vnitatem veſtræ* D *Apoſtolicæ Sedis, & ſtatus Sanctarum Eccleſiarum cuſtodire.* Et alia, quæ proſequitur, quibus ſatis ſe oſtendit ſpiritualiter Apoſtolicæ Sedi ſubiectum, vt rectê intellexit, & laudauit Ioannes Pontifex in reſcripto, quod in eadem lege refertur. §. *Inter claras*, vbi inter alia dicit, *Romanæ Sedis reuerentiam conſeruatis, & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis vnitatem*, & cætera, quæ ſuprâ retulimus.

7. Ex factis Imperatorum probatur ſecundò aſſertio.

Euſeb. *Nicephor.* *Ruffin.* *Iuſtin. Imperat.* *Ioan. Pontif.*

8. Sunt etiam valde notanda verba Caroli

Carol. Magn.

roli Magni Imperatoris, *In memoriam Beati Petri honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat magiſtra Eccleſiaſticæ rationis, quare ſeruanda eſt cũ manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugũ, tamẽ feramus, & pia deuotione toleremus.* Quæ verba ex capitulis Caroli refert

Gratian. Naucler.

Gratian. in cap.3.diſt. 19. & Nauclerus volumin.2. generat. 28. dicit eſſe vnum ex viginti tribus legum capitulis, quę Carolus ad ſuos ſubditos miſit. Et receptũ eſt à Patribus in Concilio Triburienſi canon.30. Vnde etiã dixit Symmac. Papa in ſexta ſynodo Romana.

Symmach.

Non licet Imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti quidquam, quod Apoſtolicis regulis obuiet, agere. Et refert Gratianus in cap. 2. diſt. 10. vbi ſimilia verba ex Calixto, Marcellino, & Adriano Papa referuntur. Imò idem Adrianus Papa in vltimo ſuorum capitulorum *Generali (ait) decreto conſtituimus, vt execrandum anathema ſit, & veluti præuaricator catholicæ fidei ſemper apud Deum reus exiſtat, quicunque Regum, vel Potentum deinceps Romanorũ Pontificum decretorum cenſuram in quocũq; crediderit, vel permiſerit violandam*, vt eſt apud Gratianum in c. *Generali*. 25. q. 1.

Gratian.

9. Poſſunt præterea his adiungi plura ſigna reuerentiæ, & obedientiæ ſedi Apoſtolicæ data ab Imperatoribus, & Regibus in omnibus locis, ac temporibus. Nam in primis fere omnes vocant *ſpiritualem Patrem*, & addunt, *Beatiſsimum, Sanctiſsimum*, aut aliquid æquiualens, vt videre licet in multis epiſtolis diuerſorum Imperatorum ad Leonem Papam, Hormiſdam, Anaſtaſium, & alios, ſpecialiterque notari poſſunt verba Ladiſlai Regis Vngariæ in orat. ad Nicolaum, V. vbi vocat *Pontificem maximum, vnicum Chriſtianorum Principem, & Regum Regem, ac in terris Deum.* Vt extat apud Cocleum lib. 11. Hiſtoriæ Huſitarum. Deinde confitentur ſæpe, & recognoſcunt cathedram Petri in Pontifice Romano, eiuſque vniuerſalem iuriſdictionem in totam Eccleſiam, vt conſtat ex Conſtantino, & alijs ſuprâ allegatis, & ex Valentiniano Epiſt. ad Theodoſi. in Act. 1. Conc. Chalced. & in alia eiuſdem ad Leonẽ, vbi eum ait, *habere principatum*

Hormiſda. Ladiſla. Vngariæ Rex. Cocleus. Valentin.

A *ſacerdotij, fidei præſidentem, & ipſo authore congregandum eſſe Concilium*, & ex alijs quæ ibi videri poſſunt. Item ex Iuſtiniano in legibus, & Authenticis in ſuperiòribus citatis, & ex literis ad Bonifacium II. quæ inter geſta Bonifacij tom.2. Concilior. referuntur, vbi priùs de Apoſtolica ſede intelligit illud, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & ſubiungit, Hæc, quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus, quia in ſede Apoſtolica extra maculã ſemper eſt catholica ſeruata religio*, Et infra

Iuſtinian.

B *Anathematizamus omnes, qui contra Sanctam Romanam, & Aopſtolicam Eccleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt ceruices, ſequentes in omnibus Apoſtolicam ſedem & prædicantes eius omnia conſtituta.*

10. Et Federicus I. in Epiſt. ad Emanuelem græcum Imperatorem prius dicit Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum vnicam matrem, Dominam, & magiſtram à Deo eſſe ordinatam. Vnde infert, *Summo Pontifici, quem nomine tenus ſanctum appellas, debitam obedientiam exhibeas, & honorem.* Fertur etiam epiſtola Leonis Armenorum Regis ad Innocét. III. *quem Dominum, & in Chriſto Patrem*

Federic. I.

C *& vniuerſalem Paprm appellat, & Paſtorem, quem Deus Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluit.* Et ſubiungit. *Veſtri luminis gratia informati omne regnum nobis à Deo commiſſum, & omnes Armenos ad vnitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ diuina inſpirante clementia reuocare cupimus, & optamus.* Similia ſcripſit Michael Paleologus ad Gregorium X. ſub annum milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimum quartum. Et plura Andronicus Imperator græcus in epiſtola, quæ extat in Bibliotheca Palatina, vbi Romanam Eccleſiam dicit habere ſupremum, abſolutumque Principatum ſuper vniuerſam catholicam Eccleſiam ab ipſo Domino traditum, & cęt.

Michael Paleog. Andronic. Imper.

D 11. Preterea Carolus Rex Franciæ in epiſtola ad Adrianum II. Sic ſcribit. *Sanctiſſimo Patri Adriano ſummo, & vniuerſali Pontifici Carolus Dei gratia Rex, & ſpiritualis filius veſter, & cæt.* Et Hugo Rex Franciæ ad Ioannẽ Papã XV. inter alia dicit, *Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoſcatis, nos & noſtros veſtra nolle declinare iudicia.* Et Ludo. etiã Rex Gallię epiſt. ad Piũ 2. priushis verbis illũ ſalutat,

Carolus Rex Fran. Hugo Rex Lud. Rex.

Bea-

Beatiſsimo Patri noſtro Pio Papæ II. obedientiam filialem, & deinde *ſubiungit: Te Vicarium Dei viuentis ea veneratione proſequimur, vt ſacra tua monita, præſertim in Eccleſiaſticis rebus velut vocem Paſtoris audire, illisq́; parere prompta mente velimus, te Dominici gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus, teq́; iubentem ſequimur, & cæt.* Itẽ ſanctus Ludouicus Rex Franciæ inter documenta ad Philippum filium ante mortem ſcripta inquit, *Sis deuotus, & obediens matri Romanæ Eccleſiæ eiuſq́; Pontifici tanquam ſpirituali patri te morigerum præbeas.* Præterea Sigiſmundus Rex Poloniæ in epiſtola ad Concilium Lateranen. ſub Leone X. quæ habetur in eius act. 7. obedientiam præſtat Summo Põtifici, & addit, *iuxta conſuetudinem maiorum meorum.*

S. Ludoui. Rex.
Nangius de geſtis ſancti Ludouici & apud Suriũ.

12. Et in eodem Concilio ſeſſ. 2. in principio habetur mandatum Regis catholici Ferdinandi, in quo inter alia multa illuſtriſsima ſuę fidei teſtimonia hoc ponit: *Profitemur nos filium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris noſtræ deditiſsimum, proque eius honore, atque ſtatu animam ponere paratiſsimum.* Et infrà ſubdit, ſe mittere legatum, vt interſit Concilio, *ibique* (ait) *obedientiam debitam præfato beatiſsimo Domino noſtro Papæ toties, quoties opportunũ fuerit, præſtandam, & cæt.* Et ſimilia ferê verba ex Carolo V. habentur in edicto Vuormatienſi. Neque plura teſtimonia Hiſpaniarum Regum referre neceſſe eſt, quia res eſt notiſsima, & quia Rex Alphonſus in ſuis Legibus, Parti prima tit. 5. l. 2. 3. 4. & 5. ex profeſſo non ſolum profitetur, ſed etiam erudite Pontificiã dignitatem, & poteſtatem declarat, dicens, ratione illius eſſe ſpeciali modo, *Vicarium Chriſti, & ſucceſſorem Petri*, ac propterea per antonomaſiam *Apoſtolicum* appellari, & nominari etiam *Papam*, quia *Pater Patrum*, & *caput Epicoporum, & aliorum Prælatorum. Et propterea,* (inquit) *omnes Chriſtiani totius orbis, quando ad ipſum accedunt, pedem eius oſculantur.* Addit deinde in fine legis. 4. *Eum, qui negauerit, Põtificẽ habere hanc poteſtatem, vel eſſe caput Eccleſiæ, non ſolum excommunicatũ eſſe, ſed etiam hæreticum.* Et in l. 5. generaliter & ſine exceptione dicit, omnes Chriſtianos teneri ab obediendum Pontifici in ſpiritualibus, & cæt.

Alphonſus Rex.

A

13. Venio ad Reges Angliæ, qui â principio ſuæ vocationis ad fidem vſque ad Henricum VIII. Romanum Pontificẽ tanquam ſupremum Eccleſiæ Paſtorem recognouerũt. Primus enim Britanniæ Rex Lucius ſtatim ac fidem ſuſcepit ad Eleutherium miſit Epiſtolam, *Obſecrans* (ait Beda) *vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur, & mox effectum piæ poſtulationis conſequutus eſt.* Quo facto, & exemplo oſtendit apertè, recognouiſſe Põtificem vt Paſtorem ſuum, quomodo enim ſacramentum tam neceſſarium ab alio, quàm à Paſtore ſuo poſtulaſſet? Itẽ

Plures Reges Angliæ aſſertionem poſitam amplexati fuere.
Lucius.

B

profeſſus eſt, illum habere claues totius Eccleſiæ, & ad illum principaliter pertinere per ianuam baptiſmi Reges, & Principes intra Eccleſiam recipere. Alioqui cur non potius ab aliquo Epiſcopo Britannico (ſi fortaſſe aliquis tunc ibi erat ex prædicatione, & ordinatione Ioſephi ſuccedens) vel ſaltem, ab aliquo vicino Epiſcopo baptiſmum poſtulaſſet? Nam, vt ex Irenæo lib. 1. cap. 8. ſumimus, iam eo tempore in Germania, Gallia, & Hiſpania, quæ ſunt prouinciæ Britannię Inſulæ, quam Roma viciniores, erant fundatæ Eccleſiæ, & Epiſcopi creati, cur ergo

C

ad nullum illorum nuncios miſit ſed ad Romanum ſolũ? Non cretè alia ratione, niſi quia illum tantum vniuerſalem iuriſdictionem, & ſuperiorem poteſtatẽ in Eccleſiam habere credidit. Suprà etiã retulimus ex Beda Regem Oſuui cũ audiſſet Petro principaliter eſſe datas claues regni Cœlorum, & illius ſucceſſorẽ Romanũ Pontificẽ eſſe crederet, dixiſſe, *Ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantũ noui, & valeo huius cupio in õnibus obedire ſtatutis. Hæc dicente Rege* (ait Beda) *fauerunt aſsi-*

Beda lib. 3. ca. 25.

D

dentes, & ad ea, quæ meliora cognouerant ſeſe transferre feſtinabant. Multaque alia de recurſu Regũ Angliæ ad Apoſtolicam Sedem in re-bus, & negotijs Eccleſiaſticis Beda refert.

14. Item Ioannes Papa X. Eduardũ Regem tanquam ouem ſuam admonuit, vt refert Polydorus lib. 6. Eſtque optima Epiſtola Regis Eduardi ad Nicolaum. 2. quam ſic inſcribit *Summo vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao Eduardus gratia Dei Anglorum Rex debitam ſubiectionem, & obedientiam.* Et poſtea in Epiſtola confitetur

Polidor. Eduard. Rex.
Baroni. An. 1060 *n.9.*

tetur, & poſtulat, vt quod prædeceſſor Papæ ipſi iniunxerat ſub nomine obedientiæ, & pœnitentiæ pro quodam voto, ratum habeat, & vt quædam priuilegia confirmet, & poſteà dicit, ſe augere, & confirmare donationes, & conſuetudines pecuniarum, quæ habet S. Petrus in Anglia, easque mittere collectas cum regalibus donis, &c. Similes ferè inue-
Eduard. niuntur Epiſtolæ alterius Eduardi Re-
Rex. gis Angliæ ad Bonifacium. 8. & alterius
Baron. an. ad Clementem 6. Et ſunt etiam optima
1190. verba Regis Richardi. 2. ad Clementem
Richard. 3. *Iuſtiorem exitum facta Principum ſor-*
Rex. *tiuntur, cùm à Sede Apoſtolica robur, & fauorem accipiunt, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ colloquio diriguntur. Propterea dignum duximus ad notitiã Beatitudinis veſtræ trãſmittere, quæ inter nos, & Dominum Tancredum illuſtrem Siciliæ Regem publico nuper, & neceſſario ſunt celebrata contractu.* Et infrà: *Sanctitatem veſtram, & Sanctam Romanam Eccleſiã obnixè rogamus, vt ſancta Sedes Apoſtolica fideiuſsionem pro nobis ſuſcipiat, & vt confidenter id faciat teſtimonio præſentium literarum vobis liberam con cedimus poteſtatem, nos & hæredes noſtros, & terram noſtram diſtrictiùs coercere, ſi cõtra præfatam pacem venerimus, &c.*

Præterea Kenulphus Rex Merciorũ
14. *Kenulphꝰ Merciorũ Rex.* in Anglia epiſtolam ſcripſit ad Ioannem 3. Pontificem, in qua priùs gratias Deo agit, quia *Cùm glorioſiſsimum gregis ſui Paſtorem Adrianum perpetuò remunerandũ ſuper æthera duxiſſet, ſuis tamen ouibus pia erexit prouidentia eum,* id eſt, *Leonem, qui ſcit ouile dominicum ad caulas ſuperioris vi-*
Baron. an. *tæ agitare.* Et infrà: *Quapropter opportu-*
796. *num arbitror tuis ſanctis iuſsionibus aurem obedientiæ noſtræ humiliter inclinari.* Et poſtea humiliter benedictione poſtulata, ſubiungit: *Hanc benedictionem omnes, qui ante me fuerunt Merciorum Reges meruerunt ab anteceſſoribus tuis adipiſci, hanc ipſe humilis peto, & à vobis, ò Sanctiſsime, impetrare cupio, quatenus in primis adoptionis ſorte me tibi filium ſuſcipias, ſicut te mihi patris perſona deligo, & totis obedientiæ viribus ſemper amplector.* Refert etiam Pe-
Bleſenſ. trus Bleſenſis epiſtolam quandam Reginæ Angliæ, quæ apud ipſum eſt 144. in qua contra tyrannidem cuiuſdam Principis Chriſtiani auxilium Cœleſtini Papæ implorat: *Quem conſtituit,* inquiens,

A *Deus ſuper gentes, & regna in omni plenitudine poteſtatis.* Et intrà, *Nec iſta diſsimulare poteſtis ſine criminis, & infamiæ nota, cum ſitis Vicarius crucifixi, ſucceſſor Petri, Deus etiam Pharaonis.* Et cùm poſtea tyrãnum claues ludibrio habere retuliſſet, concludit: *Etſi veſtram non vultis iniuriam proſequi, vobis tamen Petri opprobrium, & iniuriam Chriſti diſsimulare non licet.*

Poteſt præterea hoc loco in ſignum huius ſpiritualis ſubiectionis Regũ An- 15.
gliæ adduci conſuetudo illa, cuius ſuprà *Ex Anglorũ factis eadem Regũ ſubiectio ſtabilitur.*
B Eduardus meminit, ſoluendi tributum Romanæ Eccleſiæ in Diui Petri reuerẽtiam, quæ conſuetudo ab Ina Rege initium ſumpſit, teſte Polydor. libr. 1. & à *Polydor.*
ſucceſſoribus conſeruata, & aucta eſt, vt in libro 5. & alijs locis proſequitur. Poſteàque lege lata à Guillelmo Conquæſtore Angliæ cõfirmata eſt, & inter eius leges dicitur eſſe decima, & de Denario Petri inſcribitur. Atque ita vſque ad tẽpora Henrici VIII. tributum illud Romanæ Ecclèſiæ perſolutum eſt. Vnde optimè colligit Sander. dicto lib. 5. cap.
6. veriſimile non eſſe, Reges Angliæ, qui *Sander.*
C in honorem Sancti Petri regnum ſuum vectigale Romanæ Sedi fecerunt, ſpiritualem eiuſdem regni gubernationem eidem Sedi negaſſe. Poteſtque indicium hoc locupletari ex his, quæ Azor con- *Azor.*
gerit in 2. p. ſuarum inſtitut. lib. 4. c. 35.

Tandem confirmari hoc poteſt ex an tiquo vſu, & praxi antiquorum Catho- 16.
licorum Regum Angliæ, qui ſemper à *Alia eorundem geſta præſens inſtitutum cõfirmantia inducuntur.*
Pontificibus poſtulauerunt, tum diſpẽn ſationes in votis, aut Eccleſiaſticis legibus, tum Epiſcoporum confirmationes, tum etiam pallium Archiepiſcopis dari ſolitum, & ſæpe ipſos Archiepiſcopos
D pro ſuſcipiendo pallio Romam interdũ mittebant, aliquando verò Reges à Pontificibus, vt daretur abſentibus poſtulabant. Interdum etiam Epiſcopi, & Reges in controuerſijs, quas inter ſe habebant, ad Pontificem appellabant, de quibus, & multis ſimilibus videri poſſunt Neubrigenſis libr. 1. Rerum Anglicar. *Neubrig.*
& Malmezburienſis libro primo de Ge- *Malmezb.*
ſtis Pontificum, & libro primo Hiſtor. *Petr. Bleſ.*
Nouel. Et Petrus Bleſenſis Epiſtol. *Matt. Pa-*
136. cum alijs multis, & Matthæus *riſ.*
Pariſius in Hiſtoria Regum Angliæ, &

Baron. *Sander.*

Baronius ann. 1100. & 1117. & 1174. & quoties de Regibus Angliæ hiſtoria occurrit. Aliqua etiam in ſummam redegit Sanderus in Claui Dauid libr. 5. cap. 6. Quæ hic repetere non eſt neceſſe, cùm ipſe etiam Henricus VIII. Rex Angliȩ (vt ſuprà notauim⁹) priùs, quàm in ſchiſma incideret, magnum pro Sede Romana, eiusq; authoritate teſtimonium ſcriptum reliquerit in aſſertione Sacramentorum contra Lutherum ar. 2. Vbi inter alia dicit, *Non tam iniurius ero Pontifici, vt anxiè, & ſolicitè de eius iure diſceptem, quaſi res haberetur pro dubia.* Ideòq; diſpẽſationem à Papa poſtulauit, quia eo tempore ſe ſpirituali poteſtati Põtificis ſubiectum agnoſcebat, ſecundum fidem, & traditionem, quam non ſolùm à prædeceſſoribus ſuis, ſed ab vniuerſo orbe Chriſtiano acceperat: cui etiam traditioni in ſuo libro teſtimonium perhibuit.

17. Ratione etiam efficaci eadem Regum ſubiectio demonſtratur.

17. Denique veritas hæc ex quodã principio in cap. 6. huius libri demonſtrato manifeſtè ſequitur, probauimus enim, temporalem Regem ex vi ſuæ regiæ dignitatis nullam habere poteſtatem, vel iuriſdictionem ſpiritualem. Quod principium non minùs verum in Regibus Anglicanis eſt, quàm in alijs, vt per ſe notũ eſt, nam propterea Rex Iacobus contrarium perſuadere nititur omnibus Regibus, quia videt, cauſam, & rationem eſſe communem. Ex hoc ergo principio ita concludimus, Temporales Reges nõ habent in Eccleſia ſpiritualem poteſtatem; ergo neceſſe eſt, vt in ſpiritualibus ſubſint Eccleſiaſticæ poteſtati. Probatur cõſequentia, quia in Eccleſia non ſunt, niſi oues, & Paſtores, ſeu ouile, & Paſtor, ſed qui non habet ſpiritualem poteſtatẽ non eſt Paſtor; ergo oportet, vt ſit ouis, alioqui in ouili non erit, neque Eccleſiæ mẽbrum. Et quidem contra omnem rationem, & rectum ordinem eſſet, quòd in Eccleſia ſint aliqui, qui nec regere ſpiritualiter poſsint, nec regi, alioqui neque Papa eſſet Chriſti Vicarius integrè, & perfectè, neque res ordinatè fierent, nec Eccleſia poſſet in vnitate, & pace conſeruari, nec denique omnibus fidelibus
18. ſufficienter eſſet ad ſalutem prouiſum.

Vnde hæc ratio non ſolùm probat tẽporalem Regem eſſe ſubditum Pontifici in ſpiritualibus, ſed etiam iure ordinario

A vnũquemq; Regem eſſe ſubiectum ſuo Epiſcopo, niſi à Pontifice eximatur, & ſub protectione, ſeu iuriſdictione ſua immediatè recipiatur. Quod Rex Angliæ malè fert, & in Bellarmino reprehendit, eſt tamen manifeſtum, ſi debitus ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conſideretur. Nam Reges inter oues nullam iuriſdictionem ſpiritualem habentes computatur; ergo ex vi ſui ſtatus, & attento ſolo iure naturali, vel diuino, non habent maiorem exemptionẽ à iuriſdictione Epiſcoporum, quam cæteri laici in eadẽ diœceſi commorantes. Et hoc probat exem- B plum Ambroſij, & ſimilia, & quod dixit Chryſoſtomus, *maiorem illo poteſtatẽ habes*, & nõnulla alia, quæ ſupra retulimus. Clariùs vero id traditur à Clemente 3. in cap. *Omnes Principes*, de Maiorit. & obedientia, vbi id notat Gloſſa, Panormit. & alij Doctores, & in cap. *Solitæ*, eodem tit. Ab hoc autem ordinario iure ſolent eximi Reges per priuilegia Pontificum, ab ipſius autem Pontificis obedientia eximi nullo modo poſſunt, & ideò illi prȩcipuè ſpiritualiter ſubiecti dicuntur.

Reges temporales or[illegible]

Theod. [illegible] 5. *Hiſt.* [illegible] 17. *Clem.* 3.

C

CAPVT XXII.

Reges Chriſtianos non ſolùm quoad perſonas, ſed etiam quoad Regiam poteſtatem, id eſt, non ſolùm vt homines, ſed etiam vt Reges Chriſtianos poteſtati Pontificis ſubijci.

ASSERTIONI in præcedenti capite probatæ altera ſubijcienda eſt, quæ ex præcedenti ſequitur, & ſecundæ quæſtioni in principio præcedentis capitis propoſitæ reſpondet, nimirum, Pontificem Sũmum ex vi ſuæ D poteſtatis, ſeu iuriſdictionis ſpiritualis eſſe ſuperiorem Regibus, & Principibus temporalibus, vt eos in vſu poteſtatis tẽporalis dirigat in ordine ad ſpiritualem finem, ratione cuius poteſt talem vſum præcipere, vel prohibere; exigere, aut impedire, quantum ad ſpirituale bonum Eccleſiæ fuerit conueniens. Per poteſtatem enim directiuam non intelligimus ſolam poteſtatẽ conſulendi, monẽdi, aut rogandi, hæc enim non ſunt propria ſuperioris poteſtatis, ſed intelligim⁹ propriam vim obligandi, & cum morali effica-

1. Prima conclusio.

Sũmus Pon[illegible] in v[illegible] pote[illegible] porales Reges dirigit.

efficacia mouendi, quam aliqui ſolent co actiuam appellare, ſed hæc vox magis ad pœnas pertinet, de quibus in capite ſeq. dicturi ſumus, hic autem de iuriſdictione ad obligandum in conſciẽtia loquimur.

2. *Aſſertio eſt communis Catholicorum.* Aſſertio ergo ſic explicata communi cõſenſu Catholicorum recepta eſt, quos ex parte in cap. 4. huius libri allegaui. Nam illi authores, qui abſolutè docent, Papam habere ſupremam poteſtatẽ etiã temporalem in vniuerſo orbe, hoc præcipuè intendunt, & fortaſſe vel omnes, vel plures illorum in hoc tantùm ſenſu loquuti ſunt. Nam licèt interdum indiſtinctè, & ſine ſufficienti declaratione, vel etiã impropriè loquãtur (quia poteſtas Papæ tẽporalis non eſt, ſed ſpiritualis, quæ tẽporalia ſub ſe cõtinet, & circa illa indirectè, id eſt, propter ſpiritualia verſatur) nihilominus ſępe hunc ſenſum declarant, & diſtinctionem vel expreſſè vel virtute attingunt. Affirmant enim aliqua poſſe indirectè Pontificẽ, & directè negant. Vt iudicare de feudo, ſicut dixit Gloſſa in c. *Nouit*, de Iudicijs, verb. *Iudicare*, vbi Innocentius eam ſequitur, & Panor. n. 17. & ſequẽtib. imò ſi attẽtè legatur à n. 11. nõ aliter intellexit, habere Pontificẽ ſupremã poteſtatẽ tẽporalẽ. *Gloſſa. Innoc. Panorm.* Similiter dixit Gloſſa in regula *Poſſeſſor*. 2. de Regul. iur. in 6. Papã indirectè poſſe reuocare legem ciuilem intuitu vitandi peccatũ: non tamen directè, & per ſe, id eſt, ceſſante ratione pertinente ad ſalutem animæ, vbi licèt non vtatur formaliter his terminis, directè, vel indirectè, in re tamen, & per deſcriptionem eundem ſenſum declarat. *Gloſſa.*

3. *Gloſſa.* Simileq; exemplũ eſt in Gloſſa, cap. *Per venerabilẽ*, Qui fil. ſint legitim. verb. *Habeat poteſtatẽ*, eſtq; de legitimatione ad tẽporalia, quã Põtifex directè dare nõ poteſt, licèt poſsit indirectè. De quo exẽplo videri poſſunt Couar. in 4. Decretal. 2. p. c. 8. §. 8. n. 13. & ſequẽtib. & Molin. lib. 3. de Primoge. c. 2. n. 10. & ſequẽtib. & plures alij, quos allegãt. *Couar. Molin.* Reliqui verò Doctores, præſertim Theologi d. cap. 4. allegati negãtes habere Põtificẽ abſolutũ dominiũ regnorum omniũ, ſeu directã poteſtatẽ tẽporalem ſupra omnes Reges, vnanimi cõſenſu docent veritatẽ hanc de poteſtate Põtificis directiua Regum, & Principũ, & iuriſdictionis, ac regiminis eorũ. Qui plures alios Doctores pro hac veritate referũt, & multò plures Bellar. in principio reſponſionis ad Barclaiũ, ex quibus in ſeq. aſſert. aliquos notabimus. *Bellarm.*

Primum, ac præcipuũ fundamentum ex illis Scripturis ſumimus, in quibus 4. *Probatur primo concluſio.* Pontifici vniuerſalis animarum cura cõmiſſa eſt. Nam ad gerendam hanc curam plena, & perfecta poteſtas data eſt Petro, & cõſequenter etiam eius ſucceſſoribus Romanis Epiſcopis, quia qui ſuccedit in munere, ſuccedit etiã in poteſtate; ergo talis poteſtas data eſt ad omnia, quæ ad hoc regimen neceſſaria ſunt; ergo in illa poteſtate ſpirituali includitur vis directiua cuiuſcũq; poteſtatis temporalis in Regibus, vel ſupremis Principibus exiſtentis. Aſſumptũ manifeſtũ eſt, tum ex verbis Domini, *Quodcunque ligaueris*, & *Quodcunq; ſolueris*, & *Paſce oues meas*, tum quia ad ſapientẽ Chriſti Domini prouidentiã hoc pertinebat. Vnde facile etiam prima cõſequentia oſtenditur, quia non ſolùm Chriſtus verus Deus, cuius opera perfecta ſunt, ſed etiã quilibet prudens gubernator, qui vices ſuas alicui cõmittit, vel ſuam poteſtatem delegat, conſequenter dat poteſtatẽ ad omnia, quæ ad finem, vel effectum talis cõmiſsionis, ſeu delegationis neceſſaria ſunt, vt prudens ratio naturalis, & iura tam ciuilia, quàm canonica diſponunt, l. 2. ff. de Iuriſdict. omnium Iudic. *Cui iuriſdictio data eſt, ea quoq; conceſſa eſſe vidẽtur, ſine quibus iuriſdictio explicari nõ potuit.* Et cap. *Præterea*, de Offic. deleg. *Ex eo, quod cauſa alicui cõmittitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſã ipſam ſpectare noſcũtur, plenariã recepit poteſtatẽ.* *Lex. 2. ff. de Iuriſdi. omni. iud. Cap. Præterea, de Offic. deleg.*

Supereſt, vt ſubſumptam illationem 5. probemus, nimirum in hac ſpirituali poteſtate indirect vim directiuam tẽporalium includi. Hoc enim eſt, quod maximè aduerſarij negant, expreſſumque à nobis Scripturæ teſtimonium poſtulãt, quo talis incluſio doceatur. Nos verò facilè reſpondemus, non in omnibus eſſe neceſſariũ expreſſum Scripturę teſtimoniũ, ſatiſq; eſſe, ſi ex ſcriptis clara, & neceſſaria ratione, vel Patrũ traditione, & intepretatione colligatur. Dicimꝰ ergo hoc cõtineri in Scriptura tanquam particulare in vniuerſali, vel tanquam vnũ ex neceſſarijs medijs in fine, ſeu in poteſtate dirigendi ad finem talis poteſtatis ſpiri-

Pontifici vĩ directiuam Regum ineſſe, ex parte ipſorū Regum oſtenditur.

ſpiritualis. Poteſt autem hoc dupliciter explicari, ſcilicet, vel ex parte ipſius Principis temporalis, vel ex parte ſubditorum eius. Nam, vt dixi, Reges temporales ſpiritualiter ſubditi ſunt Petro, & ſucceſſoribus eius; at verò poteſtas ſpiritualis data Petro vniuerſalis eſt ad omnes actus ſubditorum dirigendos, quibus vita æterna perdi, vel comparari poteſt, vt probat indefinitum verbum *Paſce*, & vniuerſalis poteſtas ligandi, & ſoluendi; vnus autem ex his actibus in Chriſtiano Principe eſt debitus vſus poteſtatis gubernatiuæ, nam ſi illa non iuſtè vtatur, condemnabitur; ergo ad Paſtorem ſpiritualem talis Principis pertinet facultas dirigendi illum in vſu ſuæ temporalis poteſtatis, ſi alicubi à recta ratione, aut à fide, iuſtitia, vel charitate deuiet. Sic ergo poteſtas illa ad temporalia indirectè extenditur, nam vſus ipſe temporalis poteſtatis, quatenus animæ obeſſe, vel prodeſſe poteſt, ſub ſpiritualibus tanquam particulare ſub vniuerſali continetur, & tanquam medium neceſſarium ſub fine, ad quem poteſtas ſpiritualis ordinatur. Et hanc rationem inſinuauit optimè Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorē, vbi diſtinguit duas poteſtates, ſpiritualem, & temporalem, & addit: *In quibus tantò grauius pondus eſt ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem.* Quapropter verba illa Pauli: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ad Hebr. 13. non minus Reges comprehendunt, quàm cæteros, quia & vniuerſalia ſunt, & ratio à Paulo ſubiuncta: *Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, in Regibus etiam procedit, vt ex Gelaſio dixi; meritò ergo dicere poſſumus, in verbis illis poteſtatem hanc Præpoſitorum Eccleſiæ contineri.

Gelaſ. Cap. *Duo ſunt.* 96. *d.* *Hebr.* 13.

6. Ex parte ſubditorum Regis idem oſtenditur.

Alio etiam modo, & non minus efficaci hæc incluſio oſtēditur ex parte ſubditorum Regis tēporalis Chriſtiani, quia ſi ipſe iniqua præcipiat, vel plus, quàm expedit, permittat ſubditis illicitos vſus temporalium actionum, vel bonorum, in magnum ſpirituale detrimentum ſubditorum cedet; ſed Pontifex tenetur habere curam ſpiritualem totius populi Chriſtiani ſubditi tēporalibus Regibus; ergo in hoc munere includitur poteſtas A auertēdi à Chriſtiano populo omnia ſpiritualia incommoda, quæ ex abuſu poteſtatis temporalis in illum poſſunt redundare; ergo hoc etiam titulo neceſſe eſt, vt poteſtas ſpiritualis Principis ad temporalia indirectè extendatur, dirigēdo, vbi oportuerit, poteſtatem temporalem, vt ita temporalia diſponat, quod ſpiritualibus non noceant. Et hæc etiam ratio inſinuatur à Gelaſio ſuprà, ſi vt alia lectio habet, legatur, *Quanto pro ipſis regiminibus hominum reddituri ſunt rationem.* Et vtrūq; etiam ſignificat Nicolaus Papa B ad Michaelem, dicens, *Chriſtianos Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigere.*

Nicol. Papa.

7. Declaraturq; amplius hæc ratio, nam vtraque poteſtas temporalis, & ſpiritualis, prout in Eccleſia exiſtunt, ita conferri, & poſſideri debuerunt, vt communi bono, & ſaluti Chriſtiani populi proficiant; ergo neceſſarium eſt, vt hæ poteſtates aliquem ordinē inter ſe obſeruent, aliàs non poſſet pax, & vnitas in Eccleſia ſeruari, nam ſæpe temporalia commoda repugnant ſpiritualibus, & ideò, vel erit bellum iuſtum inter vtraque poteſtatē, vel neceſſe eſt, alteram alteri cedere, vt omnia rectè ordinentur. Ergo vel poteſtas ſpiritualis erit ſub temporali, vel è C contrario. Primum nec dici, nec cogitari poteſt ſecundū rectam rationem, quia tēporalia omnia ordinari debent ad ſpiritualem finem; ergo dicendum è contrario eſt, poteſtatem temporalem ſubiectam eſſe ſpirituali, vt à ſuo fine non deflectat. Nam ita ſubordinantur poteſtates ſicut & fines. Ideòque meritò dixit D. Thom. 2. 2. quæſt. 40. artic. 2. ad 3. bella ſubordinari poteſtati Papæ: quia Potentia, virtus, vel ars, reſpiciens ſuperiorem finem, habet ſibi ſubiectas facultates inferiores in ordine ad eūdem finē. D Et q. 60. ar. 6. ad 3. ſic ait, *Poteſtas temporalis ſubditur ſpirituali, ſicut corpus animæ, & ideò non eſt vſurpatū iudiciū, ſi ſpiritualis Prælatus ſe intromittat de temporalibus.* Et in 2. diſt. 44. in expoſitione textus ad 4. ait, *ſecularem poteſtatem eſſe ſub ſpirituali in his, quæ ad ſalutē animæ pertinent, & ideo in eiſdē magis eſſe obediendū ſpirituali poteſtati, quā tēporali, licèt in his, quæ ad bonū ciuile pertinēt, magis ſit obediēdū poteſtati ſeculari.* In quibus verbis etiam ſuperiorē diſtinctionem planè indicat. Addit verò limi-

Dilemate eſt [illegible] euincitur.

D. Thom.

A limitationem dicens, *Niſi fortè poteſtati ſpirituali etiam ſecularis poteſtas coniungatur: ſicut in Papa, qui vtriuſq; poteſtatis apicem tenet.* Quod intelligi poſſet, vnius directè, & alterius indirectè iuxta ſuperiora verba. Quia verò hæc poſteriora verba exceptionem continent à prioribus, videtur in eis potiùs loqui de vtraque poteſtate directa, & conſequenter loqui de Pontifice, vt ſimul eſt Pontifex, & Rex temporalis. Denique habere apicem vtriuſque poteſtatis, quia in vtroque ordine habet poteſtatem ſupremam, licèt non æquè vniuerſalem. Vt etiam dixit Innocent. 3. in dicto cap. *Per venerabilem.* (Innoc. 3.)

8. Atque ad hunc modum intelligenda ſunt alia, quæ de hac poteſtate idem D. Tho. tradit lib. 1. de Regimine Princip. cap. 14. & lib. 3. cap. 10. 11. 12. & 13. ſi tamen eius eſt opus. Quibus locis varijs exemplis, & ſimilitudinibus ad hanc veritatem declarandam vtitur, multiſque hiſtorijs, & geſtis Summorum Pontificum eandem confirmat. Idem optimè, & ſatis copioſè Alex. Alenſ. 2. p. q. 118. memb. 3. art. 1. & 3. p. q. 40. membr. 5. quæſtiunc. penult. & 4. p. q. 10. memb. 5. poſt art. 2. in tract. de Officio Miſſæ p. 2. art. 2. Hugo de Sanct. Victor. lib. 2. de Sacram. p. 2. c. 4. Turrecrem. in Sum. de Eccleſ. lib. 2. cap. 113. Vuald. tom. 1. in doct. fid. antiq. l. 2. c. 76. Caiet. in Apolog. pro Roman. Pontif. cap. 13. Henric. quodlib. 6. q. 23. vbi ait: *Sacerdotem Apoſtolicum ſe habere ad Reges, ſicut Architectum ciuilem ad alios artifices in ciuitate.* Bellarmin. de Sum. Pontif. lib. 5. c. 6. 7. & 8. Albert. Pigh. lib. 5. de Eccleſiaſtic. Hierar. cap. 14. & 15. Sander. de Viſib. Eccleſ. monarch. præſertim cap. 4. Victor. duplici Relect. de Poteſt. Eccleſ. & altera de Poteſtat. ciuili, & in Relect. de Indis. p. 1. n. 29. Dried. de Libert. Chriſtian. lib. 2. c. 2. Soto in 4. d. 25. q. 2. ar. 5. & lib. 4. de Iuſtit. q. 5. art. 4. Nauarr. in cap. *Nouit.* de Iudic. notab. 3. nu. 19. & ſequentib. Almain. de Poteſt. Eccleſia. cap. 8. Molin. referens plures. 1. tom. de Iuſtit. diſp. 29. & conſentiunt Iuriſperiti, quos infrà referemus.

(D. Thom. Alex. Al. Hugo de S. Victor. Turrecr. Vuald. Caiet. Henric. Bellarm. Alber. Pi. Sander. Victor. Dried. Soto. Nauar. Almain. Molina.)

9. Declaratur præterea hæc dependẽtia, & ſubordinatio optimis exemplis. Primum eſt de Domino, & ſeruo: nam Dominus habet peculiarem poteſtatẽ in ſeruum, quam ſine dubio non habet Papa in ſeruum alienũ, vnde rectè dicitur, non habere directam poteſtatem dominatiuã in illum, & nihilominus certum eſt, quẽcunque dominum temporalem ſubeſſe poteſtati Pontificis quoad debitum vſũ ſui dominij, ita vt non ſit contrarius ſpirituali ſaluti, vel domini, vel ſerui, & in hoc ſenſu rectè dicitur Pontifex habere ſuperiorem poteſtatẽ indirectam in ſeruum alienum. Et ſimili modo patria poteſtas directè conuenit proprio parenti, & non ſpirituali Paſtori, & nihilominus B illa poteſtas, quanuis à natura data, ſubeſt ſpirituali poteſtati, vt ab ea regatur, & dirigatur, & ita poteſt dici ſpiritualis poteſtas indirectè extendi ad filiorũ Chriſtianorum gubernationem. Pari ergo ratione poteſtas temporalis Regis per ſpiritualem poteſtatem Pontificis gubernanda, & dirigenda eſt. Poſſuntq; exẽpla ad Principem ipſum temporalem accommodari, vt ex eis à fortiori argumẽtum deſumatur. Nam Rex non habet quidem formalem, vt ita dicam, ſeu directam poteſtatem patriam in filium alicuius vaſſalli ſui, nec proprium dominiũ ſerui alicuius ſubditi ſui, & nihilominus C habet eminentem, ſeu indirectam poteſtatem ad dirigendum vaſallum ſuum in vſu patriæ poteſtatis, quam habet in filium, & in vſu dominij, quod habet in ſeruũ; ergo multò magis Vicarius Chriſti habet ſimilem poteſtatem in Reges Chriſtianos in ordine ad ſpirituale bonum totius populi Chriſtiani.

(Eadem Regum à Pontifice dependentia exẽplis declaratur.)

10. Explicatur præterea hæc poteſtas ex vſu eius, multiplex enim eſſe poteſt, ad duos tamẽ præcipuè reuocatur, qui iuxta duas temporalis Principis poteſtates diſtingui poſſunt. Eſt enim in Principe D poteſtas iuriſdictionis, quæ propriè dicitur ciuilis, & moralis, de qua præcipuè tractamus. Vt autem hæc timeri poſſit, & conſeruari, coniunctam habere debet aliam poteſtatem, non iuris, ſed facti, vt ſic dicam, quæ phyſica eſt, & executiua, ſeu militaris poteſt appellari. Iuxta has ergo duas poteſtates tẽporalis Principis diſtinguimus duos modos huius ſpiritualis regiminis, ſeu directionis. Primus pertinet ad actus iuriſdictionis ciuilis, talis eſt emendatio, ſeu correctio legũ ciuiliũ quãdo bonis morib' cõſentaneę nõ ſunt.

Papa poteſt Regum leges corrigere, vel alias illis contrarias ferre.

Poteſt enim tunc Pontifex illas emendare, vel contrarias ferendo, vel præcipiendo Principibus ſecularibus, vt eas reuocent, aut corrigant. Quæ eſt doctrina communis Theologorum cum Diuo Thoma. 1. 2. q. 96. art. 5. Eandemq; tradunt copioſiùs Iuriſperiti, Barthol. in l. *Priuilegia*. C. de Sacroſ. Eccleſ. q. vltim. Alex. in l. *Captatorias*, C. de Teſtam. milit. Anton. & Imola in cap. *At ſi clerici*, de Iudicijs, Ioan. Andr. Cald. & Abb. in cap. 1. de Noui oper. nunciat. Felin. in cap. *Eccleſia*, de Conſtitut. n. 41. Couarr. in Epito. 4. Decret. 2. p. c. 8. §. 6. n. 6. & ſequentib. Anton. Gomez in l. 9. & 10. Tauri. n. 37. & 38. Fortun. Garci. in tractat. de vlt. fin. vtriuſque iur. nu. 51. qui alios referunt. Et hic vſus frequentiſsimus eſt in iure canonico, & cõmuni ſẽſu, & more Eccleſiæ approbatus, ideòque non licet catholico viro de poteſtate Põtificia dubitare.

D. Thom. Barth. Alex. Anton. Imola. Ioan. Andr. Abbas. Felin. Couar. Ant. Gomez. Furt. Gar. vi. Decret. diſt. 10. per totã. Cõcil. Rom. 6. ſub Symmac. in fine.

11. Materia legis ciuilis & canonicæ.

Eſt autem aduertendũ, materiam proximam legis ciuilis interdum eſſe per ſe, ac directè omnino diſtinctam à canonica, vt quando eſt purè temporalis, & nullo modo ſacra, nec ad finem ſpiritualem de ſe ordinata, vt eſt v. g. definire pretiũ mercium, ordinem iudiciorum ciuilium diſponere, & cætera: aliquando verò cõmunicare aliquo modo cum materia legis canonicę ratione rei ſubtractæ vtriq; legi, vt leges circa matrimonia, circa funera, circa legata pia, & ſimiles. Quando ergo leges ciuiles ſunt huius poſterioris generis, non ſolùm indirectè, ſed etiã directè per poteſtatem ſpiritualem emendari, & irritari poſſunt, quia materia illa, vel eſt directe ſpiritualis, vel eſt miſti fori, & ideò ſpiritualis poteſtas directè circa illam verſatur, ideoque omnes leges ciuiles, quę in talibus materijs verſantur, ſi contrariæ ſint iuri canonico, per illud corriguntur, quia ab excellentiori poteſtate ſuperantur. Et hoc modo leges ciuiles circa matrimonia diſponẽtes, per leges canonicas auferuntur, ſi illis repugnent, & illæ ſolæ valorem habent, quæ leges canonicas iuuant, modo ab eis permiſſo. Vt verbi gratia, leges ciuiles permittebant matrimonia inter conſanguineos in ſecundo gradu, quibus præualẽt canonicæ illa irritantes.

Leges ciuiles in materia cum canonicis conueniẽtes per ſpiritualem poteſtatem directè irritari poſſunt.

Cap. *Cum contingat*, *de Iur. iur.* Cap. *Licèt de Iur. iur. in 6. vbi Gloſ. verb. Excõmun.* L. *Celebrãdis*, C. *de Nuptijs.* C. *Non debet*, *de Cõſang. & affinit.*

12. Ad hunc etiam ordinem pertinent ca- A nonicæ leges diſponentes circa iuramenta promiſſoria, vt omnino ſeruentur, nõ obſtante lege ciuili, & præcipientes iudicibus laicis, vt eas ſeruari faciant. Item huc etiam ſpectant canones ſtatuentes contra ciuiles leges, vt legata pia valeant cum duobus tantùm teſtibus. Nam piæ cauſæ directè ſub poteſtatem ſpiritualẽ cadunt. Leges item ciuiles, quę in multis caſibus ſecundas nuptias prohibent, & puniunt, per canones derogantur, vt cõſtat ex titulis de ſecundis nuptijs, & ſic de alijs. At verò quando materia legũ ciuilium B eſt purè temporalis, tunc ſolùm indirectè corrigũtur per Põtifices, quãdo vel peccatis fauent, vel illis occaſionem præbent. Vt ſunt leges concedentes præſcriptionem cum mala fide, quæ per canones ſublatæ ſunt, vt conſtat. Idemque eſt de legibus permittentibus vſuras, concubinatus, &c. Vel etiã quando ſunt minus conſentaneæ ęquitati naturali, vt ſunt leges negantes alimenta filijs ſpurijs, quæ per canones temperãtur. Atque eadem ſeruata proportione ſi lex aliqua ciuilis ad ſpirituale bonũ regni iudicaretur conueniens, & Reges in C ea ferenda negligentes eſſent, poſſet Põtifex authoritate ſua illam ferre, vt fecit Pius V. dando formam conſtituendi cẽſus, quæ materia ſatis temporalis eſt; forma autem viſa eſt conueniens ad periculа vſurarum vitanda, & ita interuenit eadem ratio indirectæ poteſtatis.

Trid. ſeſſ. 24. Cap. *Relatum de Teſtamens.*

Cap. vlt. de Præſcript. C. Poſſeſſor, de Reg. iur. in 6. Authent. Ex complexu. C. de Incertis nup. Cap. Cum haberet. de eo, qui in matri.

13. Leges ciuiles de rebus Eccleſiaſticis diſponẽtes ipſo iure irritæ ſunt.

Quibus addi poteſt alius modus irritationis legum ciuilium ex vi Eccleſiaſticæ poteſtatis, nimirum, quando diſponũt in materia purè canonica, vt ſunt illæ, quæ de clericis, vel rebus Eccleſiaſticis in particulari feruntur, & aliæ ſimiles quæ libertati Eccleſiaſticę derogant. Hę D tamen leges ipſo iure naturæ irritæ sũt, & per canones potius irritæ declarãtur, quàm fiant, quia in aliena materia, & extra ſphęram iuriſdictionis tẽporalis verſantur: poſſunt tamen dici, virtute ſpiritualis poteſtatis irritari, quaſi in radice, quando materia illa per ſpiritualem poteſtatem canonica effecta eſt, & pro Eccleſiaſtico foro reſeruata. Hoc enim etiã poteſt virtute iuriſdictionis ſpiritualis fieri, quando materia illa diuinum cultũ, vel religionem concernit, vt in materia de Legibus latiùs dictum eſt. Extantq;

de

Cap. Non minus, & cap. Aduerſus, de Immuni. Eccleſ. c. Eccleſiæ ſãctæ Mariæ & c. Quæ in Eccleſiarum de Cõſtitut. Vide Platin. in Pio 2.

de huiuſmodi legibus obuia exempla in iure canonico ſub titulis de Immunitate Eccleſiarum, & ſub tit. de Conſtitut. & plura ex illis adducit Gloſſ. in Extrauagant. *Quia in futurum* Ioannis 22. verb. *Torneamenta.* Extra ius verò commune optimum ſumitur ex epiſtola Ludouici Galliæ Regis ad Pium 2. in qua inter alia ſic inquit: *Sicut mandaſti, pragmaticam ſanctionem ſedi infenſam à regno noſtro, noſtroq́; Vienneſi delphinatu, & omni ditione noſtra per præſentes pellimus, deijcimus, ſtirpitùſque abrogamus.*

14. *Quãdò poſſit Pontifex iudicijs ſecularibus ſe intromittere.*

Et quod de legibus dictum eſt, de iudicijs, ac ſententijs poteſt cum proportione intelligi, nam directè nõ poteſt Papa ſecularia iudicia vſurpare, in caſu verò ad ſpirituale bonum neceſſario, poteſt vel iniquam ſententiam irritare, vel cauſam aliquam temporalem ad ſe auocare, Præſertim quando inter eos lis verſatur, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcunt, & ad commune bonum Eccleſiæ conueniens iudicatur. Sicque dixit Innocent. 3. in cap. *Per venerabilem,* Qui fil. ſint legit. Super patrimoniũ Petri plenã ſe exercere poteſtatẽ, *In alijs autem regionibus,* ait, *certis cauſis inſpectis tẽporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus* [*Innoc. 3.*] Et ferè idem in ſententia dixit *Bernard.* lib. 1. de Conſiderat. nam in cap. 6. dicit, tẽporalia iudicia ad Pontifices non pertinere, addit verò in c. 7. *Sed aliud eſt incidẽter excurrere in iſta, cauſa quidem vrgente, aliud verò incumbere iſtis tanquam magnis.* [*Bernard.*] Ratio eſt, quia ad munus Pontificis ſpectat impedire publica peccata, eorũque occaſiones morales, præſertim quę cum vi aliqua, vel authoritate inferuntur, auferre; ergo ſi leges ciuiles, vel iudicia ſecularia fouent peccata, aut illorum occaſionem prębent, poſſunt per Pontificem vel irrita declarari, vel etiam irritari, vt rectè dixit Victor. Relect. 1. de Poteſtat. Eccleſ. q. 3. §. *Vtrum poteſtas ſpiritualis ſit ſupra, &c.* nu. 13. [*Victor.*] Simili etiam modo ad Pontificem ſpectat, promouere fidẽ, religionem, & pietatem, & ideo in earum fauorem poteſt aliquid ſtatuere, & pręcipere, vt ſeruetur, non obſtante quacũq; lege ciuili.

15. *Vide Sãdẽr. lib. 2. de vi lib. mon. c. 4.*

Alter vſus ſpiritualis poteſtatis eſſe poteſt in dirigenda temporali, quatenus poteſtatem, & vires exequendi, ſeu miA niſtrandi habet. Poteſtque hic vſus eſſe duplex, vnus eſt cohibẽdo abuſum illius poteſtatis: alter mouendo ad neceſſariũ vſum, & ſi opus fuerit in auxilium fidei, vel defenſionem Chriſtianæ religionis, illum imperando. Ad vtrumque igitur reſidet in Pontifice poteſtas. Et de priori quidem res eſt per ſe euidens, quia vt dixit Innocentius. 3. in capit. *Nouit.* de Iudicijs, cohibere peccata proprium eſt ſpiritualis poteſtatis, & maximè ad id tenetur, quando ſunt publicè nociua, & contra cõmune bonum, ſed talis eſt abuB ſus ille poteſtatis Regię ad nocendum, & iniuſtum bellum inferendum; ergo ſine dubio in hoc ſubditur Rex Pontifici, qui ei poſsit talẽ poteſtatis ſuæ vſum prohibere.

Innoc. 3. Poteſtas etiam bellãdi Regũ Põtifici ſubeſt.

16. Ad defenſionẽ fidei Reges à Põtifice compelli poſſũt

Quod autem, etiam poſteriori modo poſsit Pontifex Regibus imperare, probatur, quia Principes Chriſtiani, vel ex officio ſuo, vel ex iuſtitia quadã legali, qua mẽbrũ reipublicę illi ſubuenire obligatur, vel ex charitate Chriſtiana Eccleſiam defendere, eique auxilium conferre tenentur. Ergo neceſsitate, vel cauſa exigente poteſt Pontifex vt ſpiritualis PaC ſtor tã vniuerſalis Eccleſię, quàm ipſorũ Principum, eos mouere ad vſum poteſtatis ſuæ, eos excitando. & obligãdo per imperium. Aſſumptum ex terminis videtur notũ; quia omnes Chriſtiani ſunt membra vnius corporis Eccleſię, membra autem vt ait Paul. 1. ad Corinth. 12. [*1. Cor. 12.*] pro inuicem, & maximè pro bono totius corporis ſolicita eſſe debent, vnunquodque iuxta ſuam poteſtatem, & dignitatem; ergo quando Principis potentia neceſſaria eſt, hęc ſolicitudo, & cura ei maximè incumbit, Vnde Leo Papa epiſt. 75. ad Leonem Auguſtũ, [*Leo Papa.*] *Debes* (inquit) D *incunctanter aduertere Regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam.* Et Gregori. lib. 2. indict. 11. epiſtol. 61. ſeu cap. 100. [*Gregor.*] *Ad hoc poteſtas pietati Imperatorum data eſt, vt qui bona appetunt, adiuuentur: & terreſtre regnum cœleſti regno famuletur.* Et optime Auguſtin. epiſt. 50. [*Auguſt.*] tractans illud Pſalm. 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, Aliter* (inquit) *ſeruit, quia homo eſt, aliter, quia etiã Rex eſt. Quia homo eſt ei ſeruit, viuẽdo fideliter, quia Rex*

Ee 4 *eſt,*

eſt, ſeruit, leges iuſta præcipientes, & contra A

Cõc.Pariſ. *ria prohibentes conuenienti vigore ſanciẽdo.* Vnde Concil.Pariſ.ſub Ludouic.& Lothar.lib.2.cap.2. *Rex* (inquit) *primo de-*

Baron. Ann.825. n.47. *fenſor eſſe debet Eccleſiæ, ſeruorũ Dei.&c.* Ideoque ijdem Ludouicus, & Lotharius Imperator.ad Eugenium Papam ſcripſerunt. *Veraciter nos debitores cognoſcimus, vt his, quibus regimen Eccleſiarum, & ouiũ Dominicarum cura commiſſa eſt, in omnibus cauſis ad diuinum cultum pertinentibus, opẽ, & auxilium pro qualitate virium noſtrarũ,*

Carol.V. *& intellectus noſtri capacitate feramus.* Et catholicus Imperator Carolus.V, in edicto Vuormacienſi. *Ad honorem,* dixit, *Dei omnipotentis, Romaniq; Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam reuerentiã pro Imperialis dignitatis officio debito, nec non zelo, & ſtudio, quo noſtrorum maiorum more, & ingenita etiam nobis vi ad defenſionem catholicæ fidei, ſanctæque Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ honorem, tutelam, & protectionem omnes noſtras vires, & facultates, imperium, regna, dominium, vitam deniq; & animam ipſam exponere ſumus parati.*

17. Ex his autem illatio ſuperius facta facilè monſtratur. Nam ſi Rex, aut Princeps in hoc auxilio Eccleſiæ præſtando ſit negligens, ſine dubio poteſt Pontifex illum excitare, & præcipiendo mouere. Primùm ex illo principio ſupra probato quia Papa non ſolum eſt Paſtor Regis vt hominis, ſed etiam vt Regis, quia in vtroque munere ſe rectè gerere debet, vt ſaluari poſsit, & Deo placere; ergo poteſt Pontifex curare, & illi præcipere, vt Regis obligationẽ in hac parte adimpleat. Deinde quamuis nõ ita vrgeret Eccleſię neceſsitas, vt ex lege ipſa charitatis quaſi naturalis oriretur obligatio, ſufficiente cauſa interueniente, poſſet Pontifex illã imponere, quia præceptum eſſet iuſtum: D nam in ordine ad ſpiritualem finem eſſet rationi conſentaneum, ac ſubinde eſſet legitima poteſtate impoſitum. Quia cũ Pontifex ſit caput, & ſuperior in ſpiritualibus, poteſtatem habet imponendi ea præcepta, quæ in ordine ad ſpiritualem finem, & bonum Eccleſiæ, iuſta, & prudẽtia ſunt.

18. Bonifac. Atque hac ratione dixit Bonifaci. Papa in Extrauag. *Vnam Sanctam*, de Maior.&obed.tacitè approbans ſententiam Bernardi lib.4.de Conſider.cap.3.in ſede Petri non ſolùm eſſe ſpiritualem gladiũ, ſed etiam temporalem: *Sed is quidem pro Eccleſia, ille verò ab Eccleſia exercẽdus; ille ſacerdotis, is manu Regum, & militum, ſed ad nutum, & patientiam ſacerdotis, quia oportet, gladium eſſe ſub gladio.* Quod late probat, oſtendendo, debitam Eccleſiæ inſtitutionem hunc ordinem poſtulare, & cõcludit, *Romano Pontifici omnem humanam creaturam ſubeſſe definimus, & pronunciamus omnino eſſe de neceſsitate ſalutis.* Atq; Nicol.2. eodem modo Nicolaus Papa.2.de Romana Eccleſia loquens, inquit, *Eam ſolus ille* Cap.1.22. d.

B *fundauit, qui Beato æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cœleſtis imperij iura commiſit,* vtique cœleſte per ſe exercendo, terrenum verò ipſius potentia vtendo, illã per imperium, ſi opus fuerit, efficaciter excitando, Et hoc modo idem Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Gallię, illis, eorũq; defenſoribus mandat, *vt ſpirituali ſimul,* C.Auctoritatem,15. q.6. *& temporali gladio malignos quoſdam vſq; ad recuperationem bonorum Eccleſiæ inſequantur.* Quod cum partitione accõmoda accipiendum eſt, nam Epiſcopi ſpirituali gladio, defenſores autem, id eſt, Patroni, vel Principes gladio materiali Eccleſiã defendere præcipiuntur.

C 19. Multa ſimilia ſumi poſſunt ex Decreto diſt.96. cap. *Si Imperator,* vbi Ioãnes Papa, ait, *Ex Dei ordinatione omnes ſeculi poteſtates Eccleſiæ debere eſſe ſubiectas,* & Gelaſ. capite. *Duo ſunt,* ad Imperatorem Anaſtaſ.ſcribens *Noſti* (ait inter alia) *ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi voluntatem, &c,* Idem in cap. *Quanuis,* diſt.22. Innocent.I. in cap. *Quoties.* 24.q.1. Similia habentur ex Gregorio. VII, in cap. *Quis dubitet,* & ex Innocen. III. in cap. *Solitæ* de Maiorit. & obed. vbi poteſtatẽ Pontificiam ita ad imperialem comparari ait, ſicut animam ad corpus, vel ſicut Solem, ad Lunam. Idem in cap. *Per venerabilem.* Qui fil.ſint legitimi, in hoc ſenſu dixit, *certis cauſis inſpectis, tẽporalem iuriſdictionem in alijs etiam regionibus caſualiter exercemus,* id eſt, non directè ſicut in proprio patrimonio Eccleſiæ, ſed indirectè, quando ratio ſpiritualis finis id poſtulat. Quod confirmat ex Deuteron.17. *Si quid difficile, & ambiguũ, &c.* & ex 1.Cor.6. *Neſcitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia.* Sic denique accipiendum eſt, quod Bernard.

Cap.Si Imperator.d.96. Gelaſ. cap.Quanuis, d.22. Innoc.1. Gregor.7. Innoc.3. cap.Per venerabilem, Qui filij ſint legit. Deut.17. 1.Cor.6. Bernard.

ſuprà

ſupra, & epiſt. 256. ad Eugenium dixit, *Exercendus nunc eſt vterque gladius. Per quem autem, niſi per vos? Petri vterque eſt, alter ſuo nutu, alter ſua manu, quoties neceſſe euaginandus*. Expendenda eſt enim illa particula, *ſuo nutu*, eſt enim de voluntate iuſta, & prudenti intelligẽda, vt per alteram particulam, *Quoties neceſſe*, ſatis declaratur. Supponit autem hæc voluntas poteſtatem, quæ eminenti quadam ratione materialis gladius appellatur, qua tenus per illam efficaciter moueri poteſt. Eſt ergo in Pontifice quoad hanc etiam partem poteſtas directiua in Principes temporales. Atque ita ſatis declarata, & probata eſt aſſertio poſita, quæ in capite ſequenti amplius confirmabitur.

CAPVT. XXIII.

Pontificem ſummum poteſtate coerciua in Reges vti poſſe, vſque ad depoſitionem etiam à regno, ſi cauſa ſubſiſtat.

1. 5. Scopus controuerſię cũ Rege Angliæ.

HIC eſt, vt dixi, cardo, & præcipuus ſcopus præſentis controuerſiæ. Nam Rex quidẽ Iacobus, qui Pontificis iuriſdictionem in vniuerſam Eccleſiã, & præcipuè in Reges abnegat, de directiua poteſtate, parum ſolicitus eſt. At verò poteſtatem coactiuam Pontificis anxiè timet, eam præcipuè, quæ vſque ad regni expoliationem protendatur, quia perſiſtendo in errore ſuo non credit ſe eſſe in ſuo ſceptro ſecurũ, ſi à ſubditis ſuis talis poteſtas in Pontifice eſſe credatur. Vt ergo libere poſſit in ſua cęcitate perſiſtere, Eccleſiam Chriſti vult omni remedio contra hæreticos Principes priuare. Quod ante illum etiam Marſilius Patauinus, & alij Eccleſiæ hoſtes commenti ſunt. Contrarium autem docent omnes catholici Doctores, quos ſuprà commemoraui, & latius Bellarmin. in nouo opuſculo allegato eos allegat, eſtq; nõ minùs certum, quàm cætera, quę dicta ſunt. Imo ſi ea ponderentur attẽte, & dictum refutare errorem, & veritatẽ catholicam, vſu, authoritate, & ratione cõprobatam defendere, difficile non erit. — Bellarm.

2. In Summo Pontifice eſt vere poteſtas in quos Reges coercendi.

Primum enim in Pontifice eſſe poteſtatem ad coercendos temporales Principes iniquos, & incorrigibiles, & præſertim ſchiſmaticos, & pertinaces hęreticos, euidenter ex dictis ſequitur. Quia vis directiua ſine coactiua inefficax eſt, teſte Philoſopho lib. 10. Ethic. cap. vlt. ergo ſi Pontifex habet poteſtatem directiuam in Principes temporales, etiam habet coactiuam, ſi iuſtæ directioni per legem, vel præceptum obedire noluerint. Probatur conſequentia, nam quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, & optime inſtituta; ergo ſi pontifici dedit poteſtatem directiuam, dedit coactiuam, quoniam inſtitutio aliter facta eſſet imperfecta, & ineficax. Vnde contraria ratione docent Theologi, non habere Eccleſiam poteſtatẽ actus merè internos præcipiendi, quia de illis iudicium ferre non poteſt, & conſequenter neque pro illis pœnam imponere, quod ad vim coactiuam pertinet, vt author eſt D. Thomas. 1. 2. q. 91. ar. 4. & 100. art. 9. Ergo à conuerſo, cùm Pontifex poſſit imperando efficaciter dirigere poteſtatem tẽporalem in actibus ſuis, poteſt etiam cogere, & punire Principes ſibi non obtemperantes in ijs, quæ iuſte pręcipit.

Probatur primo ratione. — Ariſtot. — Eccleſiam actus merè internos præcipere nequit. — D. Thom.

3. Ex Scripturis idẽ ſuadetur. 2. Cor. 10.

Atque hæc ratio ſine dubio erat ſufficiens, quia vero aduerſarij ſcripturas exigunt, ex illis etiam poſſumus veritatem hanc non obſcure confirmare. Paulus enim 2. Corinth. 10. prius ſic inquit: *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum.* Et infrà ſubiungit: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et infrà: *Nã & ſi ampliùs aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* In his autem verbis apertè docet Apoſtolus, habuiſſe à Deo poteſtatem vindicandi, & puniendi omnem inobedientiam quoruncumque fidelium quantum ad Eccleſię ędificationem, & bonum oportuerit; poteſtas autem vlciſcendi, ſeu puniendi coactiua eſt, vt per ſe conſtat. Vnde Chryſoſt. ibi Homil. 22. ſit inquit: *Ad hoc potentiam accepimus vt ædificemus: Quod ſi quis obluctetur, & dimicet, atque ita affectus ſit, vt nulla ratione ſanari poſſit, tum demum altera quoque facultate vtamur, eum diruentes, ac proſternentes.* Theophylat. etiam ita exponit. *In promptu habemus pœnam, & vltionem.* Et infrà. *Præcipuè quidem ad ædificationem accepi* (vtique poteſtatem) *ſin quiſquam fuerit*

Chryſoſt. — Theophil.

fuerit incurabilis, demolitione vtemur. Et infrà. *Si voluero* (inquit) *gloriari, quod Deus aliquid amplius mihi dederit, vt poteſtatem habeam benefaciendi in primis, & quando cogor etiam puniendi, non erubeſcam, hoc eſt non monſtrabor arrogans, aut mendax.* Aq; eodem modo ad literam expounnt Theodoret. & alij Græci, & ex Latinis Anſelmus, & Caiet. ibi, & D. Auguſtin. epiſt. 50. dum hoc teſtimonio vtitur ad probãdum, poſſe Eccleſiam hæreticos pœnis ad reſipiſcendum cogere,

Theodor. Anſel. Caiet. Auguſt.

4. Per virgam in ſcriptura poteſtas coactiua ſignificatur.

Eandemque vindicandi poteſtatem nomine virgæ ſignificauit Paulus. 1. ad Corinth. 4. cùm dixit, *Vultis in virga veniam ad vos.* iuxta Scripturæ phraſim, *Reges eos in virga ferrea,* Pſalm. 2. & locis ſimilibus, & Pſalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt,* vt exponit Hieronym Zachar. 1. Idemque ſentit de prędictis verbis Pauli ad Galat. 6. Clariùs ita expoſuit Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeni. cap. 1. dicens, *Iam hic apparet, eum loqui de vindicta, ad cuius ſignificationem virgam nominauit.* Et Ambroſ. epiſt. 18. ad Marcelli. ſororẽ: *Quem virga ſacramentis abdicauit cœleſtibus, eundem manſuetudo reſtituit.* Et lib. 1. de Pœnit. cap. 12. *Quid eſſet in virga venire docet inuectio fornicationis, accuſatio inceſti, reprehenſio tumoris, poſtremo condemnatio rei.* Idem in ſententia habent Gregor. li. 1. epiſt. 4. & Tertullian⁹ lib. de Pudicit. cap. 14. vt expoſitores in eundem locũ prætermittam.

1. Cor. 4. Pſalm. 2. Pſal. 22. Hierony. Auguſt. Ambroſ.

5. Nec video, quid ad hæc loca reſponderi poſsit, niſi fortaſſe, vel Paulum loqui ad communem plebem Eccleſię ſibi ſubiectam, non de Regibus, qui ſuperiores ſunt: vel loqui de poteſtate ſibi ſpecialiter conceſſa, ex qua non licet, ad ordinarium Eccleſię regimen argumentari. Sed vtrumq; futile eſt. Cur enim ſermo Pauli Reges Chriſtanos, & inobedientes, & pertinaces non comprehendit? Num ne, quia tunc nulli erant in Eccleſia temporales Reges? At fortaſſe tunc etiam non erant in Eccleſia Angli; ergo etiam illos omnes non comprehendet? Vel fortè quia Reges sũt in potentia, & dignitate tẽporali altiores? at hoc non obſtat, quominus iugo Chriſti, & Eccleſiaſticæ poteſtati ſubditi ſint, vt oſtendimus; ergo ſi illa poteſtas coerciua eſt malorũ Chriſtiano-

Exploduntur euaſiones aduerſariorum.

A rum, teſte Paulo, eſt etiam punitiua Regum Chriſtianorum; vel ſi Rex Angliæ exemptum ſe eſſe gloriatur, aut ſe non Chriſtianum fateatur, aut priuilegium diuinum oſtendat, & exemptionem verbo Dei factam, alioqui à cauſa iure cadit, licet facto reſiliat. Quamuis autem poteſtas illa Pauli, quantum ſpectat ad perſonam, & Apoſtolicã dignitatẽ eius, cũ illo fuerit extincta, non ſequitur in Eccleſia non perpetuo manere, quia illa eadẽ poteſtas perfectiùs fuit in Petro ordinario iure, & vt ei ſuccederetur, quia ad munus paſcendi, & conueniens Eccleſiæ re-

B gimen neceſſaria erat, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt.

6. Poteſtas ligandi poteſtatem coerciuam includit.

Et confirmatur tandem ex poteſtate ligandi, & ſoluendi ſingulariter data Petro, nam poteſtas ligandi etiam poteſtatem coercendi, & puniendi includit. Et ſi aduerſarij hoc negauerint, oportet, vt exceptionem oſtendãt, nam Chriſtus vniuerſim loquutus eſt, dicens, *Quæcumq; ligaueris.* Accedit, quòd ipſemet Chriſtus ita poteſtatem illam interpretatus eſt, Matth. 18. Nam cum dixiſſet: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus,* ſubiungit: *Quæcumque* C *alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlis.* Quaſi diceret, ſi Eccleſiæ liganti non obedierit, ſit tibi tanquam ethnicus, quia non deerit in Eccleſia poteſtas ad ligandum ita efficiax, vt quod ipſa ligauerit, in cœlo etiam ligatum iudicetur. Et ita licèt Caluinus, & ſequaces locum hũc, ſicut cætera, deprauent, ex illo ſemper Eccleſia intellexit, eſſe in Paſtoribus ſuis poteſtatem coercendi, ſaltem per excommunicationis cenſuram, quæ eſt ſpiritualis pœna. Quod tempore Apoſtolorum eſſe in Eccleſia vſitatum, Paulus ſa-

Matth. 18

Excõmunicatio etiam tempore Apoſtolorũ fuit in vſu.

D tis oſtendit. 1. ad Corint. 5. & ita eſſe perpetua traditione ſeruatum, omnia iura, omnia Concilia, omnia decreta Pontificum, omnia Sanctorum Patrum ſcripta, denique omnes hiſtoriæ teſtãtur, vt ea in medium adducere ſuperuacaneum ſit. Maximè vero contra hæreticos eſſe neceſſariam huiuſmodi coercitionem, ſatis oſtendit Paulus ad Tit. 3. dicens, *Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionẽ deuita.* Et illud 1. Ioan. 2. *Nec Aue ei dixeritis.*

Ad Tit. 3. Ioan. 2.

7. Solùm id, quod ad cauſam maximè refert

Prædicatā cenſurā ſæpius in Reges, & Imperatores exercuerūt Pōtifices. Innoc.1. Nicephor. Gregor. Gregor.2. Baron.

A refert, non prætermittam nimirum, hac cenſura ſæpe vſos eſſe Pontifices contra Imperatores,& Reges, compertiſſimum eſſe. Innocent.enim.1.excomunicauit Arcadium,& Eudoxiam ob crimina contra Sanctum Chryſoſtomum cōmiſſa, vt patet ex vltima epiſtolarū eius & ex Nicephor.lib.13.cap.34.idemque retulit Gregor.7.lib.8.Regiſt.c.21.Gregorius.2.Synodico anathemate obſtrinxit Leonem Imperatorem cum ſectatoribus eius in euerſione imaginum, vt ex Zonara,& alijs refert Baroni.Ann. 726. num.24. Idemque poſtea Gregor.3.cōfirmauit, vt Platina refert. Idē Gregor. 7. Henricum 4. Imperatorem ſæpius ad monitum excommunicauit in Romana Synodo, vt habetur in libro 3. epiſtolar. eius. Epiſtola quinta,& decima. Illamq; ſententiam à ſucceſſoribus Pontificibus & à Concilijs cōfirmatam eruditè defendit Cardinalis Bellarmin. contra Barclaium cap.9. IdemqueGregorius.7.in alio Romano Concilio Imperatores, Reges, &alios temporales Principes vſurpantes inueſtituras Epiſcopatuum, vel aliarū dignitatum Eccleſiaſticarum, vinculo excommunicationis ipſo facto aſtrinxit, vt habetur lib.7.epiſtolar.poſt epiſtol. 14. Idemque Poloniam propter grauiſsimū Regis delictum in Sancti Stanislai occiſione commiſſum interdixit, vt eſt apud Baron.Ann.1079.nu.40. Preterea Alexand.3.Fridericum.1.Imperatorem ex cōmunicauit, vt refert Platina in Alexand.3. vbi etiam multa alia commemo rat, quæ hanc ſupremam poteſtatem in Pontifice oſtendunt. Poſtea Innocen. III. *Othonem quintum Imperatorem anathe mate notauit*, vt ait, Plati.in vita eius. Gregor. Nonus, 2. Fridericum.excommunicauit, vt habetur ex cap. *Ad Apoſtolicæ*, de ſentent.& re iud.in 6. Ioannes denique. 22. Ludouicum Bauarum intruſum Imperatorem excommunicauit, vt latè refert Alber. Pighius. lib.de Viſib. Monar.cap.14. Præterea poteſtatē hanc in Eccleſia ſupponit Concilium Latera. ſub Innoc. 3. cap.3. cùm iubet, vt ſi neceſſe fuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ſeculares poteſtates, quibuſcumque fungantur officijs, vt pro defenſione fidei publicè iuramentum præſtent,&c. Quæ forma ferendi cenſuras,

Bellarmin. Gregor. Baron.an. 1076.à n. Platin. Cap. Ad Apoſtolic. de ſent.& re Iudica in 6. Albert. Pi gh. Cōc. Late.

quæ Reges, Imperatores cōprehendant, frequentiſsima eſt,& non eſt nouiter vſurpata, ſed antiqua ſatis, cum in priuilegio quodam conceſſo àGregor.1.monaſterio ſancti Medardi inueniatur, vt poſt illius epiſtolas habetur. EumqueGregorij locū refert Alter Gregor. 7. idemque argumentū ex illo ſumit lib. 8. Regiſtr. epiſt.21.adHerimetenſem. Gregor.7.

8\.

Baſilius etiam Imperator eandem in Pontifice poteſtatem ſupra Imperatores in Octaua Synodo action. 6. confeſſus eſt, dicens, *Nicolaus Papa cum San*
B *cta Romanorum Eccleſia anathema pronunciauit contra reſiſtentes huiuſmodi decreto, atq; ſententiæ, Hoc autem nos olim ſcientes, & pauentes iudicium anathematis promulgari, obſecundare Synodico iudicio Romanæ Eccleſiæ neceſſarium duximus.* Eandem recognouit Philippus. 1. Rex Galliæ, qui excommunicatus ab Vrban.2.& poſtea à Paſchali reſipuit, & Romam pro ſolutione miſit, vt videri poteſt in Baron. an. 1100.& 1101. Eandē agnouit Ludouic. Rex Galliæ cùm adAlexandrum 3.ſcripſit.enixè poſtulans, vt contra Regem Angliæ pro morte Sancti Thomę Can-
C tuarienſis poteſtate ſua vteretur, Et Henricus ipſe Rex Anglię reſiſtere non eſt auſus, & pœnitentiam à Pontifice impoſitam humiliter ſuſcepit, vt Platina refert. Simile exemplū refert Petrus Bleſens, epiſt. 145. de Eleonara Angliæ Regina, quę in defenſionē ſuam, & filij ſui iniuſtè à Rege Gallię in carcere detenti auxilium Summi Pontificis,& vſum ſpiritualis gladij contra Regem poſtulauit. Denique eandem poteſtatem in Pontifice agnoſcebat Rex Anglię, qui Regem Galliæ ad Innocent.3.detulit, vt eū corriperet,&ſi ipſum audire nollet, excom-
D municaret, vt ex cap. *Nouit*. de Iudicijs colligimus, vbi pontifex habet illa verba, *Non intendimus iudicare de feudo*. Et infrâ. *Sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura, quam in quēlibet exercere poſſumus, & debemus*. Vnde de eodem Innocen.3. refertMatt.Pariſ. ann.1204. Ioannem Anglię Regem excommunicaſſe, & regnum ipſum interdixiſſe.

Baron. Platina. Pet. Bleſ. Cap. Nouit. de Iudit. Matt.Pariſ.

9\.

Quapropter ipſe etiam Marſil.Paduanus, vt referunt non eſt auſus negare, poſſe Pontificem coercere Principes, & Reges

Azor.2.p. Inſt.lib.4. cap.19.

Reges præſertim hæreticos per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, vel etiam interdicti, ſed negauit, poſſe vlterius contra illos procedere. Et Rex Iacobus in defenſione ſui iuramenti fidelitatis non tam acriter videtur reſiſtere poteſtati excommunicandi, quam temporaliter puniendi, ideoq; hoc maximè titulo illud iuramentum defendit, quod per illud non cogat ſubditos abiurare poteſtatem Papę ad excōmunicandum Regem, ſed ſolum ad priuandum illum Regio Dominio, ac poteſtate. Exiſtimat enim vt in Præfat. pag. 12. dicit, *Abdicandorū Regū ius nullo legitimo titulo Pontifici quæſitū eſſe. Et hanc*, quam vocat, *iniuſtam Paparū vſurpationem, & violentiam ſecularē excōmunicationis, quæ ſpiritualis cenſura eſt, longê, lateq́ excedere.* Ex quibus verbis ſatis conſtat non ita ſpiritualem cenſuram, ſicut temporalē coercitionem aduerſari.

10. *Poſſe Pontificem temporales reges pœnis etiam tēporalibus punire, oſtenditur.*

Supereſt ergo, vt & contra ipſum, & contra Marſilium, & alios vlterius procedamus, eandemq; Pontificis poteſtatē ad coercendos Reges temporalibus pœnis, ac regnorū priuationib⁹, quando neceſsitas poſtulat, extendi poſſe, oſtendamus. Quod eodem ferê diſcurſu ex eiſdē Scripturæ locis ſufficienter fieri poteſt. Nam Chriſtus Dominus dedit Petro, & ſucceſſoribus poteſtatem corrigēdi omnes Chriſtianos, etiam Reges, & conſequenter ſi inobedientes, atque incorrigibiles ſint, eos coercendi, ac puniendi, ſed hanc poteſtatem non limitauit ad cenſuras Eccleſiaſticas; ergo nec poteſt à nobis, vel ab aliquo Eccleſię Principe limitari, ſed ad ipſummet Romanum Pontificem pertinet decernere, & determinare pœnam conuenientem iuxta occaſionem, vel neceſsitatem occurrentē. Priorem propoſitionē ſatis iam probauimus, poſteriorem autem ex verbis Chriſti ſępe adductis, & rectè perpenſis oſtendere poſſumus. Nam verbum Chriſti: *Paſce oues meas*, indefinitum eſt, vnde quatenus in verbo paſcendi includitur etiam poteſtas coercendi, quæ in omni Paſtore neceſſaria eſt, talis poteſtas non definitur ad cenſuras, ſed relinquitur determinanda ad modum pœnæ, ſeu coercitionis per prudentiam, & iuſtitiæ ęquitatē. Nam quilibet Paſtor habet poteſtatem ad coercendas oues, non ſecundum deter-

A minatum modum, ſed prout fuerit conueniens, & expediens ouibus.

Deinde hoc etiam colligimus ex alijs Chriſti verbis: *Quodcumque ligaueris*, nam illa etiam generalia, & indifferentia ſunt. 11. Quod ſi quis dixerit Matt. 18, fuiſſe declarata, & determinata ad ligamen cenſuræ. Reſpōdemus, declaratū ibi eſſe in illa generali poteſtate ligandi includi excōmunicationis vinculum, non tamen ad illam ſolam pœnam imponendam poteſtatem illam limitari. Tum quia nulla talis limitatio ex illo contextu colligitur, B tum etiam quia licèt ibi ſolius excommunicationis facta ſit mentio, nihilominus aliæ cenſuræ ſub illam poteſtatē cadunt, vt interdictum, ſuſpenſio, & aliæ item Eccleſiaſticæ pœnę. Imò etiam vinculum præcepti, & legis ſub illa poteſtate includitur; & ex vi talium verborū poteſtas illa vt directiua eſt, non determinatur ad hunc modum directionis per perſonale præceptum, vel per ſtabilem legē hoc, vel illo modo obligantem, ſed omnē conuenientē directionem indefinite cōplectitur. Idem ergo eſt de coactione. Et ita ex illo loco colligit hanc poteſtatem C Innoc. 4. cum Concil. Lugdun. in cap. *Ad Apoſtolicæ*, de Sent. & re iud. in 6.

Refellitur euaſio quædam.

Innoc. 4. Cōc. Lugd.

Præterea poteſtatem hanc adumbratam eſſe in facto Petri, ad cuius increpationem Ananias, eiuſque vxor mortui ſunt, indicat Beda lib. 3, in Luc. cap. 40. dicens, verbis Apoſtoli Petri Ananiam, & vxorem eius cecidiſſe, quia expediebat in nouo etiam teſtamento fieri interdum, licèt rariùs, tales vindictas ad aliorū correctionem. Et in lib. 3. de Mirabilib. Sacræ Script. cap. vlt. dicitur nomine Auguſtini, id factum eſſe, vt *Apoſtolica authoritas quanta eſſet, oſtenderetur, & quam* D *magnū fuiſſet peccatum, & vt cæteri illo exēplo caſtigarentur.* Clarius Gregor. libr. 1. epiſt. 24. tractans de munere Paſtoris, & de benignitate, & ſeueritate, ac zelo iuſtitiæ, quem requirit, Petrum in exemplum adducit, dicens, *Hinc eſt namq́, quod Petrus authore Deo Sanctæ Eccleſiæ Principatum tenens, à bene agente Cornelio immoderatiùs ſe venerari recuſauit, & cum Ananiæ, & Saphiræ culpam reperit, mox quanta potentia ſuper cæteros excreuiſſet, oſtendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam ſpiritu ſcrutaute deprehendit, & ſummum ſe in*

12. Ex facto Petri idem colligitur. Beda.

Gregor.

in Eccleſia contra peccata recoluit. Itaq; licet factũ illud extraordinariũ fuerit, & ſpeciali Spiritus Sancti inſtinctu, ac virtute factũ, nihilominus vt infra ait Gregorius. *Zelus vltionis vim aperuit poteſtatis.*

13. Idem Paulo cap. … 1. Cor. 5.

Et eandẽ oſtendit Paulus. 1. ad Cor. 5. quãdo fornicariũ illũ non ſolũ excõmunicauit, ſed etiam *tradidit Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini:* quod enim ait, *in interitũ carnis,* clare indicat præter ſpiritualẽ cenſurã, etiam per corporalẽ vexationẽ fuiſſe punitũ, & ad pęnitentiã agendã coactũ, vt ſpiritus eius ſaluus fieret. Sicq; exponit locũ illũ Chryſoſt. ibi Orat. 15. dicens, ita fuiſſe illũ traditũ dęmoni ad interitũ carnis, ſicut Iob, licèt nõ pro eadẽ cauſa, vt *eũ flagellet,* ait, *malo vlcere, aut morbo alio.* Theophi. *Vt morbo eũ maceret, & tabeſcere faciat,* Anſelm. etiam licèt aliã expoſitionẽ adiũgat in hac magis perſiſtit. Nã in fine cap. 24. explicans actus *virgæ,* id eſt, Apoſtolicæ poteſtatis ad coercendũ ait, *Alios excõmunicando, alios durè increpando, alios corporaliter (vt decet patrem) flagellando.* Et poſtea c. 5. interitũ carnis ſignificare dicit, *validã corporis afflictionem per diabolũ factã.* Refertq; habuiſſe Apoſtolũ poteſtatem, *vt ſiquem excõmunicaſſet, ſtatim ille corriperetur à diabolo, & vexaretur quãdiu & quantum Apoſtolus vellet.* Qui modus vexationis ſingularẽ virtutẽ quaſi executiuã, vel dœmonis imperatiuam requirebat, quæ cõmuniter alijs nõ datur: ſed nihilominus ſupponit iuriſdictionẽ ad cogendum non ſola excõmunicatione, ſed etiam modis alijs. Eandemq; expoſitionẽ ſignificat Pacian. in Paręneſi de Pœnit. dum ex illo loco colligit, neceſſariã eſſe interdum corporis pœnam, & afflictionem, & ſimiliter Ambroſ. lib. 1. de Pęnit. cap. 12. quatenus cum afflictionibus Iob illum interitum carnis cõparat, ſicut fecit Chryſoſtomus. Igitur iuxta hanc Patrũ expoſitionẽ ex illo loco habemus Eccleſiaſticã correctionẽ, & vindictã nõ in ſola ſpirituali cẽſura ſiſtere, ſed etiã interdũ in corporis afflictione, ac proinde Paſtores Eccleſiæ temporali punitione in ordine ad ſpirituale bonum vti poſſe.

Chryſoſt. Theophil. Anſelm. Pacian. Ambroſ.

14. … Pontifices eandẽ veritatẽ cõfirmant.

Secundo poſſumus veritatẽ hanc authoritate, & praxi Eccleſiæ oſtendere. Nam ex his Pontificibus, quos Imperatores, & Reges excõmunicaſſe diximus,

A Gregor. 2. Romam cũ tota Italia à Leonis imperio recedere fecit, vt ex Theophane refert Baronius Ann. 730. n. 3. & 4. Idẽq; tribuit Gregor. 3. Sigebertus in Chronic. ann. 731. dicens, *Leonem Imperatorem erroris redarguit, & populum Romanum, & vectigalia Heſperiæ ab eo auertit.* Gregorius autem. 7. Henricum. 4. & imperio, & regno priuauit, vt conſtat ex ſententia ſupra citata, cuius hæc ſunt verba, *Beate Petre Apoſtolorum Princeps, inclina, quæſo, aures tuas nobis.* Et infra. *Hac itaq; fiducia fretus pro Eccleſiæ honore, & defenſione ex parte omnipotentis Dei Patris,* B *& Filij, & Spiritus Sancti per tuam poteſtatem, & authoritatem Henrico Regi filio Hẽrici Imperatoris, qui contra tuam Eccleſiam inaudita ſuperbia inſurrexit, totius regni Teutonicorum, & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo iuramenti, quod ſibi fecere, vel facient, abſoluo, & vt nullus ei ſicut Regi ſeruiat, interdico.* Similiter Innocen. 3. Othonẽ, quẽ excõmunicauit, *imperij titulis priuauit,* vt ait Platina. Itẽ Innoc. 4. in Conc. Lugdun. Fridericiũ ſecundũ Imperatorẽ à Grego. 9. iam excõmunicatũ, imperio priuauit, C non ſolũ ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluens, ſed etiã *Authoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquã de cætero ſibi tanquã Imperatori, vel Regi pareat, & intẽdat.* Et excõmunicationis cenſura ipſo facto ligãdo eos, qui deinceps illi tanquã Imperatori, vel Regi cõſiliũ, vel auxiliũ pręſtiterint, ſeu fauorẽ. Tandẽ Clemẽs 6. Ludouicũ Bauarũ, qui iniquè imperiũ occupauerat, iã à prędeceſſoribꝰ ſuis excõmunicatũ imperio deiecit, aliũq; legitimũ Imperatorẽ, nimirũ, Carolũ. 4. eligi fecit.

Greg. 2. Baron. Vide Sigoni. lib. 3. de Regno Italię an. 716. *Sigebert. Gregor.*

Innoc. 3. Cap. *Ad Apoſtolicæ* de ſent. & re iudi. in 6. *Platina. Innoc. 4.* *Clemens.*

15. Pręter hæc autẽ, quæ ad Imperiũ ſpectãt, in Regno Galliæ Zacharias Papa in D ſimili caſu titulũ regni à Childerico Rege in Pipinũ tranſtulit, vt eſt apud Grego: 7. li. 8. Regiſtri. epiſt, 21. c. *Alius.* 15. q. 6. Baron. ann. 751. in princi. & ann. 841. n. 3. Vbi etiã refert mutationẽ factã in regno Galliæ tẽpore Lotharij Imperatoris, & Ludouici, ac Caroli fratrũ, qui authoritate freti Epiſcoporũ, regnũ inter ſe diuiſerũt, & Lothariũ ob ſua ſcelera illo priuarũt. Bonifacius etiã 8. Philippũ Pulchrũ Galliæ Regem regno priuatum declarauit, & illa occaſione Extrauagant. *Vnam Sanctam,* de Maiorit. & obedient. edidit,

Zachar. papa. Gregor. 7. Baron. Bonifa.

Aemil. &refert Aemilius in vita eiuſdem Philippi, Gregor. item. 7. quando Poloniam propter Stanislai interfectionem interdixit, Regem Bonislaum regno priuauit, teſte Cromerio lib. 4. rerum Poloniæ. Inſigne verò exemplum in ipſamet Anglia habemus in Ioanne Rege, quem, cùm ingentia crimina contra Religionẽ, Sacerdotes, & alios innocentes committeret, & ab Inno. 3. ſæpius admonitus, vt Innoc. 3. inobediens, ac pertinax reſipere nollet, ſed potiùs quotidie deterior fieret, idem Innocentius poſt magnam cum Patribus conſultationem (vt Polydorus ait) Regia dignitate abdicauit, populoſq; illi ſub Polyd. iectos iure iurando abſoluit, & Chriſtianos Principes de ea re certiores factos, vt Ioãnẽ tanquã Eccleſiæ hoſtẽ perſequerẽtur admonuit. Qua ſentẽtia deterritus Ioannes, & imminentis periculi timore perculſus, tandẽ iurauit, ſe Põtificis arbitrio ſtaturum, & diadema capiti ademptũ Pandulpho Põtificis legato tradidit nunquam id ipſe, aut hęredes accepturi, niſi à Põtifice Romano. Hęc Polydor. lib. 15.

16. At verò hęc omnia, & ſimilia nõ temerè, nec in angulo, ſed aliqua ex illis in Cõcilijs frequentiſsimis, & aliquãdo in gene Cõc. Lug. rali, vt in Lugdunenſi acta ſunt. Et in conſpectu totius orbis Chriſtiani, à quo approbata, & executioni mãdata fuerũt; ergo incredibile eſt, fuiſſe actus vſurpatę, & nõ veræ poteſtatis. Accedit Cõc. Cõc. Late. Lateranenſe ſub Innoc. 3. cap. 3. eandem poteſtatem ſupponere, dicens; *Si Dñs tẽporalis monitus ab Eccleſia terram ſuã purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per metropolitanũ excõmunicetur. Et ſi ſatisfacere neglexerit intra annũ, ſignificetur hoc Sũmo Pontifici, vt ex tunc ipſe vaſallos ab eius fidelitate denunciet abſolutos, & terram exponat catholicis occupandam, &c.* Ex quibus omnib⁹ tale cõcluditur argumentũ. Vniuerſalis Eccleſia errare non poteſt in his, quæ ad fidẽ, & mores pertinent, ſed vniuerſalis Eccleſia conſenſit in huiuſmodi factis, & illa probauit tanquã conſentanea diuino, & naturali iuri, & ſimiliter approbat leges canonicas imponẽtes huiuſmodi pęnas Principibus tẽporalibus propter grauiſsima ſcelera, & contumaciã in illis, maximèq; in hęreſi, ergo tam eſt certũ, poſſe Põtificẽ, coercere, vel punire Principes tẽporales his pęnarũ generibus, quàm eſt certũ, non poſſe Eccleſiam in fide, & moribus errare.

Tertio declaratur ratione hęc veritas, nã duplici titulo erat neceſſaria hęc poteſtas in ſupremo capite, & Paſtore Eccleſiæ, ſcilicet, & propter ipſos Imperatores ſeu Reges, ac quoſuis tẽporales Principes, & propter populos illis ſubiectos. Priori titulo neceſſaria eſt hęc poteſtas, vt poſsit Pontifex, vel rebellẽ Principem corrigere, & emendare, vel etiã dignè punire. Vtrũq; enim ad Paſtorẽ pertinet: ſępe autẽ contingit, vt ſolę cenſuræ ad illos effectus nõ ſufficiant, vt diuturna experientia ſatis oſtendit; ergo neceſſario dicendũ eſt Chriſtũ Vicario ſuo hanc poteſtatẽ contuliſſe, cũ non minùs illũ conſtituerit Paſtorem Chriſtianorũ Principũ, quàm cæterę Chriſtianę plebis. Quo circa quod ad priorẽ titulũ attinet, quando vel ſolũ, vel prĩcipaliter agitur de emẽdatione Principis, qui peccauit, ſolẽt maximè Põtifices cenſura vti, quia illa eſt propria medicinalis pęna, de qua loquutus eſt Chriſtus Matt. 18. Quòd ſi cõtingat, Principẽ per cenſurã corrigi, & emẽdari, non ſolet Eccleſia ad rigoroſã vindictã per graues, & publicas pœnas contra eos procedere, poteſt tamen, & ſolet pęnas aliquas iniungere, tũ ad reſarcienda dãna, ſi quæ forte ab eis illata fuerunt, tũ etiã vt tam Deo, quàm vniuerſæ Eccleſiæ aliquã ſatisfactionẽ tribuãt. Nam reſarcire dãna, & illatas iniurias recõpenſare, nõ tam eſt pęna, quã reſtitutio quędã, & debiti ſolutio, quãuis coactio ad illam faciendã, poteſtatem ſuperiorẽ requirat. Præter hanc verò recõpenſationẽ ex iuſtitia cõmutatiua debitã, ratio cõmunis boni, & iuſtitię legalis poſtulat, vt aliqua pęna in vindictã delicti ad Eccleſiæ ſatisfactionẽ, & aliorũ exẽplũ, & timorẽ adhibeatur. Quãdo verò nõ obſtante cẽſura Rex cõtumax eſt, & incorrigibilis in delicto, tũc grauiores pęnę adhiberi debẽt, & huiuſmodi sũt ferè omnes caſus ſuprà enumerati, vt notauit D. Thomas. 3. lib. de Regimine Princip. cap. 10.

17. Ratione cõuincitur. Matt. 18. D. Thom.

18. Confirmatio. Et cõfirmari poteſt hæc pars, quia circa alios fideles, ſeu Chriſtianos baptizatos habet Eccleſia poteſtatẽ non ſolũ ad coercerdũ illos per cenſuras ad emendationem delicti, ſed etiã ad vindicãda delicta cõmiſſa per alias pęnas tẽporales, vel corpora-

A corporales ſecũdum modũ accommodatum Eccleſiaſtico iudici, & Paſtori; ergo eandem poteſtatem habent legitimi Eccleſiæ Prælati, & maximè Summus Pontifex in Principes temporales etiã ſupremos. Aſſumptum ex perpetuo vſu Eccleſiæ manifeſtum eſt: ſolent enim canones imponere pecuniarias pœnas interdum vſq; ad bonorũ confiſcationẽ. Interdum etiã imponũt pęnas corporales citra vitę aut membrorũ periculum, vt eſt flagellationis pęna, interdũ etiã vſq; ad dãnationẽ ad triremes, & quando neceſſaria eſt pęna ſanguinis, licèt Eccleſiaſtici iudices illam ferre nõ ſoleant propter ſtatus decentiã, poſſunt reũ cõmittere iudici ſeculari, ei præcipiendo, vt ſecundũ legum æquitatem illũ puniat. Quæ omnia maximè poſſunt in crimine hæreſis cõſiderari, Hęretici enim non ſolũ ab Eccleſia excõmunicãtur, & alijs ſpiritualibus afficiuntur pœnis, ſed etiã bonis omnibus tẽporalibus priuantur, non ſolũ per leges Imperatorũ, ſed etiam virtute canonũ. Ac deniq; ſi vel contumax fuerit, vel relapſus, per leges Imperatorũ capite punitur, per canones autẽ ſecularis iudicis arbitrio relinquitur, recepturus pro qualitate facinoris vltionem, iuxta cap. *Ad abolendam*, de Hæret. cum ſimilibus.

Cap. *Ad abolendã.* 19.

Has autem pœnas eſſe iuſtiſsimas Eccleſiæ vſus ſatis conuincit, & defendit optimè Auguſt. epiſt. 48. & 50. & lib. 3. contra epiſt. Parmeni. cap. 2, Eſſe autem neceſſariam in Eccleſia Chriſti, vt ab illo eſt inſtituta, hanc poteſtatem, ratio conuincit, quia ſi Eccleſiæ ſubditi non poſſent per huiuſmodi pœnas coerceri, facile ſpirituales contemnerent, & plurimũ ſibi, ac alijs nocerent. Nam vt dicitur Prouerb. 29. *Puer, qui relinquitur voluntatiſuæ, confundit matrem ſuam.* Vnde non eſſet res Chriſtiana conuenienter inſtituta, nec illi eſſet ſufficienter prouiſum, ſi nõ haberet poteſtatem cogendi rebelles, qui cenſuris obtemperare nollent. Nec ſatisfaciet, qui dixerit, ſatis eſſe, quod in Chriſtianis Principibus temporalibus ſit hæc poteſtas, tum quia etiam ipſi Principes poſſunt delinquere, & correctione indigere, vt iam dicam. Tum etiam, quia vindicta malefactorum per ſe ſolùm pertinet ad ciuiles Magiſtratus, quatenus politico fini, & paci Reipubli-

Auguſt.

[illegible] neceſſaria.

Tacita euaſio præcluditur.

cæ, & iuſtitiæ humanæ contraria ſunt; coercere autem illa vt ſunt religioni, & ſaluti animæ contraria, per ſe ſpectat ad ſpiritualem poteſtatem, & ideo ad illam maximè pertinere debuit facultas vtendi temporalibus pœnis ad talem correctionem, vel per ſe ſe illas inferendo, vel tẽporalis brachij miniſterio vtẽdo, vt omnia decenter, ordinatè, & efficaciter fiãt.

20\. Supereſt, vt priorem illationem probemus, nimirum, ſi in cæteros fideles inferioris ordinis poteſtatem iſtam habet Eccleſia, etiam in ſupremos tempo- B rales Principes, in Petro maximè, & ſucceſſoribus eius eam accepiſſe. Probatur ergo conſecutio ex principio ſupra poſito, quod hi Principes tam ſunt oues Petri, quàm reliqui omnes, neque temporalis dignitas, vel potentia eos reddit immunes, ſeu à tali poteſtate, vel pœna exemptos, quia neque ex Chriſti verbis neque ex aliquo alio principio, vel ratione colligi poteſt talis libertas, ſeu potius peccandi licentia. Quin potiùs multò magis neceſſaria eſt in Eccleſia poteſtas hæc ad coercendos huiuſmodi Principes, quàm eorum ſubditos. Primo quidem quia ipſi liberiores ſunt, & ita C facilius labuntur, & ſemel lapſi difficilius corriguntur. Deinde quia Principũ peccata, præſertim contraria fidei, & religioni, pernicioſiora ſunt, facilè enim ſubditos ad ſui immitationem pertrahũt, vel exemplo, vel beneficijs, ac promiſſionibus, vel etiam minis, ac terroribus. Propter quod merito dixit ſapiens Eccleſiaſtici. capite decimo, *Rex inſipiens perdet populum ſuum. Nam qualis eſt rector ciuitatis, tales & habitantes in ea.* Quod etiam ducti ratione, & experientia Philoſophi docuerunt, vt Cicero ex Platone D libro primo Epiſtolarum. Vnde idem Cicero. libro tertio de Legibus rectè etiã dixit, *Vitioſi Principes non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed etiam ea infundunt in ciuitatem.* Denique quia *Principes grauiùs, quàm cæteri delinquunt, & ideo etiam per Paſtores ſuos grauius puniri debent*, vt de ipſiſmet Paſtoribus dixit Gregor. in Paſtorali, part. tertia, capite quinto, & refertur à Nicolao Papa contra Lotharium Regem Gallię in Epiſt. ad eundẽ, & refertur in cap. *Præcipue* 11. q. 3.

Non magis eximuntur Reges à prędicta poteſtate coerciua Pontifici, quã cæteri.

Eccleſiaſt.

Cicero.

Greg.

Nicol. Pa.

21\. Atq; hinc tãdem facile oſtendi poteſt

alius titulus huius poteſtatis in Reges, nimirum, propter defenſionem ſubditorum, nam ad Paſtorem non ſolum ſpectat, oues errantes corrigere, vel ad ouile reuocare, ſed etiam lupos arcere, & ab hoſtibus defendere, ne extra ouile trahantur, & pereant: ſed iniquus Rex prę ſertim ſchiſmaticus, & hæreticus ſubditos conſtituit in magno periculo perditionis, vt ex proximè dictis notum factum eſt, & ideò Claudianus dixit; *Regis ad exemplum totus componitur orbis, Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.* Ergo ad Pontificis munus ſpectat, ſubditos hęretici, vel peruerſi Principis defendere, & ab illo euidēti periculo liberare, ergo Chriſtus, qui bene, & optimè omnia fecit, & inſtituit, hanc poteſtatem Petro contulit, eāq; ſub verbo *Paſce*, & ſub poteſtate ligandi, & ſoluendi cōprehendit. Ergo per illam poteſt, & talē Principem dominio ſuo priuare, & arcere, ne noceat ſubditis, & hos à iuramēto fidelitatis ſoluere, vel ſolutos declarare, quia illa conditio in tali iuramento ſemper intelligitur incluſa.

Claudian.

22. Qui titulus D. Thomę, & probatis Theologis, tam grauis, & efficax viſus eſt, vt per ſe ſolus ſufficiat ad priuandū Regem infidelem dominio, & poteſtate ſupra fideles, etiam ſi prior ratio vindictæ, & iuſtæ punitionis ceſſet. Nam iuxta Pauli doctrinam, *de his, qui foris ſunt*, Eccleſia non iudicat. Vnde colligunt ijdem Theologi, non poſſe Pontificem punire Regem ethnicum non baptizatum propter infidelitatem, vel alia peccata. Et nihilominus ſi habeat ſubditos fideles, poteſt eos à ſubiectione illius eripere propter morale, & euidens euerſionis periculum, vt docet D. Thom. 2.2. q.10. art.10. Et colligitur ex Paulo. 1. ad Corin. 6. reprehendit enim fideles, quòd apud infideles iudices litigarent, ſupponitque poſſe Eccleſiam creare iudices, qui inter fideles etiam in tēporalibus iudicent, ne ad infideles ire cogantur, & ad hoc ſuadendū ait, *Neſcitis, quia & Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* Quæ verba allegat Greg. li.7. epiſt.21. & ex illis infert. *Cui ergo aperiendi, claudendiq́ cœli data eſt poteſtas, de terra iudicare nō licèt? Abſit.* Hinc etiā cōiux fidelis ſeparari poteſt à coniuge infideli, ſi cū illo nō poſſit

Etiā ſi Pōtifex Regē ethicū punire nequeat, poteſt fideles ſubditos ab eius dominio liberare.

D. Tham. 1. Cor. 6.

Gregor.

A ſine iniuria creatoris habitare, iuxta doctrinā Pauli. 1. ad Corint. 7. Et ex eadem radice filij baptizati à patrū infideliū poteſtate, & cōſortio liberantur, ne illorū iterū inuoluātur erroribus, vt dicitur in Concil. Toletan. 4. c. 59. Ergo ſimili, vel maiori ratione priuatur Rex Chriſtianus, ſeu ſubditus Eccleſiæ ratione baptiſmi, poteſtate, & dominio in vaſſallos ſuos; ergo titulus eſt per ſe ſufficiēs, vt poſſit Pōtifex in hos Principes animaduertere, eoſq; regnis iure priuare, & ad hoc vti gladio aliorū Principū, vt ita gladius ſit ſub gladio, B vt ad propugnandam, & defendēdam Eccleſiam mutuo iuuentur.

1. Cor. 7. *Cōc. Tolet.*

23. Poſſem hoc loco alios titulos explicare, cōfirmare, ac defendere, quibus poteſt Romanus Pōtifex circa tēporalia iuſtis ex cauſis diſponere, vt fecit in trāslatione Imperij, & in inſtituendo modo electionis Imperatoris, & in eius adminiſtratione, cū vacat, & in alijs etiā caſibus in tēporalibus cauſis ius dicendo: verūtamen nec huiuſmodi operis breuitas hæc omnia proſequi permittit, nec intentioni noſtræ, ac inſtituto neceſſaria ſunt, & ideo ad alios authores, qui hæc eruditiſ- C ſimè diſputarunt, lectorem remitto.

CAPVT XXIIII.

Obiectionibus contra doctrinam ſuperiorum capitum ex Scriptura petitis occurritur.

1. VT Catholica doctrina, quā tribus præcedētibus capitibus oſtēdimꝰ, magis cōfirmetur, neceſſariū duximus, in fine huius libri nonnullis obiectionibus, quibus poteſtas Pōtificis in tēporales Principes impugnari ab aduerſarijs ſolet, ſatisfacere. Et quoniā copio- D ſe hoc præſtat Cardinalis Bellarminus in vltimo opere cōtra Barclaiū, ideo illas tantū obiectiones proponā, quę vel a Rege Angliæ inſinuātur, vel non nullā difficultatem habent, vel quarū reſolutio vtilitatē aliquā ad maiorē veritatis manifeſtationē afferre poſſit. Aduerto autem (quod in ſuperioribꝰ etiā monui) ſępe in his obiectionibꝰ cōfundi cauſā de Primatu, & poteſtate Pōtificis in laicos, cū cauſa de exēptione clericorū à iuriſdictione, & poteſtate clericorū, quę cōtrouerſię ſicut diuerſę ſūt ita à nobis (ſicut ab alijs catholicis

Bellarm.

Quæ obiectiones hic diſcutiātur

licis authoribus) diſputatione ſeparãtur, A & ideo õnia, quæ ad exẽptionẽ pertinẽt, in ſequentem librũ reſeruamus, & ibi obiectionibus peculiariter ad rem illam pertinentibus ſatisfaciemus. Quia verò exẽptio perſonę ipſiuſmet Pontificis Sũmi cum eius dignitate diuino, & naturali iure coniuncta eſt, omniſq; ſubiectio ad Imperatores, vel alios Reges, illius dignitatẽ obſcurare, & minuere videri poteſt, ideo prætermittere aliqua non poſſumus ex his quæ contra Pontificis immunitatem, ſummamq; ab omni humano iudicio exẽptionem obijci ſolent. Et quamuis ſuperior B poteſtas Pontificis in Reges, & Principes, tam in ſpiritualibus, quam in tẽporalibus diſtinctis aſſertionibus quaſi per partes, ſeu gradus à nobis declarata fuerit, quia tamen Rex indiſtinctè cõtra Primatũ loquitur, idcirco eodem fere modo obiectiones eius proponemus: reſpondẽdo autem, quid per vnamquanq; directè oppugnetur, diſtinctè declarabimus, atq; ita ſingula, quæ à nobis dicta ſunt, clariùs, & faciliùs defendemus.

2. Prima obiectio.

Prima ergo obiectio ex Scriptura ſumitur, duaſque habet partes, vnam ſcholaſtico more vocare poſſumus poſitiuã, C alterã negatiuam. Priorem indicat Rex in Præfat. pag. 14. dum in generali ait, authoritatem, & poteſtatem, quam Pontifices ſibi in tẽporalia Regũ iura vſurparũt, nihil aliud eſſe, quã ambitioſam tyrannidem contra authoritatem Scripturarũ: & de eadem dicit pag. 22. poteſtatẽ à Pontificibus iniquè vſurpatã cũ Scripturis pugnare. Quæ autem ſint hæ Scripturæ in illis locis nõ declarat, ſed ad Apologiam remittit, quã totam in authoritate Regum aſſerenda impendiſſe dicit. In Apologia verò ſolùm inuenio in pag. 25. & 129. quædam Scripturæ teſtimonia, in D quibus obediẽtia ad ſeculares Principes, etiã propter conſcientiam cõmendatur. Romanor. 13. cũ alijs, quę ex nouo teſtamento in principio huius libri ſatis à nobis tractata ſunt. Quibus ibi adiũgit multa ex veteri teſtamento, quæ duplicis ordinis eſſe aduerto. Quædam enim ſunt, in quibus obedientia Principũ etiam iniquorũ, & infideliũ vel promittitur, vel laudatur, aut præcipitur, vel alio ſimili modo ſtabilitur, vt eſt illud Ioſue, 1. *Quẽadmodũ Moyſi obediuimus in omnibus, ita & tibi obediemus.* & illud Ierem. 27. *Submittite corda veſtra ſubter iugũ Regis Babylonis, eiq; & populo eius ſeruite, vt viuatis.* Itẽ illud adiungit, quod Exodi. 5. filij Iſrael veniã abeundi à Pharaone ſupplicarũt, & quòd. 1. Eſdr. 1. ſimilem veniam à Cyro Rege Perſarũ impetrarunt. Et in hoc ordine annumerari debent alia teſtimonia Scripturæ, quæ poſtea ipſe congerit, in quibus varijs honoris titulis Regis dignitas in veteri teſtamento declaratur, nam Reges vocantur *filij altiſsimi, Dij, Vncti Domini, in Dei ſolio ſedentes, famuli Dei, angeli Dei, facti iuxta cor Dei, lumina Iſraelis, nutricij Eccleſiæ.* In alio ordine ponit facta quædam Regum Iſrael, de quibus cap. ſequenti dicemus.

Ioſue. 1. Ierem. 27. Exod. 5. 1. Eſdr. 1.

3. Ad teſtimõnia noui teſtamẽti reſponſio.

Veruntamen prędicta teſtimonia neque ad pręſentem cauſam aliquid conferunt, neque in ſe ſpectata difficultatem habent, vel controuerſiam, præter vnum quod peculiaris cuiuſdam quęſtionis occaſionem præbet: illa verò quæſtio eiuſmodi eſt, vt tradita veritas ab illius reſolutione non pendeat, quod per ſingula diſcurrendo, breuiter declaro. Nam in primis loca noui teſtamenti probant quidẽ, eſſe in Regibus veram iuriſdictionem ciuilem à Deo ipſo originem trahentem, ideoque Regem conuenienti modo honorandum eſſe, illique eſſe obediẽdum, non ſolùm ob timorem pœnæ, ſed etiam propter conſcientiam, quæ omnia ſecundum fidei doctrinam vera eſſe in principio huius libri docuimus. Inde verò nulla veriſimilitudine inferri poteſt, Reges nullum habere ſuperiorem, à quo in ſpiritualibus, & conſequenter etiam in temporalibus in ordine ad ſpiritualia, regantur, & ideo dixi, teſtimonia illa nihil ad præſentem cauſam pertinere. Quin potiùs neque ſatis ex illis locis conuincitur, Regum temporalium poteſtatem ita eſſe in ſuo ordine ſupremam, vt in temporalibus directè ſuperiorem non recognoſcãt; hoc enim, vt dixi, in rigore ad fidem non ſpectat, quamuis longe veriſsimum ſit, & Scripturæ ſacræ magis conſentaneum, ſicut etiam diſputando oſtendimus.

4. Ad teſtimonia veteris teſtamenti.

Neq; priora teſtimonia veteris teſtamenti aliquid amplius probant, nam ex eis ſolùm habemus, obediendum eſſe Regi, vel Principi, aut gubernatori

communitatis, vtique in foro ſuo validū præceptum ferenti. Hoc enim, & nihil aliud obtulerunt Ioſue filij Iſrael, cùm dixerunt, *Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi, tantùm ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe.* Verba autem Ieremiæ, ſi intelligantur de abſoluta Dei voluntate, qua decreuit dare filios Iſrael ſub verum Dominium, & poteſtatem Regis Babylonis, ad ſummum probant, obediendum eſſe temporalibus Regibus, ſicut de alijs teſtimonijs dictum eſt. Si verò ſolùm intelligantur de voluntate permiſſiua, qua Deus decreuerat permittere in pœnam peccatorum populi Iudaici, vt Rex ille potentia ſua, & facto potiùs, quàm iure, illum populum ſibi ſubiugaret, ſic verba illa ad rem nihil faciunt, quia non de vero Rege, ſed de tyranno in loco illo ſermo eſt, cui monentur Iſraelitæ ſubijcere colla, nō tam propter conſcientiam, quàm propter maiora mala vitanda, vt ſubiuncta verba indicant, *Seruite ei, & populo eius, & viuetis, quare moriemini tu, & populus tuus gladio, & peſte, & fame? &c.* Et iuuat etiam, quòd verba illa dicta ſunt à Propheta, priùs quàm populus in ſeruitutem Nabuchodonoſor redactus eſſet, & ita potiùs inducebat eos ad non reſiſtendum dominationi, & potentię eius, & conſequenter ad ſeruiendum ſaltem facto, quamuis iure non tenerentur. Eademque ratio eſt de alijs locis, ſiue Pharao, & Cyrus fuerint veri Reges populi Iudæorum, ſiue non, vel (quod perinde eſt) ſiue populus Iſrael iure teneretur veniam illam petere ad diſcedendum, ſiue tantùm de facto propter potentiam illorum Principum auſi non fuerint, ſine illorum venia, & volūtate diſcedere.

5. Prerogatiuæ à Rege Iacobo adductæ expenduntur.

Multo verò minus vrgent teſtimonia illa, in quibus varij tituli venerationis, & honoris Regibus tribuuntur, tum quia quidam illorum communes ſunt alijs, qui non ſunt Reges, quidam verò non omnibus Regibus conueniunt ſed fuerunt prerogatiuæ aliquarum perſonarum. Quod patet breuiter diſcurrendo per ſingula. Nam in primis titulum, *Filij Dei,* Regi temporali tribui, ſolùm colligit Rex Angliæ ex illis verbis, quæ de Solomone dixit Deus, ſecūdo Regum ſeptimo. (2. Reg. 7.) *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Hæc autem verba, vt ibi dicta ſunt, profecto non ſunt omnibus Regibus communia, ſed peculiarem promiſsionem Salomoni factam continent, vt patet, tum ex præcedentibus verbis, *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliā thronum regni eius vſque in ſempiternum,* tum ex verbis ſubiunctis: *Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, miſericordiam autē meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea, &c.* Ex quibus verbis apertè conſtat, verba illa: *Ego ero illi in patrem, &c.* in Saulem non conuenire, quamuis ille fuerit temporalis Rex electus à Deo immediate, ac ſine ſucceſsione authore Deo, Rex creatus: non eſt ergo excellentia illa communis omnibus Regibus, ſed ſingularis fauor promiſſus Salomoni.

Imò ſunt, qui putent, verba illa neque ipſi Salomoni in proprietatę conuenire, nec de illo ad literam dicta eſſe, ſed de ſolo Chriſto per Salomonem ſignificato, quia de Chriſto illa Paulus allegat ad Hebr. primo, & quia in ſolo Chriſto impletum eſt, quod ſtatim Deus promiſit, *Et fidelis erit domus tua, & Regnum tuum vſque in æternum ante faciem tuam, & thronus erit firmus tuus iugiter.* Sed licèt verum ſit, verba illa ſingulari quodam modo in Chriſtum conuenire, & de illo dicta eſſe, vel in hiſtorico, vel ſaltem in myſtico ſenſu, nihilominus negare non poſſumus, de Salomone ad literá eſſe dicta, id enim ex illo contextu, & ex tertio Regum primo, & 1. Paralipom. 22. & 28. apertè colligitur. Dicta autem de illo ſunt non propter ſolam Regis temporalis dignitatem, vel poteſtatem, aliàs de omnibus Regibus dicta fuiſſent; & Sauli conuenirent, quod falſum eſſe oſtenſum eſt, ſed vel propter ſingularem prouidentiam, regimen, ac protectionem, ſub qua Deus Salomonē aſſumere ſtatuerat, vel quia nunquam illum priuare regno decreuerat, etiam ſi peccaret, ſed vt filium caſtigare, vt ſuis verbis Deus ipſe ſatis declarauit. Vel certè quia Sanctum, & iuſtum illum facere decreuerat, & nomen filiorum Dei, iuſtorum potiùs, quàm Regum, proprium eſt. Nam Reges ſi impij ſint

ſint, filij Dei non ſunt. Ideòque ſi verba illa de filiatione Dei adoptiua intelligantur, conditionem habent adiunctam, *ſi perſeuerauerit facere præcepta mea, & iudicia*, vt expreſſè additur. 1. Paralip. 28. & infrà refertur dixiſſe Dauid Salomoni: *Si quæſieris eum, inuenies, ſi autem dereliqueris eum, proijciet te in æternum.* Hoc autem modo cuique iuſto verè dicitur nomine Dei, *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filiũ.* Quæ igitur prærogatiua tẽporalium Regum ex illis verbis colligitur?

1. Paralip. 28.

7. Reges non vocatur ſpecialiter Dij in Scriptura.

Alter titulus Regum, quem Rex magni facit, eſt, quia interdum *Dij* vocantur, & allegat Pſal. 81. *Ego dixi, Dij eſtis.* Sed vnde oſtendit Rex verba iſta de Regibus temporalibus ſingulariter dicta eſſe? certè oſtendere id non poteſt, cùm falſum ſit. Nam Chriſtus Ioan. 10. aliter illa verba expoſuit, cùm dixit: *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt.* Nam ſermo Dei non eſt factus ad ſolos Reges, ſed magis ad Prophetas, vel etiam ad omnes fideles, & maximè ad iuſtos. Vnde Auguſt. ibi tract. 48. de omnibus hominibus, qui per ſermonem Dei, filij Dei per participationem fiunt, Chriſti expoſitionem intelligit, & præſertim de fidelibus Iudæis, qui tunc in Deum credebant. Præterea initium ipſius Pſalmi, ſcilicet, *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, &c.* vix poteſt ad Reges accommodari, ad fideles autem, & Prophetas optimè, vel etiam ad Sacerdotes, maximè verò ad iudices, eorumque congregationem, nam ſubditur, *In medio autem Deos dijudicat, vſquequo iudicatis iniquitatem?* vt Euthymius, & alij notant. Sicut etiam Exod. 22. iudices Dij appellantur; ibi *Applicabitur ad Deos*, id eſt, ad iudices, & infrà: *Dijs non detrahes*, quanquam hoc de Sacerdotibus intelligit Chryſoſtom. Pſal. 137. in princip. dicens, ſolere Scripturã Sacerdotem vocare Angelum, & Deũ. Itemque de Sacerdotibus, & de iudicibus multi intelligunt verba Pſalmi 49. *Deus Deorum Dominus loquutus eſt*, & illa Pſal. 46. *Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.* Quæ verba poſſunt quidẽ Reges comprehendere, non tamẽ ſolos, ſed quoslibet magnates, vel potentes terræ, qui Dij dicuntur, non quia ſint, ſed quia ita dominari volunt, ac ſi eſſent Dij,

Ioan. 10.

Auguſt.

Exod. 22.

Chryſoſt.

Pſalm. 49. & 46.

A vel (ſi in bonam partem accipienda ſit appellatio) quia poteſtatem, & prælationem Dei ſpeciali modo participant. Quo quidem modo multò magis Sacerdotes, quàm Reges Dij per participationem appellari poſſunt.

Tertia nota Regum eſt, quia *Vncti* appellantur. 1. Reg. 24. At hæc appellatio multò frequentiùs Sacerdotibus tribuitur, quia per vnctionem conſecrabantur, vt eſt notum Exod. 29. Leuit. 4. & 8. Vnde cum Pſal. 104. dicitur, *Nolite tangere Chriſtos meos*, non ſolùm Reges, ſed

8. Frequetius Sacerdotes, quã Reges Vnctivocãtur in Scriptura.

B etiam Sacerdotes comprehenduntur. Et ideò fortaſſe (quod notandum eſt) 2. Machab. 1. vtrúque cõiungitur, cùm de Ariſtobolo dicitur, *qui eſt de genere chriſtorũ ſacerdotum*, vel ad diſtinctionem chriſtorum Regum, vel ad diſtinctionem eorum ſacerdotum, qui chriſti non erant, vt inter gentiles, vel in lege naturæ exiſtebant. Denique vnctio externa nullã de ſe confert poteſtatem, nec aliam indicat dignitatem, niſi illam, ad quam ſignificandam imponitur; ſi ergo Rex loquitur de chriſto, vel vncto hac externa vnctione, vnde probat nobis, vnctionem Regum ſignificaſſe poteſtatem eorum

Exod. 29. Leuit. 4. & 8. Pſal. 104. Macab. 1.

C ſupra Pontificem, vel in res Eccleſiaſticas, & non potiùs per vnctionem Pontificis ipſius Primatum, & excellentiam ſupra Reges ſignificari? nulla profectò ratio reddi poteſt. Veritas autem eſt, ex vi ſolius vnctionis neutrum ſignificari, aut poſſe probari, ſed ex alijs principijs colligendum eſſe. Quòd ſi non de ſola exteriori vnctione, ſed de inuiſibili, & interiori ſit ſermo, cùm illa fiat per internam Spiritus Sancti gratiam, ſic non ſoli Reges, ſed omnes iuſti, & aliquo modo omnes fideles vncti poſſunt appella-

D ri, & de illis etiam intelligi poſſunt citata verba, *Nolite tangere chriſtos meos*. Neq; etiam omnes Reges hoc modo chriſti dici poſſunt, & clarum eſt, Dauidem in loco allegato cùm de Saule loqueretur, non in hoc ſenſu chriſtum illum appellaſſe.

Quarta prærogatiua eſt, *in ſolio Dei ſedere* ex 2. Paralip. 9. ibi, *Sit tibi Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum*. Sed in primis in verbis illis *Thronus Dei* nihil aliud ſignificat, niſi regimen populi Iſrael, ſeu

9. Hæc laus ſpecialiter Regibus Iſrael attributa eſt.

regni ſedem in illo populo. Nam ſicut populus ille ſingulari modo dictus eſt populus Dei, quia illum ſingulariter elegit, ac ſanctificauit, & peculiarem illius curam ſuſcepit, iuxta illud Exodi. 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, & regnum ſacerdotale, & gens ſancta*, ita regnum eius dicitur thronus Dei, & frequentius appellatur thronus Dauid, &

3. Reg. 1. & 2. thronus Iſrael. 3. Reg. 1. & 2. ac ſæpe alibi. Vnde ſicut dixit Deus Samueli. 1.

1. Reg. 8. Reg. 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnē ſuper eos*, ita thronus illius regni dici etiā potuit thronus Dei, quia Reges illius regni, & à Deo facti ſunt, & quodāmodò in regimen, ac curam illius regni pro Deo ſubſtituti ſunt. Illa ergo laus ſic intellecta non eſt communis omnibus Regibus, ſed propria Regum Iſrael, neque in illis aliam excellentiam, vel poteſtatem, ſed ſolam ciuilem illi peculiari populo, ſpeciali modo, ac electione à Deo datam, ſignificat.

Reges ciuiles ſoli ciuili throno inſident.

Deinde licèt omnes Reges dici poſsint ſedere in ſolio Dei, quia miniſtri Dei ſunt, & ab eo poteſtatem habent, quid inde habetur, niſi poteſtas Regum temporalis, & ad ſummū in ſuo ordine ſuprema? Nam in hac ſignificatione non vnus tantùm datur Dei

Nazianz. thronus, ſed multiplex, quia vt Naziāz. dixit, *etiam Epiſcopus thronum ſuum habet, in quo poſitus eſt regere Eccleſiam Dei*. Actor. 20. Datur ergo thronus temporalis, & thronus ſpiritualis, & thronus poteſt eſſe ſub throno, vel in eodem ordine, vt Epiſcopus eſt ſub Pontifice, & Rex interdum ſuo modo ſub Imperatore; vel in diuerſo, & ſic thronus temporalis eſt ſub ſpirituali, quia licèt vterq; ſit Dei, ſeu à Deo, tamen *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*.

10. Quinta excellentia Regum ponitur, quod ſunt ſerui Dei, & ita appellantur. 2. Paralip. 6. At hæc duobus modis poteſt Regibus attribui.

Excellētius multò ſacerdotes vocantur Dei miniſtri, quam Reges.

Primo eo ipſo, quòd Reges sūt, quia ſunt miniſtri Dei, cui præcipuè in munere ſuo ſeruiūt, vel ſeruire debent: & hoc quidem modo prę rogatiua illa Regibus omnibus cōuenit; multò verò magis, & nobiliori modo ſacerdotibus, & Pontificibus, quia in rebus maioris momenti, & excellentioris ordinis Deo miniſtrant, & ab ipſo immediatius in eo munere conſtituti ſunt, &

A ideò Paulus ſic inchoat epiſtolam ad Roman. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti*, & epiſtolam ad Philip. *Paulus, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti*, & ad Titum, *Paulus ſeruus Dei, Apoſtolus autem Ieſu Chriſti*, & eodē modo loquuntur Petrus, & Iacobus, & Iudas in principio ſuarum Epiſtolarum, & Ioannes Apocalypſ. 1. Actor. verò 4. ac 17. Prædicatores Euangelij ſerui Dei appellantur; imò etiam vocantur *diſpenſatores myſteriorum Dei*. 1. ad Corinth. 4. imò & adiutores, & miniſtri. 1. ad Cor. 3. *Paulus.* *1. Cor. 4.* *1. Corint. 3.*

Alio verò modo ſerui Dei appellatio

B dicitur ratione obedientiæ ad Deum, & obſeruantiæ præceptorum eius, iuxta illud ad Roman. 6. *Nunc autem liberati à peccato, ſerui autem facti Deo*. *Roman. 6.* In quo ſenſu abſque dubio Salomon Patrem ſuum vocauit ſeruum Dei in dicto loco Paralipom. & ſic neque omnes Reges ſunt ſerui Dei, ſed tantùm pij, Deoq; obſequentes, neque ſoli Reges, ſed omnes liberati à peccato ſunt ſerui Dei, vt ex dictis verbis Pauli, & ex frequentiſsimo vſu Scripturæ manifeſtum eſt. Igitur hæc appellatio nullam peculiarem excellentiam in Regibus denotat.

C Sextò ponderat Rex nomen Angeli interdum Regibus tribui, ſolumque adducit locum. 2. Reg. 14. vbi mulier quædam dixit ad Dauid, *Tu Domine mi Rex ſapiens es, ſicut habet ſapientiam Angelus Dei*, quæ ſuperiùs etiam dixerat, *Sicut Angelus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, vt nec benedictióne, nec maledictione moueatur*. 11. *2. Reg. 14.* Poſſumusq; ſimilem locum addere ex 1. Reg. 29. vbi Achis dixit ad Dauid, *1. Reg. 29.* *Scio, quia bonus es in oculis meis, ſicut Angelus Dei*. Veruntamen hæc non omnibus Regibus, ſed vni tantùm Dauid, &

D non propter dignitatem Regiam, quam in poſteriori loco allegato nondum cōſequutus fuerat, ſed propter peculiares rationes in ipſo inuentas illi dicta fuerunt; videlicet, propter ſapientiam, lenitatem animi, & morum probitatem; perſona ergo illius Regis, non ipſa Regia poteſtas inde commendatur. Accedit, in illis locis non appellari Dauid Angelum, ſed in aliqua proprietate Angelo comparari, quod longè diuerſum eſt, vt per ſe conſtat.

Dauid non Angelus vocatus, ſed in aliqua proprietate ei æquiparatus fuit.

Neque illa comparatio ſecundum æqualitatem, ſed ſecundum quandam imitatio- 12.

tationem, ſeu proportionem etiam analogam accipienda eſt. Sic enim particula *Sicut*, frequenter in Scriptura accipitur, vt Ioan. 17. *Vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus*, & Matt. 5. *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter perfectus eſt*. Eſtque ſimillimus locus Actor. 6. vbi de Stephano dicitur, *Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli*. Per quæ verba neque Stephanus Angelus appellatur, neque aliqua poteſtatis excellentia indicatur, ſed ſola mirabilis pulchritudo, aut fulgor, ſeu luminis ſplendor, qui tunc in facie eius apparuit. Eſt enim illa phraſis Hebraica, qua excellentia alicuius virtutis, vel pulchritudinis ad inſtar Angelicę exaggeratur, vt eſt vulgare. Sic ergo in dicto loco mulier illa voluit laudare ſapientiam Dauid, non illum Angelum vocare. Vnde ſi verè, & in rigore loquamur, nullus eſt in Scriptura locus, in quo nomen Angeli, vel omnibus Regibus, vel alicui temporali Regi tribuatur, cùm tamen de Sacerdote ſcriptum ſit Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt*, vbi Cyrill. Alexand. *quia voluntatem Dei perſpicuè nunciat, & legem ſermonis hortatricem habet*, & Hieronymus, *Sacerdos Dei Angel⁹ dicitur, quia Dei, & hominum ſequeſter eſt, eiusq; ad populum nunciat voluntatem*. Ergo ex Angeli appellatione multò magis ſacerdotalis dignitas, quàm Regia commendatur. Nam licèt ſacerdos per metaphoram, ſeu analogiam Angelus dicatur, fundatur tamẽ proportio in ipſo munere, ſeu dignitate ſacerdotali, non in aliqua proprietate in alicuius ſacerdotis perſona inuenta, ſicut de perſona Regis Dauid explicatum eſt.

Ioan. 17. Matt. 5. Actor. 6.

Reges nullibi Angeli appellantur Sacerdotes verò maximé.

Malach. 2. *Cyr. Alex.* *Hieron.*

13\. Eundem paralogiſmum committitur, cùm ex eo, quod de Dauid dixit Samuel: *Quæſiuit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuũ*. 1. Reg. 13. infertur, Reges vocari factos iuxta cor Dei, quæ aperta eſt fallacia, tum quia ibi non dicitur Dauid factus iuxta cor Dei, quando factus eſt Rex, ſed dicitur inuentus vir ſecundum cor Dei, & ideò aſſumptum eſſe à Deo, vt eſſet Dux populi; ergo non poteſtas Regia fecit illum ſecundum cor Dei, ſed gratia, quam Deus illi priùs contulit, vt iam factum ſecundum cor ſuum, Regem etiam faceret. Igitur non rectè inde infertur aliqua excellentia poteſtatis Regiæ, ſed ſolùm oſtenditur æquitas electionis Dei, & ſingularis electio gratiæ circa perſonam Dauid. Vnde non minorem dignitatem, & poteſtatem Regiã Sauli contulit Deus, cum tamen illum non inuenerit ſecundum cor ſuũ. Nam quia ille talis non fuit, illum repudiauit Deus, dicẽs, *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum*, vt dicitur Act. cap. 13.

1. Reg. 13 *Actor. 13*

14\. Quòd ſi quis dicat, Regem propter ſimilitudinem, & participationem poteſtatis dici factum ſecundum cor Dei, & ita conuenire omnibus Regibus. Reſpondemus in primis, hunc non eſſe ſenſum illius loci, vt probatum eſt; imò neq; inueniri locum in Scriptura, in quo id fundari poſsit. Deinde addimus, licèt id gratis cõcedatur, nihil amplius inde probari, quàm Regem participare peculiari quodam modo poteſtatem Dei, aut Regiam inſtitutionem eſſe placitam Deo, & ab eius prouidentia originem ducere. Sed hoc quid attinet ad comparationem cum dignitate ſacerdotali, vel Pontificia poteſtate? cum hæc multò magis ſit ſecundum cor Dei, quia & illi placet magis, & altiori modo ab ipſo ducit originẽ. Imò ſi de Iſraelitico populo loquamur, ſpeciali ratione Pontificia dignitas, magis, quàm Regia dignitas fuit ſecundum cor Dei: nam priorem ex ſolo ſuo beneplacito, & ſapientia Deus inuenit, & inſtituit; poſteriorem autem quaſi coactus ad populi petitionem conceſsit, vt ex 1. Reg. 8. ſumitur. Multòq; maiori ratione in Chriſtiano populo Pontificatus dici poteſt ſecundum cor Dei, quia, & eſt diuinior, & altioris ordinis, & à Deo etiam ex maiori prouidentia, & beneuolentia Eccleſiæ ſuæ conceſſus.

Euaſio quædam impugnatur.

1. Reg. 8.

15\. Neque eſt multum diſsimile argumẽtum, quod ex octauo titulo Regis ſumitur, ſumpto ex 2. Reg. 21. vbi Dauid appellatus eſt à ſuis ſubditis *Lucerna Iſrael*. Nam etiam verba illa (vt ibi ſenſit Abulenſis) intelligi poſſunt ſpecialiter dicta de perſona Dauid in quem totius populi oculi tanquam in lucernam intenti erãt propter ſingularem virtutem, & fortitudinem eius, & ideò valde timebant, ne extingueretur, ideſt, interficeretur, quia per illum magna Dei beneficia ſperabãt.

2. Reg. 21 *Abulenſ.*

Sed

Sed demus, propter eminentiam dignitatis Regiæ lucernam appellari, & ſub eadem metaphora nomen illud Regibus omnibus conuenire, quid inde contra Pontificiam eminentiam colligi poteſt? cùm Chriſtus Apoſtolis, & conſequenter etiam ſucceſſoribus ſuis dixerit: *Vos eſtis lux mundi*, quod multò maius eſt, quàm eſſe lucernam, ac ſubinde in metaphora perſiſtendo maiorem dignitatem indicat.

Ex eo quod Reges lucernæ appellãtur, nulla ſpiritualis poteſtas eis tribuitur.

16. Vltimum titulũ ſumit Rex ex Iſaiæ cap.49. vbi de Eccleſia ex gentibus congreganda prædixit: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ*, tacitèq; interpretatur, Reges vocari nutricios propter eminentiam poteſtatis, quam in Eccleſia Chriſti, & in Eccleſiaſticis rebus habituri erant. Sed in primis Hieronymus ibi de Apoſtolis, & Apoſtolicis viris locum exponit, ſenſus autem videtur myſticus. Fatemur ergo, ad literam eſſe ibi ſermonem de Regibus gentium ad fidem Chriſti conuertendis, negamus tamen, ibi extolli eorum poteſtatem, ſed futuram pietatem. Qualis fuit in Conſtantino, Carolo Magno, & fuit etiam, & nunc eſt in noſtris Catholicis Regibus, qui totis ſuis viribus in adiuuandis fidelibus, & in vera Chriſti Eccleſia tuẽda, & propaganda, incumbunt. Et hoc ſignificauit Auguſtinus de Vnit. Eccleſ. cap.7. cùm dixit, ab Eſaia prædictum eſſe, Reges terræ, qui prius perſequebantur Eccleſiam, poſteà eius adiutores futuros fuiſſe. Addit prætereà Cyrillus Alexandrin. lib.4. in Iſaiã, & optimè prophetiam illam eſſe impletam, quia *licet videre propter Dominorũ pietatẽ, honore affectos, & omni miſericordia dignatos eos, qui in Chriſtum crediderunt, adeò, vt nihil aliud quàm eorum alumni eſſe videantur*. Accedit, quod ipſum metaphoricum nomen *nutricij* nihil aliud ſignificat, aut indicat, quàm curam nutriendi, & promouendi prolem, iuxta illud Paul. 1. ad Theſſalo. 2. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.*

Hieron. *Auguſt.* *Cyr. Alex.* *1. Theſſal. 2.*

17. Vnde non ſolùm Reges, ſed etiã Apoſtoli, & Pontifices dici poſſunt Eccleſiæ nutritij prout Hieronymus voluit, & Paulus indicauit, ſed longè diuerſo modo: nam Reges per ſe (vt ita dicam) ſunt nutricij in temporalibus, Apoſtoli verò

Reges ſunt Eccleſię nutricij in tẽporalibus, Pontifex verò in ſpiritualibus.

A in ſpiritualibus. Iuxta illud Pauli. 1. ad Corint. 3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* Et ita Pontifices per ſe nutriunt Eccleſiam, vt Eccleſia eſt, Reges verò, vt ciuilis, ſeu politica congregatio eſt. Quia verò id, quod ſpirituale eſt, ſupponit id, quod eſt animale, ideò per bonum ciuile regimen, & per temporalia beneficia Eccleſia multum in ſpiritualibus adiuta eſt, ideoque boni, ac pij Reges Eccleſiæ nutricij appellati ſunt. Illud enim nomen magis eſt benignitatis, & condeſcenſionis, quàm potentiæ, B & maieſtatis. Sub qua metaphora Deo etiam tribuitur Oſeæ. 2. & alijs locis. Et hunc eſſe ſenſum verborum Iſaię declarant verba ſequentia, vbi de eiſdem Regibus ſtatim ſubiungitur; *Vultu in terram demiſſo adorabunt te*, id eſt, Eccleſiam, ſeu Chriſtum in ea, vt Patres exponunt. Nam quia Chriſtus eſt caput Eccleſiæ, ait Hieronymus, rectè Chriſtus adoratur in corpore, & præſertim in Vicario ſuo. Rectè ergò intelligimus, prophetiã illam ad literam impletam eſſe in Imperatoribus, & Regibus oſculantibus pedes Põtificis vultu in terram demiſſo, quod C multi præſentes, & coram fecerunt, alij per epiſtolas paratum animum oſtendebant, & ſpecialiter Rex Angliæ Eduardus in Epiſtola ad Clementem VI. Cui conſonat aliud eiuſdem Prophetæ vaticinium: *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.*

1. Cor. 3.

Cõſtat igitur manifeſtè, ex huiuſmodi notis Regiæ dignitatis nihil aliud colligi, quàm Regibus deberi honorem, & obedientiam intra ſuam ditionem, & in materia illi ſubiecta, quod nullus eſt qui neget, non verò licet indè inferre aliquid D quod Pontificiæ dignitati deroget. Nam omnes illi tituli Sacerdoti, & præſertim Summo Pontifici excellentiori modo conueniunt, vt obiter declaratum eſt. Et prætereà Sacerdotes, & Apoſtoli dicuntur Eccleſiæ fundamenta, ſal terræ, lux mundi, miniſtri Chriſti, diſpenſatores myſteriorum Dei, adiutores Dei, parentes, ſeu genitores filiorum Dei, ad Galat. 4. & 1. ad Cor. 4. mediatores inter Deũ, & homines, legati Chriſti, & Dei. 2. ad Corinth. 5. & ad Epheſ. 6. clauigeri regni cœleſtis, ac proinde thronum Regale habentes,

18. Prærogatiuas à Rege inductas nihil cõtra ſupremam Põtificis poteſtatem conducere concluditur.

Galat. 4. *1. Cor. 4.* *2. Cor. 5.* *Epheſ. 6.*

bentes, non terrenum, ſed cœleſte, vt dixit Chryſoſt. Homil. 5. de Verb. Iſaiæ. Denique à Chriſto, & Apoſtolis Paſtores nominantur; vtiq; rationalium ouiū, id eſt, duces, & rectores gregis Chriſti, vt dixit Ambroſ. lib. 2. in Lucam, & lib. 1. de Dignit. Sacerdotal. c. 2. Potuiſſetq; Rex Angliæ nomenclaturam hanc etiā Regi tribuere, quia Dauidi dictum eſt: *Tu paſces populum meum Iſrael*. 2. Reg. 5. & inde poſſet contra nos apparentius argumentum ſumere, quia nos ex verbo paſcendi Petri poteſtatem colligimus. Sed ad hoc etiam facilè reſpondemus, verbum paſcendi, cùm metaphoricum ſit, diuerſa poſſe ſignificare, & iuxta ſubiectam materiam, & alia Scripturæ loca, & Patrum interpretationem intelligendum eſſe. His autem modis manifeſtum eſt, dictum de Dauid ſolum ſignificaſſe gubernationem ciuilem, & temporalē, vt ibidem, & cap. 7. ſtatim explicatur, cùm dicitur, *Vt ſit dux ſuper populum meū Iſrael, &c.* Dictum autem de Petro ſignificat altiorem, & ſpiritualem guberna tionem per poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi, & claues regni cœlorum, quibus neceſſe eſt temporales Reges ſubijci, ſi cœleſte regnum conſequi velint.

Chryſoſt. *Ambr.* *Euaſio.* *2. Reg. 5.* *Solutio.*

CAPVT XXV.

Alteri obiectioni ex factis Regum, quæ in veteri teſtamento narrantur, ſumptæ ſatisfit.

1. PRO fundamento huius obiectionis conatur Rex ex Scriptura oſtēdere, Reges in Iudæorum populo *cuncta moderatos eſſe*, quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoquo modo pertinent. Quia cùm credendum non ſit, eos iuriſdictionem à Deo non datam vſurpaſſe (cùm Reges etiam iuſti, & ſancti actiones illas exercuerint) rectê infertur, poteſtate Regia omnia feciſſe. Vnde vlteriùs etiam efficitur, idem poſſe nunc Reges in Eccleſia Chriſti, tum quia neque illi antiqui Reges aliam poteſtatem habebant, præter Regiam; neque nunc minor eſt Regum poteſtas, quàm tunc fuerit.

2. *2. Paralip. 14.* Vt ergo fundamentum illud ſuadeat, inducit in primis locum. 2. Paralip. 14. vbi tria de Rege Ioſaphat referuntur. Primum, *Abſtuliſſe lucos de terra Iuda. Egreſſum eſſe ad populum ſuum, & reuocaſſe ad Dominum Deum Patrum ſuorum.* Item in Hieruſalem, *conſtituiſſe Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium, & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius.* Ex his autem nihil colligi poteſt, nam lucos auferre, ſeu idola, quod & alij Reges Iſrael fecerunt, Aſa. 3. Reg. 15. & Ezechias. 4. Regum. 18. Hoc (inquam) etiam ad Reges temporales ex officio pertinet. Nam colere idola eſt contra rationem naturalem, & cōtra commune bonum humanæ ciuitatis, ſeu reipublicæ. Vnde etiam ſecluſa fide Reges gentium ad hoc ipſum tenerentur, ſi naturali lumine rationis conueniēter vti vellent, maiorique ratione ad hoc tenentur Reges fideles, ſiue in lege veteri, ſiue nūc in lege gratiæ. Illa ergo actio non eſt propria ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſed communis vtrique, ſeu vtriuſque fori, vt aiunt, quia ad finē vtriuſque poteſtatis conducit. Maximê vero quoad executionem eius ſolet eſſe neceſſaria potentia Regum, vt erat reuera in populo Iſraelitico propter duritiā eius, & ideo maximè laudantur Reges, qui idola deſtruxerunt, qui vero illa induxerunt, vel in eis euertendis fuerunt negligentes, maximè reprehenduntur, & notantur. Ex illa ergo actione nihil colligitur, vt magis ſtatim in alia ſimili declarabitur.

Obijciūtur variæ actiones Regū. *Reſponſio ad ſingulas.* *3. Reg. 15.* *4. Reg. 18.* *Iure naturali tenentur Reges idola auferre.*

Et ad hoc genus actionis ſpectat, quod multi ex Regibus populi Iudaici reprehenduntur, eo quod excelſa non abſtulerint. Siue enim illa *excelſa* fuerint aliqua idola in excelſis montibus, vel collibus ad cultum poſita, ſiue fuerint quælibet altaria in varijs montibus, aut locis extra templum, ſeu locum tabernaculi ad immolandum etiam vero Deo erecta, ferè ſemper illa vox in Scriptura in malam partem accipitur, & ſignificat locū, in quo indebitê, & ſuperſtitioſê ſacrificabatur. Quia vel idolo immolabatur, vel ſi vero Deo, non ſecundum voluntatem eius, id eſt, non in loco ab eo deputato, id eſt in templo iam ædificato, vel anteà in loco tabernaculi. De quo videri poteſt Abulenſis. 3. Reg. 3. q. 3. Illo igitur modo, quo poſſunt, & debent Reges 3.

Abulenſ.

ges idola euertere tenebantur etiam Reges Iſrael *excelſa* auferre, non tanquam Pontifices, ſed tanquam executores, & adiutores Pontificum. Et ideò in illis cõtraria negligentia ſpecialiter reprehenditur, quia poteſtate ſua efficaciùs valebant illa deſtruere, quàm Pontifices doctrinis, vel præceptis ſuis, & prætereà, quia de Regibus ibi præcipuè hiſtoria texebatur.

4. Ioſaphat per Sacerdotes populum ad Deum reduxit.

Idem ferè in ſecunda actione conſiderari poteſt. Cùm enim ibi dicitur, *Ioſaphat rurſum egreſſum eſſe ad populum ſuũ & reuocaſſe illum ad Deum*, non per ſe ipſum, ſed per nuncios, vel miniſtros aliquos id feciſſe, intelligendum eſt, vt cõmuniter ibi interpretes notant. Nam illa particula *Rurſùm*, iam priùs iterum egreſſum fuiſſe indicat, non legitur autẽ alius egreſſus Ioſaphat ad populum ſuum pręter id, quod legitur. 2. Paralip. 17. ſcilicet, *Tertio anno regni ſui miſiſſe de Principibus ſuis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes*: hoc ergo ipſum dicitur in cap. 19. iterùm feciſſe, ſcilicet, miſiſſe, qui circũirent cunctas ciuitates ad docendum, & erudiendum populum in lege Domini. Hæc autẽ actio, licèt per ſe, & ex officio pertineat ad Põtifices, & Sacerdotes, ſuo tamen modo, etiam Regum eſt ſuum prouidentiæ modum circa illam exhibere. Sic enim etiã nunc Reges Catholici dicuntur mittere prędicatores ad gentes ſibi ſubditas, quia ad voluntatem, ſeu petitionem eorum, & ſub eorundem protectione; atque ipſorum expenſis mittuntur. Ita ergo Ioſaphat ex prouidentia Regis fidelis, ac zelum Dei habentis potuit per prædicatores, & Doctores egredi ad erudiendũ populum, ſeruato tamen ordine, & modo, ſecundum ritum illius temporis neceſſario. Et ideò dicitur miſiſſe Sacerdotes, & Leuitas, ad quos illud munus per ſe pertinebat.

2. Paralip. 17.

5. Cur Ioſaph. Principes cũ Sacerdotib9 miſerit.

Abulenſis dicto c. 17. q. 16.

Quod autem etiam miſerit quoſdam de *Principibus ſuis*, non obſtat, etiam ſi fateamur illos Principes nõ fuiſſe de tribu Leui, ſed merè laicos, cum à Leuitis diſtinguantur. Hoc, inquam, non obſtat, tum quia vel illi laici mitti potuerunt, non ad docendum, ſed vt Leuitas, & Sacerdotes tuerentur, & rebelles, ac idolatras, qui tunc erant, in officio cõtinerent,

A & ſi opus eſſet, etiam ad audiendum verbum Dei cogerent. Vel certè licèt illi etiam docerent, nullum eſt inconueniẽs, quia licèt ad laicos non pertineret, vel dubia legis reſoluere, aut doctrinam fidei definire (hoc enim Sacerdotibus cõmiſſum erat, Deuter. 17.) nihilominus poterant eſſe docti, & eruditi in lege, ac fide, vt alios inſtruere, & exhortari poſſent, hoc enim neque ex natura rei malum eſt, nec inuenitur in lege veteri prohibitum, maximè cùm id facerent ex cõſenſu Sacerdotum. Sicut Actor. 13. cùm B Paulus, & Barnabas ingreſsi eſſent quãdam ſynagogam, Principes ſynagogæ miſerunt ad eos dicentes, *Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite*, cùm tamen Paulus de tribu Leui non eſſet, & ideò à Iudæis tanquã merè laicus reputaretur. Simileq; exemplum de Chriſto habemus Luc. 4. Sic igitur actio illa Ioſaphat rectè intellecta nõ pertinuit ad propriam Eccleſiaſticã gubernationem, ſed ad Regiam protectionem, & fidei defenſionem, ac propagationem, quod munus iura etiam canonica Chriſtianis Regibus commendant.

Deut. 17.

Actor. 13.

Videndus Ioan. Lorinus ibi.

Luc. 4.

Tertia actio fuit, conſtituere iudices. 6.
C Et ibi etiam Leuitæ, Sacerdotes, & Principes numerantur. Vbi etiam duo ſimilia explicanda ſunt, ſcilicèt, quomodo ad Regem pertinuerit, Leuitas, & Sacerdotes in eo munere conſtituere, & quomodò cum eis laicos Principes miſcuerit. Vtrunque autem facilè intelligetur, ſi alia verba, quæ inferiùs adduntur, conſiderentur, ſcilicet, *Amaſias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit; porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Vbi apertè diſtinguuntur officium Re- D gis, & officium Pontificis, & hic præſidere dicitur in his, quæ ad Deũ ſpectant, Rex autem, vel Vicarius eius in his, quæ ad homines. Ita ergo cùm dicuntur conſtituti Sacerdotes, Leuitæ, & Principes ad iudicium faciendum, duplex ſub illa voce comprehenditur iudicium, vt rectè Caietanus ibi notauit, ſcilicet, ſeculare, & quaſi Eccleſiaſticum, ſeu ad res ſacras pertinens. Et ita facilè expeditur poſterior interrogatio, nõ oportet enim iudicia, vel perſonas miſcere, ſed cum parti-

Caietan.

partitione accommoda eos intelligere, nam Principibus ſecularibus ſeculare iudicium committi debuit, Leuitis autem Eccleſiaſticum. Et ita planè oportet intelligi, cum alteri iudicio præeſſe deberet Pontifex, alteri verò gubernator Regius, quando, & quomodo oporteret.

7. Atque eadem ferè ratione, quamuis Rex dicatur conſtituiſſe vtroſque iudices, non oportet, eodem modo de omnibus intelligi, nam iudices laicos conſtituit per ſe, & virtute ſua eligendo illos, & dando illis poteſtatem; Leuitas autem & Sacerdotes non ita, ſed ſolùm applicando, & deſignando illos ad tale munus, nam poteſtatem illud exercendi ex inſtitutione diuina habebant, vel immediatè, vel per Pontificem Summum. Quod declaratur ex alijs verbis. *Amaſias Sacerdos, & Pontifex veſter præſidebit in his, quæ ſunt ad Deum, Zabadias in alijs*: quæ licèt videantur eodem modo dicta, nihilominus reſpectu Pontificis non efficiebant, vt ſic dicam, ſeu conferebant poteſtatem, ſed declarabant, quid iure ſuo ad Pontificem pertineret, vt patet ex Deuteron. 17. Reſpectu verò ciuilis præſidis à Rege manabat poteſtas, quia pro Rege ſpecialiter conſtituebatur. Ita ergo licèt vno verbo dicatur Conſtituiſſe hos, & illos iudices, nihilominus cum diſtributione accommodata, & legi, ac debito ordini conſentanea, de ſingulis intelligendum eſt. Principes ergo per ſe, & vi ſua iudices fecit, Leuitas verò ſolum ad modum cauſæ per accidens, quaſi applicando, ſeu nominando perſonas, non tamen ſine conſenſu Pontificis eos creando. Atque ita hæc actio ferè eiuſdem rationis eſt cum præcedenti, & non pertinet ad propriam iuriſdictionem Eccleſiaſtici regiminis, ſed ſolum ad ſolicitudinem quandam, piumque fidelis Regis zelum, vt in alijs explicatum eſt.

Ioſaphat ſolum deſignauit ſacerdotes poteſtatem iudicandi à Deo habentes.

Deute. 17.

8. Deinde addit Rex aliam actionem, quam poſſumus quarto loco numerare, ſcilicet, *corruptelas purgare, & abuſus tollere*. Ad hanc verò probãdam ſolum adducit locũ 2. Reg. vel vt ipſe allegat. 2. Samuel. 5. n. 6. vbi nulla fit mẽtio de corruptelis purgãdis, aut abuſibus tollẽdis: ſed ſolùm refertur, cùm Dauid ijſſet in Hieruſalem ad Iebuſæum, vt ciuitatem expugnaret, dictum eſſe illi ab habitatoribus ciuitatis, *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos dicentes, non ingredietur Dauid huc*. Hæc autem verba non poſſunt applicari vllo modo ad reformationem morum, vel ablationem abuſuum, quia nec de hac re ibi agebatur, neque cogitari poteſt Iebuſæos hoc voluiſſe conſulere Dauidi ſub illa quaſi metaphorica loquutione. Vnde licet illa verba ſint obſcura, & ideò ab interpretibus variè exponantur (vt in Gloſſa, Theodoreto, Abulenſi, Chartuſiano, Caietano, & alijs ibi videre licet) nihilominus omnes conueniunt, illis verbis ſolùm fuiſſe propoſitum Dauidi, vt medium neceſſarium ad ciuitatem capiendam tollere cæcos, & claudos. Siue per has voces ſignificentur aliqui inimici Dauid ex Iebuſæis, qui inſurrexerunt dicentes, *Non ingredietur Dauid huc*, & *cæci* appellantur propter errorem mentis, & *claudi*, quia nòn rectè cum Dauid ambulabant. Siue re vera fuerint corporaliter claudi, & cæci poſiti ſupra muros ciuitatis ad defendendam illam in ludibrium, & irriſionem Dauid (vt videtur probabilius, & magis conſentaneum textui ſecundũ vulgatam editionem) in neutro verò ſenſu quicquam ad præſentem cauſam refert, quia de purgandis corruptelis nihil ibi agitur. Nam licèt ſtatim ſubiungatur, propoſuiſſe Dauid pręmium pro auferentibus cæcos, & claudos, odientes animam Dauid, & inde ortum eſſe prouerbium, *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum*; non poteſt inde veriſimiliter inferri, Dauidem auferendo cæcos, & claudos, voluiſſe ſignificare, ad ſe pertinere abuſus tollere, & corruptelas purgare, quæ eſt enim hæc conſequutio, connexio, vel coniectura? profectò eſſe non poteſt, niſi mera diuinatio.

Quarta actio à Rege Iacobo inducta, ſoluitur.

Ad hanc verò actionem pertinet etiã alia, quam infrà Rex ponit, dicens de Regibus, *Reformationes publicas inſtituere, conuocatis eo fine, & congregatis promiſcuè ſacerdotibus, & laicis*: nam ad reformationem publicam maximè ſpectat, abuſus tollere, & corruptelas purgare. Ad probandas autem illas reformationes, ſolùm adducit locum iam tractatum 2. Paralip. 17. vnde ſolùm habetur, Ioſaphat 9.

Alia adiungitur actio à Rege Iacobo.

Gg

ſaphat ordinaſſe, ſeu procuraſſe quandã reformationem, mittendo Principes, Sacerdotes, & Leuitas, qui docendo, & inſtruendo populos in lege Domini, illos reformarent. Cur autem laici cum Leuitis miſsi fuerint, iam declaratum eſt, neque ibi legitur alia congregatio ex laicis, & leuitis promiſcuè facta. Sicut ergo diximus, miſsionem illam nõ fuiſſe actũ iuriſdictionis, ita de hac reformatione dicendum eſt.

10. Quapropter (quidquid ſit de probationibus) facilè concedimus pertinere ad Reges intra ordinem ſuum, & modo ſibi accõmodato abuſus tollere, & corruptelas ſui regni purgare. Nam in primis ſi corruptelæ, & vitia ſint contra naturalem iuſtitiam, vel ciuiles leges iuſtas, vel contra pacem reipublicæ, ad Regem directè pertinet, ſubditos ſuos à talibus vitijs repurgare. Si verò vitia ſint in materia religionis, vel fidei, poſtquam per eandem fidem, vel per Pontifices (ad quos voluntatem Dei explicare pertinet) illos eſſe abuſus, & corruptelas conſtiterit, etiam ad Regem pertinet huiuſmodi abuſus tollere, vel pœnis, & coercitione in ſibi ſubditos vtendo, vel etiam ſolicitè procurando, vt Eccleſiaſtici Paſtores ſimul in hoc ſuam operam adhibeant, vel denique forti brachio ſuo occaſiones prauarum conſuetudinum tollendo. Sicut paulò ſuperius de idolorum deſtructione dicebamus. Nam illa profectò erat in illo populo præcipua pars reformationis morum, & purgationis corruptelarum. Quanuis ergò expreſſè in veteri teſtamento diceretur; Reges abſtuliſſe abuſus, & corruptelas purgaſſe, modo prædicto, & ſine vlla vſurpatione Primatus Eccleſiaſtici intelligi poſſet, & deberet. Sicut etiam nunc Catholici, & pij Reges abuſus, & corruptelas ſuarum ditionum auferunt. Imò & inferiores Principes in ſuis territorijs, & priuatus paterfamilias in domo ſua poteſt pro modo ſuo, & iuxta capacitatem ſuam corruptelas à domo ſua expellere, & omnem, vel politicam, vel œconomicam prouidentiam adhibere, quæ ab ipſo circa ſuos ſubditos exerceri valet, & ad illum finem poteſt deſeruire.

Suo modo Regibus cõpetit abuſus tollere.

11. Atque ad hoc caput ſpectat exemplũ aliud, quod idem Rex adducit ex 4. Reg. A 18. de ſerpente æneo ab Ezechia confracto. Illud enim ad ſimilem reformationem, & abuſuum ablationem pertinet. Nam (vt lib. 2. c. 12. dixi) licèt ille ſerpẽs Dei iuſſu fabricatus fuerit, & bonam habuerit ſignificationẽ, propter quã bonũ etiam vſum in principio habuit: nihilominus poſteà cœpit eſſe Hebręis in occaſionem ſcandali, & ruinæ propter illius populi ignorantiam, mentiſq; cæcitatẽ, ac duritiam cordis ex praua cõſuetudine generatam. Ideòq; rectè potuit Rex ſerpentem cõfringendo, illam occaſionem ruinæ populo tollere. Quanuis enim ex B Dei præcepto factus eſſet, nõ propterea iuſſerat Deus illũ conſeruare: ſed ad memoriam diuini beneficij, prudenti, & pio arbitrio præcedentium Principum illius populi ſeruabatur: poſtquàm verò cœpit irreligioſè coli, & adorari, confringi debuit, iuxta legem pręcipientem, *Confringite ſtatuas, lucosque ſuccidite*. Et quia hęc lex non ſolùm ad Sacerdotes, ſed etiam ad Reges loquebatur, ideò potuit Ioſaphat, non iuriſdictionem ſacerdotalem exercendo, ſed legem implendo, ſerpentem frangere.

C Quinto loco ponimus actiones alias 12.
recenſitas à Rege, quæ multò minùs, quã præcedentes ad cauſam conducunt, talis quidem eſt, *arcam Dei ad conſtitutum locum perducere*. 1. Paralip. 13. Nam Dauid de quo ibi eſt ſermo, non portabat arcã, nec contingebat illam, primum enim ſolis Leuitis, ſecũdum autem ſolis Sacerdotibus licebat, Numer. 4. 2. Reg. 6. nõ autem Dauidi, licèt eſſet Rex. Et ideò tantum honoris diuini cauſa arcam comitabatur, quod non ſolùm Regi, ſed cuilibet de populo licebat, vt paulò inferiùs ibidẽ dicitur, *Dauid, & omnis domus Iſrael ducebãt arcã, &c.* Et ſimile habetur. 3. Reg. 8. D Sed additur, *Regẽ Dauid arcæ præſultaſſe.* Sed quid tum? erat ne illa actio propria Sacerdotum, aut Regũ? profectò magis propria videri poterat hominũ inferioris conditionis. Vnde paulò inferiùs in eodem loco deſpectus, & reprehenſus fuit Dauid à Michol, non quia actionẽ magnæ dignitatis exercuiſſet, sed quia *tanquam vnus de ſcurris factus eſſet*, ipſe verò ex magna deuotione, & gratitudine erga Deum, reſpondit, *Ludam, & vilior fiam, plus quàm factus ſũ, & ero humilis in oculis meis.*

1. Paralip. 13.
Dauid non tetigit arcã Dei.
Numer. 4.
2. Reg. 6.
3. Reg. 8.
2. Reg. 6.

meis. Non ergo cenſuit Dauid, illam actionem fuiſſe dignitatis ſacerdotalis, nedum Pontificiæ, vel ſupra illam, ſed fuiſſe magnæ humilitatis, & reuerentiæ erga Deum, & ad hoc indicandum expreſſit Scriptura perſonam Dauid, addidit verò 2. Reg. 6. *Dauid, & omnis Iſrael ludebant coram Domino.*

13. Facta Salomonis à Regibus obiecta. 1. Paralip. 22. 2. Paralip. 5.

Eiuſdem ordinis ſunt facta quædam Salomonis, ex quibus etiam Regium argumentum ſumptum eſt, ſcilicet, *templum ædificare, ædificatum dedicare, & ſua præſentia conſecratum honeſtare.* At hæc omnia hodie etiam nunc Reges faciunt; imò etiam alij inferiores, pij, & potentes viri, & non propterea opus Eccleſiaſticæ poteſtatis, nedùm Primatus exercere cenſentur. Nam ædificare templum de ſe tantùm eſt actus religionis, qui præter piam voluntatem ſolùm requirit ex parte ædificantis facultatem ad neceſſarios ſumptus, ex parte verò Dei neceſſaria eſt acceptatio per ſe, vel per Vicarios ſuos. Tunc autem Deus ſpeciali reuelatione ſatis voluntatem ſuam oſtenderat, ideòque ex parte Salomonis tantùm Regia poteſtas, & magnificentia cum pia, & fideli voluntate deſiderari poterat; ergo nihil aliud ex illo facto rectè colligitur.

Hæc facta nullam ſpiritualem poteſtatē præ ſe ferunt.

14. Dedicatio templi quo modo potuerit à Salomone fieri.

Dedicare verò templum, duo poteſt ſignificare. Vnum eſt, propria aliqua actione religioſa conſecrare illud; aliud eſt, propria voluntate exteriùs manifeſtata illud Deo offerre, & donare. Priori modo, dedicare templa pertinet ad Sacerdotes, vel Pontifices. In illius autem templi dedicatione hæc actio non videtur alia fuiſſe, niſi vel ex parte hominum ſacrificiorum oblationes, quæ ad ſolos Sacerdotes pertinebant, vt iam explicabo: vel ex parte Dei præſentia illa, ſeu deſcenſus ſub ſpecie nebulæ, quę templum repleuit, ad ſignificandum Deo placuiſſe dedicationem illam, & ideò, vt dicitur. 3. Regum. 8. *Impleuiſſe gloriam Domini, Domum Domini,* quæ actio non fuit hominis, ſed diuinæ dignationis, cui Rex Salomon teſtimonium dedit, dicens, *Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* In hoc ergo ſenſu non poteſt dici Rex Salomon dedicaſſe templum, neque id de Salomone legitur, nec Rex Angliæ illi hoc tribuit, cùm

3. Reg. 8.

A ſolùm dicat; ſua præſentia opus conſecrationis honeſtaſſe. Poſteriori autem modo rectè dicitur Salomon dedicaſſe templum. Sed inde nullum ſumitur argumentum: nam quilibet poteſt rem, vel domum ſuam ad diuinum cultum offerre. Sicut Exod. 35. dicitur, *Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus per manum Moyſi.* Et ſtatim ſubditur: *Cuncti filij Iſrael voluntaria Domino dedicauerunt.* Sic ergo in dicto loco. 3. Regum 8. dicitur, *Dedicauerunt templum Domini Rex, & filij Iſrael.* Denique B quod additur, Regem ſua pręſentia opus conſecrationis honeſtaſſe, clarum eſt, toti populo fuiſſe commune, & ita nihil ad rem facere.

Exod. 35.

15.

Ad diſcernẽdum verò modum præſentiæ, diſcernendæ ſunt actiones, quæ in illa dedicatione peractæ ſunt, prima fuit, inferre arcam, tabernaculum, & vaſa ſanctuarij in templum, & de hac dicitur, *ferebant ea Sacerdotes, & Leuitæ,* & additur: *Rex autem Salomon, & omnis multitudo, quæ cum illo conuenerat, gradiebatur ante arcam,* vbi Rex cum populo C coniungitur, & à ſacerdotali ordine diſtinguitur. Altera actio fuit, ſacrificiorum oblatio, & hæc fiebat ſine dubio à ſacerdotibus tanquam â proprijs miniſtris; tribui autem videtur tam Regi, quâm populo, cùm de eis dicitur: *Et immolabant, & oues, & boues abſque æſtimatione, & numero,* intelliguntur autem immolaſſe per Sacerdotes, vt eſt frequens in Scriptura, & in communi etiam vſu loquendi. Et ſic etiam dicitur ibi, *Mactauit Salomon hoſtias pacificas,* & iterum: *Sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini, fecit quippe ibi* D *holocauſtum, & ſacrificium.* Vtique per Sacerdotes, in quo nulla poteſtas ſupra illos oſtenditur, ſed potiùs inferior ſtatus, & conditio. Vnde etiam nunc Reges, ſicut & cæteri laici, ſolùm per Sacerdotem offerunt. Tertia fuit actio orandi, & hæc etiam communis eſt toti populo. Alia denique fuit, rationem reddere populo de templi ædificatione, & dedicatione, quam quidem Salomon cũ authoritate Regia, & tanquam ſingularis (vt ita dicam) illius templi Patronus exercuit, nihil tamen Pontificium vſur-

pauit, neq; Pontifice ſe ſuperiorem oſtẽdit. Igitur totum illud factum nihil omnino ad cauſam de poteſtate Eccleſiaſtica, & Regia, aut earum comparatione pertinet.

16. Alia duo eiuſdem ordinis facta. Denique ad probandum eandem Regis poteſtatem duo alia facta eiuſdem ferè ordinis afferuntur, quæ non maiorem vim habent, quàm præcedentia. Vnum eſt, quod *librum legis è tenebris erutum populo recitare fecerunt*, ex 4. Reg. 22. Veruntamen eo loco refertur quidem Elciam Pontificem ad Saphan ſcribam dixiſſe; *librum legis reperi in domo Domini*, & additur, dediſſe illum Saphan, qui & legit illum, & poſtea Regi dixit, Elciam ſibi librum dediſſe, quem etiam legit Saphan coram Rege. Quod autem Rex fecerit, librum illum populo recitari, in eo capite non dicitur, ſed ſolùm, Regem lectione libri valdè commotum miſiſſe Sacerdotes, qui ſuper ea re Deum conſulerent. In capite autem 23. additur, ſacerdotes renunciaſſe Regi quidpiã, quod prophetiſſa quædam dixerat, & ſubiungitur: *Qui miſit, & congregati ſunt ad eum omnes ſenes Iuda, & Hieruſalem. Aſcenditq; Rex templum Domini, & omnes viri Iuda, vniuerſique qui habitabant in Hieruſalem cum eo, Sacerdotes, & Prophetæ, & omnis populus à paruo vſque ad magnum: legitq; cunctis audientibus omnia verba libri fœderis*, vbi Abulenſis exponit, *legit*, id eſt, fecit legere, putat enim, Saphan ſcribam legiſſe librum, quod non eſt alienum ab vſu illius loquutionis, vt ex alia ſimili capitis 22. rectè ipſe probat. Nihilominus tamen ex 2. Paralip. 34. magis colligitur, ipſum Regem per ſe legiſſe librum, nam ibi expreſſè dicitur: *Quibus audientibus in domo Domini legit Rex omnia verba voluminis*. In hac verò hiſtoria quid, quæſo, eſt, quod in Rege Põtificiam poteſtatem, vel Primatum oſtẽdat? An congregare populum, aut legere librum? neutrum ſanè. Nam congregare populum non eſt de ſe ſpiritualis, ſeu Eccleſiaſtica actio, ſed indifferens, quæ authoritate Regia propter varios fines fieri poterat. Vt autem tunc fieret propter ſpiritualem finem, non prouenit ex poteſtate ſpirituali Regis, ſed ex ſancto zelo, & intentione illius, Rex enim fidelis diuina gratia, & fide adiu-

4. Reg. 22.

Abulenſ.

2. Paralip. 34.

Hoc factum ad cauſam nihil refert.

A tus, poteſtate ſua Regia, & ciuili in ſpirituale bonum ſui populi ſæpe vti poteſt, quia licèt proximè in materia ciuili, vel indifferenti operetur, poteſt ad dictum finem illam referre. Legere autem librũ, magis fuit opus dignationis, humilitatis, ac deuotionis, quàm poteſtatis. Et quamuis ipſe non legiſſet, ſed recitari feciſſet, nullam maiorem authoritatem oſtenderet, quia perinde eſt, per ſe feciſſe, vel per Saphan ſcribam, & miniſtrum ſuũ, & quia, licèt liber eſſet ſacer, actio legendi illum Sacerdotibus, & laicis communis eſt.

B Aliud factum eſt, quòd illi Reges *fœdus inter Deum, & populum aliquando redintegrarunt*. Citaturque in margine Apologiæ Regiæ locus Nehem. ſeu. 2. Eſdræ. 9. in fine. In illo tamen loco non dicitur, Regem redintegraſſe fœdus inter Deum, & populum, nec dici poterat, quia eo tempore iam non erant Reges in Iſrael. Cùm ergo in principio illius capitis dictum fuiſſet: *Conuenerunt filij Iſrael in ieiunio, & in ſaccis*. Et infrà additum eſſet: *Surrexerunt autem ſuper gradum Leuitarum Ioſue, & quidam alij, & dixerunt, ſurgite, benedicite Domino, &c.* in fine capitis concluditur: *Nos ipſi percutimus fœdus, & ſcribimus, & ſignant Principes noſtri, Leuitæ noſtri, & Sacerdotes noſtri*. Ex quo contextu planè conſtat, totum populum, vel ſua ſponte, vel Leuitarum verbis excitatum fœdus redintegraſſe, & ideò Principes nomine totius populi cum leuitis, & ſacerdotibus fœdus conſignarunt. Quòd ſi quis fortaſſe ponderet, *Principes* (quos laicos fuiſſe veriſimile eſt) primo loco poni, aduertat, etiam Leuitas Sacerdotibus anteponi, & inde coniectet, poſteriorem locum in illo ordine digniorem videri, vt ſæpe contingit. Allegatur etiam in eadem margine ſecundus Regum (nobis quartus) capite octauo, numero 4. Sed in toto illo capite nihil inuenio. Negare autem non poſſumus, in capite 23. ſuprà tractato poſt lectionem libri fœderis addi, *Stetitq; Rex ſuper gradum, & fœdus percuſſit* coram Domino. Et paulò poſt additur. *Acquieuitq; populus pacto*. Sed in hoc etiam facto nihil aliud, niſi pietas, & ſanctus zelus Principis relucet. Nam illa redintegratio, ſeu percuſſio

17.

Eſdræ. 9.

C

D

4. Reg. 8.

ſio fœderis nihil aliud erat, niſi renouatio quædam fidelitatis ad Deum, ſeu quaſi noua promiſsio obedientiæ ad legem eius, hanc autem quilibet homo, vel quilibet populus vel ſua ſponte, vel alterius exemplo, aut verbo prouocatus facere poteſt. Ita ergo illam fecit prædictus Rex, & in illa facienda alios anteiuit, vt ſuo exemplo, & verbo alios prouocaret. Vnde rectè Caietanus ibi notat, *Vide quanti boni cauſa bonus ſit Princeps.* Caietan.

18. Ex his ergo omnibus exemplis, & teſtimonijs nulla ſpiritualis iuriſdictio, vel ſpecialis poteſtas in his, quæ ad Deũ pertinent, in Regibus tempore legis veteris fuiſſe oſtenditur. Optimè verò oſtenditur, bonum, ac fidelem Regem defenſorem eſſe debere diuinæ fidei, ac veræ religionis, & diligenter curaturum, vt omnes errores, & ſuperſtitiones contra veram, & ab Eccleſia approbatam doctrinam, vel ingreſſum non habeant, vel vbi inuenti fuerint, expellantur. Hanc ergo fidelitatem ad Deum prædicti Reges boni oſtenderunt, & in lege noua Conſtantinus, Carolus Magnus, & quintus, & alij Reges Catholici ſumma pietate obſeruarunt, quanuis ſe non Eccleſiæ Parentes, aut Prælatos, vel Prælatis ſuperiores, ſed filios, ſubditos, & protectores agnoſcerent.

CAPVT XXVI.

Argumento ſumpto ex comparatione Regis, & Pontificis, ſatisfit.

1. Obiect. Regis ex facto Salomonis. POſt reliqua facta Regum Iſrael, inducit Rex Angliæ factum Salomonis, qui *Abiathar Saterdotem exauthorauit, vt non eſſet Sacerdos Domini,* vt ipſe refert, indeque colligit, Regem fuiſſe Pontifice ſuperiorem, vt inde concludat, idem in Chriſti Eccleſia ſeruandum eſſe. Fundaturque hoc argumentum in loco. 3. Reg. 2. vbi Salomon quaſi in exilium ire iuſsit Abiathar Põtificem, dicens, *Vade in Anathoth agrum tuum: equidem vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti arcam Domini, &c.* Et infrà concluditur: *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non eſſet Sacerdos Domini.* De hoc autem facto nunquam 3. Reg. 2.

A in Scriptura reprehenditur Salomon; imò cap. 3. additur: *Dilexit autem Salomon Dominum ambulans in præceptis Dauid Patris ſui, excepto, quòd in excelſis immolabat.* Quæ exceptio qualiſcunque illa ſit (quod nunc non refert) oſtendit, Salomonem vſque ad illud tempus ſeruaſſe alia præcepta, & conſequenter in facto illo non peccaſſe. Imò aliqui in eodem facto clementiam Salomonis commendant, quia cum Abiathar eſſet dignus pœna mortis, propter Sacerdotis munus, quod exercuerat, & quia laborum Patris ſui particeps fuerat, vitam ei B condonauit, & in mitiorem exilij, & depoſitionis pœnam commutauit. Vt autem illa eadem pœna iuſtè illata fuerit, neceſſarium eſt, vt Salomon iuriſdictionem, & ſuperiorem poteſtatem in Pontificem habuerit; ergo Rex tunc erat Pontifice ſuperior. Quod hoc argumento inter alia ducti fatentur ibi Abulenſis quæſt. 28. & 31. & fuit ſententia Diui Bonauenturæ in tractatu de Eccleſiaſt. Hierarch. part. 2. §. 1. in fine, & in 4. diſtin. 24. in expoſitione literæ, quam etiam tradidit Diuus Thomas, ſi C eius eſt opuſculum 20. lib. 1. de Regim. Principum cap. 14. in fine, quem multi etiam alij graues authores ſequuti ſunt. Ex hoc ergo facto infert Rex Angliæ etiam in lege noua Regem eſſe Pontifice ſuperiorem, ac ſubinde habere Primatum in regno ſuo. Abulenſ. Bonauent. D. Thom.

Hæc verò obiectio fundatur in re valdè dubia, ſcilicet, an in lege veteri Pontifex eſſet exemptus à iuriſdictione Regis quoad delicta, & iudicium, ſeu pœnam illorum, quam hic diſputare nolumus, quia non putamus veritatem fidei, quam docuimus, ex quæſtione illa D inter Catholicos controuerſa pendere. Præſertim, quia vt ſæpè dixi, quæſtio de exemptione Clericorum à iuriſdictione laicorum in temporalibus, diuerſa omnino eſt à quæſtione de Primatu, & de poteſtate in ſpiritualibus. Ex illo autem facto ad ſummum colligi poteſt, Pontificem in lege veteri non fuiſſe exemptum à iuriſdictione Regia, quoad tribunalia ſecularia, ſiue ciuilia, ſiue criminalia. Inde verò inferre non licet, Regem Salomonem habuiſſe iuriſdictionem aliquam in 2.

 ſpiri-

Factum Salomonis nullam in eo potestatem ſpiritualem indicat.

ſpiritualibus, ſeu pertinentibus ad Deũ, quia cauſa illa temporalis fuit. Nam crimen, quod Abiathar commiſiſſe ſupponitur, fuit læſæ maieſtatis propter conſpirationem cum Adonia contra Salomonem. Pœna item exilij temporalis erat. Depoſitio autem à Pontificali munere, vel conſequuta eſt ex priori pœna exilij, vel ſolum fuit ſeparatio quædam ab vſu illius muneris, quod faciliùs tunc fieri potuit, quia duo tunc eo munere fungebantur, ſcilicèt, Sadoc, & Abiathar, & ita potuit ex iuſta cauſa remoueri Abiathar, vt ſolus Sadoc Pontificatum gereret. Et fortaſſe ſicut ſacrificia illius temporis carnalia erant, & cæremoniæ illæ vocantur à Paulo, *iuſtificationes culturæ, & ſanctum ſeculare,* ad Hebr. 9. ita Pontificatus ille non erat adeò ſpiritualis, quin poſſet quis propter grauiſsimum crimen læſę maieſtatis illo priuari ab eadem læſa maieſtate, ſi iuriſdictio illi non deerat. Etenim ſi poterat illum vita priuare, vt verba illa indicant: *Equidem vir mortis es, &c.* quid mirum, quòd poſſet illum Pontificatu priuare.

Hebr. 9.

3\. Etiam in veteri teſtamẽto Pontifex Rege ſuperior extitit.

Addo verò vlteriùs, etiam hoc conceſſo, ſeu permiſſo, non ſequi, Pontificatum eo tempore non fuiſſe, & dignitate, & poteſtate ſimpliciter ſuperiorem Regi. Probatur, quia in primis illa munera erant omnino diſtincta, & impermiſta per ſe, ſeu directè. Nam de Rege ſupponimus habuiſſe ſupremam poteſtatem in temporalibus, quod verum ſimpliciter eſt: de poteſtatè directa ſiue extenderetur ad Sacerdotes, & Põtificem, ſiue non, à qua nunc quæſtione abſtrahimus, vt dixi. Deinde Pontifici commiſſa erat poteſtas, & adminiſtratio ſpiritualium, ſeu in his, quæ ad Deum, & ad fidei doctrinam, & legis declarationẽ pertinebant, vt conſtat ex Deuter. 17. *Si difficile, & ambiguum, &c.* vſq; ad illud: *Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille, &c.* Et ideò 2. Paralip. 19. præſidere dicitur in his, quæ ſunt ad Deum. In his ergo non poterat Rex ſe intromittere, vt ſatis probatur ex facto Oziæ Regis, qui cùm miniſterium Sacerdotis exercere tentaſſet, adolendo incenſum ſuper altare tymiamatis, & ſacerdotibus

Deut. 17.

2. Paralip. 19.

A reſiſtentibus comminaretur, percuſſus eſt lepra vſque ad diem mortis ſuæ, vt refertur, 2. Paralipo. 26. Quod factum latè expendens Chryſoſtomus Homil. 4. de Verbis Iſaiæ, &c. ſic ad Regem affatur, *Mane intra terminos tuos; alij ſunt termini Regis, alij termini ſacerdotij.*

Ozias Rex punitus fuit quia Sacerdotum munus ſubire tentauit.

2. Paralip. 26.

Quod autem inter illas duas dignitates maior ſimpliciter fuerit Pontificia, expreſsis verbis ſubiungit idem Chryſoſtomus, dicens, *Hoc regnum,* vtique ſacerdotale, *illo maius eſt,* id eſt temporali. *Neque enim* (ait) *ex his, quæ videntur hìc,* B *declaratur Rex, ne que è gemmis illi affixis, neque ex auro, quo amictus eſt, debet æſtimari Rex. Ille quidem ea, quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda, cæterum Sacerdotij ius è ſupernis deſcendit.* Quod poſteà latè proſequitur. Et quanuis ſæpe, & in multis de ſacerdotio nouæ legis loquatur, tamen de veteri etiam loquitur, vnde inferiùs ait: *Maior hic Principatus, propterea Rex caput ſubmittit ſacerdotis manui, & vbique in veteri Scriptura Sacerdotes inungebant Reges.* Vnde idem Chryſoſtom. in Pſal. 113. exponens illa verba: *Domus Iſrael ſperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt, domus Aaron* C *ſperauit in Domino, adiutor eorum, & protector eorum eſt*: excellentiam ſacerdotij inde colligit, dicens: *Diuidit orationem in Iſraelem, & genus ſacerdotale, quia non eſt conferendus priuatus cum Sacerdote, ſed hic eum longè ſuperat.* Itaque maioris honoris cauſa putat, ſacerdotale genus diuiſum eſſe à reliquo populo filiorum Iſrael, ſub quibus Reges etiam comprehendi manifeſtum eſt. Eandemque excellentiam multi colligunt ex eo, quod Leuit. 4. nobilior victima pro Pontifice, quàm pro Rege offerri præcipitur, illud D enim fuiſſe indicium excellentioris dignitatis, notauit Philo lib. de Victimis, & ſequuntur ibi Theodoret. Procopius, & alij. Et ex 19. Exodi. Numer. 27. & 35. ſolent alia indicia huius excellentiæ deſumi.

Chryſoſt. 4.

Chryſoſt.

Idem.

Leuit. 4.

Philo.

5\. Ratione dicta Pontificis præeminentia oſtenditur.

Ratio verò maioris dignitatis ſumi poteſt ex materia vtriuſque muneris: nam Pontificatus, etiam legalis proximè ordinabatur ad Deum, & non attingebat homines, niſi per ordinem ad Deum: regnũ verò è contrario totum verſatur circa homines, & quantum eſt ex ſe, ſeu

ex

ex vi ſui obiecti, non attingit Deum, niſi quantùm ad hominum, & reipublicæ bonum expedit. Vnde materia Pontificatus altioris ordinis, & aliquo modo ſpiritualis etiam tunc erat. Ac denique ſicut virtus religionis altior eſt, quàm iuſtitię, ita Põtificatus, ad quem munera religionis ſpectant, dignior eſt regno, cuius eſt tractare iuſtitiam. Hæc enim ratio etiam in lege veteri locum habebat. Atque eadem ferè proportione oſtendi poteſt exceſſus non tantùm in dignitate, ſed etiam in potentia. Nam quod Pontifex tunc etiam haberet ſuam poteſtatem, non ſolùm ad miniſtrandum, ſed etiam ad præcipiendum, & iudicium in controuerſijs de lege, vel doctrina ferendũ, negari non poteſt ex locis citatis Deuteron. 17. & 2.
Deut. 17. Paralip. 19. Quòd verò eius poteſtas in ſuo ordine ſuprema fuerit, probant illa verba Deuteron. 17. *Qui ſuperbierit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio, &c.* Et ex eiſdẽ colligi poteſt, etiam Regem comprehẽdere: nam vniuerſalia ſunt; ergo etiam Rex erat ſubiectus huic poteſtati Pontificis, tenebaturque ſtare definitionibus, ac decretis ipſius, eiuſque pręceptis in ſua materia obedire; ergo ex hac parte erat Põtifex Rege ſuperior. Quòd ſi fortaſſe Pontifex quoad temporalia, vel ciuilia crimina ſubijciebatur Regi, & ideo diuerſis reſpectibus, & fundamentis mutuam relationem inferioris, & ſuperioris inter ſe habebát, nihilominus propter exceſſum in materia, & fine poteſtas Pontificis maior, & ſuperior ſimpliciter appellari poteſt.

6. Addo præterea ex facto illo Salomonis (quod ad præſens ſpectat) non ſatis colligi, habuiſſe Regem iuriſdictionem ſupra Pontificem in cauſa temporali, ſeu criminali (quidquid ſit, an poſsit aliunde probari.) Probatur primo quia multi cenſent, Salomonem non vt Regem, ſed vt Prophetam depoſuiſſe Abiathar, vt Theodoretus ibi, q. 9. & Procopi. ibidẽ, & plures ex modernis. Et fundantur in ſubiectis verbis. *Eiecit ergo Salomõ Abiathar, vt non eſſet ſacerdos Domini, vt impleretur ſermo Domini, quem loquutus eſt ſuper domum Heli in Silò.* Erat enim Abiathar ex ſemine Heli, cui per Samuelem prædixerat Deus. 1. Reg. 2. fore aliquando, vt Pontificatus familiæ ſuæ auferretur,

Ex facto Salomonis etiã ciuilis poteſtas eius ſupra Pontificẽ ſatis colligitur.

Theodoret. Procopius.

1. Reg. 2.

A propter peccata filiorum eius: quę fortaſſe fuerunt in Abiathar completa. Salomon autem ſpiritu prophetico id intelligens, & diuino inſtinctu permotus, executioni mandauit, quod Deus fuerat cõminatus. Quòd ſi hoc ita eſt, nihil ex illo loco colligi poteſt, de poteſtate, ſeu iuriſdictione ordinaria Regum ſupra Pontifices, quia illa fuit extraordinaria. Atque hæc reſponſio facilè ſuſtineri poteſt, probari autem difficile: quia verba illa, *Vt impleretur, &c.* frequenter dicuntur, etiã ſi comminationes Dei per malos miniſtros, & mortes, aut violentias iniuſtas
B impleantur. Quia per illa verba non redditur ratio, quæ mouet hominem ad operandum, ſed quæ Deũ mouit ad permittendum, ſeu tantùm ſignificant conſequutionem vnius ex alio, nõ cauſam. Sicut de militibus crucifigentibus Chriſtũ dicitur, diuiſiſſe Veſtimenta, *Vt impleretur, &c.* Matth. 27. Nihilominùs tamen illa reſponſio probabilis eſt, quam authoritate Innocet. 3. in lib. ſeq. confirmabimus, & eam defendit Cardinal. Bellarm. *Bellarm:* Tũ ex alijs Scripturæ locis, tum ex ponderatione verbi Hebraici, in capit. 15. Contra Barclai.

C 7. Alij verò non dubitant dicere Salomonem in eo facto iniuſtè egiſſe, vſurpando poteſtatem, quam non habebat. Ego verò id affirmare non audeo propter verba Scripturæ, quæ ex cap. 3. allegaui, & quia apud antiquos Patres, & expoſitores nõ inuenio factum illud inter peccata Salomonis numeratum, eivè in culpam tributum. Quocirca ſi nec iuriſdictionẽ, nec peculiarem inſtinctum, aut reuelationẽ habuit, potius excuſarem illum, dicendo relegaſſe, vel ſeparaſſe Abiathar, qui contra ipſum conſpirauerat non punien
D do delictum, ſed quaſi defenſioni ſuæ, & conſeruationi pacis, & regni conſulẽdo. Nam ſi Abiathar cõtra ipſum conſpirauerat, & Adoniæ amicitia coniunctus erat, timere non immerito poterat Salomon, ne poſt Adoniæ mortẽ Abiathar in Põtificatus miniſterio, & Hieroſolymis manẽs aliquid in ſuã perniciẽ moliretur. Tales ergo circunſtãtiæ tunc occurrere potuerunt, vt poſſet Rex prudenter, & ſine peccato illo modo cogere Pontificem, etiamſi iuriſdictionem in illum nõ haberet.

8. Argumentū ex veteri Pontificatu ad nouum, deſumptum nullum eſt in præſenti cauſa.

Addo verò vltimo etiam ſi daremus (quod nunc non concedimus) Pontificem in lege veteri non fuiſſe exemptum à poteſtate coerciua Regis, nullum inde argumentum ſumi ad tempus legis gratię. Nam poteſtas Regum in lege gratiæ in ſe non eſt maior, quam fuerit in lege veteri, in vtraque enim eſt mere ciuilis, & naturalis ordinis, ac originis, quamuis in lege veteri fuerit ſpecialiori modo à Deo collata. Dignitas autem, & poteſtas Pontificia eſt longè maior, & altioris ordinis, vt ex hactenus dictis ſatis conſtat, & in tractatu de Legibus dictū eſt. Ideoq; nullū argumentū fieri poteſt à Pontifice veteri ad Christi Vicarium in his, quę ad ſubiectionem, & imperfectionem pertinent. Nam Moſaico Pontifici nō ſunt datæ claues regni cœlorū, neque illa poteſtas ligandi, & ſoluendi, cuius actio in terris rata habetur in cœlis, quæ Sūmo Pontifici Vicario Chriſti datæ ſunt cum ſuprema Eccleſiæ gubernatione longè maiori, quàm haberet vetus Pontifex ad regendam ſynagogam, cui nullibi dictū eſt *Paſce oues meas* ſicut dictū eſt Petro. Ergo multò magis pugnat cum Pontificatu legis nouę ſubiectio ad temporalē Principem, quàm in lege veteri repugnaret, ac proinde ex factis legis veteris nullum argumentum ad legem nouam ſumi poteſt. Pręterquam quod Pontificatus illius legis ad cęremonialia eius pertinebat, quæ iam omnino ceſſarunt, & noua inſtitutio facta eſt, ſecundum quam ſuprema poteſtas, & exemptio Vicario Chriſti data eſt.

9. Inſtantia hęreticorum.

Sed vrgēt aduerſarij poſtulantes à nobis, vt hanc inſtitutionem ex Scriptura oſtendamus, vtunturq; altero modo contra nos argumentādi ex Scripturis, quod ſuprà negatiuum vocauimus, nimirum, quod nullibi in nouo teſtamento ſcriptū inueniatur, Pontificem Romanum habere Primatum, ſeu poteſtatem in Reges,

Reſponſio.

pręſertim quę ad temporalia aliquo modo extendatur. Si autem quæ hactenus diximus, expendantur, non ſolùm facilè huic argumento reſpondemus; ſed etiā planè euidenter in Regem Angliæ illud retorquemus. Primum enim, quod attinet ad poteſtatem, & Primatū in Reges, iam conſtat ex ſuperiùs dictis, vbi declarauimus, quomodo hęc poteſtas ex Scri-A ptura, & verbis Chriſti colligatur, neque eſſe neceſſarium, vt ipſa etiam collectio in Scriptura ſit expreſſa, ſed ſatis ſuperq; eſſe, vt traditione, & definitione Eccleſiæ declarata, ac firmata ſit. Quòd verò ad exemptionem pertinet, pręter quam, quod ex ipſa ſuperiori poteſtate manifeſte colligitur, ex verbis etiam Chriſti, & ſimili Eccleſiæ traditione in libro ſequēti probabitur.

10. Argumentum adductum in ipſos retorquetur.

Ad argumentum ergo negatiuum negamus, poteſtatem Pontificis Romani in Reges ex Scriptura non probari. Retor-B quemus autem argumentum hoc modo: Primatus Regis Anglię non probatur ex Scriptura, & ſecundum fidem eius, nihil eſt credendum, quod in Scriptura non continetur; ergo ſecum repugnat, illum aſſerendo, & ſubditos ad illum credendū cogendo. Maior probatur, quia ex veteri teſtamento non oſtenditur, tum quia omnia teſtimonia, quę afferuntur, id non probant etiam de ſtatu legis veteris, vt vidimus, & licèt probarent de illo tempore, nihil pro ſtatu legis nouæ efficerent, vt etiam oſtenſum eſt. Neque etiam ex nouo teſtamento probari poteſt: nam C omnia teſtimonia, quę Rex adducit, nullius momenti ſunt, vt oſtendimus. Vnde Sacellanus eius (vt relatum inuenio) ingenuè faſſus eſt, fundamentum illius Primatus in ſolo veteri teſtamento quæri oportere, & nullum illius in nouo veſtigium, aut exemplū inueniri. Idemq; argumentum fieri poteſt contra exemptionem Regis Anglię à iuriſdictione coactiua Pontificis, nam illius fundamentum, ſi quod eſſe poſſet, eſſet certè in veteri teſtamēto quærendū; in nouo autem nullū habet, ſed pugnat potiùs cū generalibus verbis Chriſti, *Quodcumque ligaueris, & D paſce oues meas.*

CAPVT. XXVII.

Alijs obiectionibus ex Concilijs ſumptis ſatisfit.

1. Prima obiectio.

ADDIT præterea Rex Anglię in ſua Præfat. pag. 22. *Prædictam in Reges poteſtatem à Pontificibus vſurpatam cum Concilijs, & Patribus pugnare:* dicitque in ſua Apologia id demōſtraſſe. In ipſa verò Apologia pagin. 29. in primis

Cō. Arel.

mis inducit Concilium Arelatenſe tempore Caroli Magni congregatum, quod in fine capitulorum ita concludit. *Hæc igitur ſub breuitate, quæ emendatione digna perſpeximus, quàm breuiſsimè adnotauimus, & Domino Imperatori præſentanda decreuimus, poſcentes eius clementiam, vt ſi quid hic minus est, eius prouidentia ſuppleatur, ſi quid ſecus, quàm ſe ratio habet, eius iudicio emendetur, ſi quid rationabiliter taxatum eſt, eius adiutorio diuina opitulante clementia perficiatur.* Ex quibus verbis colligere vult Rex Angliæ, Patres illius Concilij recognouiſſe Imperatorem, vt iudicem, & ſuperiorem ſuum, & ſuorũ decretorũ.

2. Solutio.

Nihil tamen minus ipſi ſenſerũt, aut Imperatorem ſentire exiſtimarunt. Nã in prologo eiuſdem Concilij ſic de Imperatore loquuntur. *Eccleſiæ Dei ſtatum vigili inſtantia roborare diſponit.* Et infrà. *Omnibus Dei ſacerdotibus obſecrans, & obteſtans, vt Eccleſias, quas regendas ſuſceperũt, pia prædicatione inſtruant, &c.* Et in fine prædictorum verborum non poſtulant, ſua decreta ab Imperatore confirmari, ſed eius adiutorio perfici, id eſt, executioni mandari. Regimen ergo Eccleſiarũ non Imperatori, ſed ſibi creditũ eſſe cognoſcunt: duo verò Imperatoris officia in huiuſmodi rebus indicant, ſcilicet, exhortari, & adiuuare Paſtores Eccleſiæ in ſuo regimine, quæ vt ſæpe diximus, ad iuriſdictionem non pertinent, ſed ad pietatẽ, & humanam potentiam, ſeu authoritatẽ. Eſt præterea in verbis illis aduertendum in eis non eſſe ſermonem de rebus fidei, ſed de decretis pertinẽtibus ad moralem, vſum, vt patet ex verbis illis, *quæ emendatione digna perſpeximus, quàm breuiſsime notauimus.* Quia ergo in illis multa decreta erant, quæ laicos ſimul cum clericis contingebãt, vt patet ex cap. 4. 5. 12. 13. 15. 22. & 23. ideo prudenter fecerunt, illa Imperatori præſentando, vt eius authoritate adiuti, ea poſſent faciliùs executioni mandare. Cætera autem verba vrbanitatis, modeſtiæ, & humilitatis ſunt, vt ex vſu ſimilium verborum conſtat, ideoque vanum eſt, ex illis propriam ſubiectionem, vel iuriſdictionem colligere.

3. Secũda obiectio ex quibuſdã Prouincialibus Concilijs.

Secundo obijcit Rex. *Sex Concilia generalia,* quę ait, *ſe ſe penitus Carolo Magno tradidiſſe.* Nominat autem Concilium Francofordienſe, Arelatenſe, Turonen-

A

ſe, Cabilonẽſe, Moguntinum, ac Rhemẽſe. Sed in primis non video, cur hęc generalia Concilia vocet, cùm ferè omnia prouincialia ſint, & ad ſummũ quędam ſint nationalia; deinde nihil in dictis Concilijs reperio, propter quod dicantur, *ſe penitus Carolo tradidiſſe.* Et in primis Concilium Francofordienſe ſine dubio generale nõ fuit, nam, vt ex titulo Epiſtolæ eiuſdem Concilij ad præſules Hiſpanię conſtat, ſolùm Epiſcopi Germaniæ, Gallię, & Aquitaniæ in eo interfuerunt, & de legatis Apoſtolicis, eiuſve confirmatione nulla ſit mentio. De Carolo autem Magno in titulo libelli ſacroſyllabi ſolùm dicitur, Concilium fuiſſe habitum ſub præſentia Clementiſsimi Principis Caroli. Vbi Carolus nõ vt author, ſed vt exhortator, & defenſor: neq; vt pars Concilij, ſed vt honorificus teſtis ponitur. Et quamuis in principio libri ſacroſyllabi Carolus neceſſitatem extirpandi quendam errorẽ Cõcilio proponat, poſtea verò ſolum Concilium eſt, quod veritatem docet in diſcurſu illius libri, cuius author dicitur fuiſſe Paulinus, qui in fine libri ſic ait, *Nos autem Domini, & chariſsimi fratres ſequentes præcedentium Patrum ſanam fidei doctrinam, reſpuentes per omnia deliramenta nugacium hominum corde credamus ad iuſtitiam, & ore confiteamur ad ſalutem, &c.* Poſtea verò ſolùm orat pro Carolo Magno, *vt Deus eum protegat, & defendat, &c.* eùmque poſtea precatur, vt contra viſibiles hoſtes pro Chriſti amore dimicet. Neque ibi aliud verbum inuenio, quo illud Concilium *ſe penitus Carolo tradiderit.* Satiusque feciſſet Rex Angliæ, ſi in actis illius Concilij conſideraſſet, eundẽ Carolum in epiſt. ad Elipandum, & alios Hiſpanos ſacerdotes, non Patrẽ, aut Primatem Eccleſię, ſed filium, & defenſorẽ Sanctę Dei Eccleſiæ ſeipſum appellare. Item potuiſſet aduertere, Patres illius Concilij cum in fine dicti libri ſententiã protuliſſent, ſtatim addidiſſe, *reſeruato per omnia iuris priuilegio Summi Pontificis Domini, & Patris noſtri Adriani primæ ſedis beatiſsimi Papæ.* Item notare poſſet quod inferiùs aiunt, *& Beati Petri primi Paſtoris Eccleſiæ.* Ac denique notari poteſt, ſolam ſynodum Epiſcoporum, ſcripſiſſe doctrinam fidei ad Elipandum, & alios: poſtea verò ſcripſiſſe Carolum tanquam

Diluitur.

B

C

D

quam protectorem, & defenſorem ſynodi.

4. *Ad Concil. Turon.* De Concilio Arelatenſi iam diximus. In Turonenſi autem nihil aliud inuenitur, niſi quod in eius pręfatione illum laudant, & ſaluberrimis eius exhortationibus illuc cõueniſſe fatentur, in fine autem his verbis concludunt: *Hæc nos in cõuentu noſtro ita ventilauimus, ſed quomodo deinceps pijſsimo Principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles famuli libenti animo ad nutum, & voluntatem eius parati ſumus,* Quid enim aliud religioſi, & prudẽtes, ac modeſti Epiſcopi dicturi erant ad pium Imperatorem, qui ſancto zelo ea tantum, quæ ad bonum Eccleſiæ pertinebant, procurabat, non tanquam Eccleſię gubernator, ſed tanquam filius, & defenſor.

Ad Cõcil. Cabilon. In Concilio autem Cabilonenſi in principio habentur ſimilia verba ſuprâ tractatis ex Concilio Arelatenſi, & ideo idem repetere neceſſe non eſt. Nam in illo Concilio ſolùm agitur de moribus, & inter illius decreta etiam inueniuntur aliqua laicis comunia, vt cap. 18. & 21. & maximè 45. Vbi eam obcauſam in adhibendo remedio quibuſdam publicis, & communibus vitijs ſententia Imperatoris expectanda dicitur. Neque aliud verbum in illo Concilio inuenio, quo ſe penitus Imperatori tradiderit. Sed in capite. 66. tantùm decretum eſt, vt ab omnibus indeſinenter oretur pro Rege, quod longè diuerſum eſt. Imò ibi additur dixiſſe Concilium, Scripturarum monita, & canonum inſtituta diligenti indagatione inquirenda, & ſimili obſeruatione perficienda eſſe, in quo nõ Imperatoria ſed Eccleſiaſtica authoritas poſt ſcripturas cõmendatur. Quin potiùs illi ſubiectioni Concilij ad Imperatorem, quam exaggerat Rex Angliæ, repugnant capita 28. & 37. eiuſdem Concilij. Nam in priori dicitur, de gradibus propinquitatum, matrimonia vtique prohibentium, vel irritantium, canones Eccleſiaſticos conſulendos eſſe, non Regem. Poſteriori verò dicitur, Conciliorum canones a ſacerdotibus legendos eſſe, & intelligendos, quia per eos viuere debẽt, & docere.

5. *Ad Mog. Concil.* Idem ferè iudicium eſt de Concilio Moguntino, nã licèt in Præfatione Cõcilij Patres eodem honore tractent Imperatorem, & omnia ad illum referant,

A ſicut præcedentia, nihilominus ſatis ibidem diſtinguũt poteſtates, & laicis controuerſias mundanarum legum, *vulgiq́ iuſtitias* (vt aiunt) cõmittunt, & vnicuique perſonæ, & ſtatui proprium honorem impendunt, *Secundum dictum* (inquiunt) *Beati Petri primi Paſtoris Eccleſiæ.* 1. Petri. 2. Vnde inferiùs ſubdunt: *Inſuper etiã congruum nobis eſſe videbatur, vt ſacerdotes, & Eccleſiæ Dei iure legitimo, & inconuulſo honorarentur: de quibus Dominus ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos* Luc. 10, *recipit, me recipit. Qui autem me recipit, reci-* Heb. 13.
B *pit eum, qui me miſit. Et Apoſtolus ad Hebræos: Obedite, inquit. Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris.* Inferiùs verò in cap. 6. cùm de filijs exhæredatis à parentibus quædam diſponerent, quoniam ciuilem materiam attingere videbantur, addunt: *Quantum ad nos, vel ad noſtram pertinet poteſtatem,* & ad Imperatorem aiunt; *Quòd ſi fortè extra officium noſtrum alicubi inuentum fuerit admonere veſtram clementiam audeamus, vt emendentur.* Vbi apertè ſua poteſtate in cauſis ſpiritualibus, & pijs diſponunt, vbi autem ſeculare auxilium neceſſarium eſt, illud
C ab Imperatore poſtulant. Sicque in cap. 7. in cauſis pauperum aiunt: *Hoc omnino emendetur per iuſsionem veſtram.* Et in cap. 8. optimè de vtraq; poteſtate loquuntur.

Denique in Concilio Rhemẽſi fit quidem in principio honorifica mentio Im- 6. *Ad Cõcil.*
peratoris, nihil autem ei tribuitur, quod *Rhemenſ.* iuriſdictionem aliquam in Concilio ei cõcedere videatur. Imò cùm in principio dicatur (quod in ſuperioribus etiã quatuor Concilijs dictum erat) *conuentum illum à Domino Carolo pijſsimo Cæſare more priſcorum Imperatorum fuiſſe congrega-*
D *tum,* quaſi in declarationem illius moris additur, *Ordinante Vlfario eiuſdem Sanctæ Sedis Archiepiſcopo,* Quod paulò poſt in Concilijs etiam generalibus explicabimus. Nam hæc quinque, de quibus diximus, prouincialia tantùm ſine dubio fuerunt, & ideo conuocatio propria, & cum poteſtate iuriſdictionis ad Archiepiſcopum pertinebat, tribuitur autem Imperatori tanquam petenti, & per temporalia ſubſidia cooperanti.

Tertiò obijcit Rex quatuor prima generalia Concilia. *Imo, & alia* (inquit) 7.

qua

quatuor ſic vulgo appellata Imperatoris prudentiæ, ac pietati ſe ſe in omnibus ſubieciſſe. Adeò, vt Epheſinum illud quater ſatis diſtinctè inculcet, ſe accitos coïſſe Imperatoris oraculo, nutu, ſanctione, & mandato. Inducit præterea verba eiuſdē Concilij in epiſt. ad Auguſtos, vbi Patres dicunt, *vniuerſos ſe ſupplices ad pietatis eius dominationem confugere, vt quæ contra Neſtorium, & illi conſentientes geſta ſunt, robur ſuũ haberent.*

8. ſolutio. Veruntamen in quatuor primis Concilijs diſsimulat Rex ea omnia, in quibus Epiſcopi Romani Primatus, & poteſtas ſupra Imperatores, & ſupra Concilia generalia oſtenditur, & vnum tantùm, vel aliud verbum arripit, quo Imperatoria dignitas in ſuo gradu commendatur, & facilem habet ex alijs locis intelligentiã. Et quoniam de Concilio Nicęno nihil in particulari Rex adducit, & multa à nobis in ſuperioribus allegata ſunt, nihil hic addere neceſſe eſt, præſertim cũ ſit notũ, quantum Conſtantinus Imperator in illo Concilio Epiſcopis, & eorum poteſtati detulerit.

9. Ex Concilio etiam Conſtantinopolitano. 1. nihil Rex notat, cum tamen ignorare non debeat, quid Patres illius Concilij ad Damaſum Papam ſcripſerint, nimirum. *Mandato literarum ſuperiore anno à veſtra reuerentia poſt Concilium Aquileienſe ad Sanctiſsimum Imperatorem Theodoſiũ miſſarum, ad iter duntaxat Conſtantinopolim vſque faciendum nos præparauimus, atq; de hoc vno Concilio celebrando cõſenſum Epiſcoporũ vna nobiſcũ attulimus.* Ecce quo modo Imperatores ad cogenda Concilia concurrunt, ſcilicet, vel impetrando, & poſtulando à Pontifice conuocationis mandatum, vel illo obtento illius executionem procurando, vel in virtute illius iubendo. (Theodoret. lib. 5. hiſt. cap. 9.)

10. Cõc. Ephe. Ex Cõcilio etiã Epheſino poſſet Rex Theodoſij, & Valẽtiniani Imperatorum verba, quæ in epiſt. ad Cõciliũ poſuerũt, notare. Cũ enim Candidianũ Comitẽ ad Conciliũ mitterent, vt eſſet quaſi Cõcilij protector, & pacis cõſeruator, ſubiungũt: *Sed ea lege, & conditione, vt cũ quæſtioĩbus, & controuerſijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquã cõmune habeat; nefas eſt enim, qui ſanctiſsimorũ Epiſcoporũ catalogo adſcriptus non eſt, illũ Eccleſiaſticis negotijs, & conſultationibus ſe ſe immiſcere.*

A Habetur hæc epiſt. in tom. 1. illius Concilij cap. 32. Et in cap. 29. habetur epiſt. Cyrilli ad Cęleſtinũ Papam, in qua petit, vt ſententiã ſuam in cauſa fidei, quę tunc contra Neſtoriũ tractabatur, Macedonię & totius orientis Epiſcopis perſpicuè per literas exponat. Et ex tom. 2. præſertim à cap. 13. cõſtat nihil in illa Synodo ſine Põtificis authoritate actum eſſe. Prę terea in actis præambulis ad Concilium Chalcedonenſe habetur epiſt. Valentiniani, & Marciani Auguſtorũ ad Leonẽ Papam, ad quẽ ita loquuntur, *Tuam Sanctitatem Principatũ in Epiſcopatu diuinæ fidei poſsidentem ſacris literis in principio iuſtũ credimus alloquendam, inuitantes, atq; rogãtes, vt pro firmitate, & ſtatu noſtri Imperij æternam diuinitatẽ tua Sanctitas deprecetur, & vt tale propoſitũ, atq; deſideriũ habeamus, quatenus omni impio errore ſublato per celebrandã Synodũ te authore, maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei catholicæ fiat.* In quibus verbis maximè expendo illã particulam, *Te authore:* nam ex illa cum prę cedentibus optimè explicatur, quid Imperator, quid vè Pontifex in congregando Concilio cõferat, ſcilicet, Imperator interceſsionẽ, Pontifex authoritatẽ. Eadẽq; verba ſufficiunt ad explicanda verba Concilij Epheſini de conuocatione illius per Imperatorẽ. Quæ verò Patres eiuſdẽ Concilij poſt illius definitionẽ ad Theodoſium ſcripſerunt ſupplicãtes, vt in illo geſta, ac definita ſuum robur obtineant, eundẽ ſuprà explicatũ ſenſum habent, ſccilicet. petijſſe Patres illos, vt authoritate ſua fidẽ protegerent, ac defenderẽt. Vnde inferius in alia epi. ad Auguſtos, eos exhortantur, vt veſtigia maiorũ ſuorũ imitentur, vt *quemadmodũ* (inquiunt) *ſinguli eorũ Sanctorum Patrũ ſynodis Imperij ſui tẽpore celebratis paruerunt, Patrumq; ſanctiones legibus ſuis munierunt, & quã illis deferrent obſeruantiam, decretis ſuis oſtenderunt, ita & vos, &c.* Vbi clare Imperatoris eſſe docent, parere, & obſeruãtiam exhibere decretis Synodorũ generaliũ, deinde vero ſuis legibus ea munire, & executionẽ procurare. De quo pũcto legi etiã poteſt Synodus. 3. Romana ſub Symmacho, vbi non ſolũ Patres, ſed etiã Theodoric⁹ Rex Pontifici tribuũt poteſtatẽ cogẽdi Cõcilia, licèt ad petitionẽ Imperatorũ, aut Regũ illa frequẽter vtatur. (Habetur tom. 4. eiuſdem Cõcil. cap. 14.) (Cap. 16.)

CAP.

CAPVT. XXVIII.

Patrum teſtimonijs, quæ Rex obijcit, ſatisfit.

1. In Apolog. pag. 26. Primũ Auguſtini teſtimium.

VLteriùs obijcit Rex quaſdam Patrum ſententias. Prima eſt Auguſtini in Pſal. 124. vbi ait, Iulianũ tametſi iniquũ, infidelem, & idololatrã, nihilominus fuiſſe verum Dominũ temporalem, illique fuiſſe à Chriſtianis obediendum. At quis hoc negat? ſuperiùs enim ex profeſſo à nobis probatum eſt, infideles etiam eſſe poſſe veros Reges, & Dominos, eiſque in rebus iuſtis, & licitis parendum eſſe. Quod etiam verũ eſſe dicimus de Rege hæretico, & ſchiſmatico, quandiu per Eccleſiam non deponitur, ſeu regno priuatur. Atq; ita loquutus eſt Auguſtinus. Quôd ſi Rex dicit, nõ poſſe deponi, oportet, vt aliunde id probet, nam Auguſtinus certè id non dicit, & in alijs locis generaliter docet, iuſtú eſſe, hęreticos per cruciatus, & pęnas ad fidem cõpelli. Quòd ſi Rex argumentum inde ſumat, quod apoſtata ille Impijſsimus per Eccleſiã depoſitus nõ eſt. Reſpondemus, argumentũ nullius eſſe momẽti, nõ enim ideo id facere omiſit Eccleſia, quia iure nõ poſſet, ſed quia otioſum fuiſſet id tẽtare, quod exequi tunc non poterat.

Hoc teſtimoniu nihil fauet Regi.

2. Secundum teſtimoniũ ex Tertulliano.

Secundũ teſtimonium eſt Tertulliani lib. ad Scapulam cap. 2. *Chriſtianus nullius eſt hoſtis, ne dum Imperatoris, quem ſciens à Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt, vt & ipſum diligat, & reuereatur, & honoret, & ſaluũ velit, cum toto Romano Imperio, quouſque ſeculum ſtabit, tandiu enim ſtabit. Colimus ergo & Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominẽ à Deo ſecundum, & quidquid eſt à Deo conſequutum, & ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet. Sic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Hoc vero teſtimonio, & alio Tertulliani nos etiam ſupra vſi ſumus, vt poteſtatẽ ſupremam Regum temporaliũ probaremus, nihilq; aliud ex verbis illis cũ fundamento colligi poteſt. Nã quod imperatorẽ vocat *hominẽ à Deo ſecundũ*, ideo dictũ eſt, quia in ordine tẽporalis regiminis Imperator, vel Rex ſuprem⁹ immediatè ſub Deo eſt, & nullũ aliũ in eo ordine ſuperiorẽ recognoſcit. Atq; in eodẽ ſenſu accipiendũ eſt, quod illum vocat *ſolo*

Hoc teſtimoniũ tantũ ſupremã Regũ in tẽporalib⁹ poteſtatem cõmendat.

A *Deo minorẽ*, vtiq; in ſuo imperio, obediẽtia, ac regimine purè ciuili, ac temporali. Nã alioqui manifeſtũ eſt, poſſe vnũ Regẽ vel Imperatorẽ tẽporalem eſſe maiorem alio in poteſtate, & ditione, etiã ſi vnus alteri nõ ſubijciatur. Maioriq; ratione Põtifex maior eſt Imperatore, quia nõ ſolũ dignitate, & ditione excedit, ſed etiã illi ſuperior eſt in alio excellẽtiori ordine, & in ordine ad altiorem finẽ. Sicq; locũ habet limitatio quã in eiſdẽ verbis Tertullianus adhibet: *Colimus Imperatorẽ ſic quomodo & nobis licet, & illi expedit*, vtiq; in his, B quæ poteſtati illius ſubiacẽt, & Deo, eiusq; fidei nõ repugnãt. Nã cũ in his excedit, & delinquit Imperator, iã nõ legitima poteſtate vtitur, & ſi Chriſtanus ſit, vt talis ſuperiorẽ habet, à quo corrigatur.

Neq; plus probãt verba, quę tertio loco ex Iuſtino adducit Apolog. 2. pro Chriſtian. quæ nos etiã ſupra tractauim⁹ & nihil probant, niſi Imperatorẽ, & Regẽ, quandiu Rex eſt, eſſe verũ Dñm, cui obediendũ eſt in his, quę illi ſubiacẽt. Nemo autẽ dubitabit, poſſe Regẽ, vel regno renũciare, vel illud amittere, & tũc etiã dominiũ eius, ac poteſtatẽ, & conſequenter etiam obligationẽ illi obediendi ceſſare.

3. Tertium ex Iuſtino.

C Quartò adducit verba Ambroſij orat. Contr. Auxent. de Baſilic. non tradend. in initio: *Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduerſus arma, milites, Gothos quoq; lachrymæ meæ arma ſunt. Talia munimenta ſunt ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poſſum reſiſtere.* Quibus verbis videtur velle cõcludere Rex Angliæ, Pontifices nõ poſſe iniquis ſchiſmaticorum Regũ conatibus poteſtate reſiſtere, ſed ſolo verbo, exhortatione, ac precatione. Longè verò diuerſa erat mens Ambroſij, quam ſatis oſtendit, quãdo Theodoſio non ſola prece, ſed imperio, & ſpirituali poteſtate reſtitit. D Sententia igitur Ambroſij fuit, nõ eſſe ſacerdotis officium arma ſenſibilia, & materialia contra Imperatorem tyrãnum, aut rebellem ſumere, & militum caſtris illi reſiſtere. Et nihilominus non negat habere Eccleſiam poteſtatem, qua illi reſiſtat, ſed quia hæc ſæpe contra incorrigibiles, & contẽptores efficax non eſt, ideo, ait, vltimum refugiũ ſacerdotis in lachrymis, & precibus ad Deum poſitum eſſe. Potuiſſet autem Rex Angliæ attentiùs expendere verba, quæ in fine ora-

4. Quartum ex Ambroſio.

Vera Ambroſij mẽs.

orationis poſuit Ambroſius: *Quid honorificentius, quàm vt Imperator filius Eccleſiæ eſſe dicatur. Quod cum dicitur, ſine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt*. Ergò ſicut filius corrigi poterit à Patre, & vt inferior à ſuperiore, quia ſi ſuperior non eſt, profectò inferiorē eſſe neceſſe eſt: nam duo capita æqualia ſine ſchiſmate eſſe non poſſunt. Eſtque ſimilis locus, eodemque modo explicandus apud Chryſoſt. Homil. 4. de Verb. Iſai. *Nam ſacerdotis tantum eſt arguere, liberamque præſtare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vſurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, ſed tantum arguere, ac liberam præſtare admonitionem*. Sub verbo enim arguendi intelligendum eſt comprehendi quicquid ad correctionem Eccleſiaſticā pertinet, & tunc etiam locum habet, quod idē Chryſoſtomus præmittit: *Vbi ſacerdos contemptus eſt, dignitasq́; ſacerdotij conculcata, neque quicquam præterea potuit ſacerdos*) dicit Deo.) *ego quod erat mei officij præſtiti, nihil amplius poſſum, ſuccurre ſacerdotio, quod conculcatur*, &c. Agit autem de Azaria, qui quantum potuit reſtitit Oziæ, & cum proportione de Pōtifice nouæ legis intelligendum eſt.

Chryſoſt.

5. Quinti ex Optato. Verus eius ſenſus.

Quinto loco adducit verba Optati lib. 3. contr. Parmen. *Super Imperatorem non eſt, niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem*. Sed hæc verba eodem modo, quo ſimilia Tertulliani, exponenda ſunt, ſcilicet Imperatorem eſſe in ſuo ordine ſub Deo ſupremum, quod non excludit ſub ordinationē ad ſpiritualē poteſtatē, quā vt Chriſtianus habet. Et hanc fuiſſe intentionem Optati ex alijs locis eius in ſuperioribus allegatis, & ex occaſione, quam tunc habuit Imperatoriam dignitatem tuendi, ſatis manifeſtum eſt. Agebat enim ibi contra Donatum, qui Imperatorum leges deſpiciebat, dicens, *Quid eſt Imperatori cum Eccleſia*, quæ vt ait, *contra præcepta Apoſtoli Pauli meditabatur*. De quibus præceptis inferius ait, ſeruanda eſſe, *etiam ſi Imperator gentiliter viueret*. Quod ergo ait, ſolū Deum eſſe maiorem Imperatore, etiam de Imperatore gentili intelligit, de quo cogitare nō potuit, habere in Eccleſia Primatū, vel ſpiritualem poteſtatē; loquitur ergo de Im-

A peratore ſolum quoad temporalem poteſtatem.

Sexto maiorem vim facit in verbis Gregor. lib. 2. epiſt. 61. indict. 2. aliàs c. 100. quæ eſt ad Mauritium Imperatorem ſuper legem, quam tulerat, vt milites in monaſterio non ſuſciperētur, quæ erat iniuſta, & contra ſupernaturalem finem, & nihilominus non eſt auſus reuocare illam per eam indirectam poteſtatē, quam nos illi tribuimus; non ergo illam in ſe agnoſcebat. Vnde poſtquam Gregorius verbis ſubmiſsionis, & humilitatis Imperatorem alloquutus fuerat, eum

6. Sextum teſtimonium ex Gregor.

B *Dominum ſuum, ſeq́; famulum pietatis ſuæ*, appellans, deinceps iniquitatem legis oſtendens inter alia ſic inquit, *Ego vero hæc dominis meis loquens, quid ſum, niſi puluis, & cinis? ſed tamen quia contra Dominum Deum hanc intendere conſtitutionem ſentio, dominis tacere non poſſum*. Et nihilominus in fine epiſtolæ ita cōcludit: *Ego quidem iuſsioni ſubiectus eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci, & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſsimis Dominis nunciaui. Vtrobiq́; ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedi-*

C *entiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minime tacui*.

7. Reſpondemus, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſſe, quid D. Gregorius de Imperatorum poteſtate in Eccleſia ſenſerit, cum in Pſal. 5. Pænit. aliàs 101. circa verſum illum. *Tota die exprobrabant mihi inimici mei*, contra eundem Mauricium Imperatorem ſcriptum reliquerit: *In tantū ſuæ temeritatem extendit veſaniæ, vt caput Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius poteſtatis vſurpet*. Et infrà in alium verſum;

D *Initio tu Domine terram fundaſti*, eundem Mauricium inter Eccleſiæ perſecutores annumerat, dicens, *Quid Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte, qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur?* Ex hoc ergo loco alterius intelligentiam rectè colligunt Cardinales Baron. & Bellarm. Cū enim ille Imperator, licet catholicus, & aliàs Eccleſiæ benefactor, ſua poteſtate abuteretur, prudenter egit Gregorius ad eū ſubmiſsè ſcribendo, & blande illum exhortando, & inſtruendo, vt faciliùs illum ad legis emendationem, vel reuocationē

Reſponſio. Baron. ann. 593 n. 14. & ſequent. Bellarm. in Reſpon. ad Regē Angl.

induceret. Igitur non idcirco ſtatim poteſtate ſua vſus non eſt, quia illam nō haberet, ſed quia non ſperauit tunc fructū, ſi rigore vteretur. Et ideo in principio eiuſdem epiſtolæ ad hoc inſinuandum, & ad tuendam ſui muneris dignitatē ait: *Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus in hac ſuggeſtione, neque vt Epiſcopus neq; vt ſeruus iure reipublicæ, ſed iure priuato loquor.* Et nihilominus prouidentiam erga Eccleſiam eo tempore neceſſariam non omiſit, nam legem illam, quàm in fine illius epiſtolę ad varias mundi partes trāſmitti feciſſe, dicit: nō ſine debita correctione, & moderatione tranſmiſit: vt cōſtat ex eiuſdem epiſtola ad Epiſcopos diuerſarū regionum, quæ habetur lib. 7. in dict. 1. epiſt. 11. Vbi poſtquā dixit, *legē quā Imperator dedit, &c. Veſtræ ſtudui firmitati tranſmittere,* &c. ſubdit, *Hoc maximè exhortans,* &c. *vt niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita, ſuſcipiendi non ſint, poſt ſufficientem autem probationem, & examinationē,* ait ſuſcipiendos eſſe. In quo manifeſtè vſus eſt authoritate, quam habebat ſupra leges ciuiles in ordine ad bonū animæ, & ſpiritualem finem moderandi legem.

8.
Alia Patrum teſtimonia Imperatoriam dignitatem commendantia, eorūque explicatio.

Vltimô poſſumus addere non nullas alias Patrū loquutiones, quæ nimiū poteſtati, ſeu dignitati ciuili fauere videntur. Ignati. epiſt. ad Smirnen. *Honorare oportet & Regem, neq; enim Rege quiſquam præſtantior, aut quiſquam ſimilis ei in rebus omnibus creatis.* Intelligitur autē de præſtantia, & ſimilitudine in poteſtate, vtiq; in ſuo ordine, vt diximus. Vnde ibidem de Epiſcopo etiam ait, eſſe honorandū, *vt Principē ſacerdotū, imaginem Dei ferentem, & Chriſti.* Et infrà: *Nec Epiſcopo, qui Deo conſecratus eſt pro totius mundi ſalute, quicquam maius eſt in Eccleſia.* Quod etiam reſpectiuè, & cū proportione intelligendū eſt. Cyrill. etiā Alexandr. lib. de Recta in Deum fide ad Theodoſium in principio ſic ait. *A Deo, cuius eſt ſumma celſitudo, vobis clariſſimi Reges humanæ claritudinis faſtigium incomparabilibus excellentijs præ omnibus alijs exurgens, & exaltatum, eximiaq; ac honeſta ſors ſunt data. Vos enim eſtis ſummarum dignitatū fontes, & ſupra omnem eminentiam, humanæq; felicitatis principiū, ac origo. Et veſtræ quidem maieſtatis clementiſſimis nutibus, quid*

Ignat.

Cyril. Ale.

A *quid regni ſolijs ſubſtratum eſt, vt vitam legitimam, & admirabilem agat, gubernatur, at qui iugum non ferunt, facilè à veſtro robore victi cadunt.*

Hæc autem verba ſuperius dictā intelligentiam facilè recipiunt, & tanta moderatione, ac prudentia ſcripta ſunt, vt non ſolū verū ſenſum ſtatim per ſe prodant, ſed etiā eſſe aliam poteſtatem excellentiorē, & plus quā humanam ſatis indicēt. Ideo enim dixit Cyrillus, datū eſſe Regibus humanæ celſitudinis faſtigiū, quia ſacerdotale, & Pontificale plus eſt, quā humanū. Vnde cum poſtea dixit, Imperatorē eſſe ſummarū dignitatū fontem, & ſupra omnem eminentiā, ſtatim addidit, *humanæ fœlicitatis principium, & origo.* Nam illa omnia de dignitatibus terrenis, ac temporalibus, quæ ad humanā, id eſt, naturalē, ſeu ciuilem fęlicitatem ordinātur, intelligenda ſunt. Quod magis declarant illa verba. *Quidquid regni ſolijs ſubſtratum eſt, vt vitam legitimam, & admirabilem agat, veſtris nutibus gubernatur.* Sciebat enim Cyrillus, eſſe multa, quæ regni ſolijs non ſubſternuntur, quæ tūc clarius explicare non erat neceſſe; quia non doctrinam Eccleſiaſticam tradere tunc inſtituerat, ſed tantum Imperatorem ad veram de Chriſto fidem audiendam beneuolum reddere.

9.
In præ[...] ctis aliā dig nitatem R[...] gia præ[...] tiorem inſi[...] nuauit Cy[...] rillus.

B

C

Vltimo poſſūt notari verba Symmachi Papæ in Apologet. aduerſus Anaſtaſ. Imperatorem, vbi cōparans Pontificē cum Imperatore in honore eis debito ait: *Vt non dicam ſuperior, certè æqualis honor eſt.* Veruntamen ex antecedentibus cōſtat ſenſus, & modeſtia Pontificis. Dixerat enim, *Conferamus honorem Imperatoris cū honore Pontificis, inter quos tantum diſtat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iſte diuinarum.* Ex quo principio potuiſſet quidem expreſſe concludere, maiorem honorem Pontifici eſſe debitum, propter modeſtiam vero noluit. Vocauit autem honorem æqualem, nō ſimpliciter ſed ſecundum proportionē, quatenus vterq; eorum in ſuo ordine ſupremus eſt. Poſtea vero in diſcurſu Apologiæ diſerte affirmat, & probat, habere ſe authoritatē ſuperiorem, ad cogēdum Imperatorem, ſi hæreticus ſit, aut cum hæreticis ab Eccleſia damnatis cōmunicet.

10.
Symmach.

D

CAP.

CAPVT XXIX.

Obiectionibus ex rei nouitate, & factis Imperatorum, Regumq́ deſumptis ſatisfit.

1. *Primatum Pōtificis nouitatis arguit Rex.* CONqueritur vlterius Rex Anglię, quod poteſtas hæc in Chriſtianos Principes *per ambitionem, & abuſum ſit vſurpata*, vt in Præfat. ait pag. 22. Vt autem hoc perſuadeat, etiam vſũ eius nouum eſſe contendit. Sic enim in Præfat. pagin. 24. dicit, *nouum eſſe, & abſurdum* ſenſum illorum verborum Chriſti: *Paſce oues meas*, & *Quodcunque ligaueris*, ex quo genus illud poteſtatis colligitur. Et pag. 60. cum dixiſſet Petrũ fuiſſe illorum Apoſtolorum, quos Chriſtus elegit, Principem tantum ordine quodam, ſubiungit: *Nec aliquid ſibi amplius trecentis poſt Chriſtum annis Romanæ ſedis Epiſcopus arrogauit*. Deinde, vt hanc nouitatem ſuadeat, ibidem in generali dicit Romanos Epiſcopos vſque ab Phocæ tẽpora Imperatoribus ſubiectos fuiſſe. Sed hoc quam ſit à veritate alienum, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt. Antea verò pagin. 28. & ſequentib. aliqua Imperatorum, & Regum facta recenſuerat, quæ ad prædictam nouitatem vſurpatæ iuriſdictionis, & antiquam ſubiectionẽ Romanorum Pontificum oſtendendam induci poſſunt, de quibus propterea hic nobis dicendum eſt.

2. *Quam ſit antiquus pōtificis primatus.* Prius vero ad generalem de nouitate querelam refutandam ſufficere quidem poſſent ea, quæ ad probandam hanc poteſtatem ex antiquo vſu, & traditione adduximus. Breuiter tamen addimus, ſi ſermo ſit de ipſa poteſtate, tam antiquã eſſe, quâm eſt antiqua monarchiæ Eccleſiaſticæ inſtitutio, quæ ab ipſomet Chriſto verbis ſatis expreſsis facta eſt. Nam hunc eſſe legitimum ſenſum illorũ verborum, eumq́ue non nouum, ſed antiquiſsimum; imo & perpetuum in catholica Eccleſia fuiſſe, ſatis demonſtratum eſt. In illa vero inſtitutione, ac poteſtate includi ius hoc ad cogendos Chriſtianos Principes hæreticos, ſchiſmaticos, vel Eccleſiæ inobedientes, pernicioſos, & incorrigibiles, euidẽtibus rationibus, ac teſtimonijs oſtẽſum eſt. Quibus cum Rex Angliæ nihil habeat, quod reſpondeat, fingit, catholicos aſſerere, *poſſe Pō-*

A *tificem ad libidinem regna tollere, & condonare*, vt ait in Præf. pag. 23. imò etiã *pro libidine poſſe illos ad occiſionem ducere*, vt pagin. 24. adiungit. Vbi etiam addit, verba illa Chriſti: *Paſce oues meas*, ita à nobis exponi, *Tãquã hoc ſignificarẽt, tolle, proſcribe, abdica chriſtianos Principes, atq́; Reges*.

Sed (vt iterũ iam in ſuperioribus dixi) hæ ſunt euaſiones friuolæ, vanaq́ue portenta à Proteſtantibus inuenta, vt & Regi imponerent, & odium in catholicos, & in veritatẽ ipſam excitarent. Nunquid enim quia Rex Angliæ poteſtatem habet ad coercendos ſubditos ſuos iuſtis B pœnis, quando deliquerint cõtra ſuas leges, ideo dicendus eſt, ad libidinem ſuã poſſe occidere ſubditos, eoſve bonis ſuis priuare? Certe neq; ſubditi ſui hoc audire vellent, neq; ipſe tantam tyrannidem ſibi attribui permitteret. Cur ergo in Chriſti Vicario fingit, quod de ſe puderet audire? Vera ergo nouitas in hac tyrannica poteſtate fingenda à Proteſtantibus reperta eſt; antiquitas autẽ legitimæ poteſtatis Pontificiæ ad iuſtam Principum coactionem, etiã vſq; ad priuationẽ regnorũ, ſi cauſa ſit digna, & ipſi rebelles ſint, euidẽter à catholicis Doctori- C b[9] ſuppoſitis Chriſti verbis oſtẽſa eſt: nec de ipſa poteſtate aliud dicendũ ſupereſt. 3.

Si vero ſit ſermo de vſu, diſtinguere poſſumus vſum directiuæ poteſtatis, & coactiuæ, & de vtroq; facilè confitemur non fuiſſe in Eccleſia erga Chriſtianos Imperatores, aut Reges, trecentis poſt Chriſtum annis, non quia eſſe non poſſet, ſed quia non erat materia eius: nulli enim fuerũt illis temporibus Chriſtiani Principes, aut Imperatores. Quid ergo mirum, ſi Pontifices præceptis ſuis, ac legibus illos gubernare non poſſent, D nec ſua poteſtate cogere, cũ Paulus dixerit; *De his, qui foris ſunt, nihil ad nos?* Solũ ergo tunc poterant illis fidẽ prædicare, quandiu vero illã voluntariê nõ ſuſcipiebant, & per baptiſmũ nõ profitebantur, efficacius dirigi, aut regi nõ poterãt. Ab hoc autẽ tẽpore, breue illud excipio, in quo Philippus Imperator Chriſtianus fuit: nã in illũ Fabianus Põtifex ſua poteſtate, quãtũ occaſio iuſta tulit, vſus eſt, vt ſuprâ ex Euſebio retulim[9]. Vt hoc exemplo appareat, nõ eſſe ſolidã, neq; ſimpliciter verã illã Regis abſolutã loquu- 4.

Imperator Philippus primus catholicus extitit, iu eũq; Põtifex ſua poteſtate vſus eſt.

tionē. *Neq; amplius trecentis poſt Chriſtū annis Pontifices Romani ſibi arrogarunt*, quādoquidē quantū illius temporis occaſio tulit, Fabianus ea legitimè vſus eſt. Accedit quòd illo etiā tēpore Eccleſia vſa eſt ſua poteſtate ſpirituali in materia etiam temporali, prout ad ſuum bonum expediebat, nulla habita ratione ciuilium legum, ſed illas corrigendo, aut limitando propter ſpiritualem finem. Exemplum optimum eſt in lege facta à quodam Cōcilio Africano, vt Cyrill. refert epiſt. 66. ne clericus poſsit in teſtamento in tutorem nominari, cum leges ciuiles neminē à tutela eximi poſſe diſponant. ff. de Excuſat. tutor. per plures leges.

Cyrillus. Cap. *Diſplicet*. §. *Repetis* 23 q. 4.

5. Preterea poſt illa tempora ſemper Pōtifices vſi ſunt hac poteſtate in Chriſtianos Principes, prius quidem monitis, & præceptis eos dirigendo, & vbi oportuit, eorum leges emendando, vt de Gregorio capite præcedenti vidimus, & de alijs ſuprà retulimus. Poſtea vero etiam cogendo, quantum neceſsitas poſtulabat & ratio temporum permittebat. Vſus enim huius poteſtatis coerciuæ non eſt per ſe neceſſarius, ſed cogente neceſsitate. Atq; vtinam neceſsitas iſtius vſus nūquam fuiſſet, id eſt, nunquam fuiſſent quæ ad illum exercendum obligarent. Quandiu ergo talia crimina in Principibus Chriſtianis inuenta non ſunt, ſine præiudicio poteſtatis potuit talis vſus in Eccleſia non eſſe. E contrario vero, non fuit neceſſe, vt ſtatim ac Imperatores Chriſtiani Apoſtatæ, vel Eccleſiæ rebelles eſſe cæperunt, tota ſua poteſtate Eccleſia, ſeu Pontifices in eos vſi fuerint: quia ex tali vſu non fructum, ſed maius Eccleſiæ nocumentum timere potuerunt. Vnde Auguſt. reſpondēs ſimili argumēto Donati epiſt. 204. ad eundē ait. *Repetis ſicut audio, quod in Euangelio ſcriptum eſt, receſsiſſe à Domino ſeptuaginta diſcipulos, & arbitrio ſuæ malæ, atque impiæ diſceſsionis fuiſſe permiſſos, cæteriſque duodecim, qui remanſerant, fuiſſe reſponſum. Nunquid & vos vultis ire? Et non attendis, quia tunc primum Eccleſia nouello germine pullulabat, nondumq; in ea fuerat completa illa prophetia. Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gētes ſeruient illi. Quod vtiq; quanto magis impletur, tanto maiore vtitur Eccleſia poteſtate, vt non ſolum inuitet, ſed etiam cogat ad bonum.* Idē ergo in illis primis temporibus Iuliani v. g. vel aliorum accidit, qui per potentiā, & tyrannidem more gentiliū Eccleſiam perſequebantur. Et nihilominus non defuit circa eadē tempora vſus huius poteſtatis, quādo cum fructu coerceri potuit, vt ex cenſura Ambroſij in Theodoſium, & Innocentij in Arcadium apertè oſtenditur, & ita etiam poſtea ſucceſſu temporū iuxta occurrentes occaſiones vſus huius poteſtatis adhibitus eſt, vt vidimus.

Auguſt.

Sed occurrit Rex Angliæ ex contrarijs factis oſtendens contrarium ius Imperatoriæ poteſtatis in Pontifices. *Nam Imperatoris* (inquit) *aſſenſus longo annorū decurſu eligendis Pontificibus interuenit, & cæt.* Quæ late proſequitur, ex quibus argumentū excellentioris poteſtatis Imperatoriæ deſumere conatur. Quia vero de electione Pontificum in propria materia de Pontifice tractatur latius, nunc breuiter fatemur, ſeruatum eſſe aliquo tempore, vt electio Pontificis per conſenſū Imperatoris confirmaretur, vt ex Platina in Firmiano Papa, & ex alijs hiſtorijs conſtat, & apertè ex Gregor. lib. 7. indict. 1. epiſt. 1. in fine, vbi voluntate Imperatoris ſe factum eſſe Pontificē illis verbis affirmat: *Ecce ſereniſsimus Dominus Imperator, fieri ſimiam, leonem iuſſit. Et quidem prouiſione illius vocari leo poteſt, fieri autem leo non poteſt. Vnde neceſſe eſt, vt omnes culpas, ac negligentias meas nō mihi, ſed ſuæ pietati deputet, qui virtutis myſterium infirmo cōmiſit.* Addimus vero deinde, multis temporibus factos eſſe Pontifices ſine conſenſu Imperatorum, aut Regum, nimirum & ante conuerſionem Imperatorum ad Chriſtianā fidem per trecentos, & plures annos, & poſt conuerſionē Conſtantini per alios ducētos annos vſq; ad Iuſtinianum Auguſtū, à cuius tempore Imperatores ius illud vſurpare cæperunt, vt vulgare eſt in hiſtorijs. Vnde colligimus, non recepiſſe Imperatores hanc poteſtatem diuino iure, quia aliàs nunquam ſine illorū ſuffragio Pontificis electio validè fieri potuiſſet. Neq; etiam habuiſſe illam ex vi Imperij tū quia aliàs à principio illā ſibi arrogaſſent: tū præcipuè quia Imperiū terrenum eſt, & humanum, Pontificis autē dignitas ſuo modo diuina, & cæleſtis eſt.

6. Argumentum Regis ex Imperatoris ſuffragio in Pontifice eligēdo, deſumptum.

Platina. Gregor.

Exer-

Quo iure Imperatores in Pontificij electione ſuffragiũ aliquando tulerunt.

Gregor.

Baroni.

7. Exercuerunt ergo illam poteſtatem vel vſurpatam, vel ab ipſis Pontificibus conceſſam. Et quidem priori modo illã per vim, ac potentiam â Iuſtiniano vſq; ad Conſtantinum IIII. exercuerunt. Atq; hanc vim, ac tyrannidem deplorauit Gregor. in Pſal. 5. Pænit. ſuprà allegatum, & notauit Baron. ann. 590. n. 5. vbi etiam commemorat Imperatorũ violentiam, auaritiam, & ſimoniam in extorquenda pro ſua confirmatione pecunia, quæ conſuetudo vſq, ad Agathonem Papã durauit, ut ſumitur ex c. *Agatho*, d. 63. Quapropter vana eſt, quã Rex ſumit ex hac conſuetudine, argumẽtatio, quia ex ſumma vi, & iniuria nullum ius colligi poteſt. Poſteriori autem modo dicunt aliqui, vſos eſſe hac poteſtate Carolum Magnum, & Othonem Imperatores virtute priuilegiorum, quę Adrianus 1. & Leo. 8. illis conceſſerunt, prout Gratianus refert in c. *Hadrianus*. 2. & c. *In ſynodo*, d. 63. Veruntamen capita illa Gratiani ex falſis hiſtorijs deſumpta eſſe, & priuilegia illa ab ſchiſmaticis fuiſſe conficta, latẽ oſtendit Cardinalis Bellarmin. in ſua reſponſione ad Regem, & latius Cardinalis Baron. Ann. 774. à n. 10. & ann. 964. à n. 22. vbi inter alias rationes inde argumentum ſumit, quod nulla hiſtoria narrat, Carolum, vel ſucceſſores eius tali priuilegio vſos fuiſſe. Et ita omnino euertitur Regium argumentũ.

C. Agatho

Gratian.

Bellarmin.

Baron.

8. Et quanuis hanc Cardinalium ſententiam omnino veram eſſe exiſtimem, ne tamen quis putet ſolutionẽ argumenti pendere ex reprobatione hiſtoriæ, quã nunc examinare non vacat, addendum cenſuimus (quod etiam Bellarminus nõ omiſit) etiam ſi vera eſſet hiſtoria, & verum priuilegium, ſatiſq; de legitimo illius vſu conſtaret, nihil inde inferri cõtra eminentiã Pontificiæ poteſtatis; imo in hoc extolli, quod tanta eſt, vt electio etiam ſucceſſorum Pontificum ex illius inſtitutione, & determinatione pendeat, valueritq; partẽ aliquam, vel electionis, vel confirmationis futuri Pontificis Imperatoribus ex priuilegio communicare. Quod licet aliquis Pontifex conceſſiſſet, aliquis etiam ſucceſſor eius reuocare potuiſſet. Nam ſemper ſummus Põtifex manet Imperatore ſuperior, & priuilegium à ſuperiore liberaliter conceſ- A ſũ ab eodẽ, vel æquali ſucceſſore reuocari poteſt: præſertim ſi tale priuilegium parum ſit vniuerſali Eccleſiæ vtile, quale illud ſine dubio, vel potius pernicioſum fuiſſet. Quod autem Imperator non obſtante tali priuilegio ſemper maneat Põtifice inferior, manifeſtum eſt, quia per tale priuilegium nulla iuriſdictio ſpiritualis Imperatori data eſſet. Nam ius nominandi, eligendi, vel confirmandi non eſt iuriſdictio, ſed authoritas quædam quæ (qualiſcunque illa ſit) verſatur circa perſonam eligendam in Pontificem, B non tamen circa Pontificem iam electũ, ſupra quem neq; ipſemet Pontifex poteſt iuriſdictionem aliquã, vel poteſtatẽ concedere, aut delegare. Neque etiam propter tale priuilegium Imperator à iuriſdictione Pontificis exemptus fuit, quia etiam repugnat, Pontificem ſimile priuilegium concedere in diminutionẽ dignitatis, & curæ ſibi à Chriſto demandatæ. Neque ad effectum talis priuilegij eſt talis exemptio neceſſaria, nam ante quâm Pontifex eligatur, non habet locum exemptio, poſtquàm vero electus eſt, etiam qui illum elegerunt, illi ſubijciuntur, vt in Cardinalibus, & in alijs ele- C ctoribus patet. Curſu verò, & mutatione temporum priuilegium illud ſublatũ eſt, meliorque electionis forma inſtituta, de qua alibi Deo dante dicetur.

Priuilegiũ ab vno conceſſũ ab alio æquali reuocari poteſt.

Pergit Rex, objicitque ſecundo, *Paſſim occurrere Imperatorum exempla, qui Romanis Pontificibus ſuam poteſtatem abrogarunt.* Adhibetque exempla in Othone Imperatore, qui Ioannem 12. Pontificem, & in Henrico. III. Imperatore, qui Benedictũ. IX. Greg. VI. & Syluest. III. depoſuerũt. Sed in primis licèt hęc vera eſſent, nihil contra veritatem efficerent. D Quia ex factis, quæ iuſta, & licita non probantur, nullum oſtenditur ius. Deinde dicimus partim vera nõ eſſe partim nõ fideliter nararri. Nã Otho nõ depoſuit Ioannẽ. Aut enim poteſtate tẽporali, & hac non potuit legitime in Põtificem vti, non ſolũ quia ex vi Pontificatus erat exemptus, vt libro ſequenti oſtendam: ſed etiam quia iam tunc Pontifex erat Rex, & ſupremus in tẽporalib⁹, ſicut nũc eſt: vel id feciſſet Otho ſpirituali poteſtate, & hoc etiã dici nõ poteſt quia nec illã habebat, vt oſtendimus, nec legi-

9. Alia obiectio Regis ex actis Imperatorũ Pontifices deſumpta.

Otho Ioannem Pontificem nõ depoſuit.

legimus illam vſurpaſſe, aut eo errore laboraſſe Othonem, vt ſe caput Eccleſiæ faceret. Imô tam de illo, quam de alijs Imperatoribus catholicis legimus, nunquam brachio, aut virtute ſua, ſed alicuius ſynodi, quam congregari procurabant, authoritate, de Pontificum cauſis, vel abdicatione tractaſſe.

10. *Platina.* Vnde Platina in vita Ioannis XIII. licet prius dicat, Othonem perſuadente clero Leonem VIII. loco Ioannnis, qui aufugerat, creaſſe; nihilominus ſtatim id declarat, dicens, cum Romani inſtarẽt apud Imperatorem, vt alium Pontificẽ, abrogato Ioanne crearet, reſpondiſſe, electionem ad populum, & clerum pertinere, & ita clerum elegiſſe Leonem, Othonem vero illũ ſuſcepiſſe. Imò etiã indicat, Ioannem non fuiſſe depoſitum propter ſolos mores, ſed quia, *Alberici Patris potentia Pontificatum occupauerat;* nam in his verbis indicare videtur, non fuiſſe rectè electum, ſed per vim, & potentiam intruſum. *Onufrius.* Et hoc ſentit Onufrius in additionibus ad Platinam, dum ſentit Leonem VIII. fuiſſe ritè electum viuente Ioanne. Sed quia fortaſſe verius eſt, nec Ioannem fuiſſe ritè depoſitum, nec Leonem valide electum, addendũ eſt, Othonem exceſsiſſe Zelo non ſecũdum ſcientiam, ſynodumque fuiſſe priuatam, & illegitimam, potuiſſeque errare, exiſtimando, poſſe deponi Pontificem propter crimina extra hæreſim, vel fortaſſe magis propter violentiã Imperatoris, & humanum timorem id fecit quam quia ſentiret legitimê fieri potuiſſe. Vide Baronium ann. 964. n. 15. Quod verò ad alios tres Pontifices ſpectat, in primis falſum eſt, omnes fuiſſe veros Pontifices, nam de Syueſtro certum eſt fuiſſe intruſum, & ſchiſmaticũ. De alijs vero non nulla etiam dubitatio eſt, licèt probabilius credatur, legitimos Pontifices fuiſſe. Deinde Syueſter non ab Hẽrico, ſed â Benedicto IX. legitimo Papa eiectus fuit. Ipſe item poſtea non ab Hẽrico deiectus, ſed ſua ſponte (vel perſuaſione cuiuſdam ſancti Abbatis, vt aliqui referunt: vel vt liberius viueret) pecunia accepta, Papatui renũciauit. Atq; hoc tandem modo Gregorius VI. introductus eſt; quem ſolum Henricus poſtea deponendum curauit, in quo potuit

Ex allegatis Põtificibus non omnes legitimi extiterunt.

A idem error qui in Ioanne 12. contingẽre, quanuis illum etiam voluntariê ceſſiſſe, multi tradant. Vide Baronium Anno 1044.

Tertio Rex poſt Imperatores ad Reges tranſitum facit, & prius generatim dicit, non minori Conſtantia Reges hoc in ſe ius Pontificis temporale aſpernatos fuiſſe: deinde facta quædam aliquorum Regũ Galliæ, & Angliæ refert, ex quibus concludere vult, nullum ius in Reges ex diuina inſtitutione habere, nec præſcriptione illud aſſequi potuiſſe, cũ per ſimilia facta ſatis fuerit interrupta. 11.

Tertia obiectio ex factis Regum

B Sed non cenſui neceſſarium in examinanda veritate hiſtoriarum circa facta huiuſmodi immorari, quia licêt omnia, vt referũtur, admittãtur, nihil ad cõcludendũ, quod intenditur, cõducunt. Primô ex illa generali ratione, quòd facta Regũ tẽporaliũ parũ valent ad oſtendẽdum diuinum ius; tum quia illud per ſe cognoſcere, vel docere nõ illorũ munus eſt, ſed Prælatorũ Eccleſię, & præcipuê ſummorũ Pontificũ; tum etiam quia nimirũ ſępe potentia ſua freti, & vel ambitione dominationis, vel turpiſsimi lucri cupiditate illecti, poteſtatis Regiæ iura

Reſponſio

C tranſcendunt. Secũdo, & ſpecialius quia omnia verba, & facta, quæ referuntur, ad alias cauſas, ſeu materias pertinent, ex illiſque non ſolum inferri non poteſt, Romanum Pontificem non habere ſupremam poteſtatẽ in ſpiritualibus, quæ ad directionem & correctionem Regum, etiam in materia temporali, ſe extendat, verum etiam nec colligi poteſt, Reges illos ita ſẽſiſſe. Quod breui diſcurſu per ſingula, quæ afferuntur, diſcurrendo, demonſtro.

Primum enim affert inepta quædam verba Philippi Pulchri Francorum Re- 12.

D gis, quæ in epiſtola quadam ad Bonifacium VIII. aliquo animi furore, aut impetu iracundiæ ductus, ſcripſit, ex quibus argumentum ſumere contra rationẽ eſt. Sed omiſſa contumelia, quid tandem Rex ille affirmauit? *Scias, nos in temporalibus alicui non ſubeſſe.* At quid tandem hinc ſequitur? aut quis hoc inficiatur; Certè qui definite dixit, ſe in temporalibus alicui non ſubeſſe, tacitè confeſſus eſt, in ſpiritualibus ſubeſſe, cui autem magis, quam Pontifici? Quod ſi ei in ſpiri-

Facta Regũ à Iacobo Rege inducta ſigillatim expendũtur

Philippus. Pulc. Rex

ſpiritualibus ſubeſſe faſſus eſt, negare profecto non potuit, ſi temporalibus cõtra ſpiritualia Rex abutatur, ratione ſpiritualium poſſe etiam in temporalibus vexari, & corripi.

13. S. Ludou. Rex. Deinde allegat ſanctum Ludouicum, qui *publica ſanctione exactiones omnes curiæ Papalis intra regnum ſuum prohibuit.* Quam ex Arreſtis allegat. Cùm illorum tamen copiam non habeamus, non poſſumus certum illius ſenſum explicare, nihil enim credimus à tanto, ac tali Rege ſancitum, quod iuſtum, ac religioſum non fuerit. In tomo autem 6. Bibliot. Sanctor. in fine, quandam Pragmaticam ſanctionem eiuſdem Regis typis mandatam inuenimus, in qua in fauorem Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, & liberæ prouiſionis beneficiorum, & cum obſeruantia ſacrorum canonum multa legimus ſcripta; de exactionibus autẽ curiæ Romanæ penitus nihil. Alij verò prohibitionem illam non abſolutè, ſed cum limitationè referunt, videlicet, *exactiones, & onera grauiſſima*, &c. *colligi nullatenus volumus, niſi pro rationabili, pia, & vrgentiſſima ineuitabili neceſſitate.* Itaq; ſiquid ſanctus Rex ſanciuit, non fuit ſpiritu elationis, aut exemptionis ab obedientia Papæ, ſed quatenus exiſtimauit iuſtæ ſui regni conſeruationi eſſe neceſſarium, & ad ſuam iuriſdictionem temporalem pertinere. Adeô enim fuit ab vſurpatione ſpiritualis poteſtatis alienus, vt cùm eius legatus vltro Eccleſiarum cathedralium à Papa impetraſſet *Bullam prouiſionum, Rex in ignem illam proiecerit, dicens, gratias non agimus tibi de his, quæ in periculum animarum noſtrarum impetraſti, videlicet, vt Eccleſijs prouideamus.* Et illa vti noluit. Ita refert Rebuff. in Concordat. in Procemi. §. *Quædam nobis.* verb. *Optabamus.* Rebuff.

14. Ludouic. II. Denique Rex Angliæ latè commemorat factum Ludouici. 11. Regis Galliæ, qui Pio II. Pontifici petenti reuocari quandam pragmaticã ſanctionem non acquieuit. Sed hoc etiam nihil ad cauſam facit, nam tota illa controuerſia fuit ſine ſchiſmate, ſemper enim Rex ille obediẽs Papæ fuit, vt ex literis eius ad Pium II. ſuprâ oſtenſum eſt. Nec video, cur Rex Iacobus potius Pij II. Ludouicique. 11. quàm ſequentium Pontificum, & Regũ vſque ad Leonem X. mentionem fecerit, cuius tẽpore lis illa finita eſt, & pragmatica abrogata in Concilio Lateranen. ſub eodem Leone X. ſeſſ. 11. Vbi tota illa hiſtoria latè refertur, & ex illa conſtat Pontifices nunquam abſoluta poteſtate fuiſſe in illo negotio vſos, ſed ſuauiter proceſsiſſe, vt ſeruata concordia, cum fidei vnitate tandẽ res perficeretur. Conc. Lat.

Deinceps vero poſt magnam, & prolixam exaggerationem, quam Rex non probat, ad quæſtionem longê diſtinctã diuertit, librumque Gerſonis commemorat, in quo grauiter quidem lapſus fuit, tribuendo Concilio generali poteſtatem coactiuam in Pontificem, etiam vſque ad depoſitionem propter alia crimina præter hæreſim, nullo tamen modo Regibus tribuit ſpiritualem poteſtatem, nec â ſubiectione, & poteſtate coerciua Pontificum illos eximit. Nec in dubium reuocauit Eccleſiaſticam monarchiam, quam â Chriſto eſſe inſtitutam, & auferri, aut in alium regimen transferri non poſſe, in eodem loco confirmat: ſuperuacaneum ergo eſt, his verborum exaggerationibus, & digreſsionibus veritatem obſcurare. 15. Error Gerſonis de Cõcilij in Pontificem poteſtate.

Tandem Rex Iacobus ſex enumerat Reges Angliæ, qui vel Epiſcoporũ inueſtituram ſibi arrogarunt, vel Eccleſiaſticarum perſonarum libertatem violarunt, vel Pontifici obedire noluerunt. Veruntamen hæc facta turpia ſunt, & occultanda potius, quàm in mediũ producenda, & parum ad rem faciunt. Nã inueſtituræ Epiſcoporũ aliquando fuerunt conceſſæ, vel permiſſæ Regibus: vnde Richardus, vel alius ſimilis Rex Angliæ non iuri diuino innixus, ſed fortaſſe conſuetudini, vel alicui prætenſo priuilegio, illam poteſtatẽ retinere, aut exercere audebat. Et licet inobediens eſſet, ac pertinax, Pontificum prohibitionibus vtiq; Gregorij VII. ac ſucceſſorum reſiſtendo: nõ tamen ſibi Primatum Eccleſiæ arrogabat, neque abſolutê obedientiam Pontifici negabat, ſed in particulari facto, vel practicè tantũ errabat, vel colore aliquo ius ſuum defendere fingebat. Tandem vero reſipuit, *Et inueſtituras Deo, & ſancto Petro remiſit,* vt ait Guilielmus Malmesburienſis lib. 5. Hiſtor. 16. Guilielm. Malmeſb.

17. Similiter negare non poſſumus, aliquos Reges Angliæ pertinaces nimium in vſurpanda iuriſdictione in perſonas Eccleſiaſticas fuiſſe. Sed ex abuſu, & tyrannide malè colligitur legitima poteſtas: & prætereà error ille, ſeu peccatum ad aliam controuerſiam pertinet, vt ſæpe dixi. Vnde ijdem ipſi Reges Primatum Pontificis recognouerunt, eiusque poteſtatem coactiuam timuerunt, vt ſuprà de Henrico II. viſum eſt, qui adeò libertatis Eccleſiaſticæ violator fuit, vt neci Sancti Thomæ Cantuarienſis occaſionẽ dederit, & nihilominus Pontifici ceruicem ſubmiſit, & publicam pœnitentiam egit. Similiter Eduardus tam 1. quàm 2. & 3. licèt in factis illis errarent, à Pontificis obedientia non recedebant, vt ex illorum epiſtolis ſuprà vidimus, vbi etiã ſimiles literas Richardi 2. recenſuimus. Quapropter friuolum eſt, quod in hoc puncto Rex Iacobus reſpondet, *ſatis eſt, iniuſtam meorum iurium vſucapionẽ, quotieſcunq; licuit, fuiſſe interruptam.* Poteſtas enim Pontificia non humano iure præſcripta, ſed diuino conceſſa eſt, ideòque nulla hominum tergiuerſatio, nulla inobedientia, nullavè multorum annorum conſuetudo illam mutare poteſt, vel minuere.

CAPVT XXX.

Obiectionibus ex nonnullis rationibus deſumptis ſatisfit.

1. QVanuis in libro Regis Angliæ nullam nouam rationem inueniam, qua errorem ſuum, & omnimodam exemptionem à poteſtate Papæ, præſertim in temporalibus ſuadere nitatur, nihilominus ad huius libri complementum nonnullas, quæ communiter circunferuntur, vel potiores iudicantur, breuiter proponere, & expedire neceſſarium viſum eſt. Prima igitur eſſe ſolet (& videtur etiam eſſe Regis fundamentum) quia Rex eſt ſupremus in temporalibus, vt ex Scripturis ſumitur, & ſuprà etiam ratione probatum eſt; ergo non poteſt eſſe ſimul in temporalibus ſubiectus. Probatur conſequentia, quia qui eſt ſubiectus in aliqua materia, habet ſuperiorem in illa; repugnat autem eſſe

Prima obiectio.

A ſupremum, & habere ſuperiorem. Dices, id eſſe verum de ſubiectione, & prælatione eiuſdem generis, id eſt, vt vtraque ſit directa, vel indirecta: quod autem idẽ ſit ſupremus reſpectu poteſtatis directè ſuperioris, quia illam ſupra ſe non habet, & nihilominus ſit indirectè ſubiectus alicui, non repugnat. Sed contra, quia vt Iuriſtæ dicunt, quod directè fieri prohibitum eſt, nequit per aliam viam fieri, etiam indirectê, quia aliàs eneruaretur, & inutilis fieret prohibitio; ergo ſimili modo in præſenti. Quomodocũq; enim B Rex dicatur alteri ſubiectus (etiam indirectê) in temporalibus, etiam excellentia in illo ordine tollitur.

Reſponſio. *Inſtantia.* *Panormit. in c. Dudũ de Elect. cap. Cum pridẽ, de Pactis.*

Sed nihilominus reſponſio eſt optima, & replica eſt nullius momenti, quia nullum eſt ius abſolutê prohibens ſubiectionem Regis ſupremi in temporalibus, reſpectu ſuperioris altioris ordinis, & ipſa temporalia excedentis. Quia vel hoc ius eſt naturale, & hoc non, quia hęc ſubiectio indirecta eſt ſuperioris ordinis, & à iure diuino poſitiuo manat; vel eſt ius humanum, & hoc non poteſt eſſe iuri diuino contrarium, nec contra illud C præualere. Quocirca ius naturale in hac parte, ſicut eſt fons, & origo principatus ciuilis, & ſupremę poteſtatis eius, ita etiã dici poteſt directè tollere, ſeu prohibere ſubiectionem ad ſimilem poteſtatem eiuſdem ordinis, reſpectu verò ſubiectionis indirectæ ad poteſtatem alterius ordinis, & ſpiritualem quaſi negatiuê ſe habet: quia Principem ciuilem in temporalibus ſupremum nemini quidem ſubijcit in eiſdem temporalibus, etiam indirectè, non tamen repugnat, quominus per ius ſuperioris ordinis ſubijciatur. Accedit, quòd hæc ſubiectio indirecta in D temporalibus intrinſecè coniuncta eſt cum ſubiectione in ſpiritualibus, præſertim reſpectu poteſtatis ſpiritualis ſupremæ in ſuo ordine, & ideò nihil repugnat, etiam iuxta principia iuris humani, Regem directè ſupremum in temporalibus, fieri indirectê ſubditum in eiſdem, quatenus hæc ſubiectio intrinſecè coniuncta eſt cum ſpirituali, ſic enim iura ipſa dicunt, id, quod eſt directè prohibitum, poſſe alia via fieri, quando hoc neceſſariò ſequitur ex alio, quod eodem, vel altiori iure conceſſum eſt. Neque prop-

2. Solutio. *Indirecta ſubiectio ad Pontificem cum ſuprema temporali poteſtate non repugnat.*

A propterea tollitur excellentia ſupremæ poteſtatis temporalis, vel ſuperuacanea, aut nullius momẽti redditur, tum quia ſemper retinet negationem directi ſuperioris in eodem ordine; negatio autẽ indirecti ſuperioris de illius ratione nõ eſt, tum etiam quia ille modus negationis, ſeu ſupremę poteſtatis ſufficit ad omnes morales effectus qui ad rectam gubernationem politicam neceſſarij ſunt, & ſufficiunt.

Sumitur ex l. ſi ſpõſus verſ. generaliter. ff. de Donation. inter vir. & vxor.

3. *Secunda obiectio.*

Contra hoc vero obcijci poteſt ſecũda ratio, quia Rex infidelis nõn baptizatus eſt ita ſupremus in temporalibus, vt B in eis nullum recognoſcat ſuperiorem neque directê, neque indirectè, ergo etiã Chriſtiani Principes ſunt eodem modo ſupremi, ergo nulli ſubſunt in temporalibus etiam indirectè, ac ſubinde neq: Põtifici. Probatur conſequentia, tum quia non ſunt peioris cõditionis fideles Principes, quam infideles, tũ etiam quia per baptiſmum non priuantur alijs bonis tẽporalibus ergo neque regnis, neque ſuis temporalibus, prærogatiuis, iuxta illud, *Non eripit mortalia, qui regnat dat cœleſtia.* Tum denique quia aliâs hoc eſſet magnum impedimentum conuerſionis C infidelium Regum ad fidem, & baptiſmum ſi per illum ſua libertate ſuprema ſiue directê, ſiue indirecte priuarentur. Atque ita omnia argumenta, quibus hoc ſuprà de ſubiectione directa in temporalibus probauimus, de indirecta etiam vrgere videntur.

4. *Solutio. Diſcrimen inter Reges baptizatos, & non baptizatos.*

Reſpondemus, æquiparationem hanç inter fideles, & infideles Reges non eſſe cum omni æqualitate admittẽdam, quia Rex non baptizatus non eſt ſubiectus directè ſpirituali poteſtati Eccleſiæ, & ideo mirũ nõ eſt, quod poteſtas eius temporalis non ſubordinetur ſpirituali iuriſ D dictioni, neque ab illa pendeat etiam indirecte, quoad vim directiuam, aut coactiuam. Rex autem baptizatus eſt directè ſubditus ſpirituali poteſtati, vt vidimus, & ideo conſequenter etiam poteſtas eius temporalis ſubordinata manet ſpirituali poteſtati ſaltem indirecte in ordine ad illius finem. Quocirca poteſtas temporalis in vtroque Rege eadem quidem eſt, vel æqualis, neq, in Rege Chriſtiano propriè, & intrinſece minuitur (vt ſic dicam) ſed ſolum ratione ſubiecti nouam incipit habere regulam, vel proximam, & internã, quæ eſt fides, & prudentia infuſa, vel externam, quæ eſt ſpiritualis Paſtor, & lex, ſeu poteſtas eius, quatenus ad ſpiritualem finem ordinatur.

Et ita ceſſant aliæ obiectiones, quæ ſolum probant, non fieri diminutionem 5. intrinſecam in illa poteſtate ratione fidei, non tamen probant, non addi prædictam ſubordinationem, hæc enim intrinſecè ſequitur ex fide. Et non eſt imperfectio, ſed potius excellentia illius poteſtatis, ideoq; non addit grauamen, vel impedimentum conuerſioni Regum vltra difficultatem intrinſecam, quam ipſa fides, & obedientia Eccleſiaſtica ſecum afferunt: Hoc autem qualecunque grauamen intrinſece continetur in profeſſione fidei Chriſtianæ, in qua includitur tacitum pactum, & promiſsio obediẽtię ad Paſtores Eccleſiæ, & ad perdendum omnia propter Chriſtum, ſi opus fuerit, iuxta illud, *Qui venit ad me, & non odit patrem, matrem, &c. adhuc autem, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus,* Luc. 14. Et conſequenter etiam ſequitur obligatio ad perſeuerandum in fide, & ad defendendum illam pro ratione ſui ſtatus, ac denique inde etiam oritur, vt quilibet chriſtianus ſit ſubiectus correctioni, ac dignæ pęnæ, ſi contra huiuſmodi obligationem deliquerit. Hæc ergo obligatio, & profeſsio communis eſt Chriſtianis Principibus, & ideo eidem poteſtati debita proportione ſubijciuntur.

Vide Bellarminum cõtra Barclaiũ cap. 3. n. 3.

Luc. 14.

Addo verô vltimo, etiã Reges ethnicos iuxta ſui ſtatus capacitatem ſpirituali poteſtati Eccleſiaſticæ eſſe ſubordinatos, & è conuerſo poteſtatem Eccleſiæ indirecte ſaltem poſſe ſuperioris actum in illos exercere. Nam ſi habeant ſubditos Chriſtianos poteſt ab eorum dominatu eos liberare, vel quando eos conantur â fide auertere, vt limitat Durand. in 2. diſt. 44. q. 3. vel ſimpliciter, & abſolutê ratione periculi, vt vult D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10. Quod eſt probabilius, quia in rebus ad bonos mores pertinentibus cauendum eſt morale periculum, prius quàm expectetur euentus, & ideò poteſtas extenditur etiam ad vitandum periculum, quanuis in vſu eius prudenter caueatur ſcandalum, vt ſuprà diximus

Durand.

D. Thom.

mus

ximus. Si vero Reges ethnici nullos habent ſubditos Chriſtianos, ordinariè nō habet Eccleſia poteſtatem ſuper illos, etiam ratione ſubditorum, niſi in caſu, quo Euangelij prædicationem impedirent, vel ſubditos cogerent, ne illam reciperent. Vnde fieri videtur, poteſtatem formaliter (vt ſic dicam) eſſe eandem, ſeu ſub eodem titulo, & reſpectu, licet vſus illius circa diuerſas perſonas iuxta varias conditiones, & ſtatus illarum rarior, aut frequentior, & maior, aut minor eſſe poſsit. Nonnulla vero intercedit differētia. Quia poteſtas Pontificis in Principes Chriſtianos eſt propria iuriſdictio, quæ licet ſpiritualis ſit, indirectè ad temporalia extenditur. At vero circa Principes ethnicos non eſt per modum iuriſdictionis in ipſos Principes, ſed in eorū ſubditos Chriſtianos, propter quos tuendos poteſt infideles arcere, vel in officio continere, & ideo quidquid circa illos operatur, eſt per modum defenſionis fidelium, non per modum vindictæ, aut punitionis infidelium. Denique addere poſſumus, ſicut poteſtas Regia ex coniunctione ad fidem, aliquam recipit ſubiectionem, ita etiam maiorem quandam amplitudinem, & excellentiam participare, & ita illud qualecunque onus hoc beneficio compenſari. Nam Rex Chriſtianus ductus regulis fidei multa poteſt præcipere, dirigendo illa ad fidei defenſionem, vel religionis Chriſtianæ honorem, vel aliud ſupernaturale commodum, quæ ductus pura ratione naturali præcipere non poſſet, & ſimiliter multa punit delicta, quæ ex vi ſolius rationis naturalis non puniret, vt v. g. hæreſim, vel aliud ſimile.

7. Vltima obiectio ex triplici medio conflata. Primum. Vltimo adduntur rationes quædam minoris momenti. Vna eſt, Pontifex ſatis magnam ſolicitudinem habet in ſpirituali cura; ergo non debet temporalibus immiſceri: nam ſi omnibus, qui Deo militant, hoc prohibuit Paulus, multô magis hoc videtur ſupremo Paſtori prohibitum, qui & aliorum exemplar eſſe debet, & maioribus curis ſpiritualibus diſtinetur. Secundum. Altera ratio eſt. Quia in Pontifice per ſe loquendo, & ex vi Pontificatus non inuenitur formaliter (vt ſic dicam) Regia dignitas; ergo nec poteſt Regia poteſtas illi eſſe ſubordinata. Probatur conſequentia quia non poteſt vna poteſtas alteri ſubordinari, & ſubijci, niſi eadem poteſtas, quæ eſt in ſubordinato inueniatur in eo, cui ſubordinari dicitur. Tertium. Alia ratio eſt, quia non poteſt Papa diſpenſare in iure naturali, nec diuinam inſtitutionem mutare; ergo nec poteſt aut naturalem obligationem obediendi Regi, â ſubditis, ſeu vaſſalis, aut â Rege poteſtatē, quā Deus ipſi contulit, auferre.

Hæc vero facile expediūtur. Ad primum enim reſpondemus, illud ad ſummum procedere de adminiſtratione 8. Solutio. Ad. 1. directa rerum temporalium, non vero de indirecta. Tum quia prior eſt diſtincta, & ſeparabilis ab ſpirituali poteſtate, poſterior vero non eſt diſtincta, ſed per ſe, & intrinſece pertinens ad poteſtatem ſpiritualem, ideoque non poteſt illā impedire, cum potius ſit vſus, & exercitiū eius. Tum etiam quia adminiſtratio directa temporalium per ſe, & ex inſtituto circa illa verſatur, & ideo neceſſe eſt, vt præcipua intentione, ac ſubinde, vel ferè ſemper, vel maiori ex parte circa illa occupetur, at vero adminiſtratio indirecta raro, & per occaſionem tantū (vt ſuprâ ex Bernardo attigimus) occurrit, ideoq; nec dici poteſt ſecularis cura, nec ſpiritualem impedire. Addo deniq; quāuis Pontifex ex vi Pontificatus nō habeat directum regimen temporale, non fuiſſe contra munus eius, aut contra cōſilium Pauli, vt aliunde acceptum vtrūq; ſimul coniunctū habeat, quia ad commune bonum Eccleſiæ, & ad meliorem vſū ipſiuſmet ſpiritualis poteſtatis fuit ita conueniens. De quo puncto alibi latius diximus, & videri poteſt Gennadius in expoſitione pro Concilio Florentino cap. 5. ſect. 3. & 4. Lib. 4. de legib. Gennadius

Ad ſecundum reſpondetur, negando conſequentiam, nam propoſitio illa, quę in probatione eius aſſumitur; ſimpliciter loquendo, falſa inuenitur, tam in potentijs phyſicis, quam in artibus, & conſequenter etiam in moralibus. Nam voluntas ſubiacet intellectui, & ab illo pendet, etiam ſi formalis poteſtas voluntatis in intellectu non inueniatur. Itē ars frænefactiua ſubordinatur equeſtri, quanuis hæc illam formaliter non includat, & patria poteſtas ſubordinatur Regię, quāuis in Rege formaliter non ſit patria poteſtas 9. Ad 2.

teſtas circa filios ſuorum ſubditorum. Sic ergo poteſtas Regia ſubordinatur Põtificali, etiam ſi Pontifex temporalis Imperator formaliter non ſit. Et ratio eſt, quia hæc ſubordinatio fundatur in poteſtate altioris ordinis, quaſi eminenter alteram continente. Item quia oritur ex ſubordinatione inter fines vtriuſque poteſtatis, quæ ſufficit, vt poteſtas, quæ ordinatur ad finem inferiorem ſubijciatur poteſtati reſpicienti altiorem finem. Illa ergo propoſitio, quòd habens aliquam poteſtatem non ſubordinatur alteri, niſi habẽti eandem, ſeu ſimilem poteſtatem, ad ſummũ eſt vera in poteſtatibus eiuſdem ordinis, quarum vna eſt participatio alterius, vt eſt poteſtas delegata, & ordinaria, ſeu poteſtas Vicarij, & Prælati. Non habet autem locum illa propoſitio, quando ſubordinatio fundatur in eminentia ſuperioris poteſtatis, & finis eius, vt declaratum eſt.

10. Ad tertiũ. Ad tertium reſpondemus, licet Papa non poſsit diſpenſare in iure naturali, poſſe nihilominus mutare materiã eius, qua mutatione facta ipſum naturale ius ceſſat, & ita in præſenti poteſt de ſubdito facere non ſubditum, ſubiectione autem ablata, ceſſat ratio, & obligatio naturalis obediendi. Subiectio autẽ ipſa, ſicut & poteſtas Regia non eſt immediatè de iure naturali, ſed de iure humano, vt ſuprà oſtenſum eſt, & ideò ex iuſta cauſa per ſuperiorem Pontificis poteſtatem auferri poteſt. *Subiectio ad Reges eſt ſolius iuris humani.* Eò vel maximè, quòd aliqua bona à natura immediatè collata, vt libertas, & vita poſſunt interdum per ſuperiores poteſtates humanas iuſtè auferri, vt ipſo vſu licito, & honeſto ſatis conſtat, quia Deus ipſe, qui illa dona contulit, dedit etiam hominibus publicam poteſtatem ad auferenda illa ex iuſta cauſa. Sic ergo ſubordinatio Regum temporalium ad ſpiritualem poteſtatem, ab ipſo Deo eſt, qui talem poteſtatem contulit, ideòque non eſt contra ius naturæ, ſed ſupra illud, & ſeruata proportione illi maximè conſentanea exiſtit.

Summa præcedẽtis libri cum Apoſtrophe ad Regem Angliæ.

A CVM ſummi legiſlatoris, à quo omnis poteſtas in cœlo, & in terra deriuatur, inuiolabili lege sãcitum ſit, reddenda eſſe Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo: hanc regulam ita in huius libri doctrina ſeruare ſtuduimus, vt nemo, ſi rectis oculis aſpiciat, vnicuique datum à nobis eſſe, quod ſuum eſt, dubitare poſsit. Oſtẽdimus enim duplicem illam, qua mundus hic regitur, poteſtatem, temporalẽ, & ſpiritualem, Regiam, & Pontificiam à Deo datam eſſe, & vtramque in ſuo ordine B ſupremam eſſe comprobauimus. Ita verò illas inter ſe differre monſtrauimus, vt Regia humanarum, ac temporalium rerum curam tantummodo gerat: Pontificia verò rerum temporalium fines tranſcendens, & ſpiritualis vitæ finem vltimum intuens, diuinis, ac ęternis rebus ordinandis incumbat. Vnde tandem concluſimus, tantum inter ſe poteſtates has diſtare, quantum à corpore anima; à temporalibus æterna, à corporalibus ſpiritualia, & à terrenis cœleſtia diſſident. Ac proinde ſicut ęquum eſt, corpus animę ſubijci, & ad ſempiterna temporalia referri, eisq; ſubordinari; ita neC ceſſarium eſſe, vt in Chriſti Eccleſia, in qua omnia recto, & optimo ordine conſtituta eſſe debent, Regia poteſtas Pontificiæ ſubiecta ſit, vt ab ea in æternam beatitudinem dirigatur, & ſicubi ab eo fine deflexerit, emẽdetur, ac corrigatur.

Hac itaque iuſta, & æquiſsima diſtributione ſeruata, Pontifici dedimus, quæ ſua ſunt, quæque illi Princeps Paſtorũ, & totius gregis dux contulit; & tibi, quę tua ſunt, Rex sereniſsime, non negauimus. Supereſt igitur, vt eidem Chriſti regulæ, ac legi te ſubiectum eſſe conſiD deres, ne plus, quam oportet, de tua poteſtate præſumendo, terminos tibi præſcriptos tranſcendas, & quæ diuinæ ſũt poteſtatis, vſurpes. Scito te ouem gregis Chriſti eſſe, non paſtorem: noli ergo Paſtores paſcere, ac regere, aut fines à ſupremo Paſtore præſcriptos tranſilire. Audi Nazianzenum alicubi imperium ſuum terreno imperio præferentem, & inter oues ſuas Imperatores, & Reges annumerantem. *Orat. 17. ad Ciues graui timore perculſos.* Ad quas oues alibi hunc in modum loquitur. *Oues, paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite, ſatis enim*

enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini. Iudices, ne iudicate, nec legislatoribus leges præſcribite. Non eſt enim diſſenſionis, & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis. Nequis igitur caput ſit, qui vix, aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrũ eſt: verum quo vocatus eſt, in eo gradu quiſque maneat, etiam ſi alioqui præſtantiori dignus ſit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quod præſenti gradu acquieſcit, quam ſi eum quærat, quem non accepit. Ne quis, cum ſine periculo alium ſequi liceat, præire cum periculo expetat: nec obedientiæ lux, quæ tam terrena, quam cæleſtia tuetur, atque conſeruat, infringatur.

Quid, quæſo, Rex humaniſsime, à tuis ſubditis tam anxiè poſtulas, & ſummo iure exigis, ſicut obedientiam Principi debitam? Illam Pauli ſententiam in tuo libro frequenter inculcans: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:* imple igitur naturalem illã legem â Chriſto propoſitam, & commendatã: *Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Et quam obedientiam â ſubditis requiris, eam fideliter præſta illi prudenti, ac fideli diſpenſatori, quem Chriſtus ſuper omnia bona ſua conſtituit, tibique ita præpoſuit, vt rationem pro anima tua redditurus ſit. Quod enim Paulus fidelibus omnibus monuit, & præcepit: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant tanquam rationem pro animabus veſtris reddituri,* nõ minus ad Regem, ſi Chriſtianus ſit, quã ad cæteros fideles pertinet. Quod ſi fortaſſe, Rex sereniſsime, verbis meis non digneris attendere, audi, quæſo, Bernardum ad Conradum Regem ſcribentem, & pro me loquentem: *Regis dedecus, regni ve diminutionem nunquam volui, violentos odit anima mea. Legi quippe, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &, Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & Beati Petri ſucceſſori, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo veſtro ſeruari imperio.* Et adiungit, quæ non minus libenter vſurpo ſequentia verba. *Sunt, quæ non putaui ſcribenda, præſens ea fortaſsis opportunius intimarem.*

LIBER

FINIS LIBRI TERTII.

LIBER IIII.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA, SEV EXEMPTIONE Clericorum à iuriſdictione temporalium Principum.

DOGMATIS de Immunitate Eccleſiaſtica, ſeu de exēptione clericorum à temporalium Principum iuriſdictione, veritatem ſæpe in ſuperioribus ſuppoſuimus, eamq; in pręſenti libro expendere, confirmare, ac defendere, tum in principio huius operis, tum in cap. 9. ſuperioris libri promiſimus, quoniam ad huius operis complementum, plenamque ad querelas, & obiectiones Regis Angliæ reſponſionē, neceſſariam eſſe iudicamus. Rex etenim in fine Apologię pro Iuramento fidelitatis, & in Præfatione ad Principes Christianos, dogma iſtud ex libris Bellarmini *mirabundus* (vt ipſe ait) referens, non ſolum audaciam, & temeritatem in Cardinali, ſed etiā in dogmate ipſo nouitatē affingere, & reprehendere auſus eſt. Et inde maximè catholicos Reges contra Pontificem excitare, ac prouocare nititur, quôd *eorū præcipuè interſit, ne quid prærogatinis Legalibus detrahatur.* Vnde ad illos ſic loquitur: *Quodſi potētiſsimus quiſq; veſtrum altè, ſerioq; recogitet, pene tertiam populi, ſoliq; veſtri partem Eccleſiæ eſſe dicatam: non ne quæſo, illius iacturæ ſenſus animos veſtros percutiet, quæ tantum hominum fundorumque veſtro iuri ſubtrahat, vt vbiq; Pontifici coloniæ, prouinciæq; conſtituantur?* & alia proſequitur, quę infrà referemus; nam obiectiones quaſdā continēt, quibus in diſcurſu huius libris ſati faciendū eſt.

I. Præfat. pag. 25.

Pag. 27.

A Priùs ergo catholicū dogma de vera libertate, ſeu immunitate Eccleſiaſtica, & clericorū exēptione iuxta vera Theologię, ac iuris canonici principia explanare, & diuinis teſtimonijs, ac rationibus pro noſtra tenuitate ſtabilire curabimus. Deinde verò nō ſolū Regias obiectiones, ſed etiam quę occurerint graviores, in mediū afferemus, eiſq; ita, vt ſpero, ſatisfaciemus, vt locū in hoc dogmate habere conſtet, quod aliàs Chryſoſt. dixit. *Nihil veritate clarius, nihil ſimplicius, niſi maligni eſſe velimus.* *Homil. 51 in Ioan.*

CAPVT I.

Quid nominibus Eccleſiaſticæ immunitatis libertatis, ac exemptionis ſignificetur?

B QVoniam huius libri materia nō ſolū fidei, ſed etiam morum doctrinam cōplectitur, ita à nobis tradenda eſt, vt & contra Eccleſiæ Catholicæ aduerſarios veritatem fidei oſtendamus, & pro morali vſu, ac praxi catholicis inſeruire poſsimus. Ac propterea non ſolū ſacræ paginæ teſtimonia, ſed etiam leges tum canonicas, tum ciuiles diligenter conſiderabimus, & expendemus, ab his enim maximè doctrina præſertim moralis pendet. Ideoque in primis voces, quibus iura de hac materia loquentia, vti ſolent, explicandæ ſunt, vt ita res ipſa, & iura melius intelligi valeāt. Sunt autem potiſsimū hæ voces tres illæ, quas in titulo propoſuimus, quas breuiter in hoc capite declarabimus.

1. Methodus in hoc libr. ſeruanda.

Ii Prima

2. Immunitatis deſcriptio.

Prima vox eſt *Immunitas*, quæ generatim ſũpta deſcribi poteſt, vt ſit, *Priuilegiũ, quo res aliqua, vel perſona à cõmuni aliqua obligatione, ſeu onere eximitur.* Quã deſcriptionem ſumo ex l. *Munus.* 18. ff. de Verbor. ſignificat. vbi *munus* inter alia onus ſignificare dicitur, de quo ſubiungit Paulus. I. C. *Cum remittitur, vacationẽ militiæ, munerĩſq; præſtat, inde immunitatẽ appellari.* Vbi *militiæ* nomen exẽpli cauſa poſitũ videtur, quatenus oneroſum munus eſt; immunitas autẽ generatim eſſe dicitur vacuitas muneris, pro onere ſumpti, quæ per quandã remiſsionem, ſeu cõceſsionem datur: hæc igitur carentia, ſeu ablatio oneris ad Eccleſiã applicata dicitur immunitas Eccleſiaſtica. Quid autem per hãc particulã vltimam denotetur, ex dicendis conſtabit. Poteſt autẽ in hac immunitate cõſiderari, vel actus remittẽdi, ſeu ius ſpeciale, quo aliquis eximitur à cõmuni onere, vel effectus illius iuris, qui eſt carẽtia, ſeu vacatio talis oneris, & obligationis. Et vtrũq; poteſt nomine immunitatis ſignificari, vt ſumi poteſt ex titulo de Immunitate nemini conced. C. lib. 10. Immunitatẽ ergo vt ſignificat ius vacandi à muneribus, dicimus eſſe priuilegiú excuſans ab onere cõmuni. Vtimur autẽ nomine priuilegij lato modo, vt cõprehendere poteſt ius aliquod naturale, vel diuinũ alicui ſpecialiter cõueniens cõparatione aliorũ, vt in ſequentibus magis declarabimus. Immunitas autem ſumpta pro ipſo effectu priuilegij dici poteſt vacuitas, ſeu excuſatio à munere, vtiq; legitima, & aliquo iure fundata. Et fortaſſe hoc modo diſtingui poſsũt duo tituli iuris ciuilis. ff. de Vacat. & excuſat. munerũ, & de Iure immunitatis. Sed de hoc aliàs. In præſenti ergo vtroq; modo ſumi poteſt immunitas, quæ Eccleſiaſtica appellatur, quatenus res, vel perſonas Eccleſiaſticas ab oneribus, alijs rebus, vel perſonis cõmunibus, eximit, & in talium rerum, vel perſonarum decentiam, ac reuerentiam conceſſa eſt.

3. Immunitas triplex, locorũ, perſonarũ, & bonorũ.

Hęc autẽ immunitas ex parte ſubiectorũ, ſeu rerũ, quibus cõceſſa eſt, & quaſi adhęret, duplex, vel triplex diſtingui ſolet. Vna eſt immunitas locorũ, ſeu tẽplorũ, aut Eccleſiarũ, alia eſt immunitas perſonarũ, ſeu clericorũ, tertia eſt immunitas bonorũ, quę ad duas priores reuocari poteſt, quia bona, aut ſunt Eccleſiarũ, aut clericorũ, & ratione illorũ ab oneribus, ſeu tributis eximũtur. Prima locorũ ſacrorum immunitas in duobus conſiſtit, primo in vacatione ab actionibus prophanis taliũ locorũ ſãctitati repugnãtibus, aut ea polluentibus. Secũdo in hoc quòd ſunt loca refugij, ſecuritatis, ac cuſtodiæ, tam reorũ ad ea cõfugientiũ, quàm bonorũ, quæ in eis reponuntur. Ita ſumitur ex titulis de immunitat. Eccleſiarũ, & ex 17. q. 4. ferè per totã, & notauit ſpecialiter Gloſ. in c. *Cũ deuotiſsimã.* 12. q. 2. ver. *Pro violata emunitate.* De hac verò immunitatis ſpecie dictũ latè à nobis eſt in tom. 1. de Religione lib. 3. toto, nihilq; hoc loco addendũ occurrit, maximè cũ ad præſentẽ cauſam nihil pertineat. Aliæ verò duæ immunitates perſonarũ, & bonorũ pręſentis conſiderationis maximè ſunt, & vtrãq; attingit Rex Anglię; cùm ingentẽ perſonarũ, & fundorũ partem regio iuri ſubtrahi conqueritur, & ideo de vtraque dicemus.

Immunitas locorum in quo conſiſtat.

Gloſſa.

4. Quid libertas Eccleſiaſtica. 1. prima opinio. Caietan.

Atq; ex huius vocis declaratione facilè intelligitur, quid libertas Eccleſiaſtica ſit, aliqui enim exiſtimant has voces eſſe ſynonimas; alij differentiã aliquã inter eas cõſtituunt. Vt videre licet in Caietano in Sum. verb. *Immunitas*, vbi licet prius illas voces confundat, in fine tamen in ordine ad intelligentiã canonũ, illas ita diſtinguit, vt nomine libertatis Eccleſiaſticæ ſolã immunitatem perſonarũ in ſe, & in bonis ſuis, nomine autem Eccleſiaſticę immunitatis locorũ tantùm exemptionẽ ſignificari velit, ideoq; violantẽ tẽpli immunitatẽ, nõ cenſet agere cõtra libertatẽ eccleſiaſticã, nec cẽſuras cõtra violãtes eccleſiaſticã libertatẽ latas incurrere. Et ad hoc cõfirmandũ expẽdit Caietan. verba Benedict. 11. in Extrauag. 1. de Priuileg. vbi referẽs caſus reſeruatos, diſtinctè numerat *Eccleſiarũ ĩmunitatis, & Eccleſiaſticæ libertatis violatores*; ergo ſentit, verbis illis diuerſa priuilegia Eccleſię ſignificari.

5. 1. Opinio. Couar. Tuchus.

Nihilominus voces illas idẽ ſignificare docuit Couar. d. c. 20. li. 2. Variar. in prin. & ſequut⁹ eſt Tuſch⁹ ver. *Eccleſiæ ĩmunitas*, cõcl. 8. n. 9. Poteſtq; ſuaderi ex deſcriptione ĩmunitatis, quia immunitas nõ eſt niſi carẽtia quędã ſubiectionis, & oneris, quę carẽtia nomine etiã libertatis ſignificatur, ſicut etiã libertas ſignificare ſolet caren-

carentiá ſeruitutis, ſeu neceſsitatis, ergo addita eadem determinatione Eccleſiaſticæ libertatis, ſicut & immunitatis, idem vtraq; voce ſignificabitur. Vnde põderat Couar. in dicta Extrauag. 1. non addi eandem determinationẽ, ſed variari, cùm dicitur, *Eccleſiarũ immunitatis*, & *Eccleſiaſticæ libertatis*, nam voces: *Eccleſiarũ*, & *Eccleſiaſticæ*, non idem ſignificant, quia nomine *Eccleſiarũ* ibi ſignificantur templa, iuxta vulgarẽ vſum, & ita per illã vocem cõpoſitam ſolum ibi ſignificatur immunitas ſacrorũ locorum; cùm verò dicitur *Eccleſiſtica libertas*, nomen *Eccleſiaſtica* ſumptum eſt generaliter ab Eccleſia maximè ratione Eccleſiaſtici ſtatus: & ideo ibi propriè ſignificat exemptionem Eccleſiaſticarũ perſonarum tam in ſe, quàm in bonis ſuis. At hæc libertas etiam vocatur in iure immunitas Eccleſiaſtica in cap. *Aduerſus* de Immunit. Eccleſiarum iuncto cap. *Non minus* eodem. Ergo ſtãte eadem determinatione Eccleſiaſticę libertatis, & immunitatis idem vtraque voce ſignificatur. Vnde in communi vſu Doctorum voces illæ tanquam ſynonimè vſurpantur, vt videre licet in Ioan. Lup. tractat. de Liberta. Eccleſiaſtic. à princip. per totum, & pręſertim. 1. p. q. 3. & 2. p. q. 11. Rebuff. tract, de Immunit. & Hieron. Alban. in tract. alio de Immunit. & reliquis in Rubricis de Immun.

Cap. *Aduerſus*, de Immuni. Eccleſiaſ. Cap. *Non minus* eodem. *Io. Lup. Rebuff. Alban.*

6. Præfertur ſecunda ſententia.

Quocirca hęc poſterior ſententia in rigore vera eſt, recteq; probatur, attento vſu, & verborum proprietate. Nec Caietan. ſimpliciter cõtradicit, fatetur enim voces illas ſępe confundi; addit verò, in vſu canonũ cenſuram ferentium contra violantes Eccleſiaſticam immunitatem, vel contra Eccleſiaſticam libertatem, illã differentiam ſeruari, quòd priora tantũ puniunt inferentes iniuriam locis ſacris, poſteriora verò eos, qui agunt cõtra immunitatẽ perſonarũ. Quæ etiam differẽtia non ſatis firma eſt, nam prior pars ad ſummum habet locum, quando in canone eſt ſermo de immunitate Eccleſiarum, nam tunc ordinariè nomine Eccleſiarum ſignificantur templa, vt dixi, & ex illo addito determinatur canon ad loca ſacra. At ſi canon diſponat contra violãtes immunitatem Eccleſiaſticam, planè omnia comprehendit, niſi ex actione, quam punit, vel ex alijs circunſtantijs conſtet, de

Reijcitur differentia à Caietan. aſsignata.

A immunitate locorum, vel perſonarum ſpecialiter loqui: & ita vox de ſe indifferens eſt, & omnia comprehendit, niſi aliunde determinetur. Idemque eſt, ſi canon loquatur de immunitate *Eccleſiæ* in ſingulari, tum quia vox *Eccleſiæ* de ſe ſolum generaliter determinat immunitatem Eccleſiæ conceſſam, ſiue in locis, ſiue in perſonis: tum etiam quia præcipuè ſignificare ſolet congregationem fidelium, niſi aliunde determinetur, vel ex contextu conſtet, ſermonem eſſe de materiali templo.

7. Differentia inter canones delicta contra immunit. vél libertatem Eccleſię punientes.

B Alia verò differẽtia excogitari poteſt inter canones punientes eos, qui cõtra immunitatem Eccleſiæ aliquid faciunt, vel contra libertatem. Duobus enim modis poteſt immunitas violari. Primo ſolo facto, ſiue vſurpatione iuris, ſecundo ſub prætextu iuris alicuius, ſeu legitimæ poteſtatis. Priori modo agit contra immunitatem, qui Eccleſiam incendit, infringit, ſpoliat, bona Eccleſiæ ſurripit; poſteriori modo agit contra immunitatem iudex, qui reũ ab Eccleſia extrahit. Vnde poſterior hic modus non ſolet cõmitti, niſi à gerente publicã poteſtatem, vel ſub aliquo eius colore, ſeu prętextu, prior verò à quocũq; priuata poteſtate per violẽtiã poteſt cõmitti, vtroq; autẽ iſtorũ modorũ fit contra immunitatẽ, propriè vero contra libertatem Eccleſiaſticam tantùm poſteriori modo committi videtur. Sic enim qui violẽtas manus in clericũ inijcit, contra immunitatẽ Eccleſiæ agit, nõ tamen videtur agere cõtra libertatẽ Eccleſiaſticam; è contrario verò iudex ſecularis iudicium in clericũ vſurpãs, violator eſt Eccleſiaſticæ libertatis propriè (vt ita dicã) & ſpecificè, licèt ibi etiã generatim includatur immunitatis violatio, quia nõ poteſt ius immunitatis violari ſine actione immunitati contraria.

C

D

8. Quandocõtra immunitatem, & quãdo contra libertatem Eccleſiæ fiat.

Simili modo qui priuata authoritate per ſolã vim, & iniuriã aliquam perſonã ab Eccleſia extrahit, contra immunitatẽ tantũ Eccleſiæ agit, qui autẽ id facit titulo publicę poteſtatis, & iuriſdictionis, vel qui ſtatuit, vt Eccleſię non habeãt priuilegiũ ſecuritatis, & aſyli delinquentiũ cõfugientiũ ad ipſas, etiã libertatẽ Eccleſiaſticã violat, quia nõ ſolũ vſũ, ſed etiã ius ĩmunitatis eccleſię eripere conaſ: Et hoc modo videtur optimè intelligi verba Bene

dicti.12. ſupra citata. Et ratio reddi po-
teſt,quia minus requiritur ad agendũ cõ
tra immunitatẽ,quã contra libertatẽ Ec-
cleſiæ, ac ſubinde latiùs patet agere cõtra
immunitatẽ,quàm cõtra libertatẽ,omnis
enim,qui libertatẽ infringit, immunitati
etiam derogat,nõ verò è conuerſo,ſicut
omnis hęreticus ſchiſmaticus eſt , non
verò è cõuerſo , nã qui negat facto tantũ
obedientiã Eccleſię ad ſũmũ erit ſchiſma
ticus. Et hac etiã ratione dixit Cardinalis
Cardin.Zabar. Zabar.in Repetit.cap.*Perpendimus*,de Sẽ
tent.excõm.n.2.oppoſit.7.odioſius eſſe
clericũ iudicari à laico, quã ab alio vt pri-
uato percuti,nimirũ, quia illud prius eſt
cõtra libertatem Eccleſiaſticã , hoc verò
poſterius tantũ videtur cõtra immunita-
Cap.*Si verò,de ſent. excom.* tẽ.Habetq; hoc fundamentum in cap. *Si
verò*,de ſent.excõm.vbi percuſsio cleri-
ci facta à miniſtro Poteſtatis,nõ vt mini-
ſtro,ſed vt priuata perſona , & ſine vſur-
patione iuriſdictionis,nõ cẽſetur ſemper
inducere cenſurã reſeruatam Pontifici,
percuſsio autẽ facta ab officiali poteſta-
tis,vtiq; vt miniſtro eius, ſemper declara
tur reſeruata , cuius ratio nõ videtur eſſe
alia,niſi quia hęc poſterior eſt grauior,&
odioſior actio,vt pote contraria libertati
Eccleſię,& nõ tantùm immunitati, ſicut
prior. Deniq; differentia hęc etiã videtur
proprietati verborũ conſentanea, nã ille
propriè agit contra libertatẽ alicuius,qui
vult illũ in ſeruitutẽ redigere,& onꝰ ſerui
tutis illi imponere, qui vero facto tãtũ in
iuriã alteri facit,eũq; tanquã ſeruũ percu
tit, nõ propriè agit contra libertatẽ eius.

9\. Veruntamẽ in hoc pũcto negare qui-
dẽ nõ poſſumus,illos duos modos violãdi
Eccleſiaſticã immunitatẽ eſſe diſtinctos:
Et ex ſuo genere grauius multò eſſe de-
lictũ, quando non ſolùm facto, ſed etiam
prætẽſo iure immunitas rumpitur, ſicut
longè grauius eſt ius decimarũ Eccleſiæ
negare,quàm decimas nõ ſoluere. Nihi-
lominus tamen hoc nõ obſtat,quominus
vtroq; modo violetur libertas Eccleſiaſti
ca,ſicut immunitas,quia (vt oſtendi) im-
munitas & libertas Eccleſiaſtica, eodem
modo determinata in re idem ſunt. Et
quamuis verum etiam ſit potuiſſe facilè
nomen violationis libertatis Eccleſiaſti-
cæ quaſi per antonomaſiam applicari ad
ſignificandũ modum violationis ,qui nõ
ſolùm violentia,ſed etiam pręſumpto,&

A vſurpato iure nititur : eo quod libertatis
nomine magis ius ipſum ſignificari vi-
deatur , & quia frequenter vidẽtur iura
hanc violationem immunitatis contra li-
bertatem Eccleſiaſticã vocare,vt in dicto
c.*Non minus*, & in multis cẽſuris Bullæ Differentia
Cœnæ videre licet: nihilominus affirma inter viola-
re non poſſumus,differentiam illam eſſe tes immuni-
in iure conſtantem,nec tanquam regulã tatẽ, vel li-
cõſtituere, quòd cenſura lata contra vio bertatẽ non
lantes libertatem Eccleſiaſticam,non cõ- eſt firma.
prehendat omnes violatores immunita-
tis,niſi ex verbis , vel materia legis limi-
B tatio talis colligatur. Quia illa regula,vel
differentia nullo iure ſatis fundata eſt,
nec eſt in vſu Doctorum , vt conſtat ex
his, quæ congerit Ioan.Lup.tract.de Li- *Ioan.Lup.*
bert. Eccleſiaſtic.p.1.quæſt.10. & alijs, *Guilielm.*
quæ enumerat Guilielmus Luueranus in *Luueran.*
tract. de Arbore iuriſdiction. in illius de *Rebuff.*
clarat. num. 15. & ex Rebuff. in Con-
cordat. titu.de Firma, & irreuoc.concor
dat. ſtabili. §. Penult. verb. *Quæro , quæ
ſunt ſtatuta.*

Atq; ex his tandẽ explicata relinqui- 10.
tur tertia vox, *Exemptionis Eccleſiaſticæ*, Quid exem
nam in re idem ſignificat , quod immu- ptio Eccle-
nitas, vel libertas, & ita communiter ſo- ſiaſtica ſig-
C let vna vox per aliam explicari, ſeu deſ- nificet.
cribi. Videtur tamen nomen exemptio-
nis eſſe magis facti,quam iuris,ac proin-
de magis ſignificare effectum priuilegij,
quàm priuilegium ipſum immunita-
tis. Vnde poteſt non immeritò quæri,
an omnis exemptio priuilegio conceſſa
templis , rebus , aut perſonis Eccleſiaſti-
cis, cenſeatur ad immunitatem, vel liber
tatem Eccleſiaſticam pertinere , ita vt
qui omnem huiuſmodi exemptionem
violauerit , cenſeatur contra immuni-
tatem, vel libertatem Eccleſiaſticam age
re,& cenſuras contra eiuſdem libertatis
D vſurpatores latas incurrere . Duplex e-
nim poteſt eſſe tale priuilegiũ, vnũ gene
rale , conceſſum Eccleſijs omnibus , vt
Eccleſiæ ſunt,vel perſonis Eccleſiaſticis,
qua tales ſunt, & de eiuſmodi priuilegio
certum eſt,ad immunitatem Eccleſiaſti-
cam pertinere , in hoc enim conſentiunt
omnes,& patebit ex dicendis. Alia verò
poteſt eſſe exemptio ex priuilegio parti
culari dato tali Eccleſiæ,vel dignitati,aut
perſonæ Eccleſiaſticę ex peculiari illius
conſideratione.

Et

An priuilegij alicui ſpecialiter conceſſum ad immunitatem Eccleſiæ pertineat. Prima ſententia Rebuſſi. Card. Tuſchus. Rochus Curt. Io. Lup. Fundamentum.

11. Et de hac exēptione eſt dubiū, an pertineat ad immunitatē Eccleſiaſticā, ita vt violatio illius ſit Eccleſiaſticæ immunitatis violatio. Affirmat enim apertè Rebuffus in Concordat. loco proximè citato referens plures: ſequitur Cardinalis Tuſchus verb. *Libertas Eccleſiaſtica*. cõcl. 341 n. 17. & ſequentib. vbi alios allegat. Et idem videtur ſentire Rochus Curt. tract. de Conſuet. ſect. 5. circa 2. partē Gloſſæ. n. 21. & Ioan. Lup. dicto tract. de Liber. Eccleſiaſt. p. 1. q. 10. caſu 12. & 16. Moueri potuerūt hi Doctores, vel quia īmunitas Eccleſiaſtica cõprehēdit omnia priuilegia Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis cõceſſa, vel quia ad agendū cõtra libertatē Eccleſiaſticā, ſatis eſt agere cõtra libertatē vnius Eccleſiæ. Nā ſtatuta priuata vnius reipublicæ cõtra Eccleſiam, tantùm Eccleſias illius territorij lædunt, & nihilominus ſunt cõtra Eccleſiaſticā libertatē, quia in vna Eccleſia offenduntur omnes, ſicut in percuſsione vnius clerici totus clerus offenditur, & timidior fit.

Oppoſita ſentētia cõmunis, & vera.

12. Nihilominus dicendū eſt, ſecundū iuris vſum, & Eccleſiaſticum morē, ſolam illā exemptionē ad Eccleſiaſticā immunitatē, vel libertatem pertinere, quæ manat ex generali priuilegio dato Eccleſiæ, vel in honorem, & reuerentiam templorū, vel ob decentiam, & dignitatem Eccleſiaſtici ſtatus, ſeu clericalis ordinis. Hæc eſt cõmunis ſententia Iuriſperitorū in cap. *Nouerit* de ſent. excõm. & in Authent. *Caſſa*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. vt teſtantur Panormit. in dicto cap. *Nouerit*, n. 2. & lib. 1. Conſil. in 83. nu. 1. & Decius in dict. Authēt. *Caſſa*. n. 18. Iuli. Clar. lib. 5. §. vlt. q. 77. n. 28. Sylu. verb. *Excõmunicatio*. 9. Excõmunic. 10. & Lapus, Allegat. 3. & alios retuli, & ſequutus ſum tom. 5. de Cenſur. diſp. 21. ſect. 2. n. 89. & 90. vbi hoc latiùs explicui. Et idem ſenſit Caietan. in Sūma, verb. *Immunitas*, dicit enim, quoad pęnas iuris ſub immunitate nõ venire, niſi exēptiones, quę ex generali priuilegio Eccleſiæ cõpetunt, quoad culpā verò eiuſdem rationis eſſe poſſe violationē exemptionis ſpeciali priuilegio alicui Eccleſię datę, cū violatione immunitatis cõmuniter Eccleſię cõceſſę, licèt prior culpa nõ ita puniatur in iure, ſicut poſterior. Vnde ſentit, & bene, exēptionem alicuius Eccleſię ex ſpeciali

Panormit. Decius. Iul. Clar. Syluest. Lapus. Caietan.

A priuilegio in re ipſa verè eſſe quandā immunitatem, & libertatē Eccleſiaſticam. Quia eſt liberatio ab onere, quā vox immunitatis generatim ſignificat, eſt autē conceſſa rei ſacræ qua talis eſt, ac ſubinde religioſa, & ſuo modo ſacra meritò dici poteſt; ergo violatio eius eſt irreligioſa, ſacrilega, & conſequenter eiuſdē ſpeciei cū violatione ſimilis immunitatis cõceſſę Eccleſię per generale priuilegiū. Et nihilominus iura nõ puniunt has violationes ſpecialiū priuilegiorū, neq; de illis tractāt quando libertatē, & immunitatem Eccle-
B ſiaſticā tuentur, ſed de his, quæ generaliter ad Eccleſiā, & Eccleſiaſticū ſtatū ſpectāt. Et ideo diximꝰ, in vſu iuris ſub immunitate eccleſiaſtica ſolas exēptiones ex priuilegijs vniuerſalibꝰ manātes cõprehēdi.

Vnde fit, vt determinatio illa immunitatis cū Eccleſiaſtica dicitur, habitudinē dicat ad Eccleſiā ſecundū cõmunem rationē ſuā. Nõ quia debet priuilegiū eſſe conceſsū Eccleſiæ vniuerſali in omnibus mēbris ſuis, hoc enim neceſſariū non eſt, vt conſtat, ſed vt reſpiciat totā Eccleſiam pro illis mēbris, vel locis, quæ talis immunitatis ſunt capaces. Vnde etiā rectè ad-
C notauit Caietan. ad violationē huius immunitatis non eſſe neceſſariū, vt in tota Eccleſia, vel in omnibus perſonis, aut locis, quibus cõuenit, violetur, ſed ſatis eſſe quòd violetur in vno, ſeu in quolibet, cui ex vi generalis priuilegij cõpetit. Et hoc ſolū probat fundamentū contrarię ſententię, & aliqui ex prioribus authoribus nihil aliud intendūt, præſertim Rochus Curti. qui alios refert. Et eſt manifeſtum ex iuribus, quæ ipſe allegat c. 2. de Reb. Eccleſ. nõ alienan. & c. 2. de Foro cõpet. vbi etiā ratio redditur, quia iniuria facta vni perſonę cõtra generale priuilegiū cõ-
D munitatis, & propter cõmunitatē cõceſſum, in totā cõmunitatem redundat, & ideo eſt propria violatio immunitatis, quā iura puniunt. Vnde etiā obiter intelligitur, licèt contingere poſsit, violationem ſpecialis priuilegij, propriæ immunitatis Eccleſiaſticę quoad ſpeciē culpę eſſe eiuſdem rationis, nihilominus ex genere, ſeu modo ſuo violationem immunitatis hoc habere peculiare, quod eſt veluti cõmunis iniuria, & in cõmunitatē ſpeciali titulo redundās: ita ergo immunitas propriè dicit exēptionē aliquā Eccleſię cõmunē.

14. De qua immunitate in hoc opere agatur.

Ex quibus tandem concluditur de hac ſola propria immunitate, ſeu libertate Eccleſiaſtica in præſenti tractari,&, quia iam locorum immunitatem excluſimus,ſolum de immunitate perſonarum, vel in ſe,vel in rebus eſſe ſermonẽ. Addẽdum verò eſt,perſonis Eccleſiaſticis duplicem immunitatem, ſeu duplex generale priuilegiũ eſſe conceſſum,vnum appellatur priuilegium canonis, aliud fori. Prius eſt priuilegiũ (vt ita dicam) ſecuritatis,& indẽnitatis perſonarũ Eccleſiaſticarũ,cui per canonẽ,*Si quis ſuadẽte*.17.q.4.cautum eſt,ſingularem cenſuram ferẽdo contra percuſſores clericorũ. Et de hac immunitate nulla eſt nobis controuerſia cum Rege Angliæ, & alioqui materia illius canonis alibi eſt à nobis tractata,& ideo de illa exẽptione, ſeu immunitate nõ erit in pręſenti ſermo. Priuilegiũ autem fori dicitur illud,quo clericis exẽptio à iuriſdictione laica conceſſa eſt, cui conſequenter ãnexa eſt exẽptio à tributis,& in his tota cõtrouerſia verſatur.

Tom. 5. de Cenſur. diſput. 22. ſect. 1. per totã.

CAPVT II.

Vtrum clerici in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis cauſis à poteſtate Principum ſecularum iure diuino exempti ſint.

1. Aliquorum hæreticorũ error.

PVnctũ hoc in principijs ſuperiori libro poſitis virtute definitũ eſt, illud autẽ hic præmittimus, tũ quia Rex Angliæ clerũ in omnibus rebus, & cauſis ſibi fore ſubiectũ in ſuo regno cõtendit, idemq; reſpectiuè de cæteris Regibus,& regnis cum Marſilio Patauino, & alijs ſimilibus affirmat, tum etiã quia hoc errore reiecto,maiori claritate,& certitudine conſtabit,in quo propria immunitas,& exẽptio clericorũ poſita ſit. Fundamentũ ergo prædicti erroris eſt, quia vel nulla eſt in Eccleſia Chriſti ſpiritualis poteſtas, ſed ſola ciuilis, ſeu tẽporalis, per quam omnia tam ſecularia,quã Eccleſiaſtica gubernanda ſunt, & omnes leges ferendæ, & iudicia terminanda, in quacumq;materia verſentur. Quia omnia tam Eccleſiaſtica, quam ciuila comprehenduntur ſub politico ordine, ac regimine,neq;aliter cadũt ſub poteſtatẽ humanam,totus autẽ politicus ordo ſub regiam poteſtatem cadit. Vel certè,ſi illius erroris ſectatores aliquam ſpiritualẽ poteſtatem agnoſcunt, illam volunt eſſe in

Fundamentum.

A Regibus in ſupremo gradu,ex eodem ferè fundamento,quod totus ordo Hierarchicus Eccleſiæ eſt tantum politicus, id eſt,propter externam politiam Eccleſiaſticam, quæ vnũ corpus facit cũ ciuili,& ideo neceſſe eſt totam eidem Regi ſupremo ſubijci. Vnde ad hoc confirmandum expendunt, Paulum omnia, quæ ad humanum regimẽ ſpectat, Regi ſuppoſuiſſe ſine vlla exeptione, dicens, Roman. 13. *Qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit.* Ex quibus verbis quidam intulit, Principes ſeculares habere authoritatem ferẽdi leges in omni materia, & obligãtes omnes perſonas,iuxta illud Prouerb.8. *Per me Reges regnant, & legũ conditores iuſta decernunt*. Confirmatur hoc, quia Theodoſius Imperator in ſuo Cod. & poſtea Iuſtinianus in ſuo multas leges de ſpiritualibus rebus condiderunt, vt de Sacroſanctis Eccleſijs,de Epiſcopis,& clericis, &c. Et plures ſimiles habet Alfõſus Hiſpaniæ Rex in ſuis legibus Partitar. parti. 1. ergo *qui illis reſiſtit* (teſte Paulo) *Dei ordinationi reſiſtit.*

Author innominatus in opuſc. octo [illegible] tia [illegible] ti. *Roma.13.* *Prouerb.8.* Confirmatio.

Veritas nihilominus catholica eſt,clericos in ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis cauſis omnino eſſe immunes à iuriſdictione temporaliũ Principũ. Ita docent omnes catholici ſcriptores in locis infrà allegandis,conueniuntq; omnes,immunitatem clericorum quoad hanc partem eſſe de iure diuino: quod æquè certum,ac de fide eſſe cenſeo,quia eiſdem principijs,& fundamentis nititur. Hæc autem principia tria ſunt pręcipua, quæ in ſuperiori libro probata ſunt. Vnũ eſt,eſſe in Eccleſia poteſtatẽ gubernatiuã ſpiritualẽ, à ciuili diſtinctam,& ſuperioris ordinis, datam ipſi Eccleſię ex ſingulari Chriſti inſtitutione, & donatione vltra omne ius naturę. Quod principiũ in cap.6.pręcedentis libri probatum eſt. Aliud principium eſt,hanc poteſtatẽ ſpiritualem nõ eſſe in Regibus, vel Principibus temporalibus,ſed in Paſtoribus Eccleſiæ à Chriſto datis,& præſertim in Summo Pontifice,qui eſt Romanus Epiſcopus, & hoc principium probatum eſt in eodem libro à cap.10. Tertium principium eſt, hanc ſpiritualẽ poteſtatẽ non eſſe ſubordinatã poteſtati Regum,ſed potius habere illam ſibi ſubiectam,quod in eo libro à cap.20. fuse probatum,ac defenſum eſt.

2. Concluſio de fide.

Ex

3. Probatur aſ tertio ratione.

Ex his ergo principijs ſic cõcluditur, Cauſæ ſpirituales per ſpirituale͂ poteſtatem ſtabiliendæ, ac definiendæ ſunt, ſed hæc poteſtas ſpiritualis neque eſt in Regibus, neque ſubordinatur poteſtati eorum; ergo tales cauſæ ſpirituales ſunt extra forum, & poteſtatem ſeculariũ Principum tam directè, quàm indirectè; ergo perſonæ Eccleſiaſticæ quoad has cauſas ex vi diuini iuris extra iuriſdictionem Principum cõſtituti ſunt, ac ſubinde eodem diuino iure tali exemptione, ſeu immunitate gaudent. Maior eſt per ſe euidens, ſuppoſito primo principio, quia ſi poteſtas iuriſdictionis ſpiritualis, & temporalis diſtinguuntur, neceſſe eſt, vt circa diſtinctas materias verſentur, & vnaquæque materiam ſibi proportionatam vendicet, & intra illam contineatur; ergo ſpiritualis materia quoad omnem diſpoſitionem, & regimen ad poteſtatem ſpiritualem pertinet, & ê conuerſo ſpiritualis poteſtas in materia ſpirituali tanquam in propria ſphæra operatur, eamque pro adęquato, & proprio obiecto habet. Minor autem in ſecundo, & tertio principio probata eſt. Prima verò illatio euidenter ex præmiſsis infertur, quia nulla poteſtas operatur directè, niſi in ſua materia, neque extenditur indirectè, niſi ad materiam poteſtatis ſibi ſubordinatæ, neutrum aute͂ habet poteſtas ciuilis reſpectu materiæ ſpiritualis, vt oſtenſum eſt; ergo ſpiritualis materia omnino eſt extra iuriſdictionem temporaliũ Principum. Et inde tandem euidenter concluditur altera illatio, quia in primis clerici, vt clerici ſunt ad ſpiritualem materiam pertinent, ratione ordinis, qui ſpiritualis eſt, & ex Chriſti inſtitutione. Deinde perſonæ ſortiuntur forum pro ratione materiarum, ſeu cauſarum, quia iuriſdictionis actus proximê verſatur circa aliquam materiam, quam pręcipit, vel diſcutit perſonæ ſubiectæ, & ideò ſi materia eſt extra iuriſdictionem alicuius, etiam perſonę, ad quas pertinet talis materia ſub ratione tali erunt ab eadem iuriſdictione immunes.

4. Ex Scripturis oſtenditur concluſio.

Hac ergo manifeſta probatione ſuppoſita, ex principijs fidei iam probatis, nõ aliter oſtenditur hęc veritas ex Scriptura, quàm ex illis locis in quibus Eccleſiæ regimen Paſtoribus Eccleſiæ à

A Chriſto cõmiſſum eſſe oſtenditur, *Paſce oues meas*, & *Quodcunq; ligaueris*, &c. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tãquam ethnicus, & publicanus.* Item ex illis, quibus ex inſtitutione Chriſti oſtenditur, eſſe in Eccleſia poteſtatem iudiciariam, & Eccleſiaſticum tribunal, iuxta illud: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* &c. Et illud: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui vt præſens eum, qui ſic operatus eſt.* Et illud: *Quid enim mihi de ijs, quæ foris sũt, iudicare? nõne*
B *de ijs, quæ intus ſunt, vos iudicatis?* Et illud: *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Et infrà: *Nam etſi amplius gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem veſtram, non erubeſcam.* Et iterum, *Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundum poteſtatem, quã Dominus dedit mihi, &c.* Item illud *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* In his enim locis de ſpirituali poteſtate ſermo eſt, & ad regendam Eccleſiam data dicitur, maximè in ſpiritualibus, & ad ſpiritualem fidelium ædificationem. Et
C quòd ad hanc poteſtatem pertineat clericorum regimen, ſatis declaratur ex verbis Pauli ad Timotheum, *Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Inde enim ſatis conſtat, cauſas clericorum, ſaltem vt clerici ſunt, ad Prælatos Eccleſiæ pertinere, & ad ſolos illos. Nam licèt hæc excluſiua ibi expreſſe non addatur, ſatis ex eo colligitur, quòd illa poteſtas ſuperioris ordinis eſt, & alijs data non eſt, niſi Eccleſiæ Paſtoribus, nec inferiori poteſtati ſubordinata eſt, vt dixi.

Ioan.21. Matt. 16. Luc. Matt. 18.

1. Cor. 4. & 5.

2. Cor.10. & 13.

Hebr. 13.

1.Timot.2

5. Confirmatur ex Summis Pontificibus.

Ioan.Pap. C. *Si Imperator.96 d.*

Atque hoc modo veritatem hanc ex
D Chriſti, & Apoſtolorum doctrina ſumpſerunt ſacri Pontifices, & Concilia. Huc enim ſpectant verba illa Ioan. Papæ. *Si Imperator Catholicus eſt, filius eſt, non præſul Eccleſiæ.* Et infrà: *Vt Dei beneficijs non ingratus contra diſpoſitionem cœleſtis ordinis nihil vſurpet, ad Sacerdotes enim voluit Deus, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non autem ad ſæculi poteſtates, & cæt.* De quibus iterum ait: *Non ab eis, ſed à Pontificibus, & Sacerdotes omnipotẽs Deus Chriſtianæ religionis clericos, & ſacerdotes voluit ordinari, & diſcuti.* In quibus verbis

bis apertê declarat, hanc inſtitutionem eſſe de iure diuino, & illud verbum *Diſcuti*, ponderandum eſt, nam ex illo conſtat, cauſas clericorum ad forum Eccleſiaſticum tantùm pertinere ex diuino iure. Quod ſaltem de cauſis Eccleſiaſticis, & de clericis, vt clerici ſunt, neceſſariò intelligendum eſt. Eandem doctrinã comprobant, & confirmant Gelaſius, Nicolaus. I. & Symmachus Pontifices in varijs decretis ſynodalibus in eadem diſtin. 96. allegati. Et Felix Papa, atque iterũ Nicolaus in cap. *Certum eſt*, & cap. *Imperium*, & cap. *Quoniam*, diſt. 10. & Innocent. 3. in cap. *Eccleſia*, de Conſtit. & in cap. *Solitæ*, de Maiorit. & obedien. & in cap. *Nouit*, de Iudicijs, ibique cap. 2. idem habetur ex Concil. Rhemenſ. ſub Eugenio, & ex Honor. Papa in cap. 2. de Iurament. calumn.

Gelaſius. Nicol. 1. Symmach. Felix. Innoc. 3. Honor.

6. Scio quidem Regem Anglię cum ſuis Proteſtantibus tantorum Pontificũ authoritatem contemnere, eoſq; tanquam iudices in cauſa propria recuſare. Verũtamen iam dixi in præcedẽti libro, iſtorum vel ignorantiam, vel pertinaciam Pontificum authoritatem, quæ in Chriſti verbis, ac promiſsionibus fundata eſt, nõ poſſe minuere. Eò vel maximê, quòd non ſoli Romani Pontifices, ſed alij etiã antiquiſsimi Patres in eãdem veritatem conſpirant, vt ex Ambroſ. Gregor. Nazianzeno, & alijs multis in ſuperiori lib. cap. 9. & ſequentibus latê monſtratum eſt, & ideò eorum ſententias iterum referre ſuperuacaneum iudico. Quòd ſi de his omnibus dicatur, eſſe Epiſcopos, aut Sacerdotes, & in propria cauſa loqui: certê Eccleſia nunquam habuit alios Paſtores, aut Doctores, â quibus doceretur, & per quos diuinas, & Apoſtolicas traditiones acciperet, & in fidei puritate, & ſana Scripturarum intelligentia conſeruaretur, *Ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, vt dixit Paul. ad Epheſ. 4. Impium ergo eſt, cogitare, eos in hac cauſa Eccleſiæ impoſuiſſe, aut humano affectu fuiſſe loquutos, ſed Eccleſiæ cauſam, quæ â ſua ſepararari non poterat, defendiſſe, nõ poteſtatem nouam ſibi arrogando, ſed quam â Chriſto per Apoſtolos, & eorũ ſucceſſores acceperunt, conſeruando, & poſteris ad Eccleſiæ vtilitatem defendẽdo.

C. Conuenior. 23. q. 8. C. Suſcipitis. d. 10. Ad Epheſ. 4.

Sic ergo confirmata catholica aſſertione tam infallibili authoritate, quàm firma ratione, ex eadem probatione intelligi poteſt primò, hanc immunitatem, ſeu exemptionem clericorum non eſſe per modum ablationis, ſeu diminutionis iuriſdictionis, quæ priùs eſſet in Principibus, ſed per modum negationis, quia nunquam talem iuriſdictionem habuerunt, neque vnde illam habeant, oſtendere poterunt. Quia (vt ſæpe dixi) Chriſtus Dominus condendo nouam ſpiritualem Rempublicam, nullam Principibus temporalibus dedit poteſtatem (vbi enim, aut quãdo illam contulit?) ſed eam dedit Eccleſiæ Paſtoribus, ideoq; temporales Reges nullam poteſtatem habẽt in Eccleſiaſticas perſonas, & earum cauſas, prout tales ſunt, neque huiuſmodi perſonæ quoad tales cauſas Regibus ſubijciuntur, & hoc modo dicuntur exempti, non quia illorum iuriſdictioni ſubtracti ſint, ſed quia ipſi Reges poteſtatem in ipſos nunquam acceperunt. Quod declaratur optimê ex tempore primitiuæ Eccleſiæ, in quo Principes temporales infideles erant, nemo enim dicet, eos habuiſſe tunc poteſtatem ad iudicandas Eccleſiaſticas cauſas clericorum, & nihilominus tunc Eccleſia non carebat perfecta poteſtate ad ſe gubernandum, & ad iudicium ferẽdum in huiuſmodi cauſis, & de huiuſmodi perſonis, quæ ad Principes ſeculares nullo modo pertinebant. At ſeculares principes propter conuerſionem ad fidem non acquiſierunt iuriſdictionem aliquam nouam in Eccleſiam (quis enim eis illam contuliſſet?) ergo neque nunc illam habent. Rectè igitur dicuntur clerici in his exempti, non per propriam ſubtractionem, & quaſi ex priuilegio nouo, ſed quia ipſi Principes ex ſe carent tali poteſtate in clericos quoad huiuſmodi cauſas. 7.

8.

Omnes etiã ſpirituales cauſæ à ſeculari poteſtate eximũtur.

Secundo colligo ex dictis, licèt hæc exemptio præcipuè eluceat in clericis quia & perſonæ ſacræ ſunt, ac diuino cultui ſpeciliater dicatæ, ideòq; & canonicis legibus principaliter gubernantur, & conſequenter cauſæ Eccleſiaſticæ in

eis

eis maximê, & quaſi in proprio ſubiecto locum habent; nihilominus etiam in alijs fidelibus quatenus ſpirituales cauſæ ad eos etiam pertinere poſſunt, eandem exemptionem obſeruari, quia non tantùm ex proprio ſtatu perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed ex generali ratione talium cauſarum naſcitur, vt declaratum eſt. Vocantur autem ſpirituales cauſæ omnes illæ, quæ ad fidem, ſacramenta, ſacrificium, & in vniuerſum ad diuinum cultum, & ad ſalutẽ animæ, eiusque à peccatis curationem, ac remedium pertinent, vt in libr. 4. de Legib. qui eſt de legibus canonicis, latiùs diximus, & tractant Doctores in dicto cap. *Eccleſia*, de Conſtit. & varia exempla videri poſſunt in Tuſcho, verb. *Libertas Eccleſiaſtica*, cap. 1. & nonnulla de hoc puncto addemus infrà cap. 15. & 16. *Tuſchus.*

9. *Solutio ad fundamentum contrarij erroris.* Vltimò ex dictis patet reſponſio ad fundamentum contrarij erroris. Principia enim in quibus fundatur, hæretica ſunt, ſatisq; in ſuperioribus impugnata. Verba autem Pauli: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Et verba Sapientiæ: *Per me Reges regnant*, ineptiſsimê inducuntur. Nam Paulus loquitur de poteſtate in ſuo foro, & intra limites ſuos præcipiente. Cûm enim dixit: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, nõ intellexit, omnem hominem debere eſſe ſubiectum cuicunque Regi, ſed ſuo, nec enim Hiſpanus tenetur Regi Galliæ parere, aut ſubeſſe, vnuſquiſque ergo ſuo Regi ſubeſſe præcipitur: ita ergo etiam dicitur Dei ordinationi reſiſtere, qui poteſtati ſe ſuperiori, & ordinatè, ſeu in materia ſibi ſubiecta præcipienti reſiſtit. Neque Paulus dixit, Regi obediendum eſſe in omni materia, ſed ſimpliciter loquutus eſt, ſicut alibi etiam dixit: *Obedite Præpoſitis veſtris*. Ideòq; neceſſarium non fuit addere limitationem, vel exceptionem, quia in ipſa obedientiæ ratione intrinſecê includitur reſpectus ad ſuperiorem, vt ſuperior eſt, & legitimè præcipit. Et in alio loco, ſicut dixit Sapiens, Reges per ſapientiam regnare, ita ſtatim addidit, *& legum conditores iuſta decernere.*

10. *Ad confirmationem.* Ad confirmationem de Legibus Iuſtiniani in materia canonica, dixi in allegato lib. 4. de Legib. cap. 11. illas non eſſe veras leges, ſed per modũ inſtructionis, non per modum iuris haberi poſſe, ideòque in his, in quibus canonibus contradicunt, nullius eſſe vtilitatis, etiam declaratur in l. *Priuilegia*, & Authentic. *Caſſa*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. Et ſpecialiter de cauſis Eccleſiaſticis id declarauit idem Iuſtinianus Nouel. 83. quæ habetur collat. 6. tit. 11. vt clerici apud proprios Epiſcopos, &c. *L. Priuilegia. Authent. Caſſa, C. de Sacroſ. Eccle. Iuſtinian.*

11. *Obiectio.* Vna verò ſupereſt obiectio contra illam partem, in qua dictum eſt, immunitatem hanc eſſe de iure diuino, nam inde fieret eſſe immutabilem, & non poſſe per Pontificem minui, aut diſpenſari, quod falſum eſt. Nam ex conſenſu Doctorum, poteſt Pontifex cauſas Eccleſiaſticas, & ſpiritualem iuriſdictionem laicis committere; poterit ergo clericos in eiſdem etiam cauſis Regibus ſubijcere. Reſpondeo, hanc exemptionem (vt dixi) eſſe de iure diuino negatiuê, quatenus ius diuinum non dedit Regibus ſpiritualem poteſtatem in clericos, vel Eccleſias, aut Eccleſiaſticas cauſas. Vnde quoad hoc eſt prorſus immutabilis diuina inſtitutio, fieri enim non poteſt, vt Rex ex vi ſuæ Regiæ poteſtatis ius dicere poſsit clerico in huiuſmodi cauſis. Neque hoc poteſt per vllam diſpenſationem honeſtari, quia repugnantiam cõtra rationem naturalem inuoluit. Vnde etiam eſt iure diuino prohibitũ, nè quis per ſolam iuriſdictionem Regiam ſine altiori iuriſdictione tale iudicium vſurpet. In hoc ergo diſpenſatio, aut limitatio non cadit. *Solutio.* *Pontifex nõ poteſt eccleſiaſticas cauſas laicis ſubijcere, niſi iuriſdictionem ſpiritualem concedat.*

12. Non eſt autem ſic eodem diuino iure prohibitum, ne ſpiritualis iuriſdictio laicis committatur, & ideò licèt canones hoc prohibeant, & regulariter non fiat, etiam per vſitatam diſpenſationem; nihilominus de abſoluta poteſtate Pontificis fieri non repugnat, vt cum communi ſententia in libris de Cenſuris, & Legibus diximus. Et tradunt Panorm. Felin. & alij expoſitores cõmuniter in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Cõſtitutionib. Exiſtimo autem, hoc eſſe intelligendum de iuriſdictione delegata, vel in aliquo particulari caſu, nam ordinarium regimẽ Eccleſiæ non exiſtimo poſſe Regibus, aut laicis committi, quia iure diuino ſtatutum eſt, vt per Epiſcopos gubernetur, vt Actor. 2. conſtat. Et ob eandem rationem exiſtimo, fieri non poſſe, vt clerici in *Panorm. Fline. Actor. 2.*

in proprijs, & Eccleſiaſticis rebus, & cauſis, ſecularibus Principibus ordinario iure ſubijciantur, etiam per conceſsionem Pontificis: nam hoc modo multum euerteretur ordinarium Eccleſiæ regimen à Chriſto inſtitutum, & non poteſt habere iuſtam, & rationabilem cauſam, ob quam validè fieri poſſe videatur.

CAPVT III.

Vtrum perſonæ Eccleſiaſticæ à iuriſdictione Principum etiam in rebus, & cauſis temporalibus eximi potuerint, & exemptæ ſint?

1. IN hoc puncto eſt præcipua controuerſia cum his ſchiſmaticis, qui licèt primatum Romani Pontificis non negent quoad ſpiritualem poteſtatem, nihilominus primatũ in temporalibus tam ciuilibus, quàm criminalibus, etiam reſpectu clericorum Regibus temporalibus attribuunt, & ideò illud priùs generatim proponimus inquirẽdum, an ſit talis exemptio, vt poſteà originem, proprietates, & effectus eius ſpeciatim declaremus. In quæſtione autem propoſita duo inſinuantur, vnum eſt de poteſtate, id eſt, an potuerint clerici eximi à iuriſdictione Regum in rebus temporalibus, aliud eſt, an de facto exempti ſint. Hæretici enim ſectatores Marſilij Paduani, & Illiricus, alijque nouorum ſchiſmatũ inuentores conſtanter negant, factam eſſe in Eccleſia eam clericorum exemptionem, quam Principes temporales ſupremi obſeruare teneantur. Vt autem huius aſſertionis fundamentum aliquod inueniant, negant conſequenter, potuiſſe fieri in Eccleſia talem exemptionem ſine graui lapſu, & errore contra ius diuinum, & naturale. Quam rationem aſtruendi hunc errorem habuiſſe videntur quidam Paulus Seruita, & alij occulti ſcriptores contra libertatem Eccleſiaſticam, qui ante paucos annos libellos quoſdam contra Sedẽ Apoſtolicam ſparſerũt occaſione Venetę diſſenſionis omnibus notæ, eiſque annumerandus videtur Barclaius, cui nouiſsimè Illuſtriſsimus Bellarminus reſpondet: atque hos etiam Rex Angliæ laudat, & imitatur.

Senſus quæſtionis.

Primus hereticorum error.

2. Ad illud autem ſuum fundamentum A perſuadendum ſolum vtuntur illis teſtimonijs Scripturæ, in quibus Reges dicuntur miniſtri Dei, & eorum poteſtas à Deo eſſe dicitur, & ideò eorum obedientia præcipitur, tanquam iure naturę neceſſaria, *propter conſcientiã*, ad Roman. 13. Prouerb. 8. cum ſimilibus. Ex quibus hoc etiam principium tanquam certum ſtatuunt, Reges à Deo immediatè habere poteſtatem, & curam impoſitam gubernãdi omnes homines ditionis ſuæ. Ex quo tandem inferunt, exemptionẽ clericorum vniuſcuiuſque regni à ſuo B Rege eſſe repugnantem legi diuinæ, ac naturali, ac propterea eſſe impoſsibilem. Hæc autem vltima illatio in hunc modũ poteſt à nobis deduci, vt vmbram aliquã rationis habere videatur: nàm hæc exẽptio, vel potuit fieri à Deo ipſo, vel ab aliquo homine; neutrum dici poteſt; ergo ſimpliciter introduci non potuit. Minor quoad priorem partem de Deo probatur, tum quia Deus non eſt ſibi contrarius; ſi ergo ipſe præcepit Regibus, vt haberent curam omnium hominum, qui ſub imperio ſuo naſcuntur, & degunt, & his omnibus præcepit, vt ſuis Regibus C obedirent, fieri non poteſt, vt Regibus poteſtatem in clericos ſubditos ademerit, vel (quod perinde eſt) vt clericos à Principum poteſtate exemerit. Tum etiam quia hæc exemptio eſt contraria iuri naturali, quod Paulus nos docuit, Deus autem vel omnino non poteſt diſpenſare in iure naturali, vel certè ordinaria poteſtate id nõ facit, maximè in lege gratiæ, & diſpenſatione adeò vniuerſali.

Fũdamentum prædictorum hæreticorum. *Rom.13. Prouer. 8.*

Altera pars de homine probatur in primis ratione vniuerſali, quia multò minùs poteſt homo, quàm Deus, naturale ius euertere. Deinde vtor alio dilẽmate, 3. D quia ſiquis hominum talem exemptionem facere potuiſſet, aut eſſet Papa, aut Imperator, ſeu Rex, aut Princeps quilibet ſupremus in ſuo territorio: nam ſi hi non poſſunt multò certè minus inferiores poterunt. Quòd autem Papa non potuerit hanc exemptionem clericis concedere, probatur, quia non poteſt Reges poteſtate ſua priuare, neque *Regalibus prærogatiuis detrahere*, vt inquit Rex Angliæ. Nam eadem eſt ratio totius, & partis, ſi ergo Papa non poteſt Regem aliquem Chriſtianum tota ſua iuriſdictione priua-

pagin. 25. Præfat.

priuare; ergo neque aliqua illius parte, A præſertim adeò magna, & notabili, qualis eſſet *tertia hominum, & fundorum pars,* vt idem Rex conqueritur. Et confirmatur, quia nõ poteſt Papa exemptionem hanc concedere clericis reſpectu Principis ethnici, & non baptizati, ſi clerici ſint illius ſubditi, vt v.g. nunc eſt in Iapone, vel China, ergo neque reſpectu Chriſtianorum Principum id facere poteſt. Probatur conſequentia, quia Reges Chriſtiani non ſunt minus ſupremi in temporalibus, quàm Reges ethnici, & quanuis demus, Chriſtianos Principes eſſe B ſubditos ſpiritualiter Summo Pontifici (quod Rex Angliæ, & Proteſtantes nõ admittunt) hoc nihil confert, vt eos poſſit ſua temporali iuriſdictione priuare; in hoc ergo ęquiparantur Principibus ethnicis, & nullo modo Eccleſiæ ſubditis.

Confirmatio.

Euaſio.

Dicet fortaſſe aliquis, hoc ad ſummum probare, non potuiſſe Pontifices hoc facere inuitis Regibus Chriſtianis, ex cõſenſu autem illorum potuiſſe.

Replica.

Sed hoc in primis non ſufficit ad repugnandum aduerſarijs, nam inde ſchiſmatici inferent, exemptionem clericorum non eſſe per ſe firmam, ſed pendere ſemper ex conſenſu Principum, ac proinde pro eorundẽ arbitrio reuocari poſſe. C Deinde Rex Angliæ dicet, ſe eſſe ſupremum in temporalibus, & nunquam conſenſiſſe, ſed reſtitiſſe, non ſolùm ſe, ſed etiam anteceſſores ſuos. Denique etiam videndum ſupereſt, an ipſimet Reges conſentire potuerint, nam perinde eſt conſentire, ac facere; probabimus autem Reges non potuiſſe hanc exemptionem concedere; ergo neque ex illorum conſenſu potuerũt Pontifices illam introducere.

4. Quod igitur Rex temporalis non poſſit priuilegium talis exemptionis cleri- D cis ſui regni concedere, vt illos faciat ſibi non ſubditos, probatur in primis ex principio à Iuriſperitis recepto, quòd Principes non poſſunt, priuilegium concedere, quod directè ſit contra Regiam dignitatem, quia non poſſunt illam minuere, aliquid ei detrahendo, quia neque in eorũ vtilitatem principaliter creata eſt, neque illius abſolutum dominium acceperunt, ſed vt eam pro ſuis ſucceſſoribus integram conſeruarent. Nam ob hanc etiam cauſam non poteſt Summus Pontifex ſuam dignitatem minuere, nec priuilegium concedere, quo dignitati ſuæ aliquid detrahatur. Vnde intulit Nauar. *Nauar.* in cap. *Nouit*, de Iudicijs, corolar. 69. n. 166. nullum Regem poſſe regno, vel regniculis ſuis priuilegium concedere, vt neque ſibi, nec magiſtratibus ſuis parere teneantur. Quod & confirmat, tum quia tale priuilegium eſſet contra legem naturę dictantem, Principibus, & ſuperioribus obediendum eſſe, tum etiam quia reſpublica ipſa, ſi in ſe retineret poteſtatem ſupremam â Deo ſibi datam, non poſſet membrum aliquod reipublicæ à lege ſibi obediendi eximere, quia non poſſet ſe abdicare illa naturali poteſtate, quam à natura accepit in ciues ſuos, manente eadem relatione, & vnione ciuiũ cum ciuitate, ſeu membrorum cum corpore; ergo neque nunc Rex poteſt id facere, cùm poteſtas eius eadem ſit, quæ in republica præceſsit, & in eum translata fuit.

Poſſumus denique nos hoc confirmare exemplo adducto de Summo Pontifice, qui non poteſt aliquem hominem baptizatũ à ſua iuriſdictione ita eximere, vt ſibi parere non teneatur: nam idem dicendum videtur in Rege temporali, quia ita comparatur ad regnum ſuum, & perſonas eius in regimine temporali, ſicut Papa ad Eccleſiam in ſpirituali. Ratio autem vtrique communis eſt, quia Deus tam Regi, quâm Pontifici commiſit curam ſubditorum, ac præcepit, vt eis ius dicerent, & in officio continerent, iniquos puniendo, & bonos defendendo; ergo non poteſt Rex perſonas ſibi à Deo commiſſas eximere, & liberas relinquere, quia hoc eſſet contra diuinam inſtitutionem, & contra ſui muneris naturalem obligationem. Et hoc eſt, quod Rex Angliæ, & alij contendunt, quando dicunt, hanc exemptionem eſſe contra ius naturale. 5. Confirmatio.

Tandem confirmatur hæc pars ſimul cum præcedẽti, quia talis exemptio non eſſet in ædificationem, ſed in detrimentum Eccleſiæ; ergo neque à Rege, neque à Põtifice introduci potuit. Cõfirmatio ſecunda. Quam rationem intendiſſe videtur Rex Angliæ, cùm Principes monet, vt recogitent, *quantum ſpinarum, & tribulorum* (inquit) *in medijs veſtris ditionibus relinquitur, cùm aſſeratur tam potens hominum factio*

factio ſub imperijs veſtris naſci, educari, opimiſq́; prædijs frui poſſe; quæ à veſtra poteſtate immunis ſit, nec vllo iure veſtris legibus, iudicijſq́; ſubiecta. Sequi autem hoc incommodum oſtendere conatur Paulus ille Venetus, quia cùm Prælati Eccleſiaſtici non poſsint in ſubditos gladio materiali vti, eos pœna mortis mulctando, inde fit, vt vitia, & peccata in Eccleſia augeantur. Vnde concludit, hanc libertatem, quam Eccleſiaſtici prętendũt, nihil aliud eſſe, quàm peccandi libertatẽ.

6. Vera, & catholica ſententia.

Nihilominus vera, & catholica ſententia eſt, clericos iuſtè potuiſſe à iuriſdictione temporalium Principum eximi. Hæc aſſertio quatenus authoritate Eccleſiæ fundanda eſt, pendet ex facto, de quo nõdum dictum eſt, & ideo priùs oſtendemus veritatem ipſam de poſsibili, poſtea ex facto certitudinem eius probabimus. Dicimus ergo, exemptionem hanc iuſtè fieri potuiſſe tribus modis in argumentando tactis, videlicet, & à Deo, & à Pontifice, & ab Imperatore, ſeu Regibus. Et quidem prima pars adeò eſt euidens, vt à nemine poſsit ſine magna cæcitate, & impietate negari: nam Deus eſt abſolutus Dominus vitæ, & mortis, ac libertatis humanæ; ergo iuſtiſsimè ſua poteſtate, & iure vtendo, poteſt quenlibet hominem alterius ſeruum, vel dominum efficere, & ſubditum, vel ſuperiorem, & ſimiliter poteſt quencumque hominem proprio dominio, aut poteſtate priuare, & prout libuerit alteri eam donare. Et ideò dixit Daniel cap. 2: *Sit nomen Domini benedictum à ſeculo, & vſque in ſeculum, quia ſapientia, & fortitudo eius ſunt, & ipſe mutat tempora, & ætates; transfert regna, & conſtituit.* Ergo eadem facilitate potuit transferre clericos ſub poteſtatem Pontificis, auferendo Regibus poteſtatem, quam in illas perſonas habere poterant, & illam Pontifici conferendo.

Tribus modis poteſt hæc exemptio concedi, à Deo, à Sũmo Pontifice, & ab Imperatore.

Probatur primum.

Daniel. 2.

7. Soluitur ratio cõtra dictum cõceſſionis modum.

Neque ratio, quæ in contrarium fiebat vllius eſt momenti, quia per huiuſmodi exemptionem, mutationem, ſeu translationem nullam mutationẽ in ipſo Deo fieri neceſſe eſt, manens enim ipſe immutatus, mutat imperia, & humanarũ rerum ſtatus, & ita in ipſa Eccleſia pro diuerſis temporibus diſtinctos eſſe voluit gubernationis modos iuxta conſiliũ voluntatis ſuæ ſine vlla eiuſdem voluntatis mutatione, aut contrarietate. Nam licèt Deus alicui regnum, vel aliam poteſtatem tribuat, non cogitur perpetuò illam conſeruare, ſed iuxta ſuæ prouidẽtiæ rationem poteſt illam auferre, & alteri donare, non quia priorem voluntatem retractet, ſed quia à principio ſub ea lege, & conditione, ac dependentia à ſua voluntate omnia diſpoſuit. Nec denique in hoc negotio interuenit aliqua diſpenſatio in iure naturali, ſed ſolùm quædam mutatio in materia eius, quæ non ſolùm à Deo, ſed etiam per hominem fieri poteſt, vt alibi à me latius dictum eſt, & ſtatim etiam attingam.

Libr. 2. de Legib.

8. Per Clericorum exemptionem Reges priuantur iuriſdictione in ipſos.

Vnde duo hic breuiter diſtinguenda ſunt, quæ aduerſarij confundunt, vt tenebris rem inuoluant, cùm tamen res ſit clariſsima, & cuilibet mediocriter docto manifeſta. Aliud eſt enim eximere aliquem ab obedientia alicuius, auferendo ab alio iuriſdictionem, ſeu omne ius ſuperioris circa talem perſonam, etiam ſi circa alias poteſtatem retineat. Aliud verò eſt, conſeruando in Principe, vel Prælato eandem iuriſdictionem in talẽ perſonam, idemque ius præcipiendi, nihilominus auferre à ſubdito obligationem parendi. Exemptio igitur explicata in hoc poſteriori ſenſu (quem Theologico more compoſitum appellare poſſumus) veriſsimè dicitur, eſſe contra ius naturale quoad hoc indiſpenſabile, quia inuoluit apertam repugnantiam, & contradictionem etiam in ipſã diuina voluntate. Nam inde fieret, Deum ſimul velle vt ſuperior poſsit verè præcipere, ac proinde ſubditum efficaciter obligare, & vt nihilominus poſsit ſubditus licitè non obedire, & conſequenter, vt ſimul ſit ſubditus, & non ſubditus; itemque vt ſit bellum iuſtum ex vtraque parte, non in ignorantia, ſed in re ipſa fundatum, quæ eſt intolerabilis, & incredibilis perplexitas. Quis autem vnquam exemptionẽ clericorum ita intellexit? nullus profectò, qui ſanæ mentis ſit. Alter igitur modus exemptionis non ſolùm poſsibilis, ſed etiam facillimus; imò & quotidianus eſt in his poteſtatibus, quæ ab hominibus dantur, & ab eiſdem auferri, aut limitari poſſunt. Sic enim eximit Rex aliquẽ nobilem à iuriſdictione inferioris Magi-

ſtratus,

ſtratus, & Pontifex eximit religioſum à iuriſdictione Epiſcopi. Ita ergo eximere potuit Deus clericos à iuriſdictione Regum ſine vlla diſpenſatione in lege naturali, quia nulla eſt lex naturalis, quæ præcipiat, vt Reges in clericos, vel omnes incolas ſuorum regnorum iuriſdictionem habeant: ſed potiùs cùm Reges ſint Dei miniſtri, & ab ipſo habeant poteſtatem in quoslibet ſubditos, ipſa ratio naturalis dictat, poſſe Deum poteſtatem illam minuere, & ab illa quos libuerit ex ſubditis eximere.

9. Probatur ſecundum.

Altera pars erat, non eſſe impoſsibile, neque contra rationem naturalem, hanc exemptionem à Summo Pontifice efficaciter fieri, ita vt iuſta ſit, & valida, ideoq; ſeculares Principes eam admittere, & ſeruare teneantur. Quæ pars propriam diſputationẽ poſtulat, quam cap. 11. trademus, vbi authoritate, & ratione illam directè oſtendemus, nunc ergo ſolùm declaranda eſt, vt conſtet, nullam habere repugnantiam. Duobus ergo modis intelligi poteſt, poſſe Pontificem hãc libertatem clericis conferre, primò poteſtate humana, ſeu merè naturali, ſecundò poteſtate aliquo modo diuina, id eſt, ſupernaturali, & diuinitùs data. Priori modo fatemur, Pontificem non potuiſſe hanc exemptionem introducere, hoc enim ſaltem probat ratio facta, quòd nõ poſsit Pontifex iure humano, vel poteſtate naturali, ſeu acquiſita Regum poteſtatem auferre, ſeu minuere, cùm illi ſint ſupremi in ſuo ordine, & ſecundum naturalem poteſtatem ei non ſubijciantur.

Sola poteſtate humana non poteſt Pontifex clericos eximere.

10. Obiectio.

Dicet fortè aliquis titulum præſcriptionis humanum eſſe, ac naturalem, potuiſſe autem Pontificem vſu præſcribere hoc ius contra temporales Principes, eximendi clericos ab eorum poteſtate.

Reſponſio.

Reſpondetur, hunc titulum non habere locum in præſenti materia, neque in illo fundari Pontifices, vt interdum Rex Angliæ exiſtimaſſe videtur, & in ſuis verbis indicat. Ratio verô reddi poteſt, vel generalis, quia illa, quæ ſunt de intrinſeca ratione ſupremæ poteſtatis non poſſunt contra ſupremum Principem præſcribi, vt eſt communis ſententia Iuriſtarum cum Bartholo in l. *In omnibus*, ff. de Diuerſis, & temporalibus pręſcriptionibus, & Panormit. in cap. *Cum nobis.* de Præſcript. & alijs, quos refert Couar. in Practicis cap. 4. & in Regula *Poſſeſſor.* p. 2. §. 2. n. 8. Vel poteſt eſſe ratio peculiaris, & propria, quia exemptio clericorum ſecluſa conceſsione, ſeu voluntate ipſorum ſecularium Principum non poſſet ſola humana ratione, aut titulo iuſtè inchoari, ſeu bona fide, & ideò neceſſe eſt, vt poteſtas non procedat ab vſu, ſed potiùs è contrario vſus legitimus ſupponat poteſtatem, & ab illa inchoetur.

Bartho. Panormit. Couarr.

11. Oportet ergò, vt hæc poteſtas ſit ſupernaturalis, & à Chriſto ſpecialiter indita; hoc autem modo euidens eſt, non repugnare, quòd Chriſtus dederit Vicario ſuo hanc poteſtatem per quandam participationem eius dominij, & potentiæ, quæ in ipſo eſt per eſſentiam, vel excellentiam. Quid eſt enim, cur hoc fieri non potuerit? aut quæ deformitas, aut malitia contra rationem naturalem in hoc excogitari poteſt? Conceſſa enim Pontifici tali poteſtate, per illam conſtituitur ſuperior Regibus tanquam miniſter Dei ſuperioris ordinis, & ideò exemptio facta per huiuſmodi poteſtatem erit quidem ſupra merum ius naturæ, non tamen contra illud. Neque in hoc video eſſe poſſe quæſtionem, ſed ſolùm in hoc, an Chriſtus de facto hanc poteſtatem Pontifici dederit, quam quæſtionem in citato loco tractabimus, & ibi ex profeſſo reſpondebimus obiectionibus circa hoc punctum ſupra propoſitis, nam eò præcipuè tendunt, vt oſtendant, de facto non eſſe datam Pontifici hanc poteſtatem. Nunc ergo breuiter dicimus, argumenta illa ſolùm probare, Pontificem non poſſe hanc exemptionem conferre clericis per directam poteſtatem, quam in temporalibus habeat ſuprà Reges terræ, non tamen probare, hoc excedere poteſtatem ſpiritualem eius, quatenus per eam eſt ſuperior Regibus temporalibus, ſaltem indirectè, & in ordine ad ſpiritualia, quæ poteſtas etiam ſupra Reges ethnicos in multis caſibus locum habet, vt ſuperiori libro oſtenſum eſt. Quomodo verò hæc poteſtas indirecta ad effectum exemptionis ſufficiat, in dicto loco videbimus.

Põtifex per ſuam indirectam in Reges poteſtatem poteſt clericos eximere.

12. Tertia pars ſupra poſita fuit de Regibus

Kk

Probatur tertium.

bus temporalibus, de quibus dicimus potuiſſe licitè iuri ſuo renunciare, & quanuis nulla ſuperiori virtute aut poteſtate cogerentur, potuiſſe abdicare ſe iuriſdictione temporali, quam habebant in clericos, eamq; in Pontificem Romanum, vel alios Eccleſiaſticos Prælatos transferre. Hanc partem tanquam certam ſupponunt multa iura ciuilia, & canonica, & communiter eorum interpretes, ac Doctores Theologi, vt in ſequentibus capitulis latè referemus. Ratio autem aperta eſt, quia Rex ſupremus eſt verus Dominus, & habet liberam poteſtatem vtendi ſua iuriſdictione quocũque modo, neq; intrinſecè malo, neque ſibi prohibito: ſed actus eximendi clericos à iuriſdictione laica, eſt actus dominij, & eiuſdem iuriſdictionis voluntariæ, qui nec fuit Regibus prohibitus, nec eſt intrinſecè malus: ergo potuit validè, & licitè fieri à quocunque Rege ſupremo. Conſequentia optima eſt, & legitima. Maiorem etiam non negabit Rex Angliæ, eſt enim Regibus fauorabilis, & quidem meritò, nam eſt res clara, & euidens ex dictis ſuprà de Regia poteſtate. Quanuis enim Rex nõ ſit ita factus reipublicæ dominus, vt poſſit ad libitum ſua poteſtate vti, & omnia in vtilitatem ſuam conuertere, nihilominus verus eſt Dominus, quatenus verú, & proprium ius habet præcipiendi, iudicandi, gubernandi, & diſponendi circa res ſui regni in communem vtilitatem, & ita Iuriſtæ hoc vocant dominium iuriſdictionis, quod in ſupremo Principe habet per ſe, & in genere ſuo independentiam ab omni alio ſuperiore infra Deum, & ideô habet ampliſsimam, & liberam facultatem ad omnem vſum non prohibitum, ſeu rectæ rationi non repugnantem.

Barthol. in l. 1. §. Per hanc, ff. de rei vẽdica. & Couarr. in Regula Peccatũ. *p. 2. §. 9. n.* 8.

13. Exemptio eſt actus voluntariæ iuriſdictionis.

Supereſt ergo, vt talem eſſe probemus conceſsionem exemptionis, de qua tractamus. Illa enim quidam vſus eſt ſupremæ iuriſdictionis, nam (vt dixi) exemptio priuilegium quoddam eſt, conceſsio autem priuilegij actus eſt iuriſdictionis voluntariæ, vt in lib. 8. de Legib. latê tractauimus. Rectè ergo dictum eſt, exemptionem hanc eſſe vſum voluntariæ iuriſdictionis, quam oportet eſſe ſupremam in ſuo ordine, vt poſsit etiam à ſe ipſo ſupremus Princeps priuilegiatũ

A eximere. Alia etiam ratione dici poteſt hic actus vſus iuriſdictionis, quia eſt quędam iuriſdictionis donatio, nemo enim dare poteſt iuriſdictionem, niſi qui illam habet. Eſt autem peculiare in hoc modo concedendi iuriſdictionem, qui per hãc exemptionem fit, vt Princeps, qui illam alteri concedit, ſe ipſum illa priuet, quia etiam à ſua poteſtate ſubditum eximit: quod non inuenitur in alijs modis delegandi, vel committendi iuriſdictionem, nec in exemptione ab inferiori magiſtratu, quam Princeps concedit. Vnde ſi illa exemptio cõſideretur, vt eſt iuriſdictionis collatio, actus iuriſdictionis rectê appellatur: ſi verò vt abdicatio proprij iuris ſpectetur magis videtur eſſe actus dominij, & liberalitatis: ſub vtraque autem ratione optimè cadit in ſupremum gubernatorem, & Dominum. Quòd ergo hic vſus iuriſdictionis ſuæ non ſit prohibitus ſupremo Principi lege poſitiua, manifeſtum eſt, quia non habet ſuperiorem à quo lex illa ferri potuerit. Supponimus enim, illam legem non eſſe poſitiuã diuinam, nullibi enim lata eſt, aut oſtendi poteſt. Deinde etiam, non eſſe canonicam tanquam per ſe notum ſumimus. Et ideô de ſolo directê ſuperiore loquimur, cùm negamus, Regem habere ſuperiorẽ, à quo lex illa ferri potuerit, quia deberet eſſe lex humana, & ciuilis, quæ à ſolo Principe directè ſuperiore in temporalibus fieri poterat. Neque fingi poteſt lata ab ipſomet Rege, quia non poteſt ſupremus Princeps ſe per ſe primo ſua lege obligare, ſed ad ſummum per quandam conſecutionem, quando lex communitati impoſita ſimilem obligandi rationem habet in Principe: hæc autẽ lex, ſi daretur, non cõmunitati, ſed ſoli Principi imponeretur, ideòque non poteſt ab eodemmet Principe ferri. Nec denique fingi poteſt, quôd ſit lex à republica lata: nam poſtquàm reſpublica poteſtatem ſuam in Regem trãſtulit, illo eſt inferior, vt illum non poſsit poſitiuis legibus obligare.

14. Exemptio Clericorũ nec iuſtitiæ nec rationi naturali repugnat.

Solùm oſtendendum ſupereſt, illum vſum non eſſe per ſe, & intrinſecê malũ, ſeu quod perinde eſt, priuilegium illud non eſſe contra iuſtitiam, vel naturalem rationem. Quod quidem per ſe euidens videtur, quia eſt in fauorem fidei, & religio-

ligionis, & nulli nocet, nec præiudicat, niſi ipſimet Principi concedenti priuilegium, quod voluntariè facere poteſt, & piè, ſi propter dictum finem, & ſine alicuius nocumento id faciat. Declaratur præterea in hunc modum, quia vel vſus ille eſt per ſe malus, quia eſt contra pactum cum republica initum, cùm primũ in Regem tranſtulit poteſtatẽ ſuam, vel quia eſt contra naturalem legem iuſtitiæ, qua Rex tenetur habere curam ſuorum ſubditorum, ſeu incolarum omniũ regni ſui, iuxta exigentiam ſui muneris, quod à republica accepit; vtrunque autẽ ſine fundamẽto excogitatur, facilliméq; excludi poteſt; nulla eſt ergo vera ratio intrinſecæ malitiæ in tali priuilegio.

15. Prior pars minoris probatur, quia gratis fingitur tale pactum inter rempublicam, & Regem, nimirum, quòd reſpublica ſuam poteſtatem ſub ea conditione, ſeu limitatione in Regem tranſtulerit, vt non poſſet tale priuilegium exemptionis aliquibus ciuibus concedere. Vnde enim probari poteſt talis conditio, aut quod illius ſignum oſtendi poteſt? Præterea ipſamet reſpublica non habebat poteſtatem ſuam ita limitatam, quia nõ ex aliquo pacto ſimili, ſed à Deo ipſo illam recepit quaſi congenitam cùm natura, & ſub ea tantùm conditione, vt illa iuſtè, & ſecundum rectam rationem vteretur; ergo eodem modo illam in Regem tranſtulit, & quidquid aliud fingitur voluntarium, & impertinens eſt. Pręſertim quia ſi humana reſpublica conſideretur in ſtatu legis naturæ, in quo ſe ipſam regere poſſet per rationem rectam, vel naturalem tantum, vel fide illuſtratã; potuiſſet & temporales Reges ſibi, & Sacerdotes ad Dei cultum peculiariter dicatos, inſtituere: Sacerdotesq; à Regum poteſtate eximere, & ſub aliquo gubernatore in ſuo ordine ſupremo eos conſtituere; in hoc enim genere inſtitutionis nulla eſt repugnantia, vel deformitas; ergo etiam Rex, quãuis ſimpliciter totam poteſtatẽ à republica receperit, poſſet poſtea ſimile priuilegium Sacerdotibus concedere; ergo ſuperuacaneum eſt fingere pactum illud, & conditionem, ſeu limitationem ſibi à republica impoſitam, cùm ad conuenientem reipublicæ gubernationẽ neceſſaria non ſit. Quin potiùs talis condi- A tio, ſi extendatur, vt locum habeat etiam reſpectu Sacerdotum, ſeu Pontificũ ſupernaturali modo à Chriſto inſtitutorũ, ſic neque venire poterat in mentem humanæ reipublicæ ſecundum ſe ſpectatę, & contra rationem, & publicam honeſtatem eſſet, & ideo nullius momẽti, vel valoris foret. Igitur ex hoc capite non eſt ligata poteſtas Regum, quominus rectè, & validè priuilegium hoc clericis dare potuerint, etiam ſi aliunde illud non haberent.

Atque inde tandem facilè probatur alterum membrum, nimirum priuilegium hoc non eſſe cõtra naturalem legem iuſtitiæ, qua Rex tenetur curam omnium ciuium habere, vt conuenienter gubernentur. Nam Rex cõcedendo hoc priuilegium, non omittit hanc curam, ſed altiori, & cõueniẽtiori modo illã prouidet. Vnde duobus modis cogitari poteſt, Regem aliquẽ ſibi ſubditũ à ſua iuriſdictione eximere. Primò abdicando à ſe omnẽ poteſtatem, & iuriſdictionem circa illũ, & nulli alteri illum ſubijciendo, ſed omnino vagum, vt ſic dicam, & abſque lege, & gubernatore illũ relinquendo. Et hũc modum priuilegij fatemur eſſe inordinatiſsimum, & intrinſecè malum, quia eſt bonis moribus contrarium, & ex ſe cõmunitati reipublicæ valde pernicioſum. Non eſt autem huiuſmodi clericorũ exemptio, vt nũc ſupponimus. Alio modo poteſt Rex eximere ſubditum à ſua iuriſdictione, poteſtatem in eum alteri tribuendo, vel relinquendo; & hic modus malus non eſt, ſed poteſt habere conuenientem rationem, quia per ſe nõ repugnat bonis moribus ſubditorum, quia non relinquuntur ſine ſufficienti gubernatore, & aliunde poteſt eſſe magis decens, magiſq; ad cõmune bonum conueniens, propter peculiarem ſtatum aliquorum ciuium. Talis autem eſt exemptio clericorum, vt infrà probabimus; ergo illam concedere, non fuit contra bonum vſum Regiæ iuriſdictionis, & poteſtatis, ac proinde nec rationi naturali repugnat tale priuilegium, nec excedit ſupremi Principis poteſtatem. 16.

B C D

Ita aliquem eximere, vt nulli ſubijciatur, intrĩſecè malum eſt.

Neque etiam contra hoc obſtant argumenta, quę ſuprà tertio loco propoſita ſunt. Quod enim in primo dicitur, nõ poſſe Principem ſuã iuriſdictionem, ſeu pote- 17.

Soluuntur argumenta cõtra hunc exemptionis modũ.

Ad 1. poteſtatem minuere, eam alteri communicando; non eſt in vniuerſum verum, quando talis diuiſio, vel communicatio iuriſdictionis ad bonum reipublicę conueniens iudicatur, quia poteſtas illa de ſe mutabilis eſt, & ad cõmune bonum reipublicæ ordinatur, & ideò nulli iuri repugnat, quòd in illa fiat huiuſmodi mutatio. Præſertim, quia per tale priuilegiũ non priuatur reſpublica tali iuriſdictione in ſe, & in omnibus ſuis membris, ſed ab vno in aliud transfertur, quod multis de cauſis fieri poteſt, vt conſtat. Neque in hoc eſt æquiparatio cum iuriſdictione Summi Pontificis admittenda, quia dignitas Põtificia altiorem habet inſtitutionem, ratione cuius immutabilis eſt, vt in ſuperioribus dixi, & ideò fieri nõ poteſt, vt baptizatus aliquis ab ea eximatur, cũ iure diuino illi ſubiectus ſit, quod ſecus eſt in poteſtate Regia, quę ſimpliciter, & proximè eſt ex inſtitutione humana. Quod autem Nauarrus, & aliqui Iuriſtæ dicunt, non poſſe Regem, aliquem à ſua obedientia eximere, intelligendum eſt de exẽptione merè priuatiua, id eſt, quæ ſubditum ſine lege, & gubernatore relinquat, non verò de exemptione transferente iuriſdictionem in alium, vt declaratum eſt. Et hoc ipſum confirmat exẽplum de ipſamet republica, quod Nauar. adduxit, vt etiam ex dictis conſtat.

Baptizati á Summi Põtificis iuriſdictione eximi nequeũt.

18. Ad confirmationem. Ad vltimam confirmationem reſpondeo, impiam, & blaſphemam eſſe vocem illam noui Pauli Veneti, libertatem Eccleſiaſticam clericorum nihil aliud eſſe, quàm libertatem, ſeu licẽtiam peccandi; nam libertas, quam Pontifices docuerũt & ſacri canones defendunt, & pro qua multi Sancti Pontifices vſq; ad ſanguinem decertarunt, & Imperatores, & Catholici Reges piè, ac fideliter cum vniuerſa Eccleſia receperunt, & laudarunt, nõ eſt licentia liberè, aut impunè peccandi, ſed eſt veneratio quædã Eccleſiaſtici ordinis, & conueniens iuriſdictionum diſtributio, vt omnia in Eccleſia ordinatè, ac decenter fiant. Neque argumentum Pauli eſt alicuius momenti. Primò, quia iudex Eccleſiaſticus, vel Põtifex poteſt pœnam corporalem etiam mortis imponere, licèt ob decentiam, & lenitatem per ſe ipſum id non faciat, vt ſignificauit Innocentius in cap. 2. de Maiorit. & obedi.

Eccleſiaſticus iudex poteſt pœnam mortis imponere.

Innoc. *Bald.*

A & ibidẽ Baldus, & notat Bernard. Diaz in Practic. crimina. c. 61. & Couarr. lib. 2. Variar. cap. 20. n. 10. vbi ad hoc expẽdit cap. 1. de Homicid. in 6. vbi Pontifex imponit pœnam diffidationis propter homicidiũ per aſſaſsinos perpetratũ, quæ diffidatio pœnam mortis virtute includit, vt ibi declarat. Vnde quòd iudex Eccleſiaſticus per ſe ipſum non vtatur gladio, nec per ſe proferat ſententiã ſanguinis, non eſt, quia non poſsit, ſaltẽ Pontifex, vel qui ab eo ſingularem poteſtatem receperit, ſed quia non decet. B Nihilominus tamen quando grauitas delicti poſtulat, Eccleſiaſticus iudex reum clericum brachio ſeculari tradit, vt per eum iuxta rigorem legum puniatur; ergo ex hac parte non datur clericis impunitas in ſimilibus delictis perpetrandis. Deinde extra caſum pœnæ mortis poſſunt clerici (vt notat Panormit. in cap. *Cum non ab homine*, de Iudic. numer. 26.) ab Eccleſia grauiſsimis pęnis affici, damnantur enim interdum ad perpetuũ carcerem, & adeò arctum, vt mors potiùs diuturna cenſeri poſsit, quàm vita, vt ſumitur ex cap. *Nouimus*. §. 1. de Verbor. ſignifi. Deinde etiam eſt ſatis grauis pœ- C na diuturnum, & oneroſum exilium, damnatio ad triremes, fuſtigatio grauis, & aliæ ſimiles.

Ber. Diaz. *Couar.*

Panormit.

Cap. Nouimus, de Verbor. ſignificat.

19. Ac deniq; quanuis fortaſſe ex maiori benignitate, & lenitate Eccleſiaſtici iudicij nõnulli praui homines ſumant occaſionem peccandi, nõ ideò damnabile eſt priuilegium exemptionis Eccleſiaſticę, quia illud per accidens eſt, & contra intẽtionem Eccleſiæ, & multò maiora, & neceſſaria cõmoda ex illo ſequũtur, vt infra oſtẽdemus, nullũq; bonũ eſt, quo praui homines nõ interdũ male vtãtur, neq; D propterea damnandum eſt. Sicut in ipſo ſeculari iudicio inter laicos fit aliqua diſcretio, nam qui nobiles ſunt à grauioribus tormẽtis, & infamibus pœnis per priuilegiũ nobilitatis eximuntur, quo multi illorum ad licentiam peccandi abutũtur, & ob eam cauſam priuilegiũ ipſum non reprobatur, ſed qui male illo vtuntur digni cenſentur illo priuari; cur ergo non idem cum proportione dicetur de libertate Eccleſiaſtica? cùm clericalis ordo ex genere ſuo in altiori gradu dignitatis, & nobilitatis conſtitutus ſit.

Vlti-

20. *Vltima aſſertio.*

Vltimo ergo concludimus, exemptionem clericorum non ſolum potuiſſe iuſtè concedi, ſed etiam de facto eſſe ſanctè cōceſſam, & in Eccleſia eſſe antiquiſſimam. Quam aſſertionem non ſolùm veram, & piam, ſed etiam catholicā eſſe credimus, ita vt abſque errore in fide negari non poſsit. Quia verò in diſcurſu huius libri latè tractanda, & confirmanda eſt, eam nunc breuiter ſic probamus. Nā in primis hanc exemptionem ſeruandā eſſe in Eccleſia docuerunt, & præceperunt Pontifices, & Concilia ferè ab initio Eccleſiæ vſque ad præſentem diem, vt conſtat ex Alexandro. 1. epiſt. ad omnes Orthodoxos, qui ſedit ann. 109. teſtaturq; à temporibus Apoſtolorum id obſeruatum fuiſſe, quod poſtea etiā pręcepit Caius Papa epiſt. ad Felicem Epiſcopum ann. 283. & Marcellinus epiſt. 2. ad Vniuerſos Epiſcopos Orietis an. 196. Sylueſter Papa in quodam Concilio Romano, quod ſub illo primum ordine ponitur, canon. 4. ann. 314. Gelaſ. apud Gratianū in cap. *Chriſtianis*, & cap. *Sylueſter*. 11. q. 1. & Bonifacius. 5. in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, vt refert Gratianus ſuprà in cap. *Nullus*. 3. nam in originali non inuenitur, & magis videtur caput illud deſumptum ex Authentica *Nullus*. C. de Epiſcopis, & Clericis. Idem tradit Gregor. quem Gratianus ibidem refert ex lib. 9. Epiſtolar. indict. 4. epiſt. 32. ad Romanum defenſorem Siciliæ, & idem habet in epiſt. 74. ad Bonifaci. defenſorem Corſicæ, vbi ſic ait: *Peruenit ad nos, quòd quidam clericorum te illic poſito, à laicis teneantur. Quod ſi ita eſt, tuæ hoc culpæ noueris reputari, quia hoc fieri, ſi homo eſſes, non debuit. Et ideo de cætero ſolicitudinem te habere neceſſe eſt, vt hoc fieri non permittas, ſed ſiquis contra aliquem clericum cauſam habuerit, Epiſcopū ipſius adeat, &c.* Omitto poſteriores Pontifices, quia de illis res eſt manifeſta, & apparet ex vſu quotānis promulgandi Bullam cœnæ Domini.

Exemptio clericorum antiqua, & ſancta.

Probatur.

Alexand. Papa. 1.

Caius Pap.

Marcelli.

Sylu. Pap.

Gelaſ.

Bonif. 5. Gratian.

Gregor.

C. Peruenit. 11. q. 1

21. *Leo. I.*

Addo duos antiquiores, & grauiſsimos teſtes, quos Gratianus prætermiſit, vnus eſt Leo I. in epiſtol. 96. ad Epiſcopos, & presbyteros Thraciæ, cuius ſūt verba notanda: *Tanta ſeculi poteſtates circa ſacerdotalem ordinem reuerentia præualuere, etiā hi, quos ſub imperiali nomine terris diuina potentia præeſſe præcepit, vt ius diſtinguen-* A *dorum negotiorum Epiſcopis ſanctis, iuxta diualia conſtituta permiſerint. Quod cùm & iuris antiqui formulis, & illibatis frequentiùs ſit legibus confirmatum, præſenti tamen tempore à plerisq; inuenimus fuiſſe calcatum. Nam prætermiſſo ſacerdotali iudicio, paſsim ad examen ſeculare tranſiere. Quo circa nobis viſum eſt, vt hanc & ſacræ legis, & noſtri ordinis contumeliam, & ad præſens vlciſceretur plena diſtrictio, & obſeruandam formulam conſtitueret in futurum, & cæt.* Alter eſt Telaſphorus Papa. 9. à Petro, qui in ſua Epiſtola ad omnes fideles ſic B inquit: *Diſcreta eſſe debet vita clericorum à laicorum conuerſatione, & ſicut laici, & ſeculares homines nolunt eos recipere in accuſationibus, & infamationibus ſuis, ita nec clerici debent eos recipere in impulſationibus ſuis.* Oſtendens per hæc verba, quanta iā tunc fuerit diſtinctio inter vtrūq; forū.

Telesphor. Pap.

Multa præterea ſacra Concilia generalia, & prouincialia, antiqua, & recētiora, clericos non à laicis, ſed ab Epiſcopis, vel à Concilijs prouincialibus iudicādos eſſe tradiderunt, vt conſtat ex Concilio Chalcedonenſi action. 15. cap. 9. & ex Carthaginen. 3. antea coacto ann. 397. c. C 9. vbi inter alia dicitur, male de Eccleſia ſentire clericum, qui de iudicio ſeculari petit auxilium. Et in cap. 38. petitur facultas ab eodem Concilio ad implorandum brachium ſeculare contra quendam incorrigibilem Epiſcopum, & reſpōdet Aurelius conſentientibus alijs, hoc non eſſe contra formam diſciplinæ, quando clericus admonitus contumax fuerit, & contempſerit. Et in Concilio Toletan. 3. cap. 13. puniuntur clerici deſerentes iudicia Eccleſiaſtica, & ad ſecularia euntes. Idemq; habetur in Concilio Agathenſi tempore Symmachi c. 8. & 32. Aureli. 3. D c. 31. Mileuit. c. 19. Matiſcon. 1. cap. 8. & 32. & latiùs Matiſcon. 2. c. 9. & 10. vbi notanda ſunt illa verba. *Reuerendiſsimi canones, atq; ſacratiſsimæ leges de Epiſcopali audiētia in ipſo pene Chriſtianitatis principio ſententiā protulerūt: tamē quia eadē poſtpoſita, humana in ſacerdotes Dei, graſſatur temeritas, &c.* Quæ verba ſūt valde notāda tū pro exēptionis antiquitate, tū quia in eis inſinuatur, illā magis eſſe per canones & leges declaratā, atq; defenſā, quàm inſtitutā: hoc enim ille mod⁹ loquēdi indicat. *Pro epiſcopali audiētia ꝓtuliſſe ſē:etiā.*

22.

Conc. Chalcedonen.

Concil. Carthaginen.

C. Placuit 2. 11. q. 1.

Concil. Tolet. 3.

Conc. Agathenſ.

Conc. Aureli.

Conc. Mileuit.

Conc. Matiſco. 1. & 2.

23. Idem refertur ex Concilio Pariſienſi in cap.2. de Foro competent. & ex Cōcilio Lateranen. ſub Alexandr.3. in cap. *Si clericus*, eodem tit. in quo multa ſunt decreta de diſtinctione vtriuſque fori, & plura in cap. *Qualiter, & quando*, & cap. *Clerici*, & cap. *Cum non ab homine*, de Iudicijs. Deinde in Concilio Colonienſi. 1. p.9. c. 20. dicitur, *hanc immunitatem eſſe antiquiſsimam*, & in Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 9. in Bulla reformationis, innouātur omnes ſanctiones Apoſtolicæ in fauorē libertatis Eccleſiaſticę, *Cùm à iure* (inquit) *tam diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.* Ac denique Concilium Trident. ſeſſ.25. c.20. de Reform. ſic inquit: *Decernit, & præcipit ſancta Synodus, ſacros canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias ſanctiones Eccleſiaſticas in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarū, ac libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas, quæ omnia præſenti etiam decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere.* Atq; his canonicis decretis cōcordant iura ciuilia, quę poſteà referemus.

Cap.2. de For. comp.
Cap. *Si clericus*. eod.
Cōc. Coloni.
Conc. Lat.
Cōc. Trid.

24. Ex his ergo teſtimonijs euidenter cōcluditur, datum eſſe in Eccleſia Chriſti clericis priuilegium exemptionis à poteſtate ſeculari. Nam impoſsibile eſt, tot Pontifices ſanctos, & ſapientes, quorum multi etiam Martyres fuerunt, & tot Cōcilia Eccleſiam in hoc decepiſſe. Vnde etiam eſt incredibile, clericos contra Imperatores, & Reges priuilegium hoc per tyrannidem, vel iniuriam vſurpaſſe. Imò de fide certum eſſe debet, inſtitutionem, & obſeruationem huius priuilegij honeſtam, & ſanctam fuiſſe, & eſſe. Quod in hunc modum ex principijs fidei, & citatis teſtimonijs colligitur. Quia de fide eſt, Eccleſiam non poſſe errare in præceptis morum, quæ vniuerſali authoritate Pontificum, aut Conciliorum generalium obſeruari præcipiuntur, ſed in Eccleſia per multas leges canonicas, & vniuerſales approbatur hoc priuilegium exemptionis clericorum, & obſeruari præcipitur, & nouiſsimè innouantur, & confirmantur à Concilio Tridentino loco citato; ergo de fide certū eſt, tam hoc Concilium, quàm ſuperiora decreta in hoc puncto non erraſſe; ergo eodem modo eſt de fide certum, & priuilegium hoc

De facto fuiſſe clericis exemptionem conceſſam concluditur.

A iuſtum, ac validum eſſe, & conuenienter inſtitutum. Quibus autem rationibus cōceſſum ſit, in ſequentibus videbimus, inueſtigando, quo iure fuerit introductū. Nam ex dictis in hoc capite conſtat, tribus modis dari potuiſſe, ſcilicet, diuino, canonico, & ciuili, & ideò à quo illorum emanauerit, inquirendum ſupereſt.

CAPVT IIII.

Vtrum Summus Pontifex omni iure diuino, & humano ab omni iuriſdictione ſecularium Principum exemptus ſit.

B

QVanuis priuilegium exemptionis commune ſit Summo Pōtifici cū reliquis clericis, cùm ipſe non ſolū clericus ſit, ſed etiam clericorū, & totius Eccleſiæ Princeps, & caput: tamen quia in illo propter ſingularem eminentiam notior eſt talis priuilegij origo, & quia illius cognitio parare poteſt viam ad inueſtigandam originē immunitatis aliorū Eccleſiaſticorum, ideò priùs de Papa in particulari ſermonem inſtituimus. De quo etiam hæretici non negant, nunc de facto exemptum eſſe ab omni ſeculari C poteſtate, quia ipſe cum Pontificatu cōiunctum habet temporale regnū, in quo ſuperiorem non recognoſcit, quia verò regnum iſtud non à Deo immediatè, ſed hominum deuotione, vel alio ſimili humano titulo conſequutus eſt, ideò talis exemptio non eſt per ſe coniuncta cum Pontificia dignitate, nec ex diuino iure, ſed ex humano ducit originem, vel certè ſuppoſito tali ſtatu temporalis Principis ex natura rei ſequitur, ſicut in alijs Regibus, qui exempti ſunt ex vi ſui ſtatus, quia non habent ſuperiorem. Vnde ad D reſpondendū quæſtioni propoſitæ, præſcindenda eſt Regia dignitas â perſona Pontificis, & ſolûm vt Pontifex conſiderandus eſt, ſicut fuerunt Petrus, & ſucceſſores eius ante Conſtantinum.

1. Senſus quæſtionis.

Sic ergo tam Proteſtantes, quàm Rex Angliæ negabunt planê, habere Pontificem Romanum hanc exemptionem. Vel quia non plus eſſe credunt, quàm priuatum quendam Epiſcopum, vel ad ſummum Patriarcham; de omnibus autē Epiſcopis, & Archiepiſcopis cenſent eſſe ſubditos ſuis Regibus in tēporalibus. Vel

2. Error Proteſtantium.

Vel certè quia Pontifex neque iure diuino exemptus eſt, vt patet in Petro, & cæteris Apoſtolis, quibus nunquã Chriſtus tale priuilegiũ conceſsit: neque iure canonico, quia non poteſt Pontifex hoc priuilegiũ ſola ſua authoritate ſumere; ius autem canonicum Pontificia authoritate præcipuè nititur. In iure autẽ ciuili nihil ſingulare legitur de Pontifice Romano magis, quam de cæteris. Vnde etiam

Palatius. inter catholicos Palatius in 4. diſt. 25. aſſerere auſus eſt, Papam non eſſe exemptum à poteſtate ciuili iure diuino, vel canonico, ſed iure tantùm ciuili, ſeu ex priuilegio Imperatorum. Nam idem ſentit de alijs Eccleſiaſticis, & nihil ſingulare Pontifici quoad hoc priuilegiũ attribuit. Verumtamen hæc ſententia quatenus totum hoc priuilegium reuocat in ſolam donationem Imperatorũ, etiam de alijs clericis Sũmo Pontifice inferioribus pernicioſa eſt, & minimè probanda, vt infrà oſtendam: de Summo autem Pontifice omnino reprobanda, & minimè toleranda eſt.

Opinio Palatij minimè permittenda.

3. Prima conclusio.

Dicendum ergo eſt, Summum Ponticem ex diuino iure habere exemptionẽ, & immunitatem ab omni iudicio, ac iuriſdictione ſeculari, etiam Imperatorum, & Regum. Hanc aſſertionem tenent in primis omnes catholici Doctores, qui generaliter affirmãt, exemptionem hanc in toto Eccleſiaſtico ſtatu eſſe de iure diuino quos c. 8. referemus. Pręter eos verò, qui de inferioribus, vel id negant, vel dubij ſunt, de Sũmmo Pontifice propter eius ſingularem dignitatẽ id ingenue fatetur Soto lib. 5. de Iuſtit. q. 4. art. 1. idẽ ſentit Banhes 2. 2. q. 67. ar. 1. dub. 3. & ſumitur ex Caietano eodem loco, & tom. 1. Opuſculor. tract. 1. de Poteſt. Papę, & Cõcilij cap. 27. ad 2. expreſsiùs id ñotãt, & probant Turrecre. lib. 2. ſumm. capit. 93. & Bellarmin. lib. 2. de Sum. Pontif. c. 26. ſequitur Molina 1. tom. de Iuſtit. diſput. 31. Valentia. 3. p. diſp. 5. q. 11. pũct. 1. Henricus lib. 7. de Indulgent. cap. 24. & Driedo libr. 1. de Libert. Chriſtian. c. 9, circa medium. & cap. 15. circa finem.

Soto. Bañez. Caietano. Turrecer. Bellarmi. Molina. Valent. Henric. Driedo.

4. Probatur aſſertio primo, ex iure Canonico.

Probariq; generatim poteſt hæc aſſertio ex iure canonico, quatenus in eo ſimpliciter aſſeritur. Papam non habere ſuperiorem in terris, à quo poſsit iudicari, aut cogi. Ita tradit Concilium Romanũ

A ſub Syluestro can, 20. *Nemo* (inquit) *iudicabit primam ſedem, quoniam omnes ſedes à prima ſede iuſtitiam deſiderant temperari.* Et ne quis exiſtimet Concilium illud loqui de ſolo iudicio, ſeu poteſtate ſpirituali, ſubditur ſtatim: *Neque ab Auguſto, neq; ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Quę ferè verba ex Innocentio Papa refert Gratianus. 9. q. 3. capit. *Nemo iudicabit primam ſedem, &c.* Atque eadem verba ex Syluestro refert Nicolaus Papa in epiſt. 1. alias 8. ad Michaelẽ Imperator. §. *Conſonat autẽ.* Et in

Gratian. Nicolaus Papa.

B §. ſequẽnti refert ſimilia verba Cõcilij cõgregati in caſu Marcellini. ſcilicet, *Prima ſedes non iudicabitur à quoquam*, quam ſententiam varijs teſtimonijs, & argumentis confirmat. Ac tandem ipſe concludit: *Satis euidenter oſtenditur, à ſeculari poteſtatẽ, nec ligari prorſus, nec ſolui poſſe Pontificem.* Vnde cùm tempore Leonis. 3. ſeditio contra ipſum Romæ mota eſſet, & Carolus Magnus ad illam ſedandam Romam veniſſet, & in Baſilica Sancti Petri adſtante populo, & clero Epiſcoporum omnium, qui eò ex tota Italia, & Francia conuenerant, ſententias, & vota de vita, & moribus Pontificis rogaret, ab omni-

C bus vna voce reſponſum eſt, *Sedem Apoſtolicam omnium Eccleſiarum caput, à nemine (laico præſertim) iudicari debere*, Carolus autem audito tam graui reſponſo, quæſtionem omiſit. Ita refert Platina in vita Leonis, & habetur etiam in tom. 3. Concilior. Et eandem ſententiam latè comprobat Ennodius Diaconus in libro pro defenſione Symmachi, qui recipitur, & probatur in 5. Synodo Romana ſub eodem Symmacho. Eãdemque refert ex dictis Bonifacij Martyris Gratian. in cap, *Si Papa*, diſt. 40. & ſumpſit ex Cardinali Deus dedit in hiſtoria de Rebus Eccleſia-

Platina. Ennod. diacon. Gratian.

D ſtic. lib. 1. cap. 231. prout latè refertur in decreto Gregoriano ſub dictum cap. *Si Papa.* Denique in ſynodo. 8. generali Conſtantinopolitana 4. can. 21. egregiè locupletatur illa ſententia, quia non ſolũ de Papa, ſed etiam de alijs Patriarchis dicitur: *Neminem prorſus mundi potentium eos poſſe inhonorare, aut à proprio throno mouere*, & additur *præcipuè quidem ſanctiſsimum Papam ſenioris Romæ.* Et infrà: *Sed nec alium quemquam conſcriptiones contra Sanctiſsimum Papam ſenioris Romæ, ac verba*

Synodo 8. Cõſtantinop.

ba complicare, vel componere liceat, ſub occaſione quaſi diffamatorum quorundam criminum. Et infra ait etiam ſynodum generalem non poſſe ſententiam dicere contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.

5. Cap. *Alio rũ.* 9. q. 3. *Ennodi.*

Ex hoc ergo tam antiquo, & conſtanti dogmate colligimus, priuilegium hoc Summi Pontificis non humanum eſſe, ſed diuinum, quia neque ipſe ſibi arrogare illud facto auderet, niſi iure potuiſſet: non enim tanta facilitate, & conſenſione ab Eccleſia, & Principibus Chriſtianis, ſine vlla vi, vel coactione (quam profectò neque ipſi Pontifices efficere poterant) admiſſum fuiſſet: Neque etiam Põtifex id petere iure potuiſſet, niſi ad hoc poteſtatem, & authoritatem haberet, quã ratione ſuę dignitatis à Chriſto recepit. Quòd ſi ab ipſo Chriſto authoritatem habet declinandi omnem iuriſdictionẽ humanam, profectò iure diuino ab illa exẽptus eſt. Neque credibile eſt, hoc ius ab Imperatoribus accepiſſe; tum quia ante Imperatores Chriſtianos dogma illud in Eccleſia cognitũ eſt, vt de tempore Marcellini diximus, tum etiam quia Imperator non poterat hoc priuilegium concedere pro omnibus Regibus, & populis non ſibi ſubiectis, cùm tamen in dicta Synodo Romana generaliter, & reſpectu omnium illa ſententia proferatur. Tum denique quia Concilia, & Pontifices non fundant dogma illud in aliquo beneficio Imperatoris, ſed in eminentia dignitatis Romanæ ſedis. Et ideo cenſent tale priuilegium eſſe perpetuum, ac omnino firmum, & immutabile, quod non poſſet habere, ſi ab Imparatore originẽ habuiſſet. In quo etiam conſidero, nec Imperatorem ipſum, vel Regem eſſe ita exemptum in terris ab omni iuriſdictione temporali, vt in nullo caſu poſsit ab hominibus, vel à tota communitate iudicari, & cogi, quia vt dictum eſt lib. 3. poteſtas cuiuſcumque Monarchę temporalis manat à republica cum aliqua limitatione, & cõditione incluſa; exemptio autem Pontificis multo maior, & altior eſt: ergo non poteſt in conceſsione Imperatorum, vel Regum fundari; datum ergo fuit tale priuilegiũ à Deo ipſo. Vnde Ennodius ſuprà: *Aliorum* (inquit) *hominũ cauſas Deus voluit, homines terminare, ſed ſedis iſtius Præſulis ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbtrio.*

A Vt autẽ ratione aliqua diſtinctiùs declaremus, vbi aut quando Chriſtus priuilegium hoc immediatè Pontifici contulerit, diſtinguere oportet duos modos, quibus intelligi poteſt, hoc priuilegium eſſe diuinum, ſcilicet, vel naturali iure, vel poſitiuo. Intelligendum autem eſt in pręſenti materia ius naturale, non reſpectu naturę humanæ in ſua pura cõditione ſpectatæ, nam hoc modo per ſe notum eſt exemptionem hanc non eſſe de iure naturali, ſed naturale in præſenti dicitur, quod eſt connaturale alicui gratiæ, vel ſupernaturali dignitati homini collatæ, id eſt, quod, poſita tali dignitate, ſecundum rectam rationem ex illa neceſſariò ſequitur. Ex iure autem poſitiuo diuino dicetur eſſe tale priuilegium, ſi per ſe, ac directè, ſeu propria, & peculiari voluntate à Chriſto Domino Vicario ſuo collatum eſſe conſtiterit. Dicimus ergo vtrunque modum verum eſſe, quod ſigillatim oſtendendum eſt. 6.

Quando dicatur aliquid eſſe de iure diuino naturali, vel poſitiuo.

Exẽptio ſummi Pontif. eſt de iure naturali, & poſitiuo diuino.

Et in primis, hanc exemptionem eſſe de iure diuino naturali, his verbis ſignificauit Nicolaus Papa in epiſt. citata: *Patet profectò ſedis Apoſtolicæ, cuius authoritate maior non eſt, iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio.* Et infrà. *Nemo vnquam Apoſtolico culmini manus obuias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit iudicari.* Ac ſi diceret, Pontificem ex vi Apoſtolici culminis, & authoritatis, qua maior non eſt, exemptum eſſe ab humano iudicio. Et Ennodius in loco proximè citato hanc exemptionem fundat in verbis Chriſti: *Tu es Petrus, & Quodcumque ſolueris, &c* Ac ſi diceret; ibi Chriſtum dediſſe Petro hanc exemptionem vbi illum Vicarium ſuum, & ſupremum Eccleſię Paſtorem creauit, etiam ſi nihil aliud expreſsiſſet, quia, nimirum, ex natura rei priuilegium hoc talem dignitatẽ comitatur, & ideo eſt de iure diuino naturali tali dignitati, licèt ſimpliciter, & in ſe ſit de iure diuino ſupernaturali, quod in radice (vt ſic dicam) poſitiuum etiam dici poteſt. Ratio autem huius conſecutionis, ſeu naturalis iuris eſſe debet, quia per illam dignitatem factus eſt Petrus ſupra omnes non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, vt ſuprà viſum eſt; ergo eo ipſo exemptus eſt ab omnium

7. Probatur aſſertio quo ad primam partem. Cap. Patet. 9. q. 3.

Ennodius.

omnium poteſtate, & ſubiectione.

8. Difficultas circa propoſitam probationem. Non eſt autem hęc illatio tam euidẽs, quin aliquam patiatur difficultatẽ. Quia Pontifex ex vi ſuę dignitatis non eſt ſuperior omnibus in temporalibus directè, imò ex vi iuris diuini nullam iuriſdictionem directè temporalem habet, ſed tantùm ſpiritualem, quæ indirectè tantùm extenditur ad temporalia; ergo non repugnat, eſſe ſubiectum directe temporali iuriſdictioni, & habere indirectam poteſtatem ſupra temporalem Regem; ergo è cõuerſo exemptio illa in temporalibus non ſequitur intrinſecè ex illa ſpirituali dignitate. Hæc poſterior conſequentia eſt euidens, & Antecedens in ſuperiori libro probatum eſt. Prima vero cõſequẽtia oſtenditur, quia illa duo, ſubiectio, & prælatio, ſunt diuerſarum rationũ, & ideo nõ opponuntur, nec repugnat ſimul eidem perſonæ conuenire. Et declaratur, quia non ſecundum eandem rationem, nec reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem referuntur: nam licèt Põtifex vt Pontifex ſit ſuperior in ſuo ordine, vt homo poteſt eſſe ſubiectus in inferiori ordine. Item quia ſolùm poteſt Papa vti indirecta ſua poteſtate in temporalibus, quando Rex. v. g. ſua abutitur poteſtate in ordine ad ſpiritualem finem; ergo hoc non obſtat, quominus poſſit eſſe ſubiectus Imperatori iuſtè in ipſum animaduertenti per ſuam directam poteſtatem. Deniq; alijs exemplis conſtat nõ pugnare, eum, qui vno titulo ſuperior eſt altero, ſub alio eſſe illi ſubditum, vt ſiquis habeat filium Regem naturali titulo Patris illo eſt ſuperior, & nihilominus erit illi vt Regi ſubiectus.

9. Reſolutio prædictæ difficultatis. Nihilominus connexio talis priuilegij cum tali dignitate multum eſt rationi conſentanea, varijſque modis oſtendi poteſt. Primò quia ſicut in naturalibus dãs formam, dat conſequentia ad formam, ita in moralibus dans iuriſdictionem, cẽſetur dare omnia neceſſaria ad illius debitum vſum, & adminiſtrationem. Sed in præſenti materia, vt poſſit Pontifex ſuã ſupremam poteſtatem, & iuriſdictionem indirectam in temporalibus ſupra omnes Principes temporales exercere, neceſſe eſt (moraliter loquendo) vt nulli eorum ſit directè ſubiectus in temporalibus cauſis, ad perſonam ipſius Pontificis quocũ-

A que titulo, aut modo pertinentibus; ergo talis exemptio data eſt Pontifici ex vi ſuæ dignitatis. Nam, cùm Deus omnia ſapientiſsime, & ſuauiſsime diſponat, nõ eſt veriſimile, dediſſe dignitatẽ, & poteſtatem ſine exemptione neceſſaria, vel conueniente ad debitum vſum talis poteſtatis. Quòd autem talis dignitas talem exemptionem poſtulet, oſtendi poteſt, tum quia minimè decebat, vt ſupremum Eccleſiæ caput, cui omnes Reges terræ ſubijci debent, ab eiſdem iudicari poſsit, cogi, & puniri, tũ quia perpetuum fuiſſet B diuiſionum, ac ſchiſmatum ſeminarium, tum etiam quia non poſſent Pontifices debita libertate, & authoritate ſua iuriſdictione, & poteſtate vti in Reges, & Principes terræ, ſi alia via illis eſſent ſubiecti, & ab eis poſſent in vincula conijci, & puniri.

Secundò magis hoc declaratur, quia Pontifex ex vi ſuæ dignitatis; & poteſtatis supremę poteſt diſponere de omnibus iuribus temporalibus, atque etiam de ipſa ſuprema ſeculari poteſtate, prout neceſſarium fuerit ad rerum ſpiritualiũ conuenientem gubernationem, vt ſupra C oſtenſum eſt; ergo idem Pontifex ex vi eiuſdẽ ſpiritualis iuriſdictionis habet authoritatem præcipiendi cuicumq; Regi, ne in perſonam ſuam audeat manum extendere, aut poteſtatẽ ſuam exercere, poteſtque irritare, & pro nihilo ducere, quidquid ſecularis poteſtas in contrariũ attentauerit, quia ſine dubio hoc maximè pertinet ad ſpirituale bonum Eccleſiæ, & ad reuerentiam debitam Chriſto, & perſonę gerenti vices eius in terris; ergo planè repugnat, Pontificem eſſe ſubiectum quoad vim coactiuam Regi temporali, quia vis coactiua requirit talẽ poteſtatem in alium, vt ab illo ſuperiori po- D teſtate impediri, aut ligari non poſſit. Cõfirmatur, quia hac ratione in ſequẽtibus oſtendemus, poſſe Pontificem eximere alios clericos à iuriſdictione ſeculari, non expectato Principum temporalium conſenſu; ergo multo magis potuit eximere ſeipſum; hoc autem perinde eſt, ac eſſe exemptum ex vi dignitatis, & poteſtatis acceptę: nam qui in ſua voluntate, & facultate habet non ſubdi alterius coactioni, profectò ab illa eſt immunis, & exemptus.

(margin, beside "Secundò magis hoc declaratur": 10.)

Tertiò

11\. Tertiò explicatur, quia impoſsibile eſt, magiſtratũ temporalem habere vim coactiuam in Regem ſe directè ſuperiorem, à quo in ſuę poteſtatis vſu pendet; ergo non minùs repugnat, Pontificem eſſe ſubiectum illo modo poteſtati temporali. Antecedens receptiſsimum eſt, apud Iuriſtas ſuprà citatos, & ſumitur ex cap. *Cum inferior*, de Maiorit. & obed. vbi dicitur inferiorem non poſſe ligare ſuperiorem. Eſtque aperta ratio, quia repugnat eundem reſpectu alterius eſſe ſimul inferiorem, & ſuperiorem ex fundamento eiuſdem iuriſdictionis inuoluntarię, & coactiuæ. Ratio autem huius eſt, quia coactio non poteſt fieri per virtutẽ propriam eius, qui cogitur, & conſequẽter nec per inferiorem poteſtatem, quæ pendet à ſuperiori poteſtate, exiſtente in eo, qui cogendus eſt. Conſequentia vero probatur, quia licèt poteſtas Pontificis non ſit directè temporalis, nec eiuſdem ordinis cum poteſtate Regum, nihilominus eminenter cõtinet illam, & omnem efficacitatem eius circa materiam etiam temporalem habentem ſufficientem habitudinem ad ſpiritualem, qualem eſſe oſtẽdimus iudicium de perſona ipſa Papæ; ergo æquè repugnat, Pontificem ſubijci tribunali Principis temporalis, quem ita habet ſibi ſubditũ, & ſubiectũ. Eodem ergo diuino iure, quo temporales Principes ita ſubjiciuntur Papę, eodẽ, inquam, ipſe Pontifex ab illorum iuriſdictione exemptus eſt. Supereſt probanda altera pars de iure diuino poſitiuo, quam in ſequenti capite proſequemur.

Cap. *Cum inferior* de Maiorit. & obed.

CAPVT V.

Expenditur locus Matthæi, Da eis pro me & te, *pro Summi Pontificis exemptione.*

1\. IVS diuinum poſitiuum hic appellamus priuilegium à Chriſto cõceſſum peculiari, & directa voluntate. Quod ita declaro, ne videatur hæc pars præcedenti contraria, nam in rigore loquendo ius poſitiuum dicitur quod naturale non eſt, ſed per liberam Dei voluntatem additum, & ita videtur repugnare, hoc priuilegium eſſe ſimul ex vtroque iure diuino, naturali, & poſitiuo. Ideo ergo dicimus, ius poſitiuum hic latiùs ſumi pro quocumq; iure fundato in expreſſa & directa Chriſti voluntate, etiam ſi fundari etiã poſsit in alia remota, medio diſcurſu, ſeu ratione naturali. Vnde etiam dici poteſt hoc ius poſitiuum declarans potius priuilegium, quod iam erat connaturale ratione prioris dignitatis, quam illud denuò concedens. Sic ergo declarata voce, probatur aſſertio propoſita ex verbis Chriſti Matth. 17. vbi cùm exactores tributi, quod eo tempore Iudæi Auguſto viritim ſoluebant, Petrum interrogaſſent: *Magiſter veſter non ſoluit didrachma?* & ipſe affirmando reſpondiſſet: poſtea Chriſtus vt Petrum, & in eo Eccleſiam ſuam inſtrueret, eum interrogat: *Reges terræ à quibus accipiunt tributũ, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis?* Petrus autem reſpondit, *ab alienis,* vnde intulit Chriſtus; *Ergo liberi ſunt filij. Vt autem nõ ſcãdalizemus eos, vade ad mare, &c. Et inuenies ſtaterem, illũ ſumens, da eis pro me, & te.* Ex quo facto non ſolũ non colligunt hæretici immunitatem Petri à ſolutione tributorum, ſed potiùs inferunt, Chriſtum etiam fuiſſe debitorem tributi, quando quidem iuſsit, illud pro ſe ſoluere. Sed errant manifeſtè, tum quia Chriſtus argumento ſuo colligere voluit, ſe eſſe immunem à ſolutione tributi, quia filius Regis terreni immunis eſt à tributis, tum etiam quia poſtea expreſſè dicit, *Vt non ſcandalizemus eos*, quaſi diceret, quamuis non ſimus debitores tributi, vt iſti non offendãtur, ſolue pro me, & pro te. Vt ibi Hieronymus, Chryſoſt. & omnes intelligũt, & Auguſt. ſer. 6. de Verb. Apoſt. c7. de Chriſto ait, *Non debebat, & perſoluebat*, & Ambroſ. in Annotationibus in Exod. cap. 31. *Non debebat* (ait) *filius Dei, non debebat Petrus, Sed ne ſcandalizentur, ait, &c.*

Quo ſenſu exemptio ſit tribuenda iure diuino poſitiuo.

Probatur aſſertio ex Matth. 17.

Illatio quorumdam hæreticorum reijcitur.

Hierony. Chryſ. Auguſt. Ambroſ.

Priùs verò, quàm ex hac Chriſti ſententia hoc ſedis Apoſtolicæ priuilegium colligamus, inquirendum eſt, de quibus filijs Chriſtus fuerit loquutus, & quę ſit vis argumentationis, & conſequutiò verborum eius. Aut enim loquutus eſt de ſolis filijs proprijs, & naturalibus, vel latiùs etiã de adoptiuis, & improprijs; hoc poſterius dici non poteſt, aliàs omnes iuſti eſſent exempti à tributis Principum, quia omnes ſunt filij adoptiui, & quia 2.

Dubiũ primũ de quibus filijs ſerit loquutus Chriſtus Dominus.

1\. Ratio dubitandi.

quia de æterna iuſtitia ſingulorum homi A num conſtare non poteſt, omnes Chriſtiani erunt exempti, quia omnes ſunt in ſtatu filiorum, vel quantum eſt ex vi profeſsionis ſuæ illum habere poſſunt, & per fidem, & baptiſmum iam inchoatum habent, propter quod ſolent in Scriptura præſertim à Paulo omnes fideles ſancti vocari. Imò etiam omnes homines poſſent eandem exemptionem à ſubiectione aliorum hominum prætendere, quia omnes ſunt filij Dei per creationem, hic enim titulus ſatis eſt, vt omnes poſsint Deum tanquam Patrem inuocare.

3. Secunda ratio dubitādi, Si autem Chriſtus Dominus de ſolis filijs naturalibus eſt loquutus, duo inſurgunt dubia, vnum eſt quomodo rectè inferat Chriſtus, ſe eſſe liberum, quia ipſe non erat filius naturalis Auguſti Cæſaris, vt hoc titulo eſſet immunis à tributo, quod Cęſari pendebatur. Nam filius naturalis vnius Regis non eſt exemptus à ſoluendo tributo cuicūque Regi, ſed tantùm Patri ſuo, nam ſi filius vnius Regis extra ditionem paternam in alienis prouincijs verſetur, fieri poterit vectigalis alterius Regis. Quod ſeruata proportione optimè accommodatur Chriſto, qui licet vt Deus ſit filius naturalis Regis, & C ideo, vt ſic, liber ſit à tributo reſpectu Patris, & à fortiori reſpectu omnium humanorum Regum, quia omnes ſunt ſub ditione paterna, & conſequenter ipſi etiam ei ſubſunt: Nihilominus vt homo non eſt filius naturalis Dei cum illa proprietate, ſed eſt filius per gratiam; ergo cū de ſe tanquam homine loqueretur, non potuit ex titulo filiationis rectè inferre, ſe eſſe liberum, & ſolùm propter vitandum ſcandalum tributum ſoluere. Sicut etiam licèt Chriſtus vt Deus ſit Rex, & Dominus omnium hominum, nihilominus D multi putant, vt hominem non fuiſſe Regem, neque habuiſſe dominium regnorū temporalium; ergò eadem ratione nihil obſtabat filiatio naturalis, quominus vt homo eſſet tributi debitor. Altera dubitatio, & maior eſt, quia videtur Chriſtus in hac exemptione ſecum Petrum coniungere, & ex vi eiuſdem principij, quod liberi ſunt filij, æquè immunem illum facere, quandoquidem proximè intulit, *vt non ſcandalizemus eos, ſolue pro me, & pro te* perinde enim fuit, ac ſi diceret, ambo liberi ſumus, expedit autem eos non ſcādalizare, & ideo pro vtroque ſolue. Hęc autem illatio in Petro nullum habebat fundamentum, quia nullo modo erat filius naturalis.

4. *Auguſtin.* Ad primam interrogationem Auguſtinus lib. 1. quæſtio. Euangelicarum q. 23. indicat, Chriſtum cum intulit. *Ergo liberi ſunt filij*, loquutum eſſe de filijs non tantùm naturalibus, ſed etiam adoptiuis, ſeu per gratiam, ſic enim ait: *Quod dixit: Ergo liberi ſunt filij. In omni regno intelligendum eſt, liberos eſſe regni filios, id eſt, non eſſe vectigales; multò ergo magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filij regni illius, ſub quo ſunt omnia regna.* Non ſunt autem in regno terreno filij ſupremi Regis, id eſt, Dei, niſi per gratiam, extendit ergo Auguſtinus illationem Chriſti etiam ad filios per gratiam. Nihilominus dicendum ſine dubio eſt, Chriſtum loquutū eſſe de filijs proprijs, & naturalibus, nam hoc planè conuincunt rationes priùs factę. Et præterea quia Chriſtus non interrogauit Petrum, niſi de illis filijs, de quibus ipſe poterat verba ſimpliciter dicta intelligere, Petrus autem ſine dubio non intellexit interrogationem, niſi de filijs naturalibus, quia de filijs per gratiam vel tunc intelligere non valebat, vel ſaltem ex illo ſimplici, & communi ſermone in illam cogitationem tunc aſcendere non poterat. Sicut quando reſpondit *ab alienis*, nihil de iniuſtis, aut peccatoribus cogitauit, ſed tātùm de extraneis, qui filij naturales non ſunt. *Reſolutio primi dubij*

5. *Chryſoſt.* Vnde Chryſoſt. ibi homil. 59. ex illis verbis probat, Chriſtum eſſe naturalem filium Dei, dicens, *Perpendis, quomodo diſtinxit filios à non filijs, ſi enim filius nō eſſet, hoc profectò Regum exemplo vſus nō fuiſſet. Sed filius quiſquam (inquies) eſt, non autē proprius. Non ergo filius, quod ſi non filius, nec proprius, nec omnino eius, ſed alienus. Ita exemplum nullas vires habebit. Non enim de filijs ſimpliciter, ſed de proprijs, & Regum hæredibus diſputat. Atque ita diſtinguendo alienos oppoſuit, quo vocabulo eos appellauit, qui ab ipſis Regibus nati non ſunt, ſuos verò, ex ſe genuerunt.* Et hoc ipſum indicauit Hilarius canon. 17. in Matth. dicens: *Nū quid ambiguum eſt, filios Regum tributis obnoxios non eſſe, & quibus regni veritas eſt, liberos eſſe à ſeruitute?* nam per regni veritatem *Hilarius.*

tatem, veram, & naturalem Regiam originem indicauit. Et infrà vtens ferè argumento Chryſoſtomi. ait. *Vt oſtenderet, legi ſe non eſſe ſubiectum, & vt in ſe paternæ dignitatis gloriam côteſtaretur, terreni regni poſuit exemplum, cenſu aut tributis filios Regum non teneri.* Argumentum ergo Chriſti à naturalibus filijs ſumptum eſt. Auguſtinus autem vel in ſenſu myſtico ad filios Dei per gratiam, & ad immunitatẽ eorum à ſeruitute peccati, & tributo dęmoni ſoluendo inde digreſſus eſt, vt de Origene notauit D. Thomas in eundem Matthæi locum. Vel certè Auguſtinus etiam de filijs naturalibus loquutus eſt, nam licet filius Dei naturalis vnicus tantùm ſit, potuit in plurali loqui, vt formã verborum Chriſti obſeruaret, nam perinde eſſet, etiam ſi tales filij Dei plures eſſent, vt notarunt Ianſenius in cap. 69. Concordiæ, & Salmeron tom. 6. de Miraculis Chriſti tract. 37.

Ad Aug.

D. Thom.
Iaſon.
Salmer.

6. Ad priorem vero dubitationẽ ſecũdo loco propoſitã reſpõdent omnes Patres allegati, & cæteri expoſitores, argumẽtum Chriſti eſſe à fortiori deſumptum à filijs naturalibus Regum temporalium ad filium naturalem Regis illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena, vt ſupra dixit Auguſtinus. Vnde ad obiectionem in cõtrarium factam reſpondemus, verũ quidem eſſe filium Regis terreni ſolum in paterno regno eſſe immunem à tributo, nõ verò reſpectu alterius Regis, ſi aliqua ratione ei ſubijciatur, vel in eius ditione verſetur. Imò etiam in regno paterno non eſt filius exemptus à iuriſdictione Patris, ſed ex voluntate eius exemptus eſt ab omnibus miniſtris eius, & ab exactione tributorum, omnique alia iuriſdictione, quæ per miniſtros Patris exercetur. Negamus autem conſecutionem, vel ſimilitudinem rationis ad Chriſtum filium Regis cœleſtis. Nam vnuſquiſque Rex terrenus limitatus eſt, & non habet ſibi ſubiectos alios Reges ſupremos, Deus autẽ eſt Rex omnium Regum, & ideo filius naturalis eius etiam eſt ſupra omnes illos, ac ſubinde liber, & immunis ab omni tributo, & ab eorũ iuriſdictione exẽptus, cùm illi non ſint niſi quidam miniſtri ſupremi Regis patris ſui.

Ad ſecundã rationẽ dubitandi.

7. Ad replicam autem, quia hoc procedit de Chriſto vt Deus eſt, & non vt homo, reſpondemus, negando aſſumptum, nam Chriſtus etiã vt homo, eſt filius Dei naturalis propter gratiam vnionis, per quam ipſa naturalis filiatio ſubſtantialiter eſt humanitati coniũcta, & conſequẽter etiam gratia creata facta eſt illi homini connaturalis. Eademque ratione inde etiam habuit Chriſtus, vt tanquam homo nõ ſolùm liber eſſet ab omni terreni Regis poteſtate, & tributo, verùm etiam vt eſſet per quandam ſingularem excellẽtiam Rex Regum, & Dominus dominãtium, ſicut de illo dicitur Apocalypſ. 17. Proprietatem enim, & dominium huius regni, quod nunc habet in cœlis ſemper in terris habuit ratione vnionis, quamuis vſum illius in vita mortali nõ acceperit. Quomodo intelligendi ſunt, qui negant, Chriſtum vt hominem fuiſſe Regem, vel fortaſſe loquuntur de proprio regno tẽporali, & caduco, quod verum eſt, Chriſtum non accepiſſe, nec iure hæreditario habuiſſe. Habuit verò ſupra omnia regna terrena regnum, & dominium altioris rationis, & poteſtatẽ excellentiæ, & ideo etiam habuit innatam libertatem ab omni tributo mortali Regi, vel Imperatori debito, quam immunitatem habet ratione filiationis naturalis, & ideo optimè de ſe, etiam vt homine, argumentatus eſt.

Chriſtꝰ Dominꝰ etiã vt homo eſt naturalis Dei filius,

8. Maior difficultas eſt in altera dubitatione, quæ poſtulat, cur Chriſtus Petrũ in hac libertate ſecũ coniunxerit, & quaſi æqualem fecerit, dicens illi, *vt non ſcandalizemus eos, ſolue pro me, & te.* Aliqui negant, id colligi ex prædictis verbis; vel aliquod in illis verbis latere myſterium. Sed Chriſtum in plurali dixiſſe Petro, *ne ſcandalizemus eos*, non quia Petrus ſolum ratione ſcandali vitandi teneretur ſoluere tributum, ſed vel quia de propria perſona, potuit facilè ita loqui, plurali pro ſingulari vtendo, vel quia ſcandalum Chriſti in Petrum, & alios Apoſtolos redundaret. Atque ita poſtea Chriſtum iuſſiſſe Petro, ſoluere tributũ etiam pro ſe ex ſtatere inuento in ore piſcis, quia cùm Petrus eſſet debitor tributi, voluit Chriſtus ſimul illi ſubuenire, & fortaſſe illi ſoli, quia alij Apoſtoli tunc non aderant. Quam ſententiam libenter hæretici arripiunt. Mihi tamen veriſimilis nõ eſt. Nam in primis dum aiunt hi expoſitores, tunc tẽporis alios Apoſtolos ibi non

Ad tertiam dubitationem.

1. Sentẽtia.

Reijcitur prædicta ſententia.

nõ adfuiſſe, nullo fundamento loquũtur ſed diuinãt. Deinde ipſe modus, quo exactores tributi Petrũ in plurali interrogarũt: *Magiſter veſter nõ ſoluit didrachma?* ſatis indicat, nõ tantũ Petrum, ſed etiam alios Apoſtolos tunc adfuiſſe cũ Chriſto, vnde cõmuniter Patres id ſupponunt, vt ſtatim referam.

9. Addo vlteriùs, veriſimile nõ eſſe Chriſtum in eo facto nullum intendiſſe myſteriũ, aut peculiarem affectum erga Petrũ non oſtendiſſe. Quia cùm Chriſtus Ibi docuerit, ſe eſſe filiũ Dei naturalẽ, & ideo non eſſe obnoxiũ ſolutioni tributi, ſed tantũ propter vitandũ ſcandalũ pręcepiſſe, vt ſolueretur, & in hac prærogatiua, & modo ſoluendi tributũ Petrũ ſibi ſpecialiter coniunxerit, ſine dubio ſignificare volnit, ſe cõmunicaturũ Petro quandã participationẽ ſui priuilegij, ratione cuius, etiã ipſe nõ eſſet debitor tributi, niſi ꝓpter ſcãdalũ vitandũ. Et addit Chryſ. ibi, Chriſtum coniunxiſſe ſecum Petrũ in ſolutione tributi, in retributionem fidei, per quam ad rem ita natura incredibilem illico paruit; illamq; retributionẽ vocat honoris excellentiam, quam Chriſtus Petro oſtendit, dicens, *Da eis pro me, & te.* Vnde etiam alij Apoſtoli intellexerunt, Chriſtum in eo facto Petrum ipſis prætuliſſe. Hinc enim orta eſt occaſio interrogandi Chriſtum: *Quis putas, maior eſt in regno cœlorum,* vt ſtatim in initio capitis 8. Matthæus refert, & exponit ibi Hieronymus dicens: *Poſt inuentum ſtaterem, poſt tributa reddita, quid ſibi vult Apoſtolorum repentina interrogatio?* & reſpondet, *Quia viderant, pro Petro, & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati ſunt, Petrum omnibus Apoſtolis eſſe prælatũ, qui in redditione tributi Dño fuerat cõparatus.* In quo, ſi rectè illud cõprehendiſſent, nõ decipiebantur, ſed errabant putantes, illã excellentiã, vel dignitatẽ futurã fuiſſe in aliquo regno tẽporali more humano, & ex inuidia interrogabant. Et propterea Hieronymus addit: *Videns Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ humilitatis cõtentione ſanare, dicens, Amen dico vobis, niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorũ.*

Chryſoſt. — *Matth. 8.* — *Hieron.* — Petrũ in aliqua dignitate temporali ſibi prælatũ exiſtimabant Apoſtoli.

10. Eandẽq; doctrinã habet Chryſoſt. homil. 59. in Matthæũ, dicens: Aliquid humanũ paſſos fuiſſe diſcipulos in illa interrogatione, & ad illud ſignificandũ, addidiſſe Euangeliſtã illam particulã, *In illa hora quando ſcilicet, cæteris omnibus Petrũ prætulit.* Et infra dicit, ex multis cauſis fuiſſe inflãmatos diſcipulos, & numerat ſingularẽ promiſsionem, *Tibi dabo claues* & *Beatus es Simon Bar Iona,* & his adiungit præſentia verba: *Da pro me, & te,* ſentiens ſingularem excellentiã, & prærogatiuã per illa ſignificaſſe. Idem tradit Origen. tract. 5. in Ioan. expendens eodem modo verbũ illud, *In illa hora,* & dicens. *Ego arbitror, quoniam maximum hunc exiſtimantes honorem in Petrum à Chriſto collatum, quaſi per hoc indicaſſet, Petrum cæteris diſcipulis meliorem, cupiebant quod ſuſpicabantur, cautè cognoſcere, & cæt.* Idemque habetur nomine Auguſtini in libro Quæſtionum noui, & veteris teſtamẽt. q. 75. vbi ait, præcepiſſe Chriſtum ſingulariter ſoluere pro Petro, quia conſtituerat illum facere caput aliorum Apoſtolorum, & Paſtorem gregis ſui, & comparat illa verba cum illis: *Ego rogabo pro te,* Quod etiam notauit Lyran. Matth. 17. & 18. & ferè alij Doctores catholici fatẽtur, ibi eſſe ſignificatam ſpecialem prærogatiuam Petri, quamuis in illa explicanda non omnes conueniant.

Chryſoſt. — *Origen.* — *Auguſt.* — *Lyran.*

11. Aliorũ opinio. Aliqui ergo exiſtimant Chriſtũ oſtendiſſe ibi peculiarem amorem, & curam Petri, non verò exemptionem. Sed hoc parui momenti eſt in re adeò mirabili, & tanta diligentia ab Euangeliſta obſeruata, & à Patribus exaggerata. Alij agnoſcentes aliquod altius myſteriũ, ad myſticos ſenſus diuertunt, vt videtur eſſe Auguſtinus ſermon. 6. de Verbis Apoſtoli, dicens, *Petrum Eccleſiam repræſentaſſe, pro qua Chriſtus indebitam mortem ſoluit, vt eã à debito* morris liberaret, quod Anſelm. & D. Tohom. ſequũtur. Ita verò eſt hoc accipiẽdũ, vt literalis ſenſus nõ omittat̃. Negari ergo nõ poteſt, quin Chriſtus ſpecialiter iuſſerit, ſolui tributũ pro perſona Petri, ſicut & pro ſe, hoc enim in proprietate ſignificãt verba illa: *Da eis pro me, & te,* & ita notãt Patres nuper allegati, qui parãdo hæc verba, cũ illis, *Tibi dabo claues* & *Ego rogabo pro te*; nã in omnibus illis, ꝓ nomen illud deſignat indiuiduã perſonã Petri. Significauit ergo Chriſtus in illis verbis Petrum futurum eſſe exemptum

Auguſt. — *Anſelm,* — *D. Thom.*

à ſolutione tributi, ſicut ipſe erat. Atque ita credimus ex hoc loco vt minimū colligi, Chriſtum conceſsiſſe Petro priuilegium hoc exemptionis, quia futurus erat Princeps Eccleſiæ, Chriſtique Vicarius. Vnde conſequēter fit, hoc priuilegiū nō fuiſſe perſonale in Petro, ſed reale ratione dignitatis, atq; ad ſucceſſores tranſire ex vi diuini iuris, & peculiaris inſtitutionis, ſeu voluntatis Chriſti. Quam ſententiam ſatis ſignificāt Hieronymus, Chryſoſtom. Theophilact. Eutym. & alij, quatenus dicunt, illam prærogatiuam fuiſſe conceſſam Petro, quia erat caput Apoſtolorū, & quatenus æquiparant hunc locū cū alijs, in quibus Chriſtus loquēs ad Petrū, cū illo, & ſucceſſoribus eius loquitur.

Priuilegiū Petri ad ſucceſſores trāſit.

12. Ad difficultatem autem propoſitam, quomodo Chriſtus extendat illationem ad Petrum, qui non erat filius Dei naturalis, reſpondent multi, tacitè ſuppoſuiſſe Chriſtum aliud principium, ſcilicet, ſub filijs Regum comprehendi domeſticos, & familiares eorum, nam etiā hi ſolent eſſe à tributis exempti ratione filiorum, quibus adhærent. Sed de hac ratione dicemus inferiùs; nam ſi vera eſt, non ſolū ad Pontificem, ſed etiam ad alios extenditur priuilegium illud, vt diuinum eſt. Dico ergo, ſignificaſſe Chriſtum, non ſolùm ſe eſſe immunem à ſolutione tributi, ſed etiam potuiſſe illud priuilegium communicare Petro tanquam ſibi coniunctiſsimo, & valde ſimili in poteſtate, quam illi conceſſurus erat ſupra totam Eccleſiam, & ſupra omnes Reges terræ. Quocirca quando Chriſtus poſt factam illationem. *Ergo liberi ſunt filij*, adiunxit, *Vt autem non ſcandalizemus eos, da pro me, & te*, non oportet, vt hęc poſteriora verba intelligantur adiuncta ex vi prioris illationis, ſed per modum nouæ declarationis, & extenſionis ex ſpeciali Chriſti voluntate. Vel certè dici poteſt, quia argumentum Chriſti fuerat à minori ad maius, vt ſupra declaraui, ideo Chriſtum non fuiſſe contentum inferendo, ſe eſſe immunem à tributis, ſed etiam Petrum ſecum coniunxiſſe, vt oſtenderet, ſe vt pote filium Dei naturalem longè altiori modo eſſe immunem, quàm ſint filij Regum terræ, quia non ſolùm eſt immunis ab illis, ſed etiam eſt ſuperior omnibus illis, & potuit Petro ſuam poteſtatem,

In dictis verbis Chriſti poteſtatem alios à tributis eximendi demonſtrat.

A ſeu participationem eius ita communicare, vt eiuſdem etiam exemptionis illum faceret participem.

Sed inſtabit tandem aliquis: nam licèt concedamus, ex hoc loco colligi exēptionem à tributis, nō ſequitur, colligi etiam exemptionē ab omni ſubiectione, & poteſtate coerciua Principū. Nā filius Regis terreni licèt ſit liber à tributo patri ſoluendo, non eſt liber à poteſtate directiua Patris, quia tenetur eius leges ſeruare, nec à poteſtate coerciua, nam poteſt Rex filium ſuum punire ſecundum iuſtitiæ æquitatem. 13. Obiectio.

B Reſpondeo, concedendo, illationem non eſſe formalem (vt aiunt) quia non tenet in omni materia, vt argumentum factum probat. Nihilominus tamē in pręſenti materia, & ratione illius rectè colligimus vnam exemptionē ex alia. Nā in primis in ipſo Chriſto ſicut ex filiatione naturali infertur immunitas â tributo, ita infertur immunitas ob omni ſubiectione, & iuriſdictione Principum temporalium, quia filiatio, quę eſt ratio vnius exemptionis, neceſſario etiam eſt ratio alterius, quia eſt ratio dominationis & excellentiæ ſupra omnes Reges. Simili ergo modo, ſeu accommodata proportione intelligimus, hoc priuilegium eſſe cōmunicatū Petro, ideoq; ex immunitate à tributis colligimus exēptionem ab omni ſubiectione, & iuriſdictione tēporali, quia ratione dignitatis, & poteſtatis ſupra ipſos Reges communicata eſt. Reſponſio.

C

Ex immunitate à tributis rectè colligitur immunitas à ſeculari poteſtate.

CAPVT VI.

Obiectionibus contra reſolutionem ſuperiorū capitum ſatisfit.

D QVoniam Sūmi Pontificis exēptio cum eius dignitate, & poteſtate ſupra Reges temporales coniuncta eſt, ideo eędem ferè obiectiones contra exemptionem hanc, quæ contra poteſtatem opponuntur: & quia ferè omnes in ſuperiori libro tractauimus, ideo illas breuiter attingendo, vnam, vel alteram addemus, quæ huius loci viſæ ſunt magis propriæ. 1. Prima obiectio ſumitur, ex lege veteri, in qua Summus Pontifex à iuriſdictione Regis exemptus non erat; Imò ab eo puniri poterat, vt factum Salomonis oſtendit. 3. Reg. 2. vbi 1. Obiectio

vbi Salomon exauthorauit Abiathar pro- A
pter crimen læſæ maieſtatis illũ authori-
Solutio. tate Regia puniendo. Huic vero obiectio-
ni ſupra reſpõdimus aſſumptũ non ſatis
probari ex illo facto, tũ quia fortaſſe Sa-
lomon id fecit, nõ vt Rex, ſed vt Prophe-
ta; tum etiã quia vnũ factũ non oſtendit
ius, cũ à Regibus multa per violentiam
fiant. Vnde cũ ex alijs locis Scripturę nõ
probetur ſubiectio Pontificis ad Regẽ in
lege veteri, relinquitur, vel falſũ eſſe illud
Antecedẽs, vel ſaltẽ incertũ. Deinde ad-
iunximus, quidquid fuerit in veteri lege
nullũ inde ſumi poſſe argumentũ ad Põ- B
tificatũ legis gratiæ, qui longe altioris eſt
ordinis. Nunc ergo ſolùm addendum oc-
currit, obiectionem ſimilem factam eſſe
ante quadringentos annos ab Imperato-
re Cõſtantinopolitano in epiſtola ad In-
Cap. Soli-tæ, de Maior. & obedien. nocent. iij. ex qua ſumptum eſt caput *So-
litæ* de Maior. & obediẽd. qui non de Sa-
lomone, ſed de Dauide argumentabatur,
*quia Dauid Rex Abiathar Pontifici præe-
minebat.* Cui Pontifex eiſdẽ modis reſ-
Vide Turrecrematã ... Summæ ... cap. 96. ad 4. pondet, dicens, *Dauid quamuis regni dia-
dema obtineret non tam ex dignitate Regia,
quàm authoritate prophetica imperabat. Ve-
rum quidquid horum fuerit in veteri teſtamẽ- C
to, nunc aliud eſt in nouo, ex quo Chriſtus fa-
ctus eſt ſacerdos ſecundum ordinem Melchi-
ſedech.* Et concludit: *Circa illum præcipuè,
qui ſucceſſor eſt Petri, & Vicarius IESV
Chriſti.*

2. Obiectio. Secundo obijci poteſt, quia ea, quę ſũt
iure diuino à Chriſto conſtituta, ſtatim à
principio Eccleſiæ habuerunt effectum,
ſed Pontifex Romanus nõ ſolũ à princi-
pio Eccleſię, verũ etiam toto tẽpore, quo
Imperatores Romani fuerunt ethnici, nõ
fuerunt ab eorũ iuriſdictione exempti;
ergo nõ habuerunt à Chriſto huiuſmodi
exemptionẽ. Minor propoſito probatur D
Roma. 13. ex Paulo ad Roman. 13. dicente: *Omnis
anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,*
In quo loco pręcipuè loquitur Paulus de
politico principatu, & de obediẽtia Regi-
bus debita, vt ibi notant expoſitores, &
Auguſt. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedoniũ, & Baſi-
Baſil. lius in Cõſtitutionib. monaſticis c. 23. Et
ipſe Paulus inferiùs apertè oſtendit cum
dicit, *non ſine cauſa gladiũ portat,* & cũ ait,
ideo enim & tributa præſtatis. Itaq; vt ijdẽ
Patres aduertunt, illud ſpecialiter mo-
nuit contra non nullos, qui eo tempore
prędicare cœperant, Chriſtianos non te-
neri ad parendum Principibus tempora-
libus; ipſe autem contrarium de omni-
bus Chriſtianis docet, & vt nullum exci-
pi declaret inquit: *Omnis anima, &c.* vt Chryſoſt.
ibi expendit Chryſoſtomus Homil. 23.
dicens: *Oſtendens, quod iſta imperentur om-
nibus, & ſacerdotibus, & monachis, & non
tantùm ſecularibus; id ſtatim in ipſo exordio
declarat, cum dicit. Omnis anima poteſtati-
bus ſublimioribus ſubdita ſit, etiam ſi Apoſto-
lus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiue quiſ-
quis tandem fueris, neq; enim pietatem ſubuer-
tit iſta ſubiectio.* Et eodem modo loquun-
tur ibi Theodoretus, Theophylactus, &
Oecumen. Iuxta Apoſtoli ergo ſenten-
tiam ſic expoſitam etiam Petrus erat tũc
ſubditus poteſtatibus ſublimioribus. Cũ
enim Chryſoſtomus dixiſſet, etiam A-
poſtolos fuiſſe ſubditos, & ſententiam
auxerit, dicens, *Siue quiſquis tandem fue-
ris,* profecto etiam Petrum comprehen-
dere viſus eſt. Multò ergo maiori ratio-
ne Pontifices ſucceſſores Petri fuerunt
ſubditi Imperatoribus, ſaltem quandiu
iſti Chriſtiani non fuerunt. Et ratione
poteſt hoc confirmari, quia Princeps
ethnicus non eſt ſubditus Pontifici; er-
go poteſt eſſe illi ſuperior; ergo de fa-
cto erat ſuperior, quia habebat poteſta-
tem vniuerſalem in omnes; & non ha-
bebat ſubiectionem, ratione cuius pri-
uaretur poteſtate in Petrum, vel ſucceſ-
ſores eius.

Reſpondetur concedendo, priuile-
gium hoc, quatenus à Chriſto Domino 3. Reſponſio.
cõceſſum eſt Petro, & ſucceſſoribus eius
habuiſſe ſuũ proximũ effectum ſtatim,
ac Chriſtus Petro contulit Pontificiam
dignitatem, quia illud priuilegium, vel
cum ipſa dignitate intrinſecè coniunc-
tum eſt, & quaſi ab illa manat, vel per
ſpecialem Chriſti voluntatem datũ eſt,
quæ voluntas efficax fuit, neque impe-
diri potuit per vllam temporalem pote-
ſtatem. Et non minùs comprehẽdit exẽ-
ptionem à ſubiectione reſpectu infideliũ
Principum, quàm fidelium, tum quia
Chriſtus Matt. 17. abſolutè loquutus eſt
& occaſio ſermonis eius ſumpta fuit
ex tributo, quod Imperatori ethnico
ſoluebatur, tum etiam quia nõ eſt maior
ratio de Principe fideli, quam de infi-
deli. Imò ſi Põtifex, verbi gratia Sylue-

ſter fuiſſet ſubditus Conſtantino ante conuerſionem eius, etiam poſt conuerſionem maneret ſubditus, quia, vt ſuprà dixi, nullus Rex infidelis ipſo facto amittit iuriſdictionem aliquam propter conuerſionem ad fidem. Denique quando Concilia, & Patres docent, Pontificem non habere ſuperiorem in terris, omnem excludunt, ſiue fidelis, ſiue infidelis ſit.

4. Pōtifices ſūmi ſemper fuerūt exēpti.

Dico ergo, & Petrum, & eius ſucceſſores toto tempore gentilium imperatorū fuiſſe exemptos ab eorum iuriſdictione quoad priuilegium, licet vſum priuilegij pro eo tempore habere non potuerint, quod nihil repugnat iuri diuino. Sicut etiam eo tempore habuerunt dignitatem, & poteſtatem ſupra omnes Imperatores à Chriſto datam, non expectato temporalium Principum conſenſu, vſum autem, & exercitium illius poteſtatis circa eoſdem Principes non ſtatim habuerunt Petrus, aut ſucceſſores, quia iuxta eiuſdem Chriſti ordinationē ex voluntaria fidei receptione pendebat. Eadem ergo ratio eſt de prædicto priuilegio acceſſorio dignitati, nam illud cōtulit ſolus Chriſtus ſine dependētia à cōſenſu Principū, ſeu aliorū hominum, vſus autē partim ex volūtate, partim ex potentia, & factis hominum pendebat.

5. Ad verba Pauli.

Nec verba D. Pauli quantumuis generalia videantur, excludunt priuilegium ſpeciale à Chriſto conceſſum, nam regula iuris eſt generale ius per ſpeciale limitari, etiam ſi ſpeciale antiquius ſit, quę regula hic ſatis accōmodari poteſt. Pręſertim quia D. Paulus ibi ſolùm explicat ius antiquum, & naturale, docetq; obſeruandum eſſe à Chriſtianis, ac proinde tradit, (vt Theophylact. ibi ait) Euangeliū non docere defectionē, aut inobedientiam erga magiſtratus, ſed moderationē, & obedientiam. Hoc autem ius naturale non violatur, ſed materia eius ex parte mutatur per priuilegium exemptionis à Chriſto conceſſum, quod ibi Paulus nōn excluſit, neque illius mentionem fecit, quia neceſſarium non erat. Quanquam ſi attētè verba Pauli conſiderentur, ex forma illorum intelligi poteſt, Vicarium Chriſti ſub eis non comprehendi, dicit enim *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, quæ verba ſunt reſpectiua, &

Theophil.

A comprehendunt tam priuatos homines reſpectu eorum, qui eis proximè præſunt, quàm magiſtratus inferiorum ordinum reſpectu ſubliniorū poteſtatum. At verò comparatione Vicarij Chriſti nulla eſt in terris ſublimior poteſtas, & ideò in eo nō habet locum ſentētia Pauli.

6. *Ad Chryſoſt.*

Ad Chryſoſtomum verò, quod attinet ad præſentem quæſtionem, ſimiliter reſpondemus, generatim fuiſſe loquutum, neque ibi excluſiſſe ſpeciale priuilegium Petri, neque tractaſſe quæſtionē an Vicarius Chriſti habeat in terris poteſtatem ſublimiorē, cui ex vi naturalis, &
B diuini iuris parere teneatur. Quod verò ſpectat ad alia ſpecialia exempla, quę inducit de Apoſtolis, ſacerdotibus, & monachis, infra ex profeſſo tractandum eſt, an illorum exēptio ſit de iure diuino, vel humano. Nunc ſolùm dicimus, quidquid ſit de alijs etiam Apoſtolis, de Petro vt Chriſti Vicario eſſe ſpecialem rationem; tum propter ſpecialem dignitatem, tum propter verba Chriſti illum ſingulariter eximentis à debito ſoluēdi tributū. Quapropter ius hoc exemptionis æquale fuit in Pontificibus reſpectu ethnicorū Prin-
C cipum, & Chriſtianorū, quia priuilegiū, vt dixi, non fuit pendens ex fide ſubditorū, licèt vſus ſine illa eſſe nō potuerit.

7. Ad rationē in eadē obiectione factam.

Neq; obſtat ratio in contrariū facta, quia licet Princeps infidelis pro illo ſtatu nō ſit directè ſubditus Petro, nihilominus, ex diuino iure tenetur illi ſubdi, ſuſcipiendo fidē, & baptiſmū, per quē vnuſquiſque fit de grege Chriſti, & conſequēter ſubditus Petro. Et præterea etiā ante baptiſmum eſt huiuſmodi Princeps indirectè ſubditus Petro, qui ius habet cogēdi infideles Principes ne Euāgelij prędicationem in ſuis terris impediāt, ne vè
D ſubditos ſuos ad fidē negandam, vel non ſuſcipiendā cogant, aut alio modo religioni Cchriſtianæ infeſti ſint. Hac ergo ratione Pōtifices ſimpliciter facti fuerūt à Chriſto immunes à poteſtate Principū temporaliū, ſiue fidelium, ſiue infideliū, nam infidelitas non facit eos melioris cōditionis, neq; eorum auget iuriſdictionē; quoad vſum verò non potuerunt Pontifices temporibus infidelium Principū iudicia illorum declinare, ſicut etiam non poterant ſe vel dignitatem ſuam ab omni iniuria vindicare, quod mirum eſſe non

non debet, cum etiam ſub fidelibus Principibus interdum ſimilia paſsi ſint, id permittente Deo, vel ad eorũ probationẽ vel ad maiorem fidei confirmationem.

7. Tertia obiectio ex factis imperatorem.

Ex quo facilè etiã ſoluitur tertia obiectio, quę & à Rege Anglię, & ab alijs ſchiſmaticis, & ſchiſmatũ fautoribus ſæpiùs inculcatur, ſumiturq; ex factis quorundã Imperatorũ, qui ſuperiorem poteſtatẽ in Sũmos Pontifices ſæpiùs exercuerunt, vel illos eligẽdo, ſeu in ſede collocando, & cõfirmando, vel eos puniẽdo, & exauthorando. Ad quod pręcipuè inducũt factũ Othonis. I. (quẽ Imperatorẽ pijſsimũ fuiſſe dicunt) qui Ioann. 12. aliàs 13. propter prauos mores à ſede depoſuit. De

Reſponſio.

hoc tamen argumento dixi multa in ſuperiori lib. cap. vlt. ad quem locũ lectorẽ remittimus, hic enim ſolũ illud cõmemorauimus, ne obectionẽ in hoc puncto frequentẽ intactam relinqueremus. Addere verò poſſumus, priorem obiectionis partem ad præſentẽ cauſam nullo modo pertinere. Quid enim ſi daremus Imperatores aut Reges poſſe eſſe Pontificũ electores, nunquid propterea eſſe poſſent eorũ legislatores, aut iudices? aut propter aliquam in eos iuriſdictionem ſuperiores? Profecto Cardinales ſunt electores Pontificum, & nihilominus, poſtquàm Põtificem elegerunt, nullam in illum habent poteſtatem, vel iuriſdictionẽ; imò potius illi ſunt omnino ſubiecti. Ratio verò eſt, quia dum ſuffragia ferunt: aliquem ſibi æqualem nominant, vel eligunt, ille autem, qui ritè electus eſt, à Chriſto ipſo ſtatim inueſtitur, & fit ſuperior ſuis electoribus, quibus antea erat æqualis, vel fortaſſe inferior. Accedit, quòd ipſi electores à ſede Apoſtolica habent eligendi poteſtatem tanquã à ſuperiore, & Chriſti Vicario, ad quem ſpectat modum eligendi ſibi ſucceſſorẽ præſcribere. Idem ergo cum proportione dicendum eſt, de Imperatore, etiamſi vel ad eligendũ Pontificem, vel ad confirmandũ ſuo conſenſu electionem eius fuerit admiſſus, quia non propterea factus eſt ſuperior Pontifice, ſed manet ſemper inferior Pontifice iam inſtituto, ſicut etiam erat ſubditus illi à quo talem prærogatiuam accepit.

Cur ſuffragiũ eligendi Pontificẽ imperatori electione aliquã in ipſũ nõ impertiat

8. De altera verò obiectionis parte in citato loco oſtẽdi, hiſtorias in quibus factũ

A illud, & alia ſimilia referũtur, & incertas eſſe, ac varias, ſeu inter ſe diſſentientes, & non ſatis fideliter referri. Nam ex eis nõ ſolùm colligi non poteſt Imperatorem iure depoſuiſſe aliquem Pontificem, verùm etiam neque facto id tentaſſe ex vi propriæ iuriſdictionis, iudicij, ac ſententiæ, ſed aut per apertam vim, aut tyrannidem, per quam aliqui Principes Chriſtiani manus violentas in Pontificem iniecerunt, vel ad ſummum induſtria, & authoritate ſua procurando, vt congregaretur aliqua Synodus, quæ ſententiam

B depoſitionis in Pontificem, quidquid ſit de poteſtate talis Synodi, & an ex errore, vel malitia proceſſerit: Nam ita accidiſſe in facto Ioan. xij. citato loco oſtendimus. Et ſanè cùm pœna depoſitionis canonica ſit, in illa peculiarem deformitatem, & repugnantiam habet, quod per poteſtatem ſecularem poſſit imponi. Neque in eum errorem incidere poteſt, niſi qui de Pontificia dignitate nihil ſupernaturale, vel ſpirituale, ſed tantùm politicum, ſeu ciuile cogitauerit. Et ideo ſiquis Imperator verè fidelis temerario auſu, & indiſcreto zelo de Pontifice diiudicando tractauit, non per ſe, vt di-

Depoſitio Pontificis per ciuilem poteſtatem fieri nequit

C xi, ſed per cõgregationem aliquam, quæ ſpeciem ſaltem poteſtatis ſpiritualis habere videretur, deponendum curauit. Quia verò illa depoſitio ſumma eſt in eo genere ſpiritualis pœnæ, & ius diuinum attingit, à quo per ſe, & immediatè eſt Pontificia dignitas, ideo ex partę Pontificis maximam cauſam requirit, qualis eſt ſola hæreſis, quæ fundamentum talis dignitatis quodam modo tollit; ex parte verò Eccleſiæ requirit ſententiam, non cuiuſcumque Synodi, ſed legitimæ, & vniuerſalis, & nihilominus

D ex parte Dei neceſſe eſt, vt ipſemet talem dignitatem auferat, quam ipſe per ſe contulit.

Quartam obiectionem ſumunt hæretici ex verbis Chriſti Matthæi. 18. *Si peccauerit in te fratrer tuus, corripe eum, & cætera,* ac tandem, *dic Eccleſiæ, & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus, & publicanus.* Hanc enim Chriſti ſententiam, & legem non minus erga Pontificem, quam erga alios fideles procedere cenſent, quia etiam Papa eſt homo, & poteſt coram alijs, & cum eorum 9. Quarta obiectio ex Matt. 18.

ſcandalo,& iniuria delinquere; ergo poteſt,& debet corripi; vel ſecretò, vel coram teſtibus,& ſi emendari noluerit, poterit Eccleſiæ denunciari; quam ſi nõ audierit, poterit per eam excommunicari, vt ab alijs tanquã ethnicus,& publicanus habeatur; ergo ſubeſt Pontifex poteſtati coerciuæ Eccleſiæ. Dices, hinc ad Sũmum ſequi, Pontificem non eſſe omnino exemptũ à poteſtate ſpirituali, nõ vero non eſſe exemptum à poteſtate ſeculari. Sed cõtra, nã ex primo poteſt inferri ſecundú, ſaltem quantum eſt ex vi iuris diuini, quia ſi Papa non eſt diuino iure exemptus à foro Eccleſiaſtico, non habet illam ſupremã dignitatem, in qua prę cipuè fundabamus ius diuinũ de exẽptione illiùs à ſeculari poteſtate, Item quia ſi Pontifex poteſt per Eccleſiam excommunicari, eadem ratione poterit grauiùs punire pro qualitate delicti; ergo poterit etiam degradari,& brachio ſeculari remitti; ergo non eſt omnino exẽptus iure diuino à iuriſdictione ſeculari, aliàs non poſſet per Eccleſiam iterum ſeculari poteſtati ſubijci.

Solutio.

Replica.

10. Solutio.

Reſpondeo in primis, hæc poſteriora argumenta efficacia nõ eſſe, tum quia licèt fingeretur, Pontificẽ eſſe ſubiectum alicui tribunali Eccleſiaſtico, v.g. Cõcilio generali, nihilominus poſſet eſſe iure diuino exemptus à ſeclalibus, vel ex ſpeciali priuilegio Chriſti, vel quia ſemper manet ſuper omnes Principes ſeculares, etiam ſi per impoſsibile in ordine ſpiritualiũ poteſtatũ Cõcilio ſubeſſet. Tũ etiã quia eadẽ argumẽta fieri poſſunt de Epiſcopis, & inferioribus clericis, de quibus poſtea dicemus. Deinde addo, etiam ſi argumenta illa admittantur potius oſtẽdere incõmoda, & abſurda, quæ ex priori antecedẽte ſequũtur, quã illud cõfirmẽt. Negamus ergo poſſe Eccleſiã vim coerciuã in Pontificẽ exercere, ſiue per cenſurã, ſiuè quocũq; alio modo, niſi priùs à Pontificatu cadat, vel per voluntariã renunciationẽ ab Eccleſia acceptatã, vel per culpã hęreſis ab Eccleſia iuridicè declaratã. Quia quandiu perſona illa verus Papa exiſtit, iuriſdictionẽ habet ſupra totã Eccleſiam, etiã ſimul ſumptã, ideoq; neceſſario eſt iure diuino exemptus ſpiritualiter, id eſt, nõ ſubditus ſublimiori poteſtati ſpirituali extra Chriſtum, quia nulla talis in mundo inuenitur, vt in ſuperiori libro ſatis tractatum eſt.

Eccleſia nullam habet vim coerciuã in Pontificem.

11. Quando fraterna correctio erga Pontificem exerceri valeat.

Vnde ad obiectionẽ reſpondeo, correctionem fraternam habere poſſe locũ erga Summũ Pontificẽ, quatenus eſt charitatis officium, & intra illud ſiſtitur, hoc enim modo poteſt interdũ maior à minori, & Prælatus à ſubdito admoneri, ſicut Paulus cũ Petro ſe geſsit, vt explicuerũt Auguſt. epiſt. 19. ad Hironym. & Greg. homil. 18. in Ezechil. Ceſſat autẽ correctionis progreſſus, quãdo ad viam coactionis fit tranſitus. Itaq; cũ reuerentia corripi, vel admoneri poteſt Pontifex, priùs ſolus, ſi crimen ſit ſecretũ, deinde coram aliquibus, ſi res, & neceſsitas poſtulet. Quod verò vlterius ſequitur. *Dic Eccleſiæ* in eo locũ nõ habet, quia ibi nomine Eccleſię nõ corpus Eccleſię, ſed Pręlati eius intelliguntur, nec enim poteſt peccator toti corpori Eccleſiæ denunciari, ſed paſtori. Vnde neceſſe eſt, vt reſpectiuè, ſeu cũ proportione accõmoda intelligatur, ita vt vnuſquiſq; peccator ſuo paſtori, ac prę lato denũciari debeat: nã extraneus nõ poteſt efficaciter corripere, aut cogere ſibi nõ ſubditũ. Quia ergo Põtifex ſuperiorẽ Prælatũ nõ habet, in eo locũ non habet illa denũciatio, ſed potiùs quia ipſe eſt ſupremus Paſtor totius Eccleſię, ſatis Eccleſię dicitur peccatũ eius, cũ ipſi dicitur. Poſſet autẽ reſpectu Põtificis nõ malè intelligi nomine *Eccleſiæ* cõfeſſor eius, qui eũ monere, & ſuo modo corripere, & peculiariter obligare in foro ſuo poteſt. Quod autẽ ſequitur. *Si Eccleſiã non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus, & publicanus,* propriè nõ poteſt in Pontifice locũ habere, quia excõmunicari nõ poteſt, cũ non habeat vim coerciuã ſuperiorem. Neque hoc eſt inconueniens, quia præceptum illud affirmatiuum eſt, & circa vnũquẽque obligat iuxta capacitatem eius.

August. Hierony. Gregor.

12. 5. Obiectio

Cõtra hoc verò inſurgit ſtatim quinta obiectio, nã ſequitur, Chriſtũ non ſatis prouidiſſe Eccleſię ſuæ, nec cõuenienter illius regimen inſtituiſſe. Nã vt nos dicimus, dedit vni homini ſupremã in ſua Eccleſia poteſtatẽ, eũq; conſtituit, *Super gẽtes, & regna, vt euellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſsipet, & ædificet, & plantet.* Poteſt autẽ talis eſſe Papa, vt poteſtate ſua in deſtructionẽ vtatur, nã libertati ſuę relinquitur, & peccator eſſe poteſt; ergo ſi in

Ierem. 1.

in Eccleſia non eſt poteſtas ad coercẽdũ illũ, imperfectè inſtituta eſt, inſufficienterque eſt illi prouiſum. Quale enim eſt corpus, quod membrum putridum non poſsit per violentiam aliquam purgare, vel ſi hoc non ſufficiat abſcindere, ne totum corpus corrumpat? Ergo cùm Eccleſia ſit vnum corpus myſticum, & Papa ſit vnum membrum eius, quod eò plus poteſt illi nocere, quò potentius, & principalius eſt: neceſſarium eſt ad huius Eccleſiæ conſeruationem, vt in ea ſit aliqua poteſtas, quæ iure, & facto valeat iniquo Pontifici reſiſtere, & illum cogere, vel abſcindere etiam, ſi neceſſe ſit; hęc autem poteſtas non eſt alia, niſi poteſtas Regia, vel Imperatoria; ergo.

13. Solutio. Reſpondeo, hoc etiã argumento vſos eſſe, qui exiſtimarunt, Concilium generale eſſe ſupra Pontificem, poſſeq; illum deponere, non tantùm in cauſa hæreſis, ſed etiam propter alia crimina Eccleſiæ valde nociua. Et quidem, ſi argumẽtum tantam efficaciam haberet, vt propter illud eſſet in Eccleſia admittenda aliqua poteſtas coerciua Pontificum abutentiũ poteſtate ſua in Eccleſiæ perniciem, potius ponenda eſſet illa poteſtas ſpiritualis, quàm temporalis, & in generali Concilio potiùs, quàm in aliqua particulari perſona. Et ita non procederet obiectio, negatur enim vltima propoſitio aſſumpta, nimirum poteſtatem huiuſmodi ſolũ Regiam, vel Imperatoriam eſſe poſſe. Vera nihilominus reſponſio eſt, non eſſe in Eccleſia talem poteſtatem ſupra Põtificem, neque ſpiritualem, neque temporalem, vt ſatis in ſuperioribus probatũ eſt. Obiectio autem facta retorqueri poteſt contra Regem Angliæ multò maiori ratione, nam ipſe vult ita eſſe caput in imperio ſuo, vt neque in ſpiritualibus, neque in temporalibus ſuperiorem habeat, idemq; de quolibet ſupremo Rege affirmare cogitur, ne tantam dignitatem pro ſola ſua libidine vſurpare videatur. Non ne eſt ergo multò maius incommodum, vt in Eccleſia Chriſti, quæ vnum corpus eſſe debet, ſint multa capita ita ſuprema, vt quodlibet illorum ſuos ſubditos diiudicet, & ipſum à nemine iudicetur, quàm quod ſit vnum tantùm hoc habens ſingulare priuilegiũ ſub Spiritus Sãcti directione ſpecialiter cõſtitutum?

Nulla potitur Eccleſia poteſtate coerciua in Põtificem.

Obiectio in Regem Angliæ retorquetur.

A Dico ergo potiùs in hoc oſtendi ſingularẽ Chriſti prouidentiam in ſuam Eccleſiam. Nam regna terrena ſunt inter ſe diuiſa, & non ſubordinata, quia in temporalibus, & ciuilibus non habent vnitatem, & ideò ſicut ſunt multa corpora, ita non eſt incõueniens, quod habeant multa capita ſuprema, & licèt in vnoquoque regno poſsint ſequi incommoda ex eo, quod Rex ſupremus à nemine iudicari in temporalibus, vel puniri poſsit, illa incommoda vel tolerantur propter maiora commoda (quod in humana prouidẽ- B tia ſæpe fieri neceſſarium eſt, & ad rectitudinem prudentiæ pertinet) vel vnaquæque reſpublica habet ſuas leges, & modos iuſtos, quibus his incõmodis occurrat. At verò reſpectu Eccleſiæ Chriſti non erat conueniens, vt intra illam eſſent plura capita ſimpliciter ſuprema, neque plures Reges ita ſupremi in temporalibus, vt nulli ſuperiori capiti ſubordinarentur, ſaltem in ordine ad ſpiritualem finem, ideoq; optima inſtitutio poſtulabat vnum ſupremum caput. Et ad maiorem vnitatem, & facilius, ac ſuauius regimen oportuit illud eſſe vnicam C perſonam, & ad tollenda ſchiſmata fuit etiam conueniens, vt ſub nulla ratione ſuis ſubditis ſubijceretur. Ex quo tandẽ neceſſarium fuit, vt vnum illud caput à ſolo Deo puniri, vel deponi per coactionem, & poteſtatem ſuperiorem poſsit. 14.

Quòd ſi hinc contingat ſequi aliquos defectus, vel incõmoda, mirum non eſt, quia quanquam hęc ſit diuina inſtitutio, verſatur circa homines, & per ipſos exercetur, & ideò neceſſariò aliquid de prouidentia humana participat, quæ non ſẽper omnia incommoda euitat, ſed pauciora eligit. Vnde illa imperfectio non D poteſt attribui Chriſto, ſed homini, nam Chriſtus, quantum in ſe eſt, ſufficientia media prouidit ad hæc incommoda vitanda. Et maiora quidem, quęque fidem, vel ſanctitatem Eccleſiæ maculare poſſent, omnino præuenit, & abſtulit, dando Vicario ſuo certam, & infallibilem directionem in definiendis rebus ad fidem, vel mores Eccleſiæ pertinentibus. Item quia hæreſis ſerpit, vt cancer, & tollit Eccleſiæ fundamentum, etiam ius ſtatuit, virtute cuius à dignitate caderet Papa, ſi eſſet hæreticus, dando etiam Ec- 15.

cleſiæ facultatem, vt de tali crimine cognoſceret, & ſententiam declarantem illud, & diuinam depoſitionem inde ſubſequutam proferre poſsit. At verò in reliquis, quæ ad mores pertinent, non pertinebat ad ſuauem, & ſapientem prouidentiam Chriſti, aut Pontifices omnes libertate morali priuare, aut eos in gratia confirmare, & ideò in eis etiam peccata permiſit. Noluit tamen, vt per homines coerceri, aut puniri poſſent, ne debitus ordo prouidentiæ, & regiminis inuerteretur, & maiora mala, ac perturbationes ſequerentur.

16. *Varij modi protectionis Pontificum à Chriſto prouiſi.* Et nihilominus varia remedia prouidit, quibus hoc malum, vel impediretur, vel ei quoad fieri poſſet, ſubueniretur. Primum, ac præcipuum eſt internum auxilium Spiritus Sancti, quod longê maius, & ſpecialius Pontifici paratum eſſe credimus, ſimul cum Angelica cuſtodia ſingulari, & excellentiori. Secundum eſt oratio tum vniuerſalis Eccleſię, tum ſingulorum fidelium, quæ pro ipſo capite ſemper eſſe debet maior, & frequentior, & tunc oportet eſſe feruentiorem, quando contigerit caput languere. Tertium, & optimum medium eſt ſecreta admonitio, vel ſi peccata ſcandaloſa fuerint, etiam publica, ſeruata debita reuerentia, & humilitate, & ſi neceſsitas id poſtulet, interdum fieri poteſt hæc admonitio per Reges, & Principes temporales, quorum authoritas apud Pontificem multum valere poteſt, & debet, ſi prædictam modeſtiam, & animi ſubmiſſionem coniunctam habeat.

Vide Caietanũ in Opuſc. de Poteſt. Papæ, cap. 27.

17. Quartum remedium non quidem iniquum, ſed magis humanum, & periculoſum, ideoque non ſine extrema neceſſitate adhibendum, eſt iuſta defenſio, nã ſi Pontifex manifeſtam violentiam, & iniuſtam vim inferat, ei reſiſti poteſt per modum defenſionis, intra terminos inculpatę tutelę; quia vim vi repellere naturale remedium eſt, & nemini denegatur, & non requirit poteſtatem ſuperiorem, vel iuriſdictionem in eo, qui ſe defendit, ſed ſolùm ius, & vires ad ſe tuendum. Nam ſi in alterum malum inferat, non illum punit, ſed illo medio propriũ malum iuſtè euitat. Quocirca ſi Pontifex corporalem vim inferat per aggreſſionem, vel iniuſtum bellum, ei poterit

Põtifici bellum iniuſtũ inferenti reſiſti poteſt.

A per ſimilem actionem reſiſti ad defenſionem, non ad offenſionem. Si autẽ violẽtia eſſet ſpiritualis, præcipiẽdo iniqua, vel ſacra prophanãdo, aut deſtruendo, ei proportionato modo reſiſti poterit, procurando, ne talia executioni mandentur. Hæc tamen rara ſunt, &, vt hæc licentia ſumatur, eſſe debent euidentiſsima. Denique (quod valde notandum eſt) hoc modo per mille, & ſexcentos annos Eccleſia gubernata eſt, recognoſcẽdo in Põtifice hanc poteſtatem, & exemptionẽ, & hunc honorem, & reuerentiam illi deferendo, & tolerando iniquos, qui comparatione ſanctorum, & bonorum pauci fuerunt, neque in hac tolerantia tot incommoda paſſa eſt Eccleſia, quot in temporibus ſchiſmatum, & rebellionum Poteſtatum temporalium aduerſus Põtifices ſuſtinuit: ergo gratis, & ſine fundamento fingunt hæretici imperfectionem, vel defectum in hac inſtitutione, quam potius Deo dignam eſſe, ipſa experientia præter alia, quæ adduximus, oſtendit.

CAPVT VII.

C *Sextæ obiectioni ſatisfit, & tractatur quæſtio, an Papa poſsit ſe humano iudicio ſubmittere.*

VLtima ſupereſt obiectio, quia Põtifex Romanus ſaltem voluntate propria poteſt renunciare huic priuilegio, non tantùm renunciando Papatui (quod clarum eſt) ſed etiam dignitate retenta; ergo ſignum eſt, non eſſe hanc exemptionem de iure diuino, neq; ex natura rei eſſe neceſſariò cum dignitate coniunctam, nam ſi talis eſſet nec immutari, nec ſeparari poſſet per humanã voluntatem. Antecedens probatur ex vſu, nam id fecit Leo. IIII. iudicio Michaelis Imperatoris, & Legatorum eius ſe ſubijciendo, vt refertur in cap. *Nos ſi incompetenter*. 2. q. 7. & Symmachus Regis temporalis iudicio ſe ſubmiſit, vt ſumitur ex Concilio. 3. Romano ſub eodem, & Gregorius Papa in cap. *Siquis*. 42. 2. q. 7. ſic ait, referente Gratiano: *Si quis ſuper his nos arguere voluerit, & extra authoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedem Apoſtolicam, &c. vt ibi ante confeſsio-*

1. Sexta obiectio.

Leo. 4. Cap. Nos ſi in competẽter. 2. q. 7. Symmach. Cõc. Rom. 3. Greg. Pap. C. Siquis.

D

feſsionem Sancti Petri mecum iuſtè decertet, quatenus inibi vnus ex nobis ſententiam accipiat ſuam, vbi ſe committit alterius iudicio. Et Sixtus. III. in cap. *Mandaſti.* 2. q.5. dicit, cùm iniuſtè criminaretur, coram Valentiniano Auguſto, & Synodo ſe purgaſſe, & addit: *Sed non alijs, qui noluerint, aut ſponte hoc non elegerint, faciendo formam, exemplumq́; dans.* Idemq; refertur de Leone III. in cap. *Auditum*, eadem cauſa, & quæſtione. De Marcellino etiam conſtat, ſe cuiuſdam Synodi iudicio ſubmiſiſſe. Denique in ſacramento confeſsionis Pontifex ſe ſubmittit iuriſdictioni priuati confeſſoris; cur ergo nõ poterit ſe etiam ſubmittere in cauſa ciuili, vel temporali? Aliquì etiam inducunt Chriſti exemplum, qui ſe poteſtati Herodis ſuppoſuit, dando illi veram poteſtatem ſupra ſe, vt oſtendunt eius verba apud Ioannem cap. 19. *Non haberes poteſtatem in me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Quo exemplo vtitur D. Thomas 2.2.q.67.ar.1. ad 2. vt probet, poſſe ſuperiorem ſubijci iudicio inferioris, vbi etiam ſimpliciter ait, Leonem Papã ſubieciſſe ſe iudicio Imperatoris.

Sixtus. 3. Cap. Mandaſti. 2. q. 5. C. Ad auditũ, ead. Vide quę de hoc facto [illegible] citantur in decreto Gregoriano, & Paulum Aemilium lib. 3. de Geſtis Francor. Ioan. 9. D. Thom.

2. Hoc punctum latè tractatur à Theologis in 4.d.18.&19. ſcilicet, D. Thoma, Paludan. Bonauent. Richardo, Alberto, & alijs, & à Caietano dicta q. 67.ar.1. & à Canoniſtis in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. vbi latè Panorm. n.7. & Felin. 2. & Baldus in l. *Eſt receptum*. C. de Iuriſdict. omni. iud. Breuiter tamen, quòd ad rem præſentem ſpectat, dicendum in primis eſt, Papam non poſſe ita ſe ſubijcere Imperatori, vt illius temporali, ſeu ciuili iuriſdictioni ſubiectus verê maneat, & ab illo cogi, vel obligari poſsit ratione talis iuriſdictionis. In hoc conueniunt authores allegati, & probatur, quia Imperator nõ habet iuriſdictionem ciuilem ſupra Pontificẽ, illam enim ei abſtulit Chriſtus, eximendo Pontificem. Nec etiam Pontifex poteſt illam ei tribuere, quia Pontifex, vt Pontifex eſt (ita enim nunc de illo loquimur) non habet temporalem iuriſdictionem directã etiam ſupra alios, nedum ſupra ſe ipſum; ergo nec poteſt illam dare Imperatori ſupra ſe, quia in hoc genere nõ dat, quod non habet; ergo non poteſt ſe ſubmittere iuriſdictioni ſeculari Imperatoris.

D. Thom. Paludan. Bonauent. Richard. Albert. Caietan. Panormit. Felinus. Bald. Prima concluſio. Pontifex iuriſdictioni temporali ſe ſubijcere nequit. Probatur.

A Probatur conſequentia, quia non poſſet ſe ſubmittere, niſi dando illi talem iuriſdictionem, quia ipſe iam illam nõ habet; ergo licèt Pontifex velit iudicari ab ipſo, ſi non det illi iuriſdictionem, non ſubmittetur iuriſdictioni illius, neque Imperator poterit Pontificem iudicare tãquam habens iuriſdictionem in ipſum. Loquor autem de iuriſdictione temporali, quia ſola ſubiectio reſpectu temporalis iuriſdictionis, eſt contraria exemptioni, de qua nunc tractamus. Poteſtque hoc confirmari ex alio principio, quod nemo poteſt renunciare priuilegio in B fauorem communitatis, & dignitatis conceſſo, talis autem eſt exemptio Papæ, nõ enim intuitu perſonæ, ſed in honorem ipſius Chriſti data eſt: de quo argumento plura inferiùs. Et hoc etiã probat obiectio facta, quæ per hoc ſoluitur, negamus enim, poſſe Pontificem renuntiare ſuæ exẽptioni, ſe alteri præſertim laico ſubijciendo; quia tali iuriſdictioni non poteſt Pontifex ſubijci, vt dixi, quia nõ poteſt illam dare non habenti. Nec poteſt facere, vt iuriſdictio temporalium Regum, ſupra quam Chriſtus Vicarium ſuum conſtituit, ſupra illum extendatur. C Ita ergo ſufficienter obiectioni ſatisfit.

Solutio ad ſextam obiectionem. Põtifex exẽptioni ſuæ renunciare non poteſt.

Quia verò, quæ in illa adducuntur, probant, poſſe Pontificem aliquo modo volũtariê ſe ſubmittere alterius iudicio, declarare oportet, quomodo id intelligẽdum ſit. Dico ergo vlteriùs, non poſſe Pontificem ſe ſubmittere in foro exteriori iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, ſeu ſpirituali alteri commiſſæ quoad vim coactiuam eius, ſiue directè in cauſis ſpiritualibus, ſiue indirectè in temporalibus, tam omnibus, quàm ſingulis, vel vna, aut D altera cauſa. Ita ſentiũt plures ex authoribus citatis, & optimê Bellarminus lib. 2. de Cõcilijs cap. 18. & Turrecrem. lib. 2. Sum. cap. 104. & 105. & idem ſenſit Caietan. tract. 2. de Poteſt. Papę. Et probatur apertè, quia nulla iuriſdictio Eccleſiaſtica eſſe poteſt in aliquo extra Põtificem, quæ non pendeat, & manet ab ipſo Pontifice; ergo nunquam poteſt Pontifex illi ſubdi quoad vim coactiuã. Antecedens ſupponimus, nam licèt non ſit certum omnem iuriſdictionem Epiſcopalem, manare à Pontifice, eſt tamen proba-

3. Secunda cõcluſio. Pontifex nõ poteſt ſpirituali poteſtati quoad vim coerciuam ſe ſubmittere. *Bellarm. Turrecr. Caiet.* Probatur aſſertio.

probabilius. Et pręterea certum eſt, omnem huiuſmodi iuriſdictionem pendere à Pontifice, poſſeque ab illo & ampliari, & reſtringi quoad cauſas, perſonas, & loca; quod nobis nunc ſatis eſt. Imò licèt fingeremus, datam eſſe alicui iure diuino aliquam iuriſdictionem Eccleſiaſticā independentem à Pontifice, id eſt, quæ ab illo tolli, aut limitari non poſſet, nihilominus illa non poſſet ſufficere ad iudicandum Pontificem, quia, vt ſupponimus, ipſe iure diuino exemptus eſt ab omni humano ſuperiore; illa ergo iuriſdictio licèt eſſet iure diuino data non eſſet ſupra Pontificem, neque ſupra totam Eccleſiam, quia hæc ſoli Petro commiſſa eſt, ſed ad ſummum eſſet in hoc, vel in illo Epiſcopatu, & in aliquo inferiori gradu. Igitur cogitari non poteſt, Pontificem iudicari ab aliquo per poteſtatē ſpiritualem, niſi per poteſtatem manantem ab ipſo.

4. *Pontifex nō habet poteſtatem coactiuam ſui ipſius.*

Hinc ergo euidenter concluditur, hāc iuriſdictionem non poſſe eſſe propriam & coactiuam. Probatur primò; quia Pōtifex non accepit talem poteſtatem ſupra ſe ipſum, nemo enim habet vim coactiuam in ſe, quia licèt ſe punire poſsit, volens id facit, & ſic non cogitur, ergo nec poteſt alteri talem poteſtatem communicare. Secundò, quia Pontificis cauſæ diuino iudicio ſunt reſeruatæ, vt dicunt Canones, qui maximè loquuntur in ordine ad forum externum, & coactiuum, ergo non poteſt Pontifex illas cauſas alteri committere quantum ad idem genus iudicij coactiui, quia non poteſt inferior dare iuriſdictionem in caſibus, ſeu cauſis reſeruatis ſuperiori. Tertiò, quia non poteſt Papa ita committere aliquam cauſam inferiori, quin ipſe maneat ſemper ſuperior in illa cauſa, & conſequenter poſsit, vel reuocare iuriſdictionem, ſi velit, vel de ſententia ab inferiori data diiudicare, quia hoc totum intrinſecum eſt dignitati Pontificiæ, ideòq; ita ineſt Pontifici ex vi iuris diuini, vt nunquam poſsit illud à ſe abdicare, niſi toti Pontificatui renunciando. Ergo licèt fingatur Pontifex committere alteri iuriſdictionem in ſe ipſum, illa nō poteſt eſſe verè coactiua, quia tam in duratione, quā in executione pendet à voluntate Pontificis; quod autem ita voluntarium eſt,

A non poteſt eſſe coactum. Quæ ratio æquè procedit in omnibus, & in ſingulis cauſis; nam in nulla poteſt Pontifex à ſe abdicare ſupremam iuriſdictionem, quā habet.

Confirmatur hoc, quia Pontifex in nullo caſu, etiam ſi alicui ſe ſubdere velit, poteſt per cenſuram compelli, vt eſt communis conſenſus Theologorum in 4. diſt. 18. & 19. & in tractatu de Cenſuris latiùs diximus. Ratio autem non eſt alia, niſi quia ſemper manet ſuperior illo, cui iuriſdictionem cōmittit, & ideò nec B contumax eſſe poteſt reſpectu hominis, neque ligari cenſura, aut alia violenta pœna affici, aut deponi. Nam licèt in caſu hæreſis poſsit deponi, tunc re vera non deponitur ab homine, ſed ab ipſo Deo, præmiſſa legitimi Concilij declaratione, vt dixi, & ita ibi non intercedit voluntaria ſubiectio, neque etiam inuoluntaria coactio perſonæ Pontificis, quandiu Pontifex eſt, ſed ſolùm cognitio, & examinatio cauſæ, quam ipſe in eo caſu iuſtê impedire non poteſt, quia eſt conceſſa à Deo tanquā iuſta & neceſſaria defenſio. 5.

In caſu hæreſis depoſitio Pontificis fit à ſolo Deo.

6. *Vltima concluſio. Pontifex ſolum tanquā arbitro poteſt alteri ſe ſubdere. D. Thom.*

Concludo igitur vltimò, quod attinet ad externum iudicium humanum ſolū C poſſe Pontificem ſe ſubmittere iudicio alterius, tanquam arbitro, non tanquam proprio iudici, iuriſdictione vtenti in ipſam perſonam Pontificis. Ita explicuit ſuam ſententiam D. Thomas in dicta ſolutione ad 2. & ſequuntur alij allegati. Et ſequitur à ſufficienti partium enumeratione, nam Pontifex poteſt ſe aliquo modo ſubmittere iudicio aliorum, etiam in cauſis perſonalibus, de quibus præcipuè tractamus, vt probant ea, quæ in obiectione adduximus, ſed non poteſt ſubijci propriæ iuriſdictioni alicuius, vt oſ-D tendimus; ergo ſaltem poteſt ſe ſubmittere iudicio alterius vt arbitri, quia non eſt alius modus ſubiectionis voluntariæ. Dico autē *voluntariæ*, quia licèt per vim, & tyrannidem, aut vſurpatā iuriſdictionem poſsit Pontifex ab aliquo iudicari, & ipſe Pontifex poſsit etiam id permittere, vel etiam eligere ad vitādum maius malum, vt fortaſſe fecit Paulus, quando appellauit Cæſarē: nihilominus illa ſubmiſsio ſimpliciter eſt inuoluntaria, & iudicium de ſe violentum eſt, & iniquum, in ſubiectione autem voluntaria, de qua tracta-

tractamus, iudicium de ſe fieri poteſt ſine vi, vel iniuria aliqua. Ratio autem eſt iam tacta, quia tunc non fertur ſententia iuridica in iuriſdictione, ſeu ſuperioritate fundata, ſed fertur ſententia arbitraria fundata in facto, ſeu cõuentione aliqua. Et ita in illo actu non ſe gerit Pontifex vt Pontifex, committendo iuriſdictionem ſuam, ſed vt homo, qui voluntariè vult facere, quod quilibet priuatus poſſet præſtare.

7. Obiectio. Dices, poſtquam Pontifex ſe ſubiecit alicuius iudicio, tenetur in conſcientia, & interdum ex iuſtitia parere ſentẽtiæ latæ, ſi iuſta ſit; ergo procedit ex poteſtate ſuperiori, & ex vi coactiua, quia omnis neceſsitas quædam coactio eſt. Caietanus. Ad hoc Caietanus loco citato concedit, ibi intercedere aliquam poteſtatem ſuperiorem ſaltem ſecundum quid, & eodem modo dicit ſeruari ibi vim coactiuam, ac denique indicat, illam ſententiã ferri in virtute iuriſdictionis à Pontifice commiſſæ. Sed hoc vltimum, vt dixi, admittendum non eſt, in reliquis verò Solutio. poteſt eſſe æquiuocatio in verbis, quæ cauenda eſt. Et ideò reſpondeo breuiter, in ſententia arbitraria non requiri poteſtatem ſuperioris, ſed purum iudicium D. Thom. arbitri: nec eſſe neceſſariam vim coactiuam, & ideò dixit D. Thomas ibidem ſolere in arbitrijs adhiberi pœnam, quia in iudice non eſt coactio. Quod adeò verum eſt, vt neque ad ipſam pœnam poſſit cogere. Vnde quanuis Papa, cum ſe ſubmittit alicuius iudicio, poſsit promittere ſub aliqua pœna ſtare ſententiæ, nõ poterit ad illam pœnam cogi, licèt in cõſcientia poſsit interdũ ad illam obligari.

8. Pontifex nõ poteſt ad pęnam ab arbitro impoſitam cogi. Ad argumentum ergo nego conſequentiam, quia neceſsitas obligationis in conſcientia non oritur ex vi coactiua, ſed ex directiua, quæ poteſt admitti in tali ſententia. Aduerto tamen, hoc eſſe intelligendum de virtute oſtenſiua potiùs, quâm effectiua, quia talis ſententia reſpectu Pontificis non habet vim præcepti, quod poſsit Pontificem in conſcientia obligare, quam vocamus vim directiuam effectiuè, ſed habet vim puræ ſententiæ declaratiuæ oſtendentis debitum iuſtitiæ, quod ex iniuria, vel pacto, vel alio ſimili titulo poteſt cadere in Põtificem ex vi legis naturalis, & ita eſt res

A perſpicua. Et ob eandẽ cauſam non exiſtimo neceſſariam diſtinctionem Caietani dicentis, Papam poſſe ſe ſubijcere iudicio aliorum in quibuſdam cauſis, & non alijs, veriùs enim, & faciliùs dicitur, in omnibus ſe poſſe ſubmittere quoad vim directiuam modo explicato, in nullis autem quoad coactiuam.

Ad obiectionem ergo principalem reſpondetur, in prædicto modo ſubiectionis voluntariæ nullam interuenire renũciationem priuilegij exemptionis, vt conſtat. Ad primum autem exemplũ 9. Solutio obiectionis in principio poſitæ.

B Leonis III. reſpondetur, non exceſsiſſe prędictum modum arbitrariæ ſententię, vt ex textu, & ex hiſtorijs cõſtat. Idem dicendum eſt de Symmacho, in quo tamen facto eſt conſiderandũ, cum Theodoricus abuti vellet modeſtia Pontificis, & per modum ſuperioris iudicare, clamaſſe Concilium, Pontificem à nemine iudicari poſſe, vtique illo modo, ipſo etiã conſentiente. Sicut etiam in alio Concilio de Marcellino conclamatum fuerat. Et ſimiliter alia facta Sixti, & Leonis. 3. clariora ſunt, quia in eis Pontifices non ſe ſubmiſerunt aliorum iudicio, ſed ſolũ ad tollendum fortaſſe ſcandalum, ſe vo-

C luntariè purgare voluerunt, vtique vel publico iuramento, vel alijs probationibus, & rationibus innocentiam ſuam oſtendendo.

10. Verba autem Gregorij, quæ à Gratiano in dicto capite *Si quis*, referuntur, ſuntq́; Gregorij IIII. in Epiſt. vnic. ad Epiſcopos Europæ, quæ in fine ſecundi tomi Epiſtolarum Decretaliũ refertur, nihil ad præſentem cauſam faciunt; proprius tamen illorum ſenſus ſatis intelligi non poteſt, niſi & finis epiſtolæ, & præcedentia verba conſiderentur. Scripſit enim Pontifex illam epiſtolam in defẽ-

D ſionem Aldrici Epiſcopi, qui accuſatus fortè ab aliquibus, ad Sedem Apoſtolicam confugerat, eiuſq́; auxilium implorauerat. Et hac occaſione decernit ibi Põtifex, Apoſtolicæ Sedis priuilegiũ eſſe, vt omnibus liceat ad illam appellare, & vt *nihil prius de eo, qui ad ſinum ſanctæ Romanæ confugit Eccleſiæ, eiuſq́; implorat auxilium, decernatur, quam ab eiuſdem Eccleſiæ fuerit præceptum authoritate*. Poſtquã autem hæc veriſsima principia grauiter fundauit, ſubiungit: *Super quibus ſi quis*

nos

nos arguere voluerit, aut extra authoritatem nos facere contenderit, veniat ad Sedē Apoſtolicam, & cætera, quę ſuprà retulimus. Vnde conſtat, ipſum non tractare de aliqua propria cauſa, vel iudicio perſonæ ſuæ, ſed de dogmatibus fidei, & de authoritate Sedis Apoſtolicæ, ad cuius iudiciū, non ad aliud humanum prouocat, vt patet, cùm dicit: *Veniat ad Sedem Apoſtolicam, quò omnia Eccleſiaſtica negotia, de quibus quæſtio habetur, confluere iuſſa ſunt.* Ad demonſtrandam autem confidentiam de virtute doctrinę addidit idem Pontifex, *vt ibi ante confeſsionem Sancti Petri mecū iuſtè decertet*, vtique non in forenſi iudicio, ſed in veritate inquirenda, neque teſtibus factum aliquod comprobantibus, ſed Pontificum, Conciliorum, & conſuetudinis authoritate. Et cōcludit, *quatenus inibi vnus ex nobis ſententiam ſuſcipiat ſuam*, id eſt, vt ille vincat, qui ſuam ſententiam melius probauerit. Nō tamē dubitans, ſed, vt dixi, certus de ſua veritate ita loquitur.

Ita legit Gratianus, at in originali Romano habetur mihi, ſed prius videtur melius.

11. Cur Pontifex iudicio Confeſſoris & non alterius ſe ſubdat.

Ad exemplum de foro confeſsionis reſpondemus, eſſe in multis diſsimilem rationem. Primò quia Pontifex non eſt vllo iure exemptus à iudicio ſacramentalis confeſsionis, cùm ſit homo, & peccator, & obligetur eodem præcepto pœnitentiæ, vel confeſsionis. Secundò, quia illud iudicium eſt altius, & diuinius quocūque iudicio externo, vnde in illo principalis iudex eſt ſolus Deus, & confeſſor ſolùm eſt inſtrumentum Dei, eiuſq; vicem immediatê gerit. Tertiò dicunt aliqui confeſſorem in illo foro habere iuriſdictionem immediatê à Deo, Pontificem autem ſolùm applicare materiam, ſeu eligere confeſſorem, quod eſt probabile, præcipuê in illo caſu ſpeciali. Mihi autem probabilius eſt, Papam dare iuriſdictionem confeſſori ſupra ſe ipſum vt peccatorem, ſed in hoc eſſe illam iuriſdictionem diſsimilem, quod non eſt omnino coactiua, ſed medicinalis, cuius ſignum eſt, quia confeſſor non poteſt pœnitentem omnino cogere ad pœnam ſatisfactoriam, ſed oportet ab illo voluntariê acceptari. Item eſt alia diſsimilitudo, quia iuriſdictio illius fori, licêt quatenus immediatê datur ab homine, ab illo pendeat in conſeruari, quia ab eodem reuocari poteſt, nihilominus in ſe eſt altior, & diuinior, quia etiam de occultiſſimis, & quę in corde latebant, iudicat, & de omnibus vltimam ſentētiam profert, à qua neque ad Pontificem, neque ad vllum hominem appellari poteſt.

Pontificem ſuo confeſſori iuriſdictionem tribuere probabilius.

12. Verū Chriſtus Dominus ſeſe ſubiecerit. Toletus.

Ad exemplum de Chriſto Domino, aliqui exiſtimant, Chriſtum verè ſe ſubieciſſe iuriſdictioni Pilati, dando illi veram poteſtatem ſupra ſe ipſum, vt hominem; in quam ſententiam inclinat Toletus Ioan. 19. annotat. 4. & refert Irenæū lib. 4. cap. 34. Sed aduerto, aliud eſſe loqui de poteſtate Pilati abſolutè, aliud de poteſtate reſpectu Chriſti, qui etiam reſpectus poteſt eſſe aut iuris, aut facti. Poteſtas ergo ipſa, qua de facto Pilatus vtebatur in Chriſtum à Deo erat, & ſic non permiſsiuê tantùm, ſed etiam poſitiuè intelligi poteſt, quod Chriſtus dixit, *Nō haberes in me poteſtatem vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*, vt ibi ſentit Auguſtin. tract. 116. & Bernard. epiſt. 42. At verò poteſtas illa vt relata ad Chriſtum non fuit data in illum tanquam in ſubditum, quia illa iuriſdictio per ſe, & in ſe ſpectata in illum tanquam in ſubditum non cadebat, vt probant ſufficienter verba Chriſti Matt. 17. & quæ circa illa capite præcedēti tractauimus. Solùm ergo per violentiam Iudæorum, & per ignorantiam Pilati factum eſt, vt illa poteſtas exerceretur circa Chriſtum, & quoad hoc permiſsiuè tantùm intelligitur, poteſtatem illā eſſe à Deo, vt rectê ibi docent Chryſoſt. Homil. 83. & Cyrillus lib. 12. cap. 22. & certè non aliud docuit Irenæus. Quocirca ſubiectio illa Chriſti Domini ex parte ſua tantûm fuit tolerantiæ, & permiſsionis, & non alicuius conceſsionis poteſtatis, vel iuriſdictionis, nec renunciationis alicuius priuilegij, & ideô exemplum nihil propoſito deſeruit.

Auguſtin. Bernard.

Chryſoſt. Cyrillus.

CAPVT VIII.

Vtrum Clerici omnes ſub Pontifice exiſtētes à iuriſdictione temporalium Principū iure diuino exempti ſint, & tractantur duæ contrariæ opiniones.

1. IN hoc puncto duæ ſunt opiniones cōtrariæ, & valde cōmunes, quas in hoc capite cum ſuis fundamentis breuiter refe-

rima ſen- :ntia ne- aus. D. Thom. Henric. Almain.

reſeram, in ſequenti verò meum qualecunque iudicium interponam. Prima itaque ſententia abſolutè negat, hanc immunitatem eſſe de iure diuino. Quam tenent multi Doctores, ex quibus quidam affirmant eſſe de iure humano, & tacitè indicant excluſiuam. Alij vel in genere, vel in ſpecie declarant, non eſſe de iure naturali. Sic refertur pro hac ſententia Diuus Thomas ad Romanos. 13. lectione prima, vbi ait, Sacerdotes eſſe immunes à tributis ſoluendis, conceſſione Principum conſentanea æquitati naturali; eadem autem, vel maior ratio eſt de exemptione à foro, ſeu iuriſdictione Principum, vt ſuprà tactum eſt, & in ſequentibus dicetur. Henricus etiã quodlib. 9. quæſtione 31. dicit, immunitatem clericorum eſſe ex ſtatutis Papæ, & Imperatorum, vbi licèt non ponat expreſſe negatiuam partem, ſcilicet, non eſſe de iure diuino, ſatis eam ſignificat, dum originem huius immunitatis humanis tribuit ſtatutis. Expreſsiùs tenet Almain. in 4. diſtin. 25. q. 1. vbi refert Ochamum, & communem ſententiam Pariſienſium.

Medina. 'ictoria. otus. edeſm. 'alatius. alon. añez. lb. Pigh. nſen. Maldon.

2. Latius hoc tenent moderni Theologi, Medin. C. de Reſtitut. q. 15. vbi præcipuè agit de Tributorum exemptione, ſed ad omnia extendit ſermonem. Idem tenet Victor. in Relect. 1. de Poteſtate Eccleſiaſt. q. 6. concluſ. 2. Sot. in 4. diſt. 25. quæſt. 2. art. 2. Ledeſm. 2. part. quarti quæſtion. 20. artic. 4. verſic. *Hæſitabit*, concluſ. 2. & 3. Palatius in 4. diſtin. 25. diſput. 3. circa finem, Salon. 2. 2. quæſt. 67. art. 1. cõtrouerſ. 1. cap. 4. & Banhez ibid. dub. 2. Albertus Pighius lib. 5. Eccleſiaſticæ Hierarch. cap. 7. vbi hac ratione conſtituit differentiam inter Principes ethnicos, & infideles, quòd clerici fuerunt ſub iuriſdictione ſeculariũ Principum, quandiu ethnici fuerunt, vel nũc etiam ſunt in regnis, vbi Reges ſunt gẽtiles, Principibus autem Chriſtianis non ſubijciuntur. Ratio autem differẽtiæ eſt, quia Principes ethnici nec ceſſerunt iuri ſuo, nec legibus Eccleſiaſticis ſubdũtur, ſicut Chriſtiani Principes. Quæ doctrina apertè ſupponit, exemptionem hanc tantùm eſſe de iure humano, & ſequitur Ianſenius cap. 69. Concordiæ, indicat Maldonat. Matth. 17. exponendo Hie- A ronymum, expreſsiùs Salmerõ tom. 6. in Euangel. tract. 37. verſus finem. Et eandem opinionem tenet Molina. 1. de Iuſt. diſp. 31. Henriq. libr. 7. de Indulg. cap. 24. Ex Canoniſtis idem ſentit Innocentius cap. 2. de Maiorit. & obedien. Licet enim ſub diſtinctione loquatur, tamen hanc partem poſteriori loco ponit, & in eam magis inclinat. Eandem tenet Couarruuias in libr. Practicarum quęſtionum capite trigeſimo primo, vbi alios refert.

Salmer. Molin. Henriq. Innoc. Couar.

3. Primum fũdamentum.

Fundamentum huius ſententiæ duobus modis explicari poteſt, negatiuè B ſcilicet, & poſitiuè. Negatiuum argumentum eſt, quia nec authoritate, nec ratione ſatis probatur hoc diuinum ius. Eſtque hoc argumentum negatiuum efficax, ſuppoſito antecedenti, quia non ſunt præcepta iuris diuini admittenda ſine teſtimonio ſatis certo, aut ratione cogente. Quod autem hoc non conſtet, declaratur, quia vel illud ius eſt poſitiuum, & hoc nullo teſtimonio ſufficienter probatur; vel eſt naturale, & hoc oportet, vt ratione conuincatur, quam inuenire facile non eſt. Prior pars probatur, quia vnus tantum locus Euangelij C ſolet ad hoc ius diuinum poſitiuum probandum adduci, verba ſcilicet, Chriſti Matth. 17. *Ergo liberi ſunt filij*, quæ non videntur efficacia, quia ſuprà diximus intelligi de filijs naturalibus, & Chriſtũ, propter ſingularem participationem ſuę dignitatis, quam Petro tribuebat, ad ipſum illa extendiſſe. Sed inſtatur, alia cõſideratione extendi ad totum clerum, quia eſt veluti ſpecialis familia Chriſti exemptio autem filij naturalis extendi ſolet ad familiares.

Matt. 17.

4. At verò hæc verborum Chriſti inductio non videtur multum vrgere, tum D quia non eſt ex natura rei neceſſarium, vt exempto naturali filio, eximatur familia, ſed hoc pendet ex volũtate Patris, ſeu Principis, quam voluntatẽ Chriſtus ibi non ita erga alios declarauit, ſicut erga Petrum; imò ſpecialiter deſignando Petrum, alios excludere, ſeu non comprehendere viſus eſt; tum etiam, quia licèt ſæpiùs eximatur familia cum patrono, non ſemper, imò raró æqualiter, quo modo ergo inde concludi poteſt æqualis exemptio à poteſtate ſecularium Principum?

cipum, omnium clericorum cum Petro, vel etiam Chriſto? vel ſi æqualis non infertur, quanta colligitur? Pręſertim quia hic magis vrget difficultas quædam ſuprà tacta, quòd illo loco tantum eſt ſermo de exemptione à tributis; eſt autem multò difficilior exemptio â foro, & iuriſdictione reſpectu familiæ, cùm neque ipſiſmet filijs concedi ſoleat.

Poſterior verò pars de iure naturali
5. probatur, quia hoc ius debet eſſe fundatum in aliqua proprietate ſupernaturali, quia vt ſuprà de Pontifice explicui, hoc ius non regulatur mero lumine naturali, ſed vt illuſtrato per fidem, ſuppoſita aliqua proprietate, vel dignitate ſupernaturali. In præſenti autem nulla videtur eſſe proprietas ſupernaturalis, ad quam talis exemptio neceſſariò conſequatur. Probatur, quia ſi aliqua eſſet, maximè character clericalis; hoc autem non ita videtur, tum quia ſeruus ordinatus contra voluntatem Domini non ſtatim liberatur à ſeruitute ex vi characteris. Iuxta cap. 2. & penult. de ſeruis non ordin. neque omnes habentes characterem hoc gaudent priuilegio, ſed multi illo priuãtur, vt infrâ videbimus. Tum etiam quia per characterem clericalem ſolùm dedicatur homo peculiari modo diuino cultui, ſeu recipit peculiarem poteſtatem ad miniſtrandum in illo; non repugnat autem ex natura rei, aliquem eſſe peculiari modo deputatum diuino obſequio, & ſimul eſſe ſubditum temporali Principi in his; quæ diuino obſequio non repugnant. Tum etiam quia aliàs daretur anſa dicentibus, Chriſtianos omnes eſſe exemptos à iuriſdictione Principum temporalium ex vi characteris baptiſmalis, quia per illum ſunt peculiari modo conſignati, & conſecrati cultui diuino multò aliter, quàm reliqui homines. Tum præterea, quia multi ſunt clerici non habentes characterem, vt qui tantum ſunt tonſurati; & nihilominus, ſi aliæ conditiones neceſſariæ concurrant, habent eandem exemptionem, quam alij clerici; ergo ſignum eſt, non oriri ex illo iure naturali. Idemque argumentum ſumitur ex alijs perſonis Eccleſiaſticis fruentibus hac exemptione, etiam ſi nec tonſuram habeant, vt ſunt religioſi laici, ſeu conuerſi, & religioſæ fœminæ, &

Cap. 2. & penulti. de Seruis non ordinand.

A ſiqui ſunt huiuſmodi. Tum deniq; quia quod eſt de iure diuino iſto modo, ita eſt neceſſarium, vt contrarium ſit intrinſecè malum, clericum autem iudicari per iuriſdictionem laicam non eſt intrinſecê malum; ergo oppoſitum, nimirum, quòd clericus ſit exemptus à tali iuriſdictione, non eſt de iure diuino naturali.

Atque hæc vltima ratio non tantùm negatiuè, ſed etiam poſitiuè (quod ſecundo loco propoſui) videtur hanc ſententiam perſuadere. Nam quod eſt con- 5.
B tra ius diuinum nunquam licèt; ſubiectio autem huic exemptioni contraria ſæpe licet; ergo ſignum eſt, hanc exemptionem non eſſe de iure diuino. Et cõfirmatur primò, quia clerici non ſemper fuerunt in Eccleſia exempti à foro iudicis ſecularis, vt ex Paulo ad Roman. 13. cum expoſitione Chryſoſtomi, & aliorum colligitur; ergo non eſt de iure diuino, alioqui ſimul cum ipſa Eccleſia natum fuiſſet. Poteſtque argumentum in hunc modum explicari. Quia longe aliter fuerunt à principio naſcentis Eccleſiæ exempti clerici à foro ſeculari in
C cauſis ſpiritualibus, ac in temporalibus. Nam in prioribus nullo modo tenebantur laicis obedire in conſcientia, nec poterant ad illorum tribunalia recurrere pro expeditione talium cauſarum. At in poſterioribus tenebantur eis obedire, & poterant ad illos recurrere, quantum erat ex vi iuriſdictionis. Ergo ſignum eſt diſtinctionem fori in ſpiritualibus longè aliter eſſe de iure diuino, quàm diſtinctionem fori in temporalibus. Ergo. ſignum eſt hoc priuilegium quoad temporalia non eſſe immediatê, & per ſe ex diuino iure.

Secundum fundamentum.

Prima confirmatio. Rom. 13.

D Secundò hoc confirmatur, quia Eccleſia interdum tradit clericum brachio ſeculari, vt ab eo poſsit etiam morte puniri, præmiſſa declaratione, per quam priuat clericum priuilegio fori, & in iure ſunt aliqui caſus, in quibus priuantur clerici tali priuilegio; ergo ſignum eſt priuilegium illud non eſſe iuris diuini. Nam quæ ſunt iure diuino ſtatuta mutari, aut auferri non poſſunt. Nec ſatisfaciet qui dixerit, tunc non auferri priuilegium, nec mutari ius diuinum, quia iudex ſecularis non ſua authoritate, 7.

Secunda confirmatio.

te, vel vt cauſa principalis (vt ſic dicam) ſed vt Eccleſiæ miniſter, & per eius poteſtatem in clericum animaduertit. Hoc (inquam) non ſatisfacit, tum quia iura, & Doctores paſsim dicunt, tunc priuari clericum ſuo priuilegio fori, ſeu (quod idẽ eſt) non gaudere immunitate Eccleſiaſtica, tum etiam quia cùm iudex vtitur gladio materiali ad pœnam mortis, certè non imperat per iuriſdictionem ſpiritualem, ſed per temporalem, quia ſpiritualis non extenditur ad huiuſmodi pœnam, niſi permiſsiuè, vt ſic dicam. Quapropter non ſe gerit tunc vt cauſa per ſe influens (vt ita rem explicem) ſed vt remouens prohibens, vtique auferendo priuilegium, & tollendo pro illo caſu præceptum prohibens, laicum iudicare clericum; ergo ſignum eſt, illud non eſſe iuris diuini.

Euaſio quædam refellitur.

8. Denique ſimilis confirmatio ſumi poteſt ex eo, quòd ſi hæc exemptio eſſet de iure diuino, eſſet æqualis in omnibus clericis, quia ius diuinum naturale nihil inter eos diſtinguit; non eſt autem ita, quia in primis clerici coniugati non ita gaudent hoc priuilegio ſicut alij, vt conſtat ex iure. Item clerici minores, licèt coniugati non ſint, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeant vel tonſuram, & habitum clericalem deferant, non gaudent priuilegio fori. Deinde licèt clericus cõueniri non poſsit coram iudice laico, poteſt tamen reconueniri ſaltem in cauſa ciuili, licèt non in criminali, vt ex iure notat Syluester verb. *Iudex*. n. 4. Item in cauſa feudi nõ ſeruatur exemptio, & in nonnullis alijs caſibus, & præſertim ſolet in iure excipi, niſi conſenſus Prælati accedat, cap. 2. de Iudicijs; ergo non eſt vniformitas, neque æqualitas in hac exemptione. Quòd ſi quis dicat, attento iure diuino ſolo, vniformem eſſe exemptionem de omnibus, & pro omnibus, varietatem autem illam eſſe humano iure inductam. Contra hoc facit, quia hoc videtur ſignum ſufficiens, ipſam immunitatem abſolutè non eſſe de iure diuino, aliàs non poſſet iure humano ita variari. Sicut nos colligimus, iuriſdictionem Epiſcoporum non eſſe immediatè de iure diuino, quia per hominem limitari, ampliari, & variari poteſt.

Tertia confirmatio. *Cap. vnic. de Cleric. coniug. in 6.* *Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 6 de Reform.* *Syluest.* *Cap. 2. de Iudicijs.* Euaſio. Impugnatur.

9. Nihilominus eſt ſecunda ſententia, A quæ ſimpliciter affirmat, exemptionem clericorum eſſe de iure diuino, quæ ſatis communis eſt, authores tamen eius ferè non declarant, an de iure diuino poſitiuo, vel naturali loquantur: plures tamen eorum de iure naturali loqui videntur, quantum ex rationibus, & allegationibus eorum colligi poteſt, quamuis nonnulli aliquid etiam de iure poſitiuo diuino attingant. Ita ergo poteſt pro hac ſententia in primis allegari Gloſſa in cap. *Si Imperator*, verb. *Et diſcuti*. 96. diſtinct. quæ apertè dicit, conſtitutiones Eccleſiæ B eximentes clericos à foro ſeculari, eſſe declarationes iuris diuini, quo talis exemptio illis conceſſa eſt ante omnem conſtitutionem Eccleſiæ. Non tamen declarat illa Gloſſa, quale ſit illud ius diuinum, nec etiam expreſſè loquitur de exemptione in cauſis temporalibus. Poſſetq; intelligi de cauſis Eccleſiaſticis, de quibus textus ipſe maximè loqui videtur. In eandem ſententiam inclinat Gloſſa in capite *Quanquam*, verb. *Diuiſio*, de Cenſib. in 6. vbi etiam textus fauet, dum ait, Eccleſias, & Sacerdotes non ſolùm humano, ſed etiam diuino iure à iugo tributorum temporalium eſſe exemptos. C Quæ duæ Gloſſæ communiter in illis locis receptæ ſunt, vt latè cum alijs multis Doctoribus refert Couarruuias ſuprà citatus. Hanc item ſententiam non improbat Innocent. in capite 2. de Maiorit. & obedient. Tenet Rota in titul. de Conſuet. deciſ. 3. & 10. in Antiquis, Abbas in capite *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. num. 6. vbi Felinus num. etiam 6. plures alios allegat, & expreſſiùs declarat, contra rationem naturalem eſſe, vt clerici iudicentur à laicis. Quod latiùs declarat Rebuff. alios referens in D Concordat. titul. vltim. Idemque tenet Nauarr. in cap. *Nouit*, de Iudic. notab. 6. n. 30. ſaltem quoad exemptionẽ in criminalibus cauſis, de quibus idẽ ſentit, quod de exẽptione in ſpiritualibus, licèt de ciuilibus aliter ſẽtiat. Ex Theologis tenet Almain. de Poteſt. Eccleſiaſt. c. 8. vbi cẽſuit hanc opinionem probabiliorem, & refert quendam Carlerium in tract. contra Bohemos, qui illam defendit. Eam etiam tenet Bellarminus in libro primo de Cleric. cap. 28. propoſit. 5. & cap. 29. & latiùs in diſp. ſpeciali tom. 2. in fine, & tan-

Secunda ſententia affirmans. *Gloſſa.* *Gloſſa.* *Couar.* *Innocent.* *Rota.* *Abbas.* *Felin.* *Rebuff.* *Nauar.* *Almain.* *Bellarm.*

tandem in lib. Recogni. circa eadem loca, & circa lib. 2. de Pontiſ. cap. 29. Tenet etiam Iulius Clar. referens alios lib. 5. ſ. fin. q. 36. Cened. collect. 37. & indicat Syluest. verb. *Immunitas.* 1, q. 4. & Angel. eodem verb. n. 33.

Iul. Clar. *Cened.* *Syluest.* *Angel.*

10. Fundaméta huius ſentétiæ ad tria capita reducuntur.

Fundamenta huius ſententiæ, quædã generalia ſunt, & ab vtroque iure diuino poſitiuo, vel naturali abſtrahentia; alia ius naturale attingunt; alia verò poſitiuum. In primo ordine ponimus iura canonica, quæ hoc ſignificant, in quo ordine allegari ſolent multa iura, quæ ſuprà in cap. 2. retuli, ſed illa omitto, quia loquuntur de exemptione in cauſis ſpiritualibus, & ideô ad exemptionem in tẽporalibus in rigore extendi non poſsũt. Afferuntur etiam multa, quæ in fine capitis tertij adduxi, quæ ſimiliter prætermitto, quia licèt affirment exemptionẽ in temporalibus, de origine eius nihil dicunt; quomodo autem induci poſsint, infrà declarabo. Ex antiquis ergo decretis ſolum inuenio cap. *Relatum.* 11. queſt. 1. quod eſt Alexandri Papæ epiſt. 1. quod pro hac parte induci poteſt, quatenus cõtra violatores immunitatis perſonarum Eccleſiaſticarum ita concludit: *Taliter præuaricãtes præuaricati ſunt in Deum ſuũ, & non obediunt præceptis eius.* Secundò facit textus Concilij Lateranen. ſub Innocent. III. in cap. *Nimis,* de Iur. iuran. quod ſic habet: *Nimis de iure diuino quidam laici vſurpare nituntur, cum viros Eccleſiaſticos nihil temporale obtinentes ab eis ad præſtandum ſibi fidelitatis iuramenta cõpellunt.*

Iura immunitatem eſſe de iure diuino abſolutè aſtruentia.

Cap. *Relatum.* 11. *q.* 1.

Cap. *Nimis, de Iur. iur.*

11.

Cap. *Quanquã, de Cenſib. in* 6.

Tertiò facit cap. *Quanquam*, de Cenſib. in 6. quatenus dicit: *Eccleſiæ, Eccleſiaſticæq́; perſonæ, ac res ipſarum non ſolum iure humano, quinimo, & diuino à ſeculariũ perſonarũ exactionibus ſunt immunes.* Vbi licèt ſit ſermo de exemptione à tributis, inde ſumitur argumentum ad priuilegium fori, vel à paritate rationis, vel quia Palus ad Roman. 13. dixit, *Non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt; vindex in iram ei, qui male agit.* Et ſubdit inferiùs: *Ideo enim, & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes*, ſignificans illa duo eſſe coniuncta, ius regendi temporaliter, & ius exigendi tributum, & conſequenter ê conuerſo inferri poſſe, ſi ius diuinum

Rom. 13.

A exemit clericos à tributis etiam à ciuili ſubiectione eos exemiſſe. Quartò induci poſſunt cap. *Continua.* 11. quæſt. 1. & cap. *Futuram.* 12. quæſtione 1. quatenus in eis referuntur verba Conſtantini Imperatoris, quæ in Concilio Nicæno Epiſcopis dixit: *Vos à nemine iudicari poteſtis, ſed iudicio Dei reſeruamini*: nam ex vi iuris diuini loquutus videtur, cùm eo tempore nondum eſſet ius humanum in hac parte ſatis ſtabilitum.

Cap. *Continua.* 11. *q.* 1. Cap. *Futuram.* 12. *q.* 1.

Quintò ex recentioribus Concilijs generalibus eſt optimum teſtimonium 12.
B Concilij Lateranenſis ſub Leone X. in ſeſsione nona in Bulla reformationis curiæ dicentis: *Cùm à iure tam diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, & cætera.* Nam ſi ab aliquo iure laici non habent poteſtatem in clericos, profectò illam non habent, quia ſine iuſto titulo, & in aliquo iure fundato illam habere non poſſunt; ergo ſicut laici, quantum eſt ex vi iuris diuini hac carent poteſtate, ita clerici ex vi eiuſdem iuris diuini ſunt exempti, quia nemo ſubditus eſt poteſtate carenti. Sextò hoc valde confirmat Cõcilium Tridentinum ſeſsione 25. capite
C 20. de Reformatione dicens: *Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus conſtitutam.* Illud autem dicitur eſſe de iure diuino, quod Dei ordinatione ſtatutum eſt. Tandem ad idem faciunt verba Concilij Colonien. 1. part. cap. 20. dicentis, hanc immunitatem eſſe *vetuſtiſsimam iure pariter diuino, ac humano introductam.*

Concil. Lateran.

Cõc. Trid.

Concil. Colonien. 1.

In ſecundo ordine ponenda ſunt ea fundamenta, quæ hoc eſſe ius diuinum naturale ſuadent. Et quãuis, vt dixi, hoc ius non ſit purê naturalis ordinis, ſed per
D connaturalitatem ad ſacerdotium ſupernaturale, nihilominus ab ipſa pura natura magnum indicium, & quaſi à fortiori argumentum ſumitur. Nam inter infideles, ſui qualeſcunque Sacerdotes quaſi ductu naturalis luminis ab oneribus laicorum erant exempti; ergo multò magis hæc exemptio erit de iure diuino naturali in lege gratiæ. Quo argumento ferè vtitur Pontifex in capite *Non minus*, de Immunitate Eccleſiarum, adducens exemplum Pharaonis,

13. Fundaméta immunitatem iuri naturali tribuentia.

Cap. *Non minus, de Immunit. Eccleſia.*

raonis, *qui*, vt ait, *legis diuinæ notitiam non habebat, & nihilominus, omnibus alijs ſeruituti ſubiectis, ſacerdotes, & poſſeſsiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtrauit*, Geneſ. 47. & ſimile eſt factum Artaxerxis, qui Sacerdotes, Leuitas, & alios miniſtros domus Dei à vectigalibus, tributis, & annonis liberos fecit. 1. Eſdræ. 7. Denique Anacletus Papa epiſt. 2. ad hoc inducit illud Zachar. 2. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*. Cui conſonat illud Pſal. 104. *Nolite tangere chriſtos meos*, id eſt Sacerdotes. Nam in his verbis declaratur peculiaris reuerentia, quæ Sacerdotibus debetur ex dictamine iuris naturalis, quia ſunt peculiariter Deo dicati, & coniuncti, iuxta illud Numeror. 3. *Eruntq́; Leuitæ mei*, & cap. 18. dicuntur traditi *in donum Domino*, & ideò Ioſue. 13. Dominus dicitur poſſeſsio Leuiticæ tribus. Sicut ergo naturalis ratio dictat, Sacerdotes eſſe peculiariter venerandos, ita etiam dictat, non eſſe ſubijciendos ſecularibus iudicijs.

Gen. 47. — 1. Eſdr. 7. — Anaclet. Papa. — Pſal. 104. — Numer. 3. — Ioſue. 3.

14\. *Ratio pro hac parte.*

Hoc autem argumenti genus maiorẽ profectò vim habet in ſtatu clericorũ legis gratiæ, quia excellentiori modo ſunt Deo conſecrati. Vnde in hunc modum argumentari poſſumus, Perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt ſpeciali conſecratione Deo dicatæ, & ſacræ effectæ; ergo ex iure naturæ debetur illis peculiaris reuerentia ad religionem pertinens; ergo etiam exemptio talium perſonarum à iugo ſecularis poteſtatis eſt quaſi connaturalis, ſeu iure naturę debita ſtatui talium perſonarum, prężertim quoad cauſas criminales, & perſonales earum. Sicut vas aureum, & argenteum, quod ex ſe poſſet licitè communi vſui deſeruire, eo ipſo quòd conſecratum eſt in calicem, ex natura rei manet liberum, & immune à tali vſu; nec poteſt ſine ſacrilegio ad illum transferri, iuxta regulam. 51. de Regul. iur. in 6. *Semel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos transferendum*, cum ſimilibus. Sic ergo videtur dicendum de perſona, quæ Deo conſecrata eſt reſpectu ſubiectionis ad tribunal ſeculare. Quia non poſſet vſus talis ſubiectionis non cedere in magnam irreuerentiam talium perſonarum, & totius Eccleſiaſtici ſtatus.

Res conſecratæ non poſſunt ſine ſacrilegio ad prophanos vſus transferri.

A Confirmant Iuriſtæ rationem hanc primò, quia Sacerdos ex vi ſui ſtatus eſt ſuperior laico. diſtin. 96. cap. *Duo ſunt*. ſed ex natura rei inferior debet honorẽ ſuperiori; ergo & laicus clerico. Contra hunc autem honorem clericis debitum fit, ſi in iudicium ſeculare vocentur, & ex natura rei id redundat in vilipendiũ, & ignominiam Eccleſiaſticæ dignitatis, & præbet occaſionem vulgari populo contemnendi clerum; ergo ex talium perſonarum ſtatu ex natura rei ſequitur talis exemptio. Quam rationem optimè B declarant, & confirmant verba Concilij Matiſconen. 2. cap. 9. vbi improbans violentias ſecularium iudicum contra clericos, rationẽ hanc ſubdit. *Nefas eſt enim, vt illius manibus Epiſcopus, aut iuſsione de Eccleſia trahatur, pro quo ſemper Deum exorat, & cui inuocato nomine Domini, ad ſaluationem corporis, animæque Euchariſtiam ſæpe porrexit*. Ponderandum eſt enim, quòd ad probandum id eſſe *nefas*, non poſitiuam legem, ſed dignitatem ſacerdotalem, & rationem in illa fundatam adducit. Secundò confirmatur, quia contra rationem eſt, vt inferior iudicet ſuperiorem C cap. *Cum inferior*, & cap. *Solitæ*, de Maiorit. & obedient. & ideò nulla conſuetudine introduci poteſt, vt inferior acquirat iuriſdictionem in ſuperiorem, vt Doctores colligunt ex cap. *Inferior*. diſt. 21. Eſt ergo naturali rationi contrarium, vt laicus inferior Sacerdotem ſe ſuperiorem iudicet. Quod rectè confirmant verba Gregorij VII. lib. 8. epiſt. 21. quæ retulit Gratian. diſt. 96. cap. 9. *Quis dubitet, Sacerdotes Chriſti, Regum, & Principum, omniumq́; fidelium patres, & magiſtros cenſeri. Non ne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & D iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubijcere; à quo credit, non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe, & ſolui?* Denique addunt Felinus, & Rebuff. contra rationem eſſe, vt aliquis feratur ad tribunal ſuſpectum odij, & inimicitiarum; ſed laici ordinariè ſunt infeſti clericis, cap. *Laicos*. 2. q. 7. cap. *Clericos*, de Immunit. Eccleſiæ in 6. ergo.

15\. Prima confirmatio. — *Conc. Matiſcon.* — Secunda cõfirmatio. — Cap. *Cum inferior.* & cap. *Solitæ de Maiori. & obed.* — Cap. *Inferior. d. 21.* — *Gregor. 7. Gratian.* — Cap. *Laicos. 2. q. 7.* Cap. *Clericos. de Immunit. Eccleſi. in 6*

Vltimo loco adducuntur fundamenta, quæ ſuadeant, exemptionem hanc eſſe de iure diuino poſitiuo, quæ tria potiſsi- 16.

Fundamenta exemptionem iuri diuino poſitiuo aſcribentia.

Matt. 17.

Hieron.

t'ſsima ſunt. Prius ſumitur ex verbis Chriſti iam tractatis Matt.17.*Ergo liberi ſunt filij*, vbi ſub filijs comprehendi clericos tanquam familiares Chriſti,indicat Hieronymus ibi,dicens: *Ille pro nobis,& crucem ſuſtinuit,& tributa reddidit, nos pro illius amore tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus*; ſub illo enim pronomine *Nos*,ſe,& alios presbyteros, ſeu clericos ſolos comprehendere videtur,quia non eſt veriſimile, loqui de omnibus Chriſtianis. Eademq; expoſitio tribui ſolet Auguſtino lib. 1. Quæſtionum Euangelicar.q.23. quatenus ex dictis verbis infert,*in quolibet regno terreno liberos eſſe filios ſummi Regis,ſub quo ſunt omnia regna terrena*; nam per filios ſummi Regis non potuit intelligere omnes iuſtos, & ideò veriſimile eſt, intellexiſſe Epiſcopos,presbyteros,& clericos, eo quod tales præſunt in regno Dei tanquam Regis filij, vt expoſuit Caietanus Matth. 17. Sed hæc re vera non fuit mens illorum Patrum, vt in ſuperioribus dixi, neque habet fundamentũ in verbis Chriſti, & ideò aliter verba illa inducuntur per quandam extenſionem. Nam filij Regum ita ſunt liberi,vt etiam familiæ eorum cum eis eximantur, clerici autẽ peculiari modo ſunt familiares Dei, & Saluatoris, vt dixit Theleſphorus Papa in epiſt. ad omnes fideles; ergo Chriſtus in illis verbis ſecum illos comprehendit, & ſub Petro, quando illi dixit: *Da eis pro me, & pro te*, quia Petrus vicem totius Eccleſiaſtici ſtatus tunc gerebat, vt indicauit Auguſtin.ſerm.6. de Verb. Apoſtoli.

Auguſt.

Caiet.

Clerici non tanquam filij, ſed tanquam Chriſti familiares ſunt exẽpti.

Teleſphor.

Auguſt.

17. Obiectio.

Dices, hanc extenſionem non contineri in verbis Chriſti,neque pręceptum aliquod vel inſtitutionem, quæ iuris diuini eſſe poſsit,ibi traditã eſſe. Neq; etiã exemptionem familiæ cum filio naturali eſſe fundatam in aliquo iure naturali, ſed in quadam congruentia, & vſu humano,& ideò non poſſe inde ſatis inferri dictam diuinam inſtitutionem. Reſpondent verum eſſe, Chriſtum non dixiſſe apertè, familiam eſſe liberam cum filijs, neque etiam ſequi per neceſſariã, & euidentem conſequutionẽ, propterea enim prædicta ſententia quoad hanc partem nec de fide eſt, nec omnino certa. Nihilominus tamen veriſimillimum eſt, ex- A tenſionem illam eſſe de mente Chriſti, tum quia argumentatur à fortiori à filijs naturalibus hominũ ad ſe ipſum, & ideò ſi in alijs filijs priuilegium extenditur ad familiam, excellentiori modo extendi debet ad familiam Chriſti, quia & eius priuilegium ratione tantæ dignitatis maius eſſe debet, & eius familia nobilior,& excellentior eſt,tum etiam quia licèt cõiunctio familiæ in exemptione non videtur neceſſaria in rigore iuris, ſeu conſecutionis naturalis; eſt tamen valde cõſentanea rationi, per ſe autem credibile B eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe priuilegium exemptionis optimo modo, magisque rationi conſentaneo.

Reſponſio.

Accedit altera probatio ex traditione 18.
Eccleſiæ, quando enim traditio eſt conſtans,ac perpetua, oſtendere ſolet ius diuinum, præſertim quando non apparet ratio illam tribuendi Apoſtolicæ inſtitutioni; talis autem eſſe videtur traditio huius exemptionis; eſt enim adeò antiqua, vt nullum eius agnoſcatur initium; nam pro temporum opportunitate ſemper obſeruata eſt, pręcipuè verò poſt tẽpora Chriſtianorum Imperatorum, vt C cap. 12. latiùs videbimus. Sub Imperatoribus autem ethnicis non potuit quidẽ executioni mandari reſpectu Magiſtratuum infidelium, qui Eccleſię non parebant,quod ad factum pertinet,ius autem Eccleſiæ non defuit; cuius ſignum eſt, quia ſemper Prælati Eccleſiaſtici hoc ius immunitatis obſeruari fecerunt, quantũ inter ipſos fideles fieri poterat. Et hoc oſtendunt antiqui canones in fine capitis 3.allegati, qui nunquam referunt hãc conſuetudinem in aliquam inſtitutionẽ Apoſtolicam, ſed tanquàm diuinam illã venerantur,& obſeruari ſtudent.His er- D go modis videtur vtraque ex his opinionibus probabiliter fundata.

Corroboratur hęc pars ex traditione Eccleſię.

CAPVT IX.

Priuilegium fori clericorum iure diuino, & humano eſſe fundatum,& quomodo id intelligendum ſit.

Reſolutio certa, & indubitata in hac materia eſt, clericos eſſe exemptos à poteſtate ciuili *iure diuino pariter,& humano*: nã his ferê verbis hoc 1.

1. Concluſio.

hoc docent iura canonica ſupra relata, & ſacra Concilia præſertim Lateranẽſe ſub Innoc. 3. & aliud ſub Leone. X. Tridentinum, & Colonienſe, quæ ſupra citaui. Vnde neceſſe eſt, vt authores omnes pro vtraque opinione allegati in capite præcedenti in hac generali reſolutione conſentiant. Quam etiam probant vtriuſq; ſententiæ fundamenta, nam re vera probant, hoc priuilegium eſſe aliquomodo in vtroq; iure fundatum. Quomodo autem hoc intelligendum ſit, id eſt, quid in hoc negotio ſit ſingulis iuribus tribuendum, explicandum pro viribus eſt, & inde etiam conſtabit, quæ ſit diuerſitas inter prędictas ſentẽtias, vel an ad cõcordiã redigi poſsint. Quoniam verò ius humanũ duplex eſt, ſcilicet, ciuile, & canonicũ & de illis in capitibus vndecimo, & duodecimo ex profeſſo dicendũ eſt, ideò nũc breuiter ſuppono, hanc exemptionẽ non dependere per ſe ex iure ciuili, quia de ſe illud antecedit, eſſe tamen ab illo, vel tanquam à continente, & approbante, vel tanquam à donante, quantum eſt ex parte ſua, ſeu ſi opus ſit, vel tanquam à prę-cipiente iudicibus laicis, vt immunitatem Clericorum obſeruent. De iure autem canonico certum eſt, & ſatis probatum, præcipere huius immunitatis obſeruantiam. An verò hoc præcipiat conferendo illam, vel ſolùm declarando, quãDeus contulit, & obſeruari voluit, pendet ex modo, quo talis iuriſdictio eſſe poteſt à iure diuino, & ideo ſimul explicabitur. An verò ſolum ius canonicũ per ſe ſufficeret, ad hoc priuilegium conferendum, etiam ſi nec à Deo ipſo datum eſſet, nec ius ciuile cooperaretur, ſed potius reſiſteret, in capite vndecimo videbimus.

Ius humanũ duplex.

Exemptio hæc per ſe non pendet à iure ciuili

2. Prima poſitæ aſſertionis explicatio.

Prima ergo explicatio reſolutionis poſitæ eſſe poteſt, vt per ius humanum intelligatur ius ciuile, per diuinum autem, ius cauonicum, quod interdum diuinum appellatur, quatenus & poteſtate diuina, & ſupernaturaliter collata latum eſt, & quia de rebus diuinis, & ad bonum animæ pertinentibus potiſsimè diſponit, & in dictis, vel exemplis Scripturę frequẽter fundatur. Et ſic expoſuit ius diuinũ in præſenti materia Hoſtienſis in cap. *Nimis*, de Iur. iurand. ita interpretando caput illud, quem ſequutus eſt Salmeron dicto tract. 37. ita exponendo cap. *Quam*, de Cenſib. in 6. Et iuxta hanc expoſitionem omnino reijcitur ſecũda ſententia præcedenti capite tractata, ideo enim per ius diuinum allegati authores in dictis iuribus canonicum interpretantur, vt defendat hanc exemptionẽ nullo modo eſſe à iure diuino proprio, id eſt, quod à Deo ipſo immediatè originem trahit.

Hoſtienſ. *Salmeron.*

3. *Panorm.* Probatur prædicta expoſitio.

Ab hac verò ſententia recedit Panormit. in d. cap *Nimis*, in fine. Et ſanè meritò. Tum quia valde impropriè ius merè canonicum diuinum appellatur, raroque aut nunquam vſus ille in ipſomet iure canonico inuenitur. Tum quòd licèt in vno, vel altero loco poſſet illa interpretatio permitti, præſertim ſi aliæ circunſtantiæ iuuarent, nihilominus quando tot iura, & Concilia in iure diuino aſſerẽdo conueniunt, valde violenta eſt, incredibilis illa interpretatio. Accedit, quòd Concilium Tridentinum fortaſſe ad excludendam illam verbi æquiuocationem, ſeu abuſionem expreſsè diſtinxit inter ius canonicum, & diuinum, dicens, perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, *Dei ordinatione, & canonicis ſanctionibus* eſſe conſtitutam. Quid enim ſunt *canonicæ ſanctiones*, niſi ius canonicum? illæ autem ſanctiones etiam ſunt ex ordinatione diuina, medijs Paſtoribus Eccleſię; ergo diſtinguũtur ab illa ordinatione diuina, quę eſt immediate à Deo: hoc autem eſt ius diuinum proprium; ergo de illo loquitur Concilium, & tacitè cętera iura de eodem interpretatur. Cõcilium etiam Lateranenſe ſub Leone. X. cùm ait, nec diuino, nec humano iure poteſtatem aliquam eſſe datam laicis in clericos; neceſſe eſt, vt de diuino iure proprio loquatur, aliàs non ſatis probaſſet, laicos non habere huiuſmodi poteſtatẽ, quia poſſet quis dicere, habere illam proprio iure naturali, & diuino, vt hæretici contendunt. Sit ergo certum, aſſertionẽ, ſeu reſolutionem propoſitam intelligendam eſſe de iure diuino proprio, ſeu immediato, & ſub humano canonicum præſertim comprehendi, licèt non excludatur ciuile, quia Concilia hoc apertè aſſerunt, neque poſſunt aliter commodè explicari, quod ſatis eſt, vt ſimpliciter ſit cõfitendum ita eſſe, quamuis in declarando modo, quo ius diuinum ad conferendum

Cõc. Trid.

Cõc. Late.

Aſſertio de iure diuino proprio intelligẽda eſt.

dum hoc priuilegium concurrit, poſsit ſalua fide eſſe inter Catholicos controuerſia,& varietas.

4. Secunda eiuſdem aſſertionis declaratio.

Secũda ergo declaratio aſſertionis eſſe poteſt, priuilegium exemptionis partim eſſe de iure diuino proximè, ac propriè, partim eſſe de iure canonico inſtitutum. Nam iure diuino duobus modis exiſtit, primò quia ab ipſo Chriſto immediatè datum eſt Pontifici, ſecundò quia illi data eſt poteſtas,& præceptum diuinũ cõmunicandi priuilegiũ illud toti clericali ſtatui. Iure autem canonico quaſi completum, & executioni mãdatum eſt hoc priuilegium; in particulari, ac definito modo illud conferendo ſingulis clericorum ordinibus ſub Pontifice ſummo cõtentis,& ita per hoc ius canonicum quaſi determinatum, & executioni mandatũ eſt generale pręceptum diuinum eximẽdi clericos à iuriſdictione ſeculari; quod hæc opinio eſſe ſupponit,& per illud maximè à præcedenti differt. Poteſt autem intelligi tale præceptum eſſe vel poſitiui iuris diuini, vel naturalis. Priori modò, vel intelligitur eſſe contentum ſub illo generali præcepto dato Petro, *Paſce oues meas*, vtique ſingulas iuxta earum ſtatũ, & conditionem; vel dicitur diuinũ, quia per imitationem,& ſimilitudinem ex teſtimonijs,& exemplis veteris teſtamenti ſumptum eſt. Sicut præceptum decimarũ dici ſolet ex iure diuino manaſſe, vt in capit. *Tua nobis*.2. & cap. *Decimas*. 2, de Decim. Et ideo ſicut decimarũ pręceptum quoad cottam iure canonico cõpletum eſt, ita & hoc exemptionis priuilegium. Maximè verô cenſeri poteſt illud præceptũ iuris diuini naturalis, quia ſuppoſita diuina inſtitutione clericalis ordinis, ex principijs naturalibus deducitur per illationem vel euidentem, vel ita neceſſariam moraliter, vt eã ob cauſam obligetur ſupremus Eccleſiæ Pręlatus priuilegium illud inferioribus clericis communicare,& ſub certa lege, & modo illud conſtituere.

Bellar. lib. 2 de Cleri. c. 28. 29. & 30.

5. Hæc declaratio amplius elucidatur.

Vt autem fundamentum huius declarationis, ſeu ſententiæ intelligatur, quatuor aſſertiones in ea diſtingui poſsunt. Prima eſt, iure canonico præceptũ eſſe, vt clerici ſint exempti: & hęc pars veriſſima eſt, abſtrahendo pro nunc à modo talis præcepti,& ita aſſertio in ſuperioribus probata eſt, & in capite ſequenti amplius confirmabitur. Secundo ſupponit hæc opinio eſſe in Eccleſia poteſtatem ad dandam clericis hanc exemptionẽ, etiã data hypotheſi, quòd iure diuino id factum non eſſet. Et hoc etiam facilè concedi poteſt, de quo in vndecimo cap. dicemus. Tertiò affirmat hęc ſentẽtia, exemptionem hanc eſſe iure diuino pręceptam, quod omnino verũ eſſe cenſemus, non ſolùm de improprio præcepto diuino per imitationem, nec per ſolam moralem deductionẽ ex principijs diuini iuris, quæ per humanam conſtitutionem compleatur, ſed per proprium, & rigoroſum præceptum vel immediatè à Chriſto Domino latum, vel ſaltem media ratione naturali. Ratio eſt quia ſine hac exemptione non poteſt decentia, & dignitas clericalis ſtatus cum debita reuerentia & honeſtate conſeruari; ergo cui Chriſtus illius ſtatus curam cõmiſit, illi certè præcepit, vt clerum à ſeculari poteſtate exemptum haberet, vel conſeruaret, ſiue explicitè hoc ei præcipiendo, ſiue implicitè,& ex vi muneris, quod illi committebat, ex quo per illationem moraliter euidentem talis obligatio colligitur.

A

Exemptio Cleri[illegible] eſt iure diuino præcepta.

B

C

6. Ius diuinũ ſingulis clericis præbere immediatè exẽptionem [illegible] hęc opin[illegible]

Quartò docet hæc ſententia priuilegium hoc non eſſe ſingulis clericis, aut clericorum ordinibus immediatè à Deo datum, ſed ſoli Põtifici, vt per ipſum applicetur, & diſtribuatur reliquis. Et in hoc conuenit hæc ſententia cum prima opinione capite præcedenti relata, & ita eiſdem nititur fundamentis. Præcipuè quia vſus ipſe videtur hoc declarare, quia hæc exemptio non omnibus perſonis, neque in omnibus temporibus, neque in omnibus caſibus eſt ęqualis,& variari amplius poteſt; ergo ſignum eſt non fuiſſe ita diſtributam immediatè iure diuino, ſed fideli diſpenſationi Vicarij Chriſti cõmiſſam. Item quia hoc ſufficit ad ea, quæ canones de hac exemptione docent, & in ſumma reducuntur ad verba Concilij Tridentini dicentis, exemptionem hanc *Dei ordinatione, & Eccleſiaſticis ſanctionibus eſſe conſtitutam*. Nam primum propriiſsimè verificatur propter dictam obligationem,& præceptum iuris diuini, ſecundum autem ratione executionis Eccleſiaſticæ.

D

Primũ fundamentũ.

7.

Et declarari poteſt ex quæſtione ſimili quæ 2. Fundam.

quæ de iuriſdictione Epiſcoporum tractari ſolet. An ſit immediate de iure diuino, vel à Pontifice. Et in ea reſolutio probabilior eſſe ſolet, ius quidem diuinũ immediatè præcipere, vt Eccleſia per Epiſcopos tanquam per ordinarios paſtores, & Principes gubernetur; & quia hoc ſine iuriſdictione facere non poſſunt, ideo eodem iure diuino præceptũ eſſe, vt eis ſufficiens iuriſdictio communicetur, & nihilominus in re ipſa, & in effectu immediatè per Pontificem communicari. Ita ergo de priuilegio exemptionis clericis tribuendo affirmat hęc opinio. Eſt enim ſimilitudo, & proportio non parua: nam ſicut exemptio clericorum in genere eſt de iure diuino, ita Epiſcopale munus eſt de iure diuino, & è conuerſo ſicut iuriſdictio Epiſcoporum non eſt certa, & determinata iure diuino, ſed per Pontificem ampliari, & reſtringi poteſt, ita etiam exemptio non eſt determinata iure diuino pro ſingulis clericis, cauſis, locis, aut temporibus, ſed per Pontifices variari, augeri, & minui poteſt: ergo ſicut iuriſdictio Epiſcoporum, licèt ex præcepto diuino ſit, tamẽ immediatè per Papã cõfertur, vt ab eodem certũ modum, & menſuram recipiat; ita priuilegium hoc immediatè conceſsioni Pontificum relictum eſt, vt per eum certum modum, ac determinationem acciperet, ſine qua non poterat conuenienter actu conferri, ſub obligatione tamen conferendi illud tanquam fidelis diſpenſator, & prudens.

8. Tertium. Et hæc regula generalis eſt in alijs Eccleſiæ obſeruantijs, quę in particulari nõ habent certam determinationem ex diuino iure, licèt in generali habeant neceſſitatem ex iure diuino poſitiuo, vel naturali: talia enim licèt poſsint dici ex diuino iure quoad generalem obligationem, nihilominus quoad inſtitutionem propriam, & particularem ſolent eſſe immediatè ex iure humano. Ita videre licet in cenſuris, quę fundamentũ habent in illo iure diuino: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquã ethnicus; & publicanus*; & nihilominus cenſurę, prout illis vtitur Eccleſia, immediatè ſunt ab illius inſtitutione. Idem conſpici poteſt in multis ritibus, & ceremonijs Eccleſiaſticis: nam ius diuinum generatim pręcipit, ſacramenta, v. g. & ſacrificium decenti modo, & ornatu fieri, quia tamen ipſum diuinum ius immediatè hoc non determinat, in effectu talis inſtitutio Eccleſiaſtica eſt, originem ducens à diuino iure, & ſimilia multa exempla afferri poſſent. Generalis autem ratio eſt, quia ius diuinum immediatè non ſtatuit ea, quę mutationi, & variationi obnoxia ſunt, & quia propria inſtitutio non fit, niſi in particulari, & cũ certo modo, ac menſura.

Tertia declaratio propoſitæ aſſertionis eſt, priuilegium exemptionis clericorum immediatè, & cum omni proprietate eſſe de iure diuino, quia ab ipſo Chriſto nõ ſolùm promiſſum, vel iuſſum, ſed etiam datum, & actu cõceſſum eſt, & nihilominus eſſe etiam de iure canonico declarante ius diuinum, & priuilegiũ hoc conſeruante, vel, prout expedit, moderante. Iuxta quam declarationem refellitur omnino prior ſententia ſuperiori capite tractata, & poſterior in ſenſu maximè proprio, & rigoroſo ſtabilitur: & licèt pauci ex auctoribus pro illa relatis illã ſic declarent, nihilominus multi profecto ita ſenſiſſe videntur, pręſertim Carlerius quem refert, & ſequitur Almainus. Idẽque ſenſit Rebuff. & alij, qui dicũt, clericos iure nunquam fuiſſe ſubiectos Imperatoribus, etiam ethnicis à principio Eccleſiæ, quod etiam ſentit Turrecrem. lib. 2. ſummæ de Eccleſia cap. 96. ad 3. Eſtq; hæc opinio, & declaratio prędictæ aſſertionis valde pia, rationique maxime cõſentanea, ideoque à nobis defendenda, & diligenter explicanda eſt. — 9. Tertia concluſionis expoſitio. — *Turrecre.*

Et in primis licèt admittamus hoc priuilegium eſſe à Chriſto immediatè datũ clericis, nihilominus non negamus, quin ſubordinatum fuerit Petro, & ſucceſſoribus eius quoad modum ſeruandum in vſu eius, tam ex parte perſonarum, quibus applicandum eſt priuilegium, quàm ex parte rerum, cauſarum, vel negotiorum, in quibus talis exemptio ſeruari debet. Hoc enim aliqua ex argumentis factis pro priori ſententia, & alia, quæ ex vſu Eccleſię ſumi poſſunt, manifeſtè cõuincũt. Videmus enim clericum in cauſa ciuili, ſi actoris perſonam gerat contra reum laicum, non eſſe exemptum in tali actione à tribunali laico, ſed teneri ad ſequendum forũ rei. Cur autem hoc ita eſt, niſi quia Eccleſia determinauit, vt exem- — 10. Exemptio clericorum Pontifici, quoad modũ ſubordinatur.

exemptio clericorum intra hos limites contineretur, potuiſſetq; aliter id diſponere, ſi aliter expedire iudicaſſet. Similiter omnes concedunt clericos obligari quoad vim directiuam ad ſeruãdas quaſdam leges, quæ ad communem, & conuenientem ſtatum ciuium ſpectãt: quod non aliunde prouenit, niſi quia Eccleſia ita expedire iudicauit, vt alibi oſtendi. Igitur iſtud priuilegium exemptionis, quod à iure diuino, indifferens, & quaſi generale eſt, ſubeſt quoad determinationem, limitationem, vel ampliationẽ Eccleſiaſticę poteſtati. Neque verò dici poteſt, hæc omnia ſolùm fieri ab Eccleſia per modum declarationis iuris diuini, vel naturalis, quia ſine dubio multa fiunt ex prudẽti arbitrio humano, & ideo diuerſis temporibus mutantur, vt quòd clerici coniugati gaudeant hoc priuilegio in his rebus, & non in illis, & clerici minores cum his circunſtantijs, & non ſine illis; & quòd in tali crimine clericus tradatur brachio ſeculari, & non in alio interdum grauiori. Fiunt ergo hæc nõ tantùm per poteſtatem interpretandi, ſed etiam cõſtituendi ius nouum, & limitandi, vel extendendi antiquum.

Refellitur euaſio quædam.

11. Vt autem explicemus, quomodo hęc duo cohæreant, cùm Eccleſia non habeat poteſtatem ſupra ius diuinum, ſuppono ex tractatu de Legibus, hoc nomen *ius* interdum ſignificare propriam legẽ, ſeu præceptum; aliquando verò, & ſatis propriè, ac frequenter ſignificare facultatem vtendi, vel (vt ita dicam) quaſi ius facti, ſicut diſtinguuntur iura ſeruitutis; vel ius in re, & ad rem, & ſimilia. His ergo duobus modis poteſt etiam in præſenti ius diuinum accipi. Nam priuilegiũ ipſum exemptionis quatenus eſt libertas quædam à ſubiectione alterius, eſt facultas quædam moralis ad non parendum tali poteſtati; vel liberè operandi ſine reſpectu, vel impedimento illius: hæc ergo facultas à Deo ipſo data dicitur ius diuinum, non tanquam præceptum, ſed tanquam Dei donum. Sicut libertas à ſeruitute, quæ homini eſt naturalis dicitur optimè in hoc ſenſu eſſe de iure diuino naturali. Poſito autem tali priuilegio ſequitur etiam Lex diuina pręcipiens, vt habenti tale priuilegium non fiat vis, nec coactio, ſed immunitas illi data ſeruetur, & ita interuenit etiam in tali exemptione ius diuinum præcipiens, contra quod fit exemptionem clericorum violando.

Quomodo inſtitutio diuina cum depẽdentia exemptionis a Pontifice ſubſiſtat.

12. Ex hoc autem duplici iure illud, quod in facultate generali cõſiſtit, & eſt veluti quoddam donum, quod propriè dicitur priuilegium, hoc, inquam, licet diuinum ſit, id eſt, à Deo datum, amiſsibile, ſeu mutabile eſſe poteſt ex iuſtis cauſis; ſicut vita ipſa, & corporis membra, & ius libertatis naturalis à Deo donata ſunt, & de iure naturę eſſe dicũtur: & nihilominus ex iuſta cauſa auferri, vel minui poſſunt per poteſtatem humanam, quam intelligimus à Deo eſſe conceſſam, quia cõmuni bono reipublicæ humanę ita expediebat. Sic ergo intelligi debet, quamuis priuilegium exemptionis à Deo ipſo fuerit clericis datum, nihilominus ex iuſta cauſa, & per legitimã poteſtatem minui poſſe vel auferri, quia cõmuni bono Eccleſiæ ita erat neceſſarium. Vnde conſequẽter fit, vt aliud ius diuinum pręcipiens obſeruantiam talis priuilegij, non contineat abſolutam prohibitionem, ne tale priuilegium minui, vel auferri poſsit, ſed ne id fiat ſine legitima poteſtate, & iuſta cauſa, ſicut dicimus de libertate naturali.

Eſt autem illa poteſtas ſolũ in Pontifice, quia eſt poteſtas ſpiritualis, & ſuper naturalis, & diſpẽſatiua myſteriorũ Dei, & poteſtas ligandi, & ſoluendi, & ſuprema in ſuo ordine. Legitima autem cauſa generatim loquendo, erit, quoties limitatio aliqua, vel priuatio huius exemptionis ad conuenientem Eccleſiæ ordinem, & decentiam aut bonos mores Eccleſiaſtici ſtatus, neceſſaria, vel conueniens iudicabitur, quod iudiciũ prudentiæ illius, cui claues datæ ſunt, etiam eſt cõmiſſum. Sic ergo intelligitur facile, non obſtante varietate, quã in vſu legitimo huius exẽptionis videmus, de iure diuino eſſe potuiſſe, quia per illam varietatem non agitur contra aliquod pręceptum diuinum, neq; in illo diſpenſatur, ſed ipſummet pręceptum includit talem limitationem, vel conditionem accõmodatam tali priuilegio, & conditioni eius, vt explicatũ eſt. Atque hoc modo ſolui facilè poſſunt argumenta, quæ prima ſententia contra hoc diuinum ius directè, & poſitiuè obijciebat.

13. Hoc autem priuilegium ſic declaratũ duo-

duobus modis intelligi poteſt fuiſſe à Chriſto Domino datum ſtatui clericali, ſcilicet, vel quia tali modo Eccleſiam ſuã diuerſoſq; ordines, & actus illius, & modum gubernationis eius inſtituit, vt inde per naturalem, ac neceſſariam cõſecutionem hoc priuilegium ſequatur: vel etiã quia peculiari, & expreſſa voluntate hãc exemptionem clericis conceſſerit. Hic poſterior modus ſatis fit veriſimilis ex verbis Chriſti Matth. 17. prout illa præcedenti capite pro ſecunda ſententia expendimus, adiuncta etiam Eccleſiaſtica traditione, quæ eſt optima verborum, & legum Chriſti interpres. Atque hæc pars ex priori magis confirmabitur: nam ratio, qua ex inſtitutione ipſa Eccleſiæ, & ſtatus clericalis priuilegium hoc deducitur, etiã ſuadet, Chriſtũ in verbis: *Ergo liberi ſunt filij*, totum clericalem ſtatũ voluiſſe comprehendere. Quòd ergo priori ſaltem modo ſit hoc priuilegiũ de iure diuino naturali, ſuppoſita diuina inſtitutione Eccleſiaſtici ſtatus, & totius Eccleſię probatur in hunc modum. Quia clerici tam quoad corpus, quàm quoad animam ſunt Petro ſpecialiter ſubiecti iure diuino Euãgelico; ergo eodem iure ſunt à iuriſdictione Principum ſecularium exempti.

Exemptio hæc duob9 modis potuit à Christo cõcedi.

Matt. 17.

Priuilegiũ exẽptionis eſſe de iure diuino naturali oſtẽditur.

15. *Cap. Duo ſunt. 12. q. 1.*

Aſſumpta propoſitio declaratur ex doctrina D. Hieronymi, quę refertur in cap. *Duo ſunt.* 12. q. 1. vbi duo diſtinguit genera Chriſtianorũ, vnum mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi, vt eſt ſtatus clericorum, & religioſorum: aliud genus eſt Chriſtianorum laicorum, qui licèt generali ratione diuino ſeruitio deſtinati ſint, ſecundum communem viuendi modum temporalibus rebus principaliter intendunt. Cũ ergo Chriſtiani omnes Petro in ſpiritualibus ſint ſubiecti iure diuino, vt libr. 3. oſtenſum eſt, & illa ſubiectio dici poſsit quoad animam, quia tantùm eſt in ſpiritualibus rebus, & ad cultum Dei pertinẽtibus; de clericis dicimus, fuiſſe ſubiectos Petro eodem diuino iure non tantũ quoad animam, ſed etiam quoad corpora. Quod probatur ex dicta doctrina, quia ſpecialiter ſunt dicati, & traditi Deo, & cultui eius nõ ſolum quoad animam, ſed etiam quoad corpora; ergo conſequenter quoad vtrumq; ſunt etiam Petro ſub-

A iecti. Probatur cõſequentia, quia eo ipſo quod clerici ſunt dicati Deo ſecundum corpus, & animum, pertinent vtroq; modo ad ius Dei peculiare: multoque maiori ratione dicendi ſunt traditi in donũ Domino, ac proinde maiori titulo eſſe Dei, quàm Leuitæ, de quibus hæc dicta ſunt Numer. 3. & 18. ergo eo ipſo conſtituti ſunt clerici ſecundum vtramq; rationem ſub propria iuriſdictione Petro vt Chriſti Vicario collata. Nam peculium Chriſti, & quidquid ad peculiare ius eius pertinet, Vicario ſuo tanquam proprio B œconomo, & diſpenſatori commiſit. *Nume. 3. & 18.*

16. *Cõfirmat.* Et confirmatur, nam bona Eccleſiarũ, & res ſacræ iure diuino ſunt commiſſæ Prælatis Eccleſiaſticis, & præſertim Petro quoad curam, & diſpenſationem earum, nimirum, quia pertinent peculiari modo ad dominium Dei, & patrimoniũ Chriſti; ergo eadẽ, & maiori ratione tota gubernatio clericorum tam in his, quę ad corpus, & temporalem vitam, quàm in his, quæ ad animã ſpectant, Petro eſt ſpecialiter per Chriſtum commiſſa. Antecedens expreſsè traditur in Synodo Romana 4. ſub Symmacho. Dicitur enim C non poſſe laicos, etiam religioſos, & potẽtes aliquid quomodolibet de Eccleſiaſticis facultatibus decernere, quarum *ius ſacerdotibus diſponendi indiſcuſsè à Deo cura commiſſa docetur*. Conſequentia verò nõ minùs certa videtur, tum quia magis pertinent ad Chriſtum, & res Eccleſiaſticas perpſonæ ipſæ, quàm Eccleſiaſticæ facultates, tum etiam quia vniuerſa cura diuini cultus eſt ſub iuriſdictione Pétri ex diuino iure, quia immediatè ordinatur ad ſpiritualem finẽ, & hac ratione res omnes, quæ ad cultum Dei dicatæ ſunt, ſimpliciter, & abſolutè ſunt ſub iu- D riſdictione, & adminiſtratione Eccleſiæ, inter quas res Deo dicatas primum locũ tenent perſonæ clericorum, ergo ſimpliciter, & abſolutè, & ſecundum omnem rationẽ iure diuino commiſſę ſunt iuriſdictioni, & diſpoſitioni Petri. *96. d. c. 1.*

17. Hoc ergo poſito, prima conſequentia, nimirum, ſi commiſsi ſunt Petro, conſequenter fuiſſe à iuriſdictione Principum temporalium exemptos, per ſe ſe videtur euidens ex illo Euangelico dogmate. *Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut* *Matth. 6.*

aut vnum ſuſtinebit, & alterum tontemnet. Similis enim impotentia, & moralis repugnantia inuenitur in hoc, quòd clerici ſecundum idem, id eſt, ſecundũ corpus ſint ſubiecti Pontifici, & Regi, quia poſſent interdum contraria præcipere, & neceſſarium eſſet vni obedire, & alterum contemnere. Vt v.g. poſſet Rex præcipere clerico, vt militet, vel alijs actionibus tẽporalibus occupetur, Põtifex autẽ illa prohibere poterit, vel alia repugnantia pręcipere. Item cũ clerici quoad actiones corporis debeant eſſe diuinis miniſterijs addicti, & â ſecularib⁹ negotijs abſtracti, neceſſe eſt, vt à Pontifice habeant regulam & modum viuendi, & operandi, & vtendi etiam temporalibus rebus, vel officijs; ergo non poſſunt eſſe ſimul ſub iuriſdictione Principum temporalium, etiam quoad ea, quæ ad corpus petinent. Sicut vaſa Deo ſacrata eo ipſo, & ex natura rei à prophanis vſibus exempta ſũt, & contractus matrimonij in ſacramentũ conſecratus, eo ipſo in forum Eccleſiaſticum tranſit, & à ſeculari exemptus eſt.

18. Hinc ergo optimè infertur, clericos eſſe exemptos abſolutè à iuriſdictione temporali Principum, quia hæc iuriſdictio præcipuè verſatur circa ſubditos ratione corporum, & conſequenter circa omnia illa, quæ ad conuenientem conſeruationem vitæ corporalis ordinantur, vt in tertio libro latè oſtenſum eſt; ergo ſi clerici ſunt exempti à iuriſdictione Principum etiam ſecundum corpora, profectò ab eorũ iuriſdictione temporali exẽpti ſunt. Vnde etiam concluditur non ſolum eſſe exemptos clericos à poteſtate Principium quoad vim directiuam, vtiq; diſponendo, vel gubernando illos in his, quæ ad actiones præſentis vitæ ſpectãt, ſed etiam quoad vim coactiuam: tũ quia vna ſubiectio non ſeparatur ab alia, nec poteſt rectè conſiſtere ſine alia, & ideo quoad vtranque ſunt Pontifici ſubiecti ex diuino iure, & conſequenter ab alijs exempti: tum etiam quia non minus neceſſaria eſt hęc exemptio ad cultum Dei, & conuenientem vſum rerum cultui diuino dicatarum, quàm alia. Ideoque merito dixit Nicolaus Papa in epiſt. ad Michaelem Imperator. *Hi, quibus tantũ humanis rebus, & non diuinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos diuina miniſtrantur, iudicare præſumant, penitus ignoramus.*

Clerici tam quoad vim directiuam quàm coactiuam ſunt exempti.

Nicol. Papa. 96.d.c.5.

A Et hoc etiam multum confirmant verba illa Concilij Lateran. ſub Leone. X. *A iure tam diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa eſt.* In quibus in primis aduerto de omni potaſtate eſſe ſermonem, ac proinde nõ ſpiritualem tantùm, ſed temporalem comprehendere; imò hanc poſteriorem pręcipuè, quia de altera nulla erat controuerſia. Deinde ſupponit Concilium, laicos non poſſe habere vllam iuriſdictionem in Eccleſiaſticas perſonas, niſi aliquo iure diuino, vel humano ſit illis conceſſum. Cõc. Late.

B Vnde neceſſe eſt, vt vel ſupponat iure naturali laicos illam non habere, vel certe vt ſub iure diuino tam poſitiuum, quàm naturale includat, aliàs diminutè procederet, & nihil concluderet. Ergo intentio Concilij eſt, laicos ex vi iuris diuini non habere talem iuriſdictionem in clericos, quia neque ius diuinum poſitiuum illam tribuit, vt eſt per ſe notum, nec naturale illam permittit, ſed clericos eximit à iuriſdictione laicorũ, eo ipſo quod ſpeciali titulo eos Pontifici ſubiecit. Deniq; aduerto, etiam aliam partem de iure humano de canonico maximè intelligi,

C de quo eſt illa ſententia manifeſta. De ciuili autem nullam rationẽ videtur Cõcilium habuiſſe, quia ſupponit, nõ eſſe poteſtatem in Principibus temporalibus ad tale ius validum conſtituendum, cùm ad hoc ipſum iure diuino poteſtatem non habeant.

His præterea addi poſſunt alia Concilia generalia, & prouincialia ſupra adducta, quę conſtanter docent eſſe hanc exemptionem de iure diuino, quod poteſt, & debet cum proprietate intelligi iuxta materiæ capacitatem. Non dicitur autẽ 19.

Exemptionẽ hanc in omni rigore eſſe de iure diuino.

D propriè de iure diuino, quod immediatè ab Eccleſia ſtatuitur, etiam ſi ex præcepto, vel poteſtate iure diuino datis originem ducat. Sicut poteſtas Regia non eſt, nec propriè dici poteſt eſſe de iure diuino, etiamſi à naturali lege, & poteſtate ducat originem. Et ob eandem rationem nec cæremoniæ Eccleſiaſticæ extra Sacramenta dicuntur eſſe de iure diuino: neque etiam iuriſdictio Epiſcoporũ iuxta opinionem eorum, qui à Pontifice immediatè conferri cenſent. Cùm ergo Cõcilia de hac exemptione tam conſtanter,

&

& abſolute dicãt eſſe de iure diuino, profecto cũ maiori proprietate intelligenda ſunt. Et ſimiliter Cõcil. Trid. ait hac exẽptionẽ eſſe ex ordinatione diuina, rectiſsimẽ intelligitur iuxta cõmunẽ modũ iuriũ, quod ſit ordinata, & conſtituta ab ipſo Deo, & declarata, ac ſtabilita per canonicas ſanctiones. Accedit, quod ipſimet Imperatores, nõ lege quidẽ humana ſeu Eccleſiaſtica, ſed ratione fide illuſtrata ducti, exẽptionẽ hanc recognoſcere potiùs quàm concedere viſi ſunt.

20\. *Carol. Magnus.* Sic Carolus Magn. in ſuo capitulari lib. 6. c. 109. cũ ita ſanxiſſet: *Clerici nõ ſecularibus iudicibus, ſed Epiſcopali audientiæ reſeruentur*, rationẽ declarat dicens, *Fas enim nõ eſt, vt diuini muneris miniſtri tẽporaliũ poteſtatũ ſubdantur arbitrio.* *Iſidor. 5. Etym. c. 12. & c. 1. d. 1.* Eſt autẽ. *Fas*, teſte Iſidoro, lex diuina, quæ & ad Deũ pertinet, & ex quadã naturali æquitate deſcẽdit: tale igitur ſenſit Carolus eſſe ius exẽptionis clericorũ. *Cõc. Matiſcon.* Cui cõſonat, quod in Concil. Matiſcon. 2. cap. 9. *Nefas eſſe* dicitur Epiſcoporũ immunitatẽ violare, quod in can. 10. ad alios clericos extẽditur. Eſtq; attentè ponderandũ, quod in initio illius cap. 9. dicitur, *Reuerendiſsimos canones, atq; ſacratiſsimas leges de Epiſcopali audientia in ipſo pene Chriſtianitatis principio ſententiã protuliſſe.* Loquitur enim Cõciliũ apertiſsimè de audientia quoad temporales, & perſonales cauſas, vt ſtatim explicat, & nõ dicit leges humanas illã introduxiſſe, ſed ꝑ illa ſententiã dediſſe, vtiq; declaratoriã iuris quaſi connaturalis iuriſdictionis Epiſcopalis, & Eccleſiaſticæ exẽptionis. Theodoſius etiã Imperator, *Ambroſ.* vt Ambroſ. epiſt. 32. aliàs lib. 2. epiſt. 13. ad Valentinianũ refert, æquè ſanciuit *in cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis eũ iudicẽ eſſe debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſsimilis. Hoc eſt* (ait Ambroſ.) *ſacerdotes de ſacerdotibus*, quaſi vtrũq; eiuſdẽ iuris diuini ſit. Quod etiã ſenſit Cõſtãtinus in facto, & verbis ſępe repetitis ex *Gregor.* Gregor. li. 4. epiſt. 31. indict. 13. aliàs cap. 75. Ruffin. & alijs eccleſiaſticis hiſtorijs.

21\. *Ex ſacerdotio legis veteris idẽ vlterius cõfirmatur.* His addi poſsũt cõiecturę ex iure legis veteris ſũptę. Nã ſi ſacerdotes, & Leuitę in illa lege erãt à tẽporali poteſtate exẽpti, nemo negabit idẽ dicẽdũ eſſe in leg. noua ex vi diuini iuris ſaltẽ naturalis. Tũ quia hoc pertinet ad maiorẽ perfectionẽ ſacerdotij legis nouę. Tũ etiã quia ſi talis exẽptio in

A populo Iſraelitico inuẽta eſt, nõ fuit certè ex lege aliqua humana, nulla enim talis lex vel in Scripturæ legitur, vel cũ fũdamẽto cogitari poteſt, præſertim cũ huiuſmodi leges eo tẽpore fuerint rariſsimę, quia omnia erãt in ipſa Dei lege minutatim præcepta. Colligebatur ergo ex ipſo ſtatu ſacerdotali, & ex generalib⁹ verbis, quibus Leuitica tribus ad illũ aſsũpta eſt, & donata Deo, & poteſtati Põtificis omnino ſubiecta, & ſubordinata; ergo eodẽ modo colligendũ eſt ſimile ius diuinũ in lege noua. Non quia antiquũ, prout cæremoniale erat, in lege noua obliget, ſed B quia illud antiquũ ius non in vi cęremonialis, ſed in vi moralis ad tale ſacerdotiũ conſequutum fuit. Ergo ſimili modo ex ſuppoſitione melioris ſacerdotij idẽ morale ius diuinũ in lege noua cõſequutum eſt. Quod autẽ illud ius exẽptionis fuerit in lege veteri, ſit valde veriſimile ex modo loquẽdi Scripturæ Numer. 3. *Eruntq; Leuitæ mei*, vtiq; peculiari titulo, & donatione. De qua c. 8. dicitur. *Cũ leuitæ fuerint coram Dño, ponent filij Iſrael manus ſuas ſuper eos, & offeret Aaron debitũ munus in conſpectu Dñi à filijs Iſrael, vt ſeruiãt in miniſterio eius.* Et inſtà. *Conſecrabis leui-* C *tas oblatos Dño, & ſeparabis de medio filiorũ Iſrael, vt ſint mei.* Et infrà. *Quoniã dono donati ſunt mihi à filijs Iſrael.* Et infrà. *Sãctificaui eos mihi, tradidiq; eos dono Aaron, & filijs eius de medio populi, vt ſeruiãt mihi, &c.* Et ſimilia repetũtur c. 18. & ad Aarõ dicitur. *Excubabũt leuitæ ad præcepta tua.*

Exemptio ſacerdotum legis veteris, iuris diuino fuit. *Num. 3.*

22\. Ex his ergo & ſimilibus modis loquẽdi ſatis probabiliter colligitur, ex vi illius ſeparationis, ac deputationis Leuiticę tribus ad miniſteriũ templi fuiſſe exẽptam â iuriſdictione ciuili, quę ex natura rei erat in cõmunitate illius populi. Primò D quia populus abdicãdo à ſe partẽ illã, & donãdo illã Deo, aliqua poteſtate, & quaſi dominio ſe priuauit, & illã in Deũ trãſtulit: hęc autẽ eſſe nõ poterat, niſi poteſtas iuriſdictionis, quia nõ erat alia poteſtas dominatiua in cõmunitate illa reſpectu illi⁹ partis, & cõſequẽter De⁹ acceptãdo donationẽ ſpeciali titulo illud ius ſibi reſeruauit, & Põtifici illi⁹ populi cõmiſit. Secũdo quia ex vi illius ſeparationis immunes facti ſũt ſacerdotes, & Leuitę ab onerib⁹, & munerib⁹ mere ſecularib⁹, & tẽporalib⁹, quę vel poſsẽt Leuitas â miniſterio

Leuitę à tẽporalibꝰ muneribus exẽpti fuerũt. tẽpli diſtrahere,vel eſſẽt incõgrua,&inde cẽtia illi ſtatui. Cuius ſignũ eſt,quod Numer. 1. Quãdo Deus iuſsit populũ numerari, *Numer. 1.* *Leuitæ nõ ſunt numerati cũ eis*,quia dixit Deus Moyſi: Tribum *Ioſeph.* *Leui noli numerare. Quia Leuitæ ſacri erãt*(ait Ioſeph.li.3. Antiq.c.11.) *& immunes à militia*. Et eadẽ ratione ab alijs ſecularibus muneribus *Abulenſ.* & tributis, vt ſenſit etiã Abulẽſ.q.25. in c.1.Numer. dicens tribũ Leui, cũ eſſet deſtinata ad miniſteriũ tabernaculi, non potuiſſe vacare alijs oneribus,&neceſsitatibus populi. Et propterea Leuitæ non acceperunt partem in terra promiſſa,ſed loco illius acceperunt iura Sãctuarij. *Numer.* Numer.18. *Deut. 18.* Deuter.18. Ioſue.13. *Ioſue. 31.* Hinc addit etiam ibidem Abulenſ.nõ fuiſſe numeratos Leuitas cũ reliqua multitudine, quia nõ faciebãt cũ illis vnũ populũ. *Omnes enim*,ait,*decẽ tribus erant vnus populus, & cõmunicabãt cũ omnibus,& diuiſerũt ſibi totam terrã,& vacabant rebus purè ſecularibus: Leuitæ autẽ in nullo conueniebant cũ populo*. Ec hinc etiã tribus Leui quaſi ſeparata eſt ab alijs, & pręter illã ſolent duodecim tribus populi numerari. Sic enim in *Num. 1.* dict.c.1.Numer.cẽſentur duodecim tribus excepta Leui,quia vt notat Ioſephus ſupra, pro Leui inter capita tribum ponitur Manaſſes, & pro Ioſeph ponitur *Geneſ.48.* Ephraim,quos Iacob in adoptationem à Ioſepho impetrauerat,Geneſ.48.

23. Cur Scriptura duodecim tantũ tribꝰ numeret.

Eſtq; conſiderandũ, quòd licèt iuxta dictã cõputationẽ, & adoptionẽ fuerint tredecim tribus,nunquã in Scriptura niſi duodecim numerantur propter numeri perfectionẽ. Obſeruatũ autẽ eſt, quoties tribus numerantur in ordine ad ſpiritualia, numerari Leui,& aut tribus Ephrain, *Geneſ. 49.* *Exod. 28.* & Manaſſe reduci ad vnã Ioſeph. vt Gen. 46.& Exod.28. *Deute. 27* Deuter. 27. vel excludi *Apocal.7* aliquã,vt Apoca.7.omittitur tribus Dan, *Num.1.* propter Antichriſtũ. Cũ verò recẽſentur *Deute.18* tribus in ordine ad ſecularia,vel tẽporalia excludi Leuiticã,& Manaſſẽ,ac Ephraim in duas diſtingui,vt Numer. 1.Deut.18. &c. quia in ordine ad tẽporalia erat tribus Leui quaſi ſeparata ab alijs. Atq; eodẽ modo quando ſub Ieroboam diuiſæ ſunt duodecim tribus,& duæ,ſcilicet Iuda, & Beniamin manſerunt ſub Roboam,& reliquæ decem ad Ieroboam trãſierunt,in *2.Reg. 11* illis non numeratur Leui, vt ex 2.Reg. *2.Parali.* 11.& 2. Paralip.11.apertè ſumitur,quia nimirũ (vt cõiectare licet) illa ad tẽporale regnum non pertinebat. Ex his ergo probabiliter colligitur exemptio ſacerdotalis tribus à iuriſdictione Regum in lege veteri. Et non parũ confirmatur ex auctoritate, & poteſtate præcipiẽdi data Põtifici illius legis Deuter.17. de qua in *Deuter. 17.* ſuperiori lib. dictũ eſt. Multò ergo maiori ratione credi debet talis exẽptio in lege noua diuino iure clericali ſtatui cõceſſa.

Tandẽ reiectis prima ſententia capite pręcedenti relata, & prima declaratione 24. [illegible] aſſertionis catholicę in hoc capite poſita, quę cũ dicta prima opinione coincidit,& cõferẽdo hanc poſtremã declarationẽ cũ ſecunda,quòd hæc poſtrema pręferenda ſit,in hunc mundũ poteſt morali ratione declarari. Cõueniunt enim duę illę declarationes,ſeu ſentẽtiæ,priuilegiũ Eccleſiaſticę ĩmunitatis eſſe ex iure diuino,& humano, cuiꝰ ratio reddi poteſt, quia oportuit tale priuilegiũ eſſe perpetuũ,fixũ,& immobilę,& ideo debuit eſſe de iure diuino,ſimulq; neceſſariũ fuit eſſe aliqua ex parte mutabile,vel variabile,& ideo iuri etiam humano aliquo modo ſubſterni debuit. Cõiunctio autẽ vtriuſq; iuris circa tale priuilegiũ duplici modo cogitari,vel fieri potuit,primo,vt ius diuinũ tantùm remotè tale priuilegiũ cõcedi pręciperet, ius verò humanũ illud cõſtitueret hominũ arbitrio. Secũdo è cõuerſo, vt ius diuinũ illud proximè cõtulerit,cõmiſerit tamen homini,vt illud in particulari moderari, & accõmodare poſſet. At verò ex his duobus modis hic poſterior cõueniẽtior eſt;ergo credẽdũ eſt,iſto modo fuiſſe à Chriſto datũ eccleſię ſuę hoc priuilegiũ.

Declaratur minor ex illis duabus proprietatibus, quæ in hoc priuilegio cõſiderari poſſunt, ſcilicet ſtabilitas, & aliqua varietas: nã prior multò maior erit, & ſecurior, ſi hoc priuilegiũ immediate per ipſum ius diuinum conſtitutum ſit, & conceſſum. Sic enim per nullam humanam poteſtatem ſiue temporalem, ſiue Eccleſiaſticam poterit omnino auferri, quod ad cõſeruationem Eccleſiaſtici ſtatus, & reuerentiam diuino cultui debitam neceſſarium fuit. Item hoc modo nulla vſurpatio, vel præſumpta humana præſcriptio poterit contra hanc immunitatẽ pręualere,quod ad cohibẽdã tẽporaliũ Regũ vim,& ambitionẽ etiã cõuenien-

uenietiſsimũ, ac pene neceſſariũ fuit. Deniq; hoc modo etiã ipſi Paſtores Eccleſię cautiores erunt in mutationibus faciēdis in his priuilegijs, maioriq; titulo poterũt importunis precibus Principũ ſecularium reſiſtere, ne facultates, vel licentias huic priuilegio aliquo modo derogãtes, abſq; grauiſsimis, & vrgētibus cauſis illis cõcedãt. Poſteriori autē parti in vſu huius priuilegij neceſſariæ, nimirũ, vt in particularibus caſibus, vel perſonis interdũ variari vel mutari poſsit, ſufficietiſsimè prouiſũ fuit, ſubordinando priuilegiũ poteſtati Põtificis quoad hãc mutationē, ex cauſa faciendã; ergo hęc fuit cõuenientiſsima inſtitutio. Tertia ergo ſententia, quæ in hunc modum priuilegium hoc declarat, alteri præferenda eſt.

26. Diluuntur ſecundæ declarationis fundaméta.

Ac propterea nõ rectè ęquiparatur hoc priuilegiũ cum alijs obſeruãtijs, vel cęremonijs eccleſiaſticis, quarũ inſtitutio in particulari eſt de iure humano, licèt generale præceptũ illarũ ſit de iure diuino: eſt enim in multis diſsimilis ratio. Primo, quia illarũ inſtitutio per diuinũ ius fieri nõ poterat in genere, abſtrahēdo nimirũ, à particularibꝰ cęremonijs, quia inſtutio eſt actio, ſeu effectio quędã, quæ non poteſt circa genus, ſed circa particularia verſari: pręceptũ autē optimè potuit in generali ferri, cõmittendo arbitrio alterius particularē inſtitutionē, ſeu determinationē. Hanc enim immediatè per diuinũ ius fieri nõ expediebat, nec oportebat, niſi quoad ritus ſubſtãtiales ſacramētorũ & diuini ſacrificij. Exēptio autē optimè potuit abſolute cõcedi per ius diuinũ in generali, ſeu in vniuerſali, vt ita dicã, quia ibi generalitas nõ cõſiſtit in abſtractione à particularibus, ſed in comprehenſione omniũ perſonarũ Eccleſiaſticarũ, & omniũ effectuũ īmunitatis, ſeu totalis libertatis à tēporali iuriſdictione, & ita dicimus de facto eſſe inſtitutã iure diuino, dãdo clericis abſolutã exēptionem ab omni iuriſdictione laicorũ, quã clerici haberēt, etiãſi Eccleſia nihil in hoc diſpoſuiſſet. Secũdo, quia alię cęremonię, vel ritus Eccleſię nõ ſunt tãproxime de dictamine iuris naturalis, neq; ita immediatè cõſequuntur ex aliqua priori inſtitutione diuina, ſicut hęc exēptio, vt ſatis declaratũ eſt. Tertiò quia alij ritus particulares nõ erãt ita neceſſarij ad bonũ regimē Eccleſię, &

A ad ſplendorē, & decentiã religionis ſicut hoc priuilegiũ. Et eadē ratione nõ eſt ſimile exemplũ de iuriſdictione Epiſcoporũ. Quia quòd Epiſcopi recipiãt à Chriſto immediatè iuriſdictionē, nec inuenitur ſcriptũ, aut ſatis inſinuatũ in Scriptura, nec habet neceſſariã connexionē cũ alia priori Chriſti inſtitutione, neq; ita neceſſariũ ad bonũ Eccleſiæ regimen, nec cõueniens erat, vt omnibus, & ſingulis tota ſpiritualis iuriſdictio ſine vlla limitatione daretur, & cũ varietate, & limitatione nõ poterat immediatè à Chriſto ipſo cõ-

B cedi, & idcirco conuenientius fuit, vt Vicario ſuo illã diſtributionem cõmitteret. Pręter quam quod ad maiorē vnionē, & ſubordinationē mēbrorũ cũ capite multò cõuenientius erat, vt in hoc omnes inferiores Epiſcopi à Vicario Chriſti penderēt. In exēptione autē lõgè diuerſa ratio in his omnibꝰ inuenitur, vt declaratũ eſt.

CAPVT. X.

Quomodo ſingulis Clericorum, vel perſonarũ Eccleſiaſticarum ordinibus exēptio Eccleſiaſtica iure diuino conueniat.

C VT veritas in ſuperiori cap. cõfirmata magis eluceſcat, operępretiũ viſum eſt, in ſingulis ſtatibus, ſeu ordinibus perſonarũ Eccleſiaſticarũ illam explicare, & in ſingulis proprias rationes huius priuilegij expēdere: nã in quibuſdã inueniri poterũt maiores, vel vrgētiores, quã in alijs, licèt in omnibus ſufficiētes ſint. Varij ergo diſtingui poſſunt gradus Eccleſiaſticarũ perſonarũ ſub Petro: nã de Petro, & eius ſucceſſoribus iã diximus. In primo, ac pręcipuo gradu fuerũt alij Apoſtoli à Petro, in ſecũdo ſunt Epiſcopi, qui Apoſtolis nõ vt Apoſtolis, ſed vt Epiſcopis ſucceſſerũt. Sub his ſunt ſa-

1.

Varij gradꝰ perſonarum exēptione gaudētiũ.

D cerdotes, ex quibus quidã ſunt parochi, & paſtores animarũ, alij ſunt ſimplices ſacerdotes vel omnino, vel in aliqua dignitate cõſtituti. Sub ſacerdotibus ſunt inferiores clerici in ſacris, & ſub his alij in minoribus ordinibus cõſtituti, cõiugati, vel nõ coniugati. Ac deniq; ſunt aliæ perſonæ, quæ licèt ordinem aut tonſuram non habeant, ratione ſtatus Eccleſiaſticæ cenſentur, & priuilegio canonis gaudēt. De his igitur omnibus ſigillatim dicēdũ eſt.

Primum dubium eſt, an Apoſtoli extra Petrum habuerint hoc priuilegiũ, ita 2.

 vt

vt iure licuiſſet non parere Imperatoribus, ſi facto poſſent, & è conuerſo Magiſtratus ſeculares iniuſtè eos iudicaret propter vſurpatam iuriſdictionem, niſi fortè ignorãtia priuilegij eos excuſauerit. Rex enim Angliæ in Præfat. pag. 139. conſtãter negat hanc Apoſtolorũ exemptionẽ dicẽs, *Primitiuæ Eccleſiæ temporibus nunquam id fuiſſe in dubium reuocatum.* Quam ſententiam aliqui etiam catholici ſaniore quidem mente, & non cum tanta exaggeratione defendunt. Quibus fauere videntur Chryſoſtomus, & Theophylact. ad Rom. 13. dicentes, etiã Apoſtolos non eximi ab obedientia, & ſubiectione Magiſtratuũ temporaliũ, & loquuntur non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam quoad coactiuam, prout Apoſtolus etiã loquebatur. Et inter alios auctores modernos hoc expreſsiùs docuerũt Albert. Pighi. & Ianſenius in locis iam citatis. Qui generaliter in hoc fundantur, quod clerici non erant exẽpti à poteſtate Principum ethnicorum, quando in eorũ regnis degebant, quia illi Principes non erãt ſub iuriſdictione Eccleſiæ, quę ratio, etiã in Apoſtolis locum habuit. Veruntamẽ illa ratio non probat, ſed ſupponit, hoc priuilegium non fuiſſe Apoſtolis à Chriſto conceſſum, nam ſi Chriſtus illud concedere voluit, nihil obſtare poſſet quòd infideles Principes non eſſent Petro, aut Eccleſiæ directè ſubiecti, quia ipſi Chriſto ſubiecti erant, ideoq; potuit ab eorũ iuriſdictione eximere quos vellet, ſicut exemit Petrum.

Prima opinio negans. — *Chryſoſt. Theophil. Abert. Rigdi. Ianſen.* — *Primũ fundamentũ:*

3. Si ergo Apoſtoli hoc priuilegium nõ habuerunt, non eſt, quia Principes infideles erant extra iuriſdictionem Eccleſiæ, ſed quia hoc pendet ex voluntate Chriſti, & de hac non conſtat per aliquã reuelationem ſcriptam, aut nõ ſcriptam: priuilegium autem extraordinarium, & ſupernaturale aſſerendum non eſt, nec credendum ſine teſtimonio voluntatis Principis. Secundò, quia tale priuilegiũ fuiſſet Apoſtolis inutile, quia nunquam illo erant vſuri, neque in effectu habituri erant talem facultatem. Tertio addi ſolet, quòd Paulus Actor. 25. Cæſarem appellauit, tanquam iudicem, & legitimum ſuperiorem ſuum in cauſa criminali, de qua tractabatur. Quem locum vehementer vrget Rex Angliæ, eumque

Secũdũ fũdamentum. — *Tertium. Actor. 25*

A ita intellexit Albertus Pighius, & approbauit aliquando Bellarminus, quos Lorinus ſequutus eſt. Et ſuaderi hoc poteſt, quia aliàs non bene feciſſet Paulus appellando ad iudicem non ſuum, & tacite renunciando priuilegio, cui nullus Prælatus renuciare poteſt. Deniq; ſumi poteſt argumentum ex Matt. 17. vbi Chriſtus pro ſe tantùm, & Petro tributũ ſolui iuſsit, & per hoc alij Apoſtoli intellexerunt (vt ſupra ex Patribus retuli) aliquod ſpeciale priuilegium Petro fuiſſe collatũ; non eſt ergo, cur dicamus, fuiſſe commune cęteris Apoſtolis.

Albert. Pigh. Lorinus. Bellarm.

B 4. Contrariã ſententiã ſupponit Turrecremata loco citato, eamq; tandẽ prætulit Bellarminus, qui hac ratione dicunt, Paulũ non iure, ſed facto Cæſarẽ appellaſſe, non tanquã ad ſuperiorẽ ſuũ, nã ab illius iuriſdictione exemptus erat, vtiq; iure diuino, ſed quia alia ratione nõ poterat inimicorũ inſidias euitare, neq; locus ille in rigore amplius cogit, vt ſtatim dicã. Vnde ſentẽtia hæc omnino præferẽda eſt, & præter generalia fundamẽta de toto ſtatu clericali confirmari poteſt primo ex his, quæ de Petro diximus, nã licèt Petrus reſpectu Apoſtolorũ eſſet illis ſuperior: nihilominus reſpectu Eccleſiæ, & omniũ temporaliũ, & totius orbis habebãt quandã cũ Petro æqualitatẽ, nã fuerũt Principes cõſtituti ſuper omnẽ terrã, & ab ipſo Chriſto immediatè habuerũt iuriſdictionẽ directã, vel indirectã ſuper omnes Principes terrę; ergo ex vi illius excellẽtię fuerũt exẽpti à iuriſdictione Principũ ſeculariũ. Eſt enim prępoſterũ, & indecorũ, ſuperiores Principes ab inferioribus iudicari, & paſtores ouib[9] ſubdi. Hinc etiã verba Chriſti; *Ergo liberi ſunt filij*, ad Apoſtolos extendi poſſunt maiori certe ratione, quã ad quoslibet alios clericos. Tũ quia illi magis propriè, & ſtrictè fuerũt de familia Chriſti filij Dei, fuerunt enim magis illi cõiuncti, & vnũ collegiũ cũ illo cõponebãt; & mẽſa, & ſi qua habebãt tẽporalia bona, omnib[9] erant cõmunia. Tũ etiam quia ſingulari modo participarũt excellentiã, & poteſtatẽ, quã Chriſtus in homines habuit, & ideò etiã in exẽptione ab humanis poteſtatibus illũ imitari debuerunt, atq; ita ſub nomine filiorũ veniũt tanquã acceſſoriũ ſub principale. His ergo modis ſatis vide-

2. Sententia affirmans. Turrecrem. Bellarm. — *Ratio pro hac ſententia.*

C — D

videtur conſtare de Chriſti voluntate. A

5. Soluuntur fundaméta cõtrariæ opinionis. Neque refert, quod Apoſtoli nunquã erant illa libertate vſuri, nam erat quaſi connaturalis eorum dignitati, vel certe maximè dicens, & ideo non debuerunt illa nobilitate (vt ſic dicam) vel ingenuitate priuari, etiam ſi propter hominum ignorationem, vel malitiam permittendi non eſſent, illa gaudere, ſicut etiam de ipſo Petro dicendum eſt. Et ita etiam contingere potuit in facto Pauli, in quo non fuiſſe Præſidem legitimum iudicẽ probat nouiſsimè, & optimè Cardinalis Bellarmin. in cap. 13. ſuæ Apolog. quia B cauſa Pauli; quę tunc agebatur, non erat ciuilis, ſed religionis, vtique de prædicatione Pauli ad gentes, Actor. 22. de Reſurrectione mortuorum capit. 23. & quod eſſet ſectæ Nazaręorum defenſor, capit. 24. *Ac denique de quæſtionibus ſuæ ſuperſtitionis, & de quodam IESV*, vt ipſe Præſes dixit cap. 25. In cauſa autem religionis non poterat laicus, & ethnicus homo eſſe legitimus iudex. Neque propterea male fecit appellando ad iudicem laicum, & infidelem, quia vitari non poterat ſimile iudicium, in quo iam ſub inferiori iudice laico etiam, & infideli erat C conſtitutus, & ideo prudenter fecit appellando ad legitimum ſuperiorem eiuſdem inferioris iudicis, & ſuorum accuſatorum, quorum iniuſtam vexationem hoc modo redimebat. Præſertim quia etiam potuit Paulus Cæſarem appellare intentione implorandi eius auxilium eo meliori modo, quo poſſet. Sic enim factum illud interpretari videtur Athanaſius Apolog. ad Conſtantium; implorare autem auxiliũ Principis ſecularis contra vim, & iniuriam illatam ab inferiori iudice laico, non eſt illicitũ, neque libertati eccleſiaſticę repugnãs, imò illi maximè D cõſentaneũ, vt ibidem ſignificare voluit Athanaſius, & Auguſtinus epiſtol. 48. 50. & 204. contra Donatiſtas docuit. Et hoc ſignificant verba Pauli Actor. 28. *Coactus ſum appellare Cæſarem*, videlicet, vt eum eriperet è manibus Iudæorũ, à quibus per ſolum Pręſidem liberari nõ poſſe timebat.

Exemplum Pauli.

Bellarm.

Actor. 22

Athanaſ.

Auguſt.

Vide Gratianum 23. q. 4. per multa capita.

Actor. 28

6. An Epiſcopi ſint exempti.

Secundo loco dicendum eſt de Epiſcopis, in quibus conſiderari poteſt poteſtas ordinis, in qua Apoſtolis æquales ſunt, & ſuperiores ſacerdotibus, vnde hoc titulo poteſt aliqua maior ratio huius priuilegij in eis conſiderari, quã in ſacerdotibus, maior vero ſumitur ex munere paſtorali. Nam præter poteſtatem ordinis conſiderari poteſt, & debet in Epiſcopis Paſtoralis dignitas, & poteſtas iuriſdictionis Epiſcopalis, ratione cuius ſunt ſpirituales Principes Eccleſiæ, non quidem vniuerſales, ſicut Apoſtoli, ſed in ſuis Diœceſibus, propter quod dicuntur eſſe ſucceſſores Apoſtolorum. Hac ergo ratione poſt Apoſtolos videtur efficaciùs probari, habere Epiſcopos à Chriſto Domino hoc priuilegium fori ſecularis. Nam ad illos poſſunt cum proportione applicari rationes de Apoſtolis factæ. Quia illi ſunt altiori modo, quàm cęteri de familia Chriſti, & cum Pontifice ſpecialiter vocati in partem ſolicitudinis, & ideo ab eo fratres vocãtur; merito ergo cẽſeri poſſunt inter filios à Chriſto comprehenſi, cũ dixit: *Ergo liberi sũt filij*. Tũ etiam quia Epiſcopi ſunt Patres principum ſecularium, & ſimpliciter illis ſuperiores, & ideo indignum eſt, & indecens, vt ab eis iudicentur. Reſolutio.

7. Cap. *Accuſatio*. 1. 2. q. 7. *Anaclet.*

Vnde Anacletus Papa de Epiſcopis loquens in Epiſtola ſecunda, capite ſecũdo ſic ait, *Vnde liquet, quod ſummi ſacerdotes, id eſt, Epiſcopi à Deo ſunt iudicandi non ab humanis, aut prauæ vitæ hominibus lacerandi, ſed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipſo Domino exemplum dante, quando per ſe ipſum, & non per alium vendentes, & ementes eiecit de templo*, & cætera, quæ proſequitur. Et idem optime confirmant verba Gregorij ſeptimi libro octauo in Epiſtola vigeſima prima, quæ ſuprà iam retuli: *Quis dubitet, ſacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumque fideliũ Patres, & Magiſtros cenſeri? non ne miſerabilis inſania eſſe cognoſcitur, ſi filius patrem, diſcipulus magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum poteſtati ſuæ ſubijcere, à quo credit non ſolùm in terra, ſed etiam in cœlis ſe poſſe ligari, ac ſolui*. Vbi conſtat, præcipuè de Epiſcopis loqui, quibus conuenit ligandi, & ſoluendi poteſtas in exteriori foro, ſeu iudicio Eccleſiaſtico.

Gregor. 7.

8. Vnde ſtatim idem Pontifex ex altero Gregorio lib. 4. Epiſt. 31. c. 75. refert hiſtoriã ſupra tactam de Cõſtantino qui in Cõcilio Nicæno, *nullã iudicis ſententiã*

ſuper Epiſcopos dare præſumpſit, ſed illos etiam Deos vocans, non ſuo debere ſubeſſe iudicio, verum ſe ad illorum pendere arbitrium iudicauit. Imò addit Melchiades Papa in cap. *Futuram.* 2. quæſtio. 1. dixiſſe Conſtantinum, *Epiſcopos ſolius Dei iudicio reſeruari.* Vnde colligunt aduerſarij, verba illa Conſtantini vrbanitatis tantũ fuiſſe, quoniam aliàs Epiſcopi neq; à Papa poſſent iudicari. Sed longè aliter hoc declarat, & confirmat Melchiades Papa in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ dicens, *Epiſcopos, quos ſibi Dominus tanquam oculos elegit, & columnas Eccleſiæ eſſe voluit, quibus etiam ligandi, & ſoluendi dedit poteſtatem, ſuo iudicio ſeruauit, hocque priuilegium beato clauigero Petro ſui vice ſolummodo commiſit.* In quibus verbis omnes Epiſcopos in hoc videtur Papæ ſimiles efficere, quòd illos Deus iudicio ſuo reſeruauit. Vnde ex hac parte ex diuina ordinatione erũt exempti à iudicio merè humano, ſeu ſeculari. Differunt tamẽ à Pontifice, quia in terris habent iudicẽ, cui Deus ſuas vices commiſit. Pontifex autem ſuperiorem hominem non habet, à quo iudicetur. Quæ omnia etiam de Apoſtolis à fortiori procedunt, & videtur hanc partem multum perſuadere.

Melchiades Papa.

9. De exemptione ſacerdotum.

Tertio dicendum eſt de ſacerdotibus, in quibus non inuenitur ratio illa ſpecialis, quam in Epiſcopis conſiderauimus, quia non habent propriam iuriſdictionem Eccleſiaſticam in foro externo, & ideo non ſunt Eccleſiæ Principes, nec ſuperiores Principibus laicis quoad poteſtatem imperandi, & iudicandi illos in exteriori foro. Sunt tamen illis in ſtatu, & gradu digniores, & Chriſti perſonam in ſuis miniſterijs excellentiori modo repręſentant. Præſertim in tremendi ſacrificij oblatione, & in peccatorũ abſolutione, vbi Chriſti perſonam gerunt. Et ad illa munera ex vi ſui ordinis & ſtatus deputati ſunt. Ideòq; in verbis, *Ergo liberi ſũt filij,* merito cenſendi ſunt ſacerdotes cõprehenſi, quia peculiari titulo, & modo ſunt de familia Chriſti, licèt non in tam excellenti gradu, ſicut Epiſcopi. Quòd verò pertinet ad ius naturale videtur etiam habere maiorem congruentiam in ſacerdotibus, quàm in inferioribus, ratione characteris Sacerdotalis. Primo quidem quatenus dat poteſtatem in corpus Chriſti verũ, nam per illam maximè participant ſacerdotium Chriſti, & efficiuntur res maximè ſacræ, ideoque ſunt eo ipſo abſtractæ à iuriſdictione ſeculari, & ſpirituali poteſtati ſubiectę. Deinde accedit poteſtas in corpus Chriſti myſticum, ratione cuius fiunt ſpirituales patres laicorum, & iudices loco Dei in ſpiritualibus cauſis, quæ ad Deum maximè ſpectant, & in foro maxime ſacro. Ratione quarum poteſtatum maximè in ſacerdotes legis gratiæ conueniunt tituli Regum, & Deorum, quibus Scriptura ſolet ornare ſacerdotes, vt iura etiam canonica ſuprà citata expendũt, ad conſiderandum, quàm ſit indecẽs, Sacerdotes à laicis iudicari. Quæ indecentia ex natura rei ineſt, & fundatur in excellentia Sacerdotalis characteris; ergo valde credibile eſt, ex vi illius eſſe exemptos

10. An inferiores clerici iure diuino eximantur. Prima opinio negans. *Bernar. Diaz. Ioan. Lup.*

Atque hinc tandem conſtat, quid dicẽdum ſit de inferioribus clericis. Aliqui enim dixerunt, illos non eſſe exemptos iure diuino, etiam ſi maioribus ordinibus conſecrati exemptionem à iure diuino habeãt, quod ſenſit Bernard. Diaz de Lugo in Pract. cap. 65. & Ioan. Lupus tract. de Libert. Chriſtian. p. 2. q. 5. Quod omnino non placet, tum quia quòd aliquis ordo peculiari modo maior, aut ſacer reputetur, ex iure poſitiuo pendet iuxta cap. *Miramur,* de Seruis non ordinand. tũ etiam quia iura ſupra allegata generaliter & ſine diſtinctione loquuntur. Tum denique, quia non ſolùm clericis in minoribus ordinibus conſtitutis, ſed etiam in vniuerſum perſonis Eccleſiaſticis, ſiue recipientibus characterem per aliquem ordinem, qui ſit verum ſacramentũ, ſiue per quencumque alium ritum, vel modũ ab Eccleſia inſtitutũ, poſſunt cũ proportione applicari diſcurſus facti. Nã omnes ſub peculiari familia Chriſti cõprehẽduntur, & omnes ad ordinẽ rerũ ſacrarũ, & Eccleſiaſticarum pertinent: & magis, aut minus nõ variant ſpeciem. Sicut bona Eccleſiaſtica quædam ſunt magis propria, quam alia, & inter res ſacras, quædã ſunt alijs ſacratiores, & nihilominus, omnes æquè ſunt Eccleſię commiſſæ, & à ſeculari poteſtate exemptæ ex diuino iure. Idem ergo erit in perſonis.

Meliùs ergò Nauarr. in cap. *Nouit,* de Iudi- 11.

Sententia Nauarri præfertur. Iudicijs, notab. 6. n. 30. reſpondendo ad ſextum argumentum num. 15. abſolutê docet, ex vi characteris clericalis ſequi ex natura rei exemptionem à iuriſdictione laica perſonæ ſic ſacratæ, non ſolùm quatenus ſacra eſt, ſed etiam quatenus homo eſt. Obijcit tamen ſibi, quia ſequeretur, omnem Chriſtianum ex vi characteris baptiſmalis eximi à poteſtate laica, quia per illum charecterem eſt Deo conſecratus. Quòd ſi reſpondeatur, verum eſſe, Chriſtianum vt charactere inſignitum ſubdi ſpirituali poteſtati, & non ſeculari, id eſt, in his, quæ ad Chriſtianiſmum pertinent, vt hominem verô ſubdi poteſtati ſeculari, replicabitur facilê, quia idem dicetur de clerico vt affecto charactere clericali. Vnde ipſe Nauarrus laborat in differentia aſsignanda, reiectiſque aliorum ſententijs tandem reſpondet, negando illationem, conſtituendoq; diſcrimen inter vtrunque characterem, *quia baptiſmalis*, inquit, *non diſcernit inter Chriſtianos, ſed potiùs illos congregat in vnum corpus, clericalis autem diſtinguit inter clerum, & Chriſtianum populum.* Quod ampliùs non declarat, ſed potiùs dicit, ſe omittere quædam quæ in alia editione obiecerat, quia facilem ſolutionem habebant.

Obiectio ipſius. — Reſponſio eiuſdem.

12. Declaratur amplius ſolutio Nauarri. Sed nihilominus videtur res indigere expoſitione, quia difficultas non videtur ſoluta. Nam in primis omnis forma conſtituens, & vniens aliquo modo omnes ſimilem formam habentes, diſtinguit illos â reliquis forma illa carentibus & ſic character baptiſmalis diſtinguit ab ethnicis, ſeu infidelibus Eccleſiæ non ſubditis, vnde ſolùm differt à clericali, quia baptiſmalis ſolûm diſtinguit ab his, qui omnino ſunt extra Eccleſiam, clericalis autem diſtinguit inter fideles. At hoc non videtur ſufficere, vt vnus efficiat exemptum, & non alius, quia etiam character ſacerdotalis diſtinguit non ſolùm inter fideles, ſed etiam inter clericos ſuperioris, & inferioris ordinis; ergo licèt character ſacerdotalis ſecum afferat exemptionem, non erit idem in inferioribus, vel certè non æqualiter. Simileq; argumentum fieri poterit in inferioribus, præſertim diſtinguendo clericos in ſacris à minoribus. Vel certè ſi character clericalis in primo gradu, vel etiam prima

A tonſura, quæ primô facit diſtinctionem clerici à non clerico per ſpecialem quandam conſecrationem, eo ipſo affert exemptionem perſonæ: etiam character baptiſmalis cùm faciat primam diſtinctionem Chriſtiani à non Chriſtiano, cōſecrando perſonam baptizatam Chriſto, afferet ſecum ſimile priuilegium. Et augetur difficultas, quia ſaltem afferet character baptiſmalis exemptionem à poteſtate Principum ethnicorum, quod dici non poteſt, vt ſuprâ viſum eſt. Sequela patet, nam character ordinis, quia diſtinguit clericum à laico, eximit perſonā

B clerici à iudicio laici, ergo ſeruando eandem proportionem, baptiſmalis character diſtinguendo Chriſtianum ab ethnico, ab iſtius iuriſdictione eundē eximet. Et confirmatur, quia non minor indecentia, nec minus periculum inuenitur in hoc, quod fidelis iudicetur ab infideli, quàm in hoc, quòd clericus iudicetur à laico, & ideò Paulus. 1. ad Corinth. 6. reprehendit fideles, qui apud infideles litigabant, & non apud ſanctos, id eſt, fideles, vbi D. Thomas varias rationes indecentiæ, & periculi adducit, quæ ſeruata proportione ad vtranque cauſam æquê

C poſſunt applicari, vt legenti, & conſideranti facilè patebit. Vnde Alexander Papa inde è conuerſo ſumit argumentum ad exemptionem clericorum perſuadēdam, cap. *Relatum.* 11. q. 1.

Confirmatio. — 1. Cor. 6. — *Alexandr. Papa. Epiſt.* 1. c. 1.

13. Auctoris reſponſio. His verò non obſtantibus, & ſuppoſitis, quæ de charactere ſacerdotali diximus, reſpondemus, idem eſſe dicendum de omni charactere ordinis. Ad quod aſſerendum non parū iuuat ſententia Alexandri. I. in canone proximê allegato, cum alijs, quæ ſuprâ retulimus. Ratio verò eſt, quia licèt iſti characteres differant ſecundum magis, & minus, tamen

D in hoc conueniunt, quod cōſecrant perſonam, dedicando illam diuino cultui, & alicui miniſterio ſacro, inchoando ab aliquo inferiori, & de ſe ordinato ad ſupremum, quod eſt ſacerdotale, vel Epiſcopale, & hac ratione talis character ſtatim conſtituit perſonam ſacram, & eximit à ſecularibus. Et in hoc poteſt conſtitui diſcrimen inter characterem ordinis, & baptiſmi, nam character baptiſmi non ſacrat perſonam deputando illam miniſterio ſacro, ſed tantum conſignat illam Chri-

Alex. I. — Diſcrimen inter characterem baptiſmalē, & ordinis.

Chriſto, eamque ad fidem eius retinendam ſpecialiter obligat, & de ſe communis eſt omnibus hominibus, peraccidēſq; eſt, quòd aliquibus non inſit. Ideòque per ſe non diſtinguit inter fidelem, & infidelem in his, quæ ad temporalem vitã, & politicum ſtatum ſpectant, & propterea non ita ſecum affert exemptionem à iuriſdictione infidelium in eiſdem rebus ciuilibus, & humanis, ſicut character ordinis eximit clericum à poteſtate laici, quia dicando perſonam miniſterio ſacro, per ſe diſtinguit vtrunque ſtatum clericalem, & laicalem, & hoc fortaſſe eſt diſcrimen, quod Nauarr. indicare voluit in d. cap. *Nouit*.

14\. Hac exemptione gaudere quæcũque perſonæ in ſtatu Eccleſiaſtico ab Eccleſia conſtitutæ.

Atque hinc tandem videtur idem dicendum de alijs perſonis, quæ alio quocunque modo ab Eccleſia inſtituto, ſeu determinato in ſtatu Eccleſiaſtico conſtituuntur. Quod ſenſit Nauarr. ſuprà coniungens monachatum cum clericatu, monachatus enim, non imprimit characterem, & ex Eccleſiæ inſtitutione, vel determinatione exiſtit. Idemque dici poteſt de prima tonſura, quæ initium eſt clericatus ſine impreſſione characteris, & ſiqua ſunt ſimilia. Et confirmari poteſt ex cap. *Duo ſunt*. 12. q. 1. vbi duo diſtinguuntur genera Chriſtianorum, & vnum eſſe dicitur, *quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt clerici, & Deo deuoti.* Ex quibus verbis colligere licet, eandem eſſe rationem exemptionis in hoc toto genere perſonarum, quia totũ eſt Deo, & diuino cultui dicatum, quod eſt fundamentum exemptionis, licèt modus cõſecrationis diuerſus ſit; ergo omnes hæ perſonæ eodem iure cenſentur quantũ ad exemptionem.

Cap. *Duo ſunt*. 12. q. 1.

15\. Atque ita ad hoc totum genus perſonarum applicari poterit ius poſitiuum diuinum, quia ex hoc toto perſonarum genere integra Chriſti familia complectur, iuxta ſententiam Theleſphori Papę in epiſtola ſua, vbi de omnibus Eccleſiaſticis perſonis ſub nomine clericorum loquitur, & familiares Chriſti appellat. Poteſt etiam ad omnes applicari ius diuinum naturale, quatenus in generali ratione conſecrationis, ſeu dedicationis ad diuinum cultum fundatur, vt dixi. Neq;

Theleſpho. Papa.

A obſtabit, quod modus huius conſecrationis, ſeu dedicationis ad diuinum cultum in multis ex his perſonis ſit ex Eccleſiæ inſtitutione, quia nihilominus facta tali inſtitutione reſultare poteſt ius naturale. Sicut licèt cõſecratio calicis ſit de iure Eccleſiaſtico, exemptio calicis conſecrati ab omni vſu communi, & non ſacro, naturali iure conſequitur. Vel ſicut in materia de Simonia diximus, licèt conſecratio, aut benedictio alicuius rei ſit de iure Eccleſiaſtico, nihilominus quòd vendi non poſſit, quatenus conſecrata eſt, de iure eſt naturali: B ita ergo in præſenti dici poteſt.

CAPVT XI.

Vtrum ſecluſo iure diuino immediato potuiſſet exemptio clericorum per ius canonicum ſine adminiculo iuris ciuilis introduci.

HÆc quæſtio ſimpliciter, & abſolutè propoſita neceſſaria non eſt, 1. cùm oſtenderimus in præcedenti capite, hoc priuilegium à iure diuino eſſe immediatè conceſſum, & ſuprà cap. 3. C etiam probatum ſit, iure canonico eſſe ſtabilitum: nihilominus tamen ex hypotheſi tractãda à nobis eſt propoſita quæſtio, tum ad materiæ complementum, ne opinionem vllam intactam, & indiſcuſſam relinquamus: tum vt eccleſiaſticam poteſtatem tueamur, & nonnullis obiectionibus, quæ contra ſuperiorem reſolutionem militant, ſatisfaciamus. Quærimus enim an remoto iure diuino immediatè concedente hoc priuilegiũ, potuerit Summus Pontifex ſuprema ſua poteſtate illud concedere ſine conſenſu D ſecularium Principum, vel tantùm, ſuppoſita eorum donatione, aut conſenſione illius obſeruantiam præcipere, & tueri valuerit. In quo puncto non ſolùm Marſilius Patauinus, & alij hæretici, & ſchiſmatici, qui illius doctrinam ſequuntur, negant, poteſtatem Eccleſiaſticam ad hoc ſufficere ſine ſecularis conſenſu; verùm etiam aliqui ex Catholicis eis in hac parte conſentire videntur. Id enim ſupponunt qui dicunt hanc immunitatẽ eſſe de iure ciuili primariò, vt ſentiunt Medina C. de Reſtitut. q. 15. qui ait, hoc priui-

Senſus quæſtionis.

Prima opinio negans.

Medina.

priuilegium eſſe ex conceſsione ſecularis poteſtatis, ſignificans, aliter induci nõ potuiſſe. Idemque apertè ſentit Palacios in 4.diſt.25.diſp.3. circa finem, & antea id tradiderat Hoſtienſ. in Summ. lib.3. tit.de Immunit.Eccleſiar. § .*Sed nec alia* circa finem dicens: *Non poterat autem Imperator cogi ab initio, vt hæc priuilegia daret, ſed ex quo dedit, auferre non poteſt*, & vt Rebuff. & Couarr. allegandi referũt, iſtam ſententiam ex profeſſo docuit Petrus de Ferraria in ſua Practic. in forma libelli, verb. *Plenam*.

Palatios. Hoſtienſ. Petrus de Ferraria.

2. Fundamentum prædictæ ſententiæ.

Fundamentum huius ſententiæ eſſe potuit, quia Principes ſeculares à principio iure naturæ, vel ſaltem gentium habebant iuriſdictionem ciuilem in perſonas clericorum, & illa non fuerunt immediatè priuati ab ipſo Deo, vt ipſi ſentiunt, & nos diſputationis gratia permittimus: ergo neque à Pontifice poſſunt priuari, quia ſicut non poſſunt priuari dominijs ſuis, ita nec parte illorum, qualis eſt hæc iuriſdictio, & quaſi dominiũ ſuper perſonas clericorum; ergo nec poteſt concedere Pontifex priuilegiũ exemptionis, quia hoc ſubſiſtere non poteſt, niſi Principes iuriſdictione priuentur. Dices; licèt Pontifex directè non poſsit priuare Principem ſecularem dominio ſuo, indirectè interdum id poſſe per ſpiritualem poteſtatem, & hoc modo poſſe hoc priuilegium cõcedere. Sed contra, quia hic vſus indirectæ poteſtatis ſolùm habet locum quaſi per accidẽs, vel per modum defenſionis ſubditorum fidelium, quando Princeps illis eſſet perniciosus, & occaſio ruinæ, vel per modũ punitionis Eccleſiaſticæ, quando Princeps criminoſus, & incorrigibilis ſit dignus tali pœna, in quibus caſibus etiam laicos ſubditos poteſt Pontifex eximere à ſubiectione talium Principum; hic autem loquimur per ſe, & nulla interueniente cauſa, vel culpa ex parte Principis. Et hoc argumentum maximè vrget in Principibus infidelibus, quia non ſunt ſubditi Eccleſiaſticæ poteſtati, nec directè, neque etiam indirectè; extenditur autem, ad Principes fideles, quia per conuerſionem ad fidem non ſunt facti deterioris conditionis, nec parte aliqua iuriſdictionis ſunt priuati.

Euaſio.

Impugnatur.

3. Poteſtq; de vtriſque hoc confirmari.

A De fidelibus quidem, quia legimus, Epiſcopos, vel iudicium ab Imperatoribus poſtulaſſe, quandiu illi iuri ſuo non ceſſerunt, vt in facto Conſtantini, & Epiſcoporum Concilij Nicæni ſæpe commemorato planè oſtenditur; vel priuilegiũ hoc ab Imperatoribus impetraſſe, quando illud habere deſiderarunt, vt colligitur ex nouella.83. *Vt clerici apud proprios Epiſcopos, &c.* tit.11. collat. 6. vbi Iuſtinianus ait, ſe plures leges ſcripſiſſe, quibus voluit Eccleſiaſticos ab Epiſcopis tantùm iudicari, & poſteà ſubiungit: B *Petiti ſumus à Menna, Deo amabili Archiepiſcopo, reuerendiſsimis clericis hoc dare priuilegium, &c.* Et in multis alijs legibus, quas capite ſequenti referemus, Imperatores ſignificant, priuilegium hoc ab ipſis donari, & à ſua voluntate pendere. Imò Concilium Toletan.3. cap.21. priuilegium exemptionis pro ſeruis Eccleſiarum, Epiſcoporum, & clericorum à Rege Hiſpaniæ poſtulauit, vt habetur in cap. *Eccleſiarum ſeruos*.12.q.2.

Confirmatio.

Nouella. 83.

Concil. Tolet. 3. Cap. *Eccleſiarũ ſeruos.* 12.q.1.

4. De principibus autem infidelibus fieri poteſt argumentum, quia antequam conuertantur ad fidem, poſſunt expreſſe conditionem exigere, & cum eo pacto C conuerti, vt nullus ſubditorum ſuorum ab eorum iuriſdictione eximatur, ſiue clericus ſit, ſiue laicus: at ſi Reges Iaponiæ, Chinæ, aut ſimiles ſub ea conditione baptiſmum peterent, & aliter illum acceptare nollent, non propterea eſſet illis denegandus, quia conditio illa neque eſt intrinſecè mala, neque repugnat voluntati credendi omnia neceſſaria ad ſalutem, & illis obediendi; ergo admittenda, vel ſaltem toleranda eſſet propter tantum bonum, quale eſt vnius regni integra conuerſio; ſemel autem admiſſa cõ D ditio, ſeruanda eſſet, cùm non ſit iniuſta; ergo ſignum eſt, habere tẽporales Principes ius, vt licèt ad fidem conuertantur, ſuis ſubditis, aut parte illorum non priuentur, & conſequenter licèt illam conditionem expreſſe non ponant, implicitè illam includunt, vel ſupponunt, quia nullus cenſetur iuri ſuo renunciare, niſi ſatis expreſſè id declaret.

5. Secunda, & vera ſententia.

Nihilominus vera, & certa ſententia eſt, ſiue hoc priuilegium exemptionis immediatè ſit ab ipſo Chriſto omnibus clericis collatum, ſiue non ſit, potuiſſe Ponti-

Pontifices illud conferre, eiusque obſeruantiam Principibus ſecularibus præcipere, & ad conſentiendum eos cogere. Ita docuit Innocent. in cap. 2. de Maiorit. & obedient. Nam proponens quæſtionem, quis exemit clericos, prius dicit, quòd *Papa, conſentiente Imperatore,* poſteà *quòd exempti ſunt à Deo*, & tandẽ ait, vel dic, *quod Papa, etiam ſine conſenſu Imperatoris eos potuit eximere à iuriſdictione Imperatoris per ſuas conſtitutiones, quia cùm clerici ſpirituales res ſint, & ex toto corpus ſuum, & animam dederunt in ſeruitium, & ſortem Chriſti, per conſequens Papæ iudicio, & conſtitutionibus ſubſunt.* Eadem eſt communis ſententia Canoniſtarum in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Cõſtitut. præſertim Panormitan. Felin. & Deci. & Rebuff. in Concordat. titul. vlt. vbi ſententiam Petri de Ferrara falſam, & damnatam appellat, & idem tenet Aluarus Pelagius lib. 1. de Planct. Eccleſ. cap. 44. in fine referens, & ad literam ſequens ſententiã Innocentij. Idem Driedo lib. 1. de Libert. Chriſtian. cap. 9. & Couarr. in lib. Practicar. quæſt. cap. 31. cõcl. 3. & 4. Soto 4. d. 25. q. 2. art. 2. cõcl. 6. Molin. to. 1. tract. 2. de Iuſtit. diſp. 31. §. *Tertia verò*, Hẽriq. li. 7. de Indul. c. 24.

Innocent. *Panorm.* *Felin.* *Decius.* *Rebuff.* *Aluar. Pelag.* *Dried.* *Couar.* *Soto.* *Molina.* *Henriq.*

6. Probatur primò. Cap. *Nouerit.* C. *Grauẽ.* de Senten. excommu. Cap. vlti. de Reb. Eccle. non alienan. Cap. *Quãquã*, de Cenſib. in 6. Euaſio.

Probatur primò ex illis decretis, quibus obſeruantia huius immunitatis ſub cenſuris ipſis etiam Principibus temporalibus præcipitur, vt conſtat ex capite *Nouerit*, & cap. *Grauem*, de Sentent. excommunic. & cap. vlt. *de Rebus Eccleſ. nõ alienand.* & cap. *Quanquam*, de Cenſib. in 6. & ferè toto titulo de Immunit. Eccleſiar. in decretalibus, & Sexto, & ex Bulla cœnæ Domini tot annis à tot Pontificibus repetita; nam in ea per varios articulos, & latis grauiſsimis cenſuris etiã contra Principes, & Reges temporales hanc libertatem Eccleſiaſticã defendũt. Dicere verò poſſet aliquis, hæc omnia decreta eſſe nouiora, & ſupponere priuilegium exemptionis prius ab Imperatoribus collatum, & ita iam ſupponere conſenſum temporalis Principis, qui ſemel datus retractari non poteſt, & ideò facta illa ſuppoſitione locum habere omnia illa præcepta, nihilominus tamen in principio neceſſarium fuiſſe conſenſum Principum, & ſine illo non potuiſſe Eccleſiam ſimilia præcepta ferre.

A Sed hoc profectò incredibile eſt, tum quia dicti Pontifices non fundantur in illo principio, quòd priuilegium Eccleſiæ datum ab Imperatore, ab eo reuocari non poteſt, nam licèt illud verum ſit, vt infrà videbimus, non eſt tamen ita certum, ſicut eſt certum illa decreta, & cenſuras obligare omnes Principes etiam ſupremos ad immunitatem Eccleſiaſticam non violandam. Non ergo nituntur Pontifices in illo principio, ſed vel in iure diuino, vel in ſuprema poteſtate, quã à Chriſto habent ad regendam Eccleſiã, B & præſertim res ſacras, & Eccleſiaſticas, vt expedire cenſuerint ad diuinum cultum, & ad ſupernaturalem hominum finem. Vnde multi etiam ex antiquioribus Pontificibus clericos à laicis iudicari, vel apud illos cauſam mouere, vetuerunt, etiã illis temporibus, quibus Imperatores infideles erant, vt patet ex cap. *Relatum*. 11. q. 1. & alijs, quæ cap. 3. & 4. allegauimus. Præcipue verò veritatem hanc confirmat Concilium Tridentinũ ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat. quia nulla facta iuris ciuilis mentione dicit, *Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem diuina ordinatione, & Eccleſiaſticis* C *ſanctionibus eſſe conſtitutam.* In quo apertè ſupponit, immunitatem hanc, non à iure ciuili, ſeu à conceſsionibus Principum ſecularium duxiſſe originem, aliàs propriam, & immediatam huius immunitatis cauſam tacuiſſet, & in rigore, aut falſa, aut nimis diminuta fuiſſet doctrina. Deinde verò admonet, Imperatorẽ, Reges, &c. vt *quò largius bonis temporalibus, atq; in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctius, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt tanquam Dei præcipua, eiuſq; patrocinio tecta venerentur, & debitam ſacris Summorum Ponti*- D *ficum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam præſtent.*

7. Exploditur dicta euaſio

Cap. Relatum. 11. q. 1. *Conc. Trident.*

8. Secundum fundamentum.

Ratione verò, & Scripturæ authoritate ſimul fundata eſt hæc veritas in poteſtate data Petro ad gubernandam Eccleſiam, & ad ligandum, & ſoluendum in omnibus, quæ ad bonum religionis Chriſtianæ, & conueniens Eccleſiæ regimen neceſſaria fuerint. Nam hæc exemptio per ſe loquendo, & quaſi ex natura rei eſt valde neceſſaria religioni Chriſtianæ, vt res Eccleſiaſticæ, & diuinus cultus debita veneratione tractentur; ergo

ergo propter hunc finem data eſt Petro, & Pontifici poteſtas ad ſoluendum, ſeu eximendum clericos à poteſtate ciuili, & ad ligandum ipſam poteſtatem ciuilē, vt perſonis Eccleſiaſticis hanc immunitatem cuſtodiat. Conſequentia hæc euidens eſt ex dictis ſuprà de poteſtate Pōtificis circa temporalia in ordine ad ſpiritualem finem, ibi enim oſtenſum eſt, hanc poteſtatem eſſe diuinam, & ſupernaturalem, ac ſubinde per ſe ſufficientē, vt in ſua materia efficaciter operari poſſit, non expectato ſubditorum conſenſu, etiam ſi ſint temporales Principes, ſed illos ad conſentiendum obligando, & ſi neceſſarium fuerit, cogendo. Antecedēs autem ſatis declaratum, & probatum relinquitur ex duobus capitibus præcedētibus. Nam ſi hęc exemptio eſt propriè, & completê de iure diuino poſitiuo, vel naturali, clarum eſt, poſſe, & debere Pōtificem cogere Chriſtianos Principes ad illud ius obſeruandum. Si verò ad minimum eſt hæc immunitas valde propinqua iuri naturali, & valde conſentanea iuri diuino, & conſenſioni omnium gētium, vt omnes Doctores ſinè diſſenſione fatentur, profectò negari non poteſt, quin hæc exemptio ex natura rei ſit ita neceſſaria religioni, & cultui diuino, vt ſine illa conuenienter adminiſtrari non poſſit.

9. Roboratur diſcurſus factus. *Innocent.* Poteſtque hoc amplius declarari ratione ſuprà tacta, quam in hoc puncto indicauit etiam Innocentius ſuprà, quia res ſacræ ex vi conſecrationis Eccleſiaſticæ poteſtati ita ſubduntur, vt non ſolùm circa conſecrationem ipſam, ſed etiā circa materiam, & vſum conuenientem illius iā cōſecratę diſponat, & prohibeat non ſolùm ea, quæ ſunt intrinſecè mala, ſed etiam illa, quæ frequenter, ac moraliter poſſunt in irreuerentiam rerum ſacrarum vergere; perſonæ autem Eccleſiaſticæ ſunt res valde ſacræ, & per ſubiectionem ad ſecularem iuriſdictionem poſſunt & à diuino cultu valde diſtrahi, & à ſecularibus hominibus irreuerenter tractari, & contemni, ſi eorum crimina inter laicos publicê ad tribunalia cōmunia deferrentur; ergo talis exēptio per ſe ſpectat ad poteſtatem ſpiritualem propter ſpiritualem finem. Denique hac de cauſa potuit Eccleſia circa matrimonium

A diſponere non ſolùm quatenus ſacramētum eſt, ſed etiam quatenus eſt quidam cōtractus, quia iam eſt materia rei ſacræ, & ſic etiam diſponit de bonis Eccleſiarum, & de decimis, & de alijs multis, quæ materialiter temporalia ſunt; ergo eandem poteſtatem habet in hac materia, quæ ſuo etiam modo ſacra eſt, & ad diuinum cultum non minùs neceſſaria.

Sed queret aliquis, an ſolus Pontifex hanc habeat poteſtatem non ſolum reſpectu totius Eccleſiæ, ſed etiam reſpectu ſingulorum Epiſcopatuum. Nam priori modo clarum eſt, ſolum Pontificem habere hanc poteſtatem vniuerſalem pro tota Eccleſia, per quod non excludimus Concilium generale; nam in illo eſſe debet Pontificia authoritas, & per illam cōfirmandum eſt, vt leges ferre poſſit vniuerſam Eccleſiam ligantes. Solum ergo quæri poteſt, ſi hoc priuilegium non eſſet à Chriſto, vel Pontifice generatim in tota Eccleſia clericis datum, an ſinguli Epiſcopi in proprijs diœceſibus illud ſuis clericis conferre poſſent. Ratio autem partem affirmantem ſuadens eſſe poteſt quia vnicuique Epiſcopo incumbit cura diſponendi omnia in ſua Eccleſia, quæ ad cōueniens illius regimen ſpectant, & ad hunc finem vnuſquiſque Epiſcopus poteſt in ſua diœceſi quidquid ſibi prohibitum non eſt, vel per ſuperiorem nō eſt aliter præſcriptum; ſed hoc non inuenitur eis prohibitum; ergo licet exemptio non eſſet per Pontifices introducta, vnuſquiſque Epiſcopus in ſua diœceſi poſſet illam tribuere. 10. Quęſitum. B Reſolutio. An Epiſcopi in ſuis diœceſibus clericis hāc exemptionem per ſe conferre valeāt. C Ratio dubitandi pro affirmatiua parte.

In contrarium verô eſt, quia Epiſcopi in ſuis diœceſibus non poſſunt quidquid eis non prohibetur, ſed tantùm quod eis conceditur, quia non habent iuriſdictionem ex iure diuino, ſed à Pontifice; hoc autem non legitur eis conceſſum. Deinde maiores cauſæ Pontifici ſunt reſeruatæ, vt dicitur in cap. *Maiores*, de Baptiſm. Exemptio autem clericorum, per quam ſupremi Principes temporales ſua iuriſdictione ex parte priuantur, grauiſſima res eſt, magnaq; indiget authoritate, & poteſtate; ergo vel à Chriſto facta eſt, vel eius Vicario eſt reſeruata. Et cōfirmatur, quia Epiſcopi non poſſunt in ſuis diœceſibus hanc exemptionem augere; ergo nec poſſent introducere, ſi nō eſſet. 11. Ratio pro parte negatiua. D Cap. *Maiores, de Baptiſm.* Confirmatio.

eſſet. Denique ex huiuſmodi exemptione poſsũt ſcandala, & perturbationes inter Principes, & Prælatos oriri, niſi magna prudentia, & authoritate fiat; ergo quidquid circa hoc priuilegium ſtatui poteſt, ad ſolam Pontificis authoritatem, & poteſtatem pertinere credendum eſt.

12. Pars negatiua præponitur.

Hæc ergo poſterior pars veriſimilior eſt, quam etiam praxis Eccleſiæ confirmat. Pontifices enim maximam habuere curam diſponendi omnia, quæ ad hãc exemptionem pertinent, neque hanc facultatem Epiſcopis reliquerunt. Eſtque optima ratio, quia hoc priuilegium (vt dicitur in cap. *Si diligenti*, de Foro compet.) non in fauorem huius, vel illius perſonæ, neque etiam in fauorem huius, vel illius epiſcopatus, ſed ſimpliciter *in fauorem totius collegij Eccleſiaſtici* inductũ eſt; ergo poteſtas illud conferendi eſt in ſolo capite vniuerſali totius collegij, vel Principali, quod eſt Chriſtus, vel in eius Vicario, qui eſt Summus Põtifex. Hoc autem intelligendum eſt de hoc priuilegio vt purè canonico, & per ſolam ſpiritualem poteſtatem conceſſo independenter à conſenſu, vel donatione ſecularium Principum.

Cap. *Si diligenti*, de *For. comp.*

13. Duobus autem modis poſſent Epiſcopi exemptionem præcipere in ſuis Epiſcopatibus, etiam ſi non eſſet generaliter introducta. Primo ex parte clericorum tantùm, præcipiendo clericis ſibi ſubditis, vt in omnibus cauſis ab ipſis mouendis, ſeu in quibus ipſis liberum eſſet iudicem eligere, vitarent laicum iudicẽ, & ſuum Epiſcopum adirent. Hoc enim præceptum iuſtum eſſet, & in rigore nõ derogaret iuriſdictioni laicorum; ergo non excederet ordinariam poteſtatem Epiſcoporum. Sicut enim Paulus 1. ad Corinth. 6. reprehendit fideles inter ſe mouentes lites, quia coram infidelibus illas tractabant, & ſiue id reprehenderit, quia malum, ſiue quia minus decens, & periculoſum, non eſt dubium, quin illud prohibere potuerit: ita etiam Epiſcopi prohibere poſſent clericis, ne quantum in ipſis eſt, coram laicis litigarent, etiã ſi alias exempti non eſſent, quia ſicut non decet, fidelẽ coram infideli cauſam agere, ita ſeruata proportione indecens, & periculoſum eſt, clericos à laicis iudica-

1. *Cor.* 6.

Epiſcopi poſſunt prohibere, ne clerici ſecularia iudicia adeant.

A ri, argumento cap. *Relatum*. 11. quæſt. 1. Alio modo poſſet quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi præcipere obſeruantiam alicuius exemptionis, acceptando priuilegium aliquod à Principe, ſeu ſupremo Domino terræ conceſſum, quod eſt per ſe manifeſtum, quia tale priuilegium eſſet Eccleſiæ beneficium, quod laico facere licet, & Epiſcopo acceptare, quo ſemel obtento, poteſtatem habet Epiſcopus pręcipiẽdi obſeruationem eius, quia tunc iam nõ priuat laicum poteſtate ſua, ſed rem Eccleſiaſticam tuetur, ac defendit.

Cap. *Relatum*. 11. q. 1.

B

Ad fundamentum contrariæ ſententiæ rectè ibi reſponſum eſt, ex hypotheſi, quòd Chriſtus per ſe ipſum hoc priuilegium clericis non contulerit, Pontifices per poteſtatem ſpiritualem potuiſſe illud concedere, & conſequenter, & quaſi indirectè auferre à Principibus ſecularibus iuriſdictionem, quam in perſonas clericorum habebant, vel habere debuiſſent, ſi clerici non eſſent. Ad replicam autem ibi factam, quòd hic indirectus vſus poteſtatis ſpiritualis ſolùm habet locum per accidens propter crimina, vel tyrannidem Principis, negatur aſſumptum, nam etiam extenditur ſpiritualis poteſtas ad temporalia, etiam ſi nulla interueniat culpa ex parte Principis temporalis, ſed cauſa ſufficiens ex parte materiæ, qualis eſt connexio, vel coniunctio ſufficiens rei materialis cum ſpirituali, vel talis habitudo ad ſpiritualem finem, vt ratione illius expediat, per ſpiritualem poteſtatem dirigi, & ordinari. Tunc enim Pontifex circa talia habet cœleſtis, & terreni imperij iura, vt dixit Nicolaus Papa II. in cap. 1. diſtinct. 22. Atque in hoc ſenſu non repugnat, vſum huius poteſtatis ſpiritualis eſſe per ſe, licèt ſit indirectus, vocatur enim per ſe, quia non eſt per modum pœnæ, neque per occaſionem alicuius mali caſu inſurgentis, ſed quia ſuppoſita conditione humana, & tali inſtitutione Eccleſiaſtici ſtatus, exemptio eſt moraliter neceſſaria ad ſpiritualem finem, & nihilominus ille vſus indirectus appellatur, quia non eſt propter temporalem finem, ſed propter ſpiritualem, vt ſuprà declaratum eſt.

14. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ.

C

Vſus indirectus poteſtatis ſpiritualis etiã abſque ſecularium Principum criminibus eſt neceſſarius.

D

Ratio autem eſt, quia hæc poteſtas per ſe data eſt ad ordinarium, & conueniens regi- 15.

regimen Eccleſiaſticæ Monarchiæ, & ideo per ſe poteſt quidquid moraliter expedit ad finem eius, etiamſi ad eum finem aliquid circa temporalia diſponere, vel immutare neceſſe ſit. Eo vel maximè, quòd temporalibus Regibus non eſt data poteſtas propter ipſorum cõmodũ, ſed propter conuenientem reipublicæ gubernationẽ. Ergo ſi in ipſa republica talis mutatio fiat, ratione cuius ad eiuſdẽ maius bonum expediat, perſonas aliquas excipere à Principum iuriſdictione, mirũ non eſt, quod Eccleſiæ Princeps, qui altiorem curam, & prouidentiam habet eiuſdem reipublicæ ad altiorem ordinẽ, & ſtatum eleuatæ, propter eundem finẽ id poſsit præſtare. Maximè cũ hæc reſpublica Eccleſiaſtica, vt per Chriſtũ inſtituta eſt, ſupernaturalis ſit, & diuinum cultum principaliter reſpiciat, ad quem præcipuè hęc immunitas ordinatur. Poteſtque hoc declarari exemplo. Nam ſi ſeruus ordinetur in ſacris, interdum liberatur à ſeruitute cap. *Per venerabilem*, qui filij ſint legitimi, & cap. *Si ſeruus*. 54. diſt. cap. *Miramur*, de Seruis non ordinand. Quod potuit Eccleſia ſtatuere in debitũ vſum, & decentiam ſacramenti ordinis, & miniſterij, etiam priuando dominum poteſtate, quam antea habebat in ſeruũ, vel reddito illi pretio, vel etiam non reddito, quando dominus in ordinationẽ conſenſit. Ergo mirum non eſt, quòd ratione ordinum poſsint clerici per eccleſiaſticam poteſtatẽ à iuriſdictione tẽporali liberari, nam maius in ſuo genere eſt dominiũ ſerui, quàm ſolius iuriſdictionis, & Principes ſeculares, præſertim fideles cõſenſum ſuũ, vel expreſſè, vel tacitè præbent tali ordinationi, & Eccleſia habet ius nõ dandi illis miniſtros in ſpiritualibus, niſi veluti ſub hoc pacto, & cõditione (quæ iuſtiſsima eſt) vt immunitate tali ſtatui cõuenięti gaudeãt; ergo meritò poteſt Põtifex ſola ſua authoritate hanc immunitatem ſtabilire, & ſeculares Principes ad eam obſeruãdam obligare.

Seruus ſacris ordinibus initiatꝰ à ſeruitute eximitur.

Cap. *Per venerabilẽ Qui fil. ſint legitim.* Cap. *Si ſeruus.* 54. d. Cap. *Miramur.* de *Seruis non ordin.*

16. Quia verò in fine illius argumenti dicitur, illud maximã vim habere reſpectu Principum infideliũ, addendum eſt, etiã tempore infideliũ Principum potuiſſe Eccleſiã, & nunc etiam poſſe in regnis, & prouincijs Principum infideliũ, in quibꝰ ſunt fundatæ Eccleſiæ, poſſe (inquam) hoc priuilegiũ clericis concedere, inuitis Principibus. Oportet autem poteſtatẽ à facto, ſeu ius ab vſu diſtinguere. Nos enim de iure, ac poteſtate loquimur, & eodem principio, & rationibus factis nitimur. Et declaratur, nam ſuprà cum Diuo Thoma diximus, poſſe Eccleſiam omnes fideles à poteſtate infideliũ eximere propter periculũ; ergo maiori ratione poterit ſacerdotes, & clericos eximere ob reuerentiam diuini cultus. Põtificis enim poteſtas in ordine ad ſuum finem, etiam ſupra infideles extenditur, & ideò ius habet inſtituendi, quæ ad verum Dei cultum pertinent, & quæ ad illum decent, & expediunt, etiam inuitis Principibus infidelibus. Sicut poſſet præcipere, ne in tẽplis ſecularia iudicia fiant, etiam à Magiſtratibus infidelibus, & habet ius illos cogendi ad id obſeruandũ, ſi poſſet. Quod enim pertinet ad factum, ſiue vſum non ita poteſt cum fructu, & effectu vti Eccleſia hac poteſtate cum Principibus infidelibus, quia ipſi non cognoſcunt in Papa poteſtatem vllo modo ſuperiorem, nec poſſunt cogi per cenſuras, ſeu per gladium ſpiritualẽ; vti autẽ materiali gladio belli difficile eſt vel interdũ magis noxiũ. Et ideò facilius potuit Eccleſia illo tempore diſsimulare. Quomodo autem tunc ſe geſſerit, aut gerere potuerit, infrà inquiremus.

Inuitis Principibus ethnicis poteſt Eccleſia clericos ab eorum iuriſdictione eximere.

17. Ad priorem partẽ cõfirmationis, quę erat de vſu antiquo Prælatorũ Eccleſiæ poſtulandi ab Imperatoribus, vel iudiciũ in cauſis, & controuerſijs ſuis, vel priuilegium exemptionis pro ſuo clero, reſpõderi poteſt in primis, illud in principio Eccleſiæ locũ fortaſſe habuiſſe, quia tũc exemptio clericorum, vel non ſatis erat vſu introducta, vel nõ ſatis erat nota Imperatori recens ad fidem cõuerſo, vt erat Conſtantinus tempore Concilij Nicęni. Et ideò tunc Epiſcopos iudicium ab illo poſtulaſſe voluntariè, & non coactè. Vel dici etiam poteſt, Epiſcopos non acceſiſſe ad Conſtantinum tanquam ad iudicem in eos iuriſdictionem habentẽ, ſed vel tanquam ad defenſorem, & protectorem, quod eſt Imperatoris munus, vel certè, quod veriſimilius apparet, tanquam ad arbitrum, quem voluntariè eligebant, quia tunc non erat prohibitum: ipſe autem propter Epiſcoporum reuerentiam

Ad confirmationem.

rẽtiam munus illud acceptare recuſauit. A
Atque eadem ratione potuerunt olim Epiſcopi hoc priuilegium ab Imperatoribus poſtulare, non quia iure ipſis Epiſcopis non competeret, ſed quia vel facto illis non permittebatur, etiam à fidelibus Magiſtratibus, quibus fortaſſe tunc ius illud clericorum ſatis notum non erat; vel certè ex vrbanitate, & vt res ſuauiùs fieret, conſenſum Principis poſtularũt. Ac deniq; aliqui Imperatores ita in ſuis legibus loquuntur, ac ſi eſſent huius priuilegij authores, quia fortaſſe per ignorantiam ita exiſtimabant, vel vt oſtenderent, omnino iuri ſuo renunciare, & B
quantum eſt ex ſe ita donare, ac ſi ab eorum ſola voluntate, & poteſtate pẽderet.

18. In altera parte illius confirmationis petitur, an poſsit infidelis Princeps ad baptiſmum admitti, nolens in ſuo regno exemptionem clericorum permittere, imò ſub conditione, & pacto poſtulans, ne tali iuriſdictione priuari poſsit. In quo puncto in primis dicimus, etiamſi demus, Pontificem in tali caſu poſſe id permittere, quia nõ eſt intrinſecè malum, ac proinde poteſt talis Princeps eſſe diſpoſitus ad fidem, & baptiſmum: nihilominus inde non ſequi, hanc immuni- C
tatem per ſe, & iure pendere à voluntate Principum, ſed ſolùm ſequi, Pontificem poſſe aliquando diſsimulare, & non vti ſua poteſtate ad concedendum, vel exequendum de facto tale priuilegium propter maiora mala vitanda. Addo verò præterea, tam iniquam eſſe illam conditionem, & contrariam iuri diuino aut immediatè, aut ſaltem mediatè, vt permittẽda nõ ſit, neque baptiſmus ſub tali pacto alicui Principi cõcedendus. Primò quia nunquã poteſt Papa renũciare poteſtati, quam habet ad concedendũ hoc priuile- D
giũ, vel vſum eius, quoties Eccleſiæ vniuerſali, vel particulari expedire iudicauerit; per illud autem pactum videretur renunciare huic poteſtati, aliàs conditio eſſet friuola, & nullius effectus; ergo nũquam licet illã admittere. Imò licèt ſub ea conditione aliquem Principem ad Eccleſiam reciperet, illam poſtea ſeruare non teneretur, tum quia eſſet contra bonos mores Eccleſiæ, tum etiam quia per iniquam vim eſſet extorta, ſicut eſt in mutuo conditio ſoluendi vſuras.

Princeps ethnicus ſub conditione exemptionem clericorum nõ obſeruandi, ad fidẽ admitti nõ debet.

Prima ratio

Vnde oritur altera ratio cur hoc non liceat, ſcilicet, quia talis Princeps eſt indiſpoſitus ad baptiſmum recipiendum, tum quia grauiter peccat vim illam Eccleſiæ inferendo, tum etiam quia videtur ſuũ temporalem ſtatum baptiſmo anteponere, quandoquidem non vult illum admittere, niſi tali conditione ſibi conceſſa. Tum deniq; quia ex illa cõditione admiſſa in vno regno poſſet Eccleſia perturbari in alijs prouincijs iam catholicis, & in illa etiam, quæ de nouo cõuertitur, nũquam poſſet immunitas Eccleſiaſtica conuenienter introduci, ſemperq; perturbationes, & ſcandala timeri poſſent. Quamobrem abſolutè loquendo, iniqua videtur, & nullo modo admittenda huiuſmodi conditio præſertim abſolutè, & ſine temporis determinatione, vel alia honeſta limitatione propoſita. 19.

Secunda ratio.

Quòd ſi hæc vera ſunt (vt re vera sũt) vbi Eccleſia non videtur habere ius acquiſitum ſuper Principem nondum baptizatum, profectò longè fortiori ratione permittenda non eſt talis reſiſtentia in Principe iam fideli, ſeu baptizato, qui ſubditus eſt Eccleſiæ, eiusq; iuſtis legibus obedire tenetur. Neque verum eſt, illam conditionẽ eſſe implicitè incluſam in voluntaria ſuſceptione baptiſmi, cum enim ſit iniqua, & reijcienda, ſi fortè exprimatur, quomodo poteſt implicitè includi. Conditio ergo, quæ implicita cogitari poteſt, ſolùm eſt, vt temporalis Princeps ſuis iuribus non priuetur in his omnibus, quæ fidei, aut Eccleſiaſticæ obedientiæ non repugnant. 20.

CAPVT XII.

Vtrum priuilegium fori clericorum etiam iure ciuili fundatum ſit.

HVIVS tituli, ſeu quæſtionis sẽſus ex doctrina capitis ſuperioris accipiendus eſt, iam enim nõ quærimus, an prima origo, vel principalis; aut neceſſaria cauſa huius priuilegij ſit ius ciuile, ſeu voluntas, aut donatio Principum ſecularium; ſed an de facto ipſis conſentientibus introductum ſit; vel certè an ſit de iure ciuili eo modo, quo eſſe poteſt, vel expedit, quicunque tandem ille modus ſit. 1.

Senſus quæſtionis.

Hoc

Hoc ergo ſenſu propoſito, aſſertio certa, & cõmuni cõſenſu recepta eſt, hoc priuilegium etiam eſſe conceſſum clericis iure ciuili, ſeu à Principibus temporalibus, quæ intelligitur ab eo tempore, quo Principes facti ſunt Chriſtiani; nam antea, clarum eſt, infideles Principes nullum priuilegium clericis conceſsiſſe, ſtatim verò ac Imperatores Chriſtiani eſſe cœperunt, immunitatem clericis conceſſerunt. Vnde primus omnium creditur hoc priuilegium acceptaſſe Cõſtantinus (nam de Philippo propter temporis breuitatem ratio non habetur.) Nonnulliq; dixerunt tẽpore Iulij. I. Pontificis Cõſtantinum huic priuilegio annuiſſe, prout refert Almainus in 4. d. 25. q. 1. quos ipſe etiã ſequitur, ſed id nec probari poteſt, nec cum veritate hiſtoriarum conſiſtere. Nam Conſtantinus in initio Põtificatus Iulij. I. mortuus eſt, vnde probabile eſt, authores illos de Conſtantio loqui voluiſſe. Alij verò cenſent, Conſtantinum in Concilio Nicæno priuilegium hoc Eccleſiaſticum inchoaſſe, quãdo Epiſcopis dixit, à ſolo Deo fore iudicandos, quod ſignificat Palacios in 4. d. 25. diſp. 3. Sed re vera ex verbis illis Cõſtantini non colligitur, Conſtantinum nouum priuilegium dediſſe, ſed vel Epiſcoporum diſſenſiones, illos ſimul honorando, vno verbo componere, ac ſopire voluiſſe: vel certè recognouiſſe in Epiſcopis aliquam immunitatem diuinitus eorum dignitati conceſſam.

2. Prima concluſio. Exemptio clericorum etiam eſt de iure ciuili.

A quo præ[...] exemptio introducta ſit.

Almain.

Palacios.

3. Conſtantinus exemptionem clericorum cõceſſit.

Prætereà dubium non eſt, quin Conſtantinus priuilegia immunitatis clericis cõceſſerit, nam l. 1. C. de Epiſcop. & cleric. clericos, & mancipia eorum eximit *à nouis collationibus*, & ne hoſpites ſuſcipere cogantur, quæ lex habetur etiam in Codice Theodoſiano lib. 16. l. 8. ſed Cõſtantio tribuitur, & illi addũtur hæc verba, quæ Iuſtinianus omiſit. *Et ſiqui de vobis alimoniæ cauſa negotiationem exercere volunt, immunitate potientur*, & in l. 1. de Luſtral. collat. in eodem Codice Theodoſian. idem Cõſtantinus clericos eripit à quodam tributo, quod *luſtralis collatio* vocabatur, fortaſſe quia per luſtra exigebatur. Præterea in l. 1. de Epiſcop. & cleric. in eodẽ Theodoſiano Codice idem ſancit, *ne clerici contra indulta ſibi priuilegia nominationibus, ſeu ſuſceptionibus prægrauentur*, loquitur autem de nominationibus ad publica officia ſecularia, & à muneribus ciuilibus, à quibus clericos immunes eſſe voluit, vt clariùs explicat in l. 2. eiuſdem tituli, & rationem addit, dicens, *Ne ſacrilego liuore quorundam à diuinis obſequijs auocentur*. Et ſimile reſcriptum Conſtantini refert Euſebius, per quod clericos Africanæ prouinciæ *ab omnibus omnino communibus, & ciuilibus rerum publicarum miniſterijs immunes, & abſolutos vult*. Rationem verò addit generalem omnibus clericis, *vt nullo modo per errorem, vel per ſacrilegium, ac prophanam prolapſionem, quæ in huiuſmodi negotijs accidere ſolent, à cultu diuinæ maieſtati debito abſtrahantur*. Idemq; priuilegium ſupponit, & quomodo ſeruandum ſit declarat idem Conſtantinus in l. 6. eodem tit. in Theodoſiano Codice.

L. 1. C. de Epiſco. & cleric.

Refert Gratianus in c. Generaliter. §. Nouarum. 16 q. 1.

L. 1. de Luſtral. coll.

L. 1. de Epiſcop. & cleric.

A

Euſeb. lib. 10. Hiſtor. c. 7. Nicephor. lib. 7. c. 42. Sozomen. lib. 1. c. 9.

B

Conſtantinus.

Quia verò in his legibus non fit expreſſa mentio priuilegij fori, licèt cum alijs connexum eſſe videatur, addenda eſt lex. 7. eodem tit. & cod. in qua ſic dicit idem Conſtantinus: *Clerici, qui per iniuriam hæreticorum ad curiam deuocati ſũt, abſoluantur, & de cætero ad ſimilitudinem Orientis ad curias minimè aduocentur, ſed immunitate pleniſſima potiãtur*. Vbi oportet aduertere, licèt de hæreticis in illo reſcripto mentio fiat, quia per occaſionem perſecutionis Donatiſtarum datum fuit illud priuilegium, nihilominus ipſum priuilegium latum fuiſſe abſolutè, ſupponiturq; antea fuiſſe cõceſſum in Oriẽte, & ad Occidentalem Eccleſiam extẽditur. Imò, quod maximè notãdum eſt, tantum aliquando Conſtantinus detulit iudicio Epiſcoporum, vt omnibus etiam laicis in cauſis ciuilibus ad Epiſcopos prouocare conceſſerit, eorumq; ſententias Magiſtratuum ſecularium ſentẽtijs prętulerit, vt conſtat ex l. 1. de Epiſcopali iudicio in Codice Theodoſiano, & ex Sozomeno lib. 1. Hiſtor. c. 9.

4. *Lex. 1. eodem tit. & codi.*

C

Lex. 1. de Epiſco. iudici.

Sozemen. Vide Baronium ann. Chriſti 336 in fine.

D

Prætereà in eodem codice Theodoſiano, tit. de Epiſcop. & cleric. habentur variæ leges Conſtantij Imperatoris, in quibus ſimilia priuilegia clericis cõcedit, nam in l. 9. clericos eximi à *curialibus muneribus, & ab omni inquietudine curialium functionum*, & in leg. 10. concedit eis *immunitatem ab exactionibus munerum ſordidorum, & à negotiatorum diſpendijs*, quæ vide-

5. Cõſtantius etiam eadẽ priuilegia clericis conceſsit.

videtur fuiſſe exemptio à tributis ſoluendis ex ijs, quæ ſua induſtria lucrabãtur, hoc enim ſignificat in ratione, quam ſubdit, dicens, *Cùm certum ſit, quæſtus, quos ex tabernaculis, atque ergaſterijs colligunt, pauperibus profuturos*. Et additur; *Parangariarum quoque pari modo ceſſet exactio*, & infrà. *A cenſibus etiam iubemus perſeuerare immunes.* Et ſimiliter in l.11. eximit clericos *à muneribus curialibus*. Addit verò notandam reſtrictionem dicens. *Clerici, qui in totum nihil poſsident, ac patrimonio inutiles ſunt*, quia fortaſſe tũc clerici illum ſtatum profitebantur.

6. Veruntamen in his non ſatis explicatur priuilegium fori, quanuis interdũ per generalia verba inſinuari videatur. In lege autem 12. prohibet idem Imperator, *Epiſcopos in iudicijs publicis accuſari, Ne libera ſit* (inquit) *ad arguendos eos animis curialibus copia*, & ideô ſubiungit, *cauſas Epiſcoporum ad Epiſcopos eſſe deferendas.* Coniectatque Baronius, hoc priuilegium conceſsiſſe Conſtantium ad petitionem Hilarij, qui in libro ad eundem, cuius initium eſt *Benignifica natura tua*, ſic inquit: *Prouideat, & decernat clementia tua, ne iudices poſthac præſumant, & vſurpent, ac putent, ſe cauſas cognoſcere clericorum, &c.* vbi expendo verba *Præſumant*, atque *vſurpent*, quibus non tam nouum priuilegium, quàm ne antiquum violaretur, poſtulare viſus eſt. Atque ita Conſtantius antiquum potius priuilegium confirmauit, quàm nouum conceſſerit; eodemque modo in l. 13. eiuſdem tituli ſimul cum Iuliano confirmat priuilegia clericis vrbis Romæ conceſſa, & l.14. itidem confirmat exemptiones clericorum à tributis à Conſtantino conceſſas.

Idem Conſtantius.

Baron.

7. Præterea hæc immunitas à poſterioribus Imperatoribus cõfirmata eſt, licèt interdum eam reſtringere, vel mutare tẽtauerint. Valẽtinianus enim. 1. vt refert Ambroſius lib.2. epiſt.13. aliàs epiſt.32. *Non ſolùm ſermone reſpondit, verùm etiam legibus ſuis ſanxit. In cauſa fidei, vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſsimilis. Hæc enim verba reſcripti ſunt* (ait Ambr.) *hoc eſt, ſacerdotes de ſacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam ſi aliàs quoq; argueretur Epiſcopus, & morum eſſet examinanda cau-*

Cæteri etiã Imperatores eandem exemptionem confirmarunt.

Ambroſ.

A *ſa, etiã hanc voluit ad Epiſcopale iudicium pertinere.* Poſteà verò quia multi cauſa vitandi onera curialia, atque potiẽdi Eccleſiæ priuilegijs, clerici fiebant. Idẽ Valentinianus de Epiſcop. & cler. ſtatuit, vt non niſi qui decennio in clericatu perſeueraſſet, clericorũ immunitatibus potiretur, vt colligitur ex l. 19. de Epiſcop. & cler. in codice Theodoſiano. Poſt modũ verò Gratian. in l. vlt. de Epiſcopal. iudic. ſtatuit, *ne clerici ad iudicia ſecularia pertrahantur*. Et deinceps Honorius abſolutê idem priuilegiũ fori clericis reſti-
B tuit, vt cõſtat ex l.41. de Epiſco. & cler. in Codice Theodoſiano, dicens de clericorũ cauſis. *Huiuſmodi cauſas dũtaxat Epiſcopi ſub teſtificatione multorum actis audire debẽt*, & in l.29, 30. & 38. cõfirmat priuilegia omnia à ſuis prędeceſſoribus clericis cõceſſa, inter quæ ſine dubio priuilegiũ fori cõtinetur. Expreſsiusq; colligitur ex l.45.46. & 47. eiuſdem tit. Vnde idem ſeruatũ eſſe ſub Theodoſio iuniore colligi poteſt ex epiſt.54. Auguſtini, cuius verba paulò poſt referemus. Poſteà verò Valentinian. 3. clericos priuilegio fori omnino priuauit, vt cõſtat ex libro
C Nouellarum eius tit.12.

Gratian.

Honorius.

Auguſt.

Valentinianus exemptione clericos priuauit.

8. Refert itẽ Baronius an.455.n.25. Marcianũ Valẽtiniani ſucceſſorem perſonas Eccleſiaſticas priſtinę reſtituiſſe libertati, reuocatis legibus cõtra illã â prędeceſſoribus promulgatis: ſolùm tamẽ allegat Nouellã eiuſdẽ Imperatoris, quæ eſt vltima in lib.3. Nouell. in Cod. Theodoſiano, & in l. *generali*. C. de Sacroſ. Eccleſ. in illa verò ſolum reuocantur leges, quibus prohibebãtur clerici, ne aliquid ex teſtamento relictũ à viduis caperent, de priuilegio autẽ fori nihil ibi legitur. In quodã verô ſcholio ad Nouellã Valẽtiniani no-
D tatur, illius reuocationẽ retractaſſe Maiorianũ Auguſtũ, quod etiã notat Baron. an. Chriſti 452.n.52. dicens. *Hæc quidem Valẽtinianus turpiter Romæ promulgat, ſed quàm iniquè, & impiè, lata à ſucceſſore Maioriano his contraria ſanctio demonſtrauit.* Non referunt autẽ hi authores ſanctionẽ Maioriani, nec inter nouellas eius, quæ lib.4. Nouellar. poſt Codicẽ Theodoſianũ habẽtur, cõtinetur. Neq; de ſtatu huius priuilegij ab illo tẽpore vſq; ad Iuſtinianũ aliquid ab Imperatoribus clariꝰ ſtatutũ, quod certò affirmare valeã, inuenio.

Baronius. *Marcian. Imp.*

Maiorian. Auguſt. *Baronius.*

Ex

9. Priuilegiũ fori ante Iuſtinianũ clericis fuiſſe conceſſum.

Ex dictis autem manifeſtè falſum eſſe conuincitur, quod quidam ſchiſmaticorum fautores hoc tempore dixerunt, diſtinctionem fori inter Eccleſiaſticos, & laicos ante Iuſtinianum in Eccleſia nõ fuiſſe. Nam ex dictis oſtenditur, plures Imperatores hanc fori diſtinctionem cõceſsiſſe, ſeu admiſiſſe, vt de Conſtantino, Honorio, & Valentiniano. 1. & alijs oſtẽdimus. Item multô antiquior Iuſtiniano eſt grauis illa in Concilio Aquileienſi Ambroſij ſententia, *non laicos de ſacerdotibus, ſed potiùs ſacerdotes de laicis iudicare debere*, quam etiam habet in dicta epiſt. 13. ad Valentinian. Auguſtum, & in ea diſtinctionem fori ſignificat. Quam etiã ſupponit Auguſt. in epiſt. 53. ad Macedonium Proconſulem, & iudicem ſecularem, qui cùm Auguſtinum interrogaſſet, cur Sacerdotes in ſeculari foro pro reis intercederent, ipſe Auguſtinus viciſsim reſpondet: *Scio ego, te ipſum cum alijs amicis tuis in Eccleſia Carthaginẽſi interceſsiſſe pro clerico, cui meritò ſuccenſebat Epiſcopus, & vtique nullum ibi diſcrimen ſanguinis in incruenta diſciplina timebatur.* In quibus verbis apertè ſupponit, & declarat fori diſtinctionem, quæ iam tunc in vſu erat. Quin potiùs Concilium Matiſconenſe. 2. cap. 9. diſtinctionem hanc *in ipſo pene Chriſtianitatis principio, non ſolùm canonum, ſed etiam legum interuentu introductam aſſe*, aſſeruit.

Ambroſ. *Auguſt.* *Conc. Matiſcon.*

10.

Iuſtinianus ergo non fuit author diſtinctionis fori Eccleſiaſtici à ſeculari, nec priuilegium fori clericis primus ipſe conceſsit. Quin potiùs licèt antiqua de hoc foro priuilegia concedere, aut innouare viſus fuerit, ea tamen ad ciuiles cauſas limitauit. Nam in criminalibus, quãdo crimina non Eccleſiaſtica, ſed cõmunia ſunt, vt furta, homicidia, &c. voluit clericos à laicis iudicari, & puniri, vt cõſtat ex Nouella 83. aliàs Authent. *Vt clerici apud proprios Epiſcopos, &c.* & ex Authent. *Caſſa*, & Authentica *Clericus*. C. de Epiſcop. & cleric. Aliqui verò exiſtimant, priuilegium fori iterum fuiſſe plenè reſtitutum per Carolum Magnum per quandam legem, qua renouauit aliã Conſtantini, & Theodoſij, quam ſuprà retulimus, qua ſtatuebatur, vt omnes cauſę etiam laicorum poſsint per Epiſcoporum ſententiam terminari, prout refert

In criminalibus clericos à laicis iudicari voluit Iuſtinianus.

Authent. *Vt clerici apud proprios Epiſcopos.* Authent. *Caſſa.* Authent. *Cleric.* C. de Epiſcop. & cler.

A Gratian. in capite *Omnes*. 11. q. 1. & latiùs Baronius tom. 9. ann. 801. circa medium. Sed in primis lex illa non de criminalibus cauſis, ſed de ciuilibus loquebatur, valde enim alienum eſſet ab Epiſcopali munere, in criminalibus cauſis laicorum ſententiam dicere. Deinde per illam legem non concedebatur clericis priuilegium fori, ſed potiùs facultas dabatur laicis, vt coram Epiſcopis poſſent ſuas ciuiles cauſas tractare, ac definire. Denique hoc ipſum priuilegium vel receptum non fuit, vel certè non multum

An priuilegiũ fori per Carolũ Magnũ fuerit reſtitutum. *Gratian.* *Baron.*

B durauit, ſed vſu abrogatum eſt, vt notant Gloſſa, Hugo, Turrecremat. & alij Doctores in dicto cap. *Omnes*, & cap. *Quicũq;* 11. q. 1. & latiùs notat Gloſſa in cap. *Relatum*, eadem cauſa, & quæſtione. Quocirca licèt ex hiſtorijs conſtet, Carolum Magnum multa beneficia, & priuilegia clericis, & ſacerdotibus contuliſſe, an verò ſingulare aliquid circa hoc priuilegiũ fori ſtatuerit ſcriptũ non inuenio, neque de alijs Imperatoribus, qui poſt illũ vſq; ad Fridericum II. fuerunt.

Gloſſa. *Hugo.* *Turrecr.* *Gloſſa.*

11. Priuilegiũ fori in ciuilibus, & criminalib. pleniſsime ſtatuit Fridericus.

Hic autem Fridericus ſub Honorio III. pleniſsimum priuilegium fori tam

C in criminalibus, quàm in ciuilibus cauſis clericis contulit, vt conſtat ex eius conſtitutione, quæ habetur in volumine poſt libros feudorum, & ex Authentico *Statuimus*. Cod. de Epiſcop. & cleric. ex Authent. *Caſſa*. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. Quas leges acceptauit Papa in fine dictæ conſtitutionis his verbis. *Nos Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei has leges à Friderico Romanorum Imperatore filio noſtro chariſsimo pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus, approbamus, & confirmamus tanquam in æternum valituras.* Atque ita receptum fuit

Authent. *Statuimus C. de Epiſcop. & cle.* Authent. *Caſſa. de Sacroſãct. Eccleſ.*

D hoc ius in toto orbe Chriſtiano, ex quo ſatis conſtat, priuilegium hoc iure communi ciuili ſtabilitum eſſe. Quod etiam imitatæ ſunt leges particularium regnorum, præſertim Hiſpaniæ tam in antiquioribus legibus, Partita prima, titul. 6. l. 51. & ſequentibus, quàm in noua recopilatione, libro primo, titulo tertio à principio, præſertim Leg. 11. & 12. & Luſitaniæ libro ſecundo Ordinationum per varias leges, idemquè de Legibus aliorum catholicorum regnorum arbitramur.

Varijs etiã legibus ciuilib. hoc priuilegium in Hiſpania introductum eſt.

CAPVT XIII.

Difficultati, quæ ex præcedẽti capite oritur, occurritur, & quomodo Eccleſia diuerſis tẽporibus priuilegio fori vſa fuerit, explicatur.

1. Primum dubium circa vſum priuilegij fori.

EX dictis in præcedenti capite circa vſum huius priuilegij fori dubium naſcitur, nam videtur ſequi, aut Eccleſiam non fuiſſe vſam hoc priuilegio plenè, & conſtanter ante Frederici. II. tempora, aut multis temporibus, renuentibus Imperatoribus, illud obſeruaſſe; primum autem videtur magnum eſſe inconueniens, ſecundum verò difficile creditu eſt, quid ergo dicẽdum eſt de iſtius vſus antiquitate, & modo? Nam quod Paſtores Eccleſiæ contra Imperatorum voluntatem priuilegium hoc non exercuerint, ſed diſsimulauerint, eorũq; voluntati, ac potentiæ ceſſerint, colligi poteſt, tum quia frequenter in ſuis decretis Imperatorum, aut Regum conſenſum, ſeu iurium ciuilium concordiam allegant: tum etiam quia non legimus, cenſuras fulminaſſe contra aliquem Imperatorem, qui ante Fredericum. II. priuilegium fori, vel omnino, vel ex parte clericis abſtulerit, vt de Valentiniano, & Iuſtiniano retulimus. Imò ipſimet Imperatores, qui maximè videntur clericis in hoc priuilegio fauiſſe, interdum in aliquibus cauſis, etiam ipſiſmet Epiſcopis, & clericis poſtulantibus, hanc iuriſdictionem aſſumebant, quibus Pontifices non reſiſtebant, ſed potiùs videndo, & tacendo, conſentire videbantur.

Rationes dubitandi.

2. Secundum dubium, an clerici abimperiali poteſtate fuerint exempti.

Atque hinc naſcitur alia difficultas, quam Barclaius cap. 35. apud Bellarmin. tetigit, quia licèt multi Imperatores cõceſſerint clericis hanc exemptionem à ſuis iudicibus, & Magiſtratibus, non tamen legimus, eos à ſua propria, & Imperiali poteſtate exemiſſe. Nũquam enim id declararunt, quod tamen in tam ſpeciali priuilegio neceſſarium videbatur. Et factis oppoſitum oſtendebant, vt dixi. Ipſeq; allegat modernum factum Caroli V. qui Hermannum Archiepiſcopũ Colonienſem in ius ad ſe vocari iuſsit, vt de criminibus ſibi obiectis ſe purgaret. Poſſetq; allegare difficilia verba Iuſtiniani in Authent. *Nullus Epiſcopus*, C. de A Epiſcop. & cleric. quæ ſic habẽt, *Nullus Epiſcopus inuitus ad ciuilem, vel militarem iudicem in qualibat cauſa producatur, vel exhibeatur, niſi Princeps iubeat.* Vbi conſtat, concedi exemptionem ab inferioribus, non ab ipſo Principe. Et idem ſumi poteſt ex Authentic. *Sed hodie*, eodem tit. ibi: *Niſi cum ex iuſsione Principis ad alias prouincias vocantur.*

Ratio dubitãdi pro negatiua parte.

Authent. Nullus Epiſcop. C. de Epiſcop. & Cler.

Authent. Sed hodie. eod. tit.

3. Ratio pro parte affirmante.

In contrarium verò eſt, primò quia hoc repugnat multis Concilijs aſſerentibus, hanc immunitatem eſſe antiquiſſimam, & à principio Chriſtianitatis obB ſeruatam. Quod etiam ratio ſuadet, quia videtur incredibile, Eccleſiam tanto tẽpore caruiſſe vſu, & obſeruantia immunitatis ad bonum religionis, & decentiã Eccleſiaſtici ſtatus prorſus neceſſaria. Præſertim cum ex diuino iure propriè, & immediatè ſit, vel ſaltem adeò illi propinqua, vt ſine illa non poſsit conſeruari. Secundò quia inde ſequeretur, etiã nunc non gaudere clericos integra exemptione, quia ſaltem erũt ſubiecti iuriſdictioni Imperatoris, Regum, & quoruncũq; ſupremorum Principum, quia nec Fredericus. II. aliter in hanc exemptionem C conſenſit, quâm ſui prædeceſſores, ſed quod ipſi fecerant, *inſtaurauit, innouauit, & ſeruari mandauit*, neque etiam alij Imperatores, vel Reges poſt Fredericũ magis ſe ſua iuriſdictione abdicarunt: conſequens autẽ intolerabilis error eſt, quãuis Barclaius illud inſolenter admittat.

4. Ad reſolutionem duo tempora diſtinguuntur.

In hoc puncto breuiter duo tempora diſtinguenda ſunt, vnum eſt à principio Eccleſiæ vſque ad Conſtantinum, quando Principes temporales ethnici erant; aliud eſt à Conſtantino vſque ad Fredericum. II. omittimus autem tertium tẽpus à Frederico vſque ad noſtra tempoD ra, quia de his quadringentis annis nullus dubitat, quin Eccleſia Catholica plenè, ac integrè hoc priuilegium ſeruauerit, iuxta ſacrorum canonum diſpoſitionem, ſine contradictione alicuius Principis Chriſtiani, qui hæreticus, vel ſchiſmaticus habitus non fuerit. Prætereà circa duo prima tempora præmittenda eſt alia diſtinctio ſupra data, de iure vtendi hoc priuilegio, & de facto, ſeu de ipſo vſu cum effectu: ſæpe enim priuilegiatus ſuo priuilegio non vtitur, licèt iure poſsit, quia de facto non valet. Hæc autẽ impo-

impotentia facti eſſe poteſt, vel in ſingulis priuatis perſonis Eccleſiaſticis, ſi ad ſecularia iudicia ire cogantur, vel in Sūmo Pontifice, ſi cum effectu, vel fructu non poſsit ſeculari poteſtati hanc vim inferenti reſiſtere.

5. *Prima Concluſio.* De primo ergo tempore dicēdum eſt, hoc priuilegium non potuiſſe ab Eccleſia plene obſeruari, ſeu vindicari, non ex defectu iuris, ſed ex defectu potentiæ facti, ſeu executiua (vt ſic dicam.) Hæc aſſertio in ſuperioribus inſinuata eſt, & quoad priorem partem de iure ſufficienter probata eſt, quia hoc priuilegiū, & immediatè eſt iure diuino conceſſum, & licèt non eſſet, data eſt Eccleſiæ poteſtas & impoſita obligatio inducēdi illud. Eſt autem notanda differentia inter hos duos modos, quibus hoc priuilegiū potuit eſſe de iure diuino, quia iuxta illos diſtingui etiam poterit duplex modus habendi ius circa hoc priuilegium. Nam priori modo erit ius illud in re reſpectu omniū, & ſingulorum clericorum; poſteriori autē modo erit tantùm ius ad rem. Si enim priuilegium priori modo eſt à Chriſto conceſſum, omnes clerici in quocumque tempore fuerunt actu exempti à iuriſdictione Principum ethnicorū, & hoc vocamus ius in re, & conſequenter Principes etiam fuerunt priuati iuriſdictione in clericos, quia hæc duo cōnexa ſunt. Ex quo etiam ſequitur, potuiſſe illo tempore clericos in conſcientia non parere legibus, vel ſententijs Principum, vel iudicum ethnicorum, & ſi ab eis cogerentur, vim vi repellere, ſi viribus valerent, quia ſi infideles iuriſdictionem non habebant in ipſos, iniuriam ab eis patiebantur clerici, & in conſcientia non tenebantur illā ſuſtinere, niſi fortaſſe propter vitandum ſcandalum, vel aliam ſimilem extrinſecā rationem.

6. At verò ſi priuilegium tantùm poſteriori modo, id eſt, per Pontifices in vi poteſtatis, ac præcepti iuris diuini eſt cōceſſum, ſic ſolùm habuerunt clerici in illo primo tempore ius quoddam ad illud priuilegium, non tamen ius in illo, quia non fuerunt actu exempti, donec Eccleſia illud inſtituit, & actu conceſsit. Et conſequenter Principes infideles eo tempore non fuerunt priuati iuriſdictione ſua, quam habebant in perſonas clericorum, quia non legimus, Eccleſiam eo tempore vſam eſſe poteſtate, ſeu iure, quod habebat ad eximēdos clericos, ſeu priuandos Principes iuriſdictione in ipſos. Vnde vlteriùs fit, obligatos fuiſſe clericos eo tēpore in conſcientia parere legibus, & ſententijs Magiſtratuum etiam ethnicorū, quia ex vera iuriſdictione procedebant. Et eadem ratione tenebantur ſubeſſe vi coactiuæ illorum, ſi alioqui iuſte illa vterentur.

Inter hos autem duos modos explicādi hoc ius, licèt prior ſit probabilior, tamē in vtroque optimè declaratur, morem quem in vſu talis priuilegij Eccleſia ſeruauit, ſemper fuiſſe rationi, ac prudenti gubernationi Eccleſiæ conſentaneum. 7. *In vſu priuilegij fori prudēter ſēper ſe geſsit Eccleſia.* Nam licèt Pontifices eo tempore haberent poteſtatem, & præceptum eximendi clericos omnino à iuriſdictione ſecularium Principum, nihilominus prudenter ſe gerebant, non vtendo illa poteſtate, quia Eccleſiæ non expediebat, quia ſine fructu, & cum ſcandalo, & impedimento fidei id agere tentarent, ideoque ius diuinum nō tranſgrediebantur; quia præceptum illud affirmatiuum erat, cuius natura eſt, non obligare pro ſemper, & ita pro illo tempore non obligauit. Et ſimiliter licèt priuilegiū fori fuerit priori modo immediatè à Chriſto conceſſum, probabiliſsimè, & prudentiſsimè explicatur, datum eſſe cum tali dependentia ab Eccleſię Paſtore, & gubernatore, vt ſine illius cōſenſu, & determinatione non liceat ſingulis priuatis perſonis illo priuilegio ſuo arbitrio vti. Nam hęc dependentia negari nō poteſt, vt iam dixi, tum quia ipſo vſu, & experientia probatur, tum etiam quia erat valde neceſſaria ad pacem, & bonum Eccleſiæ regimē. Vnde fit abſolutè dicendum eſſe, non potuiſſe clericos eo tempore in conſciētia reſiſtere iuriſdictioni Principum ſecularium, quia Eccleſia nihil in hoc declarauerat, aut ſtatuerat, & alioqui illi Principes ſuo iure bona fide exiſtimato vtebantur, licèt alioqui infideles eſſent. Et hic modus explicandi hoc ius eſt conſentaneus Paulo ad Roman. 13. & ſententijs Patrum pręſertim Chryſoſtomi, & Gręcorum illum exponentium.

8. Ex quibus colligere licet, an dicendū ſit clericos illo tēpore fuiſſe exemptos

 iure,

iure, licèt facto nõ eſſent, & (quod perinde eſt) fuiſſe ſubiectos iuridictioni Principũ facto non iure, ac ſubinde vſurpato iudicio, nõ verò: vel potiùs aliquo modo fuerint verè, & iure ſubiecti. Dicendum enim cenſeo, clericos ex parte ſua iure fuiſſe exemptos, quia iure diuino hoc potiebantur priuilegio, vt dictum eſt. Et cõſequenter ſeculares Principes ethnicos non habuiſſe iuriſdictionem propriam in illos; per ignorantiam verò à formali tyrannide excuſari potuiſſe. Et nihilominus ad vitanda maiora mala, & ne per ignorantiam daretur bellum iuſtum ex vtraque parte, permiſiſse tunc Paſtores Eccleſię, vt Eccleſiaſticæ perſonæ Regibus, & Magiſtratibus temporalibus parerent: volueruntque illos haberi vt legitimos iudices, & ſuperiores in rebus temporalibus, & honeſtis: quia minus malũ erat illos tolerare, & quaſi eis cõmittere vices ſuas, quàm vel ſtatum Eccleſiaſticũ perturbare, vel clericos ſine legitimis iudicibus in ipſo vſu relinquere. Hoc ergo modo non obſtante immunitate iure diuino conceſſa clericis, potuerunt illo tẽpore iudicari à laicis, non propriè vſurpato iudicio, ſed vero, ſi alioqui cauſa erat temporalis, & legitime tractabatur.

Principes ethnici nunquam habuerunt verã iuriſdictionem in clericos.

9\. Addendum verò vlterius eſt, habuiſſe clericos illo tempore aliquo modo vſũ huius priuilegij intra ipſam Eccleſiam reſpectu aliorum fidelium, ita etiam diſponente Eccleſia, quantum ſtatus illius temporis permittebat. Probatur, & declaratur in hunc modũ; quia ſemper Eccleſia prohibuit fidelibus, ne clericos ad laicos iudices deferrent, ſed ad Eccleſiaſticum forum. Quam legem inuenimus, non ſolùm à multis Concilijs poſt tempora Chriſtianorum Principum coactis, & ſuprà in fine capitis. 3. allegatis, ſed etiã à non nullis Pontificibus antiquioribus latam, præſertim ab Alexandro, Caio, & Marcellino in ſuis epiſtolis decretalibus, quas in eodẽ loco citaui. Quamuis enim eo tempore infideles principes ſuã exercerent iuriſdictionem, & ideo eorũ Magiſtratus poſſent eſſe veri iudices in cauſis Clericorum modo declarato, clericuſque accuſatus, vel citatus coram iudice laico infideli teneretur cõparere ad iuſſionem talis iudicis: nihilominus potuit Eccleſia epiſcopale forum erigere, in quo

Clerici inter alios fideles ſemper priuilegio fori gauiſi fuerũt.

A cauſæ clericorum, quantum fieri poterat ex parte Eccleſiæ, tractarentur. Nam ad hoc ſemper habuit, & poteſtatẽ à Chriſto datam, & illam exequendi opportunitatem. Ideoque à tempore Apoſtolorum vſum etiam eius habuit, vt apertè ſumitur ex illo primę ad Timot. 5. *Aduerſus Preſbyterum accuſationẽ non recipias, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus*, quę verba ſupponunt iam tunc fuiſſe Epiſcopale tribunal pro clericorum cauſis dijudicandis erectum.

B Eſtque attentè conſiderandum, Paulum non loqui de ſolis cauſis Eccleſiaſticis, ſed de querelis contra clericos in cauſis criminalibus: nam in illis fit propria accuſatio, & cũ Paulus indefinitè, & ſimpliciter loquatur, nõ eſt reſtringenda illius ſententia ad crimina Eccleſiaſtica: de quocumque ergo crimine poterat, & debebat tunc presbyter accuſari in tribunali Eccleſiaſtico. Nec refert, quod Chryſoſtom. Theophylact. & Græci nomen presbyteri non ad dignitatem ſacerdotij, ſed ad ętatem ſenectutis accommodant; Non, inquam, hoc obſtat, tum quia etiã in illo ſenſu probatur ex illo loco tribu- 10.

C nal Eccleſiaſticum pro cauſis fidelium, & maiori ratione pro cauſis clericorum, non enim eſſe poterant peioris conditionis, ſi alij admittebantur, quod nunc non examinamus, quia ad cauſam præſentem parum refert. Tum etiam, quia probabilior eſt expoſitio Ambroſij, ſi eius ſunt cõmentarij, & Hieronymi, cum eadem correctione, Anſelmi, D. Thomę, & Latinorum, qui de ſacerdotibus locum illũ interpretantur. Nam de illis loquebatur Paulus in verbis proximè præcendentibus, dicens: *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni ſunt, maxime, qui laborãt*

Sentẽtia Patrũ de ſeniorib. loco Pauli intelligẽdũ tradita reſolutioni non aduerſatur.

D *in verbo, & doctrina*, & ſtatim ſubiungit, *Aduerſus presbyterum noli accuſationem recipere, &c.* Eratque maior ratio erigendi tribunal Eccleſiaſticũ pro clericis, quã pro aliis ſeniorib⁹ laicis fidelib⁹; quia ſpecialiori ratione ſũt clerici ſub cura, & regimine prælatorum, quàm cõmunis plebs fidelium, eo quòd ſpecialiùs ſunt ad Eccleſiaſtica miniſteria deſtinati, vt dictũ eſt. Atque hoc modo fuit ab initio in Eccleſia aliqua diſtinctio fori Eccleſiaſtici à ciuili, non ſolùm pro cauſis Eccleſiaſticis, ſed etiam pro alijs, & pro criminibus ſaltem

tem

tem clericorum, vt ſupra etiam notatum eſt.

11. Hac ergo diſtinctione ſuppoſita, optimè potuit Eccleſia illo tempore prohibere, ne clerici accuſarentur, vel deferrentur ad tribunalia laicorum per alios clericos, vel fideles. Quamuis enim hoc prohibere nõ potuerit infidelibus, interquos fideles tũc viuebant, quia neq; erant ſubditi Eccleſiæ, neq; illos cogere valebat, & ita poterant mouere litem, vel accuſationem contra clericum coram ſuo iudice, quem ſolum vt legitimũ recognoſcebãt: nihilominus fidelibus ſubditis potuit Eccleſia præcipere, vt ſi presbyterum accuſare vellent, id facerẽt in tribunali Eccleſiaſtico, quia ita erat valde conueniens, ac neceſſarium ad ſeruandum diuinũ ius, & ad honorem Chriſtianę religionis, & decentiam Eccleſiaſtici ſtatus, quam in omni tempore, quantum illius conditio, & ſtatus patiebatur, Eccleſiæ Prælati procurare debuerunt.

Eccleſia ſẽper potuit cogere fideles ad exemptionẽ clericorum ſeruandam.

12. Prohibitio autem illa erat iuſta illo tẽpore, quia licèt Principes ſeculares ſuam exercerẽt iuriſdictionem fideles eorum ſubditi nõ tenebantur aliquo iure ad mouendam accuſationem, vel litem coram ipſis, ſed poterant quocũq; alio honeſto modo ſuas controuerſias, vel lites componere; ergo licitè, ac prudenter potuit Eccleſia præuenire, ac pręcipere fidelibus, vt aduerſus clericum in Eccleſiaſtico iudicio agerent, non in ſeculari, & conſequẽter potuit etiam grauiter punire per Eccleſiaſticas cenſuras tranſgreſſores huius præcepti. Eo vel maximè, quòd licèt per hoc pręceptum aliquo modo ſubtraherentur huiuſmodi cauſæ iudicibus laicis, eorumque iuriſdictio ex parte impediretur, vel tolleretur, id totum licebat, ſolùm ex vi diuini priuilegij, ſed etiam quia indirectè ſaltem cadebat ſub poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ, propter bonum religionis, & ſupernatualẽ finẽ, & vſus talis poteſtatis exerceri tunc potuit ſine ſcandalo infidelium, aut impedimento, vel perturbatione fidei. Meritò ergo Eccleſia ſicut de iure potuit, ita de facto prohibuit, ne clerici ad tribunalia ſecularia deferrentur. Quod Alexander Papa confirmat, quia ſi Paulus Chriſtianorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibidem terminari præcepit (1. ad Corint. 6,) etiam

1. Cor. 6.

A potuerunt Pontifices pręcipere, vt ſacerdotes coram ſolis Epiſcopis accuſarẽtur, quo argumento vſum etiam eſt Conciliũ Carthaginenſ. 3. cap. 9. & de illo videri poteſt D. Thomas ſuper locum Pauli.

Cõc. Cart. D. Thom.

13. Sic igitur cœpit Eccleſia illo tempore eo modo, quo potuit clericos à ſeculariũ iudicio eripere, eodemque modo cœpit eorum immunitatem tueri, non quidem plenè, & omni ex parte, quia tũc non erat opportunum, ſed vt dixi, quantum fieri poterat ex parte fidelium. Vnde meritò poteſt illa prohibitio quoddam priuilegium fori clericorum appellari, ſicut B prohibitio ſub ſpeciali cenſura, ne quis in clericum violentas manus inijcere audeat, eſt magnũ priuilegium clericorũ, quod canonis appellatur. Sicut enim hęc prohibitio canonis facta eſt ingratiam ſtatus Eccleſiaſtici, ita etiam illa antiqua poſita fuit, vt clerici tanquam res ſacræ, & religioſæ iudicio etiam quodammodo ſacro, quoad fieri poſſet, reſeruaretur. Auctumque fuit hoc priuilegium illo tempore per aliam Eccleſiaſticam legẽ, qua conceſſum eſt clericis, ne poſſent à laicis ſed tantùm à clericis accuſari, vel è conC uerſo prohibitum erat laicis ne clericos accuſare auderent, de qua prohibitione multa decreta refert Gratianus. 2. q. 7. ex quibus antiquiora ſunt Euariſti in epiſtol. 2. Fabiani epiſt. 1. & 2. Euſebij epiſt. 1. & 2. hęc tamẽ prohibitio poſtea magis declarata, vel limitata eſt, vt in tota illa quæſtione videri poteſt. Et hęc de illo primo tempore ſufficiunt.

14. De ſecundo tempore dicendũ eſt, ferè ab initio Imperatorum Chriſtianorum clericos fuiſſe exemptos à foro ſeculari, tùm iure proprio, & in re obtento per priuilegium actu conceſſum, tum etiam faD cto, niſi quando per iniuriam, vel tyrannidem impediebantur, ſeu cogebantur. Hæc aſſertio ex dictis in capite præcedenti facile probari poteſt. Et prima quidem pars nota eſt, quia hoc priuilegium ab ipſo Chriſto immediatè collatum eſt. Imò quamuis eſſet neceſſaria applicatio aliqua per Pontificem, probari poſſet in hunc modum. Nam Eccleſia, ſeu Pontifices ſemper, quantum in ipſis fuit, voluerunt immunitatem hanc clericorum conſeruare, quia ad hoc ex lege diuina tenentur, & quia ad bonum religionis eſt maxi-

2. Cõcluſio Cũ Imperatoribus Chriſtianis exẽptione gaudere clerici cæperunt. Probatur.

maximè conueniens: in tempore autem ethnicorum Principum propter incapacitatem illorum hoc perficere non tentarunt; ergo eo ipſo, quòd Chriſtiani Principes huic immunitati faciles ſe prębuerunt, Pontifices vſum illius introduxerunt, ac perfectè ſtatuerunt. Oſtẽdimus autem Conſtantinum factum Chriſtianum immunitatẽ hanc vel recognouiſſe, & admiſiſſe; vel ſi opus erat, donaſſe; ergo ſtatim etiam Paſtores Eccleſiæ, & donationem acceptarunt, & ſiquid amplius ex parte ſua neceſſarium erat, addiderũt; ergo ex tunc cœperunt clerici habere nõ ſolùm ius ad immunitatem, ſed etiam priuilegium ipſum, & vſum eius actu conceſſum.

15. Vnde facilè perſuadetur ſecunda pars aſſertionis, quia vt obſeruantia huius priuilegij non ſolùm iure, ſed etiam facto introduceretur, ſolus conſenſus, & authoritas Chriſtianorum Priucipum deſiderabatur; ſed Conſtantinus, vt diximus, ſtatim præbuit conſenſum, & vt executioni mandaretur authoritate ſua ſtatuit; ergo nihil obſtare potuit, quominus hæc immunitatis facto, & vſu executioni mandaretur. Idemque credendũ eſt de alijs, qui Conſtantino ſimul cum imperio in fide, & pietate ſucceſſerunt, paucis exceptis, qui vel per ignorantiã, vel per ambitionem aliquid contra hanc immunitatem attentarunt. Quod ſatis confirmant cætera, quę de alijs Imperatoribus vſque ad Fredericum adduximus. Et in dicto titulo de Epiſcopis, & clericis inueniuntur multæ leges Imperatorum, in quibus reprehenduntur Magiſtratus ciuiles aliquid agentes contra hanc clericorum immunitatem, & ſiquæ contrariæ conſuetudines paulatim erant introductæ, reprobantur, ac retractãtur; ergo ſignum eſt, ordinariè, & iuſtis iudicibus ſeruatam eſſe exemptionem etiam facto. Vnde Imperator Fredericus, qui clariùs, & generaliùs hoc confirmauit, non quaſi rem nouam illam decernit, ſed vt iam ſtabilitam *per Imperiales, & canonicas ſanctiones*, ideoque in citata lege ſtatuit, vt nullus præſumat, clericum ad ſeculare iudicium adducere, *contra Imperiales* (inquit) *& canonicas ſanctiones*; ergo iam ante illud factum erat præſumptuoſum, & iniquum, ac ſubinde contrarium erat legitimum, & illo tempore debitum.

Et hinc apertè ſequitur vltima aſſertionis pars. Nã quod ad vſum attinet, negare nõ poſſumus, in diſcurſu illorũ tẽporũ multa eſſe facta, & tentata contra hãc immunitatem nõ ſolùm ab inferioribus Magiſtratibus, ſed etiam ab ipſis Imperatoribus; inde verò non licet inferre, facta illa aut valida, aut licita fuiſſe, nam ſeculares iudices ſunt clericis infeſti, vt de laicis dicitur in cap. *Laici* cum ſimilibus. 2.q.7. Semperque ſuam iuriſdictionem amplificare ſtudent, vel ex humana ambitione propria, vel affectu placẽdi temporalibus Principibus; vel interdum quidem ex zelo iuſtitiæ, non tamẽ ſecundum ſcientiam. Quidquid ergo eo tempore contra immunitatẽ fiebat à quocumque Magiſtratu, vel Principe Chriſtiano, non minùs erat iniquum, & tyrãnicum, quam quod poſterioribus temporibus vſque ad hodiernum diem factum eſt, vel fit. Quia poſt conceſſum, & firmatum priuilegium exemptionis, quidquid contra illud fit, eſt opus vſurpatæ iuriſdictionis, ac poteſtatis, ac ſubinde iniuſtum, & tyrannicum. Atque in hoc ordine ponenda eſt quælibet priuilegij priùs conceſsi retractatio per ſecularem poteſtatem etiam Imperatoriam facta, quia non poteſt Imperator auferre quod Chriſtus donauit, ſiue immediatè per ſe ipſum, ſiue per Vicarium ſuum. Neque refert, quòd priuilegiũ non fuerit datum ſine cõſenſu Imperatoris, quia non fuit ille conſenſus cauſa propria, & per ſe talis priuilegij, imò nec conditio ad illius valorem ſimpliciter neceſſaria, ſed tantum ad vſum fuit ex benigna, & prudẽti Eccleſiæ prouidentia expectata, ideoque retractatio illius conſenſus poſtea ſubſequuta priuilegium auferre, aut immutare non poterat. Imò licèt hoc priuilegium fuiſſet principaliter ab Imperatoribus datũ, ab eiſdem poſtea reuocari non potuiſſet, vt infrà latiùs oſtendam.

17. Quapropter nõ obſtante reuocatione à Valentiniano, vel quolibet alio facta, locum ſemper, & veritatẽ habuit hęc pars aſſertionis, quod omnia quæ in illo tempore poſtea fiebant, iniqua erant, & tyrannica, quia ſemper ſubſiſtebat priuilegium,

A B C D 16. Cap. Laici 2.q.7.

gium, cui erant contraria, & quia cum ipſa reuocatio per tyrãnidem facta eſſet, quidquid in virtute illius fiebat, eandem iniquitatem participabat. Loquor autem ſemper de ipſo opere ſecũdum ſe ſpectato, non de perſonis, quæ fortè per ignorantiam interdum excuſari potuerunt. Nam certè Imperatores illo tempore nõ videtur propriã originẽ, & excellentiam huius priuilegij cognouiſſe, ideo enim ita de illo loquutur, ac ſi eſſet proprium ipſorum Imperatorum donum, ab eorũ nimirum arbitrio pendẽs, atque ita aliqui eorum per ignorantiam humanam, & abſq; hæreſi cogitare potuerunt, ſe poſſe priuilegium ſemel datum auferre. Sed quidquid de eorum culpa, vel excuſatione ſit, factũ ipſum in ſe ſpectatum, & iniuſtum, & nullius valoris, vel efficacitatis fuit. Et ideo Patres Concilij Andegauenſis qui poſt reuocationem à Valentiniano. 3. factam in Gallia congregati fuerunt, nulla ratione legis Valentinianæ habita pro defenſione immunitatis ſtatuerunt, vt clericis contra Epiſcopale iudicium reſilire non liceat, neque inconſultis ſacerdotibus ſeculariũ iudicia expetere, vt refert Baron. ann. 453. n. 53. illud enim Concilium in tomis Conciliorum nõ habetur. Et Concilium Chalcedonenſe, quod proxime poſt Valentianum. 3. celebratum fuit capit. 9. ſimiliter diſtinctionem fori ſeruandam à Clericis pręcepit. Et licèt hæc Concilia ſolis ſacerdotibus, ne ad iudices ſeculares accedant, præcipere videantur, tamen Concilium Matiſconenſe. 1. poſt centum, & triginta annos celebra cap. 7. etiam iudices ab Eccleſiæ liminibus arcendos diſponit, qui clericos iudicare prę̨ſumpſerint, Ex quibus ſatis intelligitur, reuocationem illam nullius valoris, vel momenti ab Eccleſiæ Patribus reputatam eſſe. Quod poſtea etiam Imperatores, meliùs intellexerunt, & ideo ad priſtinum ſtatum immunitatem Eccleſiaſticam reſtituerunt.

Baron.

Cõc. Chal.

Cõc. Matiſcon.

18. Ad primam ergo difficultatem in principio poſitã facilis eſt reſponſio, dicimus enim ſemper Eccleſiam vſam fuiſſe Eccleſiaſtico foro pro ſuis clericis, nõ tamẽ ſemper potuiſſe æqualiter illos eximere à ſeculari, quia tempore infidelium Imperatorum, vt dixi, reſpectu illorum immunitatem non exercuit; quod licèt ſine

Soluuntur rationes dubitandi in primo du- poſitæ.

A incommodo fieri non potuerit, patienter ſuſtinendum fuit, quia vel ſine maiori incõmodo vitari non poterat, vel certè, quia ſimpliciter, & cum effectu executioni mandari non poterat. Poſt tempora verò Chriſtianorum Imperatorum ſemper Eccleſia retinuit integrum priuilegium ſuum; expectauit autem in principio ad vſum eius cõſenſum Chriſtiani Imperatoris, vt res ſuauiùs, & efficaciùs fieret ad imitationem diuinę ſapientiæ, & prudentiæ. Et ob eandem cauſam Pontifices in ſuis decretis legum ciuilium conſenſum allegant. Et ob eandem

B rationem, licet alioqui Imperatores in illis antiquis temporibus tergiuerſarẽtur, & aliquid contra hanc immunitatem agerent; non ſtatim à Pontificibus damnabantur, aut puniebantur, quia nondũ ſatis illis erat notum, & explicatum ius, & fundamẽtũ exemptionis, nec fortaſſe tunc erant illius capaces, & ideo non poterant ſine maiori detrimento violenter cogi, ſed magis opportunum Patres iudicarunt, interdum aliquid diſsimulare, & paulatim veritatem docere, vſumque immunitatis introducere. Nunquam verò

C Epiſcopi, vel Pontifices in cauſis Eccleſiaſticis, vel clericorum, iudicium ſeculare ab Imperatoribus poſtularunt, niſi fortaſſe hęretici, aut ſchiſmatici; catholici autem ſolùm ad iudicium legitimum, & Eccleſiaſticum ſine impedimento obtinendum authoritatem Principum interponebant. Quod paucis verbis rectè explicatur in Concilio Mileuit cap. 19. *Placuit, vt quicumque ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur. Si autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.* Et idem declaratum eſt in Concilio

D Carthagin. 3. cap. 38. & habetur in cap. *Petimus.* 11. q. 1. & ſimile ibidem habetur in capite ſequenti, & ſumitur ex cap. *Chriſtianis.* 11. q. 1. quod eſt Gelaſij Papę ſcribentis ad quendam Comitẽ, vt quoſdam clericos à violentia cuiuſdam Principis ſecularis tueretur, *Sublimitatis* (inquit) *tuæ tuitione vallentur.* De qua re videri etiam poteſt epiſt. 68. Auguſtini.

Cõc. Mile. Cap. *Placui*, 11. q. 1.

Cõc. Char*thag.* 3.

Cap. *Petimus*, 11. q. 1.

Cap. *Chriſtianis.* 11.

Auguſt.

Ad alterã difficultatẽ, quã Barclaius mouit, reſpondetur, licèt fortaſſe aliqui Imperatores ita per ignorantiam, vel errorem hoc priuilegium intellexerint, vt per

19. Satis fit rationibus in dubio ſecũdo poſitis.

per illud à ſua ſuprema poteſtate clericos non eximi exiſtimauerint, nihilominus ipſos deceptos eſſe, quia Eccleſia aliter exemptionem hanc introduxit, aut declarauit. Nam in dicto cap, *Placuit*, proximè citato expreſſè dixit Conciliū Mileuitanum, *etiam ab Imperatore* non poſſe peti clericorum iudicium, & in dicto cap. *Chriſtianis*, Gelaſius Papa contra Immunitatem Eccleſiaſticam eſſe cenſet, *per authoritatem Regiam* contra clericum procedere, & Gregorius Papa lib.4. epiſtol. 31. aliàs cap. 75. ac Mauritium Imperatorem ſcribit, ne *terrena poteſtate ita dominetur clericis, vt debitam reuerentiam eis nō impendat*. Vbi tacitè eum reprehendit, quoniam tunc tyrannicè in ſacerdotes imperare ſtudebat, vt ipſe Gregorius deplorat in Pſal.4. pęnitentiæ (vt ſupra retuli) moderatè autem ad illum loquitur, ne fortaſſe ad maiorem ſæuitiem prouocaretur. Non omiſit tamen illi proponere exemplum Conſtantini, qui Epiſcopis inter ſe diſsidentibus reſpondit: *Ite, & inter vos cauſas diſcutite, quia dignum non eſt, vt iudicemus Deos*. Præterea in multis alijs decretis abſolutè dicitur, laicos non habere iuriſdictionem vllam in clericos, vt expreſſe dicitur in Concilio Conſtantienſ. ſeſſ.31. & Cōcilio Lateranen. ſub Leone.X, ſeſſion. 9. & alijs, quæ ſuprà retulimus: manifeſtum autem eſt, laicorum nomine etiam Imperatores cōprehendi, nam cum non ſint clerici, laici pro fecto ſunt.

Cap. *Placuit*.

Gregor.

Cap. *Sacerdotibus*, 11 q.1.

Vide Rebuff. lib.10 hiſt. c.2.

Cōc. Cōſtā. *Cōc. Late.*

10. Denique ipſi etiam Imperatores licèt de ſe ipſis in ſpeciali non loquantur, ſæpe tamen loquuntur generaliter, & cum tāta declaratione, vt ſatis eundem ſenſum ſignificent. Conſtantinus enim in dicta L.7. Codicis Theodoſiani de Epiſcop. & Cleric. ſtatuit, vt clerici in Occidente ſicut in Oriente *immunitate pleniſsima potiantur*, & Theodoſius in L. vlti. eiuſdem tituli confirmans hoc priuilegium, dicit cauſas clericorum reſeruari *Epiſcopali audientiæ*; eximuntur ergo ab omni laicali, etiam imperiali. Neque poteſt dici, hoc ſolū intelligi in prima inſtantia, per modum verò appellationis ſemper licuiſſe ad Imperatorem prouocare; hoc enim & gratis dicitur, & falſum eſſe probatur. Tum quia ab Epiſcopis nunquam fuit in Eccleſia appellatū ad Imperatorem, ſed

Cōſt. Imp.

Theodoſ. Imper.

Euaſio quædam præcluditur.

A

vel ad Metropolitanos, aut Patriarchas; vel tandem, ad Summū Pontificem, vt expreſſe in Concilio Chalcedonenſi cap. 9. traditum eſt. A Sūmo autem Pontifice nunquam licuit ad aliud tribunal, ſiue Eccleſiaſticum, ſiue laicum appellare, vt dixit Gelaſius Papa ad Epiſcopos Dardaniæ, & ad Fauſtum, & Concilium Sardicenſe canon.4. & 7. & tradunt multa alia decreta Pontificum, & Conciliorū, quę ſuperiori libro ad probandā ſupremā Pontificis authoritatē retulimus. Igitur cauſę clericorum eo ipſo, quod reſeruatæ ſunt Epiſcopis, intra forum Eccleſiaſticum terminandæ ſunt, ac ſubinde extra totum forum laicum, vſque ad ipſum Imperatoris tribunal conſtitutę ſunt. Et certè ratio, quam illa lex vltima reddit, hoc ſatis confirmat: *Fas enim* (inquit) *nō eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*: nam profectò poteſtas Imperatoria temporalis etiā eſt; ergo etiam illa ſub indefinita voce, quæ vniuerſali æquiualet, comprehenditur. Ac denique eodem modo, indefinita, & generali loquutione idem priuilegium conceſsit Fredericus 2. illudque Honorius.3. confirmauit.

Cōc. Chalc.

Gelaſ. Pa.

Cōc. Sardic.

B

C

11. Ad facta verò Imperatorum, quæ in contrarium allegantur, vel allegari poſſunt, generatim reſpondemus, fortaſſe multa illorum non fuiſſe exercendo actum iuriſdictionis, ſed interceſsionis, vel auxilij, quod ſolet brachium ſeculare Eccleſiaſtico tribuere, vt in ſuperioribus de Conſtantino, & alijs diximus. Vel certè interdum excuſari poſſunt, quia nō propria authoritate, ſed petentibus ipſis Prę latis, & quaſi arbitri inter illos iudicabāt, vel potius diſsidia componebant; deniq; ſi aliqua ex his, vel alijs rationibus excuſari non poſſunt, reſpondendum eſt, exceſsiſſe, iuriſdictionem vſurpando, vt de Mauritio dixit Gregorius paulo antea citatus, & de Valentiniano.3. iā diximus, & late oſtēdit Baronius ann.452. & 453. Ad nouiſsimum autem exemplū Caroli V. quem ſcimus fuiſſe inſignem Eccleſiaſticæ libertatis protectorem, & obſeruatorem, reſpondemus. Carolū potuiſſe ad ſe vocare Hermannum Archiepiſcopum, non vt Archiepiſcopum, ſed vt Principem imperij. Itē potuiſſe vocare non vt iudicem, ſed vt protectorē cleri, &

D

Baron.

Ad factū Carol. V.

Surius. & Academię Colonienſis. Nam Surius, qui factū illud refert anno 1545. in commentario, ſimul dicit; *Huius anni menſe Iunio Cæſar clerū, & Academiam Colonienſem in ſuum patrocinium recepit.* Vt ergo afflictis patrocinaretur, potuit vocare Epiſcopū, vt veritatē agnoſceret, & Eccleſię nocumenta vitaret, donec Papa cauſam ad ſe traheret; quod paulo poſt fecit, in ſequenti menſe Iulio Hermannū citādo; quem poſtea etiam Pontifex depoſuit, cooperante Carolo, vt idem author in initio anni. 1547. refert. Deniq; ad verba Iuſtiniani in illis authenticis nihil inuenio à Gloſsis, vel Iuriſperitis dictum; mihi autem videtur exceſsiſſe in his; legibus circa res Eccleſiaſticas condendis, & non ſatis perſpectam habuiſſe vim, & originē Eccleſiaſticæ immunitatis, & ideo multa per errorem, & ſine legitima poteſtate circa illam diſpoſuiſſe, vt iam ſuprà tactum eſt, & in ſequentibus iterum, atque iterum occurret.

CAPVT XIIII.

Qualis ſit clericorum exemptio in cauſis ciuilibus.

1. HACTENVS ſolùm oſtendimus, immunitatem clericorum ipſis conuenire, ſeu priuilegium fori illis eſſe conceſſum: ſimulque originem huius priuilegij explicauimus; & rationem eius reddendo, efficientem, & finalem cauſam eiuſdem priuilegij declarauimus: conſequenter igitur ſequitur, vt quid ſit hoc priuilegium explicemus; quod fieri nō poteſt, niſi inquirēdo, quid per huiuſmodi priuilegiū cōferatur; nā tota ratio, & eſſentia cuiuſcūq; priuilegij in iure, ſeu poteſtate, quę per illud datur ſecundū ſuā generalē rationē coſiſtit: ſpeciē autem ſumit ex materia, in qua vel circa quā verſatur. Atq; ita etiā fiet, vt quidquid de cauſa veluti materiali huius priuilegij deſiderari poteſt, ſimul explicetur. Nam de formali quidem nihil eſt, quod dicamus, quia ipſa libertas, ſeu immunitas eſt quaſi moralis, & interna forma, in qua priuilegiū ipſum coſiſtit: forma autē externa nō eſt, niſi cōceſsio ipſa, quæ per verba Scripturę, aut canonū fit,

Cauſa formalis priuilegii fori.

A quæ verba in his, quę hactenus diximus, & in diſcurſu totius libri ſæpius tractantur, & expendūtur. Ex materia igitur immunitatis illius cognitio maximè pēdet, hæc autē materia in duo mēbra diſtingui poteſt, in vno cōtinentur res, actiones, vel paſsiones, aut munera, aliaq; ſimilia, a quibus datur exēptio: ſub alio perſonę, quibus hæc exēptio datur, cōprehendūtur. De his igitur ſigillatim dicendū eſt, atq; ita nō ſolū eſſentiam, & cauſas, ſed ſimul etiam effectus huius priuilegij explicabimus.

Materia priuilegij fori duplex.

B Prima ergo, & (vt ſic dicā) antiquiſſima materia huius priuilegij eſt forū ciuile, ſeu tribunal ſeculare, in quo temporales lites ad externa bona fortunæ pertinētes tractantur. Certū ergo eſt, clericos exēptos eſſe à ſeculari foro in cauſis ciuilibus. Probatur primo ex iure canonico cap. de Foro cōpet. vbi in generali ſermo eſt, ſicut etiam. 11 q. 1. c. 1. & 3. cū multis alijs, ſimiliter indefinitè præcipitur, vt clerici ad ſecularia iudicia nō pertrahantur, & in cap. *Nullus clericus*, additur diſtributio, *Omne negotium clericorum in Epiſcopi ſui, &c.* & in cap. *Nullus Epiſ-*

C *copus*, in ſpecie dicitur, *Neque pro ciuili cauſa*, & in cap. *Placuit, quicūq; ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorū petierit.* & in cap. *Placuit.* 2. ibi, *Vel ciuilis cauſa fuerit cōmota*, & ſimilia multa in ea quęſtione leguntur. Et in cap. *Seculares*, de Foro competent. in ſexto dicitur, cenſura Eccleſiaſtica eſſe compeſcendos iudices ſeculares, qui perſonas Eccleſiaſticas ad ſoluenda debita, audita, & iudicata cauſa, compellere præſumunt, quæ cauſa ſine dubio ciuilis eſt.

2. Prima Concluſio. Clerici in cauſis ciuilibus a iudicio ſeculari exempti ſunt. Probatur.

Cap. 2. de Foro cōp. Cap. 1. & 2. 11. q. 1. Cap. Nullus cleric⁹. Cap. Nullus Epiſcopus. Cap. Placuit. Cap. Placuit. 2. Cap. Seculares, de foro cōp. in 6.

Idem præterea certum, & conſtans eſt in iure ciuili antiquorum Imperatorum, qui de toto foro indefinitè loquuntur. Et licet Imperator Leo cum ſocijs in Leg. *Omnes.* Codice de Epiſcopis, & Clericis in certis caſibus, & cum quibuſdam conditionibus conceſſerit, vt Clerici conueniri poſſent in foro ſeculari, etiam in ciuilibus cauſis, poſtea hoc reuocatum eſt, tum per Iuſtinianū, qui de cauſis ciuilibus abſolutè loquutus eſt in Authentico *Vt Clerici apud proprios Epiſcopos, & cætera*, collat. 6. aliàs nouella. 83. tum maximè per Fridericū, qui in ſua conſtitutione de vtriſque cauſis ciuilibus, & cri- 3.

D

Lex Omnes. C. de Epiſcop. & clerici, Iuſtinian.

Frideric. Imp.

criminalibus in ſpecie loquutus eſt. Et notauit Gloſſ. in Authentica ſtatuimus, verb. *Vel ciuili*, C. de Epiſcop. & Cleric. Et ita hæc pars indubitata eſt inter catho licos Doctores. Ratio verò, ſeu congruẽtia eſt, quia in hac materia eadẽ, vel maior neceſsitas huius exemptionis eſt, quę in quauis alia inuenitur, tũ quia lites ciuiles frequentiores eſſe ſolent, tũ etiam quia maius erat periculũ, ne circa hæc tẽporalia ſeculares iudices minus fauorabiles clericis eſſent, vel ſaltem in exhibenda illis iuſtitia, in iudicio eſſent remiſsi, vt dicitur in cap. *Cũ ſit generale*, de Foro cõpet.

Gloſſa.

Ratione idẽ ſuadetur.

4. Huic verò regulę addenda eſt declaratio, nimirum, clericos eſſe excẽptos in cauſis ciuilibus, quando ſunt rei, ſeu ad litem prouocati; nam ſi ſint actores, ſequi debẽt forũ rei, vt ſtatuit Pelagius Papa relatus in cap. *Experientia*, & c. *Si quiſquam*. 11. allegans generalem regula vtriuſq; iuris, quod actor ſequitur forum rei, cap. *Neminem*, cũ multis alijs, 3. q. 6. l. vlt. C. *Vbi in rem actio*, & in l. 2. & in l. 4. de Iuriſdictio. & vbi quis conuenire debeat in Codice Theodoſiano. Vnde regula hęc non ſolũ procedit, quando clericus prouocat clericũ diuerſi Epiſcopatus, ſeu diſtincti fori Eccleſiaſtici, ſed etiã quando cleric⁹ à laico poſtulat, tũc enim non poteſt vti priuilegio fori, quia ſequi debet forũ rei.

Prędicta exẽptione ſolũ quãdo ſunt rei gaudent clerici.

Cap. *Neminem*. 3. q. 6.
Lex vlti. C. *Vbi in rem actio*.

5. Vt autẽ hui⁹ declarationis rationẽ reddamus, quæri poteſt, an Eccleſia ita limitauerit hoc priuilegiũ, quia non potuerit maius cõcedere, vel ſolũ quia noluit. Videtur enim illud prius aſſerendũ: nam ſi Eccleſia potuiſſet clericos abſtrahere à iudicijs ſecularibus, etiam quando ſunt actores litiũ ciuilium, profectò feciſſet: nam eadẽ neceſsitas tunc intercedit, quia non minora nocumenta poſſunt clericis prouenire ex cõmunicatione cum laicis in ſecularibus iudicijs, ſiue actores, ſiue rei exiſtant, idẽque periculũ erit perdẽdi cauſas, & infeſtos habendi iudices ſeculares iuxta regulã c. 2. de Immunit. Eccleſiar. in 6. ergo ſi Eccleſia id non fecit, ideo eſt, quia non potuit. Et cõfirmatur, quia Pontifex nõ poteſt vſurpare iuriſdictionẽ laicorũ iuxta cap. *Nouit* de Iudicijs, & alia ſuprà tractata, ſed ſi clericũ etiam actorẽ eximeret à ſeculari iudicio, vſurparet iuriſdictionẽ laicorũ; ergo non poteſt id facere. Probatur minor, primò,

An Eccleſia potuerit priuilegiũ fori abſque limitatione concedere.
Prima ratio pro negatiua parte.

Prima cõfirmatio.
Cap. *Nouiti*, de Iudicis.

A quia iudices laici priuarentur iuriſdictione, quæ ad eos pertinebat. Secundò & meliùs, quia reus cogeretur cõparere coram non ſuo iudice, nimirũ, Eccleſiaſtico, & ita Eccleſia vſurparet iuriſdictionẽ in laicum.

6. In quo eſt notanda differentia inter actorẽ, & reũ: nam actor nõ coactus venit ad iudiciũ, ſed volũtariè mouet illud, & ideo quando agit contra clericũ, mirũ non eſt, quod ad iudicem per ſe non ſuũ, ſed clerici ire compellatur, quia melioris cõditionis eſſe debet is, qui cogitur, quã qui cogit, at verò quãdo laicus eſt reus, B cogitur cõparere, & ideo cõpelli non poteſt, niſi coram directo ſuo iudice, aliàs vſurparetur iuriſdictio in ipſum; ergo, eadẽ ratione non potuit concedi clerico actori priuilegiũ trahendi laicũ ad ſuum forũ, ſeu (quod idẽ eſt) extra forũ illius. Et cõfirmatur ex Bart. in dict. l. 2. de Iuriſdict. omniũ iudic. vbi quærit, an poſſit fieri ſtatutũ, vt reus ſequatur forum actoris, & reſpondet, pro ſubditis poſſe Principẽ huiuſmodi facere ſtatuta, non autẽ poſſe ſtatuere, vt homo nõ ſuæ iuriſdictionis teneatur ſequi forum actoris, C quia nemo poteſt ſtatuere de his, quę ſuę iuriſdictionis nõ ſunt. Quæ deciſio Bartoli, & ratio eius æquè videtur in pręſẽti procedere, quia laicus in tẽporalibus Eccleſiaſticę iuriſdictioni nõ ſubeſt. Poteſtque ampliùs cõfirmari, nã ſi fidelis litẽ ciuilẽ moueret cõtra infidelẽ Eccleſiæ non ſubditũ, non poſſet Eccleſia cogere reum infidelem ad ſequendum forum actoris fidelis; ergo idem erit in præſenti caſu.

2. Cõfirmatio.

3. Confirmatio.

7. Nihilominùs dicendum eſt, nõ deeſſe in Eccleſia poteſtatem ad eximendũ clericũ etiam actorem à foro ſeculari, licet ex ſuaui prouidentia, & prudenti guber D natione id non fecerit, propter quandam naturalem æquitatem, cui conſentaneũ eſt, vt is, qui impetitur, & inuitus trahitur ad iudicium, extra forum ſuum ire non cogatur, ne duplex incommodum ſuſtineat. Nam propter hanc etiam ęquitatem, *Cum ſunt partium iura obſcura reo fauendum eſt potius quàm actori*, vt habet regula. 11. iuris in ſexto. Prior pars aſſertionis ſumi poteſt ex Gloſſa in cap. *Si clericus*, verb. *De conſuetudine*, & in capite *Ex tranſmiſſa*, in principio, de Foro cõpetent. quatenus dicit, non ſolùm poſſe, Papam

2. Cõcluſio Eccleſia potuit clericũ etiam actorem eximere.

Gloſſa.

Papam, ſed etiam frequenter concedere A reſcripta,& priuilegia clericis, vt in quacumq; cauſa, etiam agendo contra laicũ, ad ſuũ forum illũ venire cõpellat, quam ſententiam ſequitur ibi Panormitan.& refert Archidiac,& Speculatorem. Hoſtienſis verò in Summa tit.de Foro compet.§.*Quibus ex cauſis*,verſ. *Ex præmiſsis*, dicit,in curia Romana indiſtinctè clericũ cõtra laicũ impetrare huiuſmodi fauorẽ.

Panormit. *Hoſtienſ.*

8\. Ex hac ergo conſuetudine,& ſententia cõmuni probatur aſſertio,quia priuilegium fauorabile, quod Papa poteſt cõcedere multis clericis vt ſingulis, poteſt B etiam omnibus clericis in fauorẽ totius cõmunitatis,& ſtatus clericalis concedere,ſi iudicet expedire;ſed ſæpe concedit multis perſonis Eccleſiaſticis,vt etiã agẽdo ſint exẽpti â foro ſeculari; ergo potuit etiam idem concedere toti ſtatui clericali. Maior probatur primò, quia eadẽ eſt ratio totius,& partis,quod ad poteſtatem attinet, ſi cauſa proportionata ſubſit. Secũdo, quia illa conſuetudo ſufficienter oſtendit, huiuſmodi priuilegiũ ex ſuo genere, & forma non eſſe intrinſecè malum; nec contra naturalem iuſtitiam; ergo nec reſpectu totius cleri poteſt talis C iniquitas probabili ratione oſtẽdi; ergo non eſt, cur tale priuilegium excedat Pontificiam poteſtatẽ. Quæ ratio abſolutè probat aſſertionem,& oſtendit, cõſuetudinem illam cõcedendi talia priuilegia perſonis aliquibus, eſſe iuſtam, & rationi conſentaneam,quod magis reſpõdendo ad argumenta cõprobabitur. Accedit,quod cũ oſtenſum ſit, priuilegium hoc exemptionis eſſe immediatè cõceſſum iure diuino,difficiliùs videtur ad explicandum, quomodo potuerit Eccleſia hanc limitationẽ facere, quàm vtrũ poſſit illam non facere: quia ſtando in iure D diuino, priuilegium abſolutum omnino eſt, & ſine limitatione conceſſum; ergo potuiſſet Eccleſia ita illud exequi,& plenum illius vſum conſeruare. Quia verò, vt diximus ſæpe; hoc priuilegiũ ita fuit datum à Chriſto, vt diſpoſitioni Pontificũ quoad moderationem, extenſionẽ, vel particularem mutationem commiſſum ſit, ideo potuit Eccleſia prædicto modo illud moderari, & ex parte cedere iuri ſuo, propter congruentes rationes, quæ ſoluendo argumenta magis explicabuntur, & altera pars aſſertionis confirmabitur.

Probatur aſſertio.

Ad primã ergo coniecturam reſpondemus negando conſequentiam, non enim omnia,quę fieri poſſunt,vel licẽt,expediunt. Vnde licèt verũ ſit,non deeſſe cõgruentias, ob quas poſſet Eccleſia hunc fauorẽ concedere clero; nihilominus voluerunt Pontifices conformari legibus ciuilibus in hac regula, vt actor ſequatur forum rei,vt dicitur in dicto cap. *Si quiſquam*, 11.q.1.tum quia hoc eſt valde cõſentaneũ æquitati naturali, vt dixi, tum etiã quia huiuſmodi actiones, & motiones litiũ pro rebus temporalibus, ordinarie procedũt ex nimio affectu diuitiarũ, qui perſonas Eccleſiaſticas non decet, ideoq; regulariter loquẽdo, vitare debẽt clerici huiuſmodi actiones, præſertim ꝓ ſuis ſecularib⁹ bonis,niſi euidẽs,& grauis ratio cogat. Ne igitũ Eccleſia huiuſmodi lites fouere videretur,noluit clericos eximere agendo,ſed tantũ reſpõdendo,quia tũc ſolùm ſe defendunt,quod & iuſtũ,& honeſtũ eſt. Potuit etiã id facere Eccleſia,ne iudicia Eccleſiaſtica tot litibus laicorũ grauarentur,& ne laicos etiã offenderet,& forenſem iuriſdictionẽ nimium affectare videretur. Ideoq;quando priuatę exceptiones,vel fauores ab illa regula fiunt per ſpecialia priuilegia, nõ propter ſolas generales rationes decentię, aut cõmodi clericalis ſtatus, ſed adiũctis alijs ſpecialibus iuxta varias occurrentes circunſtantias conceduntur.

9\. *Soluuntur rationes in contrarium factæ.*

Capit. Si quiſquam, 11.q.1.

Ad ſecũdã confirmationẽ,& ad Bartoli doctrinã reſpõdetur, poſſe in contrariũ retorqueri: nam ſi Princeps poteſt inter ſubditos ſtatuere, vel priuilegiũ dare, vt reus ſequatur forũ actoris, etiã Papa poterit idẽ priuilegiũ dare clericis reſpectu aliorũ fideliũ;quia omnes ſunt eius ſubditi. Neq; obſtat, quòd fideles laici nõ ſint directè ſubditi Papę in tẽporalibus: nam ſatis eſt,quòd indirectè ſubdantur: nam ſicut ſpiritualis poteſtas ſufficit ad diſponendũ circa tẽporalia, quando ſpiritualis ratio,& finis id requirit,quod eſt indirectè diſponere,ita eadem poteſtas ſufficit ad concedendum illud priuilegium inter directè ſubditos in ſpiritualibus, & indirectè in temporalibus. Quam ob cauſam quando Papa cõcedit huiuſmodi ſpecialia priuilegia, non vſurpat iuriſdictionẽ

10\. *Ad Barto.*

A

ſecularis iudicis,ſed poteſtate ſua ſuperiori illam alteri cõmittit. Neq; etiã reus cogitur comparere coram iudice non ſuo, ſed ab vno iudice in alium cauſa transfertur per eum,qui legitimam poteſtatẽ habet. Quod ergo in particularibus priuilegijs dicimus, in generali etiam dicendũ eſſet, ſi de abſoluta poteſtate Pontificis concederetur. Vnde vltimam ampliationẽ addo,poteſtatẽ hanc Põtificiã de ſe etiam extendi ad concedendũ hoc priuilegiũ reſpectu infideliũ, ſi ad bonũ fidei, & vitanda moralia pericula neceſſarium eſſet,vt in ſuperioribus dictũ eſt; vſus tamen huius poteſtatis in effectu nõ ita poteſt executioni mandari circa infideles, quia non poſſunt ſpiritualiter cogi ſicut fideles,& ad cogendos illos corporaliter ſæpe vires non ſuppetunt.

11. *Ac prædicta priuilegij fori declaratio exceptionẽ admittat.*

Interrogari autem poteſt,an prædicta regula,eius vè declaratio aliquam exceptionẽ patiatur. Adquod breuiter affirmãdo reſpondemus. Aduertendũ eſt autem exceptionẽ hanc aſsignari poſſe, vel ex parte perſonarũ,quibus hoc priuilegium conceditur,vel ex parte cauſarũ,ſeu materiarum,de quibus tractatur. Nũc ergo priorem modum excipiendi omittimus; nam infrà agendũ eſt de perſonis, ibiq; dicemus quænam ſimpliciter hoc priuilegio gaudeant,quæ verò cũ aliqua limitatione. In poſteriori ergo genere prima exceptio ab aliquibus aſsignatur de cauſis realibus,id eſt, fundatis in re merè tẽporali,non interueniente actione aliqua perſonali ipſius clerici,in qua lis,ſeu cauſa fundetur : quia tunc perſona non eſt obligata nec trahitur ad iudicium, ſed res quæ merè tẽporalis eſt. Priuilegiũ autem fori ſolùm eximit perſonas clericorũ, ne cõueniri poſsint ciuiliter. Hæc autẽ exceptio vera non eſt,& multũ derogat priuilegio clericorum, & ideo communiter reijcitur,vt bene notauit Abbas in c.*Qualiter*, de Iudici,n.8. & in cap.*Eccleſia*,de Conſtitut,n.22.&vſu ipſo ſatis improbatur. Ratio eſt, quia generalis regula iuriũ eximit clericos, ne conueniri poſsint ciuiliter in iudicio ſeculari: at verò cauſa realis ciuilis eſt, nec poteſt tractari ſine citatione perſonæ, ad quam bona pertinent; ego ſi talis cauſa pertinet ad iudicem laicum, etiam ſi Dominus bonorum ſit clericus,neceſſarium erit, clericum ipſum conueniri ciuiliter coram iudice ſeculari: hæc autem eſt exceptio à regula, quæ nullo iure probatur; ergo admittenda non eſt. Præſertim quia eſt parum conſentanea alijs iuribus, vt in Panor.ſupra,Felin.& alijs videri poteſt.

Prima exceptio ab aliquibus aſsignata.

Abbas.

Reijcitur prædicta exceptio.

Alia igitur exceptio vera,& cõmunis eſt de feudis, ſeu bonis feudalibus, nam in cauſis,quæ ad hæc bona pertinent, licet clericus ſit reus, & conueniatur à laico,corã Dño feudi cõueniri debet, etiãſi laicus ſit,cuius ratio non eſt alia,niſi quia in fauorem feudorũ ita in iure diſpoſitũ eſt, c.*Ex tranſmiſſa*,& c.*Verum*, de Foro compet.vbi latè expoſitores. Vel certè ratio etiam reddi poteſt,quia res, quæ in feudũ dantur,à principio ſub hoc onere, vel conditione conferuntur, & ideo ſeruanda eſt. 12.

2.exceptio

Panor.

Felin.

B

Vnde alia eſt generalis exceptio,quę ſub his verbis interdum per leges ciuiles traditur, ſcilicet,vt clericus conueniẽdus ſit in cauſa ciuili corã Eccleſiaſtico iudice, *niſi bona,ſuper quibus lis mouetur, Regalia ſint*, nam ſub hac conditione data cenſentur. Idẽq; eſt quoties bona à principio data fuerunt clericis, vel eccleſiæ ſub ea conditione, vt ſemper ſub eodẽ foro maneant,ſub quo tunc exiſtebant. Nã talis conditio non eſt per ſe mala, & voluntariè potuit apponi, & ideo ſeruanda eſt, iuxta regulam cõmuniter à Iuriſperitis receptã, quando aliqua bona dantur Eccleſiæ ſub aliqua conditione, onere, aut pacto non illicito,ſeruandũ eſſe,quia ſeruare pactũ eſt de iure naturæ, cui ius canonicũ non cõtradicit; imò expreſſe, & in propria ſpecie id confirmat c.*Verum*, de Conditionibus appoſitis,vbi id notant Panorm.& alij Doctores,Ioan.Andr.& Hoſtienſ. in c.*Verum*, de Foro compet. Felin. in cap.*Eccleſiæ Sanctæ Mariæ*, de Conſtit.& Ancharran.conſ.223.Pręter has exceptiones ſolẽt addi alię,quas attigit Nauar,in cap.*Nouit*,de Iudicijs,notabil.6.ex Stephano Aufrerio,deciſi.126. & 167.& ex Guillielmo Benedicto in repetition.c.*Rainũtius*,de Teſtam. illas tamen omitto, quia incertæ ſunt, & quia materia hęc nõ tã ad Theologos, quã ad Iuriſperitos pertinet. Vnde alias exceptiones late proſequitur Gregor.Lopez in l.57.tit.6. parit. 1. 13.

3.exceptio.

C

Panorm.

Ioan.Andr.

D

Felin.

Anchar.

Greg.Lop.

Circa declarationem autẽ aſſertionis 14.

nota-

Quarta exceptio.

notari poſſunt exceptiones aliȩ. Vna eſt, ſi bona, de quibus lis mouetur ſint Eccleſiæ, vel clerici, nã tunc clericus poteſt trahere laicũ coram Eccleſiaſtico iudice. Ita tenet Panorm. in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, n. 22. vbi dicit eſſe caſum ſingularẽ in c. *Si clericus laicũ*; de Foro cõpet. vbi idẽ ipſe docet, ita interpretans illum textũ. Addit etiam ita ſeruari in curia, vt refert (inquit) & ſequitur Collector in capit. *Qualiter*, & in c. *Clerici*, de Iudicijs. In cõtrariã tamen ſententiã inclinat Felin. in dict. c. *Si clericus laicũ*. nu. 4. Fundamentũ eius eſt, quia hoc nõ ſtatuitur directè in dict. cap. *Si clericus*, vt conſtat ex verbis eius, *Si clericus laicũ de rebus ſuis, vel Eccleſiæ impetierit, & laicus res ipſas nõ Eccleſiæ, aut clerici, ſed ſuas proprias aſſeuerat, debet de rigore iuris ad forenſem iudicem trahi.* In quibus verbis ſolũ diſponitur, quando laicus negat res eſſe Eccleſiæ, vel clerici, non poſſe trahi ad iudiciũ Eccleſiaſticũ. Hinc autem non poteſt inferri, quando id non negat, poſſe trahi, niſi ad ſummũ à contrario ſenſu. Quod argumentum nõ eſt efficax, quando talis ſenſus eſt cõtra alias generales regulas iuris, prout eſt in præſenti, quod reus nõ eſt trahendus ad forum actoris, ſed ad ſuum. Et hæc ſententia mihi magis placet.

15. Qui bona Eccleſiæ iniuſte rapit, coram iudice Eccleſiaſtico conueniri debet.

Poteſt autem notari aliqua differentia inter bona Eccleſiæ, & bona clericorum. Nam ſi certò cõſtet, bona Eccleſiæ rapta eſſe, vel iniuſtè ablata, vel retenta, tunc ratione ſacrilegij poteſt conueniri laicus coram Eccleſiaſtico iudice, ſecus verò erit, ſi non conſtet, iniuſtè detineri, & laicus contendat aliquo iuſto titulo ſe illa poſſidere. Et hoc tantũ probatur in dict. cap. & in c. *Similiter*. 16. quæſt. 1. ſumpto ex Concilio. 6. Roman. ſub Symmacho. Bona autem clericorum non ſunt ita ſacra, ſicut res Eccleſiæ, & ideo accipi poſſunt etiã iniuſtè ſine ſacrilegio, ideoque licèt de illis propter hanc cauſam lis moueatur, coram laico iudice conueniendus erit reus laicus, niſi allegetur vis aliqua clerico facta, quæ ſacrilegium inuoluat, vt ſenſit Innocent. in cap. *Cum ſit* de Foro compet. Obijci autem poteſt. quia in dicta Synodo ſub Symmacho res Epiſcoporũ æquiparantur in hoc bonis Eccleſiæ. Sed conſideranda eſt ratio Põtificis, *Quia Epiſcoporum res non dubitan-*

Cap. Similiter. 16. q. 1.

Obiectio quædã refellitur.

A *tur eſſe Eccleſiæ*. Et ita intelligo textum illum ſecundum conſuetudine illius temporis, in quo dominium bonorum Epiſcopi apud Eccleſiam eſſe cẽſebatur, nũc autem ſatis nota eſt diſtinctio dominiorum, & ideo alia eſt ratio.

16. Quinta exceptio

Alia exceptio eſt, quod ex conſuetudine interdum actor Eccleſiaſticus poteſt reum trahere ad forum ſuum, & ita ſit exceptio in hac materia circa illam regulam, quòd actor ſequitur forum rei, niſi vbi aliud ſit conſuetudine introductum. Hæc exceptio colligi ſolet ex capite, *Si Clericus*, de Foro competenti, vbi

Reijcitur dicta exceptio

B poſtquam Alexander tertius, dixit, actorem de rigore iuris debere ſequi forum rei, addit, *Licet in pleriſque partibus aliter de conſuetudine habeatur*. Quæ verba duobus modis intelligi poſſunt, primò, vt prædicta regula, & rigor iuris ſeruetur, etiam ſi contraria conſuetudo allegetur, quia eſt contra omnia iura, vt ibi ait Gloſſa. Secundò vt regula illa, & rigor iuris ſeruetur, niſi vbi fuerit illi per conſuetudinem derogatum. Et hic poſterior eſt legitimus ſenſus, vt ibi Hoſtienſis, Ioannes Andreas, Panormitanus, & alij expoſitores agnoſcunt, & in illo fundant prædictam exceptionem. Quam apertè indicant ipſa verba Pontificis, quæ in ipſo Concilio Lateranenſi ſub Alexandro. 3. p. octaua cap. ſeptimo, ſic leguntur, *Licet in pleriſque partibus aliter de conſuetudine fiat*, quod factum nõ reprobat, ſed potiùs tacitè approbat. Et ratio eſt, quia illa conſuetudo non eſt mala, nec contra ius naturale, vt ex proximè dictis conſtat, ergo ex hac parte poteſt derogare iuri poſitiuo; aliunde verò eſt etiam fauorabilis religioni, & ideo meritò approbanda, & ſeruanda eſt.

Hoſtienſ. *Ioan. Andr.* *Panorm.* *Cõc. Later.*

C

D

17. Nulla cõſuetudine poteſt clericus reus ad ſeculare iudiciũ trahi.

In quo eſt notãda differẽtia inter hãc conſuetudinẽ, & aliam (ſi alicubi introducatur) vt actor laicus ad ſuũ forũ trahat clericũ prouocatũ, nã licet prior valida ſit, hȩc eſt inualida, quia prior fauet Eccleſiaſticȩ libertati, illãq; auget, poſterior verò eſt immunitati contraria, multũq; diuino iuri derogat. Ideoq; in iure eſſe reprobatam & idẽ interpretes in eodẽ c. notant, & infra ſuo loco latiùs dicemus. Dicit tamen Gloſſa in d. cap. *Si clericus*, hanc cõſuetudinem per occaſionem negli-

Gloſſa.

Cap. *Cũſit generale.* Cap. *Licet & c. Extenore*, de Foro comp.

gligentiæ iudicum ſeculariũ introductã eſſe, quia clericis iuſtitiã non exhibebant argumento cap. *Cum ſit generale*, & cap. *Licet*, & cap. *Ex tenore* de Foro cõpet. Verumtamen hoc ad factum pertinet, poteſt enim illa conſuetudo ex pietate laicorũ, vel ex quadam incogitantia introduci. Et quacũq; occaſione introducatur, exceptio locum habet, quia & textus ille ſimpliciter loquitur, & ratio eadẽ procedit. Similisq; exceptio eſſe poteſt, vt actor ſequatur forum rei, niſi aliud ei ſit ſpeciali priuilegio legitimè conceſſum, quæ ſatis conſtat ex dictis, nihilq; addere oportet, niſi quod tenor priuilegij iuxta cõmunes priuilegiorũ regulas obſeruetur.

18. Sexta exceptio.

Hinc verò addi poteſt alia exceptio, nimirum, vt etiam ſecluſa conſuetudine, vel priuilegio, ſi iudex laicus negligat iuſtitiam exhibere clerico actori poſsit laicus corã Eccleſiaſtico iudice conueniri. Ita videtur ſentire Gloſſa in cap. *Cum ſit generale*, verb. *Remiſsi*, & in cap. *Licet*, verb. *Vacante*, de Foro competen. quam ibi approbant Doctores, & in illis textibus fundant, quamuis ex eis nõ ſatis colligatur, niſi in caſibus in illis expreſsis, videlicèt, in quibuſdam cauſis criminalibus, de quibus in capite ſequenti dicendum eſt, vel quando imperium, aut Magiſtratus ita vacat, vt clerici iudicem ſecularem non inueniant, ad quem recurrant, vt iuſtitiam ipſis exhibeat. Nihilominus tamen ex paritate rationis admittenda eſt exceptio. Intelligenda tamen videtur hoc modo, vt quando laicus iudex eſt negligens, recurrere poſsit clericus ad iudicem Eccleſiaſticum, qui poteſt laicum per cenſuras compellere, vt ſuo munere iuſte vtatur, argumento cap. *Adminiſtratores*, 23. quæſtio. quinta quia illa eſt grauis culpa, & clericis iniurioſa, & ideo ad iudicem Eccleſiaſticũ pertinet remedium adhibere. Vnde ſi iudex laicus contumax fuerit, meritò poteſt iudex Eccleſiaſticus cauſam ad ſe aduocare, partim in pœnam iudicis negligentis, & contumacis, partim in clerici defenſionem. Et ita etiam facilè poſſunt intelligi aliæ exceptiones, quas ponit Gloſſa in dicto capite, *Licet*, de quibus ibi etiam expoſitores videri poſſunt.

Gloſſa. Declaratur exceptio. Cap. *Adminiſtratores.* *Gloſſa.*

19. Quæri autem poteſt, an hęc exceptio de negligẽtia iudicis laici ſimiliter habeat locum, quando iudex Eccleſiaſticus eſt negligẽs reſpectu actoris laici rem ſuam à clerico poſtulantis. Videtur enim eſſe admittenda, quia Iuſtinianus in Authẽtica de Sanctiſsimis Epiſcopis, collatio. 9. alias nouel. 123. capit. 21. §. *Siquis autem pecuniaria*, ſtatuit, in caſu negligentiæ iudicis Eccleſiaſtici licitum eſſe actori laico, coram ſeculari iudice clericum vocare. Et in nouell. 83. ſeu Authenti. *Vt clerici apud proprios Epiſcopos, & cæt.* hoc ad alios caſus extendit. Et refertur in cap. *Siquis cum Clerico.* 11. quæſtio. 1. Et fauet cap. *Filijs.* 16. quęſt. 7. vbi Gloſſa, verb. *Regis*, idem ſentit, Verumtamen in hoc nulla ratio habenda eſt deciſionum Iuſtiniani, qui non potuit exẽptionem clericorum limitare, quia materia hęc non iuris ciuilis eſt, ſed canonici, vt infra generalius dicam.

An propter Eccl... iudicis negligentiam poſsit clericus reus ad ſeculare iudiciũ trahi. Ratio dubitandi. *Iuſtinian.*

20. Reſoluitur dubium. *Innoc.* 3.

Dicendum ergo eſt, non licere propter negligentiam iudicis Eccleſiaſtici clericum conuenire coram ſeculari. Ita ſtatuit Innocentius Tertius in cap. *Qualiter, & quando.* de Iudicijs, Vbi Prælatis pręcepit, vt laicis de clericis conquerentibus plenam faciant iuſtitiam exhibere, ne hac occaſione clerici à laicis trahantur ad iudicium ſeculare, *quod* (inquit) *omnino fieri prohibemus*. Quæ prohibitio ita intelligenda eſt, vt non ſolùm vetet ſimpliciter, Clericos trahi ad ſecularia iudicia, quod iam antea prohibitũ erat; ſed etiam prohibeat, vt propter illam cauſam, vel occaſionem, aut ſub illo colore non fiat. Et ita intellexerunt textum illum Gloſſa ibi, & optimè Panormitan. numero ſeptimo, & idem tenet Gloſſa in capit. *Placuit.* 1. 11. quæſt. prima verbo. *Petierit*, & Archidiacon. in dicto capite, *Filijs*. Ratio autem eſt, quia iudex ſecularis nullam habet iuriſdictionem in clericum reum, nec Imperator illam dare poteſt, aut Rex; nec propter negligentiam iudicis Eccleſiaſtici ipſo facto illam acquirit ex vi iuris naturalis, diuini, aut canonici; ergo non poteſt ſine iuriſdictione talem cauſam ſuſcipere. Deinde iudex laicus eſt inferior Eccleſiaſtico; inferior autem non poteſt ſupplere defectum ſuperioris. Ergo.

Gloſſa. *Panormit.* *Gloſſa.* *Archid.*

21. Et hinc facile colligitur differẽtia inter iudices ſecularem, & Eccleſiaſticũ; nam ſecu-

ſecularis eſt inferior, & ideò negligentia eius poteſt ſuppleri per Eccleſiaſticum, vtique in virtute iuris canonici, quod eſt ſupra ciuile, & ita ſtatuit per poteſtatem, quam Pontifex habet ad corrigendos defectus iudicum ſecularium. Iudex autem Eccleſiaſticus eſt ſuperior, & ideò ſecularis non poteſt per ſe, & (vt ita dicam) virtute ſua eius defectum ſupplere; neque etiam virtute iuris ciuilis, quod etiam poteſtatem in clericum nō habet, nec directam, nec indirectam. Neque ius canonicum talem poteſtatem ei dare voluit, neque id permittere propter decentiam clericorum, & Prælatorum Eccleſiæ. In illo ergo caſu remedium poſtulandum eſt à ſuperiori Prælato. Quod autem in dicto cap. *Filijs*, dicitur; ſi Prælatus ſit negligens implorari poſſe Regem, vel intelligitur tantùm in ſpeciali caſu, quando bona Eccleſiæ per clericos dilapidantur, in quo loquitur ille textus: vel intelligitur, adiri poſſe Regem non vt iudicem, ſed vt Protectorem, & defenſorem, vt authoritate ſua moneat Prælatum, & ſua potentia res Eccleſię interim tueatur, ac defendat, donec Summus Pōtifex conſuli poſsit. Quomodo intelligenda, & cōcilianda ſunt multa iura, quę à Gratiano referuntur. 11. q. 1. cap. *Si quis clericus*, cap. *Placuit*, cap. *Chriſtianis*, & 23. q. 3. cap. *Ab Imperatoribus*, & q. 5. cap. *Regum*, & cap. *Adminiſtratores*. De quibus infrà cap. vlt. aliquid addemus.

Cur negligentia iudicis ſecularis poſsit ſuppleri per eccleſiaſticú, non verò è conuerſo.

Exponūtur iura in contrarium adducta.

CAPVT XV.

Qualis ſit exemptio clericorum in cauſis criminalibus.

1. Prima aſſertio.

REGVLA generalis eſt, perſonas Eccleſiaſticas gaudere immunitate, ſeu priuilegio fori in cauſis criminalibus, *non ſolum in criminibus Eccleſiaſticis, ſed etiam in ciuilibus*, vt verbis vtamur Iuſtiniani ita diſtinguentis loco ſtatim citando. Aſſertio hæc certiſsima eſt, & ab omnibus ſcriptoribus Catholicis recepta; & negari non poteſt, niſi negando aliquod principium fidei. Tam euidenter enim traditur in iure canonico, vt nemo, qui magna ignorantia non laboret, negare poſsit aſſertionem, niſi qui negauerit, eſſe in Eccleſia poteſta-

A tem ad huiuſmodi exēptionem vel tuēdam, vel concedendam; quod repugnat principijs fidei, vt oſtendimus. Decreta autem Canonica de hac re antiqua habētur. 11. q. 1. Ex quibus aliqua indefinitê prohibent, ne clerici ad iudicium ſeculare deferantur, vt cap. 1. cap. *Placuit*, cum ſimilibus; quæ vt ſuprà dixi, omnem cauſam tam ciuilem, quàm criminalem comprehendunt; alia prohibent laicis accuſare, diſtringere, comprehendere, vel punire clericum, vt cap. 2. cap. *Nullus clericus*. cap. *Si quis clericos* cum alijs. Illa au-

B tem verba propria ſunt criminalium cauſarum. Alia loquuntur expreſſè, & in ſpecie de criminali cauſa cap. *Nullus Epiſcopus*, cap. *Clericus nullus*, cap. *Placuit*. 2. ex Concilio Carthaginenſi cap. 9. & cap. *Clericum*. 3. ex Concilio Agathenſi cap. 3.

Iura canonica exceptionem a foro ſeculari abſolute concedentia.

Cap. *Placuit*.

Cap. 2.

Cap. *Nullus clericus*

Ca. *Si quis clericos*.

Iura ſpecialiter exemptionem in criminalib9 concedētia.

C. *Nullus Epiſcopus*.

C. *Clericus nullus*.

In quo canone aduertendum eſt, aliter legi in ipſo Concilio, quàm à Gratiano citetur; Gratianus enim in caſu accuſandi ait, *Clericum nullus præſumat apud ſecularem iudicem pulſare, &c.* In Concilio verò legitur in caſu nominandi, *clericus non præſumat apud ſecularem iudicem quenquam pulſare*. Et eodem modo legi-

2. Lectiones diuerſæ ca. Clericū. 3.

C tur ſimile decretum in epiſt. 2. Marcellini Papæ, vnde videtur Concilium illud ſumpſiſſe. Illæ autem lectiones ſenſus multum diuerſos reddunt, vt cōſtat. Vnde veriſimile eſt, vel Gratianos codices fuiſſe corruptos, vel ipſum Gratianū vſum fuiſſe aliquo Concilio male conſcripto, quia nec præſumi poteſt, Gratianum ex induſtria verba Concilij mutaſſe, neque ita probabile eſt in epiſtola Pōtificis, & in Concilio mendum accidiſſe. Sed hoc nihil obſtat, tum quia alia decreta ſufficiunt ad confirmandam veritatem, tum etiam, quia ibidem adduntur

Marcellinus Papa.

D alia verba, quæ eandem exemptionē ſignificant. Nam Marcellinus, poſtquam dixit, *clericus nullum præſumat ad ſeculare iudicium attrahere*, addit, *nec laico quēlibet clericum liceat accuſare*; quod ſi abſolutè, vt ſonat, intelligatur, maius certê priuilegium clericorum eſt: ſi verò referatur ad iudicium ſeculare tantùm, vt eſt probabile iuxta verba proximê præcedentia, ibi continetur exemptio clerici in criminali cauſa â iudicio ſeculari. Nam ideò accuſari non poteſt, quia iudicari

Idem Marcellin.

Pp 4 non

non poteſt. Quòd ſi à laico accuſari non debet, multò minùs à clerico, quod ibi tanquam notum ſupponitur.

3. Cõcilium etiam poſtquam prohibuit clericum, ne alium pulſet, addit, *Sed ſi pulſatus fuerit* (vtiq; clericus, de illo enim ſermonem proſequitur) *non reſpondeat, nec proponat, neque audeat criminale negotium in iudicio ſeculari præponere*, vel potiùs *proponere*, vt legit Gratianus. Iuxta quem ſenſum vtrunque in illo canone continetur, ſcilicet, vt clericus non accuſet laicum coram iudice ſeculari præſertim criminaliter, inconſulto ſuo Epiſcopo, & vt accuſatus, ſeu pulſatus non reſpondeat. In quo priuilegium fori quoad criminalia cõtinetur; ideò enim clericus reſpondere non debet, quia non in ſuo foro pulſatur. Et ita quoad ſenſum in idẽ redit Gratiani lectio, ordine commutato. Nam priori loco, cùm ait, *Clericũ, &c.* declarat priuilegium clerici; in fine verò cùm dicit: *Nec criminale negotium audeat in ſeculari iudicio proponere*; alteram prohibitionem factam clerico accuſandi laicum criminaliter ſine licentia Epiſcopi inſinuat. Quam priùs tradiderat Fabianus Papa epiſt. 2. & habetur in cap. *Si quis Sacerdotes*. 2. q. 7. Et ſimilis canon habetur in Cõcilio Aurelianẽſi. 3. c. 31.

Fabianus Papa. Ca. *Si quis ſacerdotes.* 2. q. 7. *Conc. Aurelian.* 3.

4. Decreta etiam poſteriora eandem immunitatem in criminalibus decernunt, cap. *Clerici*, & cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, & cap. 2. & cap. *Si diligenti*, cum ſimilibus de Foro competenti. Et in dicto cap. *Clerici*. dicit Alexander. III. in hoc ius ciuile cum canonico concordare, quia leges tradunt generaliter, vt de omni crimine clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conueniri. Quod eſt verũ de moderno iure ciuili; nam Fridericus in ſua cõſtitutione id ſpecialiter expreſſit, & habetur in Authent. *Statuimus*, de Epiſcop. & Cleric. & Honorius III. illud acceptauit, & per omnia poſteriora iura regnorum catholicorum confirmatum eſt.

C. *Clerici.* Ca. *Qualiter, & quãdo, de Iudicijs.* Cap. 2. & cap. *Si diligenti, de Foro compet.* *Alex.* 3. *Frideric.* Authent. *Statuimus de Epiſcop. & cler.*

5. Iure verò antiquiori ciuili cõtrarium ſtatuerat Iuſtinianus dicta nouell. 83. Vbi diſtinguit duplicia crimina, quædã Eccleſiaſtica, vt error in fide, ſacrilegiũ, delicta in adminiſtratione ordinum, aut beneficiorum; & de his concedit, vt clericus ad ſolum Eccleſiaſticum forum de-

Quid de criminibus clericorũ Grati. ſtatuerit.

A feratur, quæ non eſt cõceſsio (quidquid ipſe exiſtimaſſe videatur) ſed recognitio, & confeſsio diuini iuris. Alia vocat delicta ciuilia, & de his voluit, iudicium etiam in perſonis clericorum ad ſeculares iudices pertinere. Addit verò limitationem his verbis: *Illud palam eſt, ſi reum eſſe putauerit eum, qui cõuenitur, prouinciæ Præſes, & pœna iudicauerit dignum, prius hunc ſpoliari ab Epiſcopo ſacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.* Quod videtur intellexiſſe quantum ad executionem pœnæ; nam ad inchoandam, & B proſequendam cauſam, & ad cognitionem illius ſumendam, nulla requirebatur facultas, vel diligentia Epiſcopi. Et ita ſentit Gloſſa ibi. *Gloſſ.*

Addit tamen eadem Gloſſa, ad ſentẽtiam condemnatoriam ferendam, præmittendam fuiſſe ſpoliationem illam, ſeu priuationem ſacerdotij, quamuis ſententiam abſolutoriam poſſet iudex ſecularis proferre ſine cooperatione Epiſcopi. Sed non video, quomodo poſsit Epiſcopus aliquem degradare (hoc enim eſt, ſpoliare ſacerdotio) ante latam ſententiã de crimine, & de pœna propter illud inferenda. Vnde verba ipſa hoc indicant, C ibi, *Si reum eſſe putauerit, & pœna iudicauerit dignum*. Oportebat ergo antecedere hoc iudicium, vtique forenſe, & authenticum, quod per ſententiam condẽnatoriam profertur. Cum ergo ſubiungitur, *priùs hunc ſpoliari*, ſubintelligendũ eſt, prius quàm pœna infligatur, non priùs quàm ſententia feratur. Et ita declaratur in Authent. *Clericus*. C. de Epiſcop. & cleri. ibi. *Nec tamen puniatur etiam ſi reus fuerit inuentus.* Ac præterea non videtur id poſſe intelligi generaliter de omni ſententia condemnatoria, nec de D omni pœna; ſed de pœna ſanguinis, vel corporali adeò graui, aut contumelioſa, vt priuationem ſacerdotij prærequirat; hanc enim non omnis pœna præexigit, vt patet in exilio, perpetuo carcere, pecuniaria, & ſimilibus. Igitur ex vi illius legis omnino priuabantur clerici priuilegio fori in criminibus non canonicis quoad totum negotium, & cauſam, præter quam in executione quarundam pœnarum, quæ poſtulant degradationem per Epiſcopum faciendam. Poſtea verò idem Iuſtinianus in Authentico de San- *Iuſtinian.*

6. (margin)

ctiſsi-

ctiſsimis Epiſcopis ca. 21. hoc limitauit, fecitque hæc crimina clericorum miſti fori, & quando ad ſeculare prius deferũtur, alium ordinem conſtituit, qui ibi videri poteſt. Et ante Iuſtinianum prius hoc fuerat ſtatutum à Valente, & ſocijs in l. 23. de Epiſcop. & Cleric. in Codice Theodoſiano.

7. *Prædictæ leges Iuſtiniani inualidæ fuerunt. Gloſſa.*

Veruntamen hæ leges non ſolùm reuocatæ ſunt per conſtitutionem Friderici (vt notauit Gloſſa in dicta Authentica *Statuimus*) ſed etiam per iura canonica, imò à principio fuerunt inualidæ, & nullius effectus, quia & erant contra ius diuinum, & contra iura canonica, & contra priorum Imperatorum conceſſiones, præſertim Conſtantini l. 7. C. de Epiſcop. & cleric. quam cum alijs ſimilibus innouarunt Theodoſius, & Valentinianus in l. 46. & 47. eiuſdem tituli. Vbi priùs generaliter omnia priuilegia à pijs Imperatoribus antea clericis conceſſa innouantur; poſtea verò additur, *Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſeculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor* (vtique Iulianus apoſtata) *edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus. Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.*

Conſtantinus. Theodoſi⁹. Valẽtian.

8. *Conc. Matiſconen.*

Solùm vnus ſupereſt ſcrupulus in iure canonico ex Concilio Matiſconenſi. 1. cap. 7. vbi priùs regula generalis his verbis traditur. *Nullus clericus de qualibet cauſa extra diſcuſsionem Epiſcopi ſui à ſeculari iudice iniuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur.* Poſtea verò additur exceptio, in qua eſt difficultas: *Quod ſi quicunq; iudex cuiuſcunque clericum abſque cauſa criminali id eſt, homicidio, furto, aut maleficio hoc facere fortaſſe præſumpſerit, quandiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.* Vbi dicens, *abſque cauſa criminali*, videtur exceptionem conſtituere regulæ â nobis poſitæ cõtrariam. Vnde videtur illud Concilium, quod paulò poſt tempora Iuſtiniani celebratum eſt, ius ciuile illius temporis fuiſſe imitatũ, vel fortaſſe in Gallia fuiſſe tunc illam cõſuetudinem. Aduerto tamen ibi non excipere Concilium omne iudicium criminale, aliàs eſſet exceptio regulæ contraria; ſed excipere quædam peccata, quæ per antonomaſiam crimina vocat, qualia ſunt, quæ ibi numerat. Et hoc modo po-

A tuit eſſe exceptio tolerabilis eo tempore, & ſolùm pro illa prouincia, in qua fortè tunc Epiſcopi poterant ſimilem facultatem laicis dare, vt infrà videbimus. Nunc autem neque Epiſcopis hoc licet, vt infrà etiam oſtendam, nec ſimilis exceptio admittenda eſt, vt mox dicam.

9. *An aſſertio tradita exceptionem patiatur.*

Dubitari ergo poteſt, an regula poſita aliquam admittat exceptionem. Quæ interrogatio, vt capite præcedenti dixi, intelligi poteſt, vel ex parte perſonarũ, vel ex parte materiæ, ſeu criminum. De perſonis dicam infrà, nunc autem ſuppono, nullas perſonas excipi, niſi quæ vel per legem canonicam, vel per iuſtam ſententiam Eccleſiaſticam, vel per Pontificis delegationem iudici laico factam, hoc priuilegio priuantur. De criminibus autem dico, nullum omnino â prædicta regula excipi ex vi iuris cõmunis. Probatur, quia ita eſt in iure expreſſum in cap. *Cùm non ab homine*, de Iudicijs, ibi: *Siue in furto, ſiue in homicidio, ſiue in periurio, ſiue in alio crimine, &c.* Et in cap. *At ſi clerici*, eodem tit. priùs abſolutê dicitur, clericos non ſolùm non poſſe pro crimine à iudice ſeculari condemnari, verùm etiam acta coram tali iudice, etiam ſi in eis clericus conuictus ſit, vel confeſſus, nihil ei nocere. Et ex illo textu cum §. ſequenti conſtat, tam maiora, quàm minora crimina clericorum ad Eccleſiaſticum iudicem pertinere. Et in cap. *Clerici* dicitur, ſacros canones imitari leges generaliter ſtatuentes, vt de omni crimine clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conueniri. Denique in cõmuni iure nulla talis exceptio inuenitur, neq; etiã conſuetudine introduci poteſt, quæ legis vim habeat, vt expreſſe dicitur in dicto cap. *Clerici*; ergo non poteſt talis exceptio cum fundamento affirmari.

Concluſio.

Cap. Cùm non ab homine, de Iudic.

Cap. At ſi clerici, eodem tit.

Cap. Clerici.

10. *Ratione cõfirmatur aſſertio.*

Addi etiam poteſt ratio ſatis congrua, quia ſi exceptio admittenda eſſet; vel id foret propter grauitatem criminis, vel propter leuitatem; hoc poſterius nullus dicet, quia leuiora peccata faciliùs poſſunt per proprium Eccleſiaſticum iudicem cognoſci, & puniri. Crimina verò grauiora clericorum magis neceſſarium eſt, non tractari à laicis; imò neque cognoſci, aut ſciri, ſi fieri poſſet: & præterea per Eccleſiaſticum iudicem poſſunt ſufficienter vel curari, vel vindicari. Quòd ſi ad

ſi ad hoc fuerit neceſſaria potentia ſecularis, non propterea debuit iudicium talium criminum ſecularibus committi; multò enim conuenientius eſt, vt ipſi nõ ſe intromittant, donec vocentur, & vt requiſiti ab Eccleſiaſtico iudice, auxiliũ ſuum impendere teneantur, iuxta cap. *Vt famæ*, de Sentent. excommunicatio. Dixi nihilominus, hoc intelligendũ eſſe *de iure communi*; nam ex priuilegio ſolẽt in aliquibus regnis excipi aliqua crimina clericorum, de quibus Magiſtratus ciuiles cognoſcere poſſunt, vt crimen læſę maieſtatis, fabricationis falſæ monetę, & cæt. oportet tamen, vt priuilegium illud Pontificiũ ſit, quia nullus Rex, vel Princeps ſecularis poteſt hoc priuilegium dare, vt infrà dicetur.

Cap. *Vt famæ. de Sẽt. excom.*

Ex priuilegio Pontificis pro aliquibus criminibus priuilegio poſſunt priuari clerici.

11\. Secundô quæri poteſt, an regula hæc aliquam ampliationẽ admittat. Ad quod breuiter reſpõdeo ex parte materiæ, ſeu criminum non poſſe ampliari, quia extenditur ad omnia crimina, quibus nullum addi poteſt. Ex parte verô iudicij, ſeu iudicis notari poteſt duplex ampliatio. Vna eſt, vt neque directe, neque per modum reconuentionis poſsit laicus iudex de crimine clerici cognoſcere, vt notauit Ioannes Lup. tract. de Libert. Eccleſ. p.2.q.1.n.2. ex cap. *Qualiter, & quãdo* de Iudicijs, in quo expendo particulam illam *omnino prohibemus*, nam perinde fuit dicere *omnino*, quòd quocunque modo. Item ampliatur ab eodem authore, vt etiam in caſu negligentiæ iudicis Eccleſiaſtici non poſsit ſecularis de quo cunque crimine clerici cognoſcere, hoc enim à fortiori probant ſuprà dicta in fine capitis præcedentis. Quid verô poſſit interdum agere ſecularis poteſtas circa clericum malefactorem per modum defenſionis, vel auxilij infrà videbimus.

An regula poſita amplietur.

12\. Tertiò quęri poteſt, an in materia criminali locum habeat declaratio de actore, & reo capite præcedenti data in materia ciuili. Reſpondeo, ſine dubio eſſe eandem, vel maiorem rationem de criminibus, quâm de cauſis ciuilibus. Ita do cent authores allegati pręcedenti capite. Et eiſdem iuribus probari poteſt, nam præter ea, quæ generaliter loquuntur, in cap. *Si quiſquam*. 11.q.1. dicitur, canones imitari leges in dicta regula, quod actor ſequi debet forum rei, hæc autem

Reſponſio. Vide Iuliũ Clar. parag. final q. 36. & Stephan. Aufreri. in Clementin. vt cleric. de Offic. ordinar. limitat. 1:.

C. *Si quiſquam*. 11. q.1.

A regula expreſſè traditur pro cauſis criminalibus in l. *In criminali*. C. de Iuriſdiction. omni. iudic. in l. vlt. C. *vbi in rem actio*. Rationes etiam ſupra factæ non minus de criminalibus cauſis procedunt, quàm de ciuilibus. Imô maior quædam ratio in rebus criminalibus intercedit; quia minus decet, magiſq; periculoſum eſt, clericum contra laicum actionem criminalem intentare, quàm ciuilem, quia in criminali intercedit quędam vindicta, & periculum odij, & ita poteſt faciliùs ſcandalum generare. Quod adeò verum B eſt, vt ob hanc cauſam antiqui canones prohibuerint, clericum, inconſulto Epiſcopo, laicum accuſare.

Etiã in criminalibus actor [illegible] ſequ forum rei.

L. *In criminali. C. de Iuriſdi. omni. iud.* Lex vlti. C. *Vbi in rem actio.*

Nihilominus tamẽ in hac materia additur quædam exceptio in cap. *Cùm ſit generale*, de Foro compet. his verbis, *In fauorem Eccleſiæ eſt introductum, vt malefactores ſuos, qui ſacrilegi ſunt cenſendi, venerabilium locorum rectores poſsint ſub quo maluerint iudice conuenire*, vbi ſolùm aduerto, non excipere omnes malefactores clericorum, aliàs exceptio deſtrueret regulam; excipit ergo malefactores Eccleſiarum, quales ſunt raptores, & ſimiles, vt ibi Gloſſa notat. Verum eſt tamẽ, C etiam percuſſores clericorum poſſe ad Eccleſiaſticum iudicium deferri, non ratione perſonæ accuſantis, ſi ſit clericus, quaſi ipſa trahat reum ad ſuum forum, ſed ratione ſacrilegij, quod eſt Eccleſiaſtici, vel ſaltem miſti fori. Reliqua de hac declaratione videri poſſunt in Gloſſa, & Doctoribus ibi. Et quæ de alia moderatione fundata in negligentia iudicis laici ſuprâ diximus, hìc applicanda ſunt, vt conſtat.

13\. Cap. *Cum ſit generale, de Foro compet.*

Malefactores Eccleſiarum, & clericorũ percuſſores in iudicio Eccleſiaſtico conueniri poſſunt.

Tandem inquiri hic poteſt, an hoc priuilegium, ſeu exemptio extendatur ad D prætérita, id eſt, ad crimina ante clericatum commiſſa, ſeu eo tempore, quo aliquis non gaudebat priuilegio fori quacunque ex cauſa, etiamſi aliàs clericus eſſet. Ratio dubitandi eſt, quia qui deliquit in ſtatu clericali, licêt poſtea relinquat ſtatum clericalem (vt contingere poteſt in clericis non ordinatis in ſacris, & in religioſis non profeſsis, vel profeſſis, qui per diſpenſationem ſtatum mutarunt) ille (inquam) ſemper gaudet priuilegio quoad illud delictum, durante ſtatu, commiſſum, vt docent Couarr. in

14\. An priuilegiũ fori ad crimina ante illud cõmiſſa extendatur.

Ratio dubitãdi pro parte negatiua.

Couar.

Pract.

Iuli. Clar. Barboſa. Pract.cap.31.n.8. Iuli. Clar. §. final. q. 36.n.11. Barboſa in l. *Titia*. ff. ſolut. matrim. qui alios referunt. Et fundamentũ eſt, quia ad gaudendum priuilegio attenditur ſtatus temporis, in quo delictum committitur, iuxta l.1. ff. de Pœnis. Itẽ quia quando commiſſum eſt delictum; fuit immune à iuriſdictione ſeculari; ergo etiam ſi relinquatur ſtatus, non ſubijcitur illi. Quia nullum eſt ius canonicũ, quod talem pœnam imponat, vel quod declaret amiſsionem priuilegij per dimiſsionem ſtatus retro trahi ad tempus præteritum, in quo durabat ſtatus, ſeu ad delictum tunc commiſſum; non eſt autem ſine iure, vel euidenti ratione limitandum priuilegium, neque aſſerendum aliquid, quod pœnale eſt, & odioſum. Ergo ſimili modo qui in ſtatu laici deliquit, & poſtea accipit ordinem, vel ſtatum Eccleſiaſticum, non gaudebit priuilegio pro his delictis, quæ antea commiſit, cum eſſet in ſtatu laici. Probatur conſequentia, tum quia ſequitur ex eodem principio, quod ad gaudendum priuilegio attenditur tempus delicti; ergo qui non erat clericus, vel ſi erat non viuebat in ſtatu clericali, & tunc commiſit delictum, licèt poſtea ordinetur, vel accipiat inſignia clericalia, erit ſubiectus ſeculari iudicio quoad illud delictum. Tum etiam quia illud delictum à principio pertinuit ad forum ſeculare, & nullũ eſt ius, quod extrahat illud, vel quod retro trahat priuilegium ad illum effectum; ergo. Et ita videntur ſentire Couarru. & Barboſa in locis allegatis.

Lex.1. ff. de Pœnis.

15. Ratio pro parte affirmante. In contrariũ verò facere videtur primò, quia priuilegia amplianda ſunt, quãtum proprietas verborum patitur; maximè in fauorem religionis; ſed iura cõcedentia hoc priuilegiũ, ſimpliciter eximunt perſonas ipſas inſignitas charactere; vel dicatas Deo tali modo, & non limitant ad delicta commiſſa poſt clericatum, vel ante, ergo non eſt limitandum, ſed extendendum priuilegium. Secundo, quia etiamſi delictum præceſſerit, nõ poteſt non cedere in ignominiam clericatus, quòd ille, qui iam eſt clericus, puniatur à laico, vel iudicetur; ergo cùm priuilegium magis reſpiciat decentiam clericatus, quàm commodum perſonæ, habere debet locum etiam quoad delictum

A præcedens. Sicut is, qui antea erat ſeruus, ſi ordinetur, per ius eximitur à ſeruitute propter honorem clericatus, licèt non ſemper eodem modo, vt ex materia de Irregularitate conſtat. Ergo etiã in præſenti licet quis ratione delicti ſit obnoxius foro ſeculari, per ordinationem liberabitur, ſaltem à foro; licèt non à debito alicuis pœnæ. Tertiò qui poſt delictũ confugit ad Eccleſiam materialem, gaudet immunitate, quid ergo mirum, quod illa gaudeat, qui confugit ad ſpiritualem gradum Eccleſiaſticum?

B De hoc puncto diſputat Panormitan. 16. *Panormit.* latè in cap. vnic. de Obligatis ad ratiocinia, & plures alij ibi, & in locis, quos refert copiosè Felin. in cap. vlt. de Conſtitut. n.14. circa finem, & ex modernioribus Auendan. in tract. de Mandat. Reg. exequend. cap. 22. & Couarr. in Pract. cap.32.n.4. Qui varias referunt ſententias, & multis diſtinctionibus vtuntur, quas hìc referre, & diſcutere prolixum eſſet, & alienum à noſtro inſtituto. Maximè quia non afferunt iura canonica, quæ in hoc aliquid clarè diſponant. Quo circa loquendo in generali, & coniectu- C ra vtendo, mihi placet ſententia dicens, ordinem ſubſequutũ poſt delictum eximere perſonam clerici à iuriſdictione ſeculari, etiã pro illo delicto. Primò propter rationes factas. Deinde à ſimili, vel à fortiori ex l. *Hos accuſare*. ff. de Accuſat. quatenus ait, legatum prouinciæ accuſandum non eſſe de illo crimine, quod ante legationem commiſit. Ergo eadem, vel maiori ratione clericus, qui in ſtatu laici deliquit, non eſt de illo crimine in iudicio ſeculari accuſandus.

Felin. *Auendan.* Vera reſolutio. *L. Hos accuſare. ff. de Accuſ.*

17. Quorundã limitatio reijcitur. Solent autem Iuriſtæ adhibere limitationem, *niſi mala fide aſſumpſerit cleri-* D *catum*, per malam autem fidem intelligunt, aſſumere clericatum ad fugiendũ ſeculare forum, vnde ipſi clerico imponũt onus probandi, non habuiſſe malam fidem. Sed certè non videtur pertinere ad dolum, vel malam fidem, quòd quis ex intentione ſe eximendi ab illo foro, & cuſtodiendi ſuam perſonam, illum ſtatum aſſumat; ſicut non eſt mala fides cõfugere ad Eccleſiam poſt delictum, ad ſe tuendum: illa enim intentio non eſt mala, vnde ſi in cæteris bona fides ſeruetur, non videtur obſtare. Malam ergo fidem

ego

ego intelligerem, ſi quis fictè, vel ſimulatè, & ad tempus aſſumpſiſſet illum ſtatum ad euitandum forum. Quapropter quoad hoc cenſeo, aliter eſſe iudicandū, ſi quis ordinatur in ſacris, vel tantum in minoribus. Nam ille prior aſſumit ſtatū perpetuum, & immutabilem, & ideò nō poteſt de illo præſumi fictio, niſi euidenter appareat: ideoq; cenſeo illum manere immunem, etiam ſi conſtet, occaſione delicti, & ad mutandum forum id feciſſe, quia id nec eſt malum, nec graue incommodum reipublicæ affert.

Alia limitatio aſsignatur.

18. At ille, qui tantum minores ordines aſſumit, poteſt facilè mala fide id facere, id eſt, non quia velit, ſe verè cultui Dei dicare, ſed ſolùm ad tempus, vt faciliùs liberetur, & poſtea mutet ſtatùm, & tūc cenſeo procedere priorem limitationē. Multòq; magis in clerico iam ordinato in minoribus, qui tempore delicti habitum, & tonſuram non geſtabat, & poſtea aſſumit, & vult gaudere priuilegio. Meritô enim timeri poteſt, doloſè incedere, tunc ergo non gaudebit priuilegio, niſi contrarium animum probet, quod difficillimum eſt. Addunt verô ijdem Doctores aliam limitationem, nimirū, *poſſe clericum bona fide ordinatum gaudere priuilegio, ſi cauſa eſſet integra*: nam ſi eſſet iam inchoata coram iudice ſeculari, alia eſſet ratio, iuxta cap. *Propoſuiſti*, de Foro compet. Item addunt, in illis caſibus, in quibus hic clericus iudicatur â ſeculari iudice de priori crimine, non poſſe ab illo corporaliter puniri, ſed alijs modis. De quibus, & alijs punctis ſimilibus ad prædictos authores lectorem remittimus.

CAPVT XVI.

An priuilegium fori exemptionem à legibus ciuilibus includat, & qualis illa ſit.

1. SVpponimus, Eccleſiaſticam immunitatem includere exemptionē ab obligatione, & vinculo ciuilium legum quatenus à poteſtate, & iuriſdictione humana vim aliquam habent. Hoc certiſsimum eſt in iure canonico, licèt fortaſſe in ciuili expreſſe & in particulari non inueniatur. Quod nihil obſtat, quia ius canonicum ſufficit, vt ſuprà dixi. Hoc autem canonicum ius habetur

Laici ſuis legibus nullatenus Eccleſiaſticas perſonas ligāt.

A in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. & diſt. 96. per multa capita, in quibus locis etiam dicitur, laicos nullam habere poteſtatem, ſeu iuriſdictionem in Eccleſias, vel Eccleſiaſticas perſonas. Quod etiam multa Concilia teſtantur, vt in ſuperioribus probatum eſt. Cōſtat autem neminem poſſe ſua lege obligare eum, in quem iuriſdictionem non habet; ergo neque legiſlatores laici poſſunt ſuis legibus clericos ligare, quia vt dictum eſt, nullam iuriſdictionem in eos habent; iuriſdictio autem legiſlatiua magna eſt, cū ergo Concilia *nullam* dicant, etiam hanc

Cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de *Conſtit.*

B negant. Iuuatque Authent. *Caſſa*, C. de Epiſcop. & cleric. vbi caſſa, & irrita dicuntur eſſe omnia ſtatuta laicorum Eccleſiaſticæ libertati contraria, nam eo ipſo, quòd leges ciuiles fiant ad ligandos clericos, libertati Eccleſiaſticæ repugnant. Hoc igitur in genere certum eſt, quomodo autem ſit intelligendum, ampliandum, vel limitandum, explicandum ſupereſt.

Authent. *Caſſa*, de *Epiſcop. & cleric.*

Priùs autem aduerto aliquos dubitare, an ſicut immunitas Eccleſiaſtica, ita etiam priuilegium fori clericorum hanc exemptionem à vinculo ciuilium legū

2. An priuilegiū fori clericorum exemptionem à legibus ciuilibus includat.

C includat. Dico tamen, quæſtionem hanc eſſe de ſolo nomine. Nam ſi nomen fori ſtrictè ſumatur ſolùm comprehendere videbitur exemptionem à iudicijs fori ſecularis tam in cauſis ciuilibus, quàm criminalibus, quia forum propriè ſignificat locum, vbi iudicia exercentur, & conſequenter etiam ipſum iudicium, vel iuriſdictionē, per quam exercetur. Vnde ſi priuilegium fori ita ſtrictè ſumatur non comprehendet totam clericorum libertatem. Nam immunitas, ſeu exemptio clericorum, de qua tractamus, plura

D comprehendit, vt in principio huius libri dixi, ſcilicet, immunitatem ab aliquibus oneribus, muneribus, tributis, & legibus ſecularibus, quæ omnia libertas Eccleſiaſtica comprehendit. Poteſt tamē priuilegium fori in tota hac amplitudine accipi. Sic enim duo ſolent diſtingui priuilegia clericorum, ſcilicet, canonis, & fori, ex quibus prius ſolùm ſignificat ſpecialem immunitatem à violenta manus impoſitione, & ideò ſub priuilegio fori, vt adæquata ſit numeratio, reliqua libertas tota perſonarum Eccleſiaſticarū compre-

A comprehendēda eſt. Et ita loquitur expreſſe Syiueſt. verb. *Eccleſia*. 1. q. 5. verſ. *Priuum*. Nec ſine fundamento, nam priuilegium fori, vt diximus, non ſolùm eximit clericum à iuriſdictione temporali inferiorum Magiſtratuum, ſed etiã à ſuprema Regum, & Imperatorum iuriſdictione, quia ergo ab illa eadem iuriſdictione manant omnes leges ciuiles, & omnia onera, quæ per huiuſmodi leges poſſunt imponi, ideò priuilegiũ fori extenſum eſt ad exemptionẽ ab his omnibus ſignificandã. Quapropter explicata exemptione à iudicijs, vt hoc priuilegium integrè declaremus, ſupereſt, vt exēptionẽ à legibus exponamus: nã ſub hac omnes alię immunitates includũtur.

Syluest.

B

3. Vis legis ciuilis duplex directiua, & coactiua, & vtraq; quid.

Ad hoc autem explicandum, oportet ſupponere, multiplicẽ eſſe vim legis humanæ, id eſt, ciuilis, de qua ſpecialiter loquimur. Duo tamẽ ſunt pręcipua capita, ad quæ alia reduci poſſunt, ſcilicet, vis directiua, & coactiua. Et ne ſit in verbis æquiuocatio (vt eſſe ſolet) per vim directiuã intelligimus poteſtatẽ pæcipiẽdi ſub obligatione nõ ſolius pœnæ, ſed etiã cõſciētiæ. Vis autẽ coactiua eſt vis cogendi per pœnã, nam licèt hæc coactio ordina-

C rie fiat in executione per homines, ſcilicet per iudicem, & miniſtros eius, tamen etiã ſit ſuo modo per legẽ, idq; dupliciter, ſcilicet, vel imponendo tantũ debitũ, ſeu reatũ certæ pœnæ trãſgreſſoribus legis, vel infligendo etiam ipſam pœnam, quãdo talis eſt, vt executione hominis non indigeat, ſed per legem ipſam fieri poſſit, ſi ſufficienter in ea exprimatur.

4. Plures alij effectus legum ciuilium ad præ-dictam vim directiuam, & coactiuã reducuntur.

Præter has duas poteſtates legis numerari poſſunt aliæ, vt taxare pretia rerũ, quod optimè poteſt ad vim directiuã reduci, quia ratio iuſtitiæ obligãs in cõſciẽtia inde reſultat. Itẽ irritare cõtractus

D vel illos cũ eo rigore prohibẽdo, vel inſtituendo formam, ſine qua validi non ſint, quod aliquibus viſum eſt pœnale, & ideò ex virtute coactiua proficiſci. Sed hoc nõ ſemper ita eſt, nã interdũ fit propter ſolã directionẽ morũ, & bonũ regimen reipublicæ; & tũ magis pertinet ad vim directiuã. Itẽ habet lex vim imponendi tributũ reale, vel perſonale, & hùc etiam ſpectat impoſitio cuiuſcũq; oneris, vel ſecularis muneris præſertim ſordidi, & vilis, ſeu onerofi magis, quàm honorifici.

Et ex hac parte reputatur hæc virtus legis quaſi coactiua, quãuis revera propriè talis nõ ſit, quia per ſe hęc nõ imponũtur per modũ pœnæ propter culpã, vel legis tranſgreſsionẽ, ſed directè, & per ſe, quia in humana republica neceſſaria sũt. Declarandũ eſt ergo, quomodo per priuilegium fori clerici ab his omnibus eximãtur, in hoc verò capite ſolùm dicemus de legibus vt præcipientibus, vel prohibentibus, ſiue purè, ſiue adiecta pœna, in capitibus verò ſequentibus de alijs legibus præſertim oneroſis dicemus.

Priùs verò iterũ diſtinguendæ ſunt leges ciuiles ex parte perſonarũ, & ex parte materiæ. Nam cõmuniter hæ leges generaliter ferũtur pro omnibus ciuibus, abſtrahendo à laicis, & clericis; vtrique enim ciues ſunt, & ciuitatem cõponunt. Aliquando verò ferũtur pro ſolis laicis, poſſent etiã aliquãdo ferri pro ſolis clericis, poſsẽt (inquã) facto, quid verò de iure dicendũ ſit, videbimus. Deinde materia legis aliquãdo eſſe poteſt propria clericorũ, quæ potius erit Eccleſiaſtica, quàm ciuilis; aliquando eſt propria laicorũ: ſæpius verò eſt cõmunis vtriſq;. Itẽ aliquãdo materia, vel diſpoſitio legis, ſiue in ſpecie, ſiue generatim factę, eſt oneroſa clericis, vel eorũ ſtatui minùs decẽs, aliquãdo verò eſt fauorabilis: interdũ verò eſt indifferẽs. Quia licèt reſpectu cõmunitatis vtilis ſit, nihilominus reſpectu ſingularũ perſonarum interdũ affert incõmodum, licèt frequentiùs omniũ cõmodis proſpiciat iuxta hãc ergo legũ varietatẽ, variè etiã de hac exēptione iudicãdũ eſt.

5. Diſtinctio legum ciuilium ex parte perſonarum, & ex parte materiæ.

Nõnulla verò ex dictis colligere poſſumus, quæ clara, & extra cõtrouerſiã sũt. Primũ eſt, leges ciuiles latas pro ſolis laicis, clericos nõ obligare. Hoc enim verũ eſt, non ſolùm ratione exemptionis, ſed etiã propter formã talis legis, nulla enim lex obligat, niſi perſonas, ad quas loquitur, ſeu dirigitur. Secundũ eſt, leges etiã ciuiles, quæ diſponũt in materia merè laica, & ſeculari, licèt cum laicis perſonis in particulari nõ loquãtur, ſed indefinitè ſe rãtur, clericos nõ obligare, vt leges ciuiles ordinãtes iudicia ſecularia, nõ obligãt in foro Eccleſiaſtico, & ſic de alijs. Ratio eſt clara, tũ propter exēptionẽ, tũ etiam quia materia legis reſtringit eius obligationem ad eas perſonas quarum pro-

6. Leges ciuiles pro ſolis laicis latæ clericos nõ obligant.

pria eſt talis materia, vt eſt per ſe clarũ.

7. Leges ciuiles in materia Eccleſiaſtica ſtatuẽtes nullæ ſunt.

Tertiò dicendum eſt, leges ciuiles ſi in materia Eccleſiaſtica diſponant, nullam obligationem inducere, propter exemptionem talis materiæ. Hæc aſſertio conſtat ex dictis ſuprà cap. 2. vbi oſtendimus, res omnes, & cauſas Eccleſiaſticas à iuriſdictione laicorum exemptas eſſe; ergo leges latæ à laicis circa huiuſmodi materias ſunt ipſo iure nullæ ex defectu iuriſdictionis. De qua re plenê dixi in tomo de Legib. libr. 4. capite 11. Vnde quartò addendum eſt, leges ciuiles diſponentes circa perſonas clericorum in particulari, etiam ſi in materia ciuili diſponere videantur, non obligare clericos ratione exemptionis illorum. Hæc aſſertio ſimul cum præcedenti expreſſe traditur in capite *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. & cap. *Quæ in Eccleſiarum*, eodem titulo, & cap. vltim. de Rebus Eccleſ. non alien. & in cap. *Bene quidem*, cum multis ſequentibus. 96. diſt. quibus locis latè hanc materiam tractant authores, præſertim Panorminanus, & Felinus, & Barthol. in l. *Cunctos populos*. C. de Summ. Trinitat. Ratio autem ibidem redditur, quia ſuper Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis nulla eſt laicis attributa poteſtas, *quos obſequẽdi manet neceſsitas, non authoritas imperandi*. Hinc enim fit, vt huiuſmodi leges non obligẽt clericos, non quia ſint validæ, & ad illos non extendantur; ſed potiùs, quia nullæ ſunt ex defectu iuriſdictionis in perſonas, ad quas diriguntur.

Cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtit. Cap. *Quæ in Eccleſiarum*, eodem tit. Cap. vlt. de Reb. Eccl. non alien. Cap. *Bene quidẽ*. 96. diſt. Panormit. Felin. Barthol.

8. Obiectio.

Dices, hoc ad ſummum procedere, quando tales leges ciuiles detrimentum, vel onus aliquod afferunt clericis; ſecus verò eſſe debere, ſi ſint fauorabiles clericis, quia priuilegium, quod in fauorem datum eſt, non debet ita extendi, vt priuilegiato noceat, ſed quòd huiuſmodi leges ſint nullæ, etiam ſi ſint fauorabiles clericis, in nocumentum eorum caderet; ergo non eſt veriſimile, priuilegium exemptionis ad hunc effectum extendi.

Confirmatio.

Et confirmatur, nam Princeps laicus poteſt clerico priuilegium validum cõferre, vt ſumitur ex cap. *Nouit*, de Iudicijs, & ex multis alijs canonibus, & legibus in ſuperioribus allegatis, in quibus Imperatores Eccleſijs, & Prælatis, vel miniſtris earum priuilegia cõferunt; priuilegium

A autem quędam lex fauorabilis eſt; ergo.

9. Reſpon.

Nihilominus dicendum eſt quartò, tales leges, etiamſi fauorabiles videantur non poſſe obligare, de his enim etiam loquitur dict. cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, vt benè ibi Panormit. exponit in principio, & in fine. Et ratio textus ibi conuincit, quia talis lex re vera non eſt lex, etiam ſi videatur fauorabilis, quia à iuriſdictione non procedit; ergo non poteſt obligare. Item eſt optima ratio, quia eo ipſo, quôd lex prohibet, vel præcipit clericis in particulari, ſupponit, & exer-
B cet poteſtatem ſuperiorem in illos; ergo ſupponit poteſtatẽ, quæ non eſt, ac proinde nulla eſt. Imò eo ipſo non poteſt cẽſeri fauorabilis, quia magis nocet vſurpando iuriſdictionem, quàm proſit, aliquid commodi afferendo. Et ita reſponſum eſt ad contrariam coniecturam. Ad confirmationem reſpondetur, aliud eſſe de priuilegio, nam priuilegij conceſsio non eſt actus iuriſdictionis, ſed dici poteſt actus liberalitatis, & dominij illius rei, vel iuris, quod per priuilegium datur, & ideò poteſt quiſpiam dare priuilegium non ſubdito, imò & ſuperiori, & ſic etiam poteſt laicus concedere priui-
C legium clerico. Nec priuilegium habet propriam rationem legis reſpectu priuilegiati, quia per ſe non imponit illi obligationem, & ita non datur prohibendo, vel iubendo priuilegiato, ſed concedendo; alijs verò ſolet præcipere obſeruantiam priuilegij, & ſic habet priuilegium propriam rationem legis, vt in materia de Legibus latiùs declaraui. Atque ita leges ciuiles concedentes priuilegia clericis, fauent quidem clericis, non tamen ligant, obligant autem laicos, vt clericis talia priuilegia obſeruent.

Ad confirmationem.

Laicus poteſt clerico priuilegiũ concedere, nõ vero imponere lege.

10. Leges ciuiles in ... cleſias ... clericorum bona diſponentes nullæ ſunt. Gloſſa. Abbas.

D Quintò addere poſſumus ampliando ſuperiorem aſſertionem, leges etiam ciuiles in particulari diſponentes circa bona Eccleſiarum, vel clericorum, non eſſe validas, nec poſſe Eccleſias, aut clericos obligare. Ita docent Gloſ. & Doctores, pręſertim Abbas in d. cap. *Eccleſia*. n. 20. & 21. Et quod attinet ad Eccleſiaſtica bona habetur expreſſe in illo textu, & in d. c. *Bene quidẽ*, cui9 deciſionẽ Inno. 3. in priori c. allegat. Nã ibi ſtatutũ cuiuſdã Baſilij laici, quia in particulari ſtatuebat circa bona Eccleſiæ etiã in eorũ fauorẽ, irri-

irritũ cenſetur, quia nõ fuit authoritate Apoſtolica confirmatum. Idem ſumitur ex cap. *Quæ in Eccleſiarum*, eodem tit. & cap. vltim de Reb. Eccleſ. non alien. & ex cap. *Decernimus*, de Iudic. vbi negotia omnia Eccleſiaſtica exempta dicuntur à ſeculari foro. Ratio autem eſt, quia bona Eccleſiaſtica inter res ſacras computantur, & ideo prorſus ſunt exempta à iuriſdictione laicorum, non ſolùm humano, ſed etiam diuino iure, iuxta ea, quæ in decretis traduntur tota diſt. 96. & quæ ſuprà cap. 2. tractata ſunt.

Cap. *Quæ in Eccleſiarum*. Cap. *Vlt. de Reb. Eccleſ.* Cap. *Decernimus*. Ratio prioris partis.

A

11. In bonis autem proprijs, ſeu patrimonialibus clericorum non militat ratio dicta, quia bona propria clericorum non ſunt ſacra ſicut bona Eccleſiarũ, & ideo neceſſe non eſt, vt eadem, vel tanta exẽptione gaudeant, quanta bona Eccleſiaſtica, ſeu Eccleſiarum. Ratio autem differentiæ reddi poteſt, quia Eccleſiaſtica bona videntur eſſe ſub immediato dominio Dei, & ideo nemo poteſt circa illa diſponere, niſi vel Deus ipſe, vel diſpenſatores ſuorum myſteriorum, & bonorum ab ipſo conſtituti. Bona autem clericorum immediatè ſunt ſub dominio talium hominum, quod illis conuenit, non vt clericis, ſed vt ciues, vel homines ſunt, & ideo circa talia bona videntur poſſe diſponere leges ciuiles.

12. Sed nihilominus etiam in his bonis clericorum, veram eſſe cenſeo ſententiã Panormitani, quanquam iura, quæ allegat, non directè hoc diſponant, ſed per argumentum à ſimili, vel à paritate rationis afferantur. Ratio verò illam conuincit, quia non poteſt lex ciuilis aliquid in particulari diſponere circa bona clericorum, niſi obligando clericos ad talis legis obſeruationem, quia bona adhærent perſonæ, & lex diſponens circa bona, non poteſt niſi per aliquam perſonam obſeruari. Sed lex ciuilis non poteſt in particulari obligare perſonas clericorum; ergo nec circa illorum bona in particulari diſponere. Item lex non fertur ſine iuriſdictione; nemo autem habet iuriſdictionem, ſeu poteſtatem iuridice diſponendi circa bona alicuius, niſi habeat iuriſdictionem ſupra perſonam. Cùm ergo Rex temporalis iuriſdictionem non habeat circa perſonam clerici, neque habere poſt circa bona, quæ adhærent perſonæ tanquam acceſſorium principali; ergo lex facta à poteſtate ciuili circa bona clericorum in particulari eſt nulla tanquam ſine iuriſdictione facta. Ratio autem in contrarium ſolum probat, non ita certum eſſe, bona clericorum eſſe iure diuino exempta à poteſtate ciuili, ſicut eſt certum de Eccleſiaſticis bonis, quia non ſunt ita immediatè, & quaſi per ſe exempta. Nam res ſacræ, & bona Eccleſiæ exempta ſunt propter ſanctitatem quandam, quam participant per immediatam habitudinem ad Deum; bona autem clericorum exempta ſunt propter habitudinem ad tales perſonas exemptas; hoc autem non obſtat, quominus illarũ exemptionem participent.

Ratio poſterioris partis.

Soluitur obiectio.

B

13. Sexto addendum eſt, leges ciuiles, quæ generaliter loquuntur ad ciues, abſtrahendo à clericis, vel laicis, & diſponentes in materia temporali omnibus communi, ad eorumque mutuam ſocietatem, & vniformitatem pertinente, obligare clericos quoad vim directiuam. In hac aſſertione conueniunt omnes catholici, quos in ſuperioribus retuli, & latè tractaui in lib. 3. de legib. cap. 34. Et ratio ex parte cauſæ finalis eſt, quia vniformis obſeruantia talium legum eſt neceſſaria ad reipublicæ pacem, & ad ſeruandam inter ciues æquitatem; ergo & obligatio directiua debet eſſe generalis omnibus. Ex parte autem principij efficientis, ſeu poteſtatis talem obligationem imponentis, non omnes eandem reddunt rationem. Multi enim putant, id prouenire ex vi poteſtatis, & iuriſdictionis Principis temporalis: nam quoad has leges ferendas, dicunt retinuiſſe iuriſdictionem in omnes, etiam clericos; quia ita erat neceſſarium ad conuenientem totius reipublicæ gubernationem, & ideo non oportuit clericos eximi quoad hanc partem, cùm vſus talis exẽptionis non eſſet futurus vtilis reipublicæ Chriſtianæ, ac proinde non eſſet in illa obſeruandus. Vnde, ſicut ſupra diximus clericum vt actorem contra laicum eſſe obnoxium iudicio ſeculari in cauſa temporali, ac ſubinde quoad hunc actum non eſſe exemptum, ita non eſt inconueniens, clericum vt ciuem communicantem cum laicis in huiuſmodi actionibus communibus non eſſe

Leges ciuiles concernentes clericorum, & laicorũ mutuam ſocietatem obligant clericos quoad vim directiuam.

C

An clerici aſtringantur his legibus vi iuriſdictionis temporalium Principum.

Prima opinio.

D

exemptum â virtute, & iuriſdictione legis ciuilis, quoad vim directiuam. Atque hunc modum dicendi auide arripiunt hæretici, & ſchiſmatici, illûmque approbant multi catholici Doctores, quos in loco citato retuli, & non eſt improbabilis, ſecluſo ſchiſmaticorum ſpiritu, & errore circa totã exemptionem clericorum.

14. Aliorum tamen ſententia eſt, clericos non obligari ad obſeruandas huiuſmodi leges ex vi ipſarum legum, id eſt, ex vi iuriſdictionis, quam legiſlatores ciuiles habeant in clericos, ſed ex vi rationis, id eſt, quia poſita tali lege iuſta de re ad omnes pertinente, & quæ â clericis decẽter, & ſine ſpeciali grauamine ſeruari poteſt; ratio naturalis dictat, eſſe ſeruandam etiam à clericis, vel quia ſunt partes talis communitatis, & turpis eſt pars, quæ nõ concordat toti in his, quæ cõmodè poteſt: vel quia non ſeruabitur æquitas debita inter clericos, & laicos, ſi laici huiuſmodi leges ſeruent, & non clerici. Quæ poſterior ratio maximê locum habet in legibus definientibus medium iuſtitiæ, quales ſunt illæ, quæ valorem, & pretiũ rerum taxant; de quibus propterea nemo dubitat, ſeruandas eſſe à clericis ex vi iuſtitiæ naturalis, ſiue obligentur vi talium legum, ſiue non. Eademque ratio procedit de legibus diſponentibus circa quaſdam actiones humanas, quaſi reciprocas, & quandam mutuam habitudinem inter ipſos ciues includentes, quia tales leges non poſſunt, vel cum ſecuritate, vel cum æquitate ſeruari à laicis, quin ſeruentur à clericis, vt ſunt leges prohibentes talia arma, vel ne tali tempore, aut loco ferantur; vel prohibentes, ne tales res, aut merces extra regnum trahantur, & ſimiles. Prior verò ratio habere poterit locum circa leges diſponentes de alijs actionibus ciuium, in quibus non inuenitur hic mutuus reſpectus æquitatis, aut ſecuritatis, conſeruationis, aut rerum abundantiæ ad omnes pertinentis; ſed ſolùm pertinent ad conuenientem viuendi modum vniuſcuiuſque ſecundum politicum ſtatum, vt ſunt v.g. leges prohibentes ludum alearum, & ſimiles, quibus regulariter adiungitur ratio ſcãdali, ſi à clericis non ſeruentur.

Secunda opinio.

15. Atque hanc ſententiam, quôd leges A huiuſmodi non obligent clericos ex vi iuriſdictionis laicæ, ſed ex vi rationis, defendit Bellarminus in ſuis controuerſijs, præſertim in vltima editione, & ſæpiûs illam inculcat in his poſterioribus opuſculis, ſcilicet, in libro recognitionũ, & in lib. Contra Barclaium, & in Apologijs contra Regem Angliæ. Et ideò Rex ipſe ſæpiûs circa hunc articulum ipſum mordet, vt in Præfat. pag. 25. & in catalogo mendaciorũ ſubtitulo. *Noua dogmata*, vt in fine Apologiæ. Veruntamen neque ſententia hæc noua eſt, nec B peculiaris Bellarmini, ſed antiqua, & multorum grauium authorum, vt in citato loco de Legib. oſtendi, & ideo immeritò Rex vel illam nouitatis accuſat, vel de Bellarmino ſpecialiter conqueritur. Neque etiam rationem aliquam, vel teſtimonium alicuius momenti affert, ſed ſolùm Bellarminum, vel odij, vel affectus in Reges temporales minus propenſi inſimulat, quod valde friuolũ eſt, niſi fortè apud illos, qui veritatem ſuis inordinatis affectibus repugnantem odium reputant.

Bellarmi.

Aliunde verò illa ſententia optimè fundatur in diuino iure concedente ſim- 16.
C pliciter hoc priuilegium. Additis teſtimonijs Conciliorum, & canonum dicẽtium, laicis ſupra clericos nullam eſſe attributam poteſtatem, vel iuriſdictionẽ, ſine qua non poſſunt directè, & ex vi legis illos obligare. Item hac ratione non poſſunt Reges obligare clericos legibus illis peculiariter impoſitis; ergo eâdem non poſſunt eos obligare ex vi ſui præcepti per leges cõmunes, quia lex quoad vim ſuam non tranſcendit poteſtatem ferentis illam. Et ita ſententia hæc quoad hanc partem negatiuam probabilior D eſt, & vera, quoad aliam verò partem, explicandi obligatio nem ex ſola vi rationis, eſt quidem probabilis, tamen ſi nudè, & præciſè intelligatur, ſæpe inuenietur inſufficiens ad grauem obligationem conuincendam. Et ideo libenter addere ſoleo, obligationem illam etiam niti in virtute canonũ diſponentium, vt huiusmodi leges à clericis ſeruentur, quos in citato loco retuli cum authoribus, qui obligationẽ talium legum hoc modo declarãt, & rationibus, quæ hunc modum dicendi confirmant.

Authoris ſententia.

Quæ

Qui non repugnat ſententiæ dicenti, has leges obligare ex vi rationis, quia illa nõ excludit acceptationem canonum, aut virtutem eorum; nec prohibet recurſum ad illam, quando ſola vis rationis grauem obligationẽ in clericis ad huiuſmodi leges ciuiles ſeruandas, non oſtenderit.

17. An clerici ſint à vi directiua legũ ciuilium exempti.

17. Sed quæres, ſuppoſita hac ſententia, quôd clerici non obligentur ad obſeruationem harum legum ex vi illarum, ſed aliunde, an clerici ſimpliciter dicendi ſint exempti, vel potiùs non exempti à vi directiua talium legum. Et ratio dubitandi eſt, quia ſi non obligantur in virtute illarum, non poteſt eſſe niſi ratione exẽptionis à iuriſdictione, qua feruntur tales leges, vt declaratum eſt; ergo ſimpliciter dicendi ſunt exempti à talibus legibus. Item qui non tenetur ex obedientia legi parere, profectò exemptus eſt ab illa; clerici autem, ſi non obligantur talibus legibus ex vi illarum, non tenentur illas ſeruare ex vi obedientiæ authoribus earum debitæ; ergo ſunt exempti à talibus legibus. In cõtrariũ verô eſt, quia clerici abſolutè tenentur obſeruare tales leges; ergo abſolutê nõ ſunt ab illis exẽpti, quia exemptio abſolutè dicit libertatem, & carentiam obligationis; quomodo ergo obligatus manens poteſt dici exẽptus?

18. Variæ ſententiæ.

Bellarm. lib. de Cleric. c. 28.

Authoris iudicium.

18. Propter quas rationes variê ſolent loqui authores. Aliqui enim, licèt dicant, clericos non obligari his legibus virtute illarũ, negant nihilominus eſſe exemptos ab illis. Alij verò cõſequenter putant dicendum, illos eſſe exemptos etiam à vi directiua talium legum, quandoquidem non vi illarum obligantur, ſed rationis, vel canonici iuris. Mihi tamen videtur cõtrouerſia ſolũ de modo loquendi, exiſtimoq; propriè dici poſſe, illos non eſſe exemptos ab obſeruantia talium legum, neq; ab obligatione faciẽdi id, quod per ipſas præcipitur, & vitandi quod prohibetur. Et nihilominus poſſe etiã dici, eſſe exemptos à virtute, ſeu proprio vinculo earundẽ legũ, nam hæc duo nõ repugnãt & vtrunq; probãt rationes pro vtraque parte factæ. Et ita poteſt de clericis dici, obſeruare has leges vt liberos â iugo illarum, quia non ſunt liberi à iugo rationis naturalis, & iuris canonici, quod ad perfectam exemptionem pertinet, & ipſorũ ſtatui conſentaneum eſt.

19. Leges ciuiles etiã non noxiæ non obligãt clericos quoad vim coactiuam.

A Vltimò dicẽdum eſt, leges ciuiles etiã communes omnibus ciuibus, & clericis non noxias, neque indecentes, nõn obligare clericos quoad vim coactiuam, ac ſubinde exemptionem ab huiuumodi vi talium legum ad plenam Eccleſiſaſticorũ libertatem maximè pertinere. Aſſertio eſt certa, in qua conueniunt omnes doctores Catholici, quos loco ſuprà citato allegaui. Sequiturq; manifeſtè ex præcedenti; nam ſi verum eſt, has leges non obligare clericos virtute ſua etiam obligatione directiua, multò minùs poterũt B cogere illos vi coactiua. Declaratur autẽ ſimpliciter in hunc modum, quia lex in tantum ligat vi coactiua, in quantum pęnã imponit, quod duobus modis poteſt efficere, ſcilicet, vel ipſo facto inferendo pœnam, vel præſcribendo per iudicẽ inferendam. Priori modo non poteſt lex ciuilis per ſe ipſam punire clericum, quia exemptus eſt in criminalibus à foro ſeculari, vt ſuprà probauimus, quod verũ eſt non ſolùm de foro inferioris iudicis, ſed etiam ſupremi Regis, vt etiam oſtendi; ergo lex ciuilis, ſeu Regia non procedit à poteſtate coactiua clerici: ergò nõ po-C teſt per ſe ipſam illũ punire, quia virtus eius cõmẽſuratur poteſtati, à qua ꝓcedit. Et cõfirmatur, quia nõ poteſt Princeps tẽporalis in actuali, ſeu perſonali iudicio ſententiã (quam ab homine vocãt) cõtra clericũ proferre: ergo nec poteſt per legẽ ſentẽtiam latã in clericum dicere, ſeu ſub tali ſententia clericum cõprehendere, quia extra forum ſuum ius diceret.

Neq; etiã leges imponẽtes pœnã poſteriori modo, poſſunt exercere vim ſuã in clericos, quia nõ exercẽt illã, niſi mediãte iudice; aut ergo iudex ille erit laicus, aut clericus. Si ſit iudex laicus nõ ſo-D lũ nõ poteſt exequi talẽ pœnã in clericũ, verùm etiã nec condẽnare illũ, nec cognoſcere de cauſa, vel de peccato eius, etiã ſi legem ciuilem fuerit tranſgreſſus, quia nõ eſt iudex cõpetens eius in aliqua cauſa ſiue ciuili, ſiue criminali, ad quam clericus vt reus trahatur, ſicut oſtẽſum eſt: ergo per iudicem ſecularẽ nõ poteſt lex ciuilis ſuam vim coactiuam in clericum exercere. Si autẽ iudex ſit Eccleſiaſticus nõ tenetur pœnã legis ciuilis clerico imponere; tum quia ſæpê non erit, vel decens, vel accõmodata ſtatui clericali; tum 20.

 maxi-

maximê, quia iudex Eccleſiaſticus non tenetur ſecundum leges ciuiles iudicare, aut pœnas imponere, ſed ſecundum ius canonicum, quod ſi in illo nulla lex ſit deſignans pœnam pro tali delicto inferẽdam, iudex Eccleſiaſticus arbitrio ſuo illam imponet. Et poterit quidem ſi opportunum, & abſque inconuenienti fieri poſſe iudicauerit, leges ciuiles imitari (nã canones ipſi hoc non dedignantur, vt ipſimet dicunt) non tamen tenetur. Nam lex ciuilis deſignando pœnam per iudicem imponẽdam, inſtruit, obligando, iudicem ſecularem, non Eccleſiaſticum, ſuper quem iuriſdictionem non habet. Et quanuis lex illa vt imponens pœnam in cõmuni loquatur, abſtrahendo à iudice ſeculari, vel Eccleſiaſtico, nihilominus ſub ea ratione non eſt ex illis legibus cõmunibus, quas clerici obſeruare tenentur. Quia vniformitas in ſupplicijs, & pęnis in omnibus membris reipublicę non pertinet ad bonum regimen eius, ideòq; nec canones illam præcipiunt, nec ratio naturalis illam dictat, ſed potiùs poſtulat vt pro diuerſitate ſtatuum diuerſis modis tranſgreſſores puniatur. Definire autem pœnas clericis accommodatas pro quocunque delicto, non pertinet ad leges ciuiles, ſed ad Eccleſiaſticas, & vbi illæ defuerint, arbitrio Eccleſiaſtici iudicis meritò relinquuntur, quia ipſe etiam meliùs iudicabit de qualitate pœnæ clerico imponendæ, quàm ciuilis poteſtas, ſiue per ſententiam, ſiue per legem loquatur; ergo nullo modo lex ciuilis ſub vi ſua coactiua clericum comprehendit.

21. Obiectio. Dices. Ergo clericus puniri non poterit propter tranſgreſsionem legis ciuilis, vel ſaltem iudex Eccleſiaſticus non tenebitur illum propter tale delictũ punire; conſequens eſt valde abſurdũ, quia inefficax valde eſſet vis directiua ſine vlla coactiua, & delicta publica contra commune bonum manerent impunita. Prior ſequela probatur, quia clericus exemptus eſt à vi coactiua legis ciuilis; ergo exemptus eſt non ſolùm à tali ſpecie pœnæ, ſed etiam ſimpliciter à pœna, quia aliàs lex illa aliquam vim coactiuã exerceret in clericum, ligando illum ad pœnam, ſeu debitum pœnæ inferendo. Et à fortiori non tenebitur iudex Eccleſiaſticus tale delictum punire, quia vel

A reus ex vi talis legis ſimpliciter non ſubijcitur pœnæ, vel certe iudex ipſe non tenetur ſecũdum talem legem iudicare, & ideò ſicut non tenetur reum punire tali modo, ita nec ſimpliciter punire.

Reſpondetur negando ſequelam quo ad vtranque partem; nam tranſgreſſor talis legis quanuis ſit clericus, eo ipſo quòd tranſgreditur legem, quam quocunque titulo ſeruare tenetur, ſit reus pœnæ, non ex vi legis ciuilis, ſed ex vi iuris naturalis, & gentium, quo peccator ſit reus pœnæ non ſolùm apud Deum, 22. Solutio.

B ſed etiam apud homines, quando crimen rempublicam offendit. Et ita ceſſat ratio in contrarium, quia, hic reatus pœnæ nõ oritur propriè ex vi coactiua legis ciuilis tanquam ex cauſa, ſed ex lege naturali; lex autem ciuilis ſolùm fuit quaſi remota occaſio, quia non poſita illa lege, actio illa non fuiſſet mala, & cõſequenter nec pœna digna. Similiter ad alteram partẽ dico, teneri iudicem Eccleſiaſticum punire ſimile delictum clerici, ſi ad iudiciũ ſuum deferatur, non ex vi legis ciuilis, vt probat argumentum, ſed ex vi legis iuſtitiæ, & officij ſui, quo tenetur vindicare, & emendare delicta ſubditorum

C ſuorum, contra quancunque legem cõmiſſa. Eo vel maximè, quòd illud crimen magis eſt cõtra legem canonicam, vel naturalem, quam cõtra legẽ ciuilem, etiã ſi exiſtentiã talis legis prærequirat.

Quæri tandem hic poteſt, an hæc exemptio clericorum reſpectu ciuilium legum extẽdatur ad vim irritandi aliquos actus, ſeu contractus humanos, quam hæ leges interdum exercent: quod eſt quærere, an lex ciuilis irritans cõtractus, qui tam à clericis, quâm à laicis fieri ſolent, irritet etiam illos factos à clericis, vt v. 23. An leges ciuiles clericorum contractus irritare valeat.

D g. an teſtamentum factum à clerico ſine ſolennitate requiſita iure ciuili, ſit validum, &c. Reſpõdeo breuiter, diſtinguẽdum eſſe de irritatione, quędam enim eſt pœnalis, vt quæ in pœnã imponitur, vel quæ reſultat ex inhabilitate aliqua ipſo iure impoſita per legem in pœnam alicuius criminis; alia verò eſt irritatio, quę per ſe fit propter bonum commune, etiã ſi culpa operantis non intercedat. Dico ergo, legem ciuilem irritantem, ſi propriè pœnalis ſit, non comprehendere clericos quoad vim, ſeu actum irritandi. Dupliciter leges irritant contractus.

Pro-

Probatur,quia lex ciuilis non ligat clericum quoad vim coactiuam,necquoad pęnam ipſo facto impoſitam, quæcumque illa ſit, vt probatum eſt, ſed talis irritatio fit per vim coactiuam legis, & per modũ cuiuſda pœnæ imponitur;ergo non ligat clericum,irritando actum eius, ſicut etiã ſi imponat aliquam inhabilitatẽ ad ſimilem actum, non inducit illam in clericũ, quia omnes rationes factæ de cęteris pęnis,etiam in his procedunt.

24. At vero ſi lex ciuilis per ſe directe irritet actum propter bonum commune,dicendum eſt, cõprehendere clericos quoad vim irritandi, quia tunc non pertinet ad vim coactiuam, ſed ad directiuam. Eſſetq; hoc manifeſtum, ſi verum eſſet, leges huiuſmodi obligare clericos ex vi legis,& iuriſdictionis,quia tunc nihil eſt, quod eximat clericum à tali effectu legis cũ ab eadem iuriſdictione directiua morũ procedat. Verumtamen etiam tenendo has leges ſolùm obligare clericos vi rationis,id aſſeruit Vaſquez. 1.2.diſp.167.c. 4.quia talis (inquit) irritatio neceſſaria eſt,vt pax, & bona republicæ gubernatio conſtet. Quod non caret difficultate, quia irritatio hæc poſitiua,ſeu per hominem inducta non fit ſine iuriſdictione, & poteſtate ſupra perſonam, vel voluntatem,cuius actus irritatur. Et ideo merito addere poſſumus, leges ciuiles habere hunc effectum, quia per ius canonicum ſimpliciter quoad vim directiuam acceptantur, atq; ita irritatio illa fundatur in iuriſdictione potius Eccleſiaſtica, quam ciuili. Vnde etiam prædicta aſſertio limitanda eſt,vt non procedat,quando ius canonicum alia via ſuſtinet actum, vel in fauorem clerici, vel (vt ſic dicam) in fauorem ipſius actus,tunc enim pręualet ius canonicum reſpectu clericorum. Vt v.g. teſtamentum clerici valet ſine ſolẽnitate ciuili, quia ius canonicum minori contentum eſt in fauorem vltimæ volũtatis, cap. *Cum eſſes*,de Teſtament.& idẽ eſt in ſimilbus.

CAPVT. XVII.

Quale ſit Eccleſiarũ priuilegium quoad ſuã, ſuorumque bonorum exemptionem ab oneribus, & à poteſtate ſeculari.

A SVpereſt dicẽdum de alia virtute legis humanæ,quæ eſt ad imponendũ onera, vel tributa ſubditis: & quoniam hęc interdum perſonis,interdũ rebus ipſis ſolent imponi, ideo de illis ſigillatim dicendum eſt. Quia vero non ſolũ clerici, ſed etiam Eccleſiæ ipſæ hac gaudent immunitate, dicemus prius de Eccleſijs ipſis,& Eccleſiaſticis bonis,poſteà verò de clericis,& eorum bonis. Diſtinguimus ergo in primis bona Eccleſiaſtica à bonis clericorum: nam priora, vt ſuprà dixi, ſunt magis ſacra, & religioſa, B quia ad diuinum cultum, & ad opera pietatis per ſe ordinantur, bona autẽ clericorum de ſe mere tẽporalia ſunt,quanuis perſonis Eccleſiaſticis quaſi adhęreãt, & ideo de his poſtea dicemus. 1.

Nunc circa bona Eccleſiaſtica eſt vlteriùs aduertendum,multa ſub illis comprehendi poſſe, inter quę primũ locũ tenent ipſęmet Eccleſiæ, à quibus reliqua bona ſacra Eccleſiaſtica denominari videntur. Quæri autem poteſt, quid nomine Eccleſiarum, vel Eccleſiæ hic intelligamus. Poteſt enim intelligi vel templũ ipſum,quod ad vſum ſacrificij,ſacramen- C torum, & vt in eo fideles ad orandum,& verbum Dei audiendum conueniant,dedicatum, & conſecratum eſt: vel poteſt nomine Eccleſiæ particularis intelligi collegium clericorum, qui vnicuiq; Eccleſiæ ſeu templo ad ſeruitium eius,& diuini cultus, & fideliũ curam,cæterarũq; rerum ſacrarum,& bonorum cuſtodiam & adminiſtrationem deputati ſunt. Vel tertiò nomine Eccleſiæ particularis intelligi poteſt tota congregatio fidelium ad eandem Eccleſiam, ſeu templum pertinentium, quatenus in illa recipiunt ſacramenta, & illius Paſtori in his, quæ ad D animam pertinent,proximè ſubſunt, & ſecundũ eam rationem peculiarem vnionem ſpiritualem habent. 2.

Aliquæ Eccleſiæ acceptiones primittuntur.

Et quamuis verum ſit,vocem illam in omnibus his ſignificationibus eſſe vſitatam, præſertim in prima,& tertia,nihilominus hæc vltima pręſenti inſtituto nõ inſeruit. Quia Eccleſia illo modo ſumpta non habet peculiarem exemptionem, ſeu libertatem Eccleſiaſticam præter eã, quę ad ſpirituale regimẽ ſpectat, de qua diximus in c. 2. Neque illa congregatio habet alia Eccleſiaſtica bona, præter ea, 3.

Quæ ex dictis acceptionib9 pręſenti inſeruiat inſtituto declaratur.

quæ ad clerum, vel templum ſpectant. Eccleſia etiã ſecundo modo accepta, quę frequentiùs dicitur clerus, vel capitulum, ſi conſideretur vt perſona quędam ficta, eandem rationem exemptionis habet, quam clerici, & ideo ſub illis comprehenditur: ſi verò ſpectetur quoad bona ad vſum ſacrum, & templi deputata, eiuſque curę commiſſa, ſic nõ habet exẽptionẽ aliam, præter illam, quam de bonis Eccleſiaſticis explicaturi ſumus. Supereſt ergo vt de Eccleſia loquamur, vt eſt locus ſacer, ad cuius ſeruitium, vel ornatum, & ad miniſteria ſacra, quæ in illa fiunt, cæteraque opera pietatis alia bona Eccleſiaſtica ordinantur.

4. Poteſt item Eccleſia hoc modo ſumpta conſiderari, vel ſub generali ratione rei ſacrę, & ſic habet exemptiones, ſeu immunitates cæteris rebus ſacris, cũ quibus in illa generali ratione conuenit, cõmunes, de quibus ſtatim dicemus. Vel etiam conſiderari poteſt Eccleſia ſub ratione propria loci, ſeu domus, quę ad cuſtodiendas, vel protegẽdas perſonas, quę in ea exiſtunt, vel ad eam cõfugiunt; vel ad cuſtodiam rerum, quę in ea collocantur, ordinatur. Et ſub hac ratione habẽt eccleſię, & loca ſacra, quatenus talia ſunt, priuilegia quędam propria, & ſibi ſpecialiter accõmodata. Quæ priuilegia in generali ſumpta ex ratione naturali reſultant, in particulari verò aliqua ſunt per leges canonicas determinata, vel declarata. Suppoſita enim inſtitutione, & benedictione, vel dedicatione ſacra talis loci, ratio ipſa naturalis dictat, vt ab omni actione indecente, vel quæ ſit contra reuerentiã tali loco debitam, ſeruetur immunis. Quę autẽ actiones cedant in iniuriã, vel irreuerentiam loci ſacri, ſi per legem Eccleſiaſticam nõ definiatur, prudenti arbitrio relinquendum erit.

Variæ Eccleſiarum immunitates.

5. Magna autem ex parte hoc determinauit Eccleſiaſtica lex, priuilegia aliquarũ immunitatũ Eccleſijs cõferendo. Primò definiendo, per quas actiones Eccleſia polluitur iuxta Eccleſiaſticã inſtitutionẽ eaſq; vetando. Secũdò prohibẽdo, ne Eccleſię vt laicę domus tractentur, in eis cõmunia ſupellectilia ſine magna neceſsitate recipiendo, ſeu admittẽdo, c. 2. de Cuſtodia Euchariſtiæ. Tertiò pręben do Eccleſijs immunitatẽ, & exẽptionem

Cap. 2. de Cuſtodia Euchariſ.

A ab actionibus forenſibus, quęad ſecularia iudicia, vel ad tractanda negotia politica, aut bellica, vel ad mercaturam pertinent. Quartò tribuẽdo Eccleſiæ peculiarẽ vim cuſtodiẽdi bona in eis depoſita, vel quouis modo collocata, vt ſine ſpeciali ſacrilegio per iniuriã inde ſubtrahi non poſſint. Deniq;, vt alia omittã, datũ eſt templis priuilegiũ tuendi reos ad ea cõfugientes, ita vt à miniſtris ſecularis iuſtitię ſine iniuria, & graui ſacrilegio inde nõ poſsint per violentiã extrahi. De quibus immunitatibus dixi latè in tract. 2. de Relig. toto lib. 3. & præſertim de hac vltima à c. 8. B vſq; ad finẽ, & ideo illa nunc prætermittimus. Solùm enim ea tetigimus, vt conſtet, quomodo Eccleſiæ prout eſt locus ſacer, ab oneribus, ſeu actionibus, & (vt ita dicã) paſsionibus prophanis, & ab Eccleſia prohibitis exẽpta ſit. De exẽptione autẽ à tributis reſpectu Eccleſię ſic acceptæ nihil dicere neceſſe eſt, quia licèt ſit res immobilis, nõ eſt res (vt ita dicã) fructifera temporaliũ bonorũ, ſeu fructuũ, & ideo non eſt capax tributi, præterquam quod quatenus Eccleſia eſt res ſacra, habet, vt dixi, omnẽ exemptionem communem alijs bonis, & rebus ſacris, C de quibus iam dicendum eſt.

Pręter Eccleſias ergo cętera Eccleſiaſtica bona in duo mẽbra diſtingui poſſunt, quædã ſunt, quæ propriè dicũtur res ſacræ, quia vel per ſpecialẽ benedictionem cõſecratę ſunt, vel ſunt inſtrumẽta diuini cultus; alię verò ſunt, quę generale nomẽ retinẽt, & propriè dicũtur bona Eccleſiaſtica, ſiue mobilia, ſiue immobilia, quæ quatenus ad Dei cultũ, ſuſtentationem miniſtrorũ, ſubſidiũ pauperũ, & alias tẽplorũ expẽſas deſtinata ſunt, inter res ſacras cõputãtur, teſte D. Thom. 2. 2. q. 99. D ar. 4. & q. 185. ar. 7. De rebus ſacris prioris ordinis certũ eſt gaudere multis immunitatibus à cõmunib⁹ vſibus, vel miniſterijs, & ab omni iniuria, & iniqua alienatione. Nã hoc gen⁹ immunitatis ratione naturali fundatũ eſt, quia Sancta debent ſanctè tractari; ea vero, quæ Deo dicata ſunt quandã ſanctitatẽ participant; ergo ipſa ratio dictat, nõ eſſe ad vſus ꝓphanos trãsferenda. Et ita in legẽ veteri vaſa tẽpli in magna erant veneratione, & ideò ſpecialiter conſecrabantur, vt ait D. Thomas. 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 9. & propterea non

6. Bona Eccleſiaſtica duplicia, quædam ſpecialiter conſecrata, alia non ita.

D. Thom.

Idem.

Daniel. 5. Hieron. Teodor. Stephan. Papa. Lex *Interſtipulantem.* §. *Sacra.* ff. de Verborũ obligat. Cap. *Ligna* de Cõſecrat. d. 1. Cap. *Quæ ſemel.* 19. q. 3. Regul. *Semel.* de Regul. iur.

non poterant ad alios vſus prophanos, vel cõmunes applicari. Vnde Daniel. 5. Balthaſar Rex Babyloniæ, qui vaſa templi in quodam ſuo conuiuio prophanare auſus eſt, ſtatim diuinam ſenſit vindictam, vt ibi Hieronymus, & Theodor. notant, & Stephanus Papa. 1. epiſt. 1. ad Hilar. c. 3. & habetur in cap. *Veſtimenta,* de Conſecrat. diſt. 1. Quin etiam inter gentiles ſuomodo fuit hoc ius rebus ſacris conſeruatum, vt colligimus ex l. *Inter ſtipulantem.* §. *Sacra.* ff. de Verbor. obligat. nunc autem maximè iure canonico confirmatum eſt, vt cõſtat ex cap. *Ligna* cum multis ſequentibus, de Conſecrat. diſt. 1. & cap. *Quæ ſemel* cum ſequent. 19. q. 3. & ex regula *Semel* de Regul. iur. in 6. & nouo etiam iure ciuili declaratum hoc eſt in l. *Sancimus.* C. de Sacroſanct. Eccleſi.

7. Pertinet autem hæc immunitas ad quandam venerationem, ſeu honorariũ cultum huiuſmodi rerum ſacrarum, & ideo in materia de Adoratione explicata eſt. Et propter eandem cauſam non ita conuenit hæc immunitas alijs bonis Eccleſiaſticis ſecundi ordinis, quia illa non ſunt proxima inſtrumenta diuini cultus. Ideoque priora bona dici ſolent exempta ab humano cõmercio, & vſu; hæc verò poſteriora eſſe poſſunt in humano commercio, & ad ordinarios vſus applicari, dummodo debito modo, & cũ pietate fiat. Vt ſumitur ex cap. *Sine exceptione,* cap. *Aurum.* & cap. *Gloria,* cum alijs multis. 12. q. 2. Namquia hæc etiam poſteriora bona aliquomodo ſacra ſunt, hoc ſaltem ex vi ſuæ inſtitutionis requirunt, vt ſolũ in religioſos, vel pios vſus proximè conſumantur, quia ad hunc finem Eccleſiæ data ſunt, vt multi canones tradũt in dicta. 12. q. 2. Quod ſi bona ſint immobilia, vel pretioſa, peculiare habent priuilegium, vt alienari non poſſint, niſi modo, & ratione iure canonico præſcriptis, cap. *Nulli* cum alijs de Rebus Eccleſiæ non alienandis.

Res diuino cultui dicatę ab humanis vſibus eximũtur. Vide Sarment. de Reddit. Eccleſiaſt. Cap. *Sine exceptione* Cap. *Aurum.* Cap. *Gloria.* 12. q. 2.

8. Præterea omnia iſta bona Eclleſiaſtica dici poſsunt gaudere priuilegio fori, ſeu, quod idem eſt, eſſe exempta ab omni iuriſdictione, ſeu poteſtate ſeculariũ Principum, ſeu Magiſtratuum. Primô quoad adminiſtrationẽ, nam per Eccleſiæ miniſtros cuſtodiri, cõſeruari, transferri, aut permutari, diſtribui, vel quando oportuerit, alienari debent, non per laicos, quibus nulla ſuper hæc bona eſt attributa poteſtas iuxta ſuprà dicta in cap. 2. & 15. & ex dictis ibi conſtat, immunitatem harum rerum quoad hanc partem ex iure diuino deſcendere, ſuppoſita inſtitutione Eccleſiæ, & poteſtate data Petro, & ſucceſſoribus eius ad vniuerſas res Eccleſiaſticas per ſe, vel per miniſtros ſuos adminiſtrandas. Vnde in Concilio Lateran. ſub Leone. X. in Bulla de Reformatione curiæ. §. *Et cum fructuum,* dicitur, prohibitum eſſe iure diuino, ne laici ius adminiſtrãdi bona Eccleſiaſtica vſurpent.

Omnia Eccleſiar. bona gaudent priuilegio fori.

Conc. Lateran.

Ratio verò eſt, quia hæc bona ſi conſiderentur vt ſacra, per ſe ordinantur ad ſpiritualem, & ſupernaturalem finem, & ideo ex vi iuris diuini adminiſtratio eorum ad ſpiritualem poteſtatem pertinet. Si verò conſiderentur ratione materiæ, ſic eo ipſo, quòd tradita ſunt Eccleſiæ, facta ſunt extra dominium, & poteſtatem laicorum, & diuino cultui dicata ſunt, & ſub ſpeciali ratione ſub dominio Dei conſtituta, vt ſignificauit Cõcilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reformat. prohibens Epiſcopis, ne res Eccleſiaſticas, *quæ Dei ſunt,* conſanguineis donent, qui modus loquendi eſt frequens in ſacris canonibus, vt videre licet in multis decretis. 12. q. 1. & 2. & 16. q. 1. & 7. & in cap. *Cum ſecundum Apoſtolum* de Præbend. vbi hęc bona vocantur patrimonium Chriſti, quod etiam habetur in cap. cum ex eo de Elect. in 6. Et in cap. *Tua nobis,* de Præbend. decimæ peculiari titulo, & modo dicuntur eſſe bona Dei. Ergo adminiſtratio talium bonorum ad eos pertinet, quos Deus diſpenſatores ſuorum bonorum conſtituit, huiuſmodi autẽ diſpenſatores ſunt præcipuè Romanus Pontifex, & ſub illo epiſcopi in ſuis diœceſibus, iuxta menſuram poteſtatis ſibi conceſſæ, vt Pontifices, & varia Concilia docuerunt, quæ apud Gratianum videri poſſunt diſt. 96. pręſertim cap. 1. & vltimo, & dicta 12. q. 1. & 2. & 17. q. 1. & 7. Et optimè Ambroſ. in cap. *Conuenior.* 23. q. 8. ex epiſt. 33. ad Sororem. Et propterea ſacrilegi appellantur, qui per poteſtates ſeculares huiuſmodi bona Eccleſiaſtica vſurpant, tan-

9. Ratio dictæ exemptionis.

Cõc. Trid. Cap. *Cum ſecundum Apoſtolũ de Præb.* Cap. *Cum ex eo de Elect. in 6.* Cap. *Tua nobis, de Præbend.* *Gratian.* *Ambroſ.*

tanquam rerum ſacrarum violatores.

10. Bona Eccleſiaſtica etiã à legibus ciuilibus ſunt exempta.

Cap. *Eccleſia.*

Cap. *Quæ in Eccleſiarum de Cõſtitut.*

Cap. *vlt. de Reb. Eccleſ. non alien.*

Cõc. Rom. Innoc. 3.

tio aſſer ...is.

Secundò dici poſſunt hæc bona gaudere priuilegio fori, quia exempta ſunt à legibus ciuilibus, ita vt nihil circa illa in particulari diſponere poſsint, vt ex dictis in capite præcedẽti ſatis notum eſt, & ſumitur ex cap. *Eccleſia,* & cap. *Quæ in Eccleſiarum,* de Conſtitut; & cap. Vlt. de Rebus Eccleſiæ non alienandis. Et traditur apertiſsimè in Concilio Romano ſub Symmacho, quod allegauit Innocẽtius. 3. in dicto cap. *Eccleſia,* & refertur in ca. *Benequidem.* 96. diſt. vbi lex quædam ſuper Eccleſiaſtica bona lata à quodam Baſilio homine laico, & vrbis Romæ Præfecto, licèt eſſet fauorabilis Eccleſiæ, nulla declaratur ex defectu poteſtatis. Ne in exemplum remaneret præſumendi, quibuslibet laicis, quanuis religioſis, vel potentibus in quacunque ciuitate quolibet modo aliquid decernere de Eccleſiaſticis facultatibus, quarum ſolis ſacerdotibus diſponendi indiſcuſſè à Deo cura commiſſa docetur. Ratio ergo eſt, quia tales leges ſunt nullæ, vt pote ſine iuriſdictione factæ; nam ſicut ciuilis Magiſtratus, aut Princeps non habet poteſtatem adminiſtrandi Eccleſiaſtica bona, ita nec iuriſdictionem habet ad ferendas leges, per quas circa eadem bona aliquid diſponat. Tum quia eadẽ ratio verſatur, videlicet, quòd hæc bona eo ipſo, quòd ſpeciali titulo facta ſunt diuina, & ſpiritualia per ſpecialem habitudinem ad ſupernaturalem finem, cõſtituta ſunt extra obiectum, & materiam iuriſdictionis temporalis. Tum etiam, quia diſpoſitiones legum circa aliqua bona continent (vt ſic dicam) principalem diſpoſitionem, & adminiſtrationem talium bonorum quaſi eminenter, ſeu virtute; quia huiuſmodi leges ſunt regulę, per quas dirigi debet talium bonorum adminiſtratio; ergo qui talia bona adminiſtrare non poſſunt, multô minus poterunt leges circa illa condere. Quapropter non minús iuris diuini eſt hæc exẽptio à lege ciuili, quàm ab adminiſtratione laicorum. Eſt tamen varijs modis determinata hæc exemptio per Eccleſiaſticos canones præſcribentes modum circa alienationes, tranſlationes, & alios modos diſpenſandi, vel adminiſtrandi hæc bona, vt videre licet in decretis antiquis

A allegatis pręſertim. 12. q. 1. & toto titulo de Rebus Eccleſ. non alien. & in cap. *Paſtoralis,* de His, quę fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli. Vnde per eaſdẽ leges canonicas aucta eſt hæc exemptio per varia priuilegia Eccleſijs cõceſſa circa bona ſua, vt circa alienationes, præſcriptiones, & ſimilia, de quibus hic non eſt dicendi locus, ſed videri poſſunt Doctores Canoniſtæ in cap. *Nulli,* de Rebus Eccleſiæ non alienandis, & ſũmiſtæ præſertim Sylueſt. verb. *Alienatio,* & verb. *Eccleſia.* 2. & 3.

Cap. *Paſtoralis de His, quæ fiunt à Prælatis.*

11 Bona Eccleſiaſtica exẽpta ſunt à iudicijs ſecularibus.

B Tertiò eadem ratione gaudẽt hæc bona exẽptione ab onere iudicij ſecularis. In quo breuiter aduertendum eſt, duobus modis poſſe hæc bona cõſiderari, primo pręciſè quatenus res ſacræ ſunt, & vt ſic manifeſtum eſt, non poſſe circa illa verſari ſecularia iudicia, nam ſi dubitatio aliqua, vel lis circa illa vt ſacra ſunt, moueatur, ex ipſa rei natura, & diuino iure, ad Eccleſiaſticũ iudiciũ pertinet, quia eſt materia ſacra, & ſpiritualis, vt ſi tractetur; an Eccleſia ſit polluta, nec ne, vel an calix ſit rectè cõſecratus, & ſimilia. Alio modo poſſunt hęc bona cõſiderari ratione materiæ, ſecundũ quam tẽporalia bona ſunt, & de illarũ dominio, vel iure vtẽdi, aut fruendi illis litigari poteſt, & hoc

C modo etiã conſtat, hæc bona eſſe exẽpta à iudicio ſeculari, vt notãt Gloſſa, Panormit. & Doctores in cap. *Eccleſia ſanctæ Mariæ,* de Conſtitut. per illũ textum, & per cap. *Si clericus,* cum ſimilibus de Foro comp. & cap. *Decernimus* de Iudicijs cũ alijs, quæ ca. 13. adduximus. Hæc enim pars ferê coincidit cũ his, quæ ibi diximus de exẽptione clericorũ in cauſis ciuilibus. Nam ſi clerici eximũtur quoad propria bona à ſeculari iudicio, multô magis quoad bona Eccleſiaſtica. Vnde

Gloſſa. Panormit. Cap. *Si cleric⁹ de Foro comp.* Cap. *Decernimus de Iudicijs*

Declaratur concluſio.

D hoc intelligendũ eſt cũ declaratione ibi addita, nimirũ, vt procedat, quando ipſa Eccleſia eſt rea, ſeu in iudiciũ vocatur à laico, vel (quod perinde eſt) quãdo laicus prætẽdit, talia bona eſſe ſua, vel aliquod in eis ius habere. At verò ſi è cõuerſo Eccleſia, ſeu Paſtor eius pro huiuſmodi bonis, quæ Eccleſiaſtica eſſe prætẽdit, laicũ conueniat, tunc non habet locum exẽptio à ſeculari iudicio, quia reus in foro ſuo conueniri debet, niſi fortaſſe ſacrilegium interceſſerit, ratione cuius poteſt

reus

reus immediatè trahi ad iudicium Eccleſiaſticum, vt in prædicto capite ſatis explicatum eſt.

CAPVT. XVIII.

An Exemptio à tributis ſecularibus conueniat Eccleſijs, earumque bonis, quatenus Chriſti patrimoniũ ſunt.

1. ECcleſiarum nomine, vt præcedenti capite explicaui, ipſa materialia tẽpla, vel loca ſacra intelligimus; per Eccleſiaſtica autem bona res omnes ſacras. & quæ ad vſus Eccleſiarum, Deo, ſeu ipſis Eccleſijs donatę ſunt, & ſub adminiſtratione eiuſdem Eccleſiæ, ſeu miniſtrorum eius perſeuerant. Nam de bonis proprijs clericorum poſtea dicemus. Diſtingui autẽ poſſunt hæc bona in immobilia, & mobilia. Sub immobilibus non ſolùm fundos, prædia, domos, & ſimilia corporalia bona, quæ fixam radicẽ habent, ſed etiam iura fructifera, vt cenſus, quibus annui redditus reſpondent, & ſeruitutes, & ſimilia bona perpetua, quæ incorporalia dicuntur, comprehendimus, iuxta iuris conſuetudinẽ in Clementin, *Exivi*. §. *Cum annui redditus*, de Verbor. ſignific. & quæ notantur à Doctoribus in cap. *Nulli*, de Reb. Eccleſ. nõ alienand. & Gloſſa in cap. 2. de Rebus Eccleſ. non alienand. verb. *Iura*. Sub mobilibus autem cęteras res omnes Eccleſię vſibus deputatas, cuiuſcũq; ęſtimationis, vel valoris ſint, complectimur. Nam licèt, in ordine ad perpetuam conſeruationem, prohibendamque alienationem ſoleãt res pretioſę Eccleſię ſub immobilibus comprehendi, quia eodem iure cenſentur, vt notat Panormit. in cap. *Tua* de his, quæ fiunt à Prelatis, &c. tamen in ordine ad tributa non habent peculiarẽ rationem, & ideo inter mobilia cẽſentur ſicut re vera talia ſunt, iuxta l. *Lex quæ mãcipia*, C. de Adminiſtrat. tutorum. Ea verò, quę ſe mouentia vocantur, licèt immobilia propriè dici nõ poſſint, vt per ſe conſtat: quatenus fructifera eſſe ſolent, & per quandam ſucceſsionem poſſunt eſſe perpetua, ad illa nunc reuocantur.

(Bona Eccleſiaſtica quædã mobilia, alia immobilia, vtraq; quid)

(Clem. Exivi. §. Cũ annui redditus, de Verbo. ſignificat.)

(Panormit.)

(Lex quæ mancipia, C. de Adminiſtrat. tutor.)

2. Per tributa verò ſecularia, illa intelligimus, quæ à Regibus, ſeu temporalibus Monarchis, vel alijs Magiſtratibus iure poſſunt, vel ſolent imponi. Nam de tributis, quæ à Summo Pontifice poſſunt exigi, & Eccleſiaſtica poſſunt vocari, nõ eſt in pręſenti conſideratio, illa enim nõ ſunt contra exemptionem Eccleſiaſticã, nam hęc eſt à poteſtate ciuili non à Pontificia. Imo quia hæc bona ſubſunt plenę poteſtati Pontificis, eximuntur à poteſtate ſeculari, eoque illa exemptio refertur, vt illa ſubiectio plenè poſsit impleri: Ideoq; dubiũ non eſt, quin Eccleſiaſtica bona poſsint aliquibus tributis Eccleſiaſticis ſubijci, ſaltem per Summum Põtificem, qui eſt ſupremus eorum diſpenſator. Qualia verò, & ob quas cauſas futura ſint, & an ab inferioribus Prælatis introduci poſsint, non eſt, vt dixi, pręſentis conſiderationis, ſed in materia de Præbendis, & beneficijs Eccleſiaſticis tractandum eſt.

(Secularia tributaque)

Deinde tributa ſecularia, quãuis multiplicia ſint, vt in libro. 5. de Legib. dixi, in pręſenti in duo capita diſtingui poſſunt, iuxta diuiſionem poſitam rerũ mobilium, & immobilium: quædam ergo tributa de rebus immobilibus poſtulantur, & ſolent vocari tributa realia, ſeu pẽſiones, aut vectigalia, quamuis hęc nomina interdum cõmuniora ſint. Alia verò ſunt tributa, quę de rebus mobilibus petuntur, vt gabella, quę etiam vectigal à vectando appellatur. Eſt enim differentia notanda inter res mobiles, & immobiles, quòd mobiles, quia non ſunt fructiferæ, de ſe nõ ſunt capaces tributorũ, niſi quatenus ſubſunt negotiationi, vel trãſportationi ab vno loco in alium, & ideò talia tributa inde accipiunt nomina vectigalium, &c. Res autem immobiles quatenus fructiferę ſunt, per ſe ſunt capaces alicuius penſionis, & ideo hac voce circa illas vtemur. 3.

(Tributa ſecularia duplicia.)

Dico ergo. Bona Eccleſiaſtica tã mobilia quam immobilia à tributorum ſolutione eſſe exempta. Concluſio eſt certa, & communis Doctorum locis infra citandis, & ſumitur ex cap. *Non minus*, & cap. *Aduerſus*, de Immunit. Eccleſiar. & cap. *Quanquam*, de Cenſib. in 6. & cap. 1. de Immunit. Eccleſiaſt. in 6. & Clementin. 1. eodem titul. Et in Extrauag. *Quod olim*, eodem. Item in iure ciuili confirmata eſt hęc immunitas, pręſertim in cõſtitutione Friderici poſt libros Feudorũ, & habetur etiam in l. 2. §. *Item nulla*, C. de Epiſ- 4.

(Prima Cõcluſio. Omnia Eccleſiaſtica Bona à tributis ſunt exempta.)

(Cap. *Non minus*. Cap. *Aduerſus*, de *Immunit. Eccleſiar.* Cap. 1. de *Cenſib. in 6.*)

Epiſcop. & Cleric. Denique optimum argumentum ſumitur ex cap.2.de Cenſib. quatenus dicit, tributum eſſe ſignũ ſubiectionis; cùm ergo neque Eccleſiæ, neq; earum bona ſint ſubiecta poteſtati ſeculari, neque etiam tributis ſecularibus ſubijci poſſunt. Quæ ratio generalis eſt de omnibus Eccleſiaſticis bonis, & ita etiam loquuntur alia iura.

5. Vt autem fundamentũ huius immunitatis in his bonis ſpecialiter declaremus, aduertere oportet, duos reſpectus in eis conſiderari poſſe, vt in eis hæc immunitas fundetur, vnus eſt, quòd huiuſmodi res ſunt ſub ſpeciali dominio Dei, vt dixi: alius eſt, quia tales res ſunt ſpecialiter cõſecratæ, aut benedictæ. Prior reſpectus generalis eſt omnibus his bonis, quæ Eccleſiaſtica nuncupantur, & ideo de illo in hoc capite dicemus, de altero verô, qui minus vniuerſalis eſt, dicemus capite ſequenti. Dico ergo, habitudinem illam ad Deum tanquam ad peculiarem dominum ſufficere ad fundandam dictam exemptionem, non ſolùm in humano, ſed etiam in diuino, & naturali iure. Nam ſi Dominus bonorum non poteſt eſſe ſubiectus tributis, neque etiam ipſa bona poſſunt tributis onerari, vt infrà etiam de clericis dicemus, tum quia bona adhęrent perſonę, & ſequuntur conditionem eius tanquam acceſſoriũ principale; tum etiam, quia ſolutio talis tributi per ſe non poteſt ab alio, niſi à Domino bonorum poſtulari, & ita neceſſe eſt, vt in ipſum redundet, & virtute illi tributum imponatur. At verò dominus horum bonorum Eccleſiaſticorum non poteſt eſſe ſubiectus tributis, cùm ſit ipſemet Chriſtus; ergo neque ipſa Eccleſiaſtica bona. Atque hic optimè accommodantur verba Chriſti: *Ergo liberi ſunt filij*: nam filius naturalis Regis ſicut in perſona ſua exemptus eſt à tributo, ita & in ſuis proprijs bonis; ergo multò magis bona Eccleſiaſtica, quę propria ſũt Chriſti, & veluti proprium patrimoniũ eius, vt Concilia loquuntur, libera ſunt à vectigalibus, & tributis.

Ratione probatur cõcluſio.

6. Dices proprium, & quaſi proximum dominium horũ bonorũ re vera non eſſe immediatè apud Deum, vel Chriſtũ ſolum, ſed apud aliquos homines, vel hominum congregationem habentem ius

Obiectio.

A vtendi, & fruendi talibus bonis, & de illis diſponendi in omnem vſum lege non prohibitum. Vt v.g. bona alicuius monaſterij Eccleſiaſtica ſunt; & tamen dominium illorum eſt apud cõuentum talis monaſterij, & bona alicuius Eccleſiæ matricis ſunt ſub dominio totius cleri talis Eccleſiæ, vt eſt quædam particularis, & ſpiritualis cõgregatio ex clericis coaleſcens. Ergo ille titulus diuini dominij non eſt ſufficiens ad fundandam hanc exemptionem â tributis: quia tributum magis cõſideratur reſpectu proximi domini: B nam ab illo ſoluendum eſt. Alioqui etiã *Domini eſt terra, & plenitudo eius*, omnia enim altiùs, & perfectiùs ſunt ſub dominio diuino, quàm humano, tamen quia illud dominium diuinum non excludit humanum, ſub hoc poſteriori reſpectu bona humana capacia ſunt tributorum; ergo idem erit cum proportione in bonis Eccleſiaſticis. Nam licèt peculiari modo dicãtur eſſe Dei, quia ad eius cultum peculiari modo ordinata ſunt; nihilominus quatenus ſunt bona temporalia, quibus homines vti debent, non poſſunt non eſſe ſub aliquo humano dominio. C

Duobus modis reſpondemus, primò negando aſſumptũ: eſt enim valde probabilis ſententia Nauarri aſſerentis, bona Eccleſiaſtica proximè, & immediatè eſſe ſub dominio Dei, & Chriſti Domini, nõ per metaphoram, ſed per omnimodam proprietatem, ita vt nullus homo, vel hominum congregatio habeat propriũ dominium, ſed tantùm diſpenſationem cũ maiori, vel minori plenitudine poteſtatis. Quam ſententiam dicit Nauarr. eſſe cõmunem conſenſum omniũ catholicorum Doctorum. Et eam latè probat D decretis Pontificum, & Conciliorũ, ac rationibus, vt videre licet in Apologia de Redditibus Eccleſiaſticis, q. 1. monito. 18. & 24. & in nouiori editione tract. de Redditib. q. 1, monit. 16. 21. & 40. & q. 3. monit. 31. nu. 7.

7. Prima reſponſio.

Nauar.

Eſtque hæc opinio ſatis pia, & probabilis, quæ hac ratione præter alias ſuaderi poteſt, quia ſi aliquis homo eſſet Dominus horum bonorum, maximè Summus Pontifex, nam apud illud eſt ſuprema poteſtas diſpenſandi omnia Eccleſiaſtica bona, vt ſuprà viſum eſt, & paſſim in canoni-

8. Bona Eccleſiaſtica eſſe immediate ſub dominio Dei probatur.

canonibus traditur diſt. 96. 12. q. 2. & in titulis de Reb. Eccleſ. non alienand. & de Immunit. Eccleſiar. At Põtifex ipſe nõ habet proprium dominium rerum Eccleſiaſticarum etiam illarum, quæ ſpecialiter ſunt Eccleſiæ Romanę, vt ſumitur ex Concilio Roman. 3. ſub Symmacho, cap. *Non licet*, 12. q. 2. Non enim poteſt ſuo arbitrio hęc bona expẽdere, vel alienare, ſed tantùm vt fidelis diſpenſator, & prudens; ergo nec tota Eccleſia vniuerſalis habet tale dominium in talia bona, quia ipſi videantur in ſuo Capite donata: ſicut neque aliqua Eccleſia particularis habet propriũ dominiũ ſuorum bonorũ Eccleſiaſticorũ, quia quælibet Eccleſia pendet à Pontifice in ſuorũ bonorum adminiſtratione, & vniuerſalis Eccleſia etiam in hoc eſt illo inferior; ergo omnes iſti ſunt tantùm diſpenſatores horum bonorũ, & non veri domini. Neq; eſt inconueniens, quòd aliqua bona humana, & temporalia fiant extra dominiũ mortalium, hominũ, quia fideles altiori mente, quàm humana, ſcilicet, per fidem operando, illa Chriſto donare potuerunt, & voluerũt, & ipſe quamuis per miniſtros ſuos illa acceptet, fieri poteſt, & fit proprius illorum dominus.

Conc. Rom. Cap. Non licet. 12. q. 1.

9. Quia verò nõ deſunt graues authores, qui dominiũ harũ rerum apud homines eſſe dicunt, ſaltẽ apud Eccleſiam, vel vniuerſalẽ, vel particularẽ reſpectiuẽ, iuxta intentionẽ eorum, qui talia bona Eccleſijs donarunt, vt videre licet in Turrecrem. cap. *Videntes*, 12. q. 1. in art. 2. & Caiẽtan. 2. 2. q. 43. art. 8. ideo reſpondendũ eſt aliter, abſtrahẽdo ab opinionibus, inter quas fortaſſe, quod ad hoc punctũ attinet, magis eſt quęſtio de nomine, quã de re. Dico ergo, eſto talia bona ſint ſub aliquo humano dominio, hoc nõobſtare, quominus à tributis exempta eſſe debeant diuino iure. Tum quia non obſtãte illo dominio Eccleſiæ, negari non poteſt, quin ad ius Chriſti Domini peculiari modo pertineant, cũ ad eius cultum, & honorem peculiariter donata ſint, propter quod patrimonium Chriſti dicuntur, vt vidimus; & in canon. 39. Apoſtolor. aliàs 40. vocantur hæc bona *Dominica*, ſeu *res Dominicæ*; hoc ergo ſatis eſt, vt neque ad alios vſus applicari, nec tributaria fieri debeant. Tum etiam, quia illæ

Secunda ſolutio. *Turrecre.* *Caietan.* *Bona Eccleſiaſtica poſſunt à tributis eximi etiam ſi ſub humano dominio exiſtant.*

A met perſonę, vel cõmunitates, quibus talium rerũ dominium attribuitur, nõ ſunt ſubiectæ ſeculariũ Principũ iuriſdictioni; ergo nec talia bona debent ab eiſdem Principibus tributis ſubjci, iuxta regulã paulò anteà poſitam. Aſſumptum declaratur, quia Eccleſia, ſub cuius dominio dicuntur eſſe hæc bona non habet hoc dominium, vt eſt communitas ciuilis, ſed vt Eccleſiaſtica, & vt eſt corpus Chriſti myſticum, ſed Eccleſia vt talis eſt, non ſubeſt ſeculari Principi, ſed Pontifici; ergo nec Eccleſiaſtica bona.

B

CAPVT XIX.

An exemptio à tributis ſecularibus conueniat Eccleſiæ, & rebus ſacris ob earum ſpecialem ſanctitatem, ſeu conſecrationem.

ALiud fundamentũ huius exẽptionis eſſe poteſt peculiaris conſecratio, aut benedictio, vel deputatio talium rerum, vt ſint quaſi proxima inſtrumenta diuini cultus. Quę ratio nõ eſt ita vniuerſalis ſicut præcedens, in his tamẽ rebus, in quibus reperitur, ſufficientẽ cauſam huic exẽptioni à tributis prębet. 1.

C Et in primis inter bona immobilia tantũ Eccleſiæ ipſæ, ſeu templa, & ſimilia loca diuino cultui proximẽ dicata hunc peculiarẽ modũ ſanctitatis participant. Nam cætera bona immobilia, vt ſunt prædia Eccleſiarum, & ſimilia non habent huiuſmodi reſpectũ, ſed ſolùm illũ, ratione cuius remotẽ pertinent ad diuinũ cultũ, quatenus ad ſuſtentationẽ miniſtrorum ordinantur. Et ideo D. Thom. 2. 2. q. 99. ar. 1. hęc bona collocat in vltimo gradu tertiæ ſpeciei rerum ſacrarum, cum

D. Thom.

D tamen templis, & locis ſacris ſecundam ſpeciem tribuat.

Inter bona ergo immobilia, Eccleſiaſtica templa, & loca ſacra merentur (vt ita dicam) huiuſmodi exemptionem à tributis ob peculiarem titulum ſanctitatis. Ita ſumitur ex cap. *Secundum canonica*, & cap. *Sancitum eſt*. 23. q. 8. & cap. 1. *De cenſib.* in quibus iuribus area Eccleſię, ſeu fund⁹ vbi ędificata eſt, imò & horti iuxta Eccleſiam poſiti, & prędia in dotem Eccleſię peculiariter collata (quæ ſolent manſus appellari) à tributis eximuntur; 2.

Prima concluſio. *Locis ſacris ex ratione cõſecrationis debetur immunitas* *Cap. Secũdũ canoni.* *Cap. Sancitũ eſt. 23*

Rr ergo

ergò multò magis domus ipſæ, ſeu fabricæ templorum, aut Eccleſiarum eadem gaudent exemptione. Nam reliqua, quę adiacẽt Eccleſi, ę & ſunt quaſi partes eius, eximuntur propter ſanctitatem ipſarum Eccleſiarum; ergo multò magis ipſæ Eccleſiæ, iuxta Dialecticorum regulam, *Propter quod vnumquodque tale, &c.* Quamuis poſsit etiam alia ratio in Eccleſijs conſiderari, quia non ſunt res fructiferæ aliquorum temporalium prouẽtuum, neque habent vſum ciuilem, ſeu ſecularem pretio æſtimabilem, ſed tantùm vſum ſacrum, ad quem ſanctificatæ ſunt, vel peculiariter dicatæ; & ideo intrinſecè ſunt incapaces temporalis tributi. Et eadem ratio exemptionis inuenitur in area Eccleſiæ, & in atrijs, & in alijs partibus, vel locis adiacentibus Eccleſiæ, quæ alium fructum non habent præter eiuſdem Eccleſiæ vſum, ſeu ſeruitium. Dos autem, ſeu manſus Eccleſiæ licèt temporales prouẽtus ferre poſſit, quia verò omnes illi fructus ad Eccleſiæ ſuſtentationem cenſentur neceſſarij, ideò cum ipſa Eccleſia dos eius eximitur.

3. Bona Eccleſiaſtica ad ſubſtẽtationem miniſtrorũ ordinata nõ eximuntur ratione alicuius conſecrationis.

In alijs autem Eccleſiaſticis bonis tam immobilibus, quàm mobilibus, quę tantum ad ſuſtentationem miniſtrorum, vel expenſas Eccleſiæ ordinãtur, vt ſunt pecunia, triticum, vinum, & aliæ res vſu conſumptibiles, non habet locum ratio ſpecialis conſecrationis, vt conſtat, ſed ſolum eximuntur in prædictis iuribus, vel ex ratione generali diuini dominij, vel quia integrè, & ſine diminutione ad ſuſtentationem Eccleſię neceſſarię ſunt. Hæc tamen poſterior ratio minus vniuerſalis videri poteſt, quia interdũ poſſunt eſſe abundantiores alicuius Eccleſiæ fructus, ita vt ſumptus excedant, niſi eleemoſynæ inter ſumptus computentur, ſicut re vera fieri debet, atque ita illa ratio moraliter loquendo erit etiam adæquata, & vniuerſalis. Alia verò ſunt mobilia bona Eccleſiæ, quæ peculiari, & altiori modo res ſacræ dicuntur, quas Diuus Thomas ſuprà in tertia ſpeccie, & in ſecũdo gradu eius numerat. In primo enim gradu ponit ſacramenta, quæ ad pręſens non referunt; in ſecũdo verò ponit vaſa conſecrata, imagines ſacras, & reliquias Sãctorum, ſub quibus compre-

A hendit etiam veſtimẽta ſacra; imò & generaliter addit omnia, quę ad ornatũ Eccleſię, & miniſtrorum pertinent; eadẽq; ratio, vel maior eſt de Chriſmate, & Oleo benedicto, quæ ad ſacramẽta reduci poſſunt: itemquè de Agnis Dei, granis benedictis, & ſimilibus.

4. An res ſacræ, ſi ratione materię vendãtur, tributis ſubijciantur.

De hoc ergo poſteriori genere rerum ſacrarum dubitari poteſt, an ſecluſo reſpectu ad peculiare dominium Dei, vel Eccleſiæ, ex vi ſolius conſecrationis, ſeu quaſi ſanctificationis, quam habent, exẽptæ ſint à tributis, quorum, res mobi-
B les ſunt capaces, vt gabellarum, ſi ratione materię vendantur, aut vectigalium, ſi ab vno in alium locum transferantur. In quo dubio nihil inuenio ſpecialiter dictum ab authoribus. Solùm enim de bonis Eccleſiaſticis in generali tractant, & de illis tam mobilibus, quam immobilibus indefinitè, ac proinde vniuerſaliter definiunt, à tributis eſſe exẽpta. Sub bonis autẽ Eccleſiaſticis omnes res ſacras, quas enumerauimus planè cõprehẽdũt, & cõſequenter ſentiũt, omnes illas eadẽ exẽptione gaudere. Poteſt aũt hęc ſentẽtia fũdari in alio principio, nimirũ, quod
C illi duo reſpectus ſuprà poſiti, ſcilicet, rei exiſtentis ſub peculiari dominio Dei; & rei ſpecialiter ſacratę, & diuino cultui ꝓximè dicatę, licèt ita diſtinguantur, vt prior reſpectus poſsit ſeparari à poſteriori, tanquã vniuerſalior illo; nihilominus poſterior nunquam ſeparetur â priori, quia eo ipſo, quod res aliqua eſt aliquo modo ſacra deſinit eſſe ſub humano dominio, & ad ſolũ diuinum proximè pertinet, & inde conſequenter fit, vt à tributo humano ſit exempta, remotè quidem ratione conſecrationis, proximè verò ratione perſonę Chriſti, ſub cuius domi-
D nio exiſtit.

5. An res ſacrę ex vi ſolius conſecrationis ab humano dominio eximãtur.

Illud autem fundamentum, nimirum rem ſacram eo ipſo, quod talis eſt, extra humanum dominium fieri, valde commune eſt inter iuriſperitos, ita enim ſentit Gloſſa de rebus inanimatis in cap. *Frequens*, diſt. 54. verb. *Reddi*, & in capite. *Comperimus*, 14. quęſtione ſexta, & in capite, *Epiſcopus in Diœceſim*. 7. quæſt. prima, verb. *Altaria*, quas Gloſſas ibi Doctores probant. Verum eſt, illas expreſſè non dicere, rem inanimem conſecratam non poſſe eſſe ſub humano *Gloſſa.*

dominio

dominio, ſed non poſſe ad vulgares, & communes vſus iterum conuerti, & ideo ſi res ante conſecrationem erat ſub alicuius dominio, & inuito domino conſecrata ſit, non eſſe illi reſtituẽdam. Quod videtur apertè docere Gregorius in dicto cap. *Comperimus*, aliàs lib. 7. epiſt. 58. indict. 2. Clariùs Nauarr. in dicta Apolog. de Redditib. monito. 24. n. 5. vniuerſaliter ait bona ſacra nullius puri hominis, vel hominum eſſe, ſed Dei tantùm, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod probat ex §. *Nullus*, Inſtit. de Rerum diuiſ. vbi res ſacræ nullius eſſe dicuntur, vbi ratio redditur his verbis: *Quod enim diuini iuris eſt, id nullius in bonis eſt.* Non dicitur autem eſſe nullius, quia ita careat Domino, vt poſſit fieri primo occupantis; ergo dicitur nullius, quia non eſt ſub dominio alicuius puri hominis, ſed ſub ſpeciali dominio Dei, vt notauit Gloſſa in dicto §. *Nullius*, & in l. 2. ff. de Rerum diuis, quæ Gloſſæ ibi communiter approbantur, vt Nauarr. refert. Et pro hac ſententia allegari poſſunt Iuriſperiti dicentes, ſiquis furetur calicem ex priuata domo, non competere actionem furti contra illum domino domus, niſi fortaſſe nomine Dei, quia res ſacra nullius hominis eſt, ſed ſolius Dei, vt videre licet apud Sylueſtr. verb. *Sacrilegium*. §. 2. Denique confirmari poteſt hæc ſententia, quia laicis non licet ſacra vaſa, aut veſtimenta contrectare, cap. *In ſancta*, & cap. *Veſtimenta*, de Conſecrat. diſt. 1. cum ſimilibus; ergo multò minus capaces ſũt dominij talium rerum.

Cap. Comperimus. Gregor. Nauarr. Gloſſa. Sylueſtr. Cap. In ſancta. Cap. Veſtimenta de Conſecrat.

6. *Res ſacræ ex vi ſolius conſecrationis non eximuntur ab humano dominio.*

Hoc autem fundamentum ita indiſtinctè ſumptum, non videtur verũ, ſaltem in eo rigore, in quo Nauarr. loquitur. Primò, quia nullum eſt ius Eccleſiaſticum, quo omnes priuatæ perſonæ, vel communitates humanæ incapaces fiant dominij talium rerum eo ipſo, quòd cõſecratæ ſunt, neque etiam ex natura rei ſunt incapaces, nam poſſunt habere verum titulum dominij circa rem ipſam, ſeu circa materiam rei conſecratæ, nulla enim ratio eſt, cur conſecratio ſola dominium auferat. Multi enim Theologi dicunt, hominem habere dominium, etiam ipſius gratiæ, quæ multò magis ſupernaturalis eſt, quàm vas conſecratum. Deinde ſi perſona priuata ſit Ec- A cleſiaſtica, præſertim ſacerdos, non eſt cur non poſſit eſſe propriè dominus calicis, vel aliarum rerum ſacris miniſterijs deſeruientium, quia ex parte materiæ poteſt illas ſuis ſumptibus facere, & ex parte conſecrationis poteſt illis liberè, & ſuo iure vti legitimo vſu, quod ſatis eſt ad rationem dominij. Si verò ſit laicus, poteſt etiam habere titulum dominij circa materiam. Et licèt poſt conſecrationem non poſſit per ſe ipſum licitè illis rebus vti, propter incapacitatem perſonæ; poteſt tamen illis vti per B alios conuenientes miniſtros, & ſimiliter alijs poteſt facultatem cõcedere vtendi huiuſmodi rebus, & ipſo inuito nemo poteſt tales res, vel vſum earum vſurpare ſine iniuſtitia; ergo ſignum eſt, priuatum hominem, etiam laicum poſſe habere talium rerum dominium. Deniq́ue vſus etiam, & experientia hoc perſuadet, nam multæ priuatæ perſonæ poſſident tanquam proprias huiuſmodi res conſecratas, vt veſtimenta ſacra, & calices, & paramenta altarium, quæ ſæpe habent in ſuis priuatis oratorijs, in quibus, vel etiam in proprijs cubiculis habent ſacras imagines, reliquias ſanctorũ, C & alias res benedictas, de quibus etiam diſponunt tanquam proprij domini, donando, mutuando, vel etiam vendendo, quantum ex parte materiæ fieri poteſt, quæ omnia non ſolùm Eccleſiaſticis, ſed etiam laicis licita eſſe, idem vſus perſuadet, nam ab hominibus pijs, & prudentibus fiunt, & à Prælatis ſine reprehẽſione, vel contradictione tolerantur.

7. *Gregorium immeritò pro contraria opinione adduci. Cap. Comperimus.*

Quapropter non videtur verum eſſe, quod prædictæ Gloſſæ abſolutè dicunt, huiuſmodi res ſemel conſecratas non eſſe laicis reddendas, etiam ſi ante conſecrationem ipſorum eſſent, & D ipſis inuitis conſecratæ ſint. Nam in primis hoc non dicit Gregor. in dicto cap. *Comperimus*, in quo loquebatur de quibuſdam ſynagogis Iudæorum, quæ ipſis inuitis in Eccleſias fuerant tranſlatæ, & conſecratæ, de quibus ait Gregor. licèt conſecratæ fuiſſent ſine cauſa, nihilominus non eſſe reddendas Iudæis, ſed pretium domorum ſoluendum, & rationem reddit, *quia quod ſemel conſecratum eſt, non valet Iudæis reſtitui.* Vbi non loquitur vniuerſè

de laicis fidelibus, ſed de Iudæis infidelibus, qui ad vſus prophanos illas domos conuertere volebant, quod poſt conſecrationem non licet. Vnde ex illa ſententia pro laicis fidelibus ad ſũmum colligere licet, non eſſe illis res ſacras reddẽdas; imo nec permittendas, vt eis ad prophanos, ſeu communes actus vtantur: ſi autem ſolùm ad ſacros vſus illas poſsidere, & retinere velint; non eſt cur illis non tradantur, ſi alioqui ius proprium in huiusmodi res habere ſupponantur. Atque ob ſimilem rationem non videtur vera alia Iuriſtarum aſſertio, videlicet, non committere verum furtum, qui calicem v.g. aut aliam rem conſecratam à priuata perſona, qui eam tanquam propriam poſsidet, ſurripit. Nam licèt illi furto addatur circunſtantia ſacrilegij, non ideo tollitur vera malitia furti, nam eſt iniuſta acceptio rei alienæ inuito Domino. Neque illa iniuſtitia eſt contra alium, præter quâm contra illum, qui rẽ illam licèt ſacram, tanquam propriam poſsidet; ergo contra illum furtum committitur, & non eſt, cur actio furti illi denegetur. Non videtur ergo illo modo ſatis expediri propoſita difficultas.

Verũ furtum cõmittit, qui rem conſecratã alicuius priuatæ perſonæ ſurripit.

8. Res conſecratę etiam ſi ab humano dominio non eximãtur, manent à tributis exemptę.

Nihilominus tamen probabiliùs mihi videtur, huiusmodi res ex vi ſuæ cõſecrationis exẽptas eſſe à vectigalibus, & ſimilibus tributis, quia iura, & Doctores indifferenter loquuntur de bonis Eccleſiaſticis, ſub quibus omnes res ſacras comprehendunt. Item quia eſt hoc valde conſentaneum diuino, & naturali iuri, quia his rebus tanquam ſacris debetur honorarius, & religioſus cultus, vt in ſeptima Synodo dicitur; ergo contra rationem eſt, vt per exactionem tributorum prophanentur. Præterea, quia licèt negare non poſsimus, huiuſmodi res ſacras interdum eſſe ſub dominio priuatorum fidelium, nihilominus etiam verum eſt, ad Deum ſpeciali iure, & titulo pertinere, quatenus ad illius cultum ita dicatæ ſunt, vt iam non poſsint ad prophanos vſus conuerti, præſertim quandiu conſecrationem, & formam ad illam neceſſariam retinent; imò etiam ſi illam amittant, materia ipſa propter reſpectum ad priorem conſecrationem à communibus vſibus abſtrahitur, iuxta cap. *Ligna*, & cap. *Altares*, de Conſecratio. diſt. 1.

Materia rei ſemel conſecratæ iterũ ad prophanos vſus applicari nequit.

Cap. *Ligna*.

Cap. *Altares de Conſecrat.*

A Ex quo etiam fit, vt licèt manerẽ poſſint ſub hominis dominio, nihilominus dominium illud valde reſtringatur, & coarctetur ad ſolum vſum ſacrum; ergo meritò huiuſmodi res exemptæ eſſe debent à tributo, tum quia videretur peti propter habitudinem, quam habent ad vſum ſacrum, cùm iam non habeant alium moralem vſum, tum etiam quia videtur exorbitans, & iniquum, temporale tributum exigere à domino talis rei, cùm iam illam non vt temporalem, ſed vt ſacram, & quodammodo ſpiritualem poſsideat. B

CAPVT. XX.

Vtrum quælibet bona cùm Eccleſiaſtica fiunt, eo ipſo ſint ab omni tributo, & onere ciuili illis inhærente exempta.

HÆC quæſtio maximè locum habet in rebus immobilibus, quibus ſolent imponi onera realia, quæ ipſis moraliter inhærent, & cum illis incedunt, & ratione illarum ſoluuntur, quatenus fructiferæ ſunt, 1.
C vel vſum habent pretio æſtimabilem diſtinctum â dominio. Rebus autem mobilibus non ſolent imponi iſta onera, ſeu tributa realia propter contrariam rationem, quòd per ſe fructiferæ non ſunt, ideoque ſolùm de illis exiguntur tributa, mediante aliqua actione, qualis eſt negotiatio, vectio &c. Non repugnat tamen ſuper rem mobilem imponi onus per modum alicuius ſeruitutis, & ideo generalis proponitur quæſtio, an quæcunque bona deſinant eſſe cuicunque ciuili, aut ſeculari oneri ſubiecta, eo ipſo,
D quòd Eccleſiaſtica ſunt.

Ratio autem dubitandi eſt, nam penſio aliqua, ſeu tributum poteſt ſuper hęc 2.
bona imponi, vel poſtquam facta ſunt Eccleſiaſtica bona, vel antequâm Eccleſiæ donata fuerunt. De prioribus tributis certiſsimum eſt, bona hæc poſtquam Eccleſiaſtica facta ſunt, non poſſe fieri tributaria: quod in vniuerſum ſine exceptione procedit, vt iura allata probant, & omnes Scriptores catholici ſine diſſenſione fatentur. De poſterioribus autem oneribus eſt non parua controuerſia, nã commu-

Prima ſententia negãs.

communis ſententia tenet, bona Eccleſiaſtica non eximi à tributis realibus, quæ ipſis inerant, priùs quàm Eccleſiaſtica fierent. Ita tenet Barthol. in leg. *De ijs* Cod. de Epiſcop. & Cleric. & in leg. *Placet*. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. Innocent. in cap. *Non minus*. de Immunit. Eccleſia. num. 4. Gloſſa in cap. *Secundum canonicam*. 23. quæſt. 8. quam ibi ſequitur Archidiaconus, item Gloſſa in cap. *Tributū*, verb. *De exterioribus*, & in cap. *Sanctum*, verb. *Annua*, & in cap. *Secundum*, eadem cauſa, & quæſtione, & in cap. primo de Immunitat. Eccleſiarum in 6. verb. *Bonorum*, vbi idem Ioann. Monachus, & Ioannes Andreas docent, & Panormitan. in dicto capite primo de Cēſib. num. 6. & 7. & in cap. vltim. de Vita, & honeſtate Clericorum, num. 12. Vbi declarat opinionem hanc eſſe intelligendam, quando onus eſt perpetuum, & inuariabile, quia tunc intelligitur eſſe annexum poſſeſsionibus, non verò aliàs. Idem habet in conſ. 26. volum. 1. & conſ. 3. & ſexto, volum. ſecundo. Et hanc opinionem ſequitur Syluеſt. verb. *Immunitas*. 1. quæſtio. quinta, verſicul. *Tertium*, quamuis fateatur, hoc in Italia non ſeruari, & Angelus eodem verb. *Immunitas*. n. 36. vbi diſtinctè explicat, hoc procedere, ſiue onus impoſitum fuerit ex diſpoſitione publica, puta Principis, ſiue ex diſpoſitione priuata. Et idem cū eadem declaratione latius tradit Gregor. Lopez partit. 1. titul. 6. l. 51. Gloſſ. 4. & tit. 15. l. 1. Gloſ. 4. in fine, vbi etiā leges Regni Caſtellę in eandē ſententiā allegat.

Barthol. Innoc. Gloſſa. Archidia. Gloſſa. Ioan. Monach. Ioan. Andreas, Panormit. Syluеſt. Angelus. Gregor. Lopez.

3. Primū fundamentū. Lex vlti. C. de Exactionib. tribut. Authētic. Itē prædiū C. de Sacr. Eccleſ. Gratian. Gloſſa. Lex de ijs C. de Epiſ. & Cleric.

Fundatur hæc ſententia primò in aliquibus iurib⁹ ciuilibus pręcipuè in l. vlt. Cod. de Exactionibus tributorū lib. 10. & Authentic. *Item prædium*. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. quæ refertur etiam à Gratiano in §. *Item prædium*. 10. quęſt. 2. quatenus ibi ſupponitur, prædium Eccleſiæ poſſe habere onus fiſcale, id eſt, tributi ſoluendi Principi, vt notat etiam Gloſſa vltim. in Authentica, *Sicut alienatio*. Cod. eodem. Expreſsius hoc fundatur in leg. *Placet*. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. & leg. *De ijs*. Cod. de Epiſcop. & Cleric. & à ſimili in l. 1. Cod. de indictionibus, lib. 10. vbi dicitur, ſimilia bona tranſire ad fiſcum cum onere, etiā ſi fiſcus iure ciuili ſoleat in priuilegijs Eccleſię equiparari. Secūdò fundatur in iuribus canonicis, cap. *Conuenior*, cum alijs proximè allegatis ex 23. q. 8. & cap. *Si tributum*, & cap. *Magnæ*. 11. q. 1. Tertiò additur vrgens ratio, quia res habēs annexum onus tranſit cum onere ſuo, ergo ſi bona antequam eſſent Eccleſiæ habebāt hoc onus annexū, cum illo tranſeunt ad Eccleſiā, quando illi donantur, vel ab illa emuntur, & conſequenter Eccleſia tenebitur ad ſoluendū onus, ſeu tributum ratione rei acceptę. Conſequentia videtur clara, & antecedens in primis eſt vulgare in iure cap. *Ex clericis*, de Pignorib. & in cap. *Si quis laicus*, 16. q. 1. cū ſimilibus. Et ratione videtur efficaciter probari, quia nemo poteſt plus iuris in alterū trāſferre, quā ipſe habeat; ergo qui nō habet dominiū rei, niſi cū tali onere, nō poteſt illā, niſi cū eodē onere in Eccleſiam trāſferre, quia ſicut non erat in poteſtate ſua rē illā habere, vel poſsidere ſine tali onere, ita nec poteſt facere, vt ab alio ſine onere poſſideatur. Et cōfirmatur, ac declaratur hęc ratio, quia aliàs fieret iniuria Principi, vel alteri habenti ius ad illud onus, quia priuaretur iure ſuo ſine ſuo cōſenſu, quod eſt contra naturalē iuſtitiam. Et cōfirmatur ſecūdo, quia aliàs donationes immobiliū bonorū Eccleſijs factę cederēt in magnū præiudiciū Principū temporaliū, quia priuarentur magna parte ſuorū prouētuū, quibus ad ſubſtētanda onera, & honorē ſui muneris, maximè indigēt. Quòd argumentū ſæpiùs inculcat in ſuo libello Rex Anglię, vt Chriſtianos Principes cōtra imunitatē eccl ſiaſticā moueat.

Secūdum. Cap. Conuenior. Cap. Tributum. Cap. Magnæ. 11. q. 1. Tertium. Cap. Ex literis. de Pignorib. Ca. Si quis 16. q. 1. Prima confirmatio. 2. Cōfirmatio.

4. Secunda ſententia affirmans.

Nihilominus non deſunt authores, qui abſolutè dicant, bona Eccleſiaſtica non ſolùm non poſſe nouis tributis onerari, verùm etiam eximi à tributis ſoluendis, quibus bona onerata erant, priùs quam ipſi Eccleſiæ acquirerentur, ſeu (quod perinde eſt) bona ipſa liberari à talibus oneribus eo ipſo, quod in Eccleſiam transferuntur. Pro hac ſententia citat Panormitan. Gloſſam in dicta leg. *Placet*, Codice de Sacroſanct. Eccleſ. & in dict. leg. *De ijs*. Codice de Epiſcop. & Cleric. quia dicit, leges illas reuocatas eſſe per conſtitutionem Friderici, quod etiam aſſeruit Cynus in dict. leg. *Placet*, in fine. Verumtamen hinc non ſatis colligitur, illas gloſſas fuiſſe huius ſententiæ, niſi

Gloſſa. Cynus.

niſi ſupponatur, Fridericum in ſua cõſtitutione loquutum eſſe de oneribus etiã realibus adhærentibus ipſis bonis, priùs quàm ad Eccleſiam peruenirent, quod tamen dictæ Gloſſę nõ declarant: in hoc autem fauent, quod indefinite, & ſine limitatione loquuntur. Hanc vero ſententiam latè, & ſatis diligenter, & eruditè perſuadere conatur Cardinalis Albanus in tract. de Immunit. Eccleſiaſt. cuius ſententia valde pia, & ad veritatẽ accedere mihi videtur. Quia verò, nimis indiſtinctè, & abſolutè loquitur, & rationes eius aliquid vltra id, quod verum eſt, ſuadere poſſunt, ideo diſtinctione adhibita videtur reſolutio huius dubij clariùs proponenda.

Cardinal. Alban.

5. Duo modi imponendi onera reb9 immobilibus.

Duobus itaq; modis poteſt onus reale eſſe impoſitũ rei immobili. Primo ex vi proprij dominij circa talẽ rem, & interueniente aliquo pacto inter eũ, cui penſio ſoluenda eſt, & eũ, qui eſt Dñs talis rei, vel è cõuerſo inter eum, qui priùs fuit dominus talis rei, & eũ, in quẽ illam trãſtulit cũ tali onere, ſiue in eũ trãſtulerit dominium directũ, ſiue tantùm vtile. Exẽplũ prioris membri eſt, quãdo quis emit cenſum ſuper domũ, vel vineã alterius, nam tũc res illa manet tali penſione onerata quam dominus rei cenſuario, ſeu pẽſionario ſoluere tenetur, obligatione reali ex vi talis contractus, nec poteſt rem illam vendere, aut alienare ſine tali onere. Exempla verò alterius membri ſunt, quando dominus dat alteri bona ſua in feudũ, vel in emphyteuſim, vulgo *prazo*, & quantum eſt ex natura rei poteſt etiã dari in cenſum, transferendo totum dominium rei in alium propter ſolam obligationem ſoluendi tale onus, vel cum illa coniũgendo aliquam partem pretij, prout æqualitas iuſtitiæ poſtulauerit. Alio modo poteſt onus eſſe impoſitum prædio, non ex vi dominij illius, ſed ex vi ſupremæ iuriſdictionis Regiæ ſuper tale prędium, vel in tali territorio, hoc enim modo poteſt Princeps imponere tributa in terris ſibi ſubiectis, ſicut in perſonis, vel in rebus mobilibus. Et de hoc ſecũdo genere realium onerum eſt propria controuerſia, quia hæc ſunt propriè tributa, & ita illa ſimpliciter appellauimus; alia verò vel generali nomine *penſiones,* aut *priuata onera,* vocabimus.

A

Dico ergo primo. Bona temporalia, quæ antequam fiant Eccleſiæ, habẽt annexum reale onus priuatum, ſeu penſionem ſoluendam alteri ex vi dominij, & pacti pręcedentis, etiam ſi Eccleſiaſtica fiant, eidẽ ſubiacent oneri, quod Eccleſia ſoluere tenetur, nec priuilegiũ exemptionis ipſam à tali onere liberat. In hoc videtur mihi non ſolùm vera, ſed etiam certa cõmunis ſententia. Neque diſſentit Cardinalis Albanus, imò expreſſe id concedit in quarta ratione pro communi ſententia, cum eius ſolutione. Et haberi poteſt hæc aſſertio ex capite, *Verum,* de Conditionibus appoſit. vbi dicitur, quando bona dantur Eccleſiæ interpoſita conditione ſeruandam eſſe, ſi autem non ſeruetur, non ſtatim poſſe reuocari donationem, niſi fortè in ea ſit additum, *Quòd ea ceſſante, debeat reuocari,* ergo etiam ſit conditio, ſi oneroſa ſeruãda eſt; ergo pari modo ſi olim fuit impoſita & ipſi rei quaſi adhæret ſeruanda eſt. Idem apertè colligitur ex cap. *Cum dilecti.* de Donat. Ratione item probatur ex illo principio, quòd res tranſit cum onere ſuo, item ex illo, quòd donatio pia, ſeu religionis ratio non inuertit iuſtitiæ ordinem, eſſet autem contra iuſtitiam, priuare alterum, ipſo inuito, iure, quod habet in tali re ad talem penſionem, cum ſit verus dominus illius iuris eo modo, quo tales res incorporeę (vt à Iuriſtis vocantur) ſub dominium cadere poſſunt.

6. Bona Eccleſiæ nõ eximũtur à tributis vi alicuius pacti antea contractis.

B

Cap. *Verũ de Condit. appoſit.*

C

Ex quibus principijs hæc poteſt ratio confici, quia quando Eccleſia acquirit huiuſmodi bona, quocunq; modo, ſiue per legatum, ſiue per donationem, ſiue per emptionem, & cæt. vel liberatur res ab illo onere ex vi voluntatis eius, à quo illã recipit, vel vi alicuius legis poſitiuæ, vel ex natura rei. Nihil horum dici poteſt; ergo nullo modo liberatur. Supponimus enim, non concurrere voluntatem eius, cui penſio debetur: nam ſi ipſe velit remittere non eſt quæſtio: illud tamen eſt accidentarium, & extrinſecum, hic verò tractamus de hac pręciſa ratione, quòd bona Eccleſiaſtica fiant. Primum autem membrum Antecedentis per ſe eſt euidens; quia nullus poteſt in alium plus iuris transferre, quàm ipſe habeat, tum etiam, quia nullus poteſt diſponere de iure alterius ipſo inuito

7. Ratione ſuadetur concluſio.

D

cùm

cùm vnuſquiſque ſit rei ſuæ moderator, & arbiter. l. *In re mandata. C. Mandati.* Secundum patet, quia nulla talis lex poſitiua oſtendi poteſt, ſiue diuina, ſiue humana, nam quæ de hac materia loquuntur, de proprijs tributis tractant. De illis enim loquebatur Chriſtus, cùm interrogauit Petrum; *Reges gentium à quibus accipiunt tributum? &c.* Et de eiſdem tantùm loquuntur leges, & canones, vt ſtatim videbimus. Et moraliter loquendo, non poſſunt ampliùs extendi, quia iuſtitiæ repugnarent. Nam etiam humanę leges non poſſunt ita abſolutê priuare homines ſuis rebus, & dominijs, niſi vbi euidens neceſsitas, vel magna vtilitas boni communis cogeret, quod in præſenti dici non poteſt, vt per ſe conſtat.

Lex In re mandata. C. Mandati.

8. Tertium denique membrum de iure naturali, ſeu *ex natura rei*, probatur, quia non eſt contra rationem, vel decentiam religionis, vt Eccleſia ſuſtineat, & ſoluat huiuſmodi onera realia. Solùm enim inde ſequitur, vt Eccleſia minùs ditetur, quod per ſe non eſt indecens, neque aliud inconueniens affert, pręſertim quando talia bona vel liberaliter dantur Eccleſiæ, vel ipſa iuſto pretio illa comparat. Nam ſi pertineant ad ipſum locum ſacrum, vel ad dotem eius, tunc habent ſpecialem rationem, propter quam aliquid eſt in iure de illis peculiariter ſtatutum, quod ſeruandum eſt, vt capite ſequenti dicemus. Denique ſeruare contractus iuſtos, & ſoluere debita, quæ ex illis proximè, vel remotè naſcuntur, nõ ſolùm non repugnat Eccleſiæ, ſed potiùs illam maximè decet, quia nemo à contractibus reperitur immunis, neque ab obligatione, quę ex illis naſcitur, cùm Deus ipſe obligetur ex pacto, vt dixit Bald. in l. 1. ff. de Pactis, magis vt Theologus, quàm vt iuris peritus, & ideò Magiſtrum Sententiar. allegat. Vnde ſi attentè res conſideretur, Eccleſia non ſolùm non eſt incapax huius oneris, ſeu obligationis, quando in bonis præceſsit, antequam Eccleſię fierent, verùm etiam illud poſſet imponere in bonis ſuis, niſi eſſet ſibi prohibita alienatio Eccleſiaſticorum bonorum: ideóq; habita facultate alienandi, vel in caſibus in prohibitione exceptis, etiam poteſt ſuper bona ſua hoc onus imponere, vt quotidie fieri

Bald.

A videmus; ergo ſignum eſt, non repugnare hoc Eccleſiaſticis bonis; ergo ex natura rei non ceſſat tale onus, quando in bonis ipſis præceſsit.

Ex quibus colligo, aſſertionem hanc veram eſſe, ac procedere nõ ſolùm quãdo onus à priuata perſona, ſed etiã quando à Principe impoſitum fuit, ſi ex ſimili pacto, & peculiari dominio talis rei, & nõ ex mera poteſtate iuriſdictionis proceſsit. Quod ideò aduerto, quia fortaſſe ad intelligendos authores cõmunis ſententiæ poterit deſeruire. Ratio autem B clara eſt, quia ſicut perſona priuata poteſt habere proprium dominium alicuius prædij, & ex vi eiuſdem dominij onus aliquod prædio imponere, ita etiã Rex, vt per ſe manifeſtum eſt; hoc autem poſito, rationes pro aſſertione factæ æquê procedunt in Principe, ac in quocunque priuato. Vnde in his tributis, ſeu penſionibus, quæ in certa menſura, ſeu inuariabili quantitate de aliquibus prædijs, aut agris ſoluuntur Principibus, attentê conſiderandum eſt, an illa prædia olim fuerint ſub proprio dominio Principis, & illa dederit in feudum, vel emphyteuC ſim, vel ſimpliciter pro tali penſione. Nam ſi de hoc conſtare potuerit, profectô in eis procedet ſententia communis, vt talia bona licèt Eccleſiaſtica fiant, cũ onere ſuo ad Eccleſiam tranſeant, vt ex dictis ſatis apertè ſequitur. Poteſt autem de huiuſmodi origine conſtare, vel per Scripturas antiquas, vel per conſtantem traditionem. Et iuxta prædictos authores magnum ſignum erit, ſi talis penſio nunquam minuatur, vel augeatur; etiam ſi alia propria tributa regalia multipliciter varientur, & quod bona illa nunquã fuiſſe legantur, aut credantur extra ius D Regium, vel ſub alterius dominio, ſine onere ſoluendi Regi talem penſionem. Quia hoc videtur eſſe ſufficiens indiciũ illius originis, & quia cum contrarium conſtare non poſsit, meritô in fauorem Regis præſumitur.

9. Aſſertionis ampliatio.

Obijci verò poteſt contra aſſertionẽ, quod de Ioſeph legitur Geneſ. 47. quòd cùm totam terram Ægypti Pharaoni tributariam redderet, nihilominus terram ſacerdotalem exemerit. Illud enim tributum non ex mera iuriſdictione Regia, ſed ex pacto proficiſcebatur. Nam cùm 10.

10. Obiectio.

Aegyptij triticum à Rege vellent emere, & pecuniam non haberent, poſſeſsiones loco pretij dabant, quas ſub tributario onere, ſoluendi quintam partem fructuum Regi, ab eodem, tanquam â proprio illarum domino acceperunt: ergo cùm terra ſacerdotalis ab illo tributo exempta fuerit, ſatis ſignificatum eſt, bona Eccleſiaſtica libera eſſe debere, etiam ab his pẽſionibus, quę ex pacto imponũtur.

11. Solutio. Reſpondeo in primis, ibi non eſſe ſermonem de tributo priùs impoſito, ſed de imponendo poſſeſsionibus, quę priùs liberæ ſacerdotibus datæ fuerant, ſic enim dicitur. *Præter terram Sacerdotũ, quæ à Rege data fuerat eis*, non ergo fuit terra illa exempta à tributo antea impoſito, ſed ab imponendo. Deinde (quod præcipuum eſt) terra illa Sacerdotum non fuit tunc exempta ab illo tributo ex peculiari priuilegio, ſed quia non fuit ſubiecta pacto, in quo tributum illud fundatũ fuit. Laici enim, quia fame, & egeſtate premebantur, vendebant pro tritico poſſeſsiones, & poſtea per onus tributarium illas redimebant, de Sacerdotibus autem ſubditur: *Quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & ideò non ſunt compulſi vendere poſſeſsiones ſuas.* Sic ergo manſerunt ab illo tributo liberæ, quia nulla venditio, vel redemptio illarum facta eſt, & ita non fuit in illis neceſſaria peculiaris exemptio ex priuilegio, cùm pactum, quod erat fundamentum tributi, in eis non interuenerit. Fauor ergo Sacerdotum tantummodò fuit, quòd ex publicis horreis cibaria illis neceſſaria præbebantur; quod nunc per decimarum ſolutionem in Eccleſia ſeruatur, quæ poſſunt integrè donari, etiamſi de aliquibus Eccleſiaſticis bonis penſiones aliquæ ex præcedente pacto ſoluantur.

12. Bona Eccleſiæ eximuntur â tributis ex vi Regiæ poteſtatis impoſitis. *Abbas.* Dico ſecundo. Bona Eccleſiaſtica exempta ſunt à proprijs tributis, quæ ex vi Regiæ iuriſdictionis impoſita ſunt, etiã ſi talia bona priùs quàm ad Eccleſiã peruenirent, illi tributo, & oneri eſſent ſubiecta. Hæc videtur fuiſſe præcipua intentio Cardinalis Albani, & videtur etiã ſumi ex mente Abbatis in conſ. 26. volum. 1. vbi eàdem ferè diſtinctione â nobis data vtitur. Et fortaſſe alij authores non contradicunt, nam Innocent. aper-

A tè loquitur, quando Eccleſia ex pacto obligata eſt, non verò dicit ex ſola iuriſdictione Principis poſſe obligari.

Denique ſententiam hanc eodem modo declaratam inuenio apud Gutierrez lib. 1. Practicar. quæſtion. q. 3. n. 15. vbi exponit verba legis cuiuſdam Hiſpaniæ lib. 1. nouæ Recopilat. tit. 3. l. 11. quæ ſic habent: *Los clerigos, que compraren heredades tributarias en que ſea el tributo apropriado a la heredad, paguen el tal tributo*, id eſt, clerici ementes prędia, quibus tributa impoſita ſunt, & quaſi inhærent, ſoluant huiuſmodi tributa. Ait autem dictus author intelligendam eſſe dictam legem, *quando prædia antea erant affecta onere tributorum expreſſe, & ſpecialiter ex conuentione partium, ſecus verò ſi tantùm ſint affecta, vel obnoxia tributis ex generali lege, quia ſi talia bona peruenerint ad clericũ, non tranſeunt cum onere.* Nec refert, quod non de bonis Eccleſiarum, ſed clericorũ loquatur, à fortiori enim id ſequitur, quia per ſe loquendo, maior, & excellentior eſt exemptio Eccleſiarũ. Vnde paulò inferiùs generaliter loquitur de bonis Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticis, referens pro hac ſententia Alphonſum Guerrero in Theſauro Chriſtianæ religio. cap. 36. & Otaloram, Didacum Perez, & Queſada modernos Iuriſperitos Hiſpanos. 13. *Gutierrez.*

B

C

Vt autem aſſertionem probemus, ſupponimus, quando talia bona traduntur Eccleſiæ, non liberari ab his tributis ex efficacia voluntatis priuatæ perſonæ donantis, vel aliter contrahentis cum Eccleſia: nam rationes prioris ſententiæ, & alię factæ in priori aſſertione manifeſtê conuincunt, nullum priuatum dominũ aliquorum bonorum poſſe illa eximere à tributis debitis Principi ſua authoritate, & voluntate. Neceſſe eſt ergo, vt hæc exemptio fiat per ſuperiorem aliquam voluntatem, vel aliquo iure declaratam, vel ab ipſo Principe per expreſſum, ac perſonalẽ conſenſum demonſtratã. Vnde quia difficile eſt inuenire ius, quo talis volũtas oſtẽdatur, dixerunt aliqui, neceſſarium eſſe, vt quando huiuſmodi bona tributis ſubiecta in Eccleſiam transferuntur, Princeps, ad quem ſpectant tributa, actu, & ſpecialiter conſentiat, vel ſaltem vt donationi, ſeu tranſlationi præbeat aſſenſum, nam tunc virtualiter con- 14.

D

Quo iure Eccleſiaſtica bona eximuntur.

Prima opinio.

conſentit remiſsioni, alioqui, aiunt, vel donatio non tenebit, vel bona cum ſuo onere tranſibunt. Sed hæc limitatio deſtruit aſſertionem: nam illo modo non fiet exemptio illa ex vi priuilegij Eccleſiarum, ſed per nouam Principis remiſſionem, cuius contrarium in aſſertione intendimus, & in eo ſenſu diſputatur quæſtio: nam quòd Princeps ſua voluntate poſsit remittere tributa, nemo vnquam dubitauit. Item ex illa declaratione ſequitur, Eccleſiam vel non poſſe acquirere huiuſmodi bona ſine conſenſu Principis, vel ſi abſq; eius conſenſu illa acquirat, neceſſariò fieri tributariam quoad talia bona, primũ autem expreſſè repugnat iuri canonico in cap. 1. de Immunit. Eccleſiar. in 6. ſecundum verò falſum eſſe contendimus.

Reijcitur dicta opinio.

Vnde poſſit colligi iure diuino exemi.

14\. Propter hoc ergo Albanus ſuprà conatur oſtendere, hæc bona eximi ab huiuſmodi tributis ex vi iuris diuini, canonici, & ciuilis. Vt autem probet eſſe iuris diuini ſolùm inducit locum Geneſis paulò antea tractatum, & locum Eſdræ lib. 1. cap. 7. Vbi Artaxerxes Rex ſacerdotes & Leuitas à tributis exemit. Sed in priori loco, vt dixi, & notat Abulenſis non conceſsit Rex Pharao ſpecialem exemptionem terris ſacerdotum, ſed quia egeſtas non compulit ſacerdotes ad vendendas terras ſuas, conſequenter factum eſt, vt tributariæ nõ manſerint. In altero verò loco non eſt ſermo de tributis realibus adhærentibus rebus immobilibus, ſed de tributis perſonalibus, aut miſtis, quæ ratione bonorum mobilium imponi ſolent: neque eſt ſermo de antiquis tributis rebus ipſis priùs impoſitis, ſed de noua impoſitione, quæ perſonis ſacris tam in ſe, quàm in bonis ſuis fieri prohibetur. Verba enim Regis hæc fuere. *Vobis quoque notum facimus de vniuerſis Sacerdotibus, & Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus Nathinæis, & miniſtris domus Dei huius, vt vectigal, & tributum, & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos*, nihil ergo inde colligi poteſt, de tributis priùs impoſitis, & quaſi adhærentibus ipſis terris, ſi perſonis illis, vel templo denuo acquirerẽtur. Præterquàm quod ex illis locis non colligitur ius poſitiuum diuinum, vt per ſe conſtat, ſed ad ſummum indicatur ius naturale, an vero tale illud ſit, vt per ſe inducat neceſsitatem talis exemptionis, & illam conferat, vel tantum honeſtatem, vel ad ſummum obligationem, vt Princeps illam concedat, ex illis locis nõ ſatis definiri poteſt, ſed alijs rationibus inquirendum eſt, vt in ſuperioribus eſt generaliter diſputatum, & in hoc particulari puncto ſtatim attingetur.

Secunda opinio dictã exemptionem iuri diuino & canonico tribuens. Fũdaméta primæ partis. Gen. 47. 1. Eſdr. 7. Abulenſ.

Quocirca ſolùm video, poſſe probabiliter colligi hoc ius diuinum ex verbis Christi, *Ergo liberi ſunt filij*, inducendo illa prout ſuprà inſinuaui, quia naturalis filius Regis ita eſt exemptus à tributis, vt bona etiam eius immunia fiant; ergo hoc ius maximè ſeruandum eſt Chriſto, & bonis eius, qualia ſunt Eccleſiaſtica bona, vt oſtendimus. Filius autem naturalis Regis non ſolùm gaudet naturali priuilegio, vt ſuper bona iam ſua non imponantur noua tributa, ſed etiam, vt ſi de nouo acquirat ea bona, quæ apud alios ſubditos erant tributaria, ſub ſuo dominio fiant libera, & ingenua, ſicut ipſe eſt; ergo multò magis Chriſtus, & bona eius Eccleſiaſtica cum hac amplitudine hoc gaudent priuilegio. Quòd ſi quis objciat, locum illum iſto modo inductum etiam contra priorem concluſionem probare poſſe. Reſpondetur, negãdo aſſumptum, nam etiam filius naturalis Regis non liberatur ab omni onere ex pacto antiquiori bonis inhærente, etiam reſpectu inferiorũ, cùm nec Rex ipſe ſit liber ab omni obligatione ex pacto. Rationem autem differentiæ bene attigit Panormit. in dicto conſ. 26. & ex illo Albanus circa finem, reſpondendo ad quartam rationem, quia propria tributa repugnant exemptioni ipſius perſonæ, cuius ſunt bona, nam propter illã præſtantur, vt ſignificauit Paulus ad Roman. 13. aliud autem penſionis genus non eſt profeſsio, vel indicium ſubiectionis, ſed iuſtitiæ, & obligationis eius ex pacto ortæ, quæ nulli perſonæ quantumuis liberæ, & excellenti, ſeu ſupremæ repugnat.

15. Matt. 17.

Obiectio.

Reſpõſum.

Panormit. Albanus.

Rom. 13. Cur tributũ exemptioni repugnet, nõ verò pẽſio.

16\. Secundò vt prædictus author, hoc ius eſſe etiam canonicum oſtendat, inducit cap. *Sancitum*. 23. q. 8. quod idem eſt cum cap. 1. de Cenſib. & dicit, eſſe textum expreſſum, quia in eo decernitur, tributa, quæ antea exhibebantur de aliqui-

Fundaméta ſecũdæ partis. Cap. *Sancitum*. 23. q. 8.

Cap. *Secũdum canonicam.* 23. q. 8.

aliquibus bonis, poſtquam illa facta ſunt Eccleſiæ, ſoluenda non eſſe. Idèmque confirmat ex cap. *Secundum canonicam.* 23.q.8. Quòd ſiquis reſpondeat, ibi non eſſe ſermonem de vniuerſis bonis, ſeu prædijs Eccleſiæ, ſed de manſo, domibus, atrijs, & hortis iuxta Eccleſiam poſitis. Contra hoc obijcit, alienum eſſe ab omni ratione, & veritate diſcrimen inter hęc, & alia bona Eccleſiæ conſtituere, tum quia eadem ratio immunitatis, quæ eſt in horto, & manſo, viget in alijs prædijs, quæ Eccleſiæ acquiruntur, ſcilicet, quia omnia ſunt dicata Deo, ſeu ſunt Dei, quæ ratio eſt fundamentum huius immunitatis: tum etiam quia vna & eadem ſubſtantia Eccleſiæ non debet diuerſo iure cenſeri, cap. *Cognouimus*, cũ Gloſſa. 12.q.2. Vnde concludit, textus illos irrefragabiles eſſe.

Cap. *Cognouimus.* 12.*q*.2.

17. Ex adductis iuribus non probatur dicta ſententia.

17. Sed nihilominus cenſeo, ex illis non probari aſſertionem; imo ex vltimis verbis poſſe ſumi obiectionem non facilem in contrarium, vt capite ſequenti videbimus. Quia manſus, & reliqua loca Eccleſiæ, quæ ibi ſpecialiter numerantur, non ſolùm eximuntur à proprijs tributis regalibus, ſed etiam à quacunque penſione, & priuato onere etiam præexiſtẽte, & in quocunq; pacto fundato, eximũtur, vt Gloſſa ibi, & cõmuniter doctores intelligũt. Et colligitur ex ipſis iuribus, quatenus ſolũ Eccleſiaſticũ excipiunt, quæ exceptio firmat regulam in contrariũ quoad cætera omnia tributa. Quod adeò verum eſt, vt neq; ipſe Patronus poſſit aliquam penſionem de illis bonis ſibi reſeruare, & ſi antea ipſi rei onus inerat, debeat neceſſariò remitti, aut redimi, vt Eccleſia in dictis bonis libera maneat. At verò hoc non ita eſt in cæteris prædijs Eccleſiæ, vt expreſſè notãt Panormit. & alij cum Gloſſa in dicto cap. 1. de Cenſib. & in dicto cap. *Secundũ canonicam.* 23.q.8. Et ex ipſo cap. *Sancitum*, in fine apertè colligitur. Ergo neceſſariò eſt cõſtituẽda differentia inter bona ibi ſpecialiter nominata, & alia Eccleſiaſtica bona; cùm ius illud ſpeciale nõ poſſit ad omnia extendi. Ergo inde non poteſt ſumi argumentum efficax ad id, quod intendimus, aliâs æquè probaret de omni genere tributi, vel penſionis temporalis, quod apertè falſum eſt. Neque eſt

Panormit. Cap. 1. *de Cenſib.* Cap. *Secũdum canonicam.* 23. *q*. 8. Cap. *Sancitum.*

A inconueniens, vt aliqua pars bonorum Eccleſiæ maiori gaudeat exceptione ex ſpeciali priuilegio. Rationẽ autem priuilegij, & diſcriminis inter hæc, & alia bona capite ſequenti trademus.

18. Alia iura ex quibus dicta exemptio colligi poteſt.

18. Secundò colligi poteſt hoc ius ex alijs decretis, in quibus ſimpliciter præcipitur, vt bona Eccleſiarum non ſubijciãtur tributis, aut ex actionibus temporalibus à quibuſuis laicis poteſtatibus, vt cõſtat ex cap. *Non minus*, & cap. *Aduerſus* de Immunit. Eccleſiar. Et in cap. *Quãquam*, de Cenſib. in 6. Veruntamen reſpõderi poteſt, in his iuribus ſolùm prohi-
B beri, quòd Eccleſijs, aut Eccleſiaſticis bonis hæc tributa imponantur, non verò vetari, quòd tributa antiqua, quæ ipſis bonis inerant, priùs quàm Eccleſiaſtica fierent, in ipſis permaneant, & ab Eccleſijs ſoluantur, non quia ipſis imponatur tributũ, ſed quia cum illo onere bona acceperunt. Vnde cùm ibidem prohibetur, exactiones tributorũ ab Eccleſijs propter talia bona fieri, recte intelligitur de exactionibus, quæ fiunt ob tributa impoſita Eccleſiæ ſuper bona iã ſua, tũ quia exactiones referuntur ad tributa, de qui
C bus ibi erat ſermo, tũ etiam quia aliàs nõ poſſent omnes exactiones abſolutè, & ſine diſtinctione prohiberi, cùm aliquæ poſſint fieri ab Eccleſia iuſtè, & ſine læſione immunitatis Eccleſiaſticæ, vt ſi petantur, quæ iuſto titulo debentur, & in iudicio Eccleſiaſtico, ſi coactio neceſſaria ſit. Sed quanuis hæc interpretatio ſatis ſit conſentanea verbis, & menti illorũ iurium, nihilominus ex identitate rationis credimus inde ſumi efficax argumẽtum, vt deciſio illorum iuriũ etiam ad tributa antiqua, & ad exactiones, quæ propter illa fiunt extẽdatur, quod paulò in-
D ferius afferendo rationes aſſertionis explicabimus, prius enim alia iura expendere neceſſe eſt.

Cap. *Non minus.* Cap. *Aduerſus, de Immunit. Eccleſiar.* Cap. *Quanquã de Cenſib. in 6.*

19. Cap. 1. *de Immunit. Eccleſ. in* 6.

19. Tertiò ergo colligi poteſt hoc canonicũ ius ex cap. 1. de Immunit. Eccleſ. in 6. vbi priùs querela, & abuſus ſecularium Poteſtatum refertur, *quæ nituntur, & ſtudent, vt illis collectas, & talias, & alia huiuſmodi Eccleſiæ perſoluant, prætextu bonorum, quæ acquiſiuerunt, vel extra manum ſuam ponant huiuſmodi acquiſita.* Et poſtea talis abuſus damnatur, declaraturque, *non licere quibuſcunque iuriſdictionem*

tionem temporalem exercentibus exactiones quaſcunq; Eccleſijs imponere, vel exigere ab eiſdem pro domibus, prædijs, vel quibuſcunq; poſſeſsionibus ab eiſdem Eccleſijs legitimè hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirẽdis. In quibus verbis in primis expendo, non ſolùm reprobari exactiones de bonis, quæ iàm poſsidebantur ab Eccleſia, quando fuit impoſitum tributum, ſed etiam de bonis, quæ poſtea acquiruntur, etiam ſi talia bona, cùm antea eſſent ſecularia, tributis eſſent ſubiecta. Nam quôd de huiuſmodi bonis ſit ſermo, manifeſtum eſt. Propterea enim laici volebant cogere Eccleſiam, vt vel tributum ſolueret, vel bona dimitteret, ne ipſi priuarentur tributo bonis annexo; ergo de his bonis tributarijs loquitur ius illud, & nihilominus ſtatuit, vt talia bona eo ipſo, quòd ad Eccleſiam tranſeunt, ab exactionibus talium tributorum ſint exẽpta. Vnde etiam expendo, ibi diſtinctè, & vniuerſaliter prohiberi, *quaſcunque collectas, vel exactiones imponere, vel exigere,* vtique circa Eccleſiaſtica bona; ergo non ſolùm eſt prohibitum, hæc imponere, ſed etiã exigere quę impoſita iam erant, prius quàm Eccleſia illa bona acquireret. Atque hic textus adiunctus præcedentibus proximè allegatis videtur mihi ſatis probabiliter ſententiam hanc ex iure canonico comprobare.

20.
Ex iure ciuili probatur aſſertio. Primò.
Cap. 2. 10. q. 2.

Supereſt dicendum de iure ciuili, ex quo nonnulla verba Iuſtiniani adduci ſolent, quibus hæc aſſertio videtur ſignificari, & in primis afferuntur illa, quæ Gratianus refert in cap. 2. 10. q. 2. *Ea, quæ ad beatiſsimæ Eccleſiæ iura pertinent, vel poſthac fortè peruenerint, tanquam ipsã ſacroſanctam, & religioſam Eccleſiam intacta conuenit venerabiliter cuſtodiri.* Quæ verba fuerunt Imperatoris Leonis, & referuntur à Iuſtiniano in l. *Iubemus.* C. de Sacroſanct. Eccleſ. In eis autem generaliter dicitur, omnia bona, quæ ad Eccleſiam perueniunt, eſſe intacta ſeruanda, ſicut ipſam Eccleſiam; ergo iam non licet tributa pro illis exigere, ſicut nec pro Eccleſia. Sed vt ſuprà in ſimili dicebam, ſi argumentum efficax eſſet, nimium probaret, videlicet, omnia Eccleſiæ bona debere ita intacta ſeruari, vt nulla pẽſio, vel onus etiam ex præcedenti pacto proueniens pro illis exigi poſsit, quia ipſa Eccleſia, ſeu fundus, & area eius hac immunitate gaudet, quod eſſe falſum oſtendimus. Ergo illa æquiparatio non vniuerſaliter, ſed iuxta materiam ſubiectam accipienda eſt. Vnde attendendũ eſt, in ea lege ſpecialiter prohiberi alienationes bonorum Eccleſiaſticorum, & in hoc ſenſu dici debere intacta cuſtodiri, id eſt, ſine diminutione, venditione, aut alia ſimili mutatione, ſicut conſeruantur Eccleſiæ. Et ita accepit illam deciſionem Pontifex in cap. *Nulli*, de Rebus Eccleſ. non alien. cùm ita concludit: *Omnes Sacerdotes ab huiuſmodi alienatione abſtineant, pœnas timentes, quas Leonina conſtitutio cõminatur.* Ergo vox illa *Intacta* ſine fundamento in textu extenditur ad tributa, & præſertim ad eã, quæ inhærent bonis, priùs quàm Eccleſiaſtica fiant. Nam ſi Eccleſia recipit bona ſub tali onere, licèt poſtea illud ſoluat, nihil propterea proprium alienat, quia talia bona non fuerunt à principio integrè (vt ſic dicam) tranſlata in Eccleſiam, ſed cum diminutione talis oneris, & ideò illud poſtea ſoluendo, non alienat propriũ ſed iuſtum debitum ſoluit.

Lex *Iubemus.* C. de Sacroſ. Eccleſ.
Hæc iura non probãt ſufficienter aſſertioné.
Cap. *Nulli. de Reb. Eccleſ. non alien.*

21.
Gratian.

Vnde etiam Gratianus non pro exẽmptione à tributis, ſed ab alienationibus verba illius legis adduxit, & ad eundem finem alia multa ex decretis Pontificum adducit, tum ibi, tum etiam. 12. q. 2. in quibus aliqua verba ſunt generalia, quæ non rectè ab aliquibus ad tributa applicantur. Vt ſunt illa Pij epiſt. 2. *Ad ſedem Apoſtolicam perlatum eſt, quòd quidam prædia diuinis vſibus tradita humanis applicant vſibus, & Domino Deo, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſuis vſibus inſeruiant; quapropter ab omnibus illius vſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia vſibus ſecretorum cœleſtium dicata, à quibuſdam irruentibus vexentur.* Quibus verbis aliqui volunt, eſſe prohibita omnia tributa ex Eccleſiaſticis prędijs, quia ſolutio tributi humanus quidã vſus eſt, omnis autem applicatio talium bonorũ ad humanum vſum ibi cenſetur prohibita. Sed licèt hoc poſsit per accommodationem quandam ad propria tributa Regia applicari, non tamen in vniuerſum ad omnia temporalia onera, vel penſiones, quas interdum poteſt Eccleſia ex prædijs ſuis etiam laicis ſoluere ex iuſto ante-

Cap. *Prædia.* 12. q. 2.

antecedente titulo iuxta priorem aſſertionem. Ibi ergo tantùm eſt ſermo de vſu humano iniuſto,& contra ius Eccleſię vſurpato,vt declarant illa verba. *Deo, cui tradita ſunt,ea ſubtrahunt.* At verò ſolutio penſionis iuſto titulo debitæ non eſt iniuſtus vſus, nec per illum Deo ſubtrahitur,quod illi fuerat donatum: nam à principio fuerat donatum cum tali onere; ius ergo ad tale onus non fuerat donatum,& ita non ſubtrahitur Deo,quod traditum illi erat, ſed quod in ipſa donatione fuerat reſeruatum. Ideóq; dici etiã poteſt,illum vſum non propriè eſſe Eccleſiaſticorum bonorum, vt talia ſunt, ſed vt aliqua ex parte ſecularibus oneribus ſubiecta permanſerunt. Quapropter niſi aliúnde probetur,antiqua tributa nõ permanere in bonis poſtquam Eccleſiaſtica fiunt,ex illis verbis,& ſimilibus nõ probatur,ſolutionem talis tributi ad alienationes, vel alios vſus prohibitos Eccleſiaſticorum bonorum pertinere.

22. Probatio altera ex ciuili iure. Lex *Iubemus.* C. de *Sacroſ. Eccleſ.*

Deinde poteſt confirmari aſſertio ex l. *Iubemus.* C. de Sacroſanct. Eccleſ. vbi Valentianus,& Marcianus Eccleſiaſtica priuilegia confirmant, & ſubiungunt: *Quia humanitatis noſtræ eſt, egenis proſpicere,ac dare operam, vt pauperibus alimenta non deſint: ſalaria etiam, quæ ſacroſanctis Eccleſijs in diuerſis ſpeciebus de publico hactenus miniſtrata ſunt, iubemus nunc quoq; inconcuſſa,& à nullo prorſus imminuta præſtari, liberalitatiq; huic promptiſſimæ perpetuam tribuimus firmitatẽ.* Ex quibus verbis, & ſimilitudine rationis non improbabile ſumi quidem poteſt argumentũ, formaliter autem, ſeu diſpoſitiuè non probant intentum,quia lex illa nihil diſponit de exemptione à tributis, ſed tantùm confirmat ſalaria,ſeu ſubuentiones, ſeu annuas præſtationes, quas Imperatores de publicis bonis Eccleſijs fieri iuſſerant. Hinc verò rectè colligi poteſt, non fuiſſe Imperatorum voluntatem,vt ex bonis Eccleſiæ acquiſitis Imperialia tributa exigerentur,cùm potiùs ipſi Imperatores multa ex alijs bonis ad ſubuẽtionem pauperum Eccleſijs dare præciperent. Vnde etiam ratio illa de ſubuentione egenorum non minus ſuadet, debuiſſe fructus Eccleſiaſticorum prædiorum inconcuſſos, & imminutos à publicis tributis ſeruari, quàm alia ſubſidia, quæ ad eundem finem ex publicis bonis Eccleſijs præſtabantur.

23. Frid[illegible] propriè [illegible] [illegible] rum bona [illegible] tributis [illegible] mit.

Propriè igitur cenſetur diſpoſitum, & latum hoc ius ciuile à Friderico Imperatore in ſua conſtitutione, in qua generaliter ſtatuit,vt *nulla communitas, vel perſona publica, vel priuata collectas, vel exactiones,&c. Eccleſijs,vel pijs locis imponere præſumat.* Quæ lex cum indefinitè loquatur, omnes exactiones propriorũ tributorum,quæ collectæ,vel alio ſimili nomine appellantur, ab Eccleſijs, & earum bonis fieri prohibentur. Obſtat tamen expoſitio Bartholi in l. *De ijs.* C.de Epiſcop.& Cleric. vbi ait,conſtitutionẽ Friderici intelligendam eſſe ſolùm de tributis perſonalibus, ſeu miſtis, quæ imponuntur perſonæ pro rebus; nam hæc tantùm vocantur propriè collectæ, & ideò non prohibere, quin prædia Eccleſiæ ſint tributaria, prout in eadem lege *De ijs*,& in leg. *Placet.* C.de Sacroſanct. Eccleſ. ſtatuitur. Ideoque reprehendit Gloſſas ibi dicentes, illas leges *De ijs*, & l. *Placet.* derogatas eſſe per Authenticam *Item nulla.* C.de Epiſcop.&Cleric. Quæ ſententia placuit etiam Panormitano in dicto cap. 1. de Cenſib.

Barth[illegible] [illegible]poſitio. Panorm[illegible]

24. Reijcitur expoſitio. Baldus.

Eam tamen meritò reprobat Bald. in dicta l. *Placet*,& vniuerſaliter ſumpta videtur improbabilis. Nam ex illa ſequitur, prædia Eccleſiæ ex vi illius Authẽticæ, ſeu conſtitutionis Friderici, & cõſequenter ex vi iuris ciuilis non eſſe exempta à tributis realibus, etiam de nouo impoſitis, poſtquâm illa prædia Eccleſiaſtica facta ſunt, ſi tributa tanquam ordinaria, & perpetuô duratura imponantur: conſequens eſt omnino falſum, & ab omnibus reprobatum, vt in principio huius capitis ex dictis in præcedẽti ſuppoſui. Sequela probatur,quia prædicta tributa permittebantur per dictas leges *Placet*, & *De ijs*;ergo ſi non ſunt derogatæ per Fridericum, adhuc in ſua vi manent, & conſequenter ex vi iuris ciuilis prædia Eccleſiæ erunt tributaria, etiam quoad tributa impoſita poſtquàm Eccleſia talia bona acquiſierat. Quapropter negari non poteſt, quin Authentica *Item nulla*, loquatur etiam de tributis realibus, nam abſolutè, & vniuerſaliter prohibet, exactiones vllas imponi Eccleſijs; nomine autẽ exactionum omnia tribu-

tributa veniunt tam ordinaria, quàm extraordinaria, & tam realia, quàm perſonalia, præſertim quia in ipſo textu expreſſe diſtinguuntur *exactiones Eccleſijs, & pijs locis, vel perſonis Eccleſiaſticis imponendæ*, & omnes prohibentur; ergo etiã Eccleſia, & pia loca ab impoſitione cuiuſcunque tributi eximuntur.

25. *Expoſitio Baldi.* Aliter reſponderi poſſet, ibi quidem prohiberi, Eccleſijs, & pijs locis exactiones imponi, nõ tamen illas poſtulari, quę antea erant impoſitæ ſuper bona, quæ cũ illo onere ad Eccleſiam tranſierunt. Et ita limitat illam conſtitutionem Baldus cum quodam Iacobo in dicta Authẽtica *Item nulla*. n. 4. addit verò, Imperatorem non permittere, vt prædia Italica ſint tributaria, extra Italiam verò, vbi ſunt prędia tributaria, tranſire ad Eccleſiam cum onere ſuo. Veruntamen hæc diſtinctio,

Expleditur expoſitio. & limitatio admittenda non eſt. Primò quia beneficium Principis amplè interpretandum eſt, maximè in cauſa religionis iuxta vulgarem legem *Sunt perſonæ*. ff. de Religioſis, & ſumptib. funer. Secũdo quia priuilegium vniuerſale extenditur ad præſentia, & futura iuxta cap. *Quia circa*, de Priuileg. & notat Barthol. in dicta l. *Placet*. n. 8. ergo ex vi illius cõſtitutionis fuerunt à tributis exempta omnia bona, quæ tunc erant Eccleſiaſtica, quando illud priuilegium conceſſum fuit, etiãſi antea eſſent onerata tributis; ergo multò magis idem ſeruandum eſt in omnibus bonis poſteà Eccleſię acquiſitis. Tertiò, quia verbum *Imponere*, in rigore non videtur ibi ſignificare nouam tributi impoſitionẽ, quia hoc modo ſolus Princeps ſupremus poteſt tributũ imponere, & tamẽ ibi prohibitio fit omnibus cõmunitatibus, & perſonis nõ ſolùm publicis, ſed etiam priuatis; ergo neceſſe eſt vt verbum *Imponere* ibi ſignificet, vel cõprehendat actionem, quæ ab omnibus exerceri poſsit; ergo prohibetur ibi omnis petitio, ſeu diſtributio, ſeu impoſitio ſolutionis tributi, quæ ab Eccleſia fiat, ſiue ex bonis acquiſitis, ſiue ex acquirẽdis. Atq; hoc modo cõfirmatur etiã ſatis probabiliter hæc ſentẽtia ex iure ciuili.

Lex ſunt perſonæ. ff. de Religioſis, & ſumptib. funer. Cap. Quia circa, de Priuileg. Barthol.

26. Vltra hæc verò iura adducit prædictus Author varias rationes, quibus eandem aſſertionem confirmat, quæ in eo videri poſſunt, ſolùm cauendum eſt, ne aliquæ

A ſint nimiũ generales, & de omnibus oneribus, ſeu penſionibus tam publicis, quã priuatis. Item aduerto, plures illarum ſi attentè cõſiderentur, ſupponere, priuilegiũ exẽptionis extendi ad antiqua tributa, potiùs quàm illud probent. Quapropter illæ rationes mihi videntur efficaces, quæ vel ex generali ratione tributi, vel ex æquiparatione inter antiqua, & noua tributa ſumũtur. Talis eſt illa ratio, quòd tributa propria iure ſubiectionis imponuntur, vnde eodẽ iure exiguntur, & ſoluuntur, iuxta illud Pauli ad Rom. *Tandem ratione concluſio oſtenditur.*

B 13. *Neceſsitate ſubditi ſtate, non ſolùm propter irã, ſed etiã propter conſcientiã, ideò enim & tributa præſtatis*; ergo ceſſante ſubiectione, non poteſt iuſtè exigi tributum, quia ceſſante ratione debiti, ceſſat debitum, quando ratio eſt adæquata, vt eſt in præſenti. At verò bona quęlibet eo ipſo, quód Eccleſiaſtica fiũt, deſinũt eſſe ſubiecta Principi laico, quia extra eius iuriſdictionẽ fiunt, ipſa etiam Eccleſia, ad quã bona pertinent, eſt extra iuriſdictionem eiuſdem Principis, & multò magis ipſe Princeps Chriſtus, cuius ſunt bona, ergo eo ipſo, quòd talia bona fiũt Eccleſiaſtica fiunt exẽpta ab omnibus tributis, quæ in *Roman. 13.*

C ſola iuriſdictione fundantur. Sicut ſi perſona vni Regi ſubiecta à iuriſdictione eiuſdẽ Regis eximatur, eo ipſo à tributis eius eximitur; imò non ſolùm perſona, ſed etiã bona eius ab his tributis eximũtur, qua ratione perſonæ imponũtur; ergo ſimiliter quando bona immobilia in eũ ſtatũ transferuntur, vt neq; ipſa, neq; illi, qui habent dominiũ vtile eorũ (vt ſic dicam) neq; proprius, ac principalis dominus eorũ ſub iuriſdictione Principis maneant, eo ipſo à tributis eximuntur.

Et cõfirmatur hæc ratio ex alio principio iuris, quòd vbi diſpoſitio aliqua ad 27. *Confirmatio.*

D eũ caſum venit, à quo incipere nõ potuiſſet, prior diſpoſitio ceſſat, quãdo nimirũ, eadẽ ratio militat in cõtinuatione, quę in inceptione. Ita verò eſt in præſenti; nam impoſitio, vel exactio tributi non poteſt incipere in Eccleſiaſticis bonis; ergo nec poteſt in eiſdem bonis, poſtquam Eccleſiaſtica facta ſunt, continuari. Ideòque in talis tributi impoſitione à principio hæc conditio intelligitur incluſa, vt tandiu duret, quandiu res illa non fuerit inhabilis, ſeu incapax talis tributi, tunc

enim ſicut inchoari nõ poſſet tributum, ita neque conſeruari, quia eadem eſt vtriuſque ratio, vt declaratum eſt, & magis ex reſponſione adfundamenta prioris ſententiæ conſtabit.

28. Reſponſio ad iura ciuilia in principio adducta.

Ad iura ergo ciuilia reſpõdetur, leges omnes, quæ permittebant ordinaria tributa ab Eccleſijs exigi, reuocatas eſſe per cõſtitutionem Friderici, vnde ad l. 1. de Indictionib. reſpondetur, non oportere, fiſcũ in omnibus Eccleſiæ æquiparari, nam, Eccleſiã maioribus priuilegijs gaudere, ęquum eſt. Authẽtica verò illa, quæ ſupponit, eſſe poſſe in Eccleſiæ bonis onera fiſcalia, verum habere poterit in oneribus prioris generis, ſi fortaſſe bona, quæ ad Eccleſiam tranſierunt, priùs erant ex contractu, vel quaſi contractu fiſco obligata, & in eo caſu locum habere poteſt deciſio illa, quã retulit Gratianus in cap. 2. §. *Item prædiũ.* 10. q. 2. Ad iura canonica reſpõdebimus ex profeſſo duobus capitibus ſequentibus. Ad rationem, quòd res tranſit cum onere ſuo, reſpondetur, efficaciter probare priorem aſſertionem, non tamen vrgere contra ſecũdam. Ratio autem diſcriminis eſt, quia illud axioma procedit, quando res non transfertur in ſtatum, in quo talis oneris incapax fiat: nam ſi tanta ſit mutatio, cõſequens neceſſariò eſt, vt res à tali onere eximatur. Sic enim ſeruus, ſi legitimè ordinetur, ab onere ſeruitutis eximitur, & res conſecrata, licèt antea eſſet muneribus ſordidis, aut prophanis ſubiecta, vi conſecrationis ab eis eximitur. In præſenti ergo bona, cùm Eccleſiaſtica fiunt, in altiori quodam ſtatu conſtituuntur, in quo tributorum ſunt incapacia, non tamen aliorum realium onerum, quæ ex contractibus priuatis naſcuntur; & ideò per talem mutationem propria tributa ceſſant, non verò aliæ penſiones, niſi in caſibus ſpecialibus in iure expreſsis. Et tunc neceſſe eſt, vt vel is, qui ius aliquod habebat in talia bona, talem eorum mutationem fieri conſentiat, vel, vt ei recõpenſatio fiat, iuxta ea, quæ capite ſequẽti dicemus.

Ad rationẽ quòd *res tranſit cum onere ſuo.*

29. Quæſitum.

Sed interrogabit aliquis, cur non idem poſtuletur reſpectu Principis, quando bona illi tributaria in Eccleſiam transferuntur. Cùm enim inde detrimentum, & diminutionem in bonis ſuis patiatur,

A iniuſte cum illo fieri videtur, ſi abſque illius conſenſu, vel compenſatione talis mutatio fiat. Reſpondetur, neutrum hic eſſe neceſſarium. Et ratio diuerſitatis eſt, quia Princeps antea nõ habebat proprium dominium, vel ius aliquod particulare dominio æquiualens, ratione cuius ei deberetur tributum, ſed ſolum ratione iuriſdictionis illud exigere poterat, quia ſub eius ſuperiori adminiſtratione erat res ipſa, vel Dominus eius. Nulla autem ratio iuſtitię obligat ad cõſeruandam rem illam ſub iuriſdictione temporalis Principis, quia dominus eius

Expe...

B poteſt de ipſa liberè diſponere. Maximè verò poteſt eam Deo dicare, ſeu donare, per quam donationem fiunt talia bona Eccleſiaſtica, non eſt autem neceſſarius conſenſus Principis, vt bona ſecularia Eccleſiaſtica fiat. Quod (vt dixi) & iure canonico cautũ eſt, & iure diuino naturali, ratione dicta ſatis videtur fundari.

Neque refert, quòd prouentus Principis inde poſsint diminui, quia diminutio non fit in proprijs bonis, ſed in ſtipẽdijs communibus, eſtq; per accidens, cõſequitur enim ex ſubtractione materiæ, 24.
C religioſè, & iuſtè facta, & ob hãc cauſam non debetur recompenſatio. Præſertim quia etiam è contrario contingere poteſt, vt ſi bona Eccleſiaſtica vendantur, & ſecularia fiant, tributuaria eſſe incipiant, & ita prouentus Principis augeãtur. Quæ omnia in priuatis oneribus ex peculiari iure, ſeu dominio profectis locum non habent, vt ex dictis ſatis conſtat. Accedit, quòd ceſſatio tributi in eo caſu non fit priuata voluntate, vel authoritate donantis, ſed fit authoritate iuris, vel diuini, vel humani in diuino fundati. Et ideò ibi etiam non deeſt conſenſns
D Principis ipſo iure datus virtute dictæ legis ciuilis, qui reuocari ampliùs nõ potuit poſtquàm Eccleſia beneficiũ illud, & priuilegium acceptauit, quanquam etiam ſine illo id fieri poſſet virtute iuris diuini, vel etiam canonici, ſicut ſuprà de hac exemptione Eccleſiaſtica generalitèr oſtenſum eſt.

Vnde ad vltimã confirmationẽ reſpõdetur, detrimentũ illud ordinariẽ nõ eſſe magni momenti, neq; illius cõſiderationem haberi, propter rationes factas. Si tamen aliquando cõtingeret, tot bona Eccleſiæ 31. Ad vltimã cõfirmationem.

cleſiæ acquiri, vt in graue præiudicium, magnamq; diminutionem Regaliū prouentuum redundaret, ſummus Pōtifex conſulendus eſt: nam ad illum ſpectat, in huiuſmodi caſibus remedium adhibere. Non enim licet Chriſtianis Principibus *Eccleſiaſtica bona inuadere*, vt in dicta Authentica *Item nulla* expreſſè dicitur, nec etiam poſſunt de illis diſponere, aut ſtatuere, vt in ſuperioribus probatum eſt.

CAPVT. XXI.

Aliquibus obiectionibus occurritur, & quā ſit antiqua hæc bonorum Eccleſiaſticorum exemptio obiter explicatur.

1. Prima obiectio ex iure canonico. Cap. *Si tributum*. 11. q. 1. *Ambroſ.* Cap. *Tributum*. 23. q. 8.

CONTRA ea, quæ in ſuperioribus capitibus definita ſunt, aliqua objici poſſunt, quæ vel falſam eſſe doctrinam, vel ſaltem nimis nouam ſuadere poſſunt. Et primo ex iure canonico objicitur cap. *Si tributum*. 11. q. 1. ſumptū ex Ambroſio orat. ſeu concion. 1. de Baſilicis non tradend. in fine, vbi inquit: *Si tributum petit Imperator, nō negamus, agri Eccleſiæ ſoluunt tributum.* Et ſimilia ferè habet in cap. *Conuenior*. 23. q. 8. ſumpto ex eadē oratione, & epiſt. 33. ad Sororē, quæ nunc eſt 13. lib. 2. Secundo objicitur cap. *Tributum*. 23. q. 8. vbi Vrbanus Papa ſic inquit: *Tributum in ore piſcis, piſcante Petro, inuentū eſt, quia de exterioribus, quæ palā cunctis apparent Eccleſia tributū reddit.* Et infrà. *De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, qua nos tueri, ac defenſare debent, Imperatoribus perſoluendum eſt.* Tertiò objicitur cap. *Sancitū eſt*. 23. q. 8. vbi ſpecialiter dicuntur exempta à tributis Eccleſia cum hortis, atrijs, & domibus ei coniunctis, & manſis eius, poſteà verò additur. *Et ſi amplius aliquid habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſeruitium impendant*, per quæ verba tributum aliquod ſignificatur, vt omnes intelligunt, & ipſa præ ſe ferunt. Hæc ergo eſt generalis regula, quòd bona Eccleſiæ ſoluunt tributum illis paucis exceptis, quæ in principio poſita fuerant, quæ exceptio regulā in cæteris firmat. Et quanuis caput illud ſit Concilij Vormatienſis prouincialis cap. 50. pro vniuerſa Eccleſia receptum eſt in c. 1. extra de Cenſib. per Greg. 9. qui ſolum ante quadringentos ferè annos præceſsit.

Cap. *Sancitū eſt*. 23. q. 8.

A Secundò principaliter ex iure ciuili objicitur l. *Placet*. C. de Sacroſ. Eccleſ. quæ eſt Honorij, & Theodoſij in l. 40. de Epiſcop. & Cleric. in C. Theodoſiano, vbi licet Eccleſiæ eximantur à muneribus ſodidis, & ab extraordinarijs tributis, nō tamen ab ordinarijs, vt patet ex illis verbis apud Iuſtinianum: *Nihil præter canonicā illationē*, id eſt, præter ordinariā, & certa regula ſtatutā impoſitionē. Imò etiā poſſe exigi aliquid, *ſi aduētitiæ neceſsitatis ſarcina repentina popoſcerit*, quā legē ſuo decreto inſeruit Gratianus in c.

2. Secunda obiectio ex iure ciuili. Lex. *Placet. C. de Sacroſan. Eccleſ.*

B *Generaliter*. §. *Placet*. 16. q. 1. ſignificans, ius canonicū legem illā non repudiare. Secundo objicitur lex *De ijs*. C. de Epiſcop. & Cleric. vbi prædia clericorū cogenda dicuntur *ad penſitanda fiſcalia*, ſub prædijs autē Clericorū etiā Eccleſiarum intelligi videntur. Tertiò objicitur l. vlt. C. de Exactor. tribut. lib. 10. quæ ſic habet: *Si diuina domus, aut quæcunq; alia cuiuſcunq; dignitatis, atq; fortunæ fundos quolibet titulo poſſederit, & non impoſitas reipublicæ functiones agnouerit, quēadmodum prior dominus depēdebat, omnibusmodis poſſeſsiones eorū publico vindicentur*, vbi Gloſſa per publicas functiones exponit *tributa, & annonas, onera*, (inquit) *rerū, & ideo*

Gratian. Lex. *De ijs. C. de Epiſc. & cleric.*

Gloſſa.

C *cum rebus ipſis ambulatoria.* Sic enim Imperatores reſcripſerunt. *In vectigalibus ipſa prædia conueniri.* l. *Imperatoris.* ff. de Publicanis, & Vectigalib. ac ſubinde huiuſmodi tributa onera eſſe realia, & ab Eccleſijs deberi (iuxta illam legem) quacunq; ratione prædia ad eas deuenerint.

Lex. *Imperatoris. ff. de Publican. & vectigalib.*

Ad has obiectiones poſſemus vnico verbo reſpondere, illa iura procedere ſecundū antiquum morē, iam verò reuocata eſſe, maioraq; priuilegia eſſe Eccleſijs conceſſa. Quæ reſponſio non grauatè acceptari poſſet pro legibus ciuilibus, prout illā tradiderunt Gloſſæ in dicta l. *Placet*, & in dicta l. *De ijs*. Quod tamē ſpectat ad ius canonicū, incredibile eſt, per illud fuiſſe aliquando approbata huiuſmodi tributa, præſertim poſt tempora Chriſtianorū Imperatorū, & ideo priùs, quā ad ſingula reſpondeamus, explicare oportet, quàm ſit antiqua quoad hanc partem tributorum, Eccleſiarum exēptio: nā de illa ferè idē ſentiendum cenſeo, quod de exēptione ipſa in genere in

3. Reſponſio vniuerſalis ad omnes obiectiones factas. *Gloſſa.*

D

ſuperioribus dixi, quia hæc pars quædam eſt Eccleſiaſticæ immunitatis, & non minùs neceſſaria, minus ve rationi conſentanea, quàm alia. Diſtinctio igitur ſuprà tradita hic etiam præmittenda eſt: nam aliud eſt loqui de iure, aliud verò de facto.

4. Prima cõcluſio. Quã ſit antiquũ priuilegiũ non ſoluendi tributa ex bonis Eccleſiæ.

Primô ergo dicimus, priuilegiũ, ſeu ius non ſoluendi tributa ex Eccleſiaſticis bonis, â principio inditum, & cum ipſa Eccleſia quaſi concreatum fuiſſe. Hoc facilè patet ex ſuprà dictis in genere de origine Eccleſiaſticæ immunitatis, & eodem modo declarandum eſt. Nam inprimis cenſeo, hôc ius intrinſecè oriri ex ipſa Eccleſiæ inſtitutione, prout à Chriſto facta eſt: nam ex vi talis inſtitutionis Eccleſia capax eſt ad acquirendum bona tam immobilia, quàm mobilia, quæ ad ſolum Dei cultum, vel pietatis opera ſint deſtinata. Non enim habet Eccleſia hanc capacitatem, ſeu poteſtatem ab Imperatoribus, aut ab hominibus, ſed intrinſecè, & ex natura rei illã habet, eo ipſo quòd eſt hominũ mortalium congregatio habens ſpecialem vnitatem, & vinculum ex Chriſti inſtitutione. Siue talis capacitas conſideretur in Eccleſia, ex eo quôd eſt congregatio hominum vtentiũ libertate, quæ eſt fundamentũ dominij externarum rerũ, ſiue conſideretur, vt eſt vnum corpus, cuius principale caput eſt Chriſtus, qui multô magis capax eſt talis dominij. Vnde à principio Eccleſiæ cæperunt fideles bona ſua ipſi Eccleſiæ tradere, quæ eo ipſo fiebant cõmunia ipſius corporis Eccleſiæ, perquam diſtribuebantur ſingulis quoad eorum vſum, vt ex Actibus Apoſtolorum manifeſtũ eſt. Et licèt tunc ſolũ haberet Eccleſia bona mobilia, paulô poſt cæpit immobilia acquirere, non ex priuilegio extrinſeco, ſed ex intrinſeca poteſtate, & prudenti voluntate, ac diſpenſatione Paſtorum Eccleſiæ, vt ex Vrbano Papa in epiſtola ſua cap.1. intelligimus & habetur in cap. *Videntes.* 12.q.1. Vixit autem Vrbanus anno. 227. & tamen cõmemorat, iam anteà ordinatũ eſſe à ſummis ſacerdotibus, vt prædia, quæ dabantur Eccleſiæ non venderẽtur, ſed ſub poteſtate eiuſdem Eccleſiæ conſeruarentur, vt ex redditibus eorũ melius poſſet omnibus fideliũ neceſsitatibus ſubuenire. Qui mos à tẽpore Conſtãtini multũ quidem auctus eſt, nõ quia Conſtantinus ipſi Eccleſiæ poteſtatẽ dederit talia bona acquirẽdi, ſed quia ſua ſide facultatẽ dedit omnibus donandi Eccleſiæ quæcunq; vellent, & ſuo exẽplo illos præiuit, & excitauit, vt ſumitur ex edicto de Primitiua Eccleſia, & munificẽtia Conſtantini, quod habetur tomo 1. Concilior. & in cap. *Futuram.* 12.q.1.

Vrban. Cap. *Videntes.* 12.q.1

5. Ex quo vlterius colligimus, ab eadem Eccleſiæ inſtitutione prout â Chriſto facta eſt, intrinſecè oriri, vt hæc bona, quæ Eccleſiæ traduntur, vel acquiruntur, Chriſto tanquam principali Domino acquirantur, quia non acquirũtur Eccleſiæ, niſi vt corpori myſtico, cuius principale caput eſt Chriſtus. Et ideo licèt in Eccleſia ſit poteſtas diſpenſandi hæc bona, illa tantũ eſt miniſterialis à Chriſto deſcendẽs, & in Paſtoribus Eccleſiæ præcipuê reſidet, quia illi ſunt diſpenſatores myſteriorũ, & bonorũ Chriſti in terris. Atq; hinc tandẽ ius exẽptionis taliũ bonorum ab humanis tributis videtur neceſſariô cõſequens ad talis Eccleſiæ inſtitutionem, quia caput huius Eccleſiæ, quod eſt præcipuus dominus taliũ bonorum, habet cõnaturalẽ non tantũ exemptionẽ, ſed etiã poteſtatẽ, & dominiũ ſuper omnes Reges terræ. Vnde nõ eſt dubiũ, quin & Chriſtus potuerit immediatè, & per ſe ipſum talia bona eximere â tributis eo ipſo, quôd ſua ſunt, & quod hoc ſit valde conſentaneũ diuinitati, & excellentiæ perſonæ ſuæ.

6. Pontifex ſũmus potuit ſe ſolo bona Eccleſiæ à tributis eximere.

Addendũ præterea eſt, etiã ſi talia bona iure ipſo diuino nõ fuiſſent immediatẽ à tributis exẽpta, Pontificẽ ſua poteſtate potuiſſe illa ximere, ſicut ſuprà de perſonis, diximus: eſt enim ferè eadẽ ratio ſeruata proportione. Vnde ſicut Eccleſia ſemper habuit hanc poteſtatẽ, ita ſemper habuit ius ad gaudendũ hac immunitate quoad Eccleſiaſtica bona. Probatur autẽ primo ex illo principio, quòd Chriſtus habet ius; ergo prudentẽ illius executionẽ Paſtoribus Eccleſiæ, & præſertim Vicario ſuo cõmiſit, ſicut illi etiã præcipuê cõmiſit aliorũ bonorũ ſuorũ diſpẽſationẽ. Secundò hac ratione habet Vicarius Chriſti poteſtatẽ, & obligationẽ beneadminiſtrãdi patrimoniũ Chriſti ſed vnus ex præcipuis actibus huius adminiſtra-

Probatur primò. Secundò.

miniſtrationis eſt vindicare illa bona ab onerib⁹, & tributis, quãtũ pietas, & religionis ratio, ſeruata iuſtitia, poſtulauerit. Sicut ergo à principio Eccleſiæ adminiſtratio, & diſpẽſatio taliũ bonorũ in Chriſti Vicario, & Epiſcopis fuit, vt latè probatur in decretis. 96. d. & 12. q. 1. & 2. ita & ius exẽptionis taliũ bonorũ perpetuò in Eccleſia fuit. Tertiò, eadẽ eſt ratio de exemptione à iuriſdictione, & à tributis; imò hæc poſterior ſequitur ex priori, vt probatũ eſt; ſed Eccleſia ex vi poteſtatis diſpẽſandi, & adminiſtrãdi talia bona, habuit ſemper poteſtatẽ, & ius ad eximendum hæc bona à iuriſdictione ſeculari, vt ſuprà probatum eſt; ergo idem ius habuit ſemper etiam circa tributa.

Tertiò.

7. Quartò. Vltimò declaratur, & optima ratio huius poteſtatis redditur, quia poteſtas Eccleſiaſtica, vt eſt in capite, & Vicario Chriſti, eſt ſuprema in ſuo ordine, & quia ille ordo eſt diuinior cęteris, ideò illa etiã eſt ſuprema ſimpliciter reſpectu omniũ poteſtatum terræ. Illa verò poteſtas licet ſpiritualis ſit, indiget vſu temporaliũ bonorum ad conuenientem gubernationem, & executionem ſuæ poteſtatis; ergo etiam vt verſatur circa bona temporalia ſibi commiſſa, eſt poteſtas ſimpliciter ſuprema; ergo per ſe ſufficit ad eximendum hæc bona ab impoſitionibus, quæ per quancũq; aliam terrenam poteſtatem fieri poſſent. Vnde ipſe Põtifex poteſt talia bona tributis onerare independenter à conſenſu alterius, tanquam ſupremus gubernator, dummodò id faciat tanquam fidelis diſpenſator, & prudens, iuxta Clementin. 1. *vt lite non conteſtata* in fine, cum ſimilibus; non poſſet autem Pontifex habere tam liberam, & ſupremam poteſtatem, ſi non poſſet bona illa à grauaminibus aliorum Principũ eximere, alioqui ſępiùs talia bona nimiũ grauarentur, & bellũ iuſtum ex vtraque parte oriretur, ſi vna poteſtas alteri non cederet. Quod ſi altera recognoſcẽda, & præferenda eſt, illa profectò ſpiritualis poteſtas eſſe debet, vt ſæpe dictum, & probatum eſt.

Clemẽtin. 1.

8. Secunda cõcluſio. Secũdo dicendũ eſt de facto, ſeu executione huius exẽptionis â tributis realibus, bonis immobilibus impoſitis; nec ſemper fuiſſe in Eccleſia neceſſariã, nec ſemper poſsibilem, nec certò conſtare quando inceperit, veriſimile tamen eſſe, à principio Chriſtianorum Imperatorũ introductam eſſe, & quãtum per Paſtores Eccleſiæ fieri potuit, fuiſſe ſeruatam. Prima pars manifeſta eſt de illo primitiuo tẽpore, in quo Eccleſia hæc immobilia bona non habebat, ſed agros, & prædia ſibi â fidelibus oblata ad ſuſtentanda communia onera vendebat, vt in dicto cap. *Videntes* dicitur. Tunc enim nõ erat in Eccleſia materia, ſeu fundamentum talium tributorum, & ideò dicimus, non fuiſſe illi neceſſariam huiuſmodi exemptionem. Secunda pars procedit de ſecũdo tempore, ex quo cœpit Eccleſia talia immobilia bona poſsidere, & retinere (iuxta idem cap. *Videntes*) vſque ad tẽpora Chriſtianorum Principum, ſeu Cõſtantini. Nam eo tempore Imperatores, & Reges, quibus hæc tributa ſoluebantur, non erant Eccleſiæ filij, ac ſubditi, neq; fide carẽtes intelligere valebãt, quale eſſet Eccleſiæ ius ad liberũ vſum taliũ bonorũ, ideóq; nõ potuit eo tẽpore Eccleſia aut efficaciter, aut cũ fructu, imò neq; ſine ſcandalo illo iure vti. Tertia pars de incertitudine in primis ſumi poteſt ex obiectionibus factis. Ac deinde, quia nõ inuenimus iura, ex quibus initium huius executionis, ſeu obſeruatæ exemptionis clarê, & cũ certitudine colligam⁹.

Priuilegiũ exẽptionis bonorũ Eccleſiæ non ſemper obſeruatum fuit.

Probatur cõcluſio.

Dico autẽ, eſſe incertũ hoc initiũ quoad negationẽ prioris tẽporis: nam quoad affirmationẽ alicuius tẽporis, in quo ſtabilita eſt exẽptio, ſemper in poſterũ duratura, ſatis certò aſsignari poteſt, ſaltem à tempore Friderici. 2. & Honorij. 3. vt ex hactenus dictis ſatis conſtat. Quòd verò ante illud tẽpus ſaltẽ iure canonico fuerit ſtabilitus vſus huius exẽptionis manifeſtũ eſt ex Cõcilio Lateran. ſub Alexãdro. 3. quod ferè centũ annis pręceſsit, & ex alio Lateranẽſi ſub Innoc. 3. poſteà celebrato c. *Nõ minus*, & c. *Aduerſus*, de Immunit. Eccleſ. Atq; ex eiſdẽ decretis colligitur, hoc ius nõ fuiſſe in illis inchoatũ, ſed antiquius eſſe, & in illis Cõcilijs ſub grauioribus cenſuris, & declarationibus fuiſſe confirmatum. Vnde licèt fortè nõ inueniatur antiquius decretum expreſſe, & in ſpecie hanc exemptionem bonorum Eccleſiaſticorum ſtabiliens, ex hoc ipſo probabiliter coniectamus, non tam iure Pontificio ſcripto, quàm non 9.

Conc. Lateranen. Cap. *Non minus.* Cap. *Aduerſus. de Immunit. Eccleſ.*

ſcripto, traditione, & pręceptis Prelatorū fuiſſe obſeruatā in Eccleſia hanc immunitatem, ex quo inceperunt Pontifices expeditam, & liberam habere ſuam poteſtatem Eccleſiaſtica bona adminiſtrandi, id eſt, poſtquam impedimētum

10. Vide edictū Conſtantini ſupra citatū, & Euſebium lib. 10. Hiſtor. cap. 5. & in orat. de Laudibus Conſtantini.

ethnicorum Imperatorum ſublatū fuit.

Vnde etiam mihi veriſimile eſt, Conſtantinum ſtatim exemptionē hanc Eccleſiaſticis bonis conceſſiſſe, vel in eam potiùs conſenſiſſe. Nam omnes hiſtoriæ tradunt, cum ſtatim omnia bona Eccleſijs reſtitui præcepiſſe, & non ſolùm maxima liberalitate Eccleſijs prędia donaſſe, ſed etiam magnis priuilegijs illas muniuiſſe. Eumq; ſucceſſores pij, & catholici imitati ſunt. Imò notat Baronius an. 387. n. 13. poſt Imperatores gentiles nō niſi apoſtatas, vel hęreticos Imperatores de bonis Eccleſiæ tributum exegiſſe, primumq; eorum Iulianum Apoſtatam fuiſſe. Quanuis ergo in Codice Iuſtiniano, vel Theodoſiano non inueniatur lex ciuilis expreſſè concedens hoc priuilegium ante conſtitutionem Friderici, nihilominus credendum eſt, longè antea, imò à principio Chriſtianorum Imperatorum fuiſſe ab eis conceſſum, vel admiſſum. Et licêt interdum fuerit intermiſſum, patienter ferente Eccleſia, non conſentiente, non iure, ſed per tyrannidem eſt factum, tum quia contra ius diuinum, & canonicum, tum etiam quia tale priuilegium ſemel conceſſum reuocari non poterat; ideòque quoties Imperatores generaliter renouant priuilegia à ſuis prædeceſſoribus Eccleſijs conceſſa, ſub illis hoc etiam comprehendi exiſtimandum eſt.

Baron.

Exemptio bonorū Eccleſiæ ante Fridericum per leges ciuiles ſtatuta fuit.

Vide Codicem Theodoſianū tit. de Epiſcop. & cleric. in multis legibus præſertim in vltimis.

11. Prima reſponſio ad Ambroſiū. *Gloſſa.*

Ad Ambroſium ergo in cap. *Si tributum*. 11. q. 1. Gloſſa ibi videtur ſimpliciter concedere, prædia Eccleſiæ ſubiecta eſſe tributis, ſolumq; in hoc gaudere priuilegio, quòd licèt illud non ſoluat Eccleſia, non poterunt eius bona vindicari. Sed hoc ſi intelligatur de hoc tempore omnino falſum eſt; ſi verò intelligatur de tempore Ambroſij, magis eſt tolerabile, ſed non verum. Alia igitur Gloſſa in cap. *Secundum canonicam*. 23. q. 8. textum illū intelligit de oneribus realibus, cum quibus bona ad Eccleſiā tranſierūt, ſentitque ex ſententia Ambroſij teneri Eccleſiam ad illa ſoluenda. Videtur autē

Secunda. *Gloſſa.*

A intelligere de proprijs tributis; nā de his certè loquitur Ambroſius, vt patet ex illis verbis: *Si tributū petat Imperator, &c.* In hoc autem ſenſu falſa eſſet ſententia, ideòque illam non admittimus.

Verus ergo intellectus verborū Ambroſij eſt, quem latê tradit Cardinalis Albanus ſuprà, & vno verbo cōplexus eſt Cardinalis Baronius ſuprà dicens, verba illa dicta eſſe ab Ambroſio, permittendo potiùs, quàm probando, & factū aſſerendo, non ius confitendo. Veriſimile enim eſt, illo tēpore, quod erat Valētiniani iunioris, & pueri, Iuſtinam eius matrē, & B pro illo gubernātem, & Arianam, tributum aliquod ab Eccleſijs exegiſſe, prudenterq; cenſuiſſe Ambroſiū, non fuiſſe tunc illi reſiſtendū, vel propter vitanda ſcandala, vel quia maiora pericula tunc imminebant Eccleſiæ, quibus magis occurrere oportebat, nec poterat ſimul omnibus reſiſti. Vnde eodē tenore verborū ſubiungit Ambroſius, *Si agros deſiderat Imperator, poteſtatē habet vindicandorum, nemo noſtrū interuenit, poteſt pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiā, tollant eos, ſi libitum eſt*, explicās autē quo ſenſu hoc dicat, ſubiungit, *Imperatori non dono, ſe non nego*, quaſi dîcat, C permitto non approbo. Multò verò faciliùs poterat tributum, quàm vſurpatio prędiorum permitti: nam hæc poſterior ita continet iniuſtitiam, & ſacrilegium, vt excuſari per ignorantiā nō poſſit, tributorū autem exactio nō ita præ ſe fert intrinſecā malitiā, quin ignoratione occultari, vel aliquo apparenti titulo colorari valeat. Et ideò potuit hoc faciliùs diſſimulare Ambroſius, exiſtimans etiam, tributū illud tūc nō fuiſſe omnino iniuſtum, nam inferiùs in eadē oratione ſub- D iungit: *Soluimus, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, tributū Cæſaris eſt, nō negatur, Eccleſia Dei eſt, Cæſari vtiq; non debet addici, qui ius Cæſaris eſſe non poteſt.* Et ita etiā reſponſū eſt ad cap. *Cōuenior.*

12. Tertia, & vera reſpōſio.

Ad cap. *Tributum*. Albanus ſuprà eādem accommodat reſponſionem, videlicet, Vrbanum de facto fuiſſe loquutū, non de iure, dicens, perſoluendum eſſe tributum ab Eccleſia ſponte, & ad vitādum ſcandalum, non ex obligatione, aut debito. Et ad hoc ſuadendū inducit verba illa, *Pro pace, & quiete, &c.* Sed violēta

13. Ad cap. *Tributum.* Prima reſponſio.

Reijcitur.

ta videtur interpretatio, nam verba Põtificis ſunt, *Quod cõſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſoluẽdum eſt.* Quorum verborum ſenſus non eſt, ſoluendum eſſe tributum gratia vitandi ſcãdalum, & ſeruandi pacem, ſed ſoluendũ eſſe Imperatoribus propter officium, & obligationem, quam habent, nos tuendi, & in pace conſeruandi. Vnde verba illa magis indicant ius, quàm factum; nam de facto in principio dixerat, *De exterioribus ſuis Eccleſia tributum reddit*, poſteà verò reddit rationem, propter quam perſoluendum eſt. Et ita ibi Turrecrem. & alij textum illum intellexerunt, non ſolùm de facto, ſed etiam de debito. Vnde

Alia reſpõſio.

aliter reſpondent, interpretãdo textum illum de ſolis bonis, quæ ad Eccleſiam cũ onere tributi peruenerunt.

14. Impugnatur.

Mihi verò etiam hoc non ſatisfacit, quia textus indifferenter loquitur de tributo. Gratis enim limitaretur ad tributum improprium, ſeu priuatum onus in pacto aliquo fundatum; nam potiùs verba declarant, ſermonem eſſe de tributo, quod Imperatori ſoluitur ratione publici muneris, quod Eccleſia non debet, ſiue antiquum, ſiue nouum ſit, quia eiuſdem ſunt rationis, vt dixi. Aduerto igitur, caput illud referri à Gratiano ex Vrbano Papa, non deſignat autem, quis ille Vrbanus fuerit, licèt autẽ nulla habeamus decreta in tomis Conciliorum, aut Epiſtolarum decretalium, Vrbani. 2. vel poſteriorum illo nomine nuncupatorum, neq; inter acta Vrbani primi decretum illud in tomo. 1. Conciliorum reperiatur, cõiectamus nihilominus potiùs eſſe Vrbani primi, quàm aliorum, quia modus loquendi illius textus magis redolet anti-

Vera reſpõſio.

quitatem Vrbani primi, quàm nouiora tempora aliorum Vrbanorum. Hoc ergo dicimus, Vrbanum fuiſſe loquutum iuxta morem ſui temporis, quando Imperatores erant ethnici, & Eccleſia nondum ſibi libertatem ab huiuſmodi tributis vindicauerat, iã verò ius illud ceſſaſſe.

15. Ad ca. *Sãcimus.*

Ad cap. *Sancimus*, & cap. 1. de Cenſibus Gloſſæ ibi intelligunt illa vltima verba de antiquioribus oneribus realibus. Quæ reſponſio pro textu illo mihi placet, dummodo intelligatur de oneribus priuatis, de quibus præcedenti capite in

A conclusione prima loquuti ſumus. Et ad hunc ſenſum confirmandum ponderari poteſt, ibi non fieri mentionem tributi, neq; Principis, ſed *maioribus*, vel potiùs vt habet originale, *Senioribus ſuis* (inquit Concilium) *debitum ſeruitium impendant.* Quæ verba (quidquid Gratianus in §. ſequenti, & Gloſſa ibi dicant) ampliora ſunt, nam *debitum ſeruitium*, rectè de quo cumque onere dicitur, per *ſeniores* autẽ intelligũt Gloſſa, & Ioan. Andr. in dict. cap. 1. de Cenſib. antiquos Dominos, à quibus res tranſierunt ad Eccleſiam cum

Gloſſa. Io ã. Adr.

B onere ſuo, & ideo illis perſoluendum eſt ab Eccleſia de eiſdem bonis, quando non pertinẽt ad manſum Eccleſię, nec ad alia loca illi coniuncta, de quibus ex ſpeciali illius iuris diſpoſitione nihil pręter Eccleſiaſticum ſolui permittitur. Quæ exceptio *Eccleſiaſtici* firmat regulam in cõtrarium reſpectu aliorum onerum realium, cuiuſcumque generis ſint. Si autẽ Eccleſia præter hęc bona aliquid amplius habuerit, vt in textu dicitur, obligata erit ad onera realia, quæ ad antiquiores dominos virtute alicuius pacti pertinuerint. Ratio autem ſpecialis exemptionis

C priorum bonorum eſſe poteſt, quia vel cenſentur quaſi partes acceſſoriæ ipſius Eccleſiæ, quæ totam illam immunitatẽ meretur, & acceſſorium ſequitur naturam principalis, vel ad Eccleſiæ ſuſtentationem iudicantur neceſſaria, vt ibi notat Abbas, & ideo alia onera in eis non permittũtur. Vndè ſi priùs illa habebãt, eo ipſo, quòd bona vniuntur Eccleſiæ ceſſant onera, vt in pręcedenti capite declaratum eſt.

Bona ad mãſum Eccleſiæ ſpectãtia ab omni tributo manent exempta.

16. Ad leges ciuiles in cõtrarium inductas.

Tandem ad leges ciuiles vnico verbò reſpondetur cum Gloſsis ſupra citatis derogatas eſſe illas leges per conſtitutionẽ

D Friderici. Aut fortaſſe meliùs diceretur, leges illas ſemper fuiſſe nullas, vt in ſimili ſignificauit Gloſſa in capite. *Generaliter* 16. quæſt. 1. verb. *Collationibus*. Ratio autem eſt, quia tales leges erant contra priuilegia priùs Eccleſijs conceſſa, quæ reuocari nõ poterant, vel certè, quia diſponebant in materia Eccleſiaſtica, & in Eccleſiæ pręiudicium, quod leges ciuiles facere nõ poſſunt, vt ſępè dictum eſt. Quibus addimus, inter ordinationes Luſitaniæ lib. 2. tit. 22. inueniri optimã legem, quæ doctrinam datam confirmat.

CAPVT. XXII.

Qualis ſit exemptio Eccleſiaſtica quoad perſonalia onera clericorum.

1. NON intendimus in hoc capite declarare, quæ perſonę, vel quomodo hac exemptione gaudeat, hoc enim ad alteram partem materiæ quaſi remotam pertinet, de qua in capite vigeſimo tertio, dicere incipiemus, ſed generatim ſupponimus, id, quod per ſe notum in hac materia eſt, clericos priuilegio exemptionis gaudere, & quia in ſuperioribus oſtenſum eſt, materiam illius exemptionis eſſe iudicia ſecularia tam criminalia, quàm ciuilia, & leges ciuiles tam coactiuas, ſeu pœnales, quàm directiuas, ſeu obligationem directè inducentes, ideo dicendum ſupereſt, an reſpectu earundem perſonarum tributa etiam ſint materia huius exemptionis. Hæc autem tributa, quędam im poni ſolent ipſis perſonis ſine reſpectu ad bona, quæ dicũtur purè perſonalia, & appellari ſolent nomine *cenſus*, vt Matth. 17. iuxta multorum expoſitionem, & in iure Cod. de Capitatione ciuium cenſibus eximenda lib. 11. vbi idem tributum *cenſus*, & *capitatio*, appellatur, quia per capita iuxta numerum ſine reſpectu ad bona componebatur. Aliquando vero imponitur tributum ratione bonorum, quod vel reale, vel miſtũ appellatur, vt dicemus capite ſequenti, vbi de bonis tractabimus, nunc enim de puris perſonalibus oneribus agimus.

2. Clerici à cẽſibus ſũt exempti.

Primo ergo dicendum eſt, perſonas Eccleſiaſticas gaudere perſonali immunitate quoad cenſus, ſeu capitationis tributum. Hęc aſſertio certiſsima eſt inter catholicos, nam expreſsè habetur multis decretis iuris Canonici ſupra ad probandam exemptionẽ in generali inductis, vt cap. *Aduerſus*, cap. *Non minus*, de Immunitat. Eccleſiar. & in cap. *Quanquam* de Cenſib. in 6. & in alijs, in qu bus ſpecialis fit mentio perſonarum. Et ita ibi notant omnes expoſitores, idemque docēt Theologi in 2. d. 34. Eſtque hęc exemptio antiquiſsima non ſolùm iure canonico, ſed etiam ciuili, vt colligi poteſt ex Codice Theodoſiano tit. de Epiſcop. & Cleric. leg. 8. quam tribuit Conſtantino

Cap. *Aduerſus.* Cap. *Non minus.* Cap. *Quãquam.*

A Gratianus in cap. *Generaliter*, 16. q. 1. & his verbis eam refert, *Iuxta Sanctionem, quàm dudum meruiſſe perhibemini, fundos, & mancipia veſtra, &c.* tamen in Codice Theodoſiano tribuitur Conſtantino, & hoc modo legitur: *Vos, & mancipia veſtra nullus nouis collationibus obligabit, ſed vacatione gaudebitis.* Et eodem modo legitur in l. Cod. de Epiſcop. & Clericis, vbi Conſtantino tribuitur. Idem Priuilegiũ confirmauit Gratianus in l. 26. eodẽ tit. vbi habet hæc verba notanda. *Quis eos capite cenſos patiatur deuinctos, quos neceſſa-* B *rio intelligat ſupra memorato obſequio* (ſcilicet Eccleſiæ) *mancipatos.* Idemque priuilegium magis declaratum, & cõſirmatum eſt à Friderico.

Gratian. — Lex. 1. C. de Ep... & Cle... — Gratian.

3. Et quidem ſi aliqua clericorum exēptio eſt de iure diuino naturali, & conformis Euangelico, maximè hæc, quę eſt à tributis mere perſonalibus. Probatur, quia perſonæ non imponitur iuſta ratione tributum, niſi vel ratione bonorum, vel ratione propriarum actionum, quatenus per eas aliquid lucrari poteſt, vnde tale tributum ſoluat. At verò quando priori modo tributum imponitur, non C eſt purè perſonale, ſed miſtum, & ideo non pertinet ad præſentem quęſtionem, ſed ad aliam tractandam capite ſequenti. Poſteriori autem modo non ſunt capaces clerici tributi perſonalis ſecundum rectam rationem, quia ratione ſui ſtatus ſunt omnino dicati cultui diuino, & ex vi talis ſtatus actiones ſuas non ad lucra temporalia, ſed ad ſpiritualia miniſteria ordinare debet; ergo ex vi ſui ſtatus iure naturali exempti ſunt à tributis perſonalibus, & temporalibus. Nec refert, quòd ſtipendium aliquod temporale propter talia miniſteria poſſunt recipere: D nam illud non eſt per modum temporalis lucri, ſed eſt per modum iuſtæ, & congruę ſuſtentationis, quæ non debet ſubtrahi, vel diminui per impoſitionem tributi. Eo vel maximè quòd illud ſtipẽdium eſt quaſi annexum, & acceſſorium miniſterio ſpirituali, & ideo participat eius naturam, & conditionem, ac proinde libertatem, & exemptionem, quam ſpiritualia miniſteria habent ab omni ſeculari poteſtate.

Dicta Clericorũ à tributis exemptio eſt de iure diuino — Probatur primo. — Tacitæ obiectioni occurritur.

4. Vnde etiam eſt euidẽs alia ratio, quia nemo poteſt perſonale tributum imponere

Idem probatur ſecundo.

nere, niſi in perſonam ſuæ iuriſdictioni ſubiectam, ſed perſonæ clericorum non ſunt ſubiectæ iuriſdictioni ſecularium Principum; ergo nec tributis perſonalibus ab eis poſſunt onerari. Atque iuxta hæc principia colligitur hæc exemptio clericorum ex verbis Chriſti Matth. 17. *Matth. 17.* *Ergo liberi ſunt filij*, ibi enim de exẽptione à tributis, & preſertim perſonalibus ſermo erat. Nam tributum illud, quod Cæſari ſoluebatur, & cenſus appellabatur, & idem eſſe videtur, quod per capita impoſitum fuit à Cæſare, quando iuſſit, *vt deſcriberetur vniuerſus orbis*, vt dicitur Luc. 2. *Luc. 2.* Ab hoc autem tributo principaliter liberi ſunt filij, conſequenter verò liberi etiam eſſe debẽt familiares eorum, qui & omnino circa perſonas, & obſequia filiorum occupati ſunt, & eorum bonis aluntur. Sic ergo per quandã conſecutionẽ clerici ſub illis verbis continentur. Ad quem ſenſum trahi recte poſſunt verba Hieronymi ibi: *Nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filij Regis à vectigalibus immunes ſumus.* Oportet autem, vt ſub illo pronomine: *Nos*: non omnes Chriſtianos, ſed Eccleſiaſticos tantùm comprehenderet.

5. *D. Thom.* Hincque D. Thomas in 2. d. 44. q. 2. art. 2. ad 1. tractans eundem locum, ait: *Quod Chriſtus loquitur de ſe, & ſuis diſcipulis, qui nec ſeruilis conditionis erant, nec res temporales habebant, quibus ſuis dominis obligarentur ad tributa ſoluenda.* Vnde vlteriùs ſubinfert, ex vi eorundem Chriſti verborum eximi omnes, *qui Apoſtolicam vitam profitentur, nihil in hoc mundo poſſidentes, & à conditione ſeruili immunes*, Videtur autem conditionẽ ſeruilem appellare, vel temporalem ſubiectionẽ ad iuriſdictionem ſecularem, vel curam, & ſolicitudinem, quæ lucris temporalibus acquirendis incumbit. Et eandem doctrinam habet Bonauent. art. 3. q. 1. ad 1. *Bonauent.* & Richard. ar. 3. q. 1. ad 1. ex argumentis ſecundo loco poſitis, & Thomas de Argentina ibidem ar. 4. in quadam ſolutione ad 3. *Argentin.* *Lyra.* Et eodem modo expoſuit Lyra eadem verba Matt. 10. & Gloſſa ordinaria vſurpans verba Auguſtini lib. 1. Quæſtion. Euangelicar. q. 23. dicit, liberos eſſe filios regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena. Exponunt autem ſcholaſtici ſuprà citati, per filios regni

A intelligendos eſſe, non omnes Chriſtianos, ſed eos, qui propter Chriſtũ omnia reliquerunt. De quo ſenſu, quòd fuerit intentus ab Auguſtino, non aſſero, probabile autem cenſeo, omnes has perſonas per quandam conſecutionem, ſaltem quantum ad hæc tributa perſonalia, ſub verbis Chriſti comprehendi.

Dico ſecundo. Clerici exempti ſunt non ſolum à tributis pecuniarijs, ſed etiã ab omnibus, quæ in actione aliqua ſordida, aut ſeculari, vel in obligatione ſubeundi talia munera conſiſtere poſsunt. 6. *Clerici ſunt exempti à muneribus ſordidis.* B Hęc aſſertio frequens eſt in iure ciuili, præſertim in Codice Theodoſiano in tit. de Epiſcop. & Clericis, nam in l. 1. præcipit Conſtantinus, *Conſtant.* *ne clerici nominationibus, ſeu ſuſceptionibus aliquibus, quas publicus mos expoſcit, contra indulta ſibi priuilegia prægrauentur.* Et l. 2. dicit, *ab omnibus omnino muneribus excuſentur, ne à diuinis obſequijs auocentur.* Et in l. 9. ait Conſtantius: *Conſtant. Imp.* *Curialibus muneribus, atque omni inquietudine ciuilium functionũ exortes clericos eſſe oportet*, & in l. 10. *Repellatur ab his exactio munerum ſordidorum.* Idẽ in l. 11. *Valentin.* & l. 14. Idem Valentinianus in l. 21. & 22. & 24. & Arcadius, & Honorius in *Arcadius, & Honori.* C l. 36. inquiunt: *Ab his, quos à publici laboris actu, & gradus clericatus, & (quod non minus eſt) ſanctior vita defendit, præcipimus temperari.*

Præterea in l. 1. C. de Epiſcop. & Clericis notanda ſunt illa verba: *Nullus nouis collationibus vos obligabit, ſed vacatione gaudebitis.* 7. Vbi Gloſſa addit, *ſordidorũ munerum.* *Gloſſa.* Item aliud exemplum huius exemptionis ibi additur, cum dicitur: *Neque hoſpites ſuſciepietis*, quod continet ſpeciale priuilegium, vt ibi latê Gloſſa notat, & in l. 2. eadem immunitas generaliter traditur, & diſtinctiûs in l. *Placet.* D 17. eodem tit. *Placet, vt nihil commune clerici cum publicis actionibus, vel ad curiã pertinentibus, cuius corpori non ſunt annexi, habeant.* Et in l. *Generaliter*, eodem tit. ſpecialiter eximuntur â tutelis, & curis pupillorum, & additur, tale beneficium illis fieri, qui non ſunt diuagantes, neq; circa diuina miniſteria deſides, *Cùm propter hoc* (inquit) *ipſum beneficium eis indulgeamus, vt alij omnibus derelictis, Dei omnipotentis miniſterijs inhæreant.* Et idem priuilegium habetur in l. *Placet.* C. de

Sacro

Sacroſanct. Eccleſ. & ſumitur à ſimili ex l. *Sancimus* eodem tit. vbi notāda ſunt illa verba: *Cur non facimus diſcrimen inter res diuinas, & humanas, & quare non competens prærogatiua cæleſti fauore conſeruetur.*

8. Ex iure canonico confirmatur aſſertio. Cap. *Peruenit*, de *Immunit. Eccleſiar.*

In iure autem Canonico non ſolum is modus exemptionis approbatur, & recipitur, toto tit. de Immunit. Eccleſ. ſed etiam obſeruari mandatur in toto tit. *Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotijs ſe immiſceant.* Et per locum ab ſpeciali ſumi poteſt ex cap. *Peruenit* de Immunit. Eccleſiar. vbi dicitur in tempore neceſsitatis nullum clericum eſſe excuſandum à murorum vigilijs, ſed ad hoc generaliter poſſe compelli, *vt cunctis vigilantibus, melius valeat ciuitatis cuſtodia procurari.* Imò tunc etiam requiritur, vt id fiat, Epiſcopo approbante, & vt, ſi neceſſaria ſit coactio, per eundem fiat iuxta ea, quæ capite ſequenti notabimus. Duo ergo ſunt in hoc genere exemptionis diſtinguenda, vnum eſt, vt non poſſint clerici cogi, aut obligari ad hæc munera ſubeunda; aliud eſt, prohibere, & cũ neceſsitate obligare, ne illa exerceãt. Primum fieri poteſt non tantùm per leges canonicas, ſed etiam per ciuiles, quia in hoc non exercent iuriſdictionem circa clericos, neque vtuntur vi coactiua, aut directiua propria, ſed concedunt priuilegium, quod nõ ſemper ſpectat ad iuriſdictionem, ſed ad liberalitatem, vt ſuprâ dixi. Quanquam ſi res attentê conſideretur, ſuppoſito priuilegio fori, prædictæ leges magis loquũtur cũ miniſtris ſecularibus, quàm cum clericis, magiſq; declarãt, quid illi agere teneantur, quàm aliquid de nouo clericis concedant. Nã cûm clerici à iuriſdictione laicorũ exẽpti ſint, non poſſunt leges, vel Magiſtratus ſeculares clericos cogere, vt hæc onera ſubeant, vel vt ab his, vel illis muneribus abſtineant. At verô lex Canonica vtrunq; facere poteſt, & facit: nam efficaciter eximit clericos à muneribus prophanis, vel ſecularibus prohibendo, & cogendo, ſi opus ſit, laicos, ne ad illa ſubeunda clericos compellant, & ipſos etiam clericos obligando, vt ab illis abſtineant, vtriſque enim præcipere poteſt in ordine ad ſpiritualem finem, vt ſæpe dictum eſt.

A Ex quibus etiam facilè intelligitur, exemptionem clericorum quoad hanc partem, ſeu materiam ex iure diuino naturali ſequi, in multis quidem neceſſaria illatione, in aliquibus autẽ valde propinqua quæ iure Eccleſiaſtico determinantur. Declaratur breuiter, nam clerici ex vi ſui ſtatus deſtinati ſunt diuinis obſequijs, quibus duplici titulo repugnare poſſunt ſecularia munera. Primo quia nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, ideoq; non poſſunt clerici ſecularibus negotijs implicari, quin à diuinis obſequijs auocẽtur. ſecundò, quia ſancta ſanctè, & cum honore, ac reuerentia tractãda ſunt, clerici autem per ordinationem, & deputationem ad diuinum cultum peculiarem ſanctificationem acquirunt, & ideo vt ſanctè, & honorificê tractentur, neceſſe eſt, vt ab his ſecularibus, aut vilioribus muneribus ſint exẽpti. Vnde ſicut ſuprà de rebus ſacris dicebamus, ita de perſonis ſacris nũc dicimus, ex natura rei ſequi, vt in abſtractione â ſordidis muneribus ſingularem prærogatiuam habeant. 9. Ex diuino iure aſſertio oſtenditur.

B

C Inter hæc autẽ munera quædã ſunt, quæ manifeſtè derogant ſanctitati perſonarũ, vel Eccleſiaſtica munera impediũt & quoad hæc neceſſarió ſequitur hæc exemptio ex vi iuris naturalis. Imo ſæpe non ſolũ ſequitur exẽptio, ſed etiã prohibitio, vt quando munera ſunt vel nimis prophana, de quibus maxime dicit Paulus. 2. ad Timot. 2. *Nemo militãs Deo implicat ſe negotijs ſecularibus.* Alia verò ſũt munera, in quibus nõ ſtatim apparet tãta deformitas, vt eſt v. g. tutela, vel cura pupillorũ, honeſtã, & moderatã, vel neceſſariã artẽ exercere, & ſimilia. Atq; in his determinari poteſt exẽptio per ius canonicũ. Quod interdũ fit prohibendo talia munera; aliquãdo verò ſolũ cõcedendo, ne clerici aliqua huiuſmodi munera acceptare teneãtur. Et hoc poſterius etiã iure ciuili fit, ſic enim clericus exẽptus eſt à tutela, in Authẽtica *Presbyteros* ſub l. 41. C. de Epiſc. & Cleric. & nihilominus poſſunt eã acceptare, ſi velint, vt ibi notat Gloſſa. & alia Gloſſa in cap. *Irreligioſo*. d. 87. Et ſimiliter licèt clerici nõ cogãtur teſtificari corã iudice ſeculari, nihilominus in aliquibus cauſis id facere poſſunt, & ita de alijs ſimilibus. 10. 2. *Timot.* 2 *Authent. Presbyt. Gloſſa.*

D

Dico

11. Clerici vti iuribus omnibus ciuilibus cõmunibus priuari nequeunt. Bartho.

Dico tertio, Ad hanc libertatem, ſeu exemptionem clericorum pertinere, vt iuribus, commoditatibus, aut alijs rebus omnibus ciuibus communibus non priuentur. Hanc aſſertionem ſumo ex doctrina Bartholi in Authentica *Caſſa*.C.de Sacroſanct. Eccleſ. vbi dixit, leges ciuiles, per quas Clerici timidiores fiunt, cõtra libertatem Eccleſiaſticam eſſe, etiam ſi tales leges cum ipſis clericis non loquãtur. Idem tradit in l.1. §. *Quæ honorandæ*. ff. *Quarum rerum actio non detur*, eamque doctrinam cõmuniter ſequuntur Canoniſtę in cap. *Nouerit*, de Sententia excõmunic. præcipuè Panormit. & Felin, & in capite vlt. de Immunit. Eccleſiar. in 6. vbi ſpecialiter videri poteſt Ancharran[9], & in repetit. capitis. 1. de Conſtitut. & Cardinalis in Repetit. Capituli *Perpendimus*, de Sentent. excommunicat. §. *Et ſpecialiter quæro*. Quid autẽ ſit, Clericos fieri timidiores, nõ ſatis perſpicuè à dictis authoribus explicatur, cùm tamen poſsit, & nimis amplè, & nimis reſtrictè intelligi.

Panormit. Felin. Anchar. Card.

12. Clerici non reddantur timidiores, quoties ex legibus ciuilibus aliquod onus in eos reſultat.

Nimis ampla erit explicatio, ſiquis exiſtimet, quoties laici aliquid faciunt, vel ſtatuũt, ex quo redũdat aliquod on[9], vel incommoditas clericorum, totiès fieri contra exemptionem, ſeu immunitatem eorum, quod interdum inſinuant Canoniſtæ in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. & in cap. 1. de Noui operis nunciat. Sed illud non eſt indiſtinctè verum, nam quando grauamen illud, vel præiudicium generale eſt, & in vtramq; partem poteſt euenire, interdum in grauamen, & interdum in commodum, tũc ſi diſpoſitio generalis eſt pro tota ciuitate, & in re ad cõmune bonum eius ſpectante, non poteſt dici imponi clericis grauamen contra libertatem eorũ, quia nihil tunc fit contra eorũ priuilegia, neq; contra naturalem iuſtitiam. Item quia omnes ferè leges humanæ hoc habent, vt licèt cõmunitati, & regulariter omnibus vtiles ſint, interdum in alicuius pręiudicium, vel grauamen redundent, neq; propterea cenſentur iniuſtę, vel nociuæ: tũ quia bono cõmuni intendunt, & propter illud iuſtè permittunt priuatum incõmodum: tum etiam quia licèt in vna occaſione, vel tempore videantur grauamẽ inferre, in alijs iuuant, & afferunt commodũ, & ita vnum ex alio compenſatur.

A

13. Leges in materia cõmuni & in generali loquẽtes immunitati clericorũ non derogãt.

Tales ergo leges, ſi diſponant in materia communi omnibus ciuibus, & in generali loquantur, non erunt contra clericorum libertatem, nec verè dici poſſũt eis grauamen imponere, imò ab illis obſeruandæ erunt eo modo, quo canones diſponunt, quo vè ſuprà diximus, teneri clericos ad ſeruandas leges ciuiles iuſtas, & politicas ſuo ſtatui non repugnantes. Atque hæc explicatio, & ſententia communis eſt expoſitorum in cap. 1. de Noui oper. nunciat. ex quo textu hoc ipſũ probatur. Idem habent Felinus, & alij in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. & eandem doctrinam ſupponunt plures Doctores, quos refert Tiraquel. in legibus connubialibus gloſſ. 8. q. 17. nu. 169. & ſequentib. & de vtroque retractu p. 1. §. 1. gloſſ. 13. nu. 5. Idem ſentiunt Caietan. verb. *Excommunicatio*. cap. 31. & Nauarr. in Sum. cap. 27. nu. 120. quatenus dicunt, legem ciuilem moderantem funeralem pompam quantum ad honorem humanum, prout eſſe poteſt materia talis legis, non eſſe contra libertatem Clericorum, etiam ſi fortaſſe aliquod grauamen inde ſentiant, quia lucrum eorum aliqua ex parte impeditur, quia hoc eſt accidentarium, & aliunde poteſt compenſari

B Felinus. Tiraquel. Caietan. Nauar.

C

14. Quãdo clérici per ciuiles leges timidiores fiant.

Nimis verò ſtrictè intelliget doctrinam illam, qui exiſtimauerit, tantùm fieri timidiorem clericum, quãdo ex facto Principis ſecularis, vel ex illius lege, ac diſpoſitione laici aſſumere poſſunt licentiam nocendi, vel affligẽdi clericos, quia hoc vidẽtur in proprietate, & rigore illa verba ſignificare, *timidiores fieri*. Nam licèt verum ſit, hunc modum grauandi clericos eſſe contra immunitatem eorum, tamen & magna ex parte pertinere poteſt ad violationẽ priuilegij canonis potiùs, quàm fori, ſi clerici timidiores fiãt, ne violẽtæ manus ſuis perſonis inijciantur iuxta doctrinã Baldi in Auth. *Caſſa*, C. de Sacroſan. Eccleſ. quæſt. 3. nu. 4. Et quatenus ſpectare hoc poteſt ad priuilegium fori, non adæquat illud, quia multis alijs modis poſſunt grauari clerici, & timidiores fieri, etiam ſi eis non inferatur metus alicuius nocumenti, vel læſionis, quę ſibi à laicis fieri poſsit, vt ſtatim patebit.

D Baldus.

Imò

15. Imò neq; ſatis explicatur hic effectus eo modo, quo Caietanus, & Nauarr. ſupra illum explicare videntur, dicentes, tunc legem violare immunitatem clerici quando aliquo modo grauat illum contra ſpeciale priuilegium illi conceſſum, quia clericus, vel quia perſona Eccleſiaſtica eſt, non verò ſi grauet illum, quatenus ciuis, vel homo eſt. Quibus videtur fauere Innocentius in cap. *Nouerit*, de Sent. excõmunic. quatenus dicit illa eſſe propriè contra immunitatem Eccleſiaſticam, quæ ſunt contra priuilegia Eccleſiæ conceſſa. Quod etiam videtur ſentire Baldus in dicta Authentica *Caſſa*. q. 2. nu. 3. & Lapus allegat. 92. ſub tit. *An conſtitutio ſit contra libertatem Eccleſiæ*. Quia licet verum ſit, hoc modo grauari clericũ contra ſuam immunitatem, non eſt tamẽ verum, hoc ſolum ſignificari per illa verba *timidiores fieri*, quia non tantùm grauãtur clerici contra ſuam immunitatẽ, quãdo grauantur contra priuilegia, quæ habent vt clerici ſunt, ſed etiam quãdo ſpecialiter grauantur vt ciues ſunt, id eſt cõtra iura, quę illis competunt, quia ciues ſunt, ideſt, quę omnibus ciuibus ſunt cõmunia, ſiue iure gentium, ſiue ciuili, ſeu poſitiuo clericis debeantur, ideòque ſi in illis grauentur ſolùm quia clerici ſunt, contra libertatem Eccleſiaſticam cõmittitur, vt ex ſequentibus patebit.

Innocent.
Bald.
Lapus.

16. Dico ergo, doctrinam illam Bartholi explicandam eſſe iuxta tertiam aſſertionem propoſitam. Quotieſcũq; enim per ſtatutum, ſeu legem, aut mandatum, aut vim laicorum clerici priuãtur illis rebus, quę iure naturali, gentiũ, vel ciuili cõmunia ſũt ciuibus, eo ipſo, quod ſunt mẽbra talis cõmunitatis, grauantur cõtra Eccleſiaſticam libertatem, & tunc dicuntur fieri timidiores, quia illo modo auertuntur homines à ſtatu clericali, quando vident, ita clericos tractari à laicis, eo quòd clerici ſint. Vel etiam dici poſſunt timidiores fieri, quia non ſinuntur liberè vti, & frui iuribus, ſeu rebus cõmunibus cęteris ciuibus, etiam ſi ſtatui clericali non repugnent. Et hæc ſententia ſic explicata cõmunis eſt authorum, quos pro concluſione allegaui. Idem ſentiunt Ioann. Andr. & alij in cap. vlt. de Immunit. Eccleſiar. in 6. & Panormit. in lib. 1. conſ. 26. melius in 83. Idẽ ſentit Felin. in cap. A *Nouerit*, de Sentent. excõmunicat. in 6. nu. 2. Vbi addit, non aliter ſentire Innocentium, quàm ſenſerit Bartholus, quia ea quæ competunt ex iure cõmuni, fortiora ſunt, quàm quæ ex priuilegio.

Per leges priuantes clericos rebus iure naturæ, vel ciuili cõmunibus, timidiores ipſi reddũtur.

Ioã. Andr.
Panormit.

Addo etiam Innocentium non tantũ fuiſſe loquutum de priuilegio Papę, vel Imperatoris, ſed etiã Dei, expreſsè enim numerat ibi multa priuilegia à Deo Eccleſiæ conceſſa, & poſtea cõncludit, quid quid eſt contra priuilegium à Deo, Papa, vel Imperatore Eccleſiæ datum, eſſe cõtra immunitatem. Nomine autem priuilegij non intelligitur tantùm illud, quod B eſt pręter legem vniuerſalem tanquam exceptio ab illa, ſed etiam omne id, quod conuenit vel Eccleſiæ, vel clericis ex vi iuris diuini, ſiue poſitiui, ſiue naturalis ſuppoſita tali inſtitutione Eccleſiaſticæ Monarchię, & Hierarchiæ. Multæ enim prærogatiuę Eccleſiæ, quas inter hęc priuilegia numerant Innocentius, Panormitan. & alij, non aliter conueniunt Eccleſię, quàm ex iure diuino poſitiuo, vel naturali, licèt ſupponant aliquam diuinã inſtitutionem. Et in ſuperioribus oſtenſum eſt, exemptionẽ Eccleſiaſticam ex genere ſuo ad hoc ius diuinum pertinere, & multa, quę ſub hac exceptione cõti- C nentur eſſe immediatè ab hoc iure, licèt aliqua fortaſſe per Eccleſiam, vel Imperatores addita, vel aucta ſint. 17.

18. Adhunc ergo modum dicimus, ad immunitatem clericorum pertinere, vt per poteſtatem laicorum non fiant peioris conditionis, etiam in his cõmodis temporalibus, quę cõmunia ſunt omnibus ciuibus. Exemplum optimũ eſt in cap. vlt. de Immunit. Eccleſiar. in 6. vbi contra Eccleſiaſticã libertatem committere dicuntur temporales Domini, *Qui ſuis ſubditis, ne perſonis Eccleſiaſticis quidquam vẽ-* D *dant, aut emant aliquid ab ipſis, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibeant, interdicunt*. Hæc enim omnia non ſunt contra ſpecialia priuilegia clericorum, vel vt clerici ſunt, ſed cõtra communem ſocietatem ciuilem, & nihilominus contra Eccleſiaſticam libertatem iudicantur & vt talia prohibentur, & puniuntur. Reſpondet tamen Caietanus, ibi non dici, interdicta illa, ſeu ſtatuta eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, ſed præſumi. Verũtamen de ſenſu illius verbi

Leges alimentes clericis res aliis ciuibus communes libertati Eccleſiaſticæ repugnãt.
Cap. vlt. de Immunit. Eccleſ.
Euaſio.

verbi, *Præſumantur*, infra cap. 32. dicendum eſt, nunc breuiter dico, qualiſcunq; illa præſumptio cogitetur, vt vera, & fũdata eſſe poſsit, neceſſariũ eſt, vt ſupponat verũ, & propriũ obiectum criminis contra libertatem Eccleſiaſticam. Ergo ſupponit illa præſumptio, eſſe contra libertatem Eccleſiaſticã, priuare clericum cõmuni iure ciuilis ſocietatis, etiã ſi id nõ fiat exercẽdo iuriſdictionem in clericũ, ſed per alium quencumque modum.

19. Ratio autem eſt, quia licèt talia iura cõmunia ciuibus, non debeantur clericis, quia clerici ſunt, debentur tamen ipſis vt ciuibus, etiam ſi ſtatum diuerſum à laicis habeant, imò quia clerici ſunt, ideo illis nouo, & maiori titulo debetur, ne his cõmunibus iuribus priuẽtur, quia propter ſtatũ clericalem nõ amittunt iura cõmunia ciuium, & alioqui ratione ſtatus maiori honore, & reuerentia digni ſunt; ergo ad immunitatẽ naturali iure debitam clericis, pertinet, vt his iuribus non priuẽtur. Optimèq; iuuatur hæc ratio verbis Arcadij, & Honorij Imperatorum in l. 19. C. de Epiſcop. & Clericis, *Omnibus, qui Eccleſijs ſeruiunt, tuitio deferatur, quia temporibus noſtris addi potius reuerentiæ cupimus, quàm ex his, quæ olim præſtita ſunt immutari.* Et ideo in l. 31. Sacrilegũ appellant, *qui ſacerdotibus, & miniſtris Eccleſiæ aliquid importat iniuriæ*, illudq; crimen æquiparant cũ iniuria loco, vel cultui ſacro facta.

Prima confirmatio. Et cõfirmatur, quia per huiuſmodi actiones, vel diſpoſitiones laicorũ vileſcit multum clericalis ſtatus, & irreuerenter tractatur, & cõſequenter clerici timidiores fiunt, & alij ab illo ſtatu ſuſcipiendo auertentur, cùm videant, ea, quę iure gentium cæteris ciuibus cõmunia ſunt, ipſis denegari; ergo illa omnia ſunt cõtra Eccleſiaſticã immunitatem.

20. Secunda. Confirmatur tandem, quia huiuſmodi grauamina clericorum ordinariè procedunt ex odio aliquo ipſius ſtatus clericalis, non quidem propter ordines, vel miniſteria eorum (hæc enim non niſi hę retici, vel alij infideles abominantur) ſed propter exẽptiones, & libertates, quibus in eo ſtatu gaudent, & præſertim, quia ab oneribus cõmunibus eximũtur quod in aliquod laicorũ grauamen ſolet redundare, & ideo interdum cupiunt, à ſuis communibus commodis clericos excludere; ergo eo ipſo læduntur priuilegia clericorũ, nam & fiunt odioſa, & per quandam recõpenſationem fiunt infructuoſa, quia occaſione illorũ clerici ęqualibus, aut maioribus bonis priuãtur. Atq; ita talia grauamina dici poſſunt imponi clericis, vt clerici ſunt, quia licèt formaliter non cõſiſtant in priuatione alicuius rei debitæ clerico, vt clericus eſt; nihilominus fiunt in odium, vel cum iniuria, vel contemptu clericatus, quod ſatis eſt, vt propriam violationẽ immunitatis cõtineant. Et ita fundamẽto contrariæ ſententiæ ſufficienter reſponſum eſt.

CAPVT XXIII.

Vtrum redditus Eccleſiaſtici clericorum à tributis exempti ſint.

Licèt de Eccleſiaſticis bonis multa in ſuperioribus dicta ſint, quia tamen certũ non eſt, bona clericorũ eodem iure cenſeri, quo bona Eccleſiarũ, ideo de illis in particulari dicere neceſſariũ eſt. 1. Duo autẽ genera taliũ bonorũ diſtinguũtur à D. Thom. quodlib. 6. ar. 12. quędã quæ clerici lucrantur ex bonis Eccleſię, vt ex decimis, vel prędijs Eccleſiaſticis, ſeu ex beneficijs ſuis, quæ propter officiũ dantur; alia ſunt, quæ vel à parẽtibus hæreditarunt, aut ſua induſtria, vel arte cõpararunt. Priora vocat D. Thom. Eccleſiaſtica, vtiq; lato modo; nos ad tollendã æquiuocationẽ clericalia vocabimus alia verò patrimonialia, ſeu ſecularia vocantur. His addit tertiũ membrum Nauar. tract. de Redditib. Eccleſiaſticis, q. 1. monito. 19. nimirũ, eorum bonorum, quæ per actiones ſpirituales tanquã ſtipendia illarum à clericis cõparantur, non iure, aut titulo alicuius beneficij, ſed ſolo titulo actualis, & quaſi mercenarij operis, vt ſunt ſtipendia Miſſarum, & ſimilia. Meritò tamen addit idem Nauarus, hæc ad patrimonialia reduci, quia & de temporalibus bonis laicorum immediatè illa lucrantur, & non ex bonis ſuorum beneficiorum, & ſine vlla conditione tacita, vel expreſſa dominium temporale talium bonorũ conſequuntur, poſtquã ſuũ miniſterium implent, ac deniq; quia ſuo labore, & induſtria, vel actione illa comparant, eſtque valde extrinſecum, & accidentarium ad qualitatẽ talium bonorum

Marginalia: Refellitur ... — Prima confirmatio. — Secunda. — Bona Clericorum duplicia. — D. Thom. — Nauarr. — Stipẽdia clericorũ propter actiones ſacras cõparata ad bona patrimonialia reducuntur.

norum, quòd actio illa ſpiritualis, vel omnino materialis ſit. Quanquã verò hoc ita ſit in ordine ad alios effectus, vel obligationes clericorum, de quibus nunc non tractamus, nihilominꝰ in ordine ad exēptionē à tributis nōnulla maior ratio in his vltimis bonis ſpectari poteſt, vt videbimꝰ

2. *Prima Concluſio.* Primo ergo certũ eſt, bona primi generis, ſeu Eccleſiaſtica clericorũ exēpta eſſe ab omnibus tributis ſiue realibus, ſiue miſtis. Concluſio eſt certa, & cõmunis omniũ catholicorum, habetur enim expreſsè in iure canonico in cap. *Non minus*, ibi, *De bonis Eccleſiarum, & clericorũ, & pauperum Chriſti vſibus deputatis.* Et clariùs in cap. *Aduerſus*, ibi *Qui Eccleſias, & Eccleſiaſticos viros talijs, ſeu collectis, &c.* vbi ſermo eſt de tributis, quæ imponuntur ratione bonorũ, & diſtinctè eximuntur nō tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ perſonę. Et in cap. *Clericis*. de immunit. Eccleſiar. in 6. expreſsè, & latè talia tributa prohibentur, & licèt cap. illud per Clementinam vnic. de immunit. Eccleſiar. reuocatũ ſit quoad pęnas, nō verò quoad ipſam exemptionē, ſed potius cōfirmatur, & latiùs in Concil. Lateran. ſub Leone. X. ſeſſ. 9. in Reformationibus curiæ. §. *Et cũ à iure*, præter alia antiquiora, quę in ſuperioribꝰ allegata ſunt, quę omnia renouat Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat.

Cap. Non minus. Cap. Aduerſus. Cap. Clericis, de Immunit. Eccleſ. in 6. Cōc. Late. Cōc. Trid.

3. *Lex. Item nulla. C. de Epiſco. & cleric.* Deinde in iure ciuili habetur expreſſè hoc priuilegiũ in conſtitut. Friderici Imperatoris l. ſeu Authēt. *Item nulla.* C. de Epiſcop. & Cleric. vbi prohibet collectas, vel exactiones imponere Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis. Et ex antiquioribus legibus colligi poteſt hoc priuilegiũ ex l. 10. de Epiſcopis, & clericis. in C. Theodoſiano, vbi Cōſtantius, & Cōſtans de clericis dicunt, *Negotiatorum diſpendijs minime obligentur*, id eſt, tributa, quæ negotiatoribus imponuntur, ſoluere nō cogantur, & addunt rationē: *Cum certum ſit, quæſtus, quos ex tabernaculis, atq; ergaſterijs colligunt, pauperibus profuturos*, & in l. 14. dicit Iulianus: *omnis à clericis indebitæ conuentionis iniuria, & iniquæ exactionis repellatur improbitas*, & in l. 1. de Luſtrali collat. eodē Cod. excipiũtur clerici à quodã tributo, quod luſtralis collat. dicebat.

4. Ratio autē huius partis reddi poteſt, vel generalis ad omnia bona clericorũ, & de hac dicemus in cap. ſequenti, vel ſpecialis, quia hęc bona, de quibus tractamus inter res ſacras numerãtur à D. Thom. 2. 2. q. 99. ar. 3. & ideo vel natura ſua exempta ſunt à tributis, vel ſaltē cũ cæteris bonis Eccleſiaſticis intelligũtur exēpta. Et confirmatur hæc ratio, quia rapere, ſeu furari huiuſmodi bona clericorũ eſt ſacrilegiũ, quod non ſolum de his bonis, ſed etiã de quibuſcũq; alijs non nulli tradiderunt, vt infrà referam, de his autē eſt multò veriſimilius propter dictam rationem, quòd hæc bona cenſentur ſacra; ergo eadem ratione eſſe debēt à tributis exempta.

Ratio concluſionis. D. Thom. Confirmatio.

5. *Expeditur ratio pro concluſione facta.* Hæc autē ratio nō videtur ſolida. Nã hæc bona conſiderari poſſunt, vel priùs quàm applicentur ipſis clericis, & fiant propria eorũ; vel poſtquàm iam ad illorũ dominiũ tranſierunt. Priori modo rectè quidem probat ratio dicta, illa bona eſſe ſacra, & exempta à tributis: nō tamē aliquid probat de bonis clericorũ, quia illa bona in tali ſtatu ſpectata, nō ſunt clericorũ, ſed Eccleſię, ſeu Dei. Alio modo poſſunt illa bona conſiderari, quatenus à clericis acquirũtur. Et hęc ipſa cōſideratio ſubdiuidi poteſt: nã loqui poſſumus vel de acquiſitione ipſa taliũ bonorũ, vel de ipſis bonis iã integrè, & ſine diminutione tributi acquiſitis. Et in priori quidē ex his duobus modis rectè etiãprobatur, nō eſſe talia bona capacia tributorũ ſecularium, id eſt, nō poſſe clerico imponi tributũ ſoluendũ ex redditibus ſui beneficij, ſeu ex quibuſcũq; bonis Eccleſiaſticis. Tũ quia ſi tale tributũ imponatur perſonæ, eſt cōtra exēptionē, quã talis perſona habet poteſtate iudicis ſecularis. Si verò imponatur rei ſiuè fructibus eius, ſic imponitur bonis Eccleſiaſticis, quia impoſitio pręcedit, priuſquã talia bona clerico acquirantur, & tunc adhuc Eccleſiaſtica ſunt, & ita fit contra talium bonorum immunitatem.

6. Si verò tale rributũ intelligatur imponi ſuper ipſãmet actionē lucrãdi tales redditus, vel ſtipēdia, etiã eſt cōtra immunitatē, quia illa actio ſpiritualis eſt, & omnino extra forũ poteſtatis ſecularis, & ideo non eſt capax tributi. Item, quia illud lucrum non eſt per modum mercaturæ, aut ciuilis contractus, ſed eſt per modum ſtipendij annexi miniſterio ſpiri-

ſpirituali, & ideo ſequitur naturā, & forū ſui principalis, ſolûmq́; ab ſpirituali poteſtate minui poteſt, ideóq́; iure canonico ſtatutū eſt, vt beneficia ſine diminutione conferantur. Quoad hanc ergo partē, & vſq; ad prædictū ſtatum talium bonorū rectè probatur illa ratione, non poſſe clericis imponi tributa de talibus bonis. Et hoc modo videtur intelligi ſtatutū Concilij Vormatienſis, quod refertur in ca. *Sancitū*. 23. q. 8. & in cap. 1. Extra de Cēſib. vbi dicitur: *Presbyteri in Eccleſijs conſtituti non de decimis, neque de oblationibus fideliū aliquod ſeruitium faciāt præter Eccleſiaſticum.*

Cap. Sancitū. 23. q. 8. Cap. 1. Extra de Cenſib.

7. An redditus Eccleſiaſtici, in clericos trāſlati tributis ſubiaceant.

At verò ſi talia bona conſiderentur vt iam ſunt facta propria clericorum, non videtur illa ratione probari, eſſe incapacia tributorū ſecularium. Probatur, quia iam illa bona re vera non ſunt ſacra, neque in vlla ſpecie talium bonorum à D. Thoma numerantur, ſi attentè legatur; nam in vltima ſpecie ponit bona, quæ ſunt deputata ad ſuſtentationem miniſtrorum, ſiue *mobilia ſint, ſiue immobilia.* Aliud autē eſt eſſe deputata, aliud verò eſſe iam miniſtrorū facta, nam primū habent, quandiu ſunt cōmunia, & ſub poteſtate Eccleſiæ, ac ſpeciali dominio Dei: poſtquàm verò perſonis clericorū diuiduntur, & applicantur, ſtatū mutant, & ſacra eſſe deſinunt, quia reſpectū illum peculiarē ad Deum, & annexionē ad ſpiritualē titulum amittunt. Cuius ſignum eſt, quia in quoslibet vſus conuerti poſſunt, & quia poſſunt donari laicis propria authoritate priuati clerici, cuiꝰ ſunt; & propter cauſam, vel rationē temporalē. Deniq; quia bona illa in ſe ſpectata tēporalia ſūt, & dominiū, quod clericus de illis acquirit, tēporale eſt, quod autē acquiſitio fuerit media actione, vel iure ſpirituali, non refert, quia reſpectus ille trāſit, & non manet. Sicut quando ex bonis Eccleſiæ datur pauperi eleemoſyna, eo ipſo, quòd pauper illa acquirit, incipit pars illa eſſe merè temporalis; ita ergo eſſe videtur in his bonis clericorum. Igitur in ordine ad tributa eadem ratio erit de illis, quæ de alijs bonis patrimonialibus clericorum.

8. Aduerto tamen, punctum hoc pendere ex alia celebri cōtrouerſia de redditibus Eccleſiaſticis, an clerici poſtquā illos A recipiunt titulo ſui beneficij, illorū verum, & propriū dominiū conſequantur, ita vt de illis poſsint liberè diſponere, quantū ſpectat ad obligationē iuſtitiæ, vel ſemper maneant diſpenſatores eorū bonorū, vt ex illis inprimis congruè alātur, & deinde cætera in pia opera diſpēſent. Qui enim hoc poſterius cēſent, vt Nauarr. & alij, cōſequenter dicere poſſunt, & debēt, illa bona ſemper eſſe ſacra, quia ſemper manent ſub dominio Dei, ac ſubinde æquiparari Eccleſiaſticis bonis, quia re vera ſemper manēt Eccleſiaſtica. B Vnde iuxta hāc ſententiā per applicationē talium bonorum ad hanc, vel illā perſonam clerici, non mutatur eorū ſtatus quoad dominiū propriū Dei, nec quoad generalē finem, ad quem bona Eccleſiſtica ſunt deſtinata, ſed ſolum mutatur facultas proxima diſpēſandi illa. Nā antequā clericus illa acquirat peculiari titulo, facultas diſpenſandi illa, eſt in paſtoribus Eccleſiæ, vel in cōmunitate, aut miniſtris eius, poſtquā verò beneficiatus illa acquirit, illi cōmittitur propria facultas ea diſpēſandi ſua authoritate, ſemper tamen vt Eccleſiaſtica, & vt fidelis diſpenſator, & prudens. C Et conſequenter etiā in hac opinione ſatis probabile eſt, raptorem talium bonorum etiam de poteſtate clerici, eſſe ſacrilegū, non ratione perſonæ, à qua furatur, nec ratione loci, vnde furatur, ſed ratione ipſorū bonorū, quia ſacra ſunt. Ac tandē iuxta eandē ſententiam, ſatis conſequēter dicitur, talia bona clericorum eſſe à tributis exēpta non ſolûm ratione perſonæ, ſed ratione ſui, quia ſacra ſunt, & pijs vſibus ſemper deſtinata, & quidquid ex illis per tributū detraheretur, non tā clerico, quā pijs vſibus minueretur. Atq́; de his maximè clericorū bonis, D & cum eodem fundamento procedere poteſt eorū ſententia, qui dicunt, bona clericorū æquiparari bonis Eccleſiaſticis in omni exēptione, præſertim à tributis, vt videre licet in Gloſſa 2. in cap. *Eccleſia ſanctæ Mariæ* de Conſtitut. & ibi Decius. n. 18. & alijs, quos refert Couarruui. lib. 1. Variar. cap. 4. n. 2. & 3. At verò ſi contrariā ſentētiā ſupponamus, nimirum, clericos beneficiatos acquirere proprium dominium illius portionis, ſeu partis redituum ſuorum beneficiorum,

Quid dicendum, ſi clerici nō ſunt taliū reddituum domini.

Nauarr.

Raptor bonorū alicuius clerici an ſacrilegū committeret.

Gloſſa. Decius. Couarr.

9. Vera reſolutio.

quæ illis in ſtipendium datur: conſequẽter profectô dicendum eſt, idem eſſe iudicium de illis bonis, quod de alijs patrimonialibus clericorũ quoad exemptionem â tributis. Hoc enim ſufficienter probant rationes factæ, illo fundamento ſuppoſito, quia per illam particularis dominij acquiſitionem transferuntur bona illa à ſuperiori ordine ad inferiorem, ſicut quando dantur laicis miniſtrantibus Eccleſiæ in ſtipendium laboris ſui, ſeu miniſterij temporalis, vel quando dantur clericis propter actiones communes laicis, vt docendi, canendi &c.. Nam æquê mutatur dominium, & conſequenter ſtatus talium bonorum. Quod autem id fiat in ſtipendium ſpiritualis, vel corporalis actionis, accidentarium eſt, & non mutat cõditionem bonorum, quam in inferiori ſtatu conſequuta ſunt. Hæc autem ſententia de dominio clericorum circa hæc bona hodie magis recepta eſt, & probabilior cenſetur, & ſine dubio fuit opinio D. Thomæ dicto quodlib. 6. art. 12. ad 3. & ideo etiam in præſenti ſupponimus, quoad tributa, & exẽptiones eandem eſſe rationem de his bonis, quæ de patrimonialibus clericorum.

10. *Quid de bonis quaſi patrimonialibus clericorum.*

Vnde â fortiori conſtat, idem eſſe dicendum de bonis, quæ Nauarrus quaſi patrimonialia vocat, illa enim partim cõueniunt, partim differunt à præcedentibus. Conueniũt quidem quoadmodum acquirendi, ſeu lucrandi illa per actionẽ, ſeu miniſteriũ ſpirituale, & ideo exiſtimo etiam in hoc conuenire, quod acquiſitio talium bonorum, eſt de ſe à tributis immunis, ideoq; etiam illa bona, vt ſunt ſtipendia talium miniſteriorum, ſunt natura ſua â tributis exẽpta. Militat enim eadem ratio ſuprâ facta, nimirum, quòd illa actio eſt ſpiritualis, & ideo iure diuino exẽpta à iuriſdictione ciuili; ergo etiã ſtipẽdiũ, quod ratione illius datur, & eſt quaſi acceſſorium illi, debet eſſe eodem modo exemptũ, vt non poſſit per impoſitionem ſecularis tributi diminui. Item hæc lucra natura ſuâ ſunt ſubiecta poteſtati ſpirituali, ad quã pertinet illa taxare, moderari, vel augere; imò & Pontifex poſſet ſuper illa, ſi eſſent copioſa, pro pauperibus, vel ſumptibus Eccleſiæ aliquod tributũ imponere; ergo ratio poſtulat, vt ab impoſitionibus laicorum ſint

A exẽpta, quia non debent duplici onere prægrauari. Differunt autẽ hæc bona à proprijs Eccleſiaſticis redditibus, quia non manant ex proprijs Eccleſiaſticis bonis, neq; ex titulo ſpirituali alicuius Eccleſiaſtici beneficij, ſed ex quibuſcũq; bonis temporalibus per modum mercenarij ſtipendij interueniente humana conuentione, ſecluſa imperfectione dandi vnam rem pro alia, ſed conſiderando ſolum rationem debitæ ſuſtentationis. Ex hac autẽ differẽtia, quæ in facto ipſo notoria eſt, ſequitur alia, nimirũ, de his

B poſterioribus lucris in omni opinione probabili certũ eſſe, clericos acquirere propriũ, ac temporale dominiũ talium bonorum, poſſeque de illis prout voluerint, ſalua iuſtitia, diſponere, vt etiã Nauarr. loco ſuprâ citato fatetur. Et ideo etiam quoad tributa eſt ſimiliter certũ, eandem eſſe rationem de his bonis iã acquiſitis in facto eſſe, vt ſic dicã, quæ de patrimonialib⁹, de quib⁹ dicẽdũ ſupereſt.

CAPVT. XXIIII.

Vtrũ Patrimonialia, & in vniuerſũ bona tẽporalia clericorum ſub cõmunibus legibus ſecularium tributorum comprehendantur.

C

RAtio dubitandi ſumi poteſt primò ex cap. *Magnũ.* 11. q. 1. quod eſt Ambroſij lib. 4. in Luc. circa illa verba, *Et ſedens docebat de nauicula turbas*, vbi attingens locum Matt. 17. vbi Chriſtus ſoli Petro iuſsit mittere hamũ, & tollere ſtaterem inuentum in ore piſcis, & ſoluere tributum, in quo ait Ambroſius ſignificatum eſſe, *magnum, & ſpiritale documentum, quo Chriſtiani viri ſublimioribus poteſtatibus docentur debere eſſe ſubiecti, ne quis conſtitutionem terreni Re-* 1. *Prima ratio dubitandi. Cap. Magnũ ij. q. 1*

D *gis putet eſſe ſoluendam.* Et videtur, clericos comprehendere, nam ſubiungit: *Si enim cenſum Dei filius ſoluit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum?*

Secundò faciunt dubiũ leges ciuiles, quæ frequẽter ſtatuunt, hæc tributa ſoluenda eſſe à clericis. Quanuis enim aliquæ ſint antiquæ leges eximentes clericos ab aliquibus ex his tributis, vt patet in l. 2. C. de Epiſc. & Cler. & in alijs, quæ ſuprâ ex Codice Theodoſiano retulimus: nihilominus illæ ſunt quaſi peculiares exceptiones, nam generalis regula legum 2. *Secunda. Lex. 2 De C. de Epiſc. & cleric.*

legum ciuilium eſſe videtur, clericos nõ eximi à ſoluendis tributis ſuorum temporalium bonorum, quando generaliter ſimilibus bonis impoſita ſunt, vt ſumitur ex l. *De ijs*, C. de Epiſcop. & Cleric. & ex l. *Ad inſtructionem*, & l. *Neminem*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. & ex epiſt. Valentiniani apud Theodoret. lib. 4. hiſt. cap. 7. dicentis: *Epiſcop. vectigalia vti leges poſtulant, penſitare non recuſant.*

Lex. De ijs, Cod. de Epiſcop. & cler.
Theodoret.

3. Tertia.

Tertiò videtur hoc eſſe rationi conſentaneum, quia licet perſonæ Clericorũ ſacræ ſint, & ideo ſint etiam exemptæ, bona tamen eorũ tẽporalia ſunt, & merè ciuilia, & ideo ſunt tẽporalibus Principibus ſubiecta; ergo meritò poſſunt Principes ex illis tributa exigere. Neque enim obſtat, quòd illa bona reſpectũ habeant ad perſonam ſacram, & exemptam tanquam ad proprium dominum, quia illud dominiũ eſt merè temporale, & ad temporalem finem de ſe ordinatum. Et ita reſpectus ille non eſt ad talem perſonam vt ſacram, vel exemptam, ſed prçciſè vt ciuem. Neq; etiam obſtat, quòd Princeps non habeat iuriſdictionem in perſonã clerici, qua poſſit illum ad ſoluendum tributum cogere, quia ſatis eſt, quòd iuſtè poſſit illud petere tanquam debitum, vt clerici in conſcientia reddere teneantur. Quòd ſi renuant, & neceſſaria ſit coactio, apud ſuum iudicem conueniri poterunt, vt debitum ſoluant. Quod ſi hoc non ſufficiat, vel commode fieri nõ poſſit, poterit Princeps, vel miniſter eius tributi coactor rem temporalem nõ tam iuriſdictionis, quàm defenſionis titulo occupare, ne iure ſuo priuetur. Atque hæc omnia ex eo maximè confirmãtur, quòd in multis regnis ita fieri, & conſuetudine receptum eſſe videmus, Principibus Catholicis, & Paſtoribus Eccleſiæ ſcientibus, & tacentibus.

4. Omnia clericorum bona exemptione gaudent.

Nihilominus dicendum eſt, omnia clericorum bona exempta eſſe ab oneribus tributorum ciuilium, ſiue realia, ſiue miſta cenſeantur, præterquam in caſibus à iure canonico exceptis. Ita ſentiũt Doctores Canoniſtæ in cap. *Eccleſiæ*, & cap. *Quæ in Eccleſiarum*, de Conſtitut. & in cap. *Si Clericus*, de Foro compet. quibus locis videri maxime poſſunt Panormitan. Decius, & Felinus, & in cap. vlt. de Vita, & honeſtate Clericorum, & in

Panormit. Decius. Felinus.

A cap. *Aduerſus*, & cap. *Non minus*, de immunit. Eccleſiar. & in cap. 1. de Immun. Eccleſiar. in 6. & Barth. in l. *Placet.* C. de Sacroſanct. Eccleſ. n. 25. & ſequẽtibus, & Bald. in l. 2. C. de Epiſcop. & Cleric. & à in illis locis alij iuris ciuilis interpretes Paulus de Caſtro in l. *Ad inſtructiones*. C. de Sacroſan. Eccleſ. & Gregor. Lopez in l. Si & 54. tit. 6. partit. 1. & Sũmiſtæ cõmuniter verb. *Immunitas*, & Nauar. in Manual. c. 17. n. 200. & in c. 27. n. 97. & Medin. C. de Reſtit. q. 15. Probatur autẽ primo ex iure canonico, nã in omnibus
B capitibus proximè citatis eximuntur clerici ab huiuſmodi tributis. Nam in cap. *Non minus*, expreſsè dicitur *de bonis Eccleſiarum, & Clericorũ*, in cap. autẽ, *Quanquam* de Cenſib. in 6. apertiùs dicitur, *diſtrictius ne ab Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur.* Et infrà: *Eccleſiaſticæ perſonæ, ac res ipſarũ iure diuino, & humano à ſecularium perſonarum exactionibus ſunt immunes.* Vbi quçdam Gloſſa marginalis addit ad nomen illud *res* limitationẽ *non patrimoniales*, ſed corrũpit textum: nam vbi lex nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, præſertim ſine textu, vel co
C gente ratione. Igitur indefinita illa locucutio æquiualet vniuerſali, idẽ enim eſt dicere, res clericorũ eſſe exẽptas, ac dicere nulla bona clericorũ eſſe tributis ſecularibus ſubiecta, præſertim quia negatio incluſa in voce exemptionis cadit ſupra res exemptas, & ita vocẽ illã diſtribuit.

Paulus de Caſtro.
Greg. Lop.
Nauar.
Medin.
Probatur cõcluſio ex iure canonico
Cap. *Non minus.*
Cap. *Quanquã de Cẽſib. in 6.*
Reijcitur Gloſſæ cuiuſdam limitatio.

5.

Atque hoc magis declaratur in Clementin. vnica eodem tit. quæ præcipit obſeruari, *quidquid contra exigentes ab Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis talias, collectas, aut exactiones quaſcumque*, à prioribus Pontificibus, vel Concilijs ſtatutum eſt, vbi diſtributio illa *quaſcumque* di-
D ctam limitationem excludit. Nec refert, quod non de rebus, ſed de perſonis loquatur, quia non poteſt pro re exigi tributum, quin à perſona, cuius talis res eſt, exigatur. Præterea hoc magis declaratur ex Clementina vltima de Cẽſibus, vbi tam à perſonis Eccleſiaſticis, quàm pro earum rebus proprijs tributa extorqueri prohibentur, &cæt. Vbi, & diſtinctè ponuntur res, & perſonæ, & dũ additur *pro rebus proprijs*, ſatis ſignificatur, ſermonẽ eſſe de omnibus bonis etiã proprijs, talia enim maximè ſunt patri-

Clemẽt. vnic. eod. tit.
Clemet. vltim. de Cẽſib.

 monialia

monialia, nam quæ ex ſuis beneficijs clerici acquirunt, vel non ſunt ita propria, vel certe non ita ſolent in iure canonico vocari. Et præterea additur ibi exceptio ſcilicet, vt id intelligatur de rebus, *quas non negociandi cauſa deferunt, aut deferri faciunt, vel tranſmittunt*, quæ exceptio firmat regulam in contrariũ: nam res, quæ negotiationis cauſa ferũtur, inter patrimonialia bona cõtinentur, ergo ſi hę excipiuntur à regula, reliqua omnia patrimonialia bona ſub illa cõprehendũtur. Atq; hoc modo idem confirmatur ex cap. vlt. de Vita, & honeſtat. clericor. vbi Pontifex à clericis permittit exigi tributa, quę à mercatoribus ſolui ſolent, quando ipſi clerici eiſdem negotiationibus ſe implicant, de qua exceptione infrà dicemus, nunc enim ſolum ex ea colligimus, extra caſum negotiationis, nulla clericorũ bona, per ſe loquendo, eſſe obnoxia ſecundum canonicum ius ſecularibus tributis.

Cap. vlt. de Vita, & honeſtat. clericor.

6. Ex iure ciuili probatur concluſio.

Præterea huic iuri canonico conſentit ciuile in conſtitutione Friderici ſuprà citata, & habetur in Authent. *Item nulla*, C. de Epiſcop. & Cleric. vbi prohibetur, ne collectę, vel exactiones Eccleſiaſticis perſonis imponantur. Nec refert, quòd expreſsè non loquatur de bonis: tũ quia (vt dixi) non poteſt talis exactio ex bonis perſonarum fieri, quin à perſonis fiat, quorum ſunt bona, & è conuerſo non poſſunt aliter tributa huiuſmodi exigi à perſonis, niſi de illorum bonis ea poſtulando, & iuxta illorum quantitatem, ſeu proportionẽ. Non enim de ſolo cenſu, ſeu capitationis tributo, ſed in vniuerſum de exactionibus, & vectigalibus, angarijs, & perangariis ibi ſermo eſt, ſub quibus verbis certum eſt, comprehendi etiam illa tributa, quæ perſonis ratione bonorum imponuntur. Vnde per illam conſtitutionem derogata eſt Lex. *De ijs*, vel ſi quæ forté alia libertati clericorum in hac parte derogantes in libris Codicis, vel in authenticis Iuſtiniani reperiũtur. Vel potius renouantur antiquæ leges piorum Imperatorum, inquibus hæc exemptio adeò clericis conceſſa eſt, vt etiam ex aliqua honeſta, & moderata negotiatione ad victum comparandum accommodata ab eis illa exigi prohiberent, vt ſumitur ex leg. 10. 14. & 36. de Epiſcop. & Cleric. in C. Thedoſiano.

Authent. Item nulla C. de Epiſcop. & cleric.

7. Ratione ſuadetur concluſio.

Ratione probari poteſt abſolutè hæc aſſertio, quia hæc immunitas, etiam quoad bona eſt, valde conſentanea rationi naturali, & dignitati ſacerdotali: nã ſi viri nobiles ſolent in humana republica ab huiuſmodi tributis eximi, cur nõ magis eximentur perſonæ ſacræ Deo dicatæ? Secundò poteſt idẽ concludi ex alia exẽptione clericorũ à iuriſdictione ſeculari: nã tributa ſoluuntur quaſi in ſignũ ſubiectionis, & in ſtipendiũ laboris in adminiſtranda ſuprema iuriſdictione impẽſi, vt ſignificauit Paulus ad Roman. 13. ergo ſicut clerici omnino exẽpti ſunt à iuriſdictione ſeculari, ita etiam conſequenter ab omnibus tributis ſoluendis eximuntur. Dices, licet ſint exempti à iuriſdictione Principum, non tamen à commodo, & vtilitate gubernationis, & ſolicitudinis eorum: nam eorum prouidẽtia in pace conſeruantur, defenduntur, & ſaltem ſecundum communem rationem ciuium gubernantur. Ac denique ſimpliciter vaſalli ſunt, & honorem debitum Principi tanquam Domino exhibere debent; ergo iuſtum etiam eſſet, vt per aliquam contributionem ad Principis ſuſtentationem iuuarent.

Roma. 13.

Obiectio.

8. Reſponſio. *1. Cor. 9.*

Reſpondeo ex verbis Pauli. 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus.* Sic ergo dicimus, ſicut clericalis ſtatus â Regibus in temporalibus iuuatur, ita Reges â clericis in ſpiritualibus iuuari: nam pro illis, & pro tota republica apud Deũ intercedunt, & peculiariter pro Regibus obſecrant, vt Paulus monet. 1. ad Timoth. ſecundo per hæc ergo ſufficienter compenſant beneficium; quod à Regibus accipiunt. Eo vel maximè, quòd ferè nullus labor, vel ſumptus Principibus ſecularibus accreſcit ex eo quòd politicum regimen, & regum protectio in eorum cõmodum redundet. Accedit pręterea ratio ſuprâ facta, quòd Summus Pontifex, cui directè ſubſunt clerici, poteſt ab eis exigere tributa, cũ rationabilis cauſa occurrerit, & conſequenter etiã poteſt prohibere, ne alteri ſoluant, ſaltẽ ſine ſua facultate, quod etiam (vt infrà dicam) moraliter neceſſarium eſt, vt Clerici à laicorum importunitatibus, & iniurijs immunes conſeruentur. Denique propter hanc immunitatem clericorum

1. Timo. 2.

ricorum, etiam quoad bona ipſorum non deſunt Regibus, & Principibus ſufficientia ſtipendia, & redditus, quibus onera ſuorum munerum poſsint ſuſtinere. Quòd ſi interdum indiguerint Eccleſiaſtico ſubſidio, non ſua poteſtate, ſed eius, qui patrimonium Chriſti diſpenſat, & Eccleſiaſtici ſtatus peculiarem curam gerit, illud poſtulare debent, vt ſcãdala, & exceſſus euitentur, & omnia ordinatè fiant.

9. Ad Ambroſium prima reſponſio.

Ad fundamenta ergo in contrarium facilis eſt reſponſio ex dictis. Et in primis ad Ambroſium aliqui reſpondent, illum loqui de facto, non de iure, clerici enim (in illo præſertim tempore) quando ab illis exigebatur tributum, pacificè illud ſoluebant, non ex iuſtitiæ debito, ſed ex charitatis affectu, ad vitandum ſcandalum, & ne propter affectum temporalium bonorum Principibus ſubeſſe nolle viderentur. Colliguntq; hanc mẽtem Ambroſij ex facto Chriſti iubentis Petro ſoluere tributum, quod in exemplum adducit; conſtat autem ex verbis Chriſti, ipſum non ex debito, ſed ad vitandum ſcandalum, Petro, vt tributum ſolueret, præcepiſſe. Vt ergo exemplũ ſit accommodatum, neceſſarium videtur, vt ſententia Ambroſij in eodem ſenſu intelligenda ſit. Eſt ergo expoſitio probabilis, quanuis verba illa Ambroſij, *Chriſtiani viri docentur, poteſtatibus ſublimioribus debere eſſe ſubiecti*, & ſimilia aliquid amplius ſignificare videntur.

10. Secunda ad eundem.

Aliter ergo reſponderi poteſt, Ambroſium non eſſe loquutum de clericis, ſed ſimpliciter dixiſſe, *Chriſtiani viri*. Quod verbum indicat, magnum illud documentum, quod ibi tradit, præcipuè datum eſſe contra antiquum errorem, aſſerentem, Chriſtianos exemptos eſſe à tributis Principum eo ipſo, quod Chriſtiani ſunt. Illum enim errorem refellebat Paulus ad Roman. 13. cùm protulit ſententiam, quam Ambroſius allegat: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Cùm autem Ambroſius interrogat: *Quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſoluendum?* non oportet, vt clericos comprehendat, nam ſtatim ſubdit: *Tu, qui ſeculi ſequeris lucrum, cur ſeculi obſequium non recognoſcas? Cur te ſupra ſeculum quadam animi arrogantia feras, cum ſeculo ſis*

Rom. 13.

A *miſera cupiditate ſubiectus?* Loquitur ergo de ſecularibus, ſeu laicis. Denique licet demus, in priori interrogatione clericos comprehendere, ſenſus non incongruus eſſe poteſt, eos non debere ſua authoritate, & quaſi propria præſumptione negare tributum, ſed vel iuxta conceſsiones Principum, vel iuxta ſuorum Prælatorum decreta.

11. Ad ſecundã obiectionẽ ex iure ciuili.

Ad leges ciuiles, fatemur, aliquas leges Iuſtiniani non fauere huic exemptioni, iam verò reſponſum eſt, illas eſſe reuocatas, & de legibus antiquiorũ Imperatorum Chriſtianorũ verius eſt, B plenam immunitatem à tributis Clericis cõceſsiſſe. Quanuis negari non poſsit, inter ipſos Imperatores fuiſſe varietatem, quã Eccleſia tunc tolerabat, quia ita tunc expediebat, ad quod fortaſſe etiam alluſit Ambroſius, vt ſuprà notauimus. Ad rationem rectè ibi reſponſum eſt, bona adhærere perſonæ, ideòq; non poſſe perſonam eſſe plenè, & perfectè exemptã, niſi bona etiam exempta ſint. Et ideò nõ refert, quòd bona temporalia ſint, neq; quod reſpiciant clericum, non vt clericum, ſed vt temporalem dominum, vel C ciuem, quia ille non tantùm eſt exemptus vt clericus, ſed etiam vt ciuis, & ſimpliciter eius perſona, & conſequenter etiam ea, quæ illi quaſi acceſſoria ſunt. Ad id verò, quod de iuriſdictione attingitur, iam oſtenſum eſt, exemptionem à tributis valde coniunctam, vel conſequẽtem eſſe cum exemptione à iuriſdictione, cùm ipſa tributi impoſitio, & exactio actus iuriſdictionis ſit. Neque poteſt vllo modo dari laicis licentia occupandi per vim, ſeu violenter ſubtrahendi bona clericorum, in quos iuriſdictionem non habent, quia hoc eſt contra omne ius naturale, D ſolùmq; in caſu extremæ neceſſitatis permitti poſſet, vt ſtatim dicam. Denique ad conſuetudinem, quę obijcitur, reſpondemus, ad nos nunc non pertinere modum, & qualitatem conſuetudinis expendere, quæ ad factũ pertinet, nón ad ius, ideòq; ſolùm nunc dicimus, talem conſuetudinẽ, ex genere ſuo iniquam eſſe, & in iure reprobatam tanquã Eccleſiaſticæ libertati contrariã, niſi vel per Pontificem expreſſè approbata ſit, vel in aliqua exceptione iuris ſit fundata iuxta ea, quæ in ſequentibus dicemus.

Ad tertiam.

CAPVT. XXV.

An clerici teneantur ad onera realia ſoluenda, quæ rebus immobilibus adhærent.

1. DVæ exceptiones à regula in præcedenti capite poſita excogitari poſſunt, quas expendere neceſſe eſt. Prima eſt de tributis realibus, quæ rebus immobilibus inhęrent, priùſquàm in poteſtatem clericorũ perueniant; nam de poſterioribus tributis, quæ ſuperueniunt, poſtquam talia bona clericorum effecta ſunt, certum eſt, ſub generali regula comprehendi, quia omnia iura, ſine diſtinctione loquuntur, & rationes ſuprà adductæ ęquè de immobilibus, & de mobilibus procedunt, quia etiam onera bonorum immobiliũ redundant in Dominum, & tandem ex fructibus ſoluuntur, quæ mobilia ſunt. Deinde quando onera, ſeu tributa in bonis ipſis antecedunt, ſi ſint ex penſionibus procedentibus ex proprio, ac priuato dominio eius, qui primo penſionem impoſuit mediãte aliquo pacto, ſic certum eſt, rem tranſire cum ſuo onere, ac ſubinde eſſe â clerico ſoluendum: nam quæ in hac parte diximus de Eccleſijs, in clericis locum habent.

2. *An bona Eccleſiarũ, & clericorum æquali gaudeat exemptione.* Dubitatio ergo eſt de proprijs tributis Regijs, quæ ex vi ſolius iuriſdictionis impoſita fuerunt. Videturq; huius dubij reſolutio ex alia dubitatione pendere, nimirum, an bona clericorum in hac exemptione bonis Eccleſiaſticis æquiparentur: nam ſi non gaudent æquali priuilegio, non eſt, cur in hoc ſpeciali caſu de tributo reali priùs bonis ipſis inhærẽte fiat æquiparatio, cùm ſit priuilegium valde ſpeciale Eccleſiarum. Quod autem non ſit æqualis immunitas bonorũ perſonarum Eccleſiaſticarum, & Eccleſiarum, ſeu Eccleſiaſticorum bonorum, ſumitur ex Gloſſ. 2. in Clementin. 1. de In integrum reſtitut. & ex Gloſſa in cap. *Poſſeſsiones*. 16. q. 4. & ex Abbate, Felin. & alijs, quos refert Couar. lib. 1. Variar. cap. 4. nu. 3. vbi ipſe concludit, non eſſe æqualia in exemptione bona patrimonialia clericorum, niſi in caſibus, in quibus in iure id expreſſum eſt. Et videtur hoc rationi conſentaneum, quia bona Eccleſiaſtica ſunt ſimpliciter ſacra, & tantùm ad ſacros, & pios vſus deſtinata, quod non habent bona propria clericorum. Cùm ergo hic caſus, de quo tractamus non ſit in iure expreſſus, non videtur ad bona clericorum extendendus. Vnde in legibus Hiſpaniæ lib. 1. Nouæ recopilat. tit. 3. l. 11. & 12. expreſſe cautum eſt, vt clerici talia tributa prędijs inhærentia, *poſtquam talia prædia emerint, vel aliter acquiſiuerint*, ſoluere teneãtur. Et ita ſimpliciter docuit Gregor. Lopez partit. 1. tit. 6. l. 51. n. 4. & Valaſc. de Iure emphyteut. q. 17. n. 10. qui plures referunt, & eos ſequitur Molin. tract. 2. de Iuſtit. diſp. 456. Verum eſt, eos indiſtinctè in hoc loqui de bonis Eccleſiarum, & clericorum, vnde omnes authores, qui ita ſentiunt de bonis Eccleſiaſticis, à fortiori idem dicent de bonis clericorum.

Opinio negans. — *Gloſſa.* — *Couarr.* — *Fundamentum eius.* — *Leges Hiſpaniæ.* — *Greg. Lop.* — *Valaſc.* — *Molin.*

3. *Concluſio. bona Eccleſiarũ, & clericorum in exemptione à Regalibus tributis ſunt æqualia.* Nihilominus contrariam ſententiam veram cenſeo (loquendo de proprijs tributis, vt ſuprà diſtinximus.) Quam expreſſè tenet Cardinalis Albanus in tractatu ſupra citato, & Gutierrez in Practicis quęſtion. lib. 1. q. 3. à n. 15. vbi tractat legem Recopilationis citatã, eamq; iuxta diſtinctionem à nobis ſuperiùs traditam exponit, dicens, intelligẽdam eſſe *quando bona ſunt affecta onere tributorum expreſſe, & ex conuentione partium, ſecus verò eſſe, ſi tantùm ſint affecta tributis ex generali lege*, qua prædia priuatorum Regi pro tributis ſunt obligata: *nam ſi talia bona* (inquit) *peruenerint ad clericum, non tranſeunt cum onere*. Idque confirmat exemplo alterius legis Hiſpaniæ lib. 4. Ordinamenti lib. 4. l. 12. quæ ſtatuit, cùm vir nobilis (Hiſpanê *Hijodalgo*) bona emerit ab alio tributis ſoluendis obnoxia, non tranſire cum onere. Ita ergo cõtingit, ſi clericus ſimilia bona emat, aut hæreditario iure acquirat. Ratio enim omnibus communis eſt, quia per mutationem perſonæ mutatur qualitas inhærẽs rei ratione perſonæ, argumento l. *Locatio*, §. *Fiſcus*. ff. de Publican. & vectigal. & l. *Per procuratorem* 89. ff. de Acquiren. hæredit. Vnde ob hanc eandem rationẽ, bona ante ſacerdotium poſſeſſa poſt ſacerdotium gaudent priuilegio exemptionis. Et pro hac ſententia refert Gutierrez plures modernos, ex quibus videri poteſt Matienzo in librum 5. Nouæ recopilat. tit. 10. l. 11. Gloſſ. 4. & Alfonſus

Cardinal. Alban. — *Gutierrez.* — Ratio concluſionis. — *L. Locatio §. Fiſcus. ff. de Publican. & vectigal.* — *L. Per procuratorem. 89.* — *Matienzo.*

Alfonſus. Guerrero.

fonſus Guerrero in Theſauro Chriſtianæ religionis cap. 36. nu. 9. & 33.

4. Inſinuant autem iſti authores, propria tributa Regia, quæ dicuntur realia, & quaſi inhærentia rebus immobilibus, non adhærere illis quaſi per ſe, & abſolutê ſpectatis, ſed ratione perſonarum, ſub quarum dominio exiſtũt, ac proinde ſolûm eſſe quaſi pignora, ſeu hypothecas obligatas virtute leg. 1. C. *In quibus cauſis hypotheca contrahatur.* Quod eſt valde probabile. Et inde optimè confirmatur (quod ſuprà de Eccleſijs, & nunc de clericis dicimus) talia bona non tranſire ad ipſos cum tali onere ſoluendi tributa, vtique in futurum. Nam ſi prior dominus aliquo tempore, quo talia bona poſſedit, tributa debita non ſolueret, trãſirent bona cum illo onere, quia ſemper habent reſpectum ad priorem dominũ, & ratione illius, & propter ſubiectionẽ eius ſemper debetur, quæ ratio ceſſat in tributis ſoluendis ab eo tempore, quo talia bona in perſonam exemptam fuerunt transl[?]ta.

Bona clericorum manent cũ onere ſoluendi tributa à priori Domino nõ ſoluta.

5. Poteſt etiam hæc ſententia confirmari ex ſuprà dictis in ſimili dubio de bonis Eccleſiaſticis: nam eſto in rebus alijs, ſeu in ſpecialibus prærogatiuis, ac priuilegijs hæc bona non ſint æqualia, nihilominus in exemptione à tributis meritò æquiparantur. Tum quia ſicut Eccleſiæ ſunt omnino exemptæ à iuriſdictione ſeculari, ita & perſonæ clericorum; tum etiam quia iura, in quibus hæc exemptio à tributis præcipitur, æquè de Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis, & de vtrarũq; bonis loquuntur. Atque ita æquiparationem hanc comprobat Gloſſa 2. in cap. *Eccleſia ſanctæ Mariæ,* de Conſtitut. vbi late Felin. n. 7. & 8. item Gloſſ. vlt. de Vita, & honeſt. clericor. quæ ad hoc põderat textum illum. Vbi Panormitan. n. 11. eam limitare videtur, ſed re vera limitatio non procedit in materia tributorum, ſed in alijs priuilegijs, quæ non eſt limitatio ad Gloſſam, quia non generaliter, ſed in tribus tantûm loquitur, ſicut & textus ille, quem inducit. Et idem ſentit Gloſſa penult. in cap. *Ex literis* de Pignoribus. & optimê Gloſſa. 1. in caput. *Eccleſiarum.* 12. quæſt. 2. & ſumitur etiam ex illo textu, qui eſt Concilij Tolet. 3. cap. 21. & ex alijs antiquis,

Confirmatur aſſertio.

Gloſſa. Felin. Gloſſa. Panormit. Gloſſa. Gloſſa.

A quos eadem Gloſſa allegat. Et meliùs id confirmat cap. 1. de Immunit. Eccleſiar. in 6. quod (vt ſupra notaui) diſtinctè loquitur de bonis acquiſitis, & acquirendis, & nunc aduerto, etiam loqui expreſſè de Eccleſijs, & Eccleſiaſticis perſonis, ac earum bonis. Et eodẽ modo loquitur Clementina vlt. de Cenſib.

Ex quibus patet reſponſio ad rationem dubitandi in principio poſitam, negamus enim, priuilegium hoc quoad hanc partem eſſe ſpeciale Eccleſiarum, aut non eſſe in iure ſatis expreſſum, ex B Gloſſis enim, & iuribus allegatis contrarium conſtat. Doctores autem ibi allegati negantes hanc æquiparationem, intelligendi ſunt, vt dixi, quoad alia priuilegia, nõ verô quoad hoc priuilegium exemptionis à tributis. Neque in hoc obſtat ratio ibi inducta, quod Eccleſiaſtica bona ſunt magis ſacra, quâm bona clericorum, nam hoc conducet quoad alios effectus. Vt verb. gratia. quod maior ſit culpa, diſtrahere bona Eccleſiaſtica in vſus prophanos, quâm bona propria clericorum, etiam intuitu Eccleſiæ comparata. Item quòd maior ſit culpa furandi bona Eccleſiæ, quàm propria C clericorum: nam illud eſt ſacrilegium iuxta doctrinam D. Thomæ. quæſt. 99. artic. 3. & 4. quam omnes ſequuntur, & ſumitur ex multis decretis. 12. quęſt. 2. & 16. quæſt. 1. cap. *In canonibus*, furtum vero â clerico factum non eſt verê ſacrilegium, niſi vis perſonæ inferatur, iuxta cap. *Quiſquis.* 17. q. 4. & notauit Panormit. in cap. *Cæterum* de Iudicijs. num. 17. licèt aliud Senſerit Sylueſt. verbo *Sacrilegium.* Et ſic de alijs priuilegijs, quæ pertinent ad maiorem tutelam, & religioſum vſum Eccleſiaſticorum bonorum. In tributis verô facta eſt æqui- D paratio in iure, quia non in bonorũ ipſorum ſanctitate, ſed in abſoluta exẽptione perſonæ fundatur. Ad legem Hiſpaniæ iam reſponſum eſt, intelligendam eſſe de ſpecialibus tributis fundatis in conuentione partium. Et eodem modo exponendi ſunt authores ibi allegati, vel eorum ſententia admittẽda non eſt. Et iuxta doctrinã hanc intelligenda videntur quæ in lib. 2. ordin. huius regni tit. 33. diſponuntur de quodam tributo, quod *Iugadas* vocãt. Nã illud ſine dubio ortum

6. Solutio ad fundamẽtũ contrariæ ſententiæ.

Quia bona Eccleſiæ ſurripit ſacrilegium committit. *D. Thom.*

Raptor bonorum clerici niſi illi vim inferat, ſacrilegiũ nõ cõmitt. Cap. *Quiſquis.* 17. q. 4. *Panormit.*

Ad Leges Hiſpan.

ortum fuit ex dominio directo Regum, & conuentione cum ſubditis, quibus illa bona tribuebãt, vt ex principio illius tituli conſtat, & ideo in rigore non continetur in generali priuilegio clericorum, vel Eccleſiarum. Nihilominus tamen ſeruanda ſunt ſpecialia priuilegia, quæ ibidem etiam in hac materia illis conceduntur.

CAPVT. XXVI.

An clerici ad communes ciuium expenſas contribuere teneantur.

1. ALtera exceptio ad bona mobilia pertinens, eſſe poteſt de quibusdã tributis, quæ non tanquam ſtipendia Regia imponuntur, ſed tanquã ſumptus neceſſarij ad communem vtilitatẽ ciuium inter ipſos diſtribuuntur. Huiuſmodi ſunt tributa quæ imponuntur ad reficiendas vias, pontes, aut fontes, aut muros ciuitatis, & ſimilia, ad communẽ vſum ciuiũ etiam clericorum neceſſaria.

Ratio dubitãdi pro parte affirmãte. Lex. *Ad inſtructiones. C. de Sacroſ. Eccleſ.*

Ratio autem dubitandi eſſe poteſt, quia iura ciuilia non permittunt, clericos ab his contributionibus eximi, vt conſtat ex l. *Ad inſtructiones.* C. de Sacroſanct. Eccleſ. vbi etiam venerabiles Eccleſiæ, & diuinæ domus huic tributo ſoluendo adſcribuntur, ibi verò tantùm fit mẽtio *de pontium, & itinerum inſtructione.* In lege autẽ vlt. C. Quibus muneribus &c. lib. 11. additur *murorũ conſtructio, & frumenti, aliarumque ſpecierum comparatio, ſeu cõmunis prouiſio.* Vnde idẽ ius in rebus omnibus eiusdẽ rationis locum habebit.

Leges Hiſpanæ.

Atq; hoc ius cõmune imitãtur leges Hiſpaniæ in l. 20. tit. 32. part. 3. & l. 54. tit. 6. p. 1. ac tandẽ in lib. 1. Nouæ recopilat. tit. 3. l. 11. vbi priùs ponitur regula generalis de tributis pro communi bono impoſitis, & deinde ponũtur exempla ſuprà dicta, & adduntur alia, idemque cum alijs exemplis ſtatuitur in l. 12.

2. Non videtur autem poſſe ius canonicũ derogare in hac parte iuri ciuili, quia diſpoſitio illa videtur iuſtitiæ, & æquitati; imò & pietati valde conformis. Nam huiuſmodi impoſitiones re vera nõ ſunt tributa, quæ indicent ſubiectionem, vel in propria iuriſdictione fundentur, quia

A non imponũtur, vt Regibus tanquã Dominis, & Principibus ſoluantur, ſed ſolùm ſunt diſtributiones, quæ inter ciues fiunt ad proprios vſus ipſorum ciuium. Ratio autem, & iuſtitia poſtulat, vt omnes, qui huiuſmodi rebus cõmunibus indigent, & vtuntur, ad expenſas, quæ in illis fiunt, iuſta diſtributione concurrãt; ergo cûm clerici fruantur his communibus cõmodis, debent etiam participare huiuſmodi onus cum cæteris ciuibus. Nam eadem ratio obligationis, & debiti in illis concurrit, & non eſt contra digni

B tatem ſacerdotalis ſtatus, hæc tributa ſoluere, magis quàm pretio ſuo emere res, quibus ad victum, & veſtitum indigent. Imò quia priora bona ad cõmune bonũ ſpectant, ex ea parte eſt talis contributio pietati conſentanea, ideoque in dicta lege. *Ad inſtructiones,* dicitur, *Venerabiles Eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcribimus, quia non eſt inter ſordida munera numeratum.* Et in dicta l. 11. nouæ recopilationis Hiſpaniæ dicitur: *En eſtas coſas tales, à fallecimiento de proprios de conceio, deuen contribuir, y ayudar los dichos clerigos, por quanto es prò comunal de todos,*

C *y obra de piedad;* ac ſi diceret, quando ad huiuſmodi ſumptus bona cõmunia totiûs populi, ſeu eorum redditus non ſufficiunt, tunc ratio pietatis, & cõmunis vtilitatis poſtulat, vt clerici contribuant. Eſtque illa limitatio valde notanda, nam multum confirmat huius cõtributionis æquitatem. Quia vbi cõmunia bona nõ ſufficiunt, neceſſariò debet ex proprijs, & particularibus bonis ſingulorũ ciuiũ ſuppleri; cur ergo cogentur ſinguli ciues laici ex proprijs bonis aliud pro clericis ſoluere, aut eis de rebus neceſſarijs, licèt communibus, proprijs ſumptibus

D prouidere? Quæ ratio videtur oſtendere, neque Pontificem, neque ipſum Regem poſſe hanc exemptionem clericis concedere, ipſis communitatibus laicorum inuitis.

3. *Ratio dubij pro negatiua parte. Cap. Non minus. Cap. Aduerſus de Immunit. Eccleſ.*

In contrarium autem videntur iura Canonica vrgere, præſertim cap. *Non minus,* & cap. *Aduerſus* de Immunit. Eccleſiar. Nam in priori ſtatuitur ſub anathemate vniuerſaliter, & ſine limitatione, vt hæc onera Eccleſijs, vel clericis non imponantur: *Niſi Epiſcopus, & clerus tantam neceſſitatem, vel vtilitatem aſpexe-*

aſpexerint, vt abſq; vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel neceſsitates, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. In altero vero capite in primis ſignificatur, hanc contributionem clericorum, etiam in illo caſu non eſſe ex debito, ſed ex gratia, additur enim ibi: *Prædicti laici humiliter, & deuotè recipiant cum gratiarũ actione.* Et, quod grauius eſt, adiungitur ſequens limitatio: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius conſulatur, cuius intereſt communibus vtilitatibus prouidere.* Addi etiam poſsũt cap. *Quanquam*, de Cenſib. in 6. & cap. 1. & 3. de Immunit. Eccleſiar. in 6. quatenus in eis generaliter dicitur, Eccleſias, & Eccleſiaſticas perſonas ab omni exactione ſecularium eſſe exemptas.

Cap. *Quãquã*, de Cẽſib. in 6. *Cap. 1. & 2. de Immunit. Eccleſ.*

4. Reſolutio affirmans.

In hoc puncto Doctores in hoc vidẽtur conuenire, ad huiuſmodi ſumptus cõmunes, quando bona communia ciuitatum non ſufficiunt, ideôq; neceſſarium eſt, vt ciues contribuant, clericos etiam debere concurrere, & cum debita proportione, ac moderatione contribuere. Hoc enim etiam iure canonico permiſſum, & approbatum eſt, habetq; naturalem æquitatem, vt declarauimus. Difficultas autem eſt, tum in genere obligationis, tum maximè in modo impoſitionis, & exactionis. Nam de genere obligationis dubitari poteſt, an clerici ſolùm ex quadam honeſtate, & quaſi ex conſilio debeant in huiuſmodi caſibus contribuere; vel ex neceſsitate, & obligatione conſcientiæ teneantur. Aliqui enim ſolùm putant teneri priori modo, quod ſignificat Panormit. lib. 1. conſil. 3. num. 1. circa finem dicens, *Etiam imminente communi vtilitate clericorum, & laicorum, non tenentur clerici aliquid conferre, niſi ſponte velint.* Dum enim ait, *ſponte*, indicat voluntariam eſſe contributionem, non neceſſariam. Et ad hoc inducit verba cap. *Non minus*, quæ ſtatim referemus. Et ratione poteſt ſuaderi hęc opinio, quia clerici non obligantur ex vi legum ciuiliũ, neque ex vi conſignationum, quæ à laicis fiunt ſub quocunque tenore pręcepti, cum non ſint illis ſubiecti: nec inuenitur lex canonica, quæ illis talem obligationem imponat, nec denique lex ſola naturalis eos obligat, quia hæc obligatio

Quo obligationis genere ad hoc adſtringãtur clerici. Prior opin.

Panormit.

Fundamentum eius.

A pendet ex multis circunſtantijs, quæ nõ ſunt de iure naturali, ſed ex pactis, conuentionibusq; inter ipſos ciues reſultat.

5. Secunda opinio. *Greg. Lop. Gutierr. Guerrer.* Fundamentum huius.

Nihilominus contrarium in hac parte ſentit Gregor. Lopez in l. 54. tit. 6. partit. 1. Gloſſ. 2. quem ſequitur Gutierr. in Practic. quæſtionib. lib. 1. cap. 3. n. 8. & idẽ ſentit Guerrero in Theſauro Chriſtianæ relig. cap. 36. n. 32. Fundantur in verbis cap. *Non minus*, ibi, *Niſi Epiſcopus, & clerus tantam neceſsitatem, vel vtilitatem aſpexerint, &c. vt ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda*: nam vbi res committitur exiſtimationi non cenſetur cõ-

B mitti liberæ voluntati, ſed iuſto iudicio, & arbitrio, vt declarat Vlpian. in l. *Fidei commiſſa.* §. *Si fidei commiſſum.* verſ. *Quãquam.* ff. de Legat. 3. vbi ait, per conditionem hanc, *Si exiſtimaueris* non committi rem plenæ voluntati, ſed prudenti arbitrio, & quaſi viro bono; ergo in hoc ſenſu dixit Pontifex, clerum, *ſi exiſtimet*, prudenti arbitrio, cõmunem vtilitatem, vel neceſsitatem vrgere, debere contribuere; ergo ſuppoſita tali exiſtimatione hoc debitum eſt moralis neceſsitatis, & non tantùm voluntatis. Et pręterea partem hanc videntur efficaciter perſuade-

Vlpian.

C re rationes in priori parte factę. Et ad alteram, quam proximè in contrarium fecimus, reſpondebitur facilè, obligationẽ hanc oriri ex æquitate naturali, cuius materia in hac parte mutata non eſt per ius poſitiuum, quia ius ciuile potiús illã confirmat, cui ius canonicum in hoc nõ contradicit, ſed iudicium practicum, & in particulari talis æquitatis Paſtoribus Eccleſiæ committit.

6. Vera reſolutio.

Quocirca in hoc puncto dicendũ eſt, clericos ſingulos, ſeu ſigillatim ſumptos non teneri ad huiuſmodi contributionẽ,

D donec per Epiſcopum cum clero prudens exiſtimatio facta ſit, & decretum, in eo caſu interuenire neceſsitatem, vel vtilitatem communem, ad quam clerus contribuere debet. Hoc probat dictum cap. *Non minus*, vbi ſtatuitur, debere præcedere Prælati approbationem, vt paulò inferiùs magis declarabimus; ergo ante illam non tenentur ſinguli clerici ſoluere contributionem; imò neque poſſunt, vt infrà videbimus. Deinde dicendum eſt, ſi in re ipſa vera neceſsitas, vel vtilitas communis cum debitis circũſtantijs inter-

Vbi neceſsitas occurrit Epiſcopus clericorum contributioni conſentire tenetur.

intercedat, teneri Epiſcopum ad contributionem approbandam, & contra rationem, & iuſtitiam facturum eſſe, ſi cōtradicat. Et hoc eſt, quod præcipuè Gregor. Lopez, & alij intendunt. Et probatur, quia hoc non eſt eius liberæ voluntati, ſed prudenti arbitrio commiſſum; ergo ex officio, & iuſtitia tenetur tributum admittere, ſi re vera exiſtimet, caſum neceſsitatis ſubſiſtere, vel ſi exiſtimare debet, ita vt per ignorantiam inuincibilem non excuſetur. Vlteriùs verò addendum eſt, clericos non poſſe cogi à laicis ad ſoluendum tributum, etiamſi per Epiſcopum iam fuerit approbatum, quia nunquam laici habent iuriſdictionē ad cogendos clericos. Poterunt ergò petere, rogare, & requirere clericos, vt ſpōte ſoluant, non tamen vim inferre. Et fortaſſe in hoc ſenſu dixit Panormitan. clericos debere ſponte ſoluere. Et ob eãdem cauſam exiſtimo, addita eſſe in dict. cap. *Aduerſus*, verba illa: *Prædicti laici humiliter, & deuoti recipiant cum gratiarum actione, &c.* Quapropter ſi clerici in eo caſu ſoluere noluerint, per ſuum Prælatum cogendi ſunt, vt rectè dixit Gutier. ſuprà cum alijs, quos allegat. Quôd ſi Epiſcopus vel clericos in hoc peccantes cogere noluerit, vel ipſe iniuſtè agat, nolens contributionem admittere, quando tenetur; ad ſuperiorem prælatum recurrendum erit, & ita clericorum immunitas ſeruabitur, & ſubſidium communi bono neceſſarium non deerit.

Probatur.

Nunquam poſſunt laici clericos ad contribuendum cogere.

7\. Supereſt tractanda alia pars dubitationis circa modum in hac contributione ſeruandum, videlicet, an in imponenda clericis, vel ab eis exigenda contributione ad huiuſmodi communis vtilitatis opera, ſeruanda ſit forma præſcripta in dictis decretis, vel nulla illius ratione habita poſsint laici Principes leges ſuas executioni mandare. Non enim defuerunt multi Iuriſperiti, qui dixerint, nihil eſſe in hac parte derogatum iuri ciuili per canonicum, ac ſubinde ad exigenda à clericis hæc tributa, non eſſe neceſſarium recurſum ad Summum Pontificem, qui poſtulatur in dicto cap. *Aduerſus*, neque approbationem Epiſcopi, aut cleri, prout præſcribitur ibidem, & in dicto cap. *Non minus*, ſed ſatis eſſe Regis edictum proponentis cauſam vt communem, &

An in contributione hac forma iure canonico pſcripta ſit ſeruanda.

Opinio negans.

A neceſſariam, & contributionem vt moderatam, & iuſta proportione diſtributam. Quam ſententiam indicant Gloſſ. & Hoſtien. in d. cap. *Non minus*, eamque defendit latè Lucas de Penna in l. *Cùm ad feliciſsimam*. C. *Quibus muneribus*. lib. 10. quem cum alijs multis pro hac ſententia refert Gutierr. vbi ſuprà, & ſpecialiter illam defendit Rebuff. in cōmentar. ad conſtitution. Galliæ tom. 1. tract. de Sentent. prouiſ. art. 3. gloſſ. 6. vbi alios refert. Et cùm ſibi objiciat, Imperatorē non potuiſſe clericos ſua lege adſtringere,

Gloſſ. Hoſtien. Lucas de Penna. Gutierr.

B reſpondet: *Verum eſt, tamen hæc opinio de facto ſeruatur in Francia.* In quo ſentit, per conſuetudinem eſſe in hac parte iuri canonico derogatum. Quod fundamentum falſum omnino eſſe infrà oſtendemus.

Vt ergo huius ſententiæ fundamentum aliquo modo tolerabile ſit, in hoc conſtitui debet, ſcilicet iura Canonica prǽſcribentia formam ſeruandam in poſtulãdis huiuſmodi tributis à clericis, nō extendi ad hæc tributa, quando authoritate Regia imponuntur. Hoc autem duobus modis declarari poteſt. Primô,

8\. Fundamentum dictæ opinionis, prioriq. eius declarandi modus.

C quia cap. *Non minus*, ſolùm loquitur de conſulibus, & rectoribus ciuitatum, & aliorum, qui ſimilem poteſtatem habere videntur, & illis prohibet, ne clericis tributa imponant, niſi Epiſcopo approbãte, &c. Vnde in ſequenti cap. *Aduerſus*, quod eſt Concilij Lateranen. ſub Innocentio. 3. his verbis refertur deciſio prioris Concilij Lateranen. ſub Alexandro. 3. *Aduerſus Conſules, & rectores ciuitatũ, vel alios, &c.* Ergo ex vi talium verborum non impediuntur Reges ſupremi hæc onera clericis imponere. Et hanc ſententiam tenet apertè Lucas de Penna

D loco citato, & inſinuat Hoſtienſis in Sũma tit. de Immunit. Eccleſiar. §. *A quibus*, verſic. *Verum ad extraordinaria*, quanuis enim dicat, legem *Ad conſtitutiones*, & ſimiles corrigendas, vel moderandas eſſe per ius canonicum, nihilominus addit limitationem, *niſi Princeps præcipiat.* Verum eſt tamen, in contextu eius ambiguum eſſe, an dicere voluerit, illicitas eſſe has exactiones reſpectu clericorum tantùm, vel ſimpliciter reſpectu omniũ ſubditorum eſſe illicitas, niſi fiant authoritate Principis, & hic poſterior videtur ma-

Lucas de Penna. Hoſtien.

magis eſſe ſenſus eius, ſi totus contextus conſideretur.

9. Reijcitur. Cuiuſcunque tamen ſit illa limitatio cap. *Non minus*, & ſimilium admittenda non eſt, quia in primis repugnat Pontificiæ declarationi in Bulla cœnæ Domini, vbi expreſſè prohibitio extenditur ad quoſcunque *cuiuſuis præminentiæ, & dignitatis, etiam Imperialis, & regalis*, & additur: *Innouantes decreta ſuper his per ſacros canones tam in nouiſsimo Lateranenſi, quàm alijs Concilijs generalibus edita*, vbi præcipuè intelligit cap. *Aduerſus*, & cap. *Non minus*, exponendo (vt arbitror) potiùs, quàm addendo, illorum diſpoſitionem ad omnes Principes temporales extendi. Deinde in illis decretis licèt fortaſſe propter occaſionem facti, quod ibi refertur, nominentur Conſules, & Rectores, tamen in fine adduntur generalia verba, quæ omnes poteſtatem habentes ad imponenda tributa comprehendunt, vt in cap. *Non minus. Nec non, & alij, qui poteſtatem habere videntur.* Et in c. *Aduerſus.* ibi: *Conſules, & Rectores ciuitatum, vel alios.* Vbi non dixit alios ſimiles, ſed ſimpliciter alios, planè comprehendens omnes, qui Eccleſiaſticis viris has exactiones imponere nitũtur, & in cap. *Clericis.* §. *Nos igitur*, de Immunit. Eccleſia. in 6. expreſſè nominantur *Imperatores Reges*, &c. Et in hac parte confirmatur in Clement. vnic. eodem tit. quanuis per verba generalia, ſcilicet, *cõtra quoſcũq; laicos, &c.* Et ita etiam interpretatur, & confirmat Clem. V. deciſiones Conciliorũ Lateranenſiũ ſub Alexandro, & Innocentio. Deniq; in c. *Quanquã.* de Cẽſib. expreſſè dicitur: *Nec collegium, nec vniuerſitas, nec aliqua etiã ſingularis perſona, cuiuſcũq; dignitatis exiſtant, &c.* Eſt ergo certiſsimũ, non poſſe limitari illa decreta ex parte perſonarum laicarum, quacunque poteſtate, vel dignitate præmineant, ac proinde ſententiam illam Iuriſtarum in hac declaratione fundatam improbabilem eſſe.

Cap. Clericis. de Immunit. Eccleſ.

Clemẽs V.

10. [Re]ſiduus di[cend]i opinio[ne]m defen[de]ndi mo[du]s. Alio igitur modo poſſet illa ſententia defendi, dicendo, illa iura nõ loqui de his impoſitionibus, quæ per modũ iuſtæ diſtributionis inter ciues fiunt ad res omnibus neceſſarias, vel valde vtiles; ſed loqui de proprijs tributis, quæ in ſubſidiũ Principũ, vel Regũ imponũtur. Et ratio

A reddi poteſt, quia illę priores exactiones, ſeu cõtributiones (vt ſuprà dicebã) non ſunt propria tributa ſuperiori poteſtate, & volũtate Principis impoſita, ſed ſunt veluti quidã ſumptus debiti, quia ex natura rei reſultant ex tali opere cõmunitati neceſſario. Quia nec clerici iuſtè poſ ſũt reſiſtere, aut cõtradicere, ne tale opus fiat; neq; poſſunt impedire, quin in ipſos ſicut in alios ciues reſultet obligatio naturalis ſoluendi quotam partẽ ſumptuũ, quæ ſecundũ iuſtam proportionem ſingulos contingit: ideòq; talis obligatio nõ

B oritur ex iuriſdictione ſeculari, neq; ex lege ciuili, ſed ex ratione naturali ſuppoſito tali facto iuſto, & communitati moraliter neceſſario. Vnde fit, non repugnare talem contributionem Eccleſiaſticę libertati, ac proinde non eſſe contra canonica iura, quæ prohibent omnes temporales exactiones à clericis fieri, quia ſolùm prohibent exactiones contrarias Eccleſiaſticæ libertati, qualia ſunt, quæ in iuriſdictione laicorum, & in poſitiua lege ciuili fundantur.

Sed quanuis fundamentum hoc ſpeciem quandam probabilitatis habeat, ni- 11. Refellitur.

C hilominus ſolidum non eſt, nec decretis conſentaneum. Primò, quia (vt notauit Abbas in dicto conſil.) dictum cap. *Non minus*, priùs dicit, *Siue foſſata, ſiue expeditiones*, & deinde adiungit: *Siue alia quælibet. Foſſata enim* ad cuſtodiam ciuitatis fieri ſolent, & ita pertinent ad vtilitates clericis, & laicis communes; idemq; ferè eſſe ſolet de expeditionibus; ergo cum additur diſtributio *Alia quælibet*, omnia ſimilia ad minimum comprehenduntur. Vnde in cap. *Aduerſus*, diſtinctè explicatur prædicta deciſio de exactionibus, quæ ad releuandas vtilitates, vel neceſsi-

Abbas.

D tates communes ordinantur. Prætereà in alijs iuribus abſolutè, & ſine limitatione prohibentur exactiones, & collectæ, quibus nominibus ſolent etiam hæ contributiones communes ſignificari, & Clementin. vnica addit diſtributionem, *Quaſcunque exactiones*, & prætereà adiũgit: *Nec non & circa præſtandas ſubuentiones laicis à Prælatis, vel alijs perſonis Eccleſiaſticis*, nomine autem ſubuentionum huiuſmodi contributiones maximè ſignificari ſolent. Et in dicta Authentica *Item nulla* declarantur *angariæ*, & *pa-*

Vu *ranga-*

rangariæ, quę ſolent etiam pro communi vtilitate exigi; ergo limitatio illa verbis ipſorum iurium repugnat.

12. Satisfit rationi pro p̄dicto fūdamēto adductæ.

Deinde ratio, ſeu coniectura adducta in illo fundamento non eſt ſufficiens ad interpretanda iura contra eorum verba, quia non probat, eſſe neceſſariam limitationem illam, vt deciſio illorum canonum iuſta, & rationabilis ſit. Primò quidem quia bona Eccleſiaſtica, quibus clerici aluntur, ſunt ad altiores fines deputata, qui in bonum, & vtilitatem ipſorū laicorum redundāt: nam ſubuentio pauperum magna vtilitas laicorum eſt, templa etiam, & omnes ſumptus illorum, laicorum vſibus inſeruiunt, & ideò non eſt à ratione alienum, vt laici ex ſolis bonis ſuis temporalibus contribuant ad publica opera ciuilia, etiam ſi in cōmunem vtilitatem clericorum redundent. Præſertim quia bona ſacris vſibus deputata non debent ad prophanos, & communes vſus conuerti, & ideò meritò eximūtur ab his etiam temporalibus contributionibus. Quam rationem latè proſequitur Panormitanus in dicto conſilio.

Panormit.

13. Obiectio.

Dices, has rationes ad ſummum procedere de bonis Eccleſiæ, non verò de bonis clericorum, quia & poſſunt eſſe patrimonialia, & quanuis ſint ex redditibus Eccleſiæ, poſtquàm ſunt facta propria illorum, iam non ſunt ſacra, ſed patrimonialibus comparantur, vt ſuprà dictum eſt. Reſpondetur, etiam procedere ſatis congruenter rationem illam in bonis clericorum: præcipuè in his, quæ proueniūt ex redditibus Eccleſiaſticis, quia ex vi ſuę exemptionis, & dignitatis poſtulant, vt ſine diminutione, & ſine temporali onere conferantur. Deinde meritò extēditur etiam ad bona patrimonialia, tum quia hæc ſunt veluti accidentaria, & acceſſoria, expeditque, vt participent exemptionem perſonæ, & aliorum bonorum, ne detur occaſio laicis illo colore onerandi clericos: tum etiam quia ipſi clerici communi vtilitati laicorum inſeruiunt, & ideò illis quodam modo debitum eſt, vt gaudere poſſint vtilitatibus temporalibus cęteris ciuibus communibus, etiam ſi ad illas temporaliter non concurrant. Hac enim ratione ſolēt eximi milites, & Magiſtratus; ergo iure etiam eximuntur ſacerdotes, qui nō mi-

Solutio.

A nus ad ius, ſeu commune bonum pertinent, quàm ciuiles Magiſtratus, iuxta ſententiam Iſidori lib. 5. Etymologiar. c.8. cap. *Ius publicum*. diſt. 1. & idem habetur in l. 1. ff. de Iuſtit. & iure. Deniq; quanuis demus, in aliquibus caſibus iuſtum, & rationabile eſſe, vt clerici ad hęc opera contribuant, inde non ſequitur, dicta iura canonica de his exactionibus, ſeu contributionibus non loqui, quia nō omnino illas prohibent, ſed modum, & formam in illis ſeruandam ſtatuunt. Hoc autem maximè conſentaneū rationi eſt, B quia ad Prælatos Eccleſiæ ſpectat, clericorum curam ſpecialem habere, & diiudicare, an talia onera iuſtè illis imponantur, non tantùm generatim, ſed etiam in particularibus caſibus, & euentibus, in quibus ſolent exceſſus, & violentiæ cōmitti. Quam rationem dicta iura attigerunt.

Iſidor. Cap. Ius publicum. Lex. 1. ff. de Iuſt. & iur.

Dicendum ergo ſine vlla dubitatione eſt, in poſtulandis à clero huiuſmodi cōtributionibus à laicis Principibus, & Magiſtratibus ordinatis, ſeruandū eſſe modum, & formam in iure canonico præſtitutam, præſertim in dictis capitibus C *Non minus*, & *Aduerſus*. Ita docet latè Panormitan. in dicto conſ. 3. & in dicto cap. *Non minus*. n. 18. vbi refert alios antiquos Doctores in hac veritate conſentientes, præcipuè Gloſſam in cap. *Generaliter*, verb. *Collationibus*, quæ ait, legem ad *Inſtructiones* derogatam, vel certè limitatam eſſe per ius canonicum. Et idē ſenſit Hoſtienſ. in Sūm. tit. de Immunit. §. *A quibus*, circa finem, & communiter Canoniſtæ ſuper dicta decreta, Paulus Caſtren. Iaſon, & alij in dicta l. *Ad inſtructiones*, & Gregor. Lopez dict. tit. 6. partit. 1. l. 51. & meliùs in 54. n. 1. & 2. & lex D illa multum fauet. Nam licèt dicat, Clericos debere has contributiones ſoluere, tamen ſimul declarat, hoc eſſe ex cōſenſu Eccleſiæ, dicens, *Tubo por bien la ſancta Igleſia*. Et infrà adiungit, non poſſe laicos cogere clericos ad hanc ſolutionem, ſed ſolùm ſimpliciter ab eis petere, & ſi dare noluerint, per Epiſcopos cogendos eſſe, de Epiſcopis autem dicit, teneri ad id præcipiendum, quod intelligendum eſt iuxta priorem declarationē, ſcilicet, iuxta probationem Eccleſiæ, & modum ab ea præſcriptum. Et plura pro hac ſenten-

14. Concluſio. In his exactionibus ſeruāda eſt forma iure canonico præſcripta. *Panormit.*

Hoſtienſ. Paulus Caſtren. Iaſon. Greg. Lop.

Gutierr. tentia, & præſertim quoad Doctorum allegationes videri poſſunt in Gutierrez in dicta q. 3. libri. 1. Practicar.

15. Quas conditiones requirat forma iure canonico præfinita. Prima conditio. Forma autem, ſeu modus in his tributis ſeruandus, vt à clericis exigi poſsint, tribus conditionibus conſiſtit, quæ ex dictis capitibus *Non minus*, & *Aduerſus* ſumuntur. Prima ponitur his verbis: *Vbi laicorum non ſuppetunt facultates.* Circa quæ verba dubitari poteſt, de quibus facultatibus intelligenda ſint, an de ſolis facultatibus communibus reipublicæ, an etiam de facultatibus ſingulorum ciuiũ. De quo nihil inuenio à Gloſſa, vel Doctoribus ibi explicatum, neque in alijs iuribus canonicis, neque etiam in legibus iuris communis ciuilis; imò lex. *Ad instructiones*, omninoillam cõditionẽ omiſit; ſolúmque in dicta lege Hiſpaniæ nouæ recopilationis explicatur illa conditio, & ad communia bona limitatur per illa verba. *A fallecimiento de proprios de conſejo.* Cui legi ſtari poſſe videtur, quãdiu ex iure canonico aliud non conſtiterit, tum quia eſt ſatis rationi conſentanea, vt ex ſupra dictis conſtat, tum etiã quia alia eſſet nimia reſtrictio, vix enim poteſt moralis accidere caſus, in quo bona propria omnium, & ſingulorum ciuium ad huiuſmodi opera efficienda nõ ſufficiant, & difficilius erit hoc examinare, vel probare. Vt ergo clerus conſentire debeat, ſatis erit, vt moraliter cõſtet, communia bona non ſufficere, & ſingulos ciues non poſſe ſine magno grauamine ſuis ſolis ſumptibus tale opus efficere.

16. Secunda. Altera conditio eſt, vt contributio non fiat, niſi Epiſcopus, & Clerus, re inſpecta, & conſiderata, exiſtiment eſſe conferendam. Ita habetur in cap. *Non minus*, & expreſsiùs in cap. *Aduerſus* dicitur. *Epiſcopus ſimul cum clericis.* Vnde conſtat, non poſſe Epiſcopum ſolum cõtributionem approbare, vel iubere, etiã iuxta diſpoſitionem capit. *Non minus*, quia concurſus cleri ſimul poſtulatur. Interrogari autem poteſt, quid nomine cleri, vel clericorum intelligatur, nam videtur in rigore ſignificari, neceſſariam eſſe diœceſanam ſynodum: nam hæc videtur intelligi nomine cleri, & quia quod omnes tangit, ab omnibus debet comprobari; ergo oportet vt omnes conue- A niant, ſaltem per capita, & in ſynodo. In contrarium autem eſt, quia hoc non videtur obſeruari in vſu, & eſt moraliter valde difficile, vt in omnibus occaſionibus occurrẽtibus practicè ſeruari poſsit. Qua propter ſatis probabile eſt, ſufficere conſenſum Epiſcopi cum capitulo ſuæ cathedralis Eccleſiæ; nam illud ſolet in iure intelligi nomine clericorum, iuxta caput. 1. cum alijs, de ijs, quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu capituli. Multum etiam in hoc valere poteſt conſuetudo: nam vbi ex more præſcripto E- B piſcopus habuerit proprium conſilium ſuorum officialium, vel clericorum ad hoc munus deputatorum, & cum eis grauiora diœceſis negotia expedire ſolet, illud videri poteſt ſufficiens ad conditionem hanc in illis iuribus requiſitam implendam.

Non potest ſolus Epiſcopus prædictam cõtributioné clericis præcipere.

Tertia conditio in dicto cap. *Non minus* eſt, vt contributio fiat ſine vlla exactione. Hæc verò magis pertinet ad modum petendi tributum iam impoſitum, quàm ad modum ſeruandum in imponendo tributo. Intelligitur autem de exactione coactiua, vt iam ſuprà explicatum eſt, & de illa conditione videri C poteſt Gigas de Penſion. quæſt. 90. in fine, vbi alios refert. Inſinuatur etiam in eodem textu alia conditio, ſcilicèt, vt cõtributio ſit *ad releuandas communes vtilitates, vel neceſsitates*, ſed hæc nõ eſt noua conditio, ſed finis, & quaſi fundamentũ *iuſtitiæ* talis impoſitionis, quod in toto hoc capite principaliter ſuppoſuimus. His ergo conditionibus omiſsis propriã tertiam conditionem addidit Innoc. 3. in dict. cap. *Aduerſus* his verbis. *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius conſulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.* D In qua conditione propter difficultatem eius, & moram, quam neceſſariò ſecum affert, fundantur maximè contrariæ ſententiæ authores, vt putent, non eſſe extendẽdam ad has exactiones, quæ frequenter neceſſariæ ſunt, & habent quaſi innatam naturalem æquitatem, & pietatem. Sed nihilominus euidens eſt, Innocentium. 3. de eiſdẽ exactionibus, vel tributis cum Alexand. 3. eſſe loquutum, ac proinde hanc conditionem ad omnia tributa, in quæ priores cõditiones cadunt,

17. Tertia conditio.

Innoc. 3. Cap. Aduerſus.

A cadunt, extēdi. Ideoq; licèt difficilis videatur, ſeruandam eſſe, quia ſic ſcripta eſt ab eo, qui poteſtatem habuit illam imponendi; & potuit eſſe expediens propter vitanda incommoda, quæ frequenter occurrunt. Exiſtimo tamen, ſi Epiſcopus, & clerus conſentiant inconſulto ſummo Pontifice, licèt male faciant, & puniri poſsint, nihilominus factum tenere, quia ibi non additur verbum irritans conſenſum eorum, & alioqui habebant iure ordinario poteſtatem ad illum conſenſum præſtandum.

18. Euaſio. B Poſſet autem aliquis dicere, conditionem hanc eſſe in præſumptione fundatam, vt indicant illa verba. *Propter imprudentiam quorundam*, & ideo vbi fuerit euidens iuſtitia, & ratio contributionis, & conſenſus ſit debitus ſecundum prudentiam, non obligare legem illam quoad hanc conditionem. Quia

Exploditur præſumptio cedit veritati, & conſequēter ceſſat etiam lex in præſumptione fundata. Reſpondeo negando aſſumptum, quia illa lex re vera non ſupponit rem præſumptam, in qua fundetur, ſed ſolum morale periculum, & occaſionem frequentis mali, & nocumenti. C Hoc autem ſatis eſt, vt lex vniuerſaliter feratur, & obliget etiam in particulari caſu, licèt in eo negatiuè ceſſet finis,

Limitatio admittenda in hac tertia conditione. ſeu ratio legis. Solùm ergo limitari poteſt illa conditio in caſu vrgentis neceſſitatis, quando eſt periculum in mora, argumento capit. *Peruenit*, de Immunit. Eccleſiar. & quia neceſsitas caret lege.

Panormit. Greg. Lop. Sylueſt. Gutierr. Et hanc limitationem addiderunt, Panormit. & Gregor. Lopez ſuprà, & Syluester verb. *Immunitas*. numer. 20. Gutierr. ſupra, qui alios refert. Hæc autem neceſsitas maximè poteſt contingere in exactione, D quæ ad vnum actum, vel ad breue tempus fit: nam ſi longiori tempore ſit duratura, licèt in caſu neceſsitatis poſsit inchoari inconſulto ſummo Pontifice: vt longiori tempore protrahatur, conſulendus erit, quia poteſt quoad hanc partem lex impleri, neceſsitate non obſtante, quia hoc modo illi ſufficienter ſubuenitur.

***

CAPVT. XXVII.

Vtrum omnes clerici tam in ſacris, quam in minoribus ordinibus conſtituti, & in ſtatu clericali perſeuerantes, integrè gaudeant Eccleſiaſtica libertate?

Explicuimus cauſas, & effectus huius exemptionis, ſolùm supereſt, 1. vt de perſonis, ſeu ſubiectis, quibus hoc priuilegium conceditur, diſſeramus. Et quoniam ex hactenus dictis ſatis in genere conſtat, priuilegium hoc perſonis Eccleſiaſticis concedi, duo ſub hac generalitate explicāda ſuperſunt. Vnū eſt, quæ ſint iſtæ perſonæ Eccleſiaſticæ hoc priuilegium participantes. Aliud eſt, an ſingulis earum totum hoc priuilegium integrè, & quoad omnes ſuas materias communicetur. Primū ergo diſtinguendus eſt duplex ordo Eccleſiaſticarum perſonarum iuxta partitionem à Hieronymo traditam in cap. *Duo ſunt.* 12. q. 1. Vnus eſt clericorum, alius eſt eorum, qui Conuerſi, ſeu Deo deuoti ibi appellantur, qui ſub nomine *Monachorum* ſignificantur in cap. *Siquis ſuadente.* 17. q. 4. & iam communiter ſub nomine religioſorum, aut regularium cōprehenduntur.

Duplex Ec[illegible] rum per[illegible] Cap. *Duo ſunt.* 12. q. 1. Ca. *Siquis ſuadente.* 17. q. 4.

2. Differentia inter has Eccleſiaſticas perſonas. Differunt autem hæc duo genera perſonarum Eccleſiaſticarum, quia clericatus propriè ſumptus requirit ordinationem aliquam ſacramentalem, vel ſaltem primam diſpoſitionem, & quaſi inchoationem eius per primam tonſuram (in hac enim amplitudine nunc ſumitur iuxta cap. *Cùm non ab homine*, de Sentent. excom. & cap. *Cùm non ab homine*, de Iudicijs:) Monachatus verò nullum requirit ordinem, ſed ſolùm ſacrum aliquem ſtatum, per quem perſona Deo ſpecialiter dicetur, & vt talis ab Eccleſia recipiatur. Deinde in Clericatu ſunt diuerſi gradus, nam quidam ſunt Clerici in ſacris, vt ſunt omnes, qui per ordinationē ratione voti annexi inhabiles ad matrimoniū facti ſunt, iuxta cap. *Miramur*, de Seruis nō ordinãdis. Alij verò ſunt clerici in minoribus, qui votū nō emittūt, & ideo ſubdiſtinguēdi ſunt, nã quidã ſunt clerici continentes, alij coniugati. Et ita reſultant quatuor gradus perſonarum Eccleſiaſticarum, de quibus ſuo ordine dice-

Cap. *Miramur.*

dicemus, in hoc verò capite ſimul tractabimus de omnibus clericis non coniugatis, quia in generali regula conueniũt, qua conſtituta exceptiones, vel differẽtiæ, quæ inter eos fuerint, facile intelliguntur.

3. Prima concluſio. Dicendum ergo eſt, omnes clericos tam in ſacris, quam in minoribus, etiam in prima tonſura conſtitutos, & in clericali ſtatu perſeuerantes, plenè & integrè gaudere priuilegio clericali, per ſe loquendo, id eſt, niſi propter crimina illo priuentur. Hæc aſſertio extra controuerſiam eſt inter Catholicos: nam ex iure canonico manifeſtè probatur. Præſertim cap. 2. de Foro competent. ibi: *Neque presbyterum, neque diaconum, aut clericum vllum, aut minores Eccleſiæ*, per quod vltimum membrum intelligi videntur iuuenes, ſeu iuniones (vt habet alia litera) primam tantùm tonſuram habentes, quanuis alij magis vocem illam extendant, vt infrà videbimus. Idẽ probatur in dicto capite *Cum non ab homine*, de Iudicijs, ibi: *Clericos cuiuſcunque ordinis.* Et iterum: *Clericus in quocunque ordine conſtitutus.* Alia verô iura indefinitê loquuntur de clericis, ſub qua voce omnes comprehenduntur, præſertim in fauorabilibus, niſi limitatio addatur, & in hac materia ſpecialiter explicatur in capite *De perſona.* 11. quæſt. 1. vbi multa alia iura eodem modo de clericis loquuntur; tractant verò ſpecialiter de priuilegio fori tam in materia criminali, quàm in ciuili. Et cum eadem generalitate loquuntur iura Canonica de clericis quoad exemptionem à tributis, vt videri poteſt in omnibus titulis de Immunitate Eccleſiar. Denique ius etiam ciuile eodem modo de exemptione clericorum loquitur, vt patet ex Authentic. *Caſſa.* C. de Sacroſanct. Eccleſ. & Authent. *Item nulla*. C. de Epiſcop. & Cleric. vbi Frideric. de *perſonis Eccleſiaſticis* indefinitè loquitur, quod nomen generalius eſt. In Codice etiam Theodoſiano multæ ſunt leges ſæpè iam indicatæ, in quibus priuilegium hoc vel abſolutè conceditur clericis, vel interdũ etiam minoribus in particulari. Vnde à fortiori conſtat, conuenire maioribus.

Probatur primò ex iure canonico. *Cap. 2. de For. comp.* *Cap. Cum non ab homine.* *Cap. De perſona.* *Probatur ſecundò ex iure ciuili.* *Authent. Caſſa.* *Authent. Item nulla.*

4. Ratio aſſertionis non eſt alia, niſi quæ ex iure ſumitur. Nam ſi hoc priuilegiũ,

A vt eſt à iure diuino, ſpectetur, ſic nullam habet limitationem ex parte clericorũ, quia omnes ſunt ſpeciali titulo de familia Chriſti, & ad diuinum cultum conſecrati, & deputati: nam licèt inter ipſos clericos ſit differentia maioris, vel minoris conſecrationis, ſeu magis, aut minus ſacri miniſterij, hoc non ſatis eſt, vt dicamus, quoſdam fuiſſe magis exemptos ex vi iuris diuini, quâm alios, vt ſuprà cap. 10. declaratum eſt. Si autem hoc priuilegium ſpectetur vt per ius Eccleſiaſticum determinari, aut limitari poteſt B quoad perſonas, ſic etiam non inuenitur facta diſcretio inter clericos in ſacris, vel in minoribus, dummodò in ſtatu clericali perſeuerent, modo inferiùs explicãdo. Ratio autem colligi poteſt ex cap. *Si diligenti.* de Foro compet. quia hoc priuilegium ſicut non eſt perſonale, id eſt, intuitu perſonæ conceſſum, ita non eſt datum intuitu huius, vel illius ordinis, ſed intuitu ſtatus clericalis, & ideô dicitur ibi *toti collegio Eccleſiaſtico indultum,* ad quod collegium quilibet clerici pertinent, vt ibi dicitur. Nec dubitandum eſt, quin etiam Clerici ſolius primę tonſurę ſub hac generalitate comprehendãtur; C & ideò de his ſolent interdum authores loqui in particulari, vel ad tollendũ omne dubium, vel vt à fortiori intelligantur omnes ſuperiores comprehenſi, vt videre licet in Ioanne Lupo tract. de Libert. Eccleſiaſt. cap. 2. & Couarr. in Practic. cap. 31. 32. & 33. & eſt ſatis expreſſum in dicto cap. 2. de Foro compet. & clariùs in Concilio Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de Reformat. quod decretum ſtatim exponemus.

Ratione probatur aſſertio. *Cap. Si diligenti.* *Ioan. Lup.* *Couarr.* *Conc. Trident.*

Quod autem hoc intelligendum ſit de plena, & integra exemptione, vt in altera 5.
D parte aſſertionis dixi, æquè certum eſt, & eodẽ ferè modo eſt probandum: nam iura canonica, & ciuilia, tam quæ exẽptionem fori in criminalibus, & ciuilibus, quã quæ immunitatẽ à tributis cõcedũt, de eccleſiaſticis perſonis æqualiter, ſiue indefinitè, ſiue cũ diſtributione loquuntur. Vnde omnia, quę hactenus de generalitate exẽptionis tam in criminalibus, & ciuilibus iudicijs, quàm in legibus etiã ciuilibus, & tributis diximus, ad omnes clericos cuiuſcũque ordinis in ſtatu clericali perſeuerantes æqualiter appli-

canda ſunt, quia iura quoad hanc partem nihil inter eos diſcernunt, vnde neque nos diſcernere debemus, niſi fortaſſe in aliquo caſu particulari in iure expreſſo. de quo nunc non tractamus.

6. Limitatur aſſertio. Dixi autem *in clericali ſtatu perſeuerantes*. Primò ad declarandum, concluſionē intelligi de clericis non cōiugatis, nam illi ſoli integra exemptione gaudēt, vt ex dicendis in capite ſequenti conſtabit. Deinde poſita eſt illa particula ad explicandum decretum Concilij Tridentini ſuprà allegatum, & differentiam, quæ inter clericos maiorum, vel minorū ordinum in hoc inuenitur. Supponit autē hęc differentia diſcrimen aliud inter ſtatus vtriuſque ordinis clericorum. Nam licèt omnibus clericis commune ſit, vt characterem indelebilē accipiant (quod cum proportione, & quadam imitatione de prima tonſura accipiendum eſt) nihilominus quoad perſeuerantiam in ſtatu, & munere clericali ordines ſacri ſecum afferunt maiorem ſtabilitatem, & obligationem. Nam clerici in ſacris tenentur in ſtatu clericali perſeuerare cap. *Decernimus*. diſt. 28. neque poſſunt illum ſine apoſtaſia deſerere, vnde ad habitum, & inſignia clericalia retinenda cogi poſsūt, cap. *Tuæ* de Apoſtatis adiuncta Gloſſa communiter probata. Clerici autem in minoribus, vt eadem Gloſſa notat, poſſunt ſine apoſtaſia ſtatum clericalem deponere, & laicè viuere, & ſecularibus negotijs implicari, iuxta cap. *Ioannes*, de Clericis coniugat. & cap. vnic. eodem tit. in 6. Ex hac ergo differentia oritur, vt clerici in ſacris abſolutè, & ſine vlla alia conditione dicantur ex vi ſuæ ordinationis gaudere priuilegio Clericali, quia talis ordinatio ſecum trahit perſeuerantiam in illo ſtatu, & conſequenter etiam trahit priuilegium clericale, per ſe loquendo, quam particulam, ſeu limitationem infrà explicabo. Inferiores autē ordines, quia per ſe non obligant ad perſeuerantiam in illo ſtatu, per ſe ſoli non ſufficiunt ad gaudendum priuilegio clericali, ſed aliquas alias conditiones requirunt, quæ indicent, talem perſonam durare in ſtatu, in quo eſt diuino cultui, & Eccleſiaſtico miniſterio dicata, quæ eſt potiſsima ratio, ob quam hoc priuilegiū conceditur.

Cap. *Decernimus*. Cap. *Tuæ*. Cap. *Ioannes*. Ordines ſacri per ſe ſoli priuilegium exemptionis inducunt, minores verò nō ita.

A Hinc ergo Tridentina Synodus ſeſſ. 23. cap. 6. de Reformat. in hunc modum decernit. *Nullus prima tonſura initiatus, aut in minoribus ordinibus conſtitutus ante decimum quartum annum beneficium poſsit obtinere. Is etiā fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato ſui Epiſcopi inſeruiat, vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos, verſetur*. Ex qua deciſione B conſtat, mentem Concilij fuiſſe, vt non gaudeant priuilegio clericali clerici in minoribus conſtituti, niſi Eccleſiaſticis miniſterijs actu dicati ſint, quod nos explicuimus per verbum *perſeuerandi in ſtatu clericali*. Voluit autem Concilium, vt minoribus ordinibus aliquid aliud adiungeretur, quo iſta perſeuerantia, ſeu dedicatio ad diuinum cultum indicaretur. Duos autem modos Concilium diſtinxit. Vnus eſt, ſi clericus minor beneficium Eccleſiaſticum habeat. Alius eſt, ſi tonſuram, & habitum clericalem deferat, & ad ſeruiendum alicui C Eccleſiæ, vel alio modo in via ad Eccleſiaſticum obſequium per Epiſcopum applicatus, vel conſtitutus ſit. Qui duo modi ſinguli per ſe ſufficiunt: nam à Concilio ſub disiunctione, *aut*, ponuntur.

7. Conc. Tridentinum. In cle[illegible] minoribus tres [illegible] nes [illegible] ad fruendū hoc priuilegio.

8. Clericus ergo minor habens clericale beneficium, eo ipſo gaudet priuilegio fori, etiam ſi conditiones alias in clericis minoribus nō beneficiatis requiſitas nō obſeruet, quia Concilium in illo membro ſolùm beneficium cum ordinibus requirit, quia ex vi beneficij cenſetur eſſe actu dicatus Eccleſiaſtico miniſte- D rio, & tenetur habere animum in clericali ſtatu perſeuerandi, vel ſaltem non habendi contrarium, aliàs nec beneficiū retinere, nec illius fructus ſuos facere poteſt. Dices; ergo licèt talis clericus in habitu clericali non incedat, nec tonſuram deferat, & in reliquis vt laicus viuat, gaudebit priuilegio clericali, quod videtur abſurdum, cum grauiter peccet, & ſatis videatur clericalem ſtatum deſeruiſſe. Reſpondeo cōcedendo, non amittere priuilegium ipſo facto, quia nullo iure priuatur, nec Concilium in tali clerico

Obiectio.

rico aliam conditionem vt ſimpliciter neceſſariam ad gaudendũ priuilegio requirit. Poterit tamen talis clericus moneri, & ſi incorrigibilis ſit, priuilegio priuari, iuxta cap. *In audientia*, & cap. *Contingit*. 2. de Sentent. excõmun. Idem enim in clericis in ſacris contingit, vt infrà dicemus, & notat Gloſſa in cap. *Tuæ*, de Apoſtatis, & Innocent. in cap. 1. eodẽ tit.

Clericus habitu, & tonſuram non deferens nõ ſtatim priuilegium amittit.

9.

An penſio cum minoribus ordinibus ad hoc priuilegiũ ſufficiat.

Quæri autem poteſt, an ſufficiat cum tali ordine habere penſionem. Reſpondeo, ſi penſio talis ſit, quę poſſit haberi à laico, clarum eſt, non ſufficere, quia talis penſio neque eſt inſigne clericatus, neq; ad ſtatum clericalem, vel officium obligat, neque beneficio Eccleſiaſtico vllo modo ęquiparatur. Si autem penſio ſit clericalis, videri poteſt ſufficere, propter cõtrarias rationes, ęquiparatur enim Eccleſiaſtico beneficio, & ideo ſolet ſub illa voce comprehendi, pręſertim in fauorabilibus. Habemusq; ad manum exemplũ in eodem decreto Concilij Tridentini: nam in principio ſtatuit, vt ante decimũ quartum annum nullus poſſit beneficiũ obtinere, ibi autem congregatio Cardinalium cenſuit, ſub beneficio penſionem comprehendi; ergo eadem, vel maiori ratione cùm inferiùs dicitur, clericum minorem, ſi habeat beneficium gaudere priuilegio, debet etiam nomen beneficij ad penſionem extendi.

Congregatio Cardinali.

10. Nihilominus inuenio reſponſionem aliam eiuſdem congregationis, in qua contrarium declarari videtur his verbis: *Cui reſeruata fuit penſio, ſi non incedat in habitu, & tonſura, non gaudet priuilegio fori.* Et ratio redditur, quia Concilium Tridentinum corrigit ius commune, & tres caſus excipit per dictionem, *Niſi*, Hæc enim deciſio non poteſt ſubſiſtere, niſi ſupponamus, ibi ſub nomine, *Beneficij* non venire penſionem. Nam licèt verum ſit Concilium corrigere ius cõmune in eo, quod non requirit trinam monitionem, quam poſtulabant cap. vlt. de Vita, & honeſt. clericor. & capit. *Contingit*, de Sentent. excõmunic. nihilominus in primo membro illorum, quę excipit, ſolum beneficium cũ aliqua ordinatione requirit; ergo ſi penſio venit nomine beneficij, quando alicui vt clerico reſeruatur, qui illam habuerit, gaudebit priuilegio, etiam ſi habitum, & tonſuram non deferat. Vel è contrario ſi ille non gaudet priuilegio (vt habet reſponſio Cardinaliũ) non ſufficit ſola penſio ſine alijs requiſitis, ac ſubinde ſub beneficio nõ comprehenditur.

Vnde tenẽdo hãc ſententiã, reſpõderi poterit, hic reſtringi nomen beneficij, quia hoc cedit in fauorem Religionis, ne is, cui pẽſio tanquam clerico reſeruatur, facile habitum, vel tonſuram deſerat, ſi abſque illis poſſet priuilegio gaudere. Mihi tamen, vt verum fatear, hoc nõ ſatisfacit, ideoque difficilis videtur hæc poſterior deciſio, nec rationem eius ſatis intelligo, ideo'q; dubito, an fideliter ſit deſcripta, ac propterea iudicium in hoc puncto alijs remitto. Aduerto tandem in hoc priori membro, quòd licèt ad beneficiũ ętatem quatuordecim annorum Concilium requirat, ad gaudendum priuilegio non eſt neceſſaria, quia in nullo membro à Concilio poſtulatur. Solum in hoc primo videtur conſequenter exigi ratione beneficij, vel potiùs ſupponi. Si tamen per diſpenſationem contingat, clericum minorem quatuordecim annis habere beneficium, priuilegio clericali gaudebit, quia in re habet conditiones à Concilio requiſitas, nihilque refert, quòd eas per ius commune, vel per diſpenſationem habere potuerit, quia in hoc Concilium nihil diſtinguit. 11.

Quatuordecim annorũ ætas ad hanc exemptione non requiritur.

Circa aliud membrum ſolùm oportet notare, in clerico minori non habente beneficium, tres conditiones poſtulare Cõcilium copulatiuè. Ideoque quacumque illarum deficiente, ipſo facto, & nulla declaratione, vel monitione præmiſſa, non gaudebit talis clericus priuilegio, vt congregatio etiam Cardinaliũ expreſſe declarauit, citans Innocentium in cap. 1. de Apoſtatis, & Geminianum in cap. *Si iudex*, de Sentent. excommunic. in 6. Et ratio eſt, quia illa non eſt lex pœnalis, ſed cõſtitutiua formæ neceſſarię ad tale priuilegium, & ideo deficiente forma, ipſo facto perditur priuilegium. Declarat præterea dicta congregatio, habitum debere eſſe decentem, & vſque ad talos. Eademque ratione oportebit, tonſuram eſſe ſecundum communem conſuetudinem patriæ. Alia de his duabus conditionibus videri poſſunt in Couar. in Pract. cap. 31. num. 7. & Iulio Claro lib. 5. §. vlt. 12.

12. Clericus in minoribus ex defectu cuiuſcũque ex dictis cõditionibus ipſo facto priuilegiũ amittit.

Couarr.
Iuli. Clar.

vlt.q.36.n.17. Et inter leges Hiſpaniæ lex.1.tit.4. libri.1. Nouæ recopilat. vbi quędã declaratio Pij.4.pro his regnis refertur. Quacũque ergo ex his duabus cõditionibus deficiente, iuxta conſuetum morem amittetur priuilegium: vt autem deficere iudicentur, non ſatis eſt, ſemel aut iterum in eis deficere, ſed veluti habitu, & permanenter ſine illis incedere vt eadem congregatio ſenſit argumẽto cap. *In audientia*, de Sentent. excommunic. In caſu verò dubio Eccleſiaſticus iudex diſcernit, an clericus ſufficienter habitũ, vel tonſuram dimiſerit, iuxta cap. *Si iudex*, de Sentent.excommun, in 6. Vide Couarr.in Pract. c.33. in princip. Iuli. Clar.§.vlt.q.36.nu.21.Salzed.in Pract. cap.62.nu.14.& 19.

13. Atque hę duæ conditiones habitus, & tonſurę iure cõmuni videbantur ſufficere etiam poſt trinam monitionem, Concilium verò addidit tertiam, nimirum, vt talis clericus ex mandato Epiſcopi alicui Eccleſiæ inſeruiat, ſeu addictus ſit, quæ ſatis per ſe eſt perſpicua, & ſine dubio eſt neceſſaria, non tamen abſolutê, ſed niſi per aliam ab eodem Concilio approbatam ſuppleatur. Ponit enim Concilium ſub diſiunctione duo membra, ſcilicet: *Vel in ſeminario clericorum, aut in aliqua ſchola, vel vniuerſitate de licentia Epicopi verſetur*, de quibus dubitari poteſt, an ſingula ex illis contineant ſingulas conditiones per ſe ſufficientes ad hoc priuilegium, vel ſolùm ſint quaſi partes tertiæ conditionis in ſecundo membro principali poſitæ, & cũ illo ſolo ſub disiunctione conſtruendæ. Sed ſine vlla dubitatione hic poſterior eſt ſenſus Cõcilij. Alioqui conſtituenda eſſent quatuor membra principalia illius deciſionis, & clericus in minoribus exiſtens in ſtudio de licentia Epiſcopi gauderet priuilegio, etiam ſi habitum, & tonſuram clericalem non deferret, & beneficio careret: conſequens eſt contra rationem, & contra cõſuetudinem, quæ eſt optima legum interpres. Non ſunt ergo illa quatuor mẽbra principalia, ſed duo, quia verò in ſecundo membro tres ponuntur conditiones, tertia illarum diſiũctiuè ponitur ſub triplici membro minus principali. Itaq; in omnibus clericis minorum ordinum in primis requiritur habitus, & tonſura,

A loco verò tertiæ conditionis de Eccleſiæ miniſterio, ſufficit eſſe in ſeminario, vel in ſtudio de licentia Epiſcopi.

Vlterius verò poteſt circa hanc partẽ interrogari, an clericus minor habitum, & tonſuram deferens, beneficiũ non habens, neque Eccleſiæ deſeruiens, neque aliter hanc tertiam conditionem obſeruans ſit immunis â tributis, eſto non gaudeat priuilegio fori. Aliqui enim affirmant, illas conditiones à Cõcilio poſitas non eſſe neceſſarias ad gaudendum immunitate à tributis, quia Concilium ſolũ ad priuilegium fori eas requiſiuit, ſunt autem illa duo priuilegia diuerſa, & ideo neque ab vno ad aliud argumentari, neq; extenſionem facere licèt contra priuilegium aliud, cum potius fauores amplian- di ſint. Sed contrariam ſententiam cenſeo veram, & in primis certum eſt, conſuetudine receptum eſſe, vt iſti clerici, qui beneficium non babent, nec Eccleſię deſeruiunt, vel habitum, aut tonſuram non ferunt, à tributis non excuſentur, vt teſtatur Couarr.in Practic.cap.31. in fine, quæ conſuetudo ſi eſſet contra immunitatem Eccleſiaſticam, non ita præualere potuiſſet, vt iuſta eſſet exactio, ſicut infrà dicetur, quod tamen de hac cõſuetudine dici nõ poteſt, nullus enim eſt qui hanc conſuetudinem reprehendat.

14. An clericus minor, ſi alicui Eccleſiæ non inſeruiat, nec ſtudijs vacet, ſit à tributis exemptus. Aliquorum opinio affirmans.

Secunda, & vera opinio.

Couarr.

Deinde in ſuperioribus oſtenſum eſt, nonpoſſe eſſe aliquem tributis ſubditum niſi ſit iuriſdictioni, & foro ſubiect⁹, quia impoſitio tributi quidã actus iuriſdictionis eſt; ergo è conuerſo, qui non eximitur à iuriſdictione Principum, non eſt, cur cẽſeatur ab eorum tributis exẽptus, niſi Principes ipſum eximere velint; ergo clerici minores non gaudentes priuilegio fori ex defectu dictarum conditionum, cõſequenter non gaudent immunitate à tributis. Et ideo in ſuperioribus dixi, priuilegium fori, vt diſtinguitur à priuilegio canonis, omnem immunitatem etiam à legibus tributorum includere, & ſumitur ex cap. *Quanquam* de Cenſib.in 6.cum ſimilibus. Conciliũ ergo abſolute loquens de priuilegio fori, in hoc ſenſu accipiendum eſt. Et confirmatur: nam ſi iſti clerici non gaudent priuilegio fori; ergo ſubduntur legibus ciuilibus, non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam quoad coactiuam; ergo etiam ſub- 15.

Cap. Quãquã de Cenſib.

duntur legibus tributorum: nam eſt eadem ratio. Eſt etiam magna congruẽtia, quia ſi per ſolam primam tonſuram v.g. ſine vlla alia profeſsione clericatus homines fierent à tributis immunes, multi tonſurarentur ſolùm, vt à tributis eximerentur abſque vlla intentione Eccleſiaſtici ſtatus.

16. Expeditur quædã Hiſpaniæ lex. Maior quidem mihi difficultas eſt, in quadam lege Hiſpaniæ lib. 1. Nouæ recopilat.tit.4.l. 2. quæ declarat, clericos non habentes beneficium Eccleſiaſticum, licèt obſeruent cætera requiſita à Concilio ad gaudendum priuilegio clericali, ſolùm gaudere illo quoad cauſas criminales, non verò quoad tributa, contributiones, & cætera omnia. Illa enim lex non potuit decretum Concilij limitare, Concilium autem abſolutê dicit, hos clericos gaudere priuilegio fori, quod de ſe non limitatur ad cauſas criminales, ſed omnia complectitur, quæ ſuprâ explicuimus. Videtur ergo illa lex ſupponere, hos clericos minores carentes beneficio non gaudere ex vi iuris communis exemptione à tributis, & cauſis ciuilibus. Quod ſi ita eſſet, rectè diceretur, etiam ex vi Concilij illa non gaudere, quia Concilium Trident. non addidit priuilegium his clericis vltra ius commune, ſed ſolùm non abſtulit, quod antea habebant. At verò ſuppoſitio illa re vera non eſt in iure fundata, quia nullibi fit talis diſtinctio; imô dictum cap. *Quanquam* abſolutè, & generaliter loquitur, & ſimiliter alia iura ſuprà citata de Iudicijs, & Foro competenti. Sed fortaſſe in Hiſpania hoc ius commune quoad hanc partem derogatum eſſe ſupponitur, vt Couarru. ſupra ſignificat. Vt hoc autem admittatur, oportet, vt conſtet, talem conſuetudinem, & derogationem eſſe à Pontifice approbatam, alioqui nõ cenſeo poſſe in conſcientia legem illam cum his clericis, qui gaudent iuxta Cõcilium priuilegio fori, obſeruari.

17. An clerici ſemel hoc priuilegio priuati, illo amplius poſſint gaudere. Prima ſententia. Tandem circa hos clericos dubitari poteſt, an qui ſemel carent priuilegio ex defectu dictarum conditionum, illo gaudere incipiant, quotieſcunque formam Concilij ſeruare cæperint, non enim defuerũt qui hoc negauerint, quia priuilegium à ſuperiore ſemel ablatum non recuperatur propria authoritate,

A ſed oportet, vt à ſuperiore iterum concedatur; at verò Concilium aufert priuilegium, & non reſtituit; ergo non recuperatur ſola voluntate clerici ad ſtatum clericalem redeuntis. Aliqui verò addiderunt, hoc maximê habere locum, quãdo clericus punitus eſt à iudice, & priuatus priuilegio, quia ſine habitu clericali incedebat, quia tunc propriè videtur habere locum ratio facta. Vel etiam quia tunc maximè videtur quis renunciare priuilegio, ſimúlque acceptatur renunciatio, poſtquàm verô aliquis ſic renunciat priuilegio, non poteſt ſua voluntate ad illud redire. Et pro hac ſententia citatur Innoc. in cap. 1. de Apoſtatis. *Innocen.*

B

Nihilominus contrarium cenſeo certum, quandocunque enim clericus habitum, & tonſuram deferre cæperit, & Eccleſiæ inſeruire aliquo ex modis â Concilio præſcriptis, incipiet gaudere priuilegio, etiam ſi ob aliquem defectum antea illo non gauderet. Ita docuit Abbas in ſimili puncto in cap. *Ioannes,* de Clericis coniugat. num. 4. Sequitur Angelus verb. *Excommunicatio.* 5. num. 23. & in hanc ſentẽtiam refert Ioannem Monachum, Archidiac. & Ioan. de Lignano. Idem Sylueſter Excomunicat. 6. num. 4. & Antonin. 3. part. tit. 24. cap. 2. & idem ſumitur apertê ex quadam reſponſione congregationis Cardinaliũ. Cùm enim interrogatum eſſet, an clericus, qui beneficium Eccleſiaſticum obtinuit, cui, animo vxorem ducendi, vna cum clericatu renunciauit, poſteà verô mutata voluntate habitum clericalem aſſumpſit, & aliud beneficium obtinuit, an recuperet priuilegium clericale, reſpondit congregatio, affirmando, quia clericus non poteſt priuilegio renunciare, iuxta cap. *Si diligenti* de Foro cõpet. Et eſt reſponſio iuri conſentanea, vt à ſimili ſumitur ex cap. vnic. de Cleric. coniugat. in 6. & ex his, quæ Panor. & alij notant in ca. *Clericus.* 2. de Vit. & honeſt. clericor. Hæc autem deciſio eandem in præſenti rationem habet. Nam Concilium Tridentinum duas conditiones ſub disiunctione poſuit, vt vidimus, ſed in priori, licèt clericus dimittens beneficium, etiam animo renunciandi clericatui, deſinat gaudere priuilegio.

18. Auctoris ſententia.
Ca. *Ioan. Abbas. Angel. Syluest. Anton.*
C
Congreg. Cardin.
D
Cap. 1. *de Cleric. coniugat.*
Panormit.

legio, ſi beneficiũ iterum obtineat, priuilegio gaudere incipit; ergo etiam in poſteriori caſu licèt clericus non beneficiatus ſi dimittat habitum, pro tunc non gaudeat priuilegio, poſtea ad formã clerici â Concilio præſcriptam rediens illo gaudebit. Probatur conſequentia ex paritate rationis, & quia ex priori caſu oſtenditur fundamentum contrariæ ſententiæ nullius eſſe momenti.

Vnde argumentor in huncmodum
19. quia vel talis clericus non recuperaret priuilegium, quia fuit omnino, & radicitus (vt ſic rem explicem) illo priuatus; vel quia voluntariè illi renunciauit; neutrũ autem eſt verum, neq; probabile. Primum patet, quia nec Conciliũ, nec aliud decretum Canonicum talem priuationẽ efficit. Nam Concilium ſolûm dicit, *Is etiam priuilegio fori non gaudeat, niſi* &c. Et ſub his verbis ponit vtrumque membrum, illa autem verba non continent priuationem perpetuam, ſed ſolûm cõditionem requiſitam ad gaudendũ priuilegio. Hæc autem eſt vis, & natura conditionalis, vt ſit ad vtrunq; parata, ſi vera ſit, nimirum, vt non poſita conditione, non ſequatur effectus, & illa poſita, ſequitur, etiam ſi antea ob defectum cõditionis poſitus non fuerit: nam hoc nihil refert, quia quod conditio tardiùs, vel citiùs impleatur, impertinens eſt. Præſertim quia illa mora per ſe non eſt peccaminoſa, nec pro tunc priuatur clericus priuilegio in pœnam, ſed ex defectu formæ, ſeu ſtatus, in quo ſegerit vt laicus, & ideo ſicut laicus incipit gaudere, ſi ordinetur &c. Ita & iſte clericus, ſi habitum, & alia requiſita reaſſumat.

20. Aliud membrũ de renunciatione iam probatum eſt. Nam regulariter non eſt neceſſe, vt talis clericus habeat animum renunciandi, ſed ad ſummũ non gaudendi pro illo tẽpore. Et deinde licet velit, non poteſt renunciare priuilegio, niſi renunciando etiam clericatui, ſeu beneficio &c. Perſeuerando autem in debito ſtatu, vel reſumendo illum, non poteſt non gaudere priuilegio, etiã ſi velit, quia non poteſt renunciare tali priuilegio in fauorẽ clericatus inducto. Vnde impertinens eſt, quod per ſententiam fuerit talis clericus exemptione priuatus, tum quia illa ſententia non inducit nouũ ef-

A fectum, ſed declarat effectum iuris, tum etiam, quia licèt illam priuationem imponeret per modum pœnæ, illa non eſt abſoluta, nec perpetua, ſed habet incluſam conditionem, ſeu terminum, ſcilicet, *donec aſſumat habitum*, &c. vel *quãdiu non aſſumpſerit*. Vnde eſt quaſi ſuſpẽſio, quæ ſub illis terminis lata, ceſſat adueniẽte termino, ſeu ceſſante conditione, vt alibi diximus, & ad rem præſentẽ optimè probatur ex Clementin. 1. de Vita, & honeſt. Clericor. ibi, *quandiu præmiſſis inſtiterint*, vbi id notat Gloſſa, & alijs iuribus confirmat. Clement. 1. de Vita. & honeſt. Cleric. *Gloſſa.*

B Atque ex his facilè declarari poteſt, 21.
cur in fine concluſionis addiderimus, intelligendam eſſe per ſe: quia propter crimina interdum priuantur clerici etiam in ſacris, priuilegio fori, & ob nullam aliam cauſam ſolent illo priuari, neque fortaſſe poſſunt. Quia vel illud habent â iure diuino, vel ab Eccleſiaſtico in diuino ita fundato, vt ad illud proximè accedat; ergo niſi ipſi clerici indigni fiant tali priuilegio, non poſſunt illo priuari. Non fiunt autem illo indigni, niſi per crimina; ergo non poſſunt illo priuari, niſi in criminum pœnam, quandiù ſcilicet, ſtatum clericalem retinent. Quod addo propter clericos in minoribus. Nam illi, qui ſunt in ſacris ex vi ſolius characteris cenſentur eſſe ſemper in ſtatu clericali, quãdiu per eccleſiam nõ degradantur, quod non fit, niſi in pœnam aliquorum criminum. In minoribus autem clericis non ſufficit character ſine alijs conditionibus ad illum ſtatum ab Eccleſia requiſitis, & ideò ex defectu talium conditionum carent priuilegio ſine culpa, vel pœna; illis autem ſtantibus nunquam illo priuantur, niſi in pœnam. Propter crimina poſſe interdũ clericum hoc priuilegio priuari.

C

D Et confirmatur hoc, quia hoc priuilegium non eſt in gratiam perſonæ, ſed 22.
totius ſtatus clericalis; ergo nullus clericus poteſt illo priuari, niſi fiat illo indignus, quia id redundaret in magnum totius ſtatus clericalis incommodum, ac detrimentum. Quod autem propter crimina auferatur, redundat in commune bonum totius ſtatus, & ideò ita fieri poteſt, & non aliter. Et ob eandem cauſam, vt in ſuperioribus attigi, etiam ſi hoc priuilegium datum eſſet cleri-

clericis immediatè ab ipſo Chriſto, poſſent in pœnam illo priuari, ſicut priuantur homines libertate, aut vita in pœnam, etiam ſi dono authoris naturæ illã habuerint, quia intelligitur data quaſi ſub hac conditione, ſeu ſubordinatione ad commune bonum reipublicę, & poteſtatis, quæ illius curam gerit: ita cum proportione de hoc priuilegio cenſendũ eſt, datum nimirum eſſe cum ſubordinatione ad poteſtatem Eccleſiaſticã, quod multò magis locum habet, ſi fortaſſe per illam proximè fuit conceſſum.

23. *Quibus modis pœnapriuationis huius priuilegij clericis imponatur.*

Statim verò occurrebat inquirẽdum, quibus modis fiat hęc priuatio priuilegij in pœnam. Sed hoc magis pertinet ad tractatum de Cenſuris Eccleſiaſticis, vbi id attigimus diſp. 30. ſect. 2. Reſolutio autẽ breuiter eſt, regulariter non priuari clericum hoc priuilegio, niſi per degradationem realem iuxta cap. *Nouimus* de Verbor. ſignificat. & cap. 2. de Pœnis in 6. & docent Canoniſtæ in cap. *At ſi clerici.* §. de Adulterijs, de Iudicijs, & alij, quos refert, & ſequitur Couar. in Practi. cap. 32. & Ioannes Lupus tract. de Libert. Eccleſiaſt. p. 2. cap. 5. num. 5. Aliquando verò fieri poteſt hæc priuatio per ſolam ſententiam à iudice Eccleſiaſtico latam, etiã ſi realis degradatio non ſit ſubſequuta, quod tamen nunquam fit, niſi ſuppoſita incorrigibilitate in delictis enormibus, & ſeruata forma præſcripta in cap. *Cum non ab homine* de Iudicijs, de qua videri poſſunt ibi Doctores, præſertim Panormit. num. 24. Decius. n. 8. Felin. n. 9. & Couar. ſupra num. 2. Et ratio ſufficiens eſt, quia in pœnis inferendis ſicut poteſtas à iure data ſufficit, ita forma conceſsionis ſeruanda eſt: imò & reſtringenda, quia materia eſt odioſa. Tertio deniq; modo poteſt hęc pœna immediatè per ipſã legẽ canonicam ferri. Ad intelligendum autem, quando, & quomodo talis pœna per canonem inferatur, in primis proprietas verborum ſtrictè obſeruanda eſt iuxta principia generalia de lege pęnali.

Cap. Nouimus, de verbo. ſignif. Couar. Ioã. Lup. Cap. Cum non ab homine. Panormit. Decius. Felin. Couarr.

24. *Priuilegia canonis, & fori clericorum in iure diſtingui.*

Deinde eſt in hac materia ſpecialiter aduertendum, priuilegia canonis, & fori clericorum in iure canonico eſſe diſtincta, vt notauit Panormit. cap. 1. de Apoſtatis, ideoque attente cõſiderandũ eſſe, de quo priuilegio lex loquatur, vt ab vno ad aliud non extendatur. Vnde licèt in

A cap. *Perpendimus*, cap. *In audientia*, cap. *Vt famæ*, cap. *Contingit.* 2. de Sentent. excõmunicat. clerici ter admoniti, & nihilominus in quibuſdam criminibus obdurati, priuentur ipſo facto priuilegio canonis, nihilominus illa iura non ſunt extendẽda ad priuilegium fori, vt notaui diſp. 22. de Cenſur. ſect. 1. tum quia pœnę ſũt reſtringendæ, tum etiam quia, vt rectè dixit Angelus verb. *Excommunicatio.* 5. num. 23. & Syluest. *Excomunicatio.* 6. n. 4. priuilegiũ fori difficiliùs tollitur, quã canonis. Nam priuilegium canonis purè

Cap. Perpẽ Cap. In audientia. Cap. Vt famæ. Cap. Cõtingit. Angel. Syluest.

B humanũ eſt, ſolùm enim conſiſtit in peculiari modo tuendi, ac defendendi incolumitatem perſonarum Eccleſiaſticarũ, grauiſsimam cenſuram contra earũ percuſſores ferendo, & ideo idem ius canonicum, quo illa cenſura lata eſt, meritò non vult, illam habere locum in prædictis caſibus, in quibus iudicat, clericos vt laicos viuentes, & poſt tot admonitiones pertinaces, tali defenſione fieri indignos, licèt non ſtatim omni alio maiori priuilegio, & à iure diuino manante, priuentur, vel priuari mereantur.

Vnde ſiquis rectè cõſideret canones, 25.
C qui de hoc priuilegio loquuntur, pauci ſunt, qui pœnam hanc ipſo facto ſine alia ſententia iudicis Eccleſiaſtici ita imponant, vt eo ipſo perſona clerici ſubiecta maneat poteſtati ſeculari. Nam quoad clericos in ſacris vix reperitur ius certũ præter cap. 1. de Homicid. in 6. de quo ſuprà dicto loco de Cenſuris dictum eſt, & videri poſſunt Syluest. verbo, *Aſſaſyni*, q. 3. & 4. Iuli. Clar. lib. 5. §. vlt. n. 30. & Couar. lib. 2. Variar. c. 20. nu. 10. Alia verò iura, quæ in certis caſibus priuant ipſo facto clericos hoc priuilegio ſub quibuſdam cõditionibus in cap. *Ex parte.* 3.
D de priuileg. & c. vnic. de Vita, & honeſt, clericor. in 6. & Clementin. 1. eodem tit, hæc (inquam) iura, & ſimilia ſolent de clericis minoribus exponi, quod nunc examinare, & ex profeſſo tractare nec noſtri inſtituti eſt, nec vacat, ſed videri ibi poſſunt Gloſſæ, & Doctores, & in cap. 1. de Apoſtatis, & Panormitan. in cap. *Perpendimus*, de Sentent. excommunic. & Ioan. Lupus in dicto tract. de Libert. Eccleſiaſt. p. 2. q. 5.

Cap. 1. de Homicid. Syluest. Iul. Claro. Capit. Ex parte de priuileg. Cap. Vnic. de Vita, & honeſt. cle. Panormit.

*

CAP.

CAPVT XXVIII.

An Clerici coniugati priuilegio Eccleſiaſticæ exemptionis gaudeant.

1. HÆC quæſtio tractari poteſt, vel de iure antiquo, vel de nouo. Prior ſenſus parum vtilis eſt, & ideo illum prætermittimus. Veriſimilius autem eſt, priùs quam Eccleſia in hoc diſcrimen conſtitueret inter clericos coniugatos, & reliquos, Priuilegium indifferenter clericis conceſſum ad coniugatos pertinuiſſe non minus quàm ad reliquos, quia non poſſumus nos excludere, quos lex nõ excludebat, & quia priuilegiũ Principis ãple interpretãdũ eſt. Imò in legibus Imperatorum non nullæ habẽtur, in quibus priuilegium hoc ſaltem ex parte ad vxores, & filios clericorum extenditur, vt videre licet in titulo de Epiſcop. & Cleri. in Cod. Iuſtiniani, & Theodoſij. Relicto ergo antiquo tẽpore, quęſtio tractatur ſecundum nouum ius capituli vnic. de Cleric. coniugat. in 6. quod confirmat, & aliquo modo reſtringit Cõcilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 6. de Reformat. Statuit autem Bonifaci. in dicto capite, vt clerici coniugati præter priuilegium canonis, ſolùm gaudere poſsint priuilegio fori quoad cauſas criminales, ſiue criminaliter, ſiue ciuiliter tractentur. Vt autem hac immunitate gaudeant, tres requirit conditiones. Prima, vt tonſuram deferant, ſecunda, vt incedant in habitu clericali, tertia, vt cum vnicis, & virginibus contraxerint, Concilium verò Tridentinum addidit quartam dicens. *Modo hi clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant, & miniſtrent.*

Cap. Vnic. de Cleric. coniug. Cõc. Trid.

Quatuor cõditiones ad exẽptionẽ clericorum coniugatorum requiſitæ.

2. Ex quo iure tres propoſitiones, & quaſi generales regulas in hoc pũcto colligimus, prima eſt. Nullus clericus coniugatus gaudet toto priuilegiò clericali. Probatur, quia etiam ſi omnes dictas cõditiones impleant, non ſunt exempti à iudicio ſeculari in cauſis merè ciuilibus, & conſequenter nec ab obligatione legũ ciuilium ſaltem quoad vim directiuam. neque à tributis, neque ab alijs muneribus, vel oneribus publicis, niſi per leges ciuiles expreſsè, & ſpecialiter eximantur. Probatur, quia in dicto capite, A conceſſa priùs exemptione in criminalibus, additur *In cæteris autem eos gaudere nolumus priuilegio clericali*, vbi apertè omnia excludit, & ſingularis exceptio firmat regulam in contrarium. Et hæc regula cõmuniter recepta eſt per Ioannẽ Andr. & alios expoſitores in dicto cap. vnic. Panormitanũ, & alios in cap. *Ioannes* de Clericis coniugat. & in cap. 2. de Foro compet. & alios, quos referunt, & ſequuntur Couar. in Pract. cap. 31. n. 7. Gutier. de Iuram. confirmatorio p. 1. c. 17. nu. 12. Syluest. verb. *Clericus*, 1. q. 6. B Non defuerunt autem, qui contrarium docuerint, vt dicti authores referunt, ſed non eſt res diſputatione digna, vbi ius eſt tã clarũ, & euidens. Neque rationes eorũ ſunt alicuius momenti, vt in dictis authoribus videri poteſt. Quo circa iuxta hoc decretum optimè procederet lex. 2. tit. 4. lib. 1. Nouæ recopilat. ſuprà tacta, ſi de his tantùm clericis coniugatis loqueretur.

Clerici coniugati nunquã gaudẽt integre clericali priuilegio.

Ioã. Andr. Panormit. Couar. Gutier. Sylueſt.

Solum circa hoc ius aduerto in illo ex intenſione Pontificis ſolùm eſſe ſermonem de clericis in minoribus cõſtitutis, nam clerici in ſacris vxores ducere non C poſſunt. Duobus autem modis contingere poteſt, clericum maiorum ordinũ eſſe coniugatum. Primo quia cum antea coniugem haberet, poſtea modo legitimo ordinatus, & à coniuge ſeparatus eſt. Et tunc ille non reputatur ab Eccleſia tanquam coniugatus, ſed tanquam continens viduus, quia ciuili quodam modo, & quoad vſum, & ſocietatem matrimonij vxor illi quaſi mortua eſt, & ideo ille perinde poteſt gaudere priuilegio clericali, ac cæteri clerici in ſacris, & fortè ob eam cauſam de huiuſmodi clericis nulla ſpecialis mentio, vel diſtinctio in iure fit. D Alio modo poteſt clericus in maiori ordine conſtitutus vxorem ducere per diſpenſationem Pontificis, & tunc ille omnino abſtrahitur, & quaſi deponitur à ſtatu clericali, ideoque tãquam laicus reputatur, & gaudere non poteſt priuilegio clericali, niſi fortaſſe quoad criminale forũ concurrentibus conditionibus in alijs clericis coniugatis requiſitis, quia nihil aliud de illo inuenimus in iure diſpoſitũ, niſi per ſpecialem diſpenſationem illi cõcedatur. 3.

Quo priuilegio fruatur, qui poſt ſacros ordines vxorẽ ducit.

Secunda propoſitio, ſeu regula eſt, clericum 4.

ricum coniugatum obſeruando clericalẽ ſtatũ modo à iure requiſito, gaudere ſaltẽ exẽptione à iudicio ſeculari in criminalibus cauſis. Ita ſtatuitur, & declaratur in dictis decretis, quę potuiſſe in hoc ita diſponere, ſatis ex ſuperioribus conſtat. Vnde ſolũ ſuperſunt explicandæ conditiones ad prædictũ ſtatum requiſitę. Prima erat tonſura, circa quam nihil occurrit addendũ, quia eodem modo debet his clericis deferri, quo à minoribus non cõiugatis. Secunda erat habitus clericalis, circa quã notant Doctores, non oportere in hac conditione obſeruari omnimodã æqualitatẽ, ſeu æquiparationem inter hos clericos coniugatos cum nõ coniugatis, quia licèt in vtriſq; honeſtior habitus in qualitate, figura, colore, & lõgitudine, quàm in laicis poſtuletur, nihilominus in illiſmet circunſtantijs, præſertim in figura, longitudine, & materia veſtiũ plus aliquid cõiugatis permitti poteſt, quã nõ cõiugatis. Sufficiet ergo, vt habitus, ſatis honeſt⁹ ſit, & ſecundũ cõmunẽ conſuetudinẽ aptus ad diſcernendum clericum à laico. Hinc verò intelligi poteſt, non ſatis eſſe, huiuſmodi clericum deferre habitũ clericalem illis horis, ſeu tẽporibus, quibus actu in Eccleſia miniſtrat, ſed neceſſariũ eſſe, vt in cõmuni viuendi modo in habitu clericali incedat, quia in hoc æquiparatur clerico non coniugato.

Qualem habitũ deferre debeant hi coniugati ut gaudeant exceptione.

5\. Vnde etiã infert Iulius Clar. dicto. §. vlt. q. 36. n. 12. neceſſariũ eſſe, vt huiuſmodi clericus arma nõ portet, quam dicit eſſe cõmunem opinionẽ cum Bertrãdo conſ. 13. nu. 5. quia arma clericis ſunt prohibita. Aliquibus autẽ videtur, hanc prohibitionẽ non extendi in clericos cõiugatos, quorũ ſtatũ arma non dedecẽt. Et ideo Azor. tom. 1. lib. 13. c. vlt. q. vlt. putat non repugnare huic priuilegio, arma deferre, ſi aliàs clericalis habitus retineatur. Nihilominus tamẽ ſecurius eſt, nõ deferre modo pręſertim à laicis conſueto, ita vt exterius videri poſſint, quia non bene cõueniunt cũ clericali habitu. In his tamen circunſtantijs multum valet conſuetudo à Prælatis non improbata, vt generaliter notauit Couarr. in Practic. cap. 31. nu. 7.

Iul. Clar. An dicti clerici, ſi cum armis incedãt, hoc priuilegio fruãtur.

Azor.

6\. Tertia conditio erat, vt cũ vnica tantùm, & Virgine contraxerint, bigabo enim noluit Eccleſia etiã hanc partẽ ſui

Bigami clerici nõ gaudent exemptionis priuilegio.

A priuilegij cõcedere. Sed quid ſi clericus contrahat cũ ea, quam ante matrimoniũ Virginẽ cognouerat, & corruperat, tunc enim re vera non contrahit cũ Virgine; ergo nec gaudebit hac exẽptione. Sed nihilominus dico gaudere, quia, vt dixi, illud decretũ ſolũ intendit excludere bigamos: per illud autẽ matrimoniũ non contrahitur bigamia, vt in materia de Irregularite dixi. Ratio verò eſt, quia in fauorẽ matrimonij fictione iuris quaſi retro trahitur vſus eius. Vnde ſicut per matrimoniũ ſubſequẽs proles priùs cõcepta legitima

An contrahẽs cũ Virgine à ſe antea corrupte hac exẽptione gaudeat.

Diſp. 49. ſect. 3. nu. 6. & 7. tomo 5.

B efficitur, ita pręcedẽs vſus quaſi matrimonialis reputatur, & cõſequẽter matrimoniũ illud cũ virgine contractũ eſſe cenſetur. Deinde inquiri poteſt, quid dicendũ ſit ſi clericus cũ duabus virginibus contraxit, nõ tamen cũ vtraq; conſũmauit, quia priùs altera illarum, vel mortua fuit, vel religionem profeſſa eſt. Reſpõdeo hoc non obſtare, quin talis clericus gaudeat hac immunitate, quia per illud duplex matrimoniũ non contrahitur bigamia, vt in citato loco dixi. Vnde cum in dicto decreto dicitur, *Clerici, qui cum vnicis, & virginibus contraxerunt*, intelligendum eſt de matrimonio perfectè cõ-

An qui cũ duabus contraxit, & cũ altera tantũ conſũmauit exẽptione gaudeat.

C tracto, & conſũmato: nam antea non habet perfectam ſuam ſignificationem, & lex illa in hac parte ad actũ omnino perfectum reſtringenda eſt. Et ita in vtroq; hoc puncto ſenſit Gloſſa ibi communius approbata, licèt aliqui contradixerint.

Denique interrogari poteſt circa hãc conditionem, an per ſolam bigamiam cõtractam per duplex matrimonium conſummatum, vel per matrimonium cum Vidua, fiat clericus incapax huius priuilegij. Et ratio dubitandi eſt, quia in omni bigamia eſt eadem ratio, & ideo extẽ-

7\. Per quã bigamiã clericus coniugatus exemptionẽ priuetur.

D denda videtur lex própter identitatẽ rationis quamuis verba nõ omnino conueniant, quia nimirũ aliter bigamia contracta eſt, quàm verbis illius textus explicetur. Nihilominus cenſeo ſtandum eſſe verbis legis, ideoque ſolum bigamum clericum cum altero ex illis duobus modis eſſe inhabilem ad hoc priuilegium. Et ideo qui contraxit cum vnica, & Virgine, quæ poſtea adulterium commiſit, & nihilominus eam deinde maritus cognouit, licèt fiat bigamus quoad alios effectus. & interpretatiuè, nihilominus

 nus

nus hoc priuilegium nõ amittit, quia cõditionem à iure requiſitam ſeruauit: nam cum vnica, & virgine contraxit, & ius illud nihil amplius quoad hanc conditionem poſtulat. Neque illa extenſio per identitatem rationis admittenda eſt, tum quia ſumus in materia odioſa, & ſtricta, qualis eſt diminùtio, vel limitatio immunitatis Eccleſiaſticę, in huiuſmodi autem materia rarò, & vix admittenda eſt talis extenſio, niſi tanta ſit vis rationis, vt cõtrarium iniuſtum, vel irrationabile appareat, quod hic dici nõ poteſt. Tũ etiã quia neq; idẽtitas rationis hic inuenitur, multò enim maior defectus, vel indecentia in bigamia propria, quàm in metaphorica inuenitur. Tum deniq; quia Pontifex ipſe nõ loquens generatim de bigamia, ſed explicans ſpecies, & modos eius, ſatis indicauit, illas tantũ ſpecies voluiſſe
Iul. Claro. excludere. Et ita ſentit Iulius Clar. dicta q.36.nu.9.& 10. referens Aufrerium dicentem, ita ſentire cõmuniter omnes, & in facti contingentia ita fuiſſe deciſum.

8. Quarta conditio à Concilio addita, ſuprà in minoribus clericis non coniugatis ferè declarata eſt, ſolum aduerto duo. Vnum eſt, Concilium hìc definitê poſtulare, vt talis clericus ſit miniſterio Eccleſiæ ab Epiſcopo deputatus, & non addere alia duo membra, quæ in clericis non coniugatis poſuit. Et ſanè meritò: nam vnum illorum, ſcilicet, in ſeminario clericorum educari, non poteſt moraliter in coniugato clerico locum habere, vt per ſe conſtat. Aliud verò membrum de ſtudio in aliqua vniuerſitate de licentia Epiſcopi, licèt aliquo modo poſſet à Clerico coniugato obſeruari, non tamen eo modo, quo à Concilio poſtulatur, addit enim *quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur*, quæ via nõ poteſt in clerico coniugato conſiderari, cũ per matrimoniũ ad maiores ordines ineptus factus ſit. Igitur præciſè, ac definitè neceſſarium eſt Eccleſię miniſterium. In quo aduerto ſecundo, Concilium non tantùm dixiſſe, debere eſſe deputatum ſeruitio, vel miniſterio Eccleſiæ, ſed addidiſſe, *vt ei miniſtret, vel inſeruiat*, quibus verbis planè ſignificare voluit, non ſatis eſſe, quòd habeat titulum, vel officium, ſi per alium tantum inſeruiat, ſed neceſſarium eſſe, vt per ſe ipſum mini-

Clericus cõiugatus in Vniuerſitate literis vacans nõ manet exẽpt9,

A ſtret. De modo autem miniſterij nihil in particulari Concilium determinat, & ideo quodlibet ſufficiet, ſiue aliquo modo ſpirituale ſit, vt eſt, miniſtrare in Miſſa, vel in choro; ſiue temporale, vt eſt, res Eccleſiæ cuſtodire, mundare, & ſimilia, quæ ad officium ſacellani, aut Theſaurarij pertinent.

His conditionibus nonnulli quintam 9.
addunt, nimirum, vt clericus coniugatus negotiationem, ſeu mercaturam nõ exerceat. Hanc ponit Iulius Clar. dicta. q. 36. nu.12. & refert Alexandrũ de Neuo conſ.60. dicentem ita ſentire cõmuniter Doctores cum Innocentio in cap. vlt. de Vit. & honeſt. cleric. in quo textu potuit hęc opinio fundari: & quia negotiationes clericis prohibitæ ſunt. Hęc tamẽ ſententia probãda nõ eſt. Primo quia cũ in dict. c. vnic. veluti cõſtituatur forma ſeruãda, vt aliquis gaudere poſsit hoc priuilegio, nihil vltra illã requiri poteſt, niſi aliquo alio iure additũ ſit, vnde ante Concil. Trident. nihil aliud requirebatur, poſt illud verò requiritur quarta cõditio, quia ab ipſo addita eſt, illa vero quinta conditio nullo iure eſt adiuncta; ergo neceſſaria non eſt. Et ita tenet expreſſe Couar. dict. c.31.n.8. citans Francũ, Alexandr. & Immolã, & idem tenẽt Sũmiſtæ Syluest. *Clericus*.3.q.3. & ibidem Tabien.q.1. Angel. *Clericus*.9.n.3. & alij moderni.

An C[illegible] coniug[illegible] mercat[illegible] exer[illegible] priui[illegible] fruat[illegible]. *Iul. Clar.*

Reſolutio.

B

Couar. *Syluest.* *Tabien.* *Angel.*

C

Neq; ex c.vlt. de Vit. & honeſt. cleri. 10.
aliud colligitur. Nã pręter quã quod ibi eſt ſermo de clericis nõ coniugatis, vt ex toto cõtextu conſtat, ibi ſolũ dicitur, clericos negotiationibus vacantes non eſſe immunes à tributis, quibus negotiantiũ bona ſubdita eſſe ſolẽt. Quæ deciſio pro clericis cõiugatis nõ erat neceſſaria, quia, vt iam diximus, nulla immunitate à tributis gaudent. Neq; etiã eſt verũ, omnẽ negotiationẽ eſſe prohibitam his clericis coniugatis: nam contrariũ ſupponitur in cap. *Ioannes* de Clericis cõiugat. Præter quã quod etiã alij clerici, quibus prohibita eſt negotiatio, licèt pecẽt, illã exercendo, & quoad illa bona nõ gaudeant immunitate à tributis, quoad crimẽ, & quoad reliqua omnia nõ ſtatim amittũt totũ priuilegiũ clericale, donec per iudicẽ Eccleſiaſticũ priuẽtur, ſi incorrigibiles fiãt. Et ſimili modo crediderim, quòd licèt clericus

D

Cap. Ioan.

clericus coniugatus Eccleſiæ ſeruiẽs, & inſignia clerici portans, poſsit moderatã, & honeſtam negotiationẽ ad onera matrimonij ſuſtentanda exercere, gaudẽdo ſua immunitate in criminalibus, nihilominus non poſſe talẽ, & tantam negotiationẽ exercere, quæ & clericalẽ habitum, & miniſtrum non deceat, poſſeq; per Prælatum compelli vt vel à tali negotiatione abſtineat, vel inſignia clerici deponat, argumento d. cap. *Ioannes*; atq; ita fiet, vt ille priuetur priuilegio, vel in pœnam ab homine impoſitam, vel ex defectu aliarum conditionum, non verò quia noua conditio per ſe neceſſaria ſit.

11. Qui clerici coniugati omnino exemptione priuantur.

Tertia, & vltima regula, quæ ex dictis colligitur eſt, multos eſſe clericos cõiugatos, qui priuilegio fori omnino non gaudent. Probatur, quia omnes illi, quibus deeſt aliqua ex dictis cõditionibus, trahi poſſunt ad iudicia ſecularia, etiã in criminalibus per prædicta iura, & iuxta ſententiã omnium. Nec requiritur ſententia, aut declaratio hominis, quia ex defectu conditionis, & formæ ſtatim ſequitur priuatio, vt à fortiori conſtat ex dictis de clericis non coniugatis. Vnde reliqua ibi dicta poſſunt hic applicari. Solùm eſt aduertenda differentia inter conditionẽ vnici matrimonij cũ Virgine, & alias: nã ſi illa ſemel deſit, defectus eſt perpetuus, & ita reddit perſonã ſimpliciter inhabilẽ ad tale priuilegium, in alijs verò poteſt eſſe viciſsitudo, & ideò licèt per defectũ earum amittatur priuilegium, poſſunt iterum aſſumi, & redire priuilegium, ſi fundamentũ illud vnius coniugij cũ virgine non deſit, quia tunc procedũt dicta de cæteris clericis, vt per ſe manifeſtum eſt.

CAPVT. XXIX.

Vtrum aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ ordinem nullum habentes exemptione fori integrè gaudeant?

1. Ratio dubij.

Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia iura canonica, quæ de hoc priuilegio fori loquuntur, ſolis clericis illud tribuunt; clerici autẽ ſolùm dicũtur illi, qui ordinẽ aliquẽ, vel ſaltẽ primam tonſuram acceperunt. Neq; nomine clericorũ ſolent monachi cõprehendi, ſed potiùs condiſtingui ſolent, vt ſumitur ex Hieron. epiſt. 2. & 3. Et cõfir- (Hieron.)

A mari poteſt ex cap. *Siquis ſuadente*. 17. q. 4. vbi priuilegiũ canonis inſtitutum eſt, & quia Pontifex voluit nõ ſolis clericis, ſed etiã monachis illud cõcedere, diſtinctè dixit, *In clericum, vel monachũ*; ergo à cõtrario priuilegiũ fori ſolis clericis ordinatis cõceditur, cùm de illis tantũ canones loquantur. Quòd ſiquis reſpondeat, inde potiùs cõtrariũ ſumi argumẽtũ, quia principiũ receptũ eſt, omnes illos gaudere priuilegio fori, qui gaudent priuilegio canonis, ex cõmuni Doctorũ ſentẽtia in ca. 2. de For. comp. & ex Syl- (Ca. *Siquis ſuadẽte*. 17 q. 4.)

B ueſt. verb. *Eccleſia*. 1. n. 6. Hoc nõ ſatisfacit, quia, vt ſuprà diximus, maius eſt priuilegiũ fori, quã canonis; ergo quoad conceſsionẽ non valet argumentũ à minori ad maius priuilegiũ, ſicut etiã ſuprâ dicebamus, quoad ablationẽ non valere argumentũ, ſi aufertur priuilegiũ canonis, auferri etiam priuilegiúm fori. (*Sylueſt.*)

Nihilominus ſine vlla dubitatione dicendũ eſt, perſonas Eccleſiaſticas, integrè gaudere hoc priuilegio, etiã ſi multæ illarũ nullum ordinẽ habeãt, vt ſunt monachi antequã ordinentur, & ſanctimoniales, quæ ordinis ſunt incapaces. Aſſer- (2. Aſſertio. Perſonæ Eccleſiaſticæ abſque vllo ordine gaudẽt priuilegio exemptionis.)

C tio eſt recepta ab omnibus Doctoribus, probaturq; primo ex iure canonico, deſtruendo ſimul rationẽ dubitãdi, quæ ex falſo principio procedit. Quanuis enim aliqua iura de hac immunitate ſub nomine clericorũ loquãtur, vt cap. *Nõ minus*, & cap. *Aduerſus*, de Immun. Eccleſ. nihilominus alia loquũtur ſub nomine Eccleſiaſticarũ perſonarũ, quod generalius eſt, & monachos in rigore cõprehendit. Ita cõſtat ex ca. *Quanquã* de Cẽſib. in 6. & ex ca. *Clericis*, de Immun. Eccleſ. in 6. vbi etiã diſtinctè additur, *Eccleſiaſticis perſonis regularibus, vel ſecularibus*. Et in an- (Probatur aſſertio, & ratio dubitadi ſoluitur.) (Cap. *Non minus*.) (Cap. *Aduerſus*.) (Cap. *Quanquam*.) (Cap. *Clericis*.)

D tiquioribus decretis in ca. *Experiẽtiæ*. 11. q. 1. declaratur, hoc priuilegiũ fori cõuenire omni *perſonæ Eccleſiaſtici officij*, quæ vox etiã propriè cõuenit monachis. Deniq; in c. *De perſona* eadẽ. 11. q. 1. expreſſè loquitur Greg. de Epiſcopis, clericis, & monachis, allegãdo Authenticã Iuſtiniani, quã in hoc approbat, & recipit. Accedit, quod D. Hieron. vt citatur in cap. *Duo ſunt*. 12. q. 1. diſtinguẽs duo genera Chriſtianorũ ſub primo cõprehẽdit omnes perſonas diuino officio, & contẽplationi, & orationi mãcipatas; & in eis pri- (Cap. *Experientiæ*.) (Ca. *De perſona*.) (*Hieron.*)

 nume-

numerat clericos, & monachos, quos Deo deuotos,& conuerſos appellat,poſtea verò omnibus tribuit clericorum nomen,quia omnes ſorte electi, & ſpecialiter vocati ſunt. Ita ergo accipiendū eſt nomē clericorum in hoc priuilegio, etiam vbi contigerit per illud tantùm nomen explicari.

3. Ex iure ciuili probatur ſecundo aſſertio. Secundo poteſt aſſertio etiam ex legibus ciuilibus probari. Nam in primis in lege 36.de Epiſcop.& cleric.in Codice Theodoſiano,cùm exemptio à tributis clericis tribueretur,additur: *Quos gradus clericatus, & quod non minus eſt, ſanctior vita defendit.* Præterea Iuſtinianus Imperator in Authentico de Sanctiſsimis Epiſcopis &c. collat. 9. nouel. 123. cap.2. *Siquis contra*.21. concedens priuilegium fori, expreſſè recenſet clericos, & monachos,& fœminas etiam Deo dicatas, vt notauit Gregor. lib. 11. epiſt. 54. Deniq; Fridericus in ſua conſtitutione ſimpliciter loquitur de Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſijs,ac locis pijs. Vnde non eſt dubiū,quin præter clericos Monachos etiā comprehendat,ideóq; poſtquam dixerat: *Statuimus,vt nullus Eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione, vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare præſumat*, ſubdit inferius: *Statuimus,vt ſiquis clericis, vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegare præſumpſerit* &c. Vbi expendo disiūctionem illam, quia ne fortè dicendo tantum, *ſi quis clericis*, ambiguitas de reſtrictione verbi oriretur, addidit aliam particulam, *Vel Eccleſiaſticis perſonis*, declarans ſubinde, priuilegium illud perſonis Eccleſiaſticis datum non ſolis clericis propriè dictis concedi, ſed omnibus diuino obſequio ſpecialiter mancipatis,quæ nomine Eccleſiaſticarū perſonarum ſignificantur.

Iuſtinian.

Gregor.

4. Et ex eiſdem iuribus, & verbis conſtat,totum hoc priuilegium integrè cōcedi perſonis Eccleſiaſticis non ordinatis,æquè ac clericis non coniugatis, ſeu in ſtatu clericali integrè permanentibus. Probatur,quia Fridericus ſub eodem generali nomine,eodemq; tenore verborū hanc exemptionem omnibus concedit. Atq; eodē modo illam confirmat, & approbat Honorius Papa in fine eiuſdem conſtitutionis. Decreta etiā antiquiora nullā in hoc diſtinctionē faciūt inter illa duo genera perſonarū Eccleſiaſticarū, de illiſq; ſimpliciter aſſerunt,Eccleſiaſtica immunitate gaudere. Deniq; vtrūque eſt conſentaneū rationi; ac ſubinde iuri diuino,à quo priuilegiū hoc emanat. Ratione redditur aſſertio. Nam clericis ordinatis ideo hoc priuilegiū conceditur, quia peculiari modo diuinis obſequijs dicati ſunt, ideóq; ad familiam Chriſti ſpecialiter pertinent,& à curis, ac perturbationibus ſecularibus debent eſſe abſtracti, hæc autē ratio non minus in monachis,& ſimilibus perſonis militat,etiā ſi per propriā ordinationem ſacratæ non ſint, quia hic modus peculiaris cōſecrationis nō eſt cur ad priuilegiū exigatur,quādo principalis ratio,& quaſi proxima, & fūdamentū priuilegij alia via cōparatur. Quod fundamentū, vt dixi,eſt peculiaris dedicatió ad diuinū obſequiū,vt notauit Innocent.in cap. 2.de Maiorit. & obedientiā. Sicut etiā inter ipſos clericos, qui primā tantùm tonſurā acceperunt re vera non ſunt ordinati ſacramentali ordine à Chriſto inſtituto, & nihilominus quia per illā cæremoniā ab Eccleſia inſtitutā peculiari modo dicantur,& conſecrantur diuino cultui,ex illa parte id ſufficit ad priuilegiū exemptionis;ergo eadē, vel maiori ratione religioſa profeſsio, vel quilibet alius modus ab Eccleſia probatus, quo perſona diuino cultui peculiariter cōſecratur, ad exēptionem ſufficit; omnes autē perſonæ,quæ ſimpliciter Eccleſiaſticæ vocantur aliquo ſimili modo,vel ritu Eccleſiaſtico Deo dicantur,& cōſecrantur; ergo & ſpeciali modo pertinent ad familiam Chriſti,& eiuſdem exemptionis debent eſſe participes. Et hinc D.Thom.in 2.d. 44.q.2.ar.2.ad.1.& ibi D.Bonau. Rich. & alij dicunt, ſub illis Chriſti verbis: *Ergo liberi ſunt filij*, nō tantùm clericos ordinatos,ſed etiā omnes,qui Apoſtolicā vitam ſequuntur, omnia propter Chriſtū relinquentes,comprehendi.

D. Thom. Bonauent. Richard.

5. Quæ perſonæ non ordinatæ Eccleſiaſticæ cenſeātur. Iamverò interrogandū occurrit,quæ perſonæ non ordinatæ ſub hoc genere perſonarum Eccleſiaſticarū venire, aut comprehendi cenſeantur. In quo puncto in primis certum eſt, omnes religioſos, & religioſas profeſſas ſub hoc membro comprehendi, ſiue monachorum, ſiue regularium,ſiue religioſorū nomine ſignificentur,& in hoc omnes Doctores conue-

conueniunt quia eſt in iure manifeſtum. Vnde rectè dixit Panormit. in cap. 2. de Foro compet. duo maximè eximere perſonam à poteſtate ſeculari, ordinationẽ, & profeſsionem. Addendũ verò nũc eſt per profeſsionẽ intelligendã eſſe, non ſolũ illam, quæ fit per vota ſolennia, ſed etiam illam, quæ fit per vota ſimplicia ab Eccleſia approbata, & recepta ad conſtituendum verũ, ac proprium religioſum ſtatũ: nam ſicut tales perſonæ ſunt veri religioſi, ita æquè primo, ac per ſe gaudẽt eadem Eccleſiaſtica immunitate. Deinde verò extenditur idem priuilegium per quandam participationem, & extenſionem ad nouitios religionũ, quia ſicut in ordine clericorum prima tonſura initiati habitum clericalem ferentes, & Eccleſiæ ſeruientes inter perſonas Deo dicatas cõputari incipiunt, ita etiam nouitius religionis, quaten⁹ incipit eſſe in via ad ſtatũ religionis, eiuſq; inſignia defert, eique inſeruit inter religioſas perſonas quoad gaudendum priuilegio computatur.

Panormit.

Profeſſio voto ſimplici emiſſa ſufficit ad gaudendũ hoc priuilegio.

Nouitij etiã religionũ eadem fruũtur exẽptione.

6\. Alij ſtatus Eccleſiaſtici, qui abſq; voto hãc exemptionem inducunt.

Vltra hos verò ſunt alij ſtatus, vel modi viuendi Eccleſiaſtici, qui licèt per tria vota perfectionis nõ cõſtituãtur, ſed per vnũ, aut aliud, vel per aliquẽ traditionis, oblationis, aut congregationis modũ ab Eccleſia approbatum, ſufficere cenſentur ad gaudendum hoc priuilegio, vel ex ſpeciali cõceſsione, vel quia generalis cõſuetudo ita interpretata eſt decreta, quæ perſonis Eccleſiaſticis hoc priuilegiũ cõcedunt. Et ſub hoc membro continentur illi qui dicũtur *conuerſi laici* in aliquibus religionibus iuxta cap. *Non dubium*, de Sentent. excõmunic. Item aliqui Eremitę, & alij, quos latè enumerat Sylueſt. verb. *Eccleſia*. 1. q. 5. per totam, & Panormitan. in dict. cap. de Foro compet. & Archid. in cap. *Duo ſunt*. 12. q. 1.

Sylueſt. *Panormit.*

7\. Gaudentes priuilegio canonis, etiam hoc priuilegio fruuntur.

Vt autem generalem regulam conſtituamus, cenſeo illam verã, quam in principio argumentando tetigimus, nimirũ, omnes perſonas, quæ gaudent priuilegio canonis, gaudere etiam priuilegio fori. Quæ regula intelligenda eſt per ſe, & ex vi iuris communis, nam in pœnam poterit quis vno priuilegio priuari, licèt non priuetur alio, & ex iure ſpeciali poterit aliquibus perſonis vnum priuilegiũ ſine alio communicari, per ſe tamen loquendo, omnes perſonæ, quę ad vnum priuilegium ſufficientem Eccleſiaſticum ſtatum habere cenſentur, habẽt etiã ad aliud quia ſi perſona defenditur ab Eccleſia ſpeciali priuilegio canonis, ideo eſt, quia ſupponitur eſſe ſacra, & ſufficienter Deo dicata, ac deniq; Eccleſiaſtica; ergo conſequenter gaudẽt cõmuni iure immunitatis quoad forũ. Quin potiùs licèt priuilegiũ fori maius, magiſq; ex iure diuino eſſe cenſeatur, nihilominus priùs, & intimiùs (vt ſic dicam) conuenit perſonis Eccleſiaſticis, eo ipſo, quòd ſacræ, & Deo dicatæ ſunt, quam priuilegiũ canonis: nam illud eſt quaſi per ſe coniunctũ cum tali ſtatu, illiq; valde conueniens, hoc verò ſolùm quaſi per accidens ad coercẽdam hominũ audaciam, aut malitiã, quia, vt dixi, ſolum conſiſtit in ſpeciali cenſura cõtra percuſſores clericorũ lata. Et ideo etiam antiquius eſt priuilegium fori, quàm canonis, ac ſubinde magis neceſſarium eſt, vt omnes, qui gaudent priuilegio canonis, gaudeant etiam priuilegio fori, quam è conuerſo. De facto tamen eiſdem perſonis eſt vtrumque priuilegium conceſſum, & ideo, quæ de his perſonis dixi alibi, tractando de priuilegio canonis, hic etiam ſufficiunt.

Tom. 5. diſput. 22. ſectio. 1. nu. 19. & ſeq.

8\. Inter has autem perſonas poſſumus quoddam diſcrimen notare per analogiã & proportionẽ ad perſonas clericorum, nam quædam ſunt habentes ſtatum Eccleſiaſticũ omnino immutabilem, vt ſunt religioſi ſolenniter profeſsi; aliæ verò habent ſtatum, aut modum vitæ mutabilẽ, quia in aliquo caſu poſſunt ad laicorum ſtatum tranſire. Priores comparamus clericis in ſacris, quia abſolutè, & ex vi profeſsionis ſemper gaudent hoc priuilegio abſque alia conditione, vel limitatione, quandiu illo non priuantur. Vnde licèt religioſus profeſſus habitum deſerat, & apoſtata tanquam laicus incedat, ſemper gaudet hoc priuilegio, quia ſẽper eſt perſona ſacra, & religioſa, cui ſimpliciter cõceſsũ eſt. Quod ſi obijciatur c. 1. de Apoſtatis. Reſpõdemus in primis, ibi nõ eſſe ſermonẽ de religioſis, ſed de clericis, qui *relicto clericali habitu in apoſtaſia tanquã laici cõuerſãtur*. Deinde ibi nõ vidẽtur apoſtatę ſimpliciter priuilegio priuari: nã ſolũ dicitur: *Si in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam non præcipimus liberari*, vbi Gloſſa aduertit

Religioſus profeſſus habitũ laicum deferens exẽptionẽ retinet.

uertit, ſolùm iuberi, vt iudices ſeculares non cogãtur per cenſuras iuriſdictionem ſuam in apoſtatas nõ exercere, non tamen dari eis facultatem illam exercẽdi: hęc enim duo diuerſa ſunt, & in materia pœnali nõ eſt ab vno ad aliud facienda extenſio. Vnde Panormit. ibi, & in cap. *Per pendimus* de Sentent. excõm. ſatis probabiliter dixit, in eo caſu nõ priuilegiũ fori, ſed tantùm canonis amitti, cui ſententię fauent Paulus. 4. conſtitut. 29. contra Apoſtatas, & Pius quartus cõſtit. 8. ſimili, quę in Bullario Romano videri poſsũt. Deniq; licèt ibi eſſet ipſo iure facta priuatio illius priuilegij, illa eſſet quædam pœna, quæ non niſi poſt ſufficientẽ monitionem, & incorrigibilitatem incurretur, vt eadem Gloſſa notauit. Per ſe ergo, & ex vi iuris cõmunis profeſsi ſemper gaudẽt hoc priuilegio. Aliæ verò perſonæ Eccleſiaſticę infrà hunc gradũ conſtitutæ habent ſtatum mutabilem aliquo modo, & ideo licèt quandiu in ſtatu permanent, priuilegio fruãtur, ſtatim ac ſtatũ deſerunt illud amittunt, nõ in pœnã, ſed quia fundamentum priuilegij iam in eis nõ inuenitur, ideoq; huiuſmodi perſonas cũ clericis minoribus cõparauimus. Sicque nouitius ſtatim, ac habitũ dimittit, priuilegio nõ gaudet; imò & religioſus, qui ſimplicia tantum vota emiſerat, ſi abſolutus à votis dimittatur, priuilegiũ ſimul amittit. Idẽque à fortiori eſt in omnibus alijs.

Panormit. *Paulus, 4.* *Pius. 4.*

Qui ante profeſſionẽ religionẽ deſerit priuilegiũ amittit.

9. Eccleſijs, vel clericis ſeruiẽtes an hoc priuilegio gaudeant.

Vltimò verò dubitari hoc loco poteſt, an ſub his perſonis Eccleſiaſticis, quę hoc priuilegio gaudent, cõprehendãtur omnes in quocũq; munere Eccleſiæ ſeruiẽtes, etiam ſi ordinati non ſint. Ideq; dubitari ſolet de familiaribꝰ Epiſcoporũ, imò & de ijs, qui cæteris clericis inſeruiũt. In quo puncto Gloſſa in cap. 2. de Foro cõpet. verb. *Minores*, per illud verbũ intelligit Eccleſię ſeruientes, quos dicit eodem priuilegio gaudere. Videturq; intelligere etiam ſi ordinati non ſint, tum quia in textu *Minores* illi, ſeu *Iuniores* (vt legitur in cap. 2. 11. q. 1.) diſtinguuntur ab omnibus clericis, verba enim ſunt: *Neq; presbyterum, neq; diaconum, aut clericũ vllũ aut minorẽ Eccleſiæ*, tũ etiam quia Gloſſ. illa citat cap. *Eccleſiarum*. 12. q. 2. in quo ſine dubio eſt ſermo de cõmunibus ſeruis, non ſolũ Eccleſiarũ, ſed etiam Epiſcoporum, & omnium clericorum.

Gloſſa. *Cap. 2. de For. cõpe.* *Cap. Eccleſiar.*

10. Reſolutio negans. *Panormit. Felin. Archidiac. Iul. Clar.*

Dicendũ nihilominus eſt, nullos Eccleſiæ miniſtros, aut ſeruos gaudere priuilegio fori, quantũ eſt ex vi iuris cõmunis. Ita docent Panormit. Felin. & alij in dict. cap. 2. de Foro cõpet. & Archidiac. in dict. c. *Eccleſiarũ*, & in cap. *Clericũ*. 11. q. 1. & Iul. Clar. dict. §. vlt. q. 35. n. 18. & 19. Et ſufficienter probatur, quia nullo iure cauetur. Item poſt Concil. Trid. eſt euidẽs, quia in clericis etiã minoribus ſeruiẽtibus Eccleſię requirit habitũ, & tonſurã ad hoc priuilegiũ; ergo multò minus poterit laicus ſeruiens Eccleſiæ tali priuilegio frui, cũ neq; tonſuram deferre poſſit. Vnde idẽ eſt longè certius de ſeruis, ſeu famulis clericorũ. De familia autem Epiſcopi dicunt prædicti authores, eſſe conſuetudine receptũ, vt à iudiciis ſecularibus ſint exẽpti, & omnes ad hoc allegãt cap. vlt. de Offic. Archidiac. quod certè mihi non probatur. Conſuetudini ergo ſtandũ eſſe cẽſeo, & vbi de vſu contrariũ non conſtiterit, à cõmuni ſententia non eſt recedendũ: nam talis cõſuetudo valde rationabilis eſt in fauorẽ Epiſcopalis iuriſdictionis, & authoritatis. Et ob eãdẽ cauſam eadẽ conſuetudo, & cum maiori amplitudine circa familiares Cardinaliũ ſeruatur, vt ex Iulio Claro ſuprà nu. 27. & ex alijs authoribus, qui de Cardinalibus ſcripſerunt, intelligi poteſt.

Quid de familiaribus Epiſcopi.

Iul. Clar.

11. *Ad cap. 2. de For. cõpet, Ca. A Subdiacono.*

Neque in contrarium obſtat dictum 2. de Foro compet. in verb. *Minores*, ſeu *Iuniores*. Nam inprimis Hoſtienſis ibi per minores intelligit Monachos, & conuerſos, quæ expoſitio nõ poteſt accommodari lectioni, quæ habet *Iuniores*. Sed quia illa non ſine cauſa permiſſa eſt à Gregorio 9. intelligere poſſumus, vocem, *Minores*, ab ipſo vſurpatam eſſe, non vt ſignificet minores ætate, ſed minores gradu. Et ita ſub illa voce comprehendentur omnes perſonæ Eccleſiaſticæ nullum ordinem habentes, quia in ordine Hierarchico ſunt in inferiori gradu, iuxta caput. *A Subdiacono*. 93. diſt. cum ſimilibus. Secũdò dicere poſſumus, per minores intelligi ſcholares (vt ait Gloſſa, & latè exponit Panormitanus) vel iuuenes deſtinati miniſterio, vel ſeruitio Eccleſiæ, non tamen omnino laici, ſed habentes ſaltem primam tonſurã. Atque ita nomine clerici in illo textu ſolùm

ſolùm intelligetur ille, qui aliquo vero ordine inſignitus eſt, vt habeat locum illa diſiunctio, *aut vllum clericum, aut minorem Eccleſiæ*. Neq; hic vſus illius vocis eſt nouus, nam olim inter clericos ſolùm vſque ad oſtiarios numerabantur, vt patet in cap. 1. 77. diſt. & in dict. cap. *A ſubdiacono*.

12. Neque etiam obſtat dictum cap. *Eccleſiarum ſeruos*, quia ibi non agitur de quibuſcunque famulis conductitijs, aut liberis ſeruientibus, ſed de ſeruis perpetuis, vt ibi Gloſſa, & alij exponunt, & Panormit. ac Felin. in dicto cap. 2. de Foro compet. Dicuntur autem ibi à Concilio Toletan. 3. huiuſmodi ſerui eſſe immunes ab oneribus, & officijs tam publicis, quàm priuatis laicorum, quia inuitis dominis, nõ poſſunt cogi. Quod quidem quantũ attinet ad priuata obſequia laicorum, pertinet ad rationem iuſtitiæ, nullus enim priuatus iuſtè poteſt alienũ ſeruum ad ſibi ſeruiendum compellere. Altera verò pars de publicis oneribus, & officijs ad exemptionem à tributis reducitur, iuxta ſuperiùs declarata. Nam mancipia Eccleſiarum; imô & clericorũ à tributis exempta ſunt in l. 1. Cod. de Epiſcop. & Clericis. Et ratio eſt, quia ſerui, ſeu mancipia inter bona Domini computantur, & ideò ſicut alia bona clericorum exempta ſunt à tributis, vel ſicut domus, equi, aut boues clericorum à publicis oneribus exempta ſunt, ita etiã ſerui. Vnde hæc exemptio non eſt per ſe, & directè conceſſa perſonis ſeruorũ, ſed redundat ex priuilegio clericis conceſſo, quia onus impoſitum ſeruo, redũdaret in dominum, & ita eſſet contra immunitatem eius.

Ad cap. *Eccleſiar.* *Panormit.* *Felin.*

Lex. 1. C. de Epiſcop. & cler.

CAPVT. XXX.

An priuilegium immunitatis clericorum ab aliquo homine reuocari poſsit?

1. HACTENVS explicuimus omnes cauſas, & effectus huius immunitatis Eccleſiaſticæ, de qua tractamus, nunc de proprietatibus eius conſequenter dicendum videbatur. Si quis tamen diligenter conſideret, quæ inter explicandas cauſas, & effectus huius priuilegij dicta ſunt, ferè omnes proprietates, quæ in illo ſpectari poſſunt,

A declaratas inueniet. Nam in primis ex dictis colligitur, priuilegium hoc eſſe diuinum, id eſt, à Deo ipſo conceſſum, quę magna dignitas eſt talis priuilegij, à qua conſequenter habet, vt & immutabile in vniuerſali, ſeu ſimpliciter ſit, & vt etiã ex parte non ſine magna, & iuſta cauſa poſsit auferri, vt in cap. 28. attigimus, & paulò poſt ampliùs declarabimus. Deindè habemus ex dictis, priuilegium hoc non eſſe iuris priuati, ſed publici, non ſolùm quia in publicam vtilitatem vniuerſalis Eccleſiæ latum eſt, ſed etiam quia

B vtrique iuri Canonico, & ciuili inſertũ eſt, ideôq; eminentiori modo habet prærogatiuas omnes, quas priuilegia in corpore iuris inſerta habere ſolent, vt ex generali doctrina de Priuilegijs ſuppono. Tertiò haberi poteſt ex dictis, priuilegium hoc maximè fauorabile eſſe, quia in primis fauet religioni, cuius ius ſummo fauore dignum eſt, vt ſenſit etiam Iureconſultus in l. *Sunt perſonæ*. ff. de Religioſ. & ſumptib. funer. Ac deinde nõ in fauorem vnius loci, vel prouinciæ, aut gentis, ſed ob augmentum, & decentiam diuini cultus, & honorem totius Eccleſiaſtici ſtatus inſtitutum eſt. Vnde etiã

C fit, regulas omnes, quę de ampliandis fauoribus in iure latæ ſunt, ad hoc priuilegium applicandas eſſe. Quartò denique concludi poteſt ex dictis, priuilegium hoc non perſonale tantùm eſſe, ſed reale, quia non intuitu alicuius perſonę, ſed dignitatis Pontificiæ, & totius clericatus conceſſum eſt, vt dicitur in cap. *Si diligenti*, de Foro compet. & ex dictis de finali cauſa, & ratione huius priuilegij eſt manifeſtum. Vnde tandem fit, hoc priuilegium non extingui cum perſona, ſed de ſe perpetuum eſſe, nam hæc pro-

D prietas priuilegia realia comitari ſolet.

L. *Sũt perſonæ.*

Cap. *Si diligenti.*

De his ergo proprietatibus, vltima excepta, nihil nobis dicendum ſupereſt, 2.
ſed iuxta generalia principia, & doctrinas de priuilegijs explicandæ, & amplificandæ ſunt. Solùm circa perpetuitatem declarandum ſupereſt, quanta illa ſit, & an omnem modum amiſsionis, ablationis, ſeu deſitionis talis priuilegij excludat. Perpetuum enim dicitur, quod incorruptibile eſt, vel ſi latiùs loquamur, quod ſaltem non corrumpitur, nec finẽ habet. Si ergo hoc priuilegium perpe-

tuum eſt, amitti non poterit, nec auferri. In contrarium verò eſt, quia multa ſunt alia priuilegia, quæ dicuntur perpetua, & deſinere poſſunt. Solet enim priuilegium dici perpetuum, quoties vel adhæret rei de ſe perpetuæ, vt fundo, vel ſi adhæret perſonæ, non cum vita illius extinguitur, ſed ei perpetuò ſuccedi poteſt, & nihilominus talia priuilegia tolli, vel amitti poſſunt, per ſuperiorem poteſtatem, aut efficacem aliquam voluntatem, actionemvè contrariam. Videndum itaque ſupereſt, an maior ſit huius priuilegij perpetuitas, quod non poteſt commodius fieri, quam explicando, an modus aliquis, quo ſolent priuilegia deſinere, in hoc priuilegio immunitatis locum habeat.

3. Tres modi priuilegiũ amittendi.

Oportet ergo præ oculis habere modos, quibus priuilegia deſtruuntur, quos nunc ad tres reducimus, qui ſunt reuocatio priuilegij, renunciatio eiuſdẽ, vſus ei contrarius, & per hos modos breuiter diſcurremus. Nam duo alij modi corruptionis, qui in alijs priuilegijs humanis accidere ſolent, ſcilicet, vel per lapſum tẽporis, vel per mortem concedentis, per ſe notum eſt, in hoc priuilegium cadere non poſſe. Alius verò modus, qui dici ſolet per abuſum, quomodo circa hoc priuilegium interdum contingat, in ſuperioribus capitibus explicatum eſt, declarando, quomodo priuatio clericalis priuilegij interdum ſit pœna. Et ad hoc etiã reducitur, quod per mutationem clericalis ſtatus, interdum etiam amittitur, vel minuitur modis ſuprà declaratis: quãuis ille non tam propriè dicatur abuſus, quàm mutatio ſubiecti, per quam interdum ſolet accidens corrumpi. Et ita poſſet etiam illa priuatio reduci ad ceſſationem cauſæ intrinſecæ, à qua hoc priuilegium pendet, qui eſt alius modus, quo ſolent priuilegia amitti, & illa tantùm conſideratione poteſt in hoc priuilegio locum habere. His igitur prætermiſsis.

Priuilegiũ hoc immunitatis per lapſum temporis, vel mortem cõcedentis amitti nequit.

4. Prima concluſio.

Dico primò. Hoc priuilegium ita eſt perpetuum, vt etiam irreuocabile ſit. Aſſertio eſt communis, & certa, quæ in hunc modum breuiter oſtenditur, quia priuilegium hoc, maximè à Deo, vel à Rege temporali, ſeu Imperatore, vel à Pontifice Summo reuocari poſſet, in nullo enim alio talis pòteſtas cum aliquo

A apparenti fundamento cogitari poteſt. Probatur ergo aſſertio de ſingulis. Et in primis de Deo nulla eſt cõtrouerſia, nam ſi velit, poteſt omnia mutare; ſi autem velle, repugnet promiſsioni eius, non volet, neque poteſt velle in ſenſu compoſito, vt aiunt, quia non poteſt eſſe infidelis, neque ſe ipſum negare. Ita ergo in præſenti priuilegium hoc, quatenus ab ipſo Deo conceſſum eſt, ſimpliciter irreuocabile ab ipſo dici poteſt. Quia ſi datum eſt poſitiuo iure diuino legis gratiæ, ſicut ipſa lex gratiæ data eſt ſimpliciter, & cum abſoluta promiſsione perpetuitatis, vtique quandiu mundus durauerit, ita etiam hoc ius immunitatis Eccleſiaſticę ex abſoluta voluntate Dei, & ſine vlla ſubintellecta conditione perpetuò ſtabilitum eſt, quandiu ſacerdotium nouæ legis cum mundo durauerit; ergo eodem modo eſt hoc priuilegium perpetuum, & irreuocabile. Nam in fine mundi non reuocabitur, ſed ceſſante illius fundamento, ac fine, ſeu neceſsitate, conſequenter ceſſabit. Si verò priuilegiũ hoc eſt à Deo ſolùm ratione iuris naturalis, ſic magis ab intrinſeco irreuocabile eſt, quandiu fundamentum, & materia illius iuris eadem perdurauerint, vt per ſe clarum eſt, & in lib. 2. de Legib. latiùs eſt declaratum.

Probatur aſſertio.

B

C

5. An per Reges poſsit hoc reuocari.

De ſecundo puncto, ſcilicet, de Regibus temporalibus, maior eſt difficultas. Primò quia ius hoc ſub ea ratione humanum, & ciuile eſt, ac ſubinde mutabile. Secũdò quia vnaquæque res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur; ergo quatenus hoc priuilegium per voluntatem Regis conſtitutum eſt, retractari poteſt, quia voluntas Regis terreni mutabilis eſt. Hæc eſt enim ratio, ob quã

Rationes dubitandi.

D cætera priuilegia humana reuocari poſſunt. Tertiò quia ſæpe Imperatores talia priuilegia reuocarunt, vt ſumitur ex Gratiano in cap. *Omnes*. §. *Hæc ſiquis*. 11. q. 1. & ex l. *Siquis curialis*. C. de Epiſcop. & Cleri. & ex l. *Neminem*, & ex Authẽtica *Quas actiones*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. & ex l. 19. de Epiſcop. & Cleric. in Codice Theodoſiano. Et in legibus particularium regnorum inueniuntur leges ſimiles, quibus exemptio clericorum ſaltem ex parte reuocatur. Quartò, quia Reges, qui nunc viuunt, dicere poſſunt, non

Gratian.

non conceſsiſſe tale priuilagium, neque ſuos anteceſſores, ipſorum iuri præiudicare potuiſſe.

Nihilominus dicendum eſt, priuilegium hoc non poſſe per volũtatem temporalium Principum reuocari. Quæ aſſertio duobus modis poteſt intelligi. Primò non poſſe reuocari abſolutè, & ſimpliciter, etiam quatenus per Dei, vel Põtificum voluntatem conſtitutũ eſt: aliomodo intelligi poteſt, etiam quoad id, in quo potuit à Principibus temporalibus propria voluntate donari. In priori ſenſu aſſertio quoad Deum per ſe nota eſt, quoad Pontifices autem ſequitur euidenter ex principijs ſuprà poſitis, neque alia probatione indiget. Nam Pontifex poteſt clericos eximere à ſeculari poteſtate etiam temporalibus Principibus inuitis, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt; ergo non poſſunt Reges reuocare priuilegium fori, ſeu exemptionis vt à Pontificibus conceſſum, quia ſicut tale priuilegium non pendet à voluntatibus Principum in fieri, ita neque in duratione ſeu conſeruatione ſua. Et confirmatur, quia non poteſt inferior mutare ius à ſuperiore ſtatutum, vel auferre ius à ſuperiore conceſſum; ſed Pontifices conſtituerunt hoc ius immunitatis, quatenus ſunt ſuperiores Regibus temporalibus, ſaltem indirectè per ſpirituałẽ poteſtatem, vt in ſuperioribus declaratum eſt; ergo non poteſt per Principes tẽporales mutari. Neq; contra hanc partem procedunt rationes dubitandi, neq; in illa eſt controuerſia inter authores catholicos, niſi fortè apud illos, qui negãt, poſſe Pontificẽ propria poteſtate, & ſine conſenſu Principum exemptionem cõcedere. Sed illa ſententia, & paucorũ eſt, & certè improbabilis, & quod ad rem maximè ſpectat, illimet authores, qui illam defendunt, nihilominus docent, exẽptionem ſemel introductã cum conſenſu Regum non poſſe ab eiſdem Regibus reuocari, in hoc verò loquuntur iuxta poſteriorem ſenſum aſſertionis à nobis propoſitum.

6. Probatur concluſio etiam quoad Reges.

7. Procedit ergo aſſertio etiam in ſecũdo ſenſu ſuprà explicato, qui ſenſus per hanc conditionalem declaratur, nam licèt hoc priuilegium haberet ſuam primã originẽ à liberali donatione Principum, non poſſet per illos reuocari. Vel aliter exponi poteſt, ſi Pontifex intelligatur nũc habere triplicẽ modum iuriſdictionis ſuper clericos in criminalibus, & ciuilibus. Vnus modus eſt iuriſdictionis tẽporalis directè datæ à Deo in tales perſonas. Alius eſt iuriſdictionis indirectæ ex vi poteſtatis ſpiritualis, & has, ſine dubio non habet à Regibus, & ita neq; auferri per eos poſsũt. Tertius modus eſt iuriſdictionis directæ in tali materia circa tales perſonas, quã habuerint Pontifices ex donatione Imperatorum, quia vt ſuprâ dicebamus, eximendo clericos à ſua directa iuriſdictione temporali, non reliquerũt eos exleges, ſeu abſque directo ſuperiore in temporalibus, ſed iuriſdictionẽ ſuam directam in Pontifices tranſtulerunt. Dicimus ergo, etiã hoc poſito, non poſſe Principes ampliùs auferre iuriſdictionem illã à Pontificibus, & ſibi iterũ eam reſumere, præſertim ipſis Pontificibus non conſentientibus. Quæ ſententia ſic expoſita cõmunis eſt. Innocentius in cap. *Nouit* de Iudicijs, & ibi Panormitan. numer. 23. Felinus cap. 1. de Conſtitution. numer. 19. verſ. *Alius caſus*, & in capite primo de Prob. & hi duo plures alios antiquos referũt. Idẽ Hoſtienſ. in dicto cap. *Nouit.* n. 2. & in ſum. tit. de Immun. Eccleſiar. §. *Sed nec illa*, & Aluarus Pelagius lib. 1. de Planct. Eccleſ. cap. 44. & Driedo lib. 1. de Libert. Chriſtian. cap. 9. Couarr. in Pract. cap. 31. Soto in 4. d. 25. q. 2. art. 2. concluſ. 6. Molin. 1. tom. de Iuſtit. diſputation. 31. Et idem defendunt Medina, & Palacios, etiam ſi aliâs exiſtimauerint exemptionem hanc non aliter, quâm ex donatione Principum incepiſſe.

Innoc. Panormit. Felin. Hoſtiens. Alu. Pelag. Driedo. Couarr. Soto. Molin. Medina. Palacios.

8. Fundatur autem primo hæc veritas in quodã principio in materia de Priuilegijs recepto, quòd priuilegium vel ſuperiori, vel æquali conceſsũ nõ poteſt amplius à concedente reuocari. Et ratio eſt, quia tale priuilegium tranſit in pactum, vt Iuriſtæ aiunt, pacta autem ſeruanda ſunt, etiam cum ſubditis, nedum cum nõ ſubditis, & multò magis cum ſuperioribus. Vel aliter magis rationem explicãdo, licèt in idem redeat, quia talis conceſſio potiùs eſt donatio quædam, quâm priuilegium, vt rectè dixit Driedo: eſt enim,

enim, vt paulò antea explicaui, collatio quædam iuriſdictionis propriæ, à ſe illā auferendo, & in alium transferēdo, hæc autem quædam donatio eſt. Item quia inferior nō poteſt dare priuilegium ſuperiori, quaſi exercendo iuriſdictionem in ipſum, cûm illam non habeat; ergo ſolum poteſt id facere, paciſcendo, vel donando. Talis autem donatio completa, & acceptata non poteſt â donante reuocari, inuito donatario, quia poſt donationem iam non eſt dominus rei qui eam donauit, ſed cui donata eſt; nemo autem poteſt auferre rem alterius, inuito Domino. Et cōfirmatur, ac declaratur, quia ſi Princeps poſſet talem donationē reuocare, aut eſſet per dominiū, ſeu poteſtatem dominatiuam, aut per poteſtatē iuriſdictionis, nullus enim alius titulus iuſtus cogitari poteſt. Nō per dominiū, nā hoc amiſſū eſt per donationem, ſeu talis priuilegij conceſsionē, præcedēs autē dominiū, quod iam nō eſt, nullā poteſtatē, ſeu facultatē moralē relinquit. Supponimus enim, priuilegiū eſſe ſimpliciter, & abſolutè cōceſſū abſq; aliqua cōditione, nā ſi illam includeret, ob eā non impletā poſſet interdū prior dominus donationē reuocare, quia tūc nō omnino priori dominio renūciauit; hic autē non ita eſt, ſed exēptio purè, & abſolutè facta eſt; ergo ꝓpter prçcedēs dñiū reuocari nō poteſt. Neq; etiā ꝑ poteſtatē iuriſdictionis, quia nullā habet vnꝰ Princeps in ſuū ſuperiorē cū in æqualē ſibi non ſubditū illā nō habeat, vt ex terminis ipſis conſtat, ergo.

9. Hoc autē principiū, quod ſine dubio euidēs eſt, rectè in preſēti pūcto applicatur, quia hoc priuilegiū vt manare intelligitur à Principibꝰ ſecularibus, datū eſt non ſubditis, & ſuperiori, nimirū, clericis, Eccleſijs, Pōtifici. Dices, imò datū eſſe ſubditis, ſi ſupponamus, ante conceſsionem hāc clericos fuiſſe Principibus laicis ſubditos in temporalibus. Reſpondeo, priuilegium hoc partim intelligi conceſſum omnibus Eccleſiaſticis inferioribus Pontifice, partim ipſi ſummo Pontifici; illis, à ſua iuriſdictione eos eximendo, huic, ſupremam iuriſdictionem temporalem directam circa tales perſonas in ipſum transferendo. Iuxta priorem ergo conſiderationem fateor, priuilegium conceſſum eſſe ſubditis. At per eandem

Euaſio. Refellitur

A met conceſsionē facti ſunt non ſubditi, & conſequenter priuilegiū factū eſt irreuocabile à cōcedente, quia iā ineſt nō ſubditis, & ideo nec per poteſtatē iuriſdictionis poteſt laicus illos accepto beneficio priuare, quia nec dominiū habet in homines liberos, nec iuriſdictionē in nō ſubditos, nec iuſtū titulū illam iterū vſurpandi. Iuxta poſteriorē autem conſiderationē priuilegiū hoc datū eſt non ſubdito, etiā antecedenter, quia Pōtifex iure diuino eſt exēptus, ac proinde non ſubditus Imperatori; imò etiā ſuperiori B datum eſt, quia Pōtifex ſuperior eſt Imperatore, etiā in tēporalibus ſaltē indirectè, & illi vt ſupremo Paſtori data eſt etiā directa iuriſdictio tēporalis in clerū, vt cōmodius, & liberius (vt ita dicā) illū in tēporalibus regere, & iudicare poſsit. Et ita generale illud principiū omnibus modis reſpectu Pontificis locum habet.

Addo denique non ſolum in hoc priuilegio, ſed etiam in omnibus alijs conceſsis Eccleſiæ non tantùm ab Imperatoribus, vel Regibus, ſed etiam à quibuſcunque Principibus, vel dominis, habere locum principium illud ſub terminis vniuerſalioribus propoſitū, quòd C nullum priuilegium per quancunque poteſtatem temporalem, etiam non ſupremam conceſſum Eccleſiæ, & ab ipſa acceptatum, poteſt per ciuilem poteſtatem, etiam ſupremam, reuocari. Ratio eſt fundata in alio iure diuino, quo omnia bona Eccleſiaſtica à iuriſdictione, omnique poteſtate ſecularium Principum exempta ſunt, vt ſuprâ oſtēſum eſt. Ex quo principio ita colligimus, priuilegium Eccleſiæ cōceſſum eo ipſo, quòd incipit eſſe in poſſeſsione, & vſu Eccleſiæ, inter bona Eccleſiaſtica com- D putatur, vt per ſe conſtat; ſed Princeps ſecularis, quantumuis ſupremus nullam habet poteſtatem ſuper Eccleſiaſtica bona; ergo nec poteſt quidquā circa priuilegia Eccleſiaſtica diſponere; ergo multò minus illa reuocare, aut auferre poterit. 10.

Nullū priuilegium Eccleſiæ ſemel conceſſum, per ſecularē poteſtatem reuocari poteſt.

Et declaratur per comparationem ad aliá bona magis ſenſibilia, & corporalia: nā ſi Imperator fundū, caſtrū, aut ciuitatē Eccleſiæ donauit, non poteſt amplius illā auferre, ſicut nō potuit Cōſtātinꝰ donationē Vrbis, & aliorū bonorū, quā Eccleſiæ Romanæ fecit, reuocare, aut circa bona 11.

bona illa quidquam diſponere, quia iam Eccleſiaſtica facta ſunt; ergo ſimiliter nõ potuit iuriſdictionem, quam ſemel in Eccleſiam transtulit, reuocare, aut iterũ vſurpare. Atque hoc exẽplo vtitur Hoſtienſis in hac materia, optimeque rem declarat: nam licèt iuriſdictio, etiam tẽporalis magis incorporea ſit, quàm prædium v. g. nihilominus inter bona humana, & temporalia computatur, ſicut etiam aliæ actiones, vel iura, quæ à Iuriſperitis bona incorporalia nominantur; ergo poſtquàm hæc transeunt in dominium Eccleſiæ, omnia fiunt Eccleſiaſtica bona, ac proinde eandem immunitatem iure diuino induunt. Vnde idem exemplum, & argumentum ſumi poteſt ex bonis à quocunque inferiori, ſeu priuato domino Eccleſię donatis: nam poſtquàm donatio habuit ſuum effectũ, nec donator, nec Rex temporalis poteſt illa contingere, niſi quantum iura canonica diſponunt, vel ſi quid fuerit in donatione ipſa per aliquod iuſtum pactum exceptum; ergo idem eſt de quocunque priuilegio in temporalibus Eccleſiæ dato à poteſtate ciuili, nam cuiuſcunque gradus, vel ordinis ſit, reuocari non poteſt per quancũque poteſtatem ciuilem, licèt ſuperior, vel etiam ſuprema ſit.

12. Priuilegiũ immunitatis ne limitari quidem per ciuilem poteſtatem poſſe.

Ampliatur præterea quoad hanc partem regula poſita, quia non ſolùm non poteſt hoc priuilegium fori per poteſtatem ciuilẽ integrè reuocari, verùm etiã neque ex parte diminui, vel limitari, aut reſtringi; imò nec reſtrictè declarari cũ legis authoritate poteſt virtute ſolius ciuilis poteſtatis. Hoc totum ſequitur euidenter ex rationibus, & diſcurſibus factis, quia circa bona, & iura Eccleſiaſtica nulla eſt laicis tributa poteſtas; ergo ſimiliter circa priuilegium Eccleſiaſticũ, vel iuriſdictionem ſemel in Eccleſiam trãſlatam nihil poteſt ſecularis poteſtas; ergo nec diminuere, nec reſtringere, nec legem aliquam, quæ in præiudicium illius cedat, ferre poteſt. Et ſimiliter poteſt hic illud principium applicari, quòd nullus, etiam ſi ſit Rex ſupremus, poteſt minuere, vel aliquid diſponere de priuilegijs, vel iuribus alterius Regis, vel cuiuſcunque perſonæ non ſubditæ, à quocunque, vel quocunque iuſto titulo illa habuerit, ac poſſideat; ergo maiori ratio-

A ne non poſſunt Principes tẽporales circa priuilegium fori aliquid diſponere, quod in illius præiudicium cedat. Talis autem eſt cuiuſcunque legis editio, priuilegij conceſsio, iuriſdictionis delegatio, ſeu commiſsio, aut executionis iuſſio, quibus Eccleſiaſtica libertas minuatur, aut reſtringatur, & ideò omnes huiuſmodi actiones, vel diſpoſitiones non ſolùm illicitæ, ſed etiam irritæ ſunt, & inanes, quia ſine legitima poteſtate fiũt. Et ideò vt tales declarantur in Authentica *Caſſa*, C. de Sacroſanct. Eccleſ. & cap. Authent. *Caſſa*.
B *Nouerit*, & cap. *Grauem*, de Sentent. excommunicat. & alijs multis ſub titulis de Immunit. Eccleſiar. de Foro comp. & de Iudicijs. Cap. *Nouerit*. C. *Grauẽ*.

13. Obiectio.

Dices. Poſſet Rex temporalis in ſuo regno Eccleſiaſticam libertatem augere, concedendo v. g. vt clerici non ſolùm vt rei, ſed etiam vt actores poſsint laicos ad tribunal Eccleſiaſticum vocare; vel etiã concedendo, vt temporales cauſæ inter laicos poſsint ad tribunal Eccleſiaſticũ deferri, ſi rei velint, vt Conſtantinum conceſsiſſe legimus in cap. *Omnes*. 11. q. 1. Ergo poterit etiam quando ſibi expe- Cap. *Omnes*.
C diens videbitur, immunitatem reſtringere, vt æquitas ſeruetur. Reſpondetur Solutio. primò, negando conſequentiam, nulla enim æquitas hoc poſtulat. Tum quia Rex temporalis poteſt priuilegium fauorabile Eccleſijs concedere, non tamen legem condere oneroſam, aut nociuam Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis, quę illas obliget; tum etiam quia quilibet poteſt donationem à ſe factam augere, non verò minuere, quia prius liberalitatis eſt & non tollit ius alterius, ſed confert; poſterius autem repugnat iuri acquiſito, & conſequenter eſt contra iuſtitiam. Atq;
D ita in pręſenti augere immunitatem Eccleſiaſticam de ſe opus eſt liberalitatis, & non repugnat iuſtitię, aut religioni, quia non eſt diſpoſitio de iuribus iam Eccleſiaſticis, ſed de iure proprio, vt Eccleſiaſticum fiat, quod de ſe potiùs eſt opus religionis. At verò immunitatẽ reſtringere, aut limitare liberalitatis non eſt, religioniq; derogat, & iniuſtitiam inuoluit, quia eſt falcem mittere in alienam ſegetem. Deinde circa antecedens aduertimus, licèt poſsint Principes temporales per noua priuilegia clericorum

exemp-

Priuilegia per Reges Eccleſiaſticis perſonis conceſſa ante Prælatorum acceptationem effectum non habent.

exemptionem, aut iuriſdictionem Epiſcoporum in temporalibus augere, nihilominus hæc priuilegia non cogere Eccleſiæ Prælatos, vt illa obſeruent, ſed neceſſarium eſſe eorum liberum cōſenſum, vt effectum habeant, quia in tali materia nec vim coactiuam, nec directiuam habere poſſunt, vt ſuprà eſt oſtenſum. Et præterea vt talia priuilegia à clericis acceptari valeant, neceſſe eſt, vt legibus canonicis non ſint contraria, quia contra illas nulla diſpoſitio ciuilis valida eſſe poteſt.

Neque rationes dubitandi in principio huius pūcti poſitæ aſſertioni obſtāt.

14. Soluuntur rationes dubitandi contra hanc partem propoſitæ. Prima.

Ad primam enim dicimus, licêt hoc priuilegium vt ab Imperatore manauit, ius ciuile dici poſsit, tamen poſtquam per Eccleſiam eſt approbatum, eſſe, vt Iuriſtæ loquuntur, canonizatum, id eſt, ius canonicum effectum, materiamque eius eſſe ad altiorem ordinem Eccleſiaſticarū rerum eleuatam, & ideò ſine conſenſu Pontificis reuocari non poſſe. Quod de omni lege ciuili canonizata docuerunt Gloſſæ, Innocent. Dominicus, & alij apud Felinum cap. 1. de Conſtitut. num. 19. & Panormit. in cap. *Nouit*, de Iudicijs. nu. 27. Ad ſecundam reſpondetur, principium illud, Rem per quas cauſas naſcitur, poſſe diſſolui, tantum habere locum in his, quæ pendent in fieri, & cōſeruari à cauſa: in præſenti autem licèt exemptio, prout nunc conſideratur, in fieri pendeat à voluntate concedentis, poſtquam verò data eſt, iam non pendet, quia, vt dixi, ad altiorem ordinem rerum eſt euecta. Accedit, quòd effectus ille per potentiorem voluntatem confirmatus eſt, & ideò per ſolā ſecularis Principis voluntatem retractari non poteſt. Ideoq; non eſt eadem ratio de hoc priuilegio, & alijs, quæ ſubditis conferūtur.

Felin. *Panormit.* Secunda.

15. Tertia. *Felin.*

Ad tertium in primis dicimus; narrari facta, non tamē oſtendi iure eſſe facta. Et ita Felinus in cap. *Eccleſia*, de Conſtitut. reſpondet ad dictam legem, *Siquis curialis*, quòd licèt de facto quoddam priuilegium reuocauerit, iure tamen non potuit. Idemq; reſponderi poteſt ad alias leges, præſertim antiquas, quia Imperatores in principio non ſatis perſpectam habebāt vim Eccleſiaſticæ immunitatis. Deinde verò dicitur, aliqua fortè fuiſſe priuilegia, quæ vel nunquam fuerunt à Pontificibus acceptata, ſed ad ſummum permiſſa, vt fortaſſe fuit priuilegium datum à Conſtantino, quòd laici poſſent ad Eccleſiaſticos iudices appellare. Et ſi quę talia fuerunt, per contrariam voluntatem, vel vſum reuocari potuerūt, quia nec propriè pertinebant ad immunitatē, neque inter iura, ſeu bona Eccleſiaſtica computabantur, & ita ceſſant in illis rationes factæ. At verò priuilegia à Pontifice acceptata, & probata ſine conſenſu Pontificis reuocari non potuerunt, & ideò leges contrariæ, vel effectum non habuerunt, vel non niſi Pontifice annuē te tacitè, vel expreſſè, illum conſequi potuerunt. Quod videtur recognouiſſe Rex Hiſpaniæ Alphonſus in l. 54. tit. 6. part. 1. dicens, licêt clerici ob clericatum in multis exempti ſint, quędam verò eſſe, in quibus Eccleſiæ placuit, vt non eximantur, Hiſpanè *Tubo por bien la ſanctia Igleſia*, quaſi diceret, ſe non poſſe exemptionem tollere, aut minuere, ſed ſolûm declarare, quid in eo genere Eccleſia admiſerit. *Alphonſ. Hiſpaniæ Rex.*

Ad quartum reſpondetur, Reges, qui nunc viuunt, comparari poſſe vel ad pręcedentes quibus hæreditario iure ſuccedunt, vel ad Imperatores, quorum regna ex parte aliqua occuparunt, & iuſto titulo cum ſuprema poteſtate ciuili poſſidēt. De prioribus dico, ſuccedere vnūquenque in regno eo modo, quo anteceſſores illud habuerunt; ſi ergo ab aliquo anteceſſore priuilegium hoc validè conceſſum eſt, eo ipſo fuit illa iuriſdictio ab illo throno Regio ſeparata, ideòque ſucceſſor non poteſt cum ampliori iuriſdictione illud hæreditare, nec ſeparationē priùs factam reuocarē, quia nullam poteſtatem conſequitur reſpectu non ſubditorum. Et ferè eadem ratio eſt de Regibus ſupremis, qui nunc ſunt in terris, quæ olim erant imperij: nam etiam obtinuerunt illa regna in eo ſtatu, in quo ſub Imperatore antea erant, & ita non potuerunt iuri Eccleſiæ derogare. 16. Quarta ratio ſoluitur

Quod ſi quis dicat, exemptionē hanc, vt eſt ab Imperatoribus, à temporibus Friderici II. incepiſſe, quo tempore iam multi erant ſupremi Principes, & Reges Chriſtiani, qui conſtitutionem Friderici acceptare non tenebantur. Reſpondetur 17. Euaſio.

in

Diſſoluitur in primis (quidquid ſit de antiquitate iuris, & excellentia vniuſcuiuſque regni, quod nunc examinare nobis neceſſariũ non eſt) Fridericum non dediſſe, ſed innouaſſe, & ad priſtinum, ac debitum ſtatum Eccleſiaſticam exemptionem reduxiſſe, prout ab antiquis Imperatoribus conceſſa iam fuerat, vt in ſuperioribus viſum eſt. Deinde negari non poteſt, quin omnia regna Romani orbis legem illam acceptauerint, & vſu, ac moribus obſeruauerint, imò & in ſuis regnis proprijs legibus cõfirmauerint, quod ſatis eſt, vt hoc ſpeciali titulo fuerit Eccleſiæ ius acquiſitum. Cuius etiam ſufficiens indicium eſt, quia vt in aliquibus caſibus poſsint contra exemptionem agere, priuilegia ab Apoſtolica ſede obtinuerunt, vt reſpondendo Barclaio, eiuſque argumentum in ipſum retorquendo, Bellarminus notauit, ex Iulio Claro lib.5.§.vltim.quæſt.36. num.26. in fine, & Aufrerio in Clementin. *Vt clericorum*, de Offic. Iudicis ordinarij limitatio. 13. Et de republica Veneta ſimilia priuilegia refert Gigas in tractat. de Crimine læſæ Maieſtatis ſub Rubrica *Quis de illo cognoſcat*. num.20. Signum ergo eſt, hoc ius exemptionis in toto orbe Chriſtiano receptum eſſe, & in eodem orbe eſſe quaſi ius gentium, ideòq; temporales Reges non poſſe authoritate ſua illud reuocare. De Regibus verò ſupremis, qui fortaſſe de nouo conuertuntur ad fidem, iam ſuprà dictum eſt, poſſe ab Eccleſia cogi ad hanc exemptionem admittendam, & quaſi cum illis contrahere, neq; aliter illis miniſtros Eccleſiaſticos tribuere, niſi eos ab ipſorum temporali iuriſdictione exemptos admittãt. Quæ conditio, licèt non expreſſè proponatur, in ipſa profeſsione obedientiæ ad Pontificem Romanum includitur, ideòque hoc etiam titulo non poſſunt huiuſmodi Reges hoc priuilegium reuocare, aut infringere.

Bellarmi. cap.35. Iul. Clar. Aufreri. Gigas.

18. Etiam per ſummũ Põtificem non poſſe hoc priuilegiũ ſimpliciter reuocari.

Tertiò dicendum de Summo Pontifice, an poſsit hoc priuilegium reuocare, in quo eædem ferè rationes dubitandi poſſent proponi. Illis tamen non obſtãtibus breuiter dico, etiam Súmum Pontificem non poſſe priuilegium hoc ſimpliciter, & abſolutè reuocare. Ita dicunt communiter Canoniſtæ in cap. *Eccleſia*, de Conſtitut. vbi pręcipuè Panormitan. Decius, & Felin. & in cap.2. de Maiorit. & obedien. Cardinalis in Repetit. cap. *Perpendimus*, de Sentent. excõmunicat. oppoſit.7. Rebuff. in Concordat. tract. vlt. vbi alios refert, & Iacobatius lib.1. de Concil. ar.6. Probatur autem hæc aſſertio, diſcurrendo breuiter per tria iura, à quibus hæc exemptio originem ducere potuit. Et in primis cum dixerimus eſſe immediatè à iure diuino naturali, vel poſitiuo, clarũ eſt, non poſſe per Põtificẽ reuocari, & in hoc principio dicti auctores fundantur. Quo ſuppoſito, euidens eſt conſecutio, quia Pontifex non poteſt diuinum ius abrogare; ergo nec poteſt reuocare priuilegium iure diuino immediatè collatum, & inſtitutum, quia per hoc ius quoddam diuinũ abrogaret. Et hac ratione diximus ſuprà, non poſſe Pontificem ſe ipſum hoc priuilegio priuare, quia iure diuino eſt ſuæ dignitati annexum, neq; poteſt ab illa ſine eiuſdẽ dignitatis diminutione diuelli; ergo eadẽ ratione non poteſt vniuerſale priuilegiũ cleri reuocare, quaten⁹ à iure diuino eſt.

Panormit. Decius. Felin. Cardinal. Rebuff. Iacobatius.

19. Veruntamen etiã ex hypotheſi, quod hoc priuilegiũ non eſſet immediatè collatum à Chriſto cęteris clericis infra Sũmum Pontificem, vera eſſet aſſertio de eodem priuilegio vt eſt ab hominibus. Et primo de iure ciuili, quia res eſt facilior. Non poteſt enim Pontifex renunciare huic priuilegio eo modo, quo ab Imperatoribus, & Regibus conferri potuit, & de facto collatum eſt, niſi abdicãdo à ſede ſua omnẽ directam iuriſdictionem temporalem ipſi collatam à Principibus ſeculi; eamq; illis renũciando, hoc autem non poteſt facere Pontifex; ergo vel ex hoc capite non poteſt Pontifex hoc priuilegium reuocare. Maior ſatis in ſuperioribus declarata eſt. Minor probatur quia Pontifex non eſt Dominus abſolutus bonorum, & iurium ſuæ Sedis, etiam illorum, quæ ab hominibus illi donata ſunt, quia principaliter ſunt data Chriſto, ipſi autem tantùm vt Vicario eius, & ideò non perſonæ, ſed Sedi datæ ſunt; ergo ſolum eſt illorum diſpenſator fidelis, & prudens; ergo non poteſt ſuo arbitrio illa donare, alienare, vel diſsipare. Et ob hãc cauſam nõ poſſet nũc Vrbẽ, aut reliquum Patrimonium Petri Impe-

ratori reddere, aut alteri liberè donare. Eadem autem, vel maior ratio eſt de prædicta iuriſdictione, poſtquàm ſemel in poteſtatem, & dominium Eccleſiæ trãſlata eſt: nam inter temporalia bona eſt res magnæ æſtimationis, & Eccleſię magis neceſſaria ad eius decorem, & bonum regimen, quàm temporale regnũ, vel ſimilia bona temporalia; ergo multo minus poteſt iuriſdictionem illam, & poteſtatem relinquere, & ſedem ſuam illa priuare.

20. Ex parte clericorum ſuadetur aſſertio.

Deinde ex parte clericorum non minùs euidenter hoc oſtenditur: nam per hoc priuilegium etiam illis eſt ius acquiſitum, per quod ſpecialem libertatem à temporali iugo conſequuti ſunt, & illius libertatis facti ſunt domini; ergo non poteſt Pontifex pro ſuo arbitrio eos priuare hoc iure acquiſito, ſeu libertate, cuius ſunt domini; ergo nec poteſt reuocare priuilegium illud vt ab Imperatore datum, quia per talem reuocationem dicto iure, & libertate clerici priuarentur, iterumque poteſtati ſeculari ſubijcerentur. Dices, hoc argumento rectè probari, non poſſe Pontificem ſine cauſa priuare clericos illo iure acquiſito, ex cauſa tamen poſſe. Reſpondetur, tam neceſſariam eſſe exemptionem hanc ſtatui clericali, vt nulla cauſa iuſta excogitari poſsit, propter quam totus Eccleſiaſticus ſtatus iuſtè, aut validè poſsit tanto beneficio priuari. Itaque vt aliquis clericus in particulari interdum hac libertate priuetur, poterit interdum ex parte illius ſufficiens cauſa interuenire, vt ex ſuprà dictis intelligi poteſt, quoniam clerici in pœnam criminum, vel quia ſtatum clericorum non ſeruant, interdum hoc priuilegio, vel omnino, vel ex parte priuantur. Reſpectu verò totius Eccleſiæ, & ſtatus clericalis nulla ratio, vel cauſa ſufficere poteſt ad talem mutationem, ſeu reuocationem iuſtè faciendam, & ideò neque validè in tali materia fieri poteſt.

Euaſio quędam reijcitur.

21. Non poteſt Põtifex omnia iura immunitatem cõcedentia abrogare.

Atque hinc tandem idem facilè probatur de eodem priuilegio, vt per ius canonicum eſt ſtabilitum, quia non poſſet nunc Põtifex totum ius canonicum cõcedens, vel confirmans hoc priuilegium abrogare. Quia non eſt illi data poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem; talis autem abrogatio nullum commodum poſſet Eccleſiæ afferre, ſed potiùs perturbationem, & alia nocumẽta. Quia eo ipſo vellent Chriſtiani Principes poteſtatem in clericos vſurpare. Nam etiam ſtante iure canonico vix poſſunt in officio contineri, quid ergo futurum eſſet, ſi ius canonicum in hac parte abrogaretur? Dices, licèt male faciat Princeps, ſeu Põtifex abrogando ſine cauſa, vel ratione legem à ſe, vel à ſuis prædeceſſoribus conſtitutam, nihilominus ſi id faciat, factum tenere, quia valor talis legis ex legiſlatoris voluntate abſolutè pendet; ergo ſimiliter in pręſenti illa abrogatio vel reuocatio valida eſſet, quamuis iniuſta.

Obiectio.

22. Solutio.

Reſpondeo in primis, talem reuocationem non ſolùm fore iniuſtam ex illa generali ratione, quòd eſt contra iuſtitiã legalem, ſed etiam alia ſpeciali, ſcilicet, quia non obſtante dicta ſuppoſitione, adhuc eſſet contra ius diuinum ſaltem pręcipiens, vt talis exemptio ſit in Eccleſia quoad commodè fieri poteſt, & ex hac parte eſſet fortaſſe talis reuocatio non ſolùm iniuſta, ſed etiam inualida, quia iuri diuino contraria. Secundo dicitur, quando lex ſemel poſita contulit ius, & mutationem in ipſis rebus fecit, non poſſe ſine cauſa boni communis ita abrogari, vt ſubditi priuentur rebus, vel iuribus iam acquiſitis, quia ergo ſtatus clericalis perpetuum ius immunitatis per hanc legem canonicam acquiſiuit, non poteſt per reuocationem ſine cauſa, & temerè factam validè illo iure priuari. Denique dico, quidquid ſit de hypothetica quæſtione, an ſi talis reuocatio fieret, valida eſſet, non eſſe timendum, quòd talis reuocatio aliquando fiat, quia cùm non poſſet fieri ſine magno diſpendio, & perturbatione vniuerſalis Eccleſiæ, non permittet Spiritus Sanctus, cuius ſpeciali prouidentia Eccleſia regitur, vt Pontifex in ſuæ poteſtatis vſu tam grauiter erret. Et ita conſiderando illam poteſtatem, non vt purè ſubſtat voluntati humanæ, ſed præcipuè vt à Spiritu Sancto regitur, dicimus, non poſſe Pontificem talem reuocationem facere, quia eſſet intolerabilis error moralis contra vniuerſale bonum Eccleſiæ, vt alibi in pręcepto decimarum declaraui.

Tom. 1. de Relig. tractatu. 1. lib. 1 c. 14. n. 10.

CAP.

CAPVT. XXXI.

Vtrum priuilegium clericorum poſsit per renunciationem amitti, vel diminui?

1. Per voluntariam renũciationem hoc priuilegium amitti non poteſt.

RESOLVTIO eſt, hanc Eccleſiaſticam immunitatem, per renunciationem eorum, quibus conceſſa eſt, propria voluntate, & authoritate factam amitti non poſſe, quia à nullo poteſt validè, & efficaciter renunciari. Hæc aſſertio quatenus peculiari ratione ad Summum Pontificem pertinere poteſt, in cap. 7. huius libri tractata eſt. Quoad cæteros verò intelligi poteſt vel de ſingulis perſonis, vel de toto clero, ſeu ſtatu clericali. De ſingulis ergo perſonis traditur expreſſè ab Innocent. III. in cap. *Si diligenti*, de Foro compet. (Innoc. 3.) redditque rationem his verbis: *Cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat, ſed potiùs toti collegio Eccleſiaſtico publicè ſit indultum, cui priuatorum pactio derogare non poteſt.* Vnde concludit, talẽ renunciationem etiam iuramẽto firmatam validam non eſſe, nec tale iuramentũ obligare, quia eſt contra bonos mores. Talis enim renunciatio eſt iniuſta, & ſacrilega, quia eſt iniurioſa ſtatui clericali. Atque hoc ius ante Innocentium traditum erat, vt ipſe notat, in Concilio Carthaginẽſ. 3. cap. 9. cap. *Placuit*. 2. 11. q. 1. (Cõcil. Carthag.) vbi peculiari pœna puniũtur clerici huic priuilegio renunciantes tam in criminali, quàm in ciuili cauſa. Idemq; de priuilegio canonis ſtatuitur in cap. *Contingit*. 1. de Sentent. excommunic. (Cap. Contingit.) Ex quibus iuribus colligitur notanda differentia inter hoc priuilegium, & alia, quæ in fauorem priuatorum conceduntur: nam hæc, quæ priuata iura dicuntur, non habent vim legis, & præcepti reſpectu eorum, quibus cõceduntur, ſed potiùs ſunt quaſi permiſsiones, ſeu diſpenſationes, ſeu fauores, quibus vti poſsint, ſi velint. (Priuilegiũ fori reſpectu priuilegiatorũ inducit præceptum.) Hoc verò priuilegium, quia continet publicum ius, habet vim præcepti, non ſolùm reſpectu aliorũ, ſed etiam reſpectu priuilegiatorum, quia non ſolùm eis tribuit fauorem, ſed etiam præcipit, vt illo vtantur, ſeu prohibet, ne illud renuncient; alijs autem iubet, ne illud violent, etiam ſi clerici conſentiant.

A Vnde quoad vtranq; partem per hoc ius canonicum nõ ſolùm reuocatum, ſed etiam emendatum eſt ius ciuile Iuſtiniani in l. *Siquis in conſcribendo*. C. de Epiſc. & cleric. in qua ſtatuebatur, *Si clericus promiſerit, non vti ſuo priuilegio fori, non poſſe aduerſus ſua pacta venire*, & in ſimili l. *Siquis*. C. de Pactis, vbi præcipitur iudicibus laicis, vt eam legem obſeruari faciant. 2. Et ratio in vtroque loco redditur, *quia eſt regula iuris antiqui, omnes licentiam habere his, quæ pro ſe introducta ſunt, renunciare.* Veruntamen lex illa ſemper nulla B fuit, & in ea condenda grauiter exceſsit Imperator (fortaſſe per ignorantiam) tũ quia diſpoſuit in materia non ſua, & circa perſonas ſibi non ſubiectas, tum etiã, quia nititur falſo fundamento, quia vel non intellexit vim, & naturam huius priuilegij, quod non propter priuata commoda perſonalia, ſed propter commune bonum religionis principaliter inſtitutũ eſt; vel ſi hoc intellexit, male applicauit iuris antiqui generalem regulam, nam illa intelligenda eſt de ijs, quæ pro priuato vniuſcuiuſque commodo introducta ſunt, vt rectè Pontifex intellexit, ad C quem, & non ad Imperatorem pertinet, quale ſit priuilegium clericale, & quomodò à clericis obſeruandum ſit, declarare.

3. An de licentia Epiſcopi poſsit quilibet clericus huic priuilegio renunciare. Ratio dubitandi.

Sed quæri non immeritò poteſt, an de licentia Epiſcopi poſsit quilibet clericus huic priuilegio renunciare. Et ratio dubitandi eſt, quia multa iura antiqua prohibentia, ne clerici in iudicio ſiſtant ſeculari, addunt hanc limitationem *ſine licentia, vel ſine permiſsu Epiſcopi*, vt patet in epiſt. 2. Marcellini Papæ, (Marcelli. Papa.) & ex Concilio Agathenſi, cap. 32. (Cõcil. Agathen.) Aurelianenſi. 3. can. 31. (Coec. Arelian.) & habetur in cap. *Clericum*. 1. 2. (C. Clericũ.) D & 3. 11. quæſt. 1. Venetico ſub Leone I. cap. 9. (Conc. Ven.) Epaunenſi canon. 11. (Cõc. Epaunen.) Denique idem ſumitur ex capite 2. de Foro competenti, (Cap. 2. de For. comp.) vbi dicitur: *Nullus iudicum, &c. ſine permiſsu Pontificis clericum per ſe diſtringere, aut condemnare præſumat*; ergo hæc omnia iura ſignificant, de licentia Epiſcopi poſſe, & clericum renunciare iuri ſuo, & laicum illum iudicare.

4. Vera reſolutio.

Nihilominus dicendum eſt, quoad propriam fori renunciationem non poſſe Epiſcopum talem licentiã concedere. Ita docet Gloſſa (Gloſſa.) in cap. *Qualiter, & quan-*

 do,

do, de Iudicijs, verb. *Prohibemus*. Item Gloſſa in cap. *Significaſti*, de Foro compet. verb. *Clerici* in fine, & colligitur ex
Gloſſa. illo textu ibi: *Clerici in iudicem non ſuum (niſi fortè ſit perſona Eccleſiaſtica, & Epiſcopi diæceſani voluntas accedat) conſentire non poſſunt.* Duas ergo conditiones requirit ibi Gregorius IX. ad talem conſenſum, vel renunciationem; ergo ſi deſit prima conditio, & iudex ſit laicus, nõ ſufficit Epiſcopi licentia. Et ita etiam ſentiunt Panormitan. & alij expoſitores
Panormit. his locis, Gloſſa item, & Doctores in cap. 2. de Foro compet. Ratio verò eſt, pri-
Ratio huius reſolutionis mò, quia non ſolùm inferior clericus, ſed etiam quilibet particularis Epiſcopus eſt priuata perſona reſpectu totius Eccleſiaſtici ſtatus, & ideò non poteſt ipſemet Epiſcopus reſpectu ſuæ perſonæ renunciare iuri ſuo, & iudicio ſeculari ſe committere; ergo nec poteſt dare ſuis clericis licentiam, vt id faciant; nam eſt eadem ratio, per vtrunque enim fit contra priuilegium in fauorẽ totius ſtatus conceſſum.

5\.
Secunda ratio. Secundò id amplius declaratur, quia hoc ius, vt dixi, non tantùm eſt priuilegium concedens, ſed etiam eſt prohibẽs, ſeu præcipiens, & eſt ius ſuperioris generale, & grauiſsimum; ergo non poteſt inferior, qualis eſt quilibet priuatus Epiſ
Tertiã. copus, in eo diſpenſare. Tertiò in priuilegio canonis non poteſt Epiſcopus licentiam concedere clerico, vt permittat, ſe ab alio verberari, nec poteſt facere, quin laicus verberans etiam de licentia ſua excõmunicationem incurrat, vt re-
Gloſſa. ctè dixit Gloſſa in dicto cap. *Significaſti*,
Cap. *Vniuerſitatis.* & colligitur ex capitulo *Vniuerſitatis*, de Sententia excõmunic. ergo nec poteſt clerico dare licentiam, vt renunciet priuilegio fori, nec iudici ſeculari permittere, vt tali renunciatione vtatur. Dixi autem, hoc intelligi quoad propriam fori renunciationem, vt aduerterem, in tributorum ſolutione poſſe admitti aliquẽ modum exceptionis. Quanquam ſi attentè res conſideretur, propriè non eſt exceptio; tum quia ſecundũ nouum ius cap. *Aduerſus*, de Immunitat. Eccleſiar. etiam in tributorum ſolutione non ſufficit licentia Epiſcopi, ſed conſulendus eſt Papa; tum etiam quia licèt in caſu inſtantis neceſsitatis videatur admittenda

A exceptio per epijkiam; nihilominus attento modo, & ratione contributionis non eſt propria exceptio, quia illa contributio non fit, nec permittitur tanquã debita in ratione tributi, id eſt, in ſignũ ſubiectionis, vel ex vi legis ciuilis, ſed quia ex charitate, vel ex legali iuſtitia, vel alio modo ex vi rationis, ipſimet Prælati Eccleſiæ iudicant, expedire, vt à clericis fiat, vt ſuprà declaratum eſt. Vnde non eſt renunciatio, ſed veluti naturalis iuris prudens interpretatio.

Ad iura verò antiqua in contrarium
B allegata vario modo reſpondent Gloſſę. 6.
Quædam enim in dicto cap. *Significaſti*, [illegible]
dicit, in illis textibus ſupplendam eſſe [illegible]
particulam *maximè*, ita vt ſenſus ſit, ſem- [illegible]
per eſſe illicitum clerico renunciare huic priuilegio, maximè verò, id eſt, maiori culpa, ſine licentia Epiſcopi, quia peculiarem illi facit iniuriam. Sed, vt Iuriſtæ aiunt, miſera eſt interpretatio, quæ fit,
addendo legi verba in illa non contenta. [illegible]
Præſertim quia aliquãdo illi canones ita loquuntur, vt non niſi violenter, & deſtruendo ſenſum particula illa addi poſſe videatur, vt in Concilio Epaunenſi, ver-
C ba ſunt: *Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui adire publicum iudiciũ non præſumant, &c.* certè ex vi horum verborum, qui ex ordinatione Epiſcopi id faceret, legem illã non violaret, & euidentiora ſunt verba Concilij Venetici: *Clerici niſi ex permiſſu Epiſcopi, &c.* ibi enim particula *maximè* accõmodari non poteſt. Alia igitur gloſ-
ſa in dicto cap. 2. de Foro compet. reſpõ- Alia gloſſa.
det vno verbo: *Hìc vacat argumentum à contrario ſenſu*, id eſt, illi canones ſpecialiter prohibent, ne talis renunciatio fiat ſine licentia Epiſcopi, non tamen propterea concedunt, vt cum illa fieri poſsit:
D nam hoc eſt argumentũ à contrario ſenſu, quod argumentum non eſt efficax, quãdo alijs iuribus repugnat. Eſtq; probabilis reſponſio, ſed dura ſatis, & quaſi violenta, ſi verba tot canonum ſimpliciter expendantur. Et ſimiles ſunt aliæ ſolutiones, quas multiplicat Panormit. in
dicto cap. 2. n. 12. Mihi ergo verior, & *Panormit.*
ſimplicior videtur reſponſio Gloſſę in d. Vera reſponſio.
cap. *Clericus*. 1. dicentis: *Hodie nec cum cõſenſu Epiſcopi poteſt*, quibus verbis ſignificat, olim ſecundũ ius antiquũ id licuiſſe,
nunc verò nõ licere. Et idẽ ſenſit Gloſſa *Gloſſa.*
in

in dicto cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, dicens, hoc non licere, *licet iura antiqua contrarium innuere videantur.*

7. *Ad cap. 2. de Foro cõpit.*

Ad cap. autem 2. de Foro comp. quod magis modernum eſt, non videtur illa reſponſio accõmodari poſſe, & ideò cõſidero, canonem illum non loqui ad clericos, prohibendo, vt non renuncient foro, ſed loqui ad iudices ſeculares, prohibẽdo ſub cẽſura ipſo facto, *ne clericos per ſe diſtringere, aut condemnare præſumant.* Et reſpectu illorum rectè additur particula *ſine permiſſu Epiſcopi*, quia interdum poſſunt de licentia Epiſcopi diſtringere clericos, quia verbum *diſtringere*, in rigore non ſignificat iudicare, aut iuriſdictionem exercere, ſed coactionem aliquam aut pœnam exequi, capiendo, incarcerando, & torquendo; hæc autem, & ſimilia poſſunt interdum facere iudices ſeculares iuſſu Epiſcopi, iuxta cap. *Vt famæ.* de Sẽtent. excõmun. quia, vt ibi dicitur, tunc ſecularis iudex non ſua authoritate, ſed Epiſcopi illa exequitur, & quia ſæpe Prælati indigent potẽtia, & authoritate talium miniſtrorum. Addi etiam poteſt alia ratio, quia ſi Epiſcopus iuriſdictionis actum ſeculari iudici in clericũ committat, videtur ei ſuam iuriſdictionẽ delegare, & iudex ſecularis poteſt præſumere, Epiſcopum poſſe talem delegationem facere. Hæc verò poſterior ratio tolerari poſſet, ſi iudex ſecularis aliàs eſſet clericus, ſaltem in minoribus, & committeretur illi cauſa, iure canonico, & Eccleſiaſtico more clericis accommodato tractanda, aliàs non poteſt habere locum, quia Epiſcopus non poteſt iuriſdictionem in clericum puro laico committere, neque etiam laicorum more, & per leges ciuiles clericum iudicari permittere, iuxta cap. 2. de Iudicijs. Ideòq; ſolùm reſpectu Summi Pontificis poſſet hic intellectus illius textus quoad hanc partem habere locum. Neque eſt contemnenda expoſitio, quæ textum illum ad Summum Pontificem reſtringit; non enim dicit ſine permiſſu Epiſcopi, ſed ſine permiſſu Pontificis, quæ vox ſolet per antonomaſiam pro Summo Pontifice ſumi, præſertim quando per literam maiuſculam. P. ſcribitur, vt ibi habetur in collect. 1. Antonij Auguſt. cap. 3. illius tituli.

Cap. Vt famæ.

Epiſcopus iuriſdictionem in clericum laico nullis ordinibus inſignito cõmittere nequit.

A Vnde manifeſtum eſt, poſſe quẽlibet clericum de licentia Pontificis ſuræi huic priuilegio renunciare, prout in illo textu tradunt Panormitan. ibi numer. 12. inducens textum illum in eodem ſenſu, & Gloſſam in dicto cap. *Clericum.* ſecundo, 11. quæſtion. 3. verb. *Secularem.* Indeque argumentum ſumit, quia Papa poteſt delegare laico cauſam ſpiritualem iuxta cap. *Illud.* 10. quæſtion. 3. & de purgatione Epiſcopi in cauſa criminali: idem ſumitur ex cap. *Mennam.* 2. q. 5. Et ratio eſt, quia Summus Pontifex B habet poteſtatem diſpenſandi in quolibet iure canonico etiam præcipiente, & determinare, vel ex parte mutare priuilegium iure diuino conceſſum, quod reſpectu Pontificis non includit præceptum, vt nunquam mutetur. Item quia Pontifex poteſt ſuam iuriſdictionem cõmittere laico, præſertim in cauſis temporalibus, etiam ſi ad perſonas clericorũ pertineant. Hoc tamen rariſsimè facit Pontifex, quia per ſe non decet ſtatum clericalem. Vnde etiam conſtat, neceſſariam eſſe cauſam, & ſatis grauem, vt Papa facultatem hanc rectè, & legitimè cõ- C cedat: nam ad omnem diſpenſationem communis iuris, vt licitè fiat, neceſſaria eſt cauſa; ergo multò magis in hoc iure, quod grauiſsimum eſt, & ſtatum ipſum clericalem vniuerſè reſpicit, & ad ius diuinum pertinet, vel illi eſt coniunctiſsimum.

8. De licentia Pontificis poteſt clericus huic priuilegio renunciare.

Panormit. Gloſſa. Ca. *Illud.* Cap. *Mennam.*

9. Aduertendum autem eſt, duobus modis poſſe facultatem hanc à Pontifice concedi. Primò per ſe ac directè ipſi clerico intuitu ſuæ perſonæ, & in fauorem eius, & tunc datur propriè facultas ad renunciandum priuilegio, ideòq; non datur poteſtas iudici ſeculari ad co- D gendum clericum, ſed licentia ad iudicandum cauſam eius, ſi ipſe illi ſe ſubmittere voluerit. Et ex hac parte minor fit derogatio priuilegij, ac ſubinde minor etiam cauſa ſufficiet ex hoc capite, vt facultas hæc licitè concedatur, ex alia verò parte difficilius honeſtari poteſt, præſertim in cauſis criminalibus, quia ſolùm poteſt ad priuatũ, & perſonale commodũ ordinari, & ideò vix poteſt ſufficiẽtẽ habere cauſã, ideoq; raro, vt opinor, talis facultas conceditur. Alio modo fit hæc cõceſsio directè iudici, ſeu Principi

ſeculari, dando illi poteſtatem, & iuriſdictionem, eius intuitu, & in fauorem eius. Et tunc magis quidem derogatur priuilegio, quia tunc non ſolùm volentem, ſed etiam inuitum clericũ poteſt iudex ſecularis cogere, & iudicare, ideòq; grauior requiritur cauſa. Ideòq; frequentiùs fit vel in ſingularibus occaſionibus occurrentibus, vel in aliquibus priuilegijs circa aliqua grauiora crimina, vt læſæ maieſtatis, quia tales conceſsiones ad commune bonum, & pacem reipublicæ ordinantur, vel ad defenſionem, & congruẽtem fauorem aliquorum Principũ, quæ quidem cauſæ frequentiùs occurrunt. Hic autem poſterior modus conceſsionis non pertinet ad renunciationẽ priuilegij, cum in illo voluntas priuilegiarij non concurrat, ſed pertinet ad ablationem priuilegij in aliquo caſu, vel cauſa, quæ vt ſuperiori capite dixi, fieri poteſt à Pontifice in pœnam, vel odium alicuius culpæ, & ſecundum potentiam ordinariam aliter non fit, quia vix poteſt alia cauſa neceſſaria, vel ſufficiens occurrere.

10. An ſtatus Eccleſiaſticus huic priuilegio renunciare valeat. Ratio dubitandi.

10. Tandẽ quæri poteſt circa hanc aſſertionem, an communitas aliqua Eccleſiaſtica, vel ſaltem totus Eccleſiaſticus ſtatus poſsit huic priuilegio renunciare. Et ratio dubitandi eſſe poteſt, quia tunc ceſſat ratio textus in dicto cap. *Si diligenti*, & procedit regula generalis, quòd vnuſquiſque poteſt renunciare iuri ſibi conceſſo. Hæc enim regula generaliter, & ſine limitatione procedit in quacunque perſona vera, vel ficta, cui per ſe primò, & quaſi adæquatè priuilegium conceſsũ eſt, vt ex materia de Legibus ſuppono. Hoc autem priuilegium conceſſum eſt ſtatui clericali, vt dicitur in dicto cap. *Si diligenti*; ergo totum corpus cleri per modum vnius perſonæ poterit huic priuilegio renunciare. Hæc autem ratio in primis non procedit de quacunque priuata communitate Eccleſiaſtica, ſiue ſit vnius Eccleſiæ, ſiue vnius diœceſis, ſiue vnius Metropolis, ſiue vnius prouinciæ, aut regni, quia nulla iſtarum cõmunitatum eſt ſubiectum adæquatum (vt ſic dicam) iſtius priuilegij, ſed ad totũ corpus cleri tanquam pars, ac proinde tanquam particularis perſona in ſuo ordine comparatur. De quacunque igitur huiuſmodi

A communitate certum eſt, non poſſe huic priuilegio renunciare, quia in ea procedit ratio capituli *Si diligenti*, & conſequẽter etiam deciſio.

Nulla particularis communitas priuilegio renunciare valet.

De toto verò corpore ſtatus clericalis procedit difficultas poſita, quæ ad quæſtionem hanc reducenda videtur, an Concilium generale poſsit huic priuilegio renunciare, quia non videtur poſſe morali modo cogitari alia via, qua poſsit vniuerſus Eccleſiæ clerus ad conſentiẽdum in huiuſmodi renunciatione cõgregari, aut conuenire. De Concilio ergo 11.
B generali dico breuiter duo. Vnum eſt, Conciliũ generale ſine Pontifice, id eſt, ſine illius facultate, & approbatione non poſſe huic priuilegio renunciare. Hoc certum eſt multis de cauſis. Primò quia Concilium generale nihil poteſt facere ſine approbatione Pontificis, cuius authoritate congregari debet, & continuari. Quòd ſi contingat, Sede Apoſtolica vacante, congregari Concilium (quod fieri non debet, niſi quando ratione ſchiſmatis non poſsit electio veri, ac certi Põtificis aliter fieri) tale Conciliũ non poteſt aliquid de ſtatu vniuerſalis Eccleſiæ
C immutare, & ideò multò minus poſſet huic priuilegio renũciare, ideòq; talis renunciatio non ſolùm à futuro Pontifice facilè reuocari poſſet, ſed etiam à principio eſſet inualida tanquã ſine poteſtate facta.

Concilium generale abſque Pontifice huic priuilegio renunciare nequit.

Secundò quia talis renunciatio eſt cõtraria iuri Pontificis duplici modo. Nam 12.
& eſt contra ius canonicum latum, vel approbatum à Pontificibus, cui nullum Concilium ſine Papa poteſt derogare. Et præterea eſt contra iuriſdictionem Papę, priuaretur enim per talem renunciationem illa ſingulari, & ſuprema directa iuriſdictione, quam ſuper totum
D clerum etiam in cauſis temporalibus habet. Tertia, & optima conſideratio, quæ rationem dubitandi ſoluit, eſt, quia hoc priuilegium eſt cõceſſum ſtatui clericali ab ipſo Chriſto, non abſolutè ratione talis communitatis, ſed quatenus eſt ſpecialis familia Chriſti filij Dei naturalis, vt ſuprà viſum eſt. Eſtq; omnino verum, ſiue hęc exemptio dicatur eſſe immediatè de iure diuino, ſiue mediante iure canonico: nam vtrunque ius, imô etiã ius ciuile hoc præcipuè in toto collegio Eccleſiaſtico

ſtico conſiderauit, vt priuilegium hoc ei concederet, atque ita magis in Chriſti Dei honorem, quam in ipſorum hominũ cõmodum hoc ius introductum eſt. Propterea enim dixit Imperator in l. *Sancimus*. Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. *Cur non facimus diſcrimen inter res diuinas, & humanas? & quare non cõpetens prærogatiua cœleſti fauori conſeruetur?* Et in l. *Generaliter* Cod. de Epiſcop. & Cleric. *propter hoc eis beneficium indulgemus, vt omnibus alijs derelictis, Dei omnipotentis miniſterijs inhæreant.* Quia ergo totum Collegium Eccleſiaſticum, ſeu Concilium generale non poteſt iuribus ipſiusmet Chriſti derogare, neque illa, quæ in Dei cultum, & honorem inducta ſunt, tollere, ideo non poteſt huic priuilegio renunciare. Sicut etiã inter homines non poſſet familia Principis, Cardinalis, aut Epiſcopi renunciare ſine cõſenſu eius priuilegio in peculiarẽ honorem, vel decentiam Domini, ipſi familiæ conceſſo.

Cap. Sancimus.

Lex. Generaliter.

13. Conciliũ generale etiã cũ Pontifice huic priuilegio renũciare minime poteſt.

Atque hinc vlteriùs addimus, etiam Concilium cum Pontifice, id eſt, cum eius conſenſu, & approbatione, non poſſe huic priuilegio renunciare. Hoc mihi ſatis probat ratio proximè facta quia priuilegium familiæ Chriſti, quà talis eſt à nemine poteſt ſine cõſenſu ipſiuſmet Chriſti renũciari. Neq; ſatisfaciet qui dixerit, conſentiente Papa, conſentire Chriſtum per Vicarium ſuum, quia non eſt veriſimile, poteſtatem Papæ extendi ad huiuſmodi conſenſum loco Chriſti prẹſtandũ quia non eſt data ei poteſtas in deſtructionẽ, ſed in ẹdificationẽ; talis autẽ renũciatio prorſus in deſtructionem eſſet. Vnde confirmatur: nam ſupra dicebamus, non poſſe Papam reuocare hoc priuilegium, quia non poteſt habere iuſtam cauſam, vel rationem, & quia eſſet cõtra prẹceptum diuinum ſaltem in generali, & ideo ſemper eſſet in deſtructionem; ergo neque cum Concilio poteſt facere validam talem renunciationem, neque interpretari, Chriſtum in eam cõſentire: nam eadem eſt ratio, & quoad effectum eòdẽ reuoluitur, & quia conſenſus ipſius cleri parũ in hoc operari poteſt, cùm ad Chriſti honorem, & Dei cultum præcipuè intendatur. Ac deniq; quia quid poteſt in Eccleſia facere Papa cum Concilio generali, poteſt etiam facere ſe ſolo, quia non

A eſt minoris poteſtatis; ergo ſi non poteſt ſolus è medio tollere hoc priuilegiũ per modum abrogationis, neque etiam cum Concilio poteſt illud tollere per modum renunciationis. Hoc autẽ de integra, ſeu totali renuntiatione intelligendum eſt: nam in aliqua particulari cauſa, vel materia, conſentiente Pontifice, fieri poſſet, quia poteſt ad hoc interdum ſufficiens ratio, & cauſa interuenire. Ideo nãq; etiam diximus, poſſe hoc priuilegiũ reſtringi, aut in particulari minui per ſolius Pontificis poteſtatem; faciliùs ergo B fieri poterit per modum renunciationis, quando pars ipſa, quæ lædi videtur, iuri ſuo cedit; imò propter hoc veriſimile eſt, tunc minorẽ cauſam poſſe ſufficere.

CAPVT XXXII.

Vtrum priuilegium clericorum conſuetudine amitti, vel minui poſsit.

9. Hoc priuilegium nulla conſuetudine amitti, vel minui poteſt.

Probatur primo aſſertio de non vſu.

RESpondeo, exemptionem clericorum nulla conſuetudine amitti, vel diminui poſſe. Vt difficultatẽ huius aſſertionis attingamus, diſtinguenda eſt propria conſuetudo priuilegio cõ- C traria, à non vſu priuilegij, vtrumque enim ſolet ſub conſuetudine latè ſumpta comprehendi. In præſenti autem certũ eſt, hoc priuilegium non amitti, vel diminui per purum non vſum, qui contrarium vſum non includat. Probatur, quia priuilegium non amittitur per nõ vſum, niſi in vi tacitæ renunciationis, vel ratione præſcriptionis alterius contra priuilegiatum, ſed neuter modus hic habet locum. De priori probatur ex dictis, quia in hoc priuilegio non habet locum expreſſa renunciatio; ergo multò minùs D tacita; ergo non vſus nihil operari poteſt contra hoc priuilegium in vi tacitæ renunciationis. Altera pars probatur, quia ſi nõ vſus ſit merè negatiuus, ſine aliquo vſu contrario iuri alterius partis, cui priuilegium videtur præiudicium afferre, non poteſt induci præſcriptio, vt in tractat. de Legibus probaui, quia eſt contra rationem, & definitionem præſcriptionis; ergo neque hoc modo poteſt in præſenti ſufficere non vſus ſine contrario vſu. Eo vel maximè, quòd ſtatim generaliter oſtendimus, nullam præſcriptionem

Lib. 8. ca. 34.

tionem humanam contra hoc priuilegium prevalere poſſe.

2. Aſſertio ergo etiam de propria conſuetudine huic priuilegio cōtraria intelligenda eſt. Et ita eſt communiter recepta per Canoniſtas in cap. *Clerici*, de Iudicijs, vbi Abbas, n. 5. Decius, n. 14. Ripa in cap. *Decernimus* de Iudicijs, n. 15. Prob⁹ in cap. 2. de Probat. vbi aſſertionem ad immemorialem conſuetudinem extendit. Tradit etiam Rota tit. de Conſuetud. in Antiquit. deciſ. 3. & 10. aliàs 123. & 840. Idem Barth. in l. *De quibus*. ff. de Legibus n. 5. Rochus Curtius in cap. vlt. de Conſuet. & Gregor. Lopez in l. 2. tit. 2. part. 1. nu. 6. Nauarr. in cap. *Cum contingat.*, de Reſcrip. Remed. primo, & Stephanus Aufreri. in tract. de Poteſt. ciuil. ſupra Eccleſiaſticam regul. 1. & 2. Addit verò ibi plures limitationes, ſeu exceptiones, quas omitto, quia nullam propriā exceptionem cenſeo eſſe admittendam, vt ex diſcurſu huius capitis, & vltimi cōſtabit.

Abbas. Decius. Ripa. Probus. Rota. Barth. Rochus. Greg. Lopez. Aufdaai. Nauar. Auferri.

3. Probatur autem aſſertio ex dicto capite *Clerici*, de Iudicijs, vbi dicitur, cùm Canones generaliter tradant, *Vt de omni crimine clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conueniri, non debet in hac parte canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari.* Vbi licèt videatur ſermo eſſe tantū de priuilegio fori in criminalibus, nihilominus ab omnibus de tota immunitate Eccleſiaſtica intelligitur: tū quia ratio textus in quacumque materia huius exemptionis æquè procedit, vt Panormita. & Decius notarunt: tum etiam quia alij canones abſolutè de libertate Eccleſiaſtica loquūtur, vt cap. *Cum terra*, de Elect. vbi damnatur quædam conſuetudo, *quia in grauamen, & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis redundabat.* Idemque ſumi poteſt ex cap. *Ad noſtram*, & cap. *Cum inter*, de Cōſuetud. & notat Gloſſa vlt. in dicto cap. *Clerici*. Denique aperte probatur aſſertio ex Authentica *Caſſa*, Cod. de Sacroſanct. Eccleſ. vbi omnis conſuetudo cōtra libertatem Eccleſiaſticam caſſa, & irrita denunciatur, quę Authentica ſumpta eſt ex conſtitutione Friderici, quam tanquam *in æternum valituram* Honorius III. confirmauit. Vnde idem Honorius in cap. *Nouerit*, de Sentent. excōmunicat. excommunicat omnes, qui conſue-

Probatur ſecundo de propria conſuetudine.

Cap. Cum terra. Cap. Ad noſtram. Cap. Cum inter. Gloſſa. Authenti. Caſſa. Honor. 4.

A tudines introductas contra Eccleſiaſticā libertatem ſeruari fecerint.

4. Ratio autem huius aſſertionis in primis reddi poteſt ex illo fundamento, quòd hæc exemptio eſt de iure diuino, contra quod non poteſt conſuetudo humana præualere. Quia vel illud diuinum ius, eſt naturale, & ſic conſuetudo illi cōtraria eſt iniqua, vt pote rationi cōtraria, & ideo non poteſt ius inducere, vel auferre, iuxta cap. vlt. de Conſuetud. Si autem ius illud eſt diuinum poſitiuum, nō poſſunt voluntates humanæ, vel actiones earum, quantocumque tempore, vel
B numero multiplicentur contra Chriſti voluntatem præualere, aut quod ipſa ſtatuit mutare. Sed licèt hæc ratio vera ſit, non eſt illi ſoli inſiſtendū: Tū vt ex varijs capitibus magis fiat certa, & indubitata probatio: Tum etiam quia citati canones aliam rationē indicant, quæ in dicto cap. *Ad noſtram*, his verbis explicatur, *Attendentes, quod conſuetudo, quæ canonicis obuiat inſtitutis, nullius debeat eſſe momēti, &c.* Eademque inſinuatur in dicto cap. *Clerici*; cùm in eius principio præmittitur *in canonibus generaliter tradi. &c.*

Prima ratio.

5. C Eſt ergo ſecūda ratio principalis, quia talis conſuetudo eſt iuri canonico valde contraria, & ideo non poteſt contra illud præualere, quia inferior non poteſt ius ſuperioris abrogare. Statim verò inſurgit difficultas, quia conſuetudo potens eſt ad derogandum iuri humano, vt eſt conſtans in materia de Legibus; ſed canones tantùm conſtituunt ius humanū; ergo non ſatis eſt, conſuetudinem hanc eſſe contra canones, vt non poſſit contra canones præualere, & ius per illos inductum auferre. Nam ſi in alijs materijs iure canonico prohibitis id poteſt facere
D conſuetudo, cur non in iſta? Et confirmatur, quia conſuetudo ſufficit ad obtinendam iuriſdictionem, & conſequenter etiam ad amittēdam, vel ad inducendam etiam ſubiectionē, quia hæc inter ſe cohærēt; ergo hoc modo poterit etiam in preſenti hæc conſuetudo tollere, vel minuere exemptionem clericorum.

Secunda ratio. An conſuetudo cōtra ius canoni cū præualere valeat. Ratio dubij.

Confirmatio.

6. Ad explicandam ergo vim huius rationis, oportet ex materia de legibus ſupponere, duos eſſe modos, quibus legi humanæ, vel priuilegio poteſt per contrariam conſuetudinem derogari, ſcilicet,

Premittuntur duo modi quibus poteſt aliqua lex conſuetudine abrogari.

vel

vel per modum abrogationis, ſeu retractationis legis, vel per modum præſcriptionis contra legẽ, vel contra ius per illã conceſſum. Inter quos modos variæ cõſtitui ſolent differentiæ, duæ vero ſunt, quæ præſenti inſtituto deſeruiunt. Vna eſt, quòd derogatio per modum reuocationis legis inchoari poteſt, & paulatim fieri per actus malos, & mala fide contra legem factos; præſcriptio autem requirit bonam fidẽ, vt eſt notum, præſertim ſecundum ius canonicum. Altera differentia eſt, quòd derogatio legis quãdo priori modo per conſuetudinem fit, innititur volũtati legislatoris, quam, vel tacitè vel expreſsè conſentiendo cõſuetudini, mutat, & ſuam legem reuocat: quando verò derogatio fit per modum præſcriptionis, non fundatur in peculiari voluntate legislatoris, neque expreſſa, neque tacita, ſed in aliquo alio iure poſitiuo, quo talis præſcriptio conceſſa eſt, vt latè in lib. 7. de Legibus declaratum eſt.

7. *Dubij enodatio.* Priùs ergo probatur aſſertio de priori genere derogationis, varijs modis. Primò ex hac ſecunda differentia, ſeu conditione requiſita, vt conſuetudo deroget legi. Nam in præſẽti materia neceſſarius eſt conſenſus Pontificis; ſed ipſemet Põtifex non poteſt voluntate ſua huic priuilegio derogare ſine alia cauſa, vt ſuprà oſtenſum eſt; ergo multò minus id poterit facere conſuetudo, accipiendo vim, & efficaciam à voluntate Põtificis, quia talis voluntas nec præſumi poteſt, nec ſi daretur, ſufficeret. At hæc ratio habet quidem vimquoad abrogationem totius priuilegij, etiam ſi non fiat pro tota Eccleſia, ſed in aliqua prouincia, aut diœceſi, in qua talis cõſuetudo cogitetur, quia re uera etiam ſimilis abrogatio totius immunitatis in aliquo loco Eccleſiæ eſſet valde iniurioſa toti ſtatui clericali, & ſcandaloſa Eccleſiæ, & non poſſet eſſe in ædificationem, ſed in deſtructionem, & ideo veriſimillimũ eſt, etiam hoc modo nõ poſſe à Pontifice fieri, certiùsque credimus non permiſſurum Deum, vt id faciat Pontifex.

8. Addimus verò, licêt fingatur caſus, in quo ad vitanda maiora mala hoc poſsit Pontifex in aliqua prouincia permittere, nihilominus nunquam poſſe per ſolã conſuetudinem id fieri, quia talis cõſue-A tudo de ſe valde irrationabilis eſt, & multum derogans iuri diuino, & nunquam poteſt præſumi, tacitam voluntatem Põtificis illi aſsiſtere, quia in re tam ardua, & quę vix, aut ne vix quidem poteſt honeſtari, non poteſt pręſumi conſenſus Pontificis, niſi præcedente cauſæ cognitione, magnaque deliberatione, & ideò neceſſarius ſemper erit expreſſus cõſenſus, & tunc ratione illius fiet ab rogatio pro tali loco, non ratione conſuetudinis. Verumtamen non ita vrget hæc ratio in derogatione immunitatis partiali, ſeu in B aliqua parte materię, vt in aliquo actu iuriſdictionis, vel in aliquo tributo, & cæt. quia hæc derogatio fieri poteſt interdũ per Pontificis priuilegium, quod eſt priuata lex, quidquid autẽ fieri poteſt per legẽ humanã, introduci conſuetudine poteſt, & vbi voluntas expreſſa poteſt eſſe honeſta, & efficax, etiam tacita eſſe poterit.

Nihilominus tamẽ aſſertio poſita etiã de propria derogatione in particulari materia procedit: nam in hoc ſenſu ſine dubio loquũtur iura, & Doctores, & ideo in hoc aliæ rationes reddẽdæ ſunt. Vna eſt, quia ius canonicum propter rei grauitatem, & maiorem immunitatis incolumi-C tatem, non ſolùm prohibet quemlibet actum illi contrarium, ſed etiam abrogat omnem conſuetudinem libertati Eccleſiaſticæ contrariam, vt conſtat ex citatis decretis, & ex multis alijs ſub titulis de immuntate Eccleſiar. Qnoties autẽ Lex non ſolum prohibet actum, ſed etiam abrogat conſuetudinẽ, non poteſt per conſuetudinem derogari, quia lex ipſa præuenit (vt ſic dicam) & vires abſtulit cõſuetudini ad derogandum ſe, aliâs inutilis eſſet illa clauſula, quod dicendum nõ eſt, D cùm ſępiſsime addatur in legibus tam ciuilibus, quàm canonicis, non ſolũ de prę terita conſuetudine, ſed etiam de futura. Propter quam rationem videtur eſſe illud principium communiter receptum in materia de Legibus. 9. *Etiam quo ad partẽ per conſuetudinẽ hæc immunitas abrogari nequit.*

Sed fieri poteſt communis replica, quia illamet lex abrogans futuram conſuetudinem contrariam, eſt humana; ergo poteſt per poſteriorem conſuetudinem abrogari, ſicut poteſt per aliam poſteriorem legem ſcriptam tolli: nam volũtas Principis mutabilis eſt, & ideo ſicut per 10. *Obiectio.*

per expreſſam, ita & per tacitam poſteriorem voluntatem mutari poteſt. Neque propterea erit illa clauſula ſuperuacanea, quia ſaltem operabitur, vt conſuetudo non poſsit prȩualere contra talẽ legem, ſine certa ſcientia, & patiẽtia Principis, nihilominus tamen valere poterit illa interueniente, quia illa ſcientia, & patientia Principis mutationem voluntatis eius indicat. Ergo in præſenti etiã materia poterit conſuetudo præualere contra canones, non obſtante illa clauſula.

11. Reſponſio.

Reſpondemus in primis, admiſſa illa generali doctrina, obiectionem tantùm procedere de poſsibili; de facto verò nõ rectè applicari, quia certiſsimum eſt, núquam interuenire in hac materia tacitum conſenſum Apoſtolicæ Sedis, cuius authoritate talis cõſuetudo iure communi prohibita eſt. Aſſumptũ probatur, quia ſemper Apoſtolica ſedes per ſententias, vel per expreſſa edicta his cõſuetudinibus contra libertatem Eccleſiaſticam reſiſtit, & ſpecialiter in Bulla Cœnæ ſingulis annis eas reuocat, vel potiùs irritas eſſe declarat; ergo nunquam poteſt præſumi tacitus conſenſus Pontificis. Nam licèt fortaſſe interdum non ignoret, multa per conſuetudinem fieri in aliquibus locis contra libertatem Eccleſiaſticam, quæ non punit, ſed quodãmodo tolerat, non ideo eſt, quia conſentiat, ſed quia ſine periculo maioris mali non poteſt efficaciùs reſiſtere, & ideo non conſentit, ſed permittit.

Cõſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrariȩ per Bullã cœnæ reuocantur.

12. Accedit prȩterea alia ratio, quia ius canonicum non ſolùm prohibet conſuetudines contra exemptionem Eccleſiaſticam, ſed etiam reprobat illas, quod maius eſt. Nam poteſt lex prohibere conſuetudinem, non quia per ſe irrationabilis ſit, ſed quia ꝓpter alias rationes expedit illã non permittere, & tunc dici poteſt conſuetudo irrationabilis, quia prohibita; nõ autem prohibita, quia irrationabilis: aliquando verò lex prohibet conſuetudinem, quia ſupponit, illam eſſe irrationabilem, quod cenſetur facere, quoties prohibendo cõſuetudinem declarat, eſſe irrationabilem, addendo *eſſe corruptelam*, vel *contra neruum diſciplinæ*, aut eſſe *abuſum*, vel quid ſimile, vt conſtat ex toto titulo de conſuetudine. Hoc ergo poſteriori modo prohibet ius canonicum conſuetu-

A dines contra libertatem Eccleſiaſticam, vt omnes ſumunt ex cap. 1. de Conſuetud. vbi Gregor. ait, *Cõſuetudines, quæ Eccleſijs grauamen inducere dignoſcuntur, noſtra nos decet cõſideratione remittere*, id eſt, non permittere, ſeu diſſoluere, aut irritare, vtiq; tãquam irrationabiles, hoc enim indicat verbum *decet*, quia illas tolerare eſſet indecens. Et c. *Ad noſtram* eod. titulo dicitur talis conſuetudo *minus rationabilis, & canonicis obuians inſtitutis*, & ꝓinde nullam habere firmitatem. Item leges omnes contrariæ immunitati Eccle-

Conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrariæ tanquam irrationabiles prohibentur. Cap. 1. de Conſuet. Cap. Ad noſtram.

B ſiaſticæ tanquam irrationabiles reprobãtur, vt cõſtat ex pluribus decretis de Immunit. Eccleſiar. eadem autem ratio eſt de conſuetudine: nam æquiparatur legi. At verò iuxta doctrinam receptã cõſuetudo reprobata per legem nunquam poteſt contra legem præualere. Quia vt cõſuetudo legi deroget, rationabilis eſſe debet, iuxta cap. vlt. de Conſuet. omnis autem cõſuetudo, quam lex præſertim canonica vt irrationabilem reprobat, verè irrationabilis habenda eſt, quia iuris declaratio authentica eſt: ergo.

Vide Bart. in l. De qui ff. de Leg. nu. 4. Antoniũ in c. Cũ ex officijs de præſcrip. n. 3. Rochum ... vlt. de Conſuet. n. ... qui alios refert.

13. C Sed in hac ratione, quæ in hac materia ex præcipuis eſt, occurrit difficultas, quia licèt reſpectu conſuetudinis totam exemptionẽ abrogãtis efficaciſsima ſit, quia talis conſuetudo ſtatim prȩ ſe fert abſurditatem, & indecentiam, propter quam diximus, etiam per legem ſcriptã talem abrogationem fieri nõ poſſe; nihilominus non videtur vniuerſe procedere de omni conſuetudine particulari in vna materia, vel cauſa, hæc enim non ſẽper irrationabilis eſt. Quod probatur, quia per legẽ ſcriptam ſæpe fieri poteſt iuſtè, & prudenter talis derogatio; ergo ſignum eſt, derogationem ipſam nõ eſſe D irrationabilem; ergo nec conſuetudo illã introducens erit irrationabilis, quia ex ipſa materia, & ſingulis actibus habet conſuetudo quòd rationabilis, vel irrationabilis ſit. Vnde tali conſuetudini nõ poterit obeſſe ius poſitiuum declarans, ſeu reprobans conſuetudinem contrariã libertati Eccleſiaſticȩ, vt irrationalẽ, quia illud ius non facit cõſuetudinem eſſe irrationabilem, ſed ſupponit talem eſſe, & ideo illam reprobat, vt diximus; ergo nõ cadit niſi in eam conſuetudinem, quæ re vera omni ratione deſtituitur. Vnde fieri

An particulares conſuetudines libertati Eccleſiæ repugnantes reprobentur in iure.

Ratio proposita aperte.

ri poteſt, vt aliqua conſuetudo, quæ in vno tēpore irrationabilis eſt, in alio mutatis rebus ratione ſufficienti honeſtari poſsit. Et ſimiliter conſuetudo aliqua, quę reſpectu Eccleſię regulariter irrationabilis eſt, in aliqua prouincia poteſt habere peculiarem, & ſufficientem rationē; ergo pro tali tēpore, vel pro tali loco non cenſebitur talis conſuetudo reprobata per legem abſolutè, & generatim loquentem; ergo idem contingere poteſt in hac materia exemptionis. Atque ita ſentire videntur multi authores approbantes, & defendentes aliquas conſuetudines contrarias immunitati, præſertim Couar. in Practic. q. 31. & Iulius Clar. lib. 5. §. vlt. q. 36. nu. 3. Ioannes Garſia de Nobilit. gloſſ. 9. n. 44. & ſequentibus, & multi alij, qui in hanc partem potiſsimè inclināt, vt particulares quaſdam cōſuetudines diuerſorū regnorū tueantur.

Couar. Iul. Clar. Ioā. Garſia.

14. Nihilominus dicendum cenſeo, omnem conſuetudinem, ſiue generalē, ſiue particularem contrariam libertati Eccleſiaſticæ eſſe irrationabilem, & in iure reprobatam, ac ſubinde non poſſe priuilegio immunitatis aliqua ex parte derogare. Hæc eſt ſententia communiter recepta à Theologis, & Iuriſperitis in locis allegatis, & apertè colligitur ex decretis citatis. Non enim loquuntur de conſuetudine abrogante totam immunitatem clericorum, vel in tota materia eius, vel in omnibus criminibus, vel omnibus cauſis ciuilibus, vel alia ſimili magna parte exemptionis, quia nunquam tales conſuetudines fuerunt in regnis catholicis à multis annis introductæ, vel etiam inten tatę, neq; hoc authores canonum ignorabant. Loquuntur ergo de particularibus vt attentè legenti textus ipſos conſtabit. Et ſpecialiter notari poteſt lectio integra dicti cap. *Clerici*, ſic enim habet: *Clerici maximè in criminalibus cauſis in nullo caſu poſſunt ab aliquo, quàm ab Eccleſiaſtico iudice condemnari, etiam ſi conſuetudo Regia habeat, vt fures à iudicibus ſecularibus iudicentur.* Vbi conſtat, particularem cōſuetudinem non potuiſſe vniuerſali priuilegio ex parte derogare; eadem autem eſt ratio de alijs ſimilibus, quia etiam in illa particulari conſuetudine poſſet ratio aliqua honeſtatis conſiderari. Et hoc maximè confirmant variæ prohibitiones, quæ

Auctores ſententia.

Refert latè Azor, tom. 1. lib. 5. c. 12. q. 1. §. Sed dubitari poſſit.

In Collection. Decretal. lib. 2. tit. 1. c. 8. Et in corpore iuris canonici iuſſu Gregor. 13. edito.

A in Bulla cœnæ quotannis fiunt omnium ferè actuum, per quos huiuſmodi particulares cōſuetudines introduci poſſunt, & renouantur iura tales actus, & conſuetudines reprobantia. Rationem autem huius veritatis, & dictorū iurū, reſpōdēdo ad difficultatem poſitam, reddemus.

Ad obiectionem ergo in primis reſpōderi poſset iuxta aliquorum opinionem, conſuetudinem ſemel per legem reprobatam non poſſe amplius præualere, aut rationabilem reputari propter quamcūque materiæ mutationem, vel nouam cir B cunſtantiam ſucceſſu temporis, aut in diuerſo loco exortā. Sententia tamen hæc generatim ſumpta rigoroſa eſt, & nō neceſſaria. Nihilominus verò in præſenti materia eſt valde probabilis, tū quia vix poteſt mutatio eſſe tanta vt ſit conueniens Eccleſię fieri talem exēptionis diminutionē, vel derogationē, tū etiā quia licèt fortaſſe in aliquo loco expediat, non inde ſtatim ſequitur, ibi eſſe cōſuetudinē rationabilem: nam cū hoc priuilegiū toti Collegio Clericorum conceſſum ſit, fieri poteſt, vt illi non expediat, & vt pars ſecundum rectam rationem propter bonum totius aliquid incommodi ſuſtinere C teneatur. Tum præterea qui a hæc materia odioſa eſt laicis, & ideo eſt morale periculum ne huiuſmodi mutationes, vel nouæ rationes ad honeſtandam talem cōſuetudinem ſine ſufficienti cauſa excogitentur, vel exaggerentur. Imò vt experientia docet in omnibus conſuetudinibus, quas iuriſtæ defendere conantur, re vera non inueniuntur nouæ rationes, prçter eas, quæ vel ſunt intrinſecę tali materię, vel facilè potuerunt à Pontificibus conſiderari, quibus non obſtātibus, propter grauiores rationes ad bonum re D ligionis, & ad vitanda maiora incommoda clericatus pertinentes, tales conſuetudines irrationabiles iudicarunt; ergo nūquam poteſt aliqua talis conſuetudo in particulari rationabilis cenſeri.

15. *Satisfit rationi pro oppoſita ſententia factę*

Poteſtque hoc amplius declarari, diſtinguendo inter derogationem aliquā, ſeu diminutionem exemptionis, & modum introducendi illam per conſuetudinem. Fieri enim poteſt, vt aliqua diminutio exemptionis expediat, & nihilominus modus introducendi illam per ſolam conſuetudinem non expediat, propter 16.

mora-

moralia pericula, quæ modo dicebamus. Sicut interdum expedit, clericos contribuere ad aliquos ſumptus communes ciuium, & nihilominus propter exceſſus vitandos ſtatuerunt Pontifices, ne ipſis inconſultis id fieret, vnde ſi aliter fiat, nõ rationabiliter fit, etiã ſi contributio ipſa rationabilis eſſe videatur. Sic ergo, licèt diminutio exemptionis in aliquo caſu, vel loco ſit rationabilis, cõſuetudo nihilominus erit irrationabilis, quia modus ille introducendi derogationẽ priuilegij eſt periculis expoſitus, & (vt ita dicam) temerarius, meritòque vt talis reprobatus. Vnde facilè ſoluitur quædam obiectio ſuprà facta ex æquiparatione legis, ſeu priuilegij, & cõſuetudinis, fieri enim poteſt, vt ſuperior in aliqua materia poſsit communi iuri per priuilegium, ſeu ſpecialem legem derogare, & quod per conſuetudinem ſolam fieri conuenienter nõ poſsit, quia nimirum, vt derogatio conuenienter fiat, maior conſideratio, & deliberatio neceſſaria eſt, quàm in ſola conſuetudine eſſe ſoleat. Et propterea in Bulla Cœnæ poſtulatur in hac materia expreſſus & ſpecialis cõſenſꝰ Põtificis, quia regulariter datur cum maiori cauſæ cognitione, aut deliberatione, quàm tacitus.

17. Vltima ratio pro hac parte addi poteſt, quia omnis conſuetudo quæ contra immunitatem introduci ſolet, eſt conſuetudo laicorum, vtique Principum, vel iudicum excercentium actus iuriſdictionis in clericos. At conſuetudo laicorum, licèt poſsit iuri ciuili derogare, non tamẽ iuri canonico, neque etiam poteſt Clericis aliquod detrimentum inferre: ergo neque poteſt huic priuilegio derogare. Minor certa eſt, quia non plus poteſt cõſuetudo, quàm lex, cæteris paribus, ſed lex ciuilis nõ poteſt derogare iuri canonico, nec poteſt clericis grauamen imponere, vel præiudicium afferre; ergo nec conſuetudo laicorum hęc poteſt. Probatur conſequentia, quia conſuetudo laicorum eſt merè ciuilis, & in ſola authoritate ciuili, & temporali nititur. Vnde eſt cõmunis doctrina Iuriſperitorum, conſuetudinem laicorum non poſſe clericos obligare, vt videre licet in Innocentio in Rubric. de Conſuetudin. numero 6. & Panormitano cap. *Quod Clerici*, de Foro Competent. num. ſecundo, Felin. *Innoc.* *Panormit.* *Felin.*

A in cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*, de Conſtitut. numero 100. Hoſtienſ. in Sum. tit. de Conſuetud. §. *Et de virtute*, verſ. *Sed pone*, & alijs, quos refert Azor tom. 1. lib. 5. cap. 18. quæſt. 12. Qui varia iura allegant, quæ magis loquuntur de lege, vel ſtatuto ciuili, ſed per æquiparationẽ inducuntur, vt cap. 1. diſtin. 10. & dictũ cap. *Eccleſia*. de Conſtit. *Hoſtien.* *Azor.*

18. Addunt præterea, hoc maximè procedere, quando talis conſuetudo laicorũ derogat Eccleſiæ libertati. Quod etiam notauit Bartholus in l. 1. Cod. de Summa Trinit. & l. 2. Cod. de Legibus & l. *De quibus*. ff. de Legibus, & per argumẽtũ ab ſpeciali probari poteſt ex cap. vlt. de Vita, & honeſt. Cleric. vbi in ſpeciali caſu, in quo clerici abutuntur priuilegio exẽptionis, & negotiationibus ſecularibꝰ ad lucrandum implicantur, permittit Põtifex, *vt de ſuis facultatibus ſtatutis, & conſuetudinibus patriæ ſubiaceant, cùm facto* (inquit) *priuilegium abijciant clericale*: ergo extra huiuſmodi caſum non poteſt conſuetudo clericos grauare. Imò aduerto, etiam in illo caſu neceſſariam fuiſſe Põtificiam declarationem, & prohibitionẽ. Conſidero etiam, quoad hunc effectum conſuetudinem, & legem, ſiue ſtatutum ciuile ibi æquiparari. *Bartho.*

19. Obiectio. Dices, interdum fieri poſſe, vt conſuetudo non tantùm laicorum ſit, ſed etiam clericorum, vt ſi nõ coactè, ſed voluntariè laicorum conſuetudinem obſeruent, eorum adeundo iudicia, vel tributa ſoluendo, vel in alijs ſimilibus cooperando, tunc enim conſuetudo erit miſta, ſeu communis laicis, & clericis, quæ etiam in Eccleſiaſticos vim habet. Ad hoc Couarru. in dicto capite. 31. concedit, in eo caſu conſuetudinem, quantum eſt ex hoc capite, poſſe derogare Eccleſiaſticę libertati, ſi alioqui rationabilis ſit. *Prima reſponſio.* *Couar.* Sed in primis exiſtimo, talem conſuetudinem vix poſſe moraliter inueniri, quia licèt vnus, vel alius clericus interdum voluntariè conſentiat huiuſmodi violentijs laicorum, rariſsimè cõtingit, & nunquã dici poteſt per modũ conſuetudinis fieri. Addo verò, etiam ſi talis conſuetudo fingatur, ſententiam Couarruuię falſam eſſe in hac parte. *Reijcitur.* Primò, quia conſenſus clericorum nihil poteſt ibi operari: nam eſt quædam priuata renunciatio priuilegij,

gij, quæ, vt diximus, nulla eſt, & nullius efficaciæ, ideòq; ad introducendam conſuetudinem valere non poteſt, vt rectè notauit Felinus ſuprâ cũ Paulo de Caſtro conſ. 159. Secundò, quia tali conſenſui Clericorũ nunquam aſsiſtit voluntas expreſſa, vel tacita Pontificis, ſine qua non poteſt voluntas clericorum, quantocũq; tempore operetur, iuri Pontificio derogare; ergo neque illa conſuetudo miſta poteſt habere hunc effectum. Antecedẽs quoad vtramque partem in ſuperioribus declaratum, & probatum eſt. Conſequẽtia verò eſt euidẽs, quia id, quod additur ex parte clericorum illi cõſuetudini miſtæ, nullũ valorem, vel efficaciam eidẽ addere poteſt. Quocirca cùm dicitur conſuetudo miſta poſſe operari in rebus, vel perſonis Eccleſiaſticis, intelligẽdum eſt de conſuetudine, quæ non præiudicat ſacris canonibus, vel ſi pręiudicat, in illam Pontifex conſentit, ſaltem tacitè, in præſenti autẽ materia neceſſarius eſſet expreſſus conſenſus, vt ſuprâ dixi. Tũ quia ipſi Pontifices ita voluerunt, & declararunt, tũ etiã quia in hac materia non poteſt pręſumi tacitus cõſenſus, quia & eſt valde odioſa Pontificibus, & quia vix poſſet talis conſenſus tacitus ſine maiori cognitione cauſę prudenter, & licitè dari, quoties autem cõſenſus non eſſet prudens, & honeſtus in Principe, non pręſumitur.

Paulus de Caſtro.

20. Contra immunitatem cõſuetudine præſcribi nõ poſſe oſtẽditur

Quia verò hic conſenſus neceſſarius nõ eſt in abrogatione legis quę fit per modum præſcriptionis, ideo probandum ſupereſt aliud membrum, quod ſuprà poſuimus, nimirum, etiam per viam pręſcriptionis non poſſe conſuetudinem immunitati Eccleſiaſticæ præiudicium afferre. Probatur autem primò, quia nulla

Prima ratio

conſuetudine præſcribitur, niſi intercedat bona fides, vt nunc ſuppono; hic autem non poteſt bona fides intercedere; ergo neq; poteſt præſcribi. Probatur minor, quia talis conſuetudo irrationabilis eſt, & iure Canonico reprobata, quod adeò notũ eſt, vt non poſsint Principes, vel iudices ſeculares prætextu ignorantiæ probabilis excuſari; ergo ſemper actus talis conſuetudinis ſunt illiciti, ac proinde mala ſide facti; ergo non poſſunt præſcriptionem inducere. Secundò,

Secunda.

quia nõ poteſt exemptio aliqua ex parte

A diminui, niſi acquiratur iudici laico iuriſdictio aliqua in clericum, quam antea non habebat, quia ſicut exemptio eſt liberatio à iuriſdictione, & conſequenter eſt diminutio iuriſdictionis in alio; ita ẽ conuerſo non poteſt exemptio diminui ex parte clerici, quin ex parte magiſtratus ſecularis iuriſdictio augeatur. Sed laici non poſſunt ſola præſcriptione iuriſdictionem ſupra clericos acquirere; ergo nec clerici poſſunt propter præſcriptionem laicorum aliquid de ſuo priuilegio amittere. Maior probatur primò ex communi ſententia Iuriſtarum dicentium, laicos non poſſe pręſcribere ſpiritualia, vel quæ ſpiritualia concernunt, quatenus illis annexa ſunt, vt non poteſt laicus præſcribere ius conferendi beneficium, & ſimilia, quæ notant Panormitanus in cap. *Nouit* de Iudicijs. nu. 22. & ibi Decius. nu. 12. & Ioan. Andr. in cap. 2. de Prębend. in 6. Et alij in cap. 2. de Pœnitent. & remiſſ. in 6. Qui textus ſolet adhoc induci, quatenus dicit, facultatẽ eligendi confeſſorẽ non poſſe pręſcriptione acquiri: nam videtur eſſe eadem ratio de cęteris rebus ſpiritualib⁹, & in pręſenti de iuriſdictione ſupra clericum, quæ licèt in ſe temporalis videatur, quatenus cadit in clericum, ſpiritualia concernit.

Laici iuriſdictione in clericũ ſola præſcriptio ne acquirere nequeũt.

B

Panormit. *Decius.* *Ioã. And.*

C

Ratio autem reddi poteſt vel eadem, quæ tacta eſt, quia actus præcedentes ad talem præſcriptionem nunquam poſſunt bona fide fieri, vel, quia pręſcriptio requirit perſonam capacem illius rei, quam debet pręſcribere, laicus autem non eſt capax adminiſtrationis rerum, vel perſonarum ſpiritualium, & ideo nõ poteſt ius in illas pręſcriptione acquirere. Quam rationem attingit Panormitanus ſuprà. Intelligi autem debet de capacitate non abſolutè, ſed ſecundum ordinarium ius: nam laicus non eſt omnino, & abſolutè incapax alicuius Eccleſiaſticæ adminiſtrationis, vel poteſtatis in Clericum. Iure autem communi, & poteſtate ordinaria laicus cenſetur incapax, quia ex ſe nullam habet proportionem, & omnia iura illum excludunt, ideoq; ſola pręſcriptio nõ ſufficit ſine expreſſa voluntate, & confeſsione Summi Pontificis. Et in his caſibus rectè dicunt Iuriſtæ, multa poſſe priuilegio concedi,

21.

D

quę conſuetudine pręſcribi non poſſunt, argumento capitis *Quanto* de Conſuetudine.

22. *Tertia ratio.* Vnde etiam poteſt addi tertia ratio, quia omnis præſcriptio requirit iuris adminiculum, per quod aliquo modo Princeps concedat, vel dominium rei præſcribendæ, vel iuriſdictionẽ, ſi illa eſt præſcribenda, quia mutatio illa, ſeu acquiſitio, quæ fit in præſcriptione non poteſt fieri ſine authoritate, & voluntate alicuius ſuperioris. In pręſenti autem nullũ eſt ius quod tali præſcriptioni adminiculũ prębeat: nam ius ciuile nihil in hoc poteſt, ius autem canonicũ omnino reſiſtit, & voluntas Põtificis omnibus modis ei opponitur; ergo non habet locum præſcriptio in præſenti materia. Ex dictis ergo ſatis conſtat, nullam conſuetudinem, etiã ſi immemorialis ſit, vllo modo contra immunitatẽ Eccleſiaſticam præualere poſſe. Ita enim authores citati concluſionẽ interpretantur, & rationes & iura adducta in eodem ſenſu illam confirmant, & difficultates, quæ contra illam occurrere poſſunt, probando aſſertionem, expeditæ ſunt. Solùm obijci ſolent quædam peculiares conſuetudines aliquorũ regnorum, quæ licèt ſint contra immunitatem Eccleſiaſticam, ſine ſcrupulo à Magiſtratibus laicis obſeruantur. Ad illas verò poſſemus vno verbo reſpondere, illas conſuetudines non ad ius, ſed ad facta hominũ pertinere, propter quæ veritatem negare non poſſumus, neque illorum rationem, aut excuſationem dare tenemur, ſed ad illos hoc ſpectat, qui conſuetudines illas obſeruant, fortaſſe tamen in capite vltimo, pauca de illis adijciemus.

CAPVT. XXXIII.

Quibus modis poſsit immunitas Eccleſiaſtica violari.

1. HACTENVS illa omnia, quæ ad explicandam, & tuendam immunitatem Eccleſiaſticam, clericorumq; exemptionem opportuna viſa ſunt pro viribus explicare conati ſumus, nunc duo tantùm tractanda ſuperſunt. Vnum eſt, quod propoſuimus, qui-

A bus modis immunitas hæc violari ſoleat: aliud quibus modis excuſari hoc crimen ſoleat. Circa primum ſupponimus, huiuſmodi violationem ex ſe malam, & ex genere graue peccatum eſſe, quia vel eſt immediate contra ius diuinum, vel ſaltem contra ius canonicum ſub grauiſsimis cenſuris, & pœnis hanc violationem prohibens. Et illo iure poſito eſt etiam contra iuſtitiam, quia & eſt vſurpatio iuriſdictionis non habitæ, & eſt coactio aliqua, vel exactio ſub titulo poteſtatis legitimæ, ſine vera iuriſdictione, ac poteſtate facta. *Immunitatis violatio ex genere ſuo graue peccatum eſt & ſacrilegiũ includit.*

B Denique includit etiam culpam ſacrilegij, quia iniuria illa circa perſonas, vel materiam ſacram verſatur, & quia prohibitio illa intuitu Religionis, & diuini cultus facta eſt. De hac ergo culpa quoad ſpeciem & grauitatem eius nihil ſupereſt dicendum: nam ſuppoſitis, quę de iure huius immunitatis hactenus dicta ſunt, grauitas, & ſpecies culpæ clara eſt, ſi de violatione immmunitatis conſtet. Quia verò hæc violatio varijs modis fieri poteſt, & in aliquibus obſcura eſſe poteſt tranſgreſsio, ſeu violationis ratio, ideo de hac varietate, quæ in modis violandi libertatem eſſe poteſt, pauca dicemus.

C Et quia interdum actio, quæ contra libertatem Eccleſiaſticam eſſe videtur, excuſationem aliquam, veram, vel prætenſam habere ſolet, ideo de his excuſationibus non nulla in ſequenti capite expẽdemus. Videbatur autẽ conſequens, vt pęnas & cenſuras, quę per hanc tranſgreſsionẽ incurruntur, explicaremus, quia verò in libro de Cenſuris ſufficienter de illis diximus, ab earum tractatione in præſenti abſtinemus.

2. *Proponũtur duo modi immunitaté violãdi.* Primo ergo poſſumus duos modos

D diſtinguere, quibus immunitas clericorum violari ſolet, ſcilicet, vel legibus, vel actionibus: hos enim duos modos multa iura indicant, & pœnis diuerſis puniunt. Prior eſt, quando Principes, vel Magiſtratus ciuiles leges, vel ſtatuta condunt contraria Eccleſiaſticę libertati. Quod duobus etiam modis contingere poteſt. Primo, quia lex ſpecialiter dirigitur ad perſonas, vel res Eccleſiaſticas, vel licet lex generalior ſit, ad eas peculiariter extenditur. Talis enim lex eo ipſo repugnat libertati Eccleſiaſticæ,

etiam

etiam ſi id, quod diſponit, non ſit contra Eccleſiæ cõmoda; imò etiam ſi alioqui eſſet rationabilis diſpoſitio talis legis, & Eccleſiæ cõueniens, ſi debita poteſtate lata fuiſſet. Ita ſumitur ex cap. 2. de Iudicijs, & cap. *Eccleſia Sãctæ Mariæ*, & ca. *Quæ in Eccleſiarũ*, de Conſt. & cap. *Bene quidẽ*, cum alijs. 96. diſt. & eſt cõmunis reſolutio, vt ſuprà tactũ eſt, & latius in materia de legibus. Et ratio eſt, quia Princeps laicus ferens talem legem, per ipſam ſe exhibet ſuperiorem, & legiſlatorem in rebus Eccleſiaſticis; ergo eo ipſo per talem actũ contra exẽptionem agit. Et quia hæc contrarietas non tã in obiecto legis, quã in ipſo actu præcipiendi conſiſtit, ideò vocari poteſt hic modus formaliter contrarius libertati Eccleſiaſticæ. Et ob eandem cauſam nõ habet locum hic modus læſionis quando laicus priuilegiũ concedit clericis, quia tale priuilegiũ non includit præceptum reſpectu priuilegiati, neq; per ſe eſt actus iuriſdictionis, vt ſuprà diximus.

Cap. 2. de Iudicijs. Cap. Eccleſia ſanctæ Mariæ. Cap. Quæ in Eccleſiarum. Cap. Bene quidem.

3. Aliæ verò ſunt leges, quæ dici poſsũt contrariæ libertati Eccleſiaſticæ obiectiuè, quia præcipiunt aliquid fieri, quod eſt cõtra ſtatũ Eccleſiaſticũ, vel eius exẽptionẽ, ſiuè præceptũ dirigatur ad laicos reſpectu clericorũ, vt v. g. præcipiendo illis, vt à clericis exigãt tributa, aut quid ſimile; ſiue dirigantur ad ipſos clericos, præcipiendo eis, vt ſoluant vectigal, vel coram iudice laico compareant, & tunc lex dici poteſt habere vtranq; repugnãtiam, & formalem, & obiectiuã. Et huiuſmodi leges, quæ obiectiuè ſunt cõtra libertatẽ Eccleſiaſticã, præcipuè in iure prohibentur, & puniũtur, præſertim in cap. *Nouerit*, de Sentent. excõmunicat. & in Authentica *Caſſa, & irrita*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. quanuis illa, & ſimilia iura non immeritò poſsint ad omnes leges quomodocunque cõtrarias libertati extẽdi, quia verba eorũ generalia ſunt.

Cap. Nouerit. Authent. Caſſa, & irrita.

4. Circa aliud verò mẽbrum de violatione immunitatis per facta hominũ ſolũm occurrit adnotandũ, ſub illo nũc non cõprehendi percuſſiones, ſeu violentas manus in clericũ: nã licèt actiones illæ ſint contra immunitatẽ generatim ſumptã, non ſunt cõtra priuilegium fori, de quo nunc tractamus, ſed contra priuilegium canonis. Quod tamen intelligẽdum eſt de illis actionibus, quatenus in ſola violentia, & priuata iniuria conſiſtunt, nam ſi fiant ſub titulo iuriſdictionis, & poteſtatis publicæ, erunt contra priuilegium fori, & habebunt vtranq; malitiam, vt ſi iudex ſecularis, aut miniſtri ei⁹ per vim clericum detineant, & vinculis, aut carceri tradant. Idemq; iudicium eſt (ſeruata proportione) de actionibus contra immunitatem Eccleſiarum, quatenus ſunt loca refugij, ſeu quatenus ſunt loca ſacra, quæ per iniuriã, vel indecentes actiones violari nõ debent: nam ſi tales actiones fiant, nõ iuriſdictionis titulo, ſed per priuatam iniuriã, ſeu malitiã, quãuis latomodo ſint cõtra immunitatẽ, nihilominus ſunt ſacrilegia alterius rationis, vt in principio hui⁹ materię diximus. Omnia ergo facta, quibus libertas Eccleſiaſtica propriè lęditur, ad duo capita reducuntur, nimirũ, ad actiones forenſes, & iudiciorũ tam ciuiliũ, quam criminaliũ, quæ circa clericos tanquã reos exercentur, & ad exactiones tributorũ, vel coactiones, quæ eiſdẽ perſonis fiunt in aliquibus oneribus publicis eis imponẽdis. Et ita hæc duo genera actionũ ſpecialibus pœnis, & cẽſuris prohiberi ſolent in iure in titulis de Immun. Eccl. maximè verò in Bulla cænæ clauſ. 15. 18. & 19.

Quãdo per [...]ſio cleri[...] ſit cõtra [...] priuilegio fori.

Quãdo per extractionẽ alicuius è loco ſacro priuilegiũ fori violetur.

Secũdò diſtinguẽdi ſunt alij duo modi violandi Eccleſiaſticã libertatẽ, qui tã in legibus, quã in factis poſsũt contingere, 5.
maximè verò inferẽdis legibus ciuilibus libertati Eccleſiaſticę cõtrarijs obſeruari ſolẽt. Prior modus eſt, quando directè, & manifeſtè aliquid fit, vel diſponitur contra clericorum exemptionem, & de hoc modo nihil addere oportet, quia & per ſe facile cognoſci poteſt, & ille maximè in iure reprobatur. Committitur enim quaſi per expreſſam contradictionem, vel contrarietatem ad legẽ, quæ iubet talẽ exemptionem ſeruari. Vt ſi lex ciuilis directè pręcipiat clericis, vel ſi iubeat, eos ſub tributis cõprehẽdi, vel ſi iudex laicus clericũ ad cõparendũ coram ſe citari iubeat, & ſic de cæteris. Alius modus eſt violationis indirectæ, qui & difficilius cognoſcitur, & eius malitia obſcurior eſt. Habet tamẽ fundamentũ in iure in cap. vlt. de Immun. Eccleſiar. in 6. vbi dicitur, excõmunicationẽ incurrere illos ſeculares Magiſtratus, qui laicis ſub-

Modi hoc priuilegiũ violandi tã legibus quã factis hominum communes.

Cap. Vlt. de Immun. Eccleſiaſ.

ſubditis ſuis præcipiunt, ne clericis vendant, aut ab illis emant, vel ne eorum triticum molant, aut aliqua ſimilia obſequia eis exhibeant, & ratio redditur, *quia talia in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis præſumuntur*. Per quæ verba declaratur, illam eſſe indirectam violationem libertatis Eccleſiaſticæ, quia licèt talia ſtatuta, vel præcepta directè nō ordinarentur ad clericos quoad verba, quoad intentionem verò, & effectū fraudulenter, vt ait ibi Gloſſa, tranſitum faciebant de perſona, ad perſonam, loquēdo cum laico, & grauando clericum. Similis deciſio eſt in cap. *Quanto* de Priuileg. vbi de quibuſdam, qui cûm non poſſent excommunicare Monachos, excōmunicabant eos, qui cum Monachis cōmunicarent, dicitur: *Priuilegiorū nō vim, & poteſtatem, ſed verba ſeruantes, monachos quodammodo excommunicant, quando alijs prohibent, ne cum ipſis cōmunicent*. Et ita dicuntur ibi ſimilia fieri in fraudem priuilegiorum, vbi non tantum eſt ſermo de proprio priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ, ſed latius de quocūq; priuilegio, â fortiori tamen in præſenti definitio illa locum habēt.

Ca.*Quāto.*

6. Quando libertas Eccleſiaſtica indirectè violetur.

Hanc ergo fraudulentam, & latentē læſionem Eccleſiaſticæ libertatis indirectam vocamus, poteſtq; deſcribi, vt ſit illa, quæ ſit per verba, vel actiones, quæ licèt verſentur directê circa perſonas laicas, nihilominus ordinantur ad grauandū clericos, vel vniuerſalius dici poteſt, indirectê fieri violationem, quando verbis non apparet, tamen re ipſa fit. Sicut dicitur quis violare legem indirectè, qui legis verba complectens, cōtra legis nititur voluntatē, vt dicitur in regula vlt. de Regul. iur. in 6. & in l. *Contra legem*. ff. de Legibus, & in l. *Non dubium*. C. de Legibus, quia vis, & poteſtas legis magis in voluntate iubentis, quâm in verbis poſita eſt. Hæc autem fraus, ſeu indirectum grauamen multis modis fieri poteſt, qui non videntur poſſe ſub numero certo comprehendi, quia per humanam ſagacitatem, & malitiam poſſunt facilè multiplicari, ideoq; prudenti iudicio, conſideratis circunſtantijs diſcernendum eſt, an moraliter æquiualeāt directis grauaminibus. Et quoad forū conſcientiæ pēdere hoc multum poteſt ex intentione

Lex.*Contra legem.* Lex.*Non dubium.*

A operantis, ſeu præcipiētis: nā ſi id faciat, vt quod ſibi eſt directè prohibitū facere circa perſonā clerici, per illum circuitū, etiam inuito clerico, conſequatur, magnum ſignum eſt indirectæ violationis.

Vt autem violatio hæc indirecta, & malitia eius magis explicetur, interrogari poteſt, an hæc ſit vera, & in re ipſa ſubſiſtens violatio libertatis Eccleſiaſticæ, malitiā eiuſdē rationis, & ſpeciei participans; an vero ſit tantū præſumpta, quia ex circunſtantijs externis talis apparet, quanuis ſi animus, vel intentio praua deſit, talis in re ipſa nō ſit. Hāc enim poſte-

7. An indirecta libertatis Eccleſiaſticæ violatio vera ſit. Prima opinio. Caietan.

B rriorē partem videtur docere Caietanus in ſūma verb. *Excōmunicatio* cap. 31. ait enim, tunc legē ciuilē eſſe cōtra libertatem Eccleſiaſticā, quādo per ſe, & intētione ſua cōtra illam tendit, quia voluntas, & intētio diſtinguit maleficia, & quæ ſunt per accidēs ſub artē non cadunt. Ad explicandū autem, quādo lex ciuilis talis ſit, adiungit, id nō eſſe difficile ſciētibus, *idē eſſe per ſe, quod ex propria natura, & intētione*, quod exēplis declarat dicēs: *Sicut detractio cōtra famā, contumelia cōtra honorē, homicidiū contra humanam vitam, ita ſtatuere quòd clericis non dētur decimæ,*

C *aut eleemoſynæ, quòd nō poſſint iudicare in cauſis Eccleſiaſticis, quòd ſoluāt vectigalia de rebus ſuis abſq; negotiatione, & ſimilia, eſt cōtra libertatē Eccleſiaſticā.* Quæ omnia exēpla, ſiquis ea rectè conſideret, ad directā oppoſitionē, & violationē Eccleſiaſticæ libertatis pertinent, atq; ita indicat Caietanus, ſolā illam legē eſſe per ſe, & natura ſua cōtra libertatē Eccleſiaſticā, quæ directê cōtra illā diſponit. Vnde in eodē verbo ca. 37. ait, actiones prohibitas in dicto ca. vlt. de Immun. Eccleſiar. in 6. nō eſſe propriè cōtra libertatē

D Eccleſiaſticā, ſed cōtra humanā ſocietatē, quia verô in odiū Eccleſiæ fiūt, præſumi contra libertatē Eccleſiaſticā fieri.

Et hanc opinionē ſequitur Nauar. in ſum. ca. 27. n. 119. & 120. Fundātur primô, quia dictū ca. vlt. vtitur verbo præſumendi, dicens, *Cū talia in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis præſumantur*. Secūdò quia cū actio ipſa, ſeu verba legis directe non lædant libertatē, transgreſsio, & derogatio pendet ex intentione faciē tis: ſi enim id faciat animo grauādi clericos, erit violatio libertatis; ſi autem id faciat

8. *Nauarr.*

faciat propter ſuum cõmodũ permittens grauamẽn aliorũ, non erit cõtra libertatẽ, quãuis interdum eſſe poſsit contra charitatem, vel contra humanã ſocietatẽ. Cũ ergo de intentione non poſsit conſtare, neq; etiã certò iudicari poteſt, ſed ad ſũmũ præſumi violatio libertatis Eccleſiaſticæ, quatenus talis intentio ex circunſtantijs externis preſumi potuerit. Vnde iuxta hanc ſententiam, ſi cõtingat, veritatem non ſubeſſe prẹſumptioni, in conſcientia non erit violatio libertatis.

9. Contraria ſententia eligitur. Gloſſa. Bartho.

Nihilominus contrariam ſententiam veram cenſeo, quã apertè tenet Gloſſa in illo cap. vlt. ibi communiter probata, & in dicto cap. *Quanto*, vbi bene Panormitanus. Sumitur etiam ex cõmuni ſententia Bartho. in Authentica *Caſſa*. C. de Sacroſanct. Eccleſ. & aliorum dicentium, omnem legis ciuilis diſpoſitionem, per quã clerici redduntur timidiores, eſſe contra libertatem Eccleſiaſticam, non præſumptiuè tantũ, ſed verè, & propriè, vt in ſuperioribus explicauimus. Probatur autẽ primò ex dicto cap. *Quanto* d Priuileg. vbi non dicitur, ſimiles ſentẽtias, aut diſpoſitiones legum præſumi, ſed eſſe in fraudem priuilegij, & per illas obſeruari verba, non vim, & poteſtatem priuilegij; ergo ſi non ſeruatur, violatur vis, & poteſtas priuilegij, hæc autem eſt vera non prẹſumpta violatio.

Probatur primò. Cap. Quanto.

10. Secundo.

Vnde argumẽtor ſecũdo ex generali principio legis, *Nõ dubiũ* in quo Põtifex in illo textu fundatur. *Non dubiũ eſt, in legẽ cõmittere eũ, qui verba legis amplexus cõtra legis nititur voluntatẽ*, vbi non dicitur præſumi, cõmittere in legẽ, ſed certũ eſſe cõmittere, vt dicitur etiã in vltima regula iuris in 6. at cõmittere in legẽ, eſt cõtra legẽ peccare, aut agere, vt cõſtat ex proprietate verbi Latini, & ex gloſsis, & cõmuni expoſitione in citatis iuribus, prẹſertim ex Bart. in dicta l. *Non dubiũ*. Imò addit Gloſſ. in c. *Si poſtquã* de Elect. in 6. verb. *Mente*, eadẽ pẹna puniri, qui in legẽ cõmittit per fraudẽ, & ſub verborũ cortice, ac illũ, qui apertẽ, & directè contra legẽ agit; ergo eodẽ modo verè, & propriè violat legẽ, ſeu priuilegiũ immunitatis, qui indirectè illã violat, quia in fraudem priuilegij agit, vt in dict. cap. *Quãto* dicitur. Tertio eſt propria ratio, quia in moralibus voluntas indirecta ad directã

Barthо. Gloſſa.

Tertio.

A reuocatur, eandẽq; ſpeciem malitiæ participat, vt eſt primum principiũ in materia morali: nam voluntariũ directum, & indirectum ad idem reducuntur, vt non impedire nocumentum, cùm poſsis, & debeas, perinde eſt, ac directe nocere, & ſic de alijs. Sic ergo in præſenti parũ refert, quòd violatio ſit indirecta, ſi in re eundem habeat effectum. Et confirmatur, quia aliàs vel inutile eſſet priuilegiũ, vel ſaltem multum minueretur, ſi per vnam viam quaſi obliquam (vt ſic dicã) liceret, quod directè, & ſimpliciter eſt B per priuilegium prohibitum.

11. Satisfit fundamẽtis oppoſitæ ſententiæ. Primo.

Ad fundamentum contrariæ ſententię de verbo, *Præſumantur*, quo vtitur dictum cap. vlt. reſpõderi poteſt primò, interdum vocari præſumptionem illam, quę ſub aliqua fraude, vel ſimulatione fit, etiam ſi verè fiat, & non tantùm fieri præſumatur. Secundo verò, & meliùs dicitur, ibi verbum prẹſumendi non ſignificare iudicium, vel ſuſpicionẽ, quæ de tali facto ex coniecturis eius deſumitur, ſed ſignificare modũ operandi ex certa ſcientia, & deliberatione, vel ex quadam animi arrogantia, ac temeritate. Nam C vſus huius verbi in hac ſignificatione valde cõmunis eſt in iure canonico, & ita ſumitur in illo textu, imò bis in eadem ſignificatione ibi ponitur, primò in narratione facti, ibi, *aut alia obſequia eximere præſumant*, & iterum in reddenda ratione iuris, ſeu excõmunicationis latæ ibi; *Cùm talia in derogationem Eccleſiaſticæ libertatis præſumantur*, vtique non à iure, ſed ab illis, qui talia facere, vel præcipere prẹſumunt, ſicut priùs dictum fuerat. Vnde ille textus ſic expoſitus potiùs confirmat, quod diximus, nam talia puniũtur vt vere, & ex præſumptione contra liD bertatem Eccleſiæ facta. Addi etiam poteſt, quòd licèt illa de ſe nõ eſſet vera violatio libertatis Eccleſiaſticę, ex vi illius textus prohibẽtis illã, iam eſſet vera violatio libertatis. Sed licèt hoc ex hypotheſi verè dictũ ſit, ſimpliciter nõ cenſeo, ſimiles actiones eſſe contra libertatẽ Eccleſiaſticã, quia ibi prohibentur propter periculũ, & præſumptionẽ, ſed potiùs è contrario, ibi prohiberi ſub cenſura ſpeciali, quia re vera de ſe ſunt violationes libertatis eccleſiaſticę: nã hęc ratio ibi reddit, & ſupponitur in re ſubſiſtiſſe ante illã legẽ.

12. Secundo. Ad ſecundum reſpondeo, ſicut rectè Caietan. citato loco de violatione directa dixit, non pendere ex intentione operãtis, ſed operis, ita etiam dicendum eſſe de violatione indirecta. Nam ſi legislator ciuilis ferat legem, quæ re vera ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, ſaltem indirectè, quamuis non intendat clericorũ nocumentum, ſed ſuum, vel ſuorum ciuiũ commodum, contra libertatem Eccleſiaſticã peccat, quia, vt dixi, in materia morali eadem eſt ratio de directo, & indirecto. Si autem legislator ciuilis directè talem grauamen imponeret, contra libertatem Eccleſiaſticam ageret; ergo idem eſt licèt indirectè id faciat. Quapropter non poteſt illa dici tantũ permiſsio, quia magiſtratus ciuilis tenetur ſimpliciter vitare tale grauamen clericorũ. Alioqui ſi in caſu dicti cap. vlt. laici illas actiones prohiberent, non intendentes grauamen clericorum, ſed ſuum commodum, non agerent contra libertatem, nec illam cenſuram incurrerent, quod abſurdum eſt.

13. Ad melius autẽ intelligãdam hanc indirectam violationẽ immunitatis, oportet aduertere, nõ differre à directa in materia; imò neceſſariũ eſſe, vt in eadẽ materia verſetur, vtiq; prohibita per immunitatẽ, ita vt differentia ſolũ ſit in modo, nam in vna violatione actio, vel lex recta tendit ad perſonã clerici, in altera verò, ſcilicet, indirecta, ſolũ per circuitum. Siquis tamẽ attentè conſideret, ſemper illã attingit, ſaltem in obliquo, vt cũ lex prohibet laico, ne vendat neceſſaria clerico, &c. Imò licèt quoad obligationẽ legis nõ directè imponatur clerico, quoad effectũ ita in illũ redundat, vt vel talem effectũ directè efficiat, ſi oneroſus ſit, vel indebitè impediat, ſi ſit fauorabilis, & debitus. Sicut qui impedit alium, ne mecum cõmunicet, me directè priuat cõmunicatione illius, vel ſaltem iniquè illam impedit, & qui prohibet, vel detinet notarium, ne adſit teſtamento Clerici, ſatis directè impedit clericum, ne teſtamentum facere poſsit, & multa ſimilia in Gloſsis, & legibus tractatis videri poſſunt, quæ ſub illa generali regula comprehenduntur, *Non refert cum quo lex loquatur, ſed in quem intentio legis dirigatur*, Lex. *Cum pater.* §. *Donationis*. ff. de legat. 2.

L. Cũ pater.

CAPVT XXXIIII.

Quibus modis actiones contra libertatem Eccleſiaſticam excuſari ſoleant, & quid de illis iudicandum ſit.

A

CVM laici Magiſtratus, & iudices frequenter Eccleſiaſticam immunitatem inuadere ſoleant, varias rationes excogitarũt, quibus actiones ſuas honeſtare, & à ſacrilegij, & iniuſtitiæ crimine excuſare valeant, quas in fine huius libri proponere, & examinare neceſſariũ duxi. Sex autẽ huiuſmodi excuſationes excogitatas inuenio, quę ſunt ignorãtia, neceſsitas, conſuetudo, pactum, ſeu concordia, priuilegium, & iuſta defenſio, de quibus ſigillatim dicendum eſt. 1.

B

Sex modi quibus immunitatis violatio excuſatur.

Ignorantia.

DE prima ignorantiæ excuſatione pauca dicere neceſſarium eſt, quia proprie loquendo non eſt ex his, quas nunc inquirimus. Duobus enim modis poteſt cogitari excuſatio in huiuſmodi actionibus, quę videntur libertatem Eccleſiaſticam lædere. Primò vt talis ſit excuſatio, quę reddat actionem in re ipſa licitam, & validam, ſitque tanquam exceptio quædam à generali priuilegio exẽptionis, alio modo poteſt excuſatio talis eſſe, quæ ſufficiat excuſare perſonam à culpa, licèt actio ipſa per ſe ſpectata praua ſit, quatenus eſt priuilegio contraria. Hic ergo præſertim inquirimus prioris generis excuſationẽ, & ſic excluditur ignorãtia, quia licèt interdũ fortaſſe poſsit operantem à culpa liberare, nihilominus nõ dat iuriſdictionẽ, & ita nec reddit actũ ſecundum ſe, aut licitum, aut validum. Illo autem modo, quo ignorantia poteſt culpam impedire, excuſatio illa generalis eſt omnibus delictis, & ferè nihil ſpeciale de illa in præſenti dicendũ relinquitur. Duplex enim ignorantia hic interuenire poteſt, vna facti, altera iuris. Prior duobus modis accidere poteſt, primò ex ignoratione perſonę, circa quã actio verſatur, vt ſi laicus clericũ capiat, aut iudicet, putãs eſſe laicũ. Et hoc genꝰ ignorãtiæ interdũ excuſare poteſt à culpa, quia poteſt eſſe inuincibilis, an verò in particulari talis ſit, in foro conſcientiæ ſtandũ erit confeſsio- 2.

C

Ignorantia alia facti, alia iuris, illa quot modis accidat.

D

confeſsioni partis, ſeu pœnitentis, & ex circunſtantijs ab eo propoſitis ferendũ erit iudicium, in foro autem externo ex legitimis indicijs, & probationibus. In caſu autem dubio, an talis perſona pro Eccleſiaſtica habenda ſit, nec ne, vel an gaudeat priuilegio clericali, ad quem iudicẽ, laicum, vel Eccleſiaſticũ talis cauſæ cognitio pertineat, tractant Iuriſperiti, ad quos illa materia pertinet. Vera tamẽ reſolutio eſt, pertinere ad iudicem Eccleſiaſticum, quia materia illius iudicij Eccleſiaſtica eſt, vt definitur in cap. *Si iudex*, de Sentent. excom. in 6. vbi ferè omnia, quæ in ſimili dubitatione fieri debent, ſtatuuntur, & videri poſſunt, quæ latè tractat Couar. in lib. Practicar. quæſtion. cap. 33.

Cap. *Si iudex.* Couarr.

3. Alius modus ignorantiæ eſſe poteſt circa materiam ipſam, circa quam actio, vel iudicium verſatur, quia non exiſtimatur Eccleſiaſtica, vel ſpiritualis, vel nõ creditur ad exemptionẽ pertinere. Hæc tamen ignorantia interdum naſci poteſt ex ſolo defectu cognitionis ipſius materiæ, de qua tractatur, & tunc eſt propria ignorantia facti, idemq; iudicium de illa ferendum eſt, quod de ignorantia perſonæ: nam eſt eadem ratio. Aliquando verò illa ignorantia, vel dubitatio occurrit ex varietate opinionum circa ius ipſum, quomodò ſæpe eſt inter Doctores controuerſia, an hæc, vel illa actio ſit cõtra Eccleſiaſticam immunitatem, nec ne, vt an tollere arma noctu à clerico, ſit cõtra libertatem Eccleſiaſticam, vel an cognoſcere de culpa periurij commiſsi à clerico teſtimonium ferente in iudicio ſeculari, ſit eiuſdem ſecularis fori, vel Eccleſiaſtici, & ſimilia, quorum dubitatio ad ignorantiam iuris reuocatur.

4. Circa ignorantiam ergo iuris aduertendum eſt, aliquando oriri tantùm ex defectu perſonæ, vt quando in re ipſa ſatis conſtat aliquid contineri ſub iure exemptionis, qui verò in contrarium operatur illud ius neſcit, & ideò ignoranter exemptionem violat. Aliquando verò ignorantia, vel incertitudo oritur ex re ipſa, quia videlicet, ius ipſum occultum eſt, ita vt etiam apud peritos, & poſt diligentem inquiſitionem ius dubium ſit, vel ſub opinione conſtitutum. Quando ergo ignorantia iuris eſt prioris modi,

Ignorantia iuris vnde proueniat.

A vix reputari poteſt inuincibilis, ſaltem in ipſis Principibus, vel iudicibus laicis, tum quia ex vi ſui muneris tenentur vel ius ſcire, vel ab his actionibus abſtinere, tum etiam quia ſupponitur tale ius eſſe ſatis publicum, & manifeſtum, ideoque vix credi poteſt, huiuſmodi perſonas illud inuincibiliter ignorare, ſed vel ex negligentia valde ſupina, vel, quod frequentius fortaſſe contingit, ex affectata neſcientia, vt exercere poſsint iuriſdictionem, quam valde affectant. Dico autem *vix* propter cõſcientiæ forum, nam B in externo, & Eccleſiaſtico foro talis excuſatio (vt opinor) nunquam reputabitur ſufficiens, tamen in foro conſcientiæ aliquando poterit iuxta operantis intentionem, & occurrentes circunſtantias admitti. Dixi etiam hoc præcipuè habere locum in ipſis Principibus, eorumvè Conſiliarijs, & iudicibus, qui ius ſcire poſſunt, & debent, quia inferiores miniſtri faciliùs poſſunt per ignorãtiam excuſari, iuxta vulgarem regulam cap. *Qui culpatur*. 23. q. 1. At verò quando ignorantia, vel dubitatio circa ius prouenit ex rei ipſius difficultate, & opinionum C varietate, tunc ſi nihil certum, & exploratum poſsit ex ſacris canonibus colligi, ſeruandæ ſunt generales regulæ de opinionum delectu, & in hac materia eſt valde obſeruandum, vt in fauorem Religionis, & cõſequenter in fauorem exẽptionis amplietur potiùs, quàm reſtringatur Eccleſiaſtica immunitas. Et iuxta hæc iudicandum eſt de multis ſingularibus caſibus, quos congerit Azor tom. 1. lib. 5. cap. 13. & 14.

Cap. *Qui culpatur.*

Azor.

Neceſsitas.

5. SEcunda excuſatio *ob neceſsitatem*, valde ordinaria eſt in hac materia, D fundaturque in illo principio, quòd neceſſitas caret lege. Contingere enim poteſt, vt ad commune bonum reipublicæ neceſſarium ſit, aliquid agere contra immunitatem clericorum; ergo tunc ius immunitatis nõ obligabit. Et cõfirmatur, quia hoc ius, ſaltem vt applicatum, & determinatum ad talem materiam, vel actionem, nõ eſt diuinum, ſed humanum, ſed omne ius humanum, etiam ſi canonicum ſit, poteſt in particulari caſu ceſſare per epijkiam propter occurrentem neceſsitatem,

 tatem,

tatem, propter quam contingere poteſt, vt ſeruare ius humanum in tali caſu ſit contra ius naturale, ergo & in præſenti. Exemplum optimum eſt in cap. *Peruenit*, de Immunit. Eccleſiar. vbi dicitur, tempore magnæ neceſsitatis non excuſari clericos à vigilijs in muris ciuitatis. Et ſimile eſt in materia tributorũ, quando ad ſubleuandam communem neceſsitatem laici non ſufficiunt, niſi clerici contribuant. In materia etiam fori iudicialis ſolet eſſe cõmune exemplum, quãdo deeſt iudex Eccleſiaſtic' muneri ſuo, & laici, vel clerici magnum detrimentũ patiuntur, tunc enim propter neceſsitatem poterit iudex laicus cauſas expedire, etiam ſi in eis clerici rei ſint, vt multi iuris canonici interpretes affirmarunt cũ Gloſſa in cap. *Filijs, vel nepotibus*. 16. q. 7. vt latiùs ibi, & in cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs tractari ſolet. Et maximè vrgere poteſt hæc neceſsitas ſi Eccleſiaſticus iudex omnino non inueniatur legitimus, vt in terris hæreticorũ, & ſchiſmaticorum ſæpe poteſt accidere.

Cap. *Peruenit.*

Gloſſa.

6. Quid de hac excuſatione ſentiẽdum ſit.

Nihilominus tamẽ exiſtimo, non eſſe hanc excuſationem, moraliter loquẽdo, neceſſariam, ſaltem intra catholicam Eccleſiã. Probatur hæc aſſertio primò quaſi inductione quadam diſcurrendo per caſus inſinuatos, ad quos omnes alij, qui excogitari poſſunt, reducuntur. Aut enim neceſsitas eſt in materia tributorum, vel in materia, ſeu cauſis fori iudiciarij. In priori materia ſuprà oſtenſum eſt, nunquam propter neceſsitatẽ poſſe clericos cogi à laicis ad tributa ſoluenda. Nam ſi aliquando tenentur cõtribuere, vel opus aliquod cõmunis oneris ſuſtinere, nõ eſt ex vi legis imponentis tributa, ſed ex aliqua obligatione charitatis, aut cõmunis iuſtitiæ, & iuxta canonum diſpoſitionẽ. Vnde in huiuſmodi caſibus non poſſunt clerici per iudices ſeculares ad ſatisfaciẽdum huic obligationi compelli, ſed per ſuos Prælatos, & ſecundũ canonicũ ius. Quòd ſi ipſi Prælati ſuo muneri ſatisfacere nolint, ad Pontificem recurrendum eſt, vt eos compellat. Quòd ſi ſit periculũ in mora, quia extrema, vel grauis neceſsitas boni cõmunis auxilium clericorum ſtatim requirit, tũc non per modum iuriſdictionis, ſed per modum defenſionis licere poterit, quod recta ratio ad ſubue-

A niendum cõmuni bono, vel impediendũ damnum imminens, neceſſarium eſſe dictauerit. Et ita in eo caſu excuſatio reducitur ad alterã, quæ ſub nomine iuſtę defẽſionis ponitur, & infrà tractabitur, declarabiturq́; non cõtinere propriam excuſationem, ſeu exceptionem à generali priuilegio, ſed eſſe aliam ſpeciem actionis ad priuilegium non pertinentem.

Eadem ferè ratio eſt de caſibus in materia iudiciali occurrentibus: nam in primis in cap. 13. oſtenſum eſt, non poſſe iudicem laicum propter negligentiã iudicis Eccleſiaſtici in cauſis clericorum ſe B intromittere, quia manifeſtè repugnat iuri Canonico. Nec ex illa negligentia ſufficiẽs neceſsitas inſurgit, nam ſi iudex Eccleſiaſticus fuerit negligens, ſuperiorem habet, à quo emendari poſsit, & debeat. Quòd ſi proximus ſuperior etiam neglexerit, ad aliquem eiuſdem ordinis magis remotum recurrendum erit, & ita vſque ad Romanum Pontificem, in quo tanquam in ſupremo capite ſiſtendũ eſt: nam ſi ipſe neglexerit, non eſt per Regẽ cogendus, ſed rogandus, vel cum debita ſubmiſsione monendus, vt in principio C libri pręcedentis dictũ eſt. Sicut in republica merè tẽporali, ac ethnica, vel nũc in Anglia, ſi iudices Regij in vna prouincia negligentes eſſent in adminiſtranda iuſtitia, non poſſent Magiſtratus alterius prouinciæ ad ſupplendam horũ negligentiam in eorũ territorijs iudicia vſurpare: multòq; minus poſſent inferiores iudices eiuſdẽ prouincię de ſuperioribus ſuis ius dicere, aut eorũ tribunalia titulo neceſsitatis vſurpare, quia eſſet ſumma confuſio, & iniuriarum occaſio. Ergo neceſſarium tunc eſt, aliquem ſuperiorem Magiſtratũ, vel ſenatum adire, vel ſi non D ſufficiat, vſque ad Regem procedere. Quòd ſi Rex ipſe negligens ſit, profectò nollẽt Reges, vt inferiores ſibi ſubditi iudicia ſua emendent, aut vſurpẽt. Cur ergo volent, vt ſeculares iudices Eccleſiaſticas cauſas ſibi arrogent ſub prætextu negligentiæ Eccleſiaſticorum iudicum? aut cur potiùs negligẽtia, vel iniquitas in Eccleſiaſticis iudicibus, quàm in ſecularibus timetur? Imò verò quia contrariũ potiùs præſumendũ eſt, & quia in Chriſtiana, & catholica republica Pręlati Eccleſiaſtici ſũt ſuperiores laicis iudicibus, ſeu

7.

ſeu Magiſtratibus, ideo iuxta canones poſſunt Prælati ſupplere negligentiam laicorum, non autem ê conuerſo, vt in eodem cap. 13. declaratum eſt.

Atq; hinc poſſumus vniuerſaliter colligere, nunquam poſſe ſecularem iudi-
8. cem vſurpare iuriſdictionem in clericū
Clericū, ſi corā aliquo ſuperiore ſuo conueniri poſsit, non poſſe à laico iudica ri concludi tur.
prætextu neceſsitatis, quandiu aliquis prælatus Eccleſiaſticus, ſiue proximus, ſiue remotus adiri potuerit. Ratio generalis eſt, quia ſola neceſsitas non dat iuriſdictionem; ſine iuriſdictione autem non poteſt vſurpari iudicium; ergo nec ſub prætextu neceſsitatis poteſt aliquid fieri contra priuilegium fori clericorū. Patet conſequentia, quia nō ceſſat exēptio in aliquo caſu exparte clerici, niſi iuriſdictio laici in eodem caſu augeatur. Antecedens autem quoad poſteriorem partem per ſe notum eſt, quoad priorē verò, probatur, quia iuriſdictio requirit poteſtatem, & voluntatem ſuperiorem, â qua proueniat: nam licèt vnus homo indigeat correptione, aut pœna, & deſit ſuperior, qui poſsit illum coercere, non ideo poteſt alius priuatus iuriſdictionē in illum vſurpare, ſed ad ſummum tunc ea licent, quæ ad iuſtam, & moderatam defenſionem fuerint neceſſaria, aliàs nō poſſet pax, & iuſtitia in humana ſocietate ſeruari. Sola ergo neceſsitas vt ſic, nūquam dat iuriſdictionem, ideoq; neque ad excuſandam violationem immunitatis ſufficit. Quomodo autem ad iuſtā defenſionem ſufficiat, infrâ videbimus.

Solùm ſupereſt caſus ille vltimo loco
9. propoſitus, quando clericus verſatur inter paganos, vel hæreticos, vbi nulli ſunt Prælati, vel iudices veram Eccleſiaſticā iuriſdictionem exercentes. Et tunc in primis dicendum eſt, ſi ſtatus ille ſit durabilis, & valde generalis in aliqua prouincia, conſulendum eſſe ſummum Pōtificem, ſi fieri poſsit, vt remedium adhibeat, quia ipſe eſt ſupremus iudex, & ibi alius propinquior deeſt. Si verò aut caſus eſt particularis, & extraordinarius aut non datur locus conſulendi Pontificem, aut exequendi mandata eius, tunc caſus reducitur ad terminos iuris naturalis, vel gentium, & ideo licebit vti remedio quocunque honeſto ſecundum rectam rationem. Vel dici etiam poteſt, tunc poſſe conueniri clericum coram

Quomodo ſit agēdum cum clerico inter Paganos degēte.

A iudice laico iure defenſionis, quia ille tunc eſt modus ſuauior ſe defendendi, vel ius ſuum conſeruandi, aut recuperādi, aut etiam cōmuni bono conſulendi.

Conſuetudo.

Tertia excuſatio erat conſuetudo, de qua multa in ſuperioribus diximus, 10.
quibus non obſtantibus, Doctores frequenter hoc ſolo nomine varias actiones exemptioni repugnantes, quæ in varijs locis ſunt in vſu, excuſare conantur. Quales ſunt punire clericum ob crimen læſæ Maieſtatis, de qua conſuetudine teſtatur Iulius clarus, & illam dicit poſſe excuſari per cap. *Perpendimus*, de ſentent. excōmunicat. ſuprà allegatum. Vnde videtur illam conſuetudinem ad iuſtam defenſionem reuocare, quia cùm crimen illud mortem Principis intētet, iure defenſionis videtur Princeps, poſſe traditorē per ſuos miniſtros, vel iudices interficere. Alia conſuetudo referri ſolet de clerico, qui coram iudice ſeculari teſtimonium dicens, de periurio cōuincitur, vt poſsit ab eodem iudice laico puniri, quando cognitionem de tali crimine ipſe præuenit, quam conſuetudinem in Gallia ſeruari, refert Couarr. in Pract. cap. 18. num. 8.

Lib. 5. §. vlt. q. 36. nu. 27.

B

C

Couarr.

Alia dicitur eſſe in Gallia Conſuetudo, nimirum, vt clerici in actionibus realibus coram iudice ſeculari conueniantur, quam defendit Ioannes Garſia de Nobilit. gloſſ. 9. num. 49. cum Fabro, & alijs quos refert. Et ſimiliter eſt ibi conſuetudo, vt de quibuſdam delictis grauibus iudices laici contra clericos cognoſcant. Item vt clerici portantes arma prohibita, vel tempore prohibito, illis per
D Magiſtratum ciuilem priuentur, cōſuetudine receptum eſt, & defenditur, vt videre licet in Couarruuia dict. lib. Practic. c. 33. circa fin. & lib. 2. Var. c. vlt. in fin. Iul. clar. ſuprà n. 26. Salced. in Practic. ca. 55. In Hiſpania etiam ſolent clerici miniſtri Regis, qui ſunt â conſilijs eius de delictis, vel defectibus in ſuis officijs cōmiſsis viſitari, inquiri, ac puniri. Et in multis dubijs, & controuerſijs inter iudices Eccleſiaſticos, & laicos, vel in cauſis, in quibus ſubditi, ſeu vaſalli â Prælatis, vel iudicibus Eccleſiaſticis grauari

11.

Ioan. Garſia.

Couarr. Iul. Clar. Salzedo.

uari conqueruntur, Regia tribunalia iudicant. Hæc autem, & multa ſimilia, quæ authores referunt, ſola cõſuetudine defenduntur, vt videre licet in Couarr. ſuprà à cap. 31. vſq; ad 35. & Nauarr. in cap. *Nouit* de Iudicijs notab. 3. n. 31. & Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 13. & 14.

Couarr. Nauarr. Azor.

12. Cõſuetudo non excuſat actũ contra immunitatē factum.

Nihilominus dicendum eſt, hanc excuſationem conſuetudinis nunquam eſſe poſſe ſufficientem, ſi actus verè ſit cõtra libertatem Eccleſiaſticam, & conſuetudo per ſimiles actus introducta ſit. Hoc euidenter ſequitur ex his quæ cap. 32. dicta ſunt, & ita communiter traditur ab omnibus authoribus ſupra allegatis. Nam cõſuetudo nunquam poteſt derogare, vel minuere priuilegium immunitatis, nec poteſt dare iuriſdictionē laico in clericum; ergo omnis actus iuriſdictionis, quem laicus exercet in clericum ſolo titulo cõſuetudinis, eſt actus ſine iuriſdictione factus; ergo eſt violētia contra immunitatem Eccleſiaſticā; ergo ſola conſuetudo nunquam ſufficit ad culpam, ſeu libertatis Eccleſiaſticæ violationem excuſandā. Quæ ratio ſuppoſito dicto principio, eſt moralis demonſtratio, illud autem principium, vt opinor, ſatis demonſtratum eſt. Vnde omnia iura canonica, quæ conſuetudinem illam dicunt eſſe corruptelam, & tanquam damnabilem reprobant, hãc etiam aſſertionem apertè confirmant. Nam corruptela, & damnabilis conſuetudo, non eſt aliud, niſi frequentia peccandi; peccatum autem ſubſequens non excuſatur propter frequentiam præcedētium, ſed quodãmodo augetur. Quocirca conſuetudines, quæ allegantur, vel alijs titulis à conſuetudine diſtinctis excuſandæ ſunt, vel ſimpliciter reprobandæ, nam propter facta hominũ non ſunt iura diuina, vel canonica negãda, vel falſis interpretationibus corrumpenda. Et ita Rota deciſion. 804. quæ eſt. 10. de Conſuetud. in antiquis damnat conſuetudinem quãdam, quæ etiam ante ſchiſma in Anglia vigebat, ſcilicet, vt Rex, vel eius miniſtri clericos iudicarent in actionibus ciuilibus, etiam perſonalibus, & in criminalibus, quando agitur ciuiliter. Et idem profectò etiam dicendum erit de Gallicana conſuetudine, vt clerici iudicentur à laicis in actionibus reali-

Rota.

A bus, niſi alia via excuſetur. Idemquē de ſimilibus dicendum eſt, vt latius proſequitur Azor loco citato.

Duo autem ſunt tituli, quibus ſimiles conſuetudines excuſari ſolent. Vnus 13. eſt, quia facta, ſeu actiones, quibus introducuntur, & poſtea defenduntur, non ſunt actus contra libertatem Eccleſiaſticam, quia non ſunt actus iuriſdictionis laicæ in clericum, ſed ſunt actus iuſtæ defenſionis, vel reipublicæ, vel innocentum, quæ defenſio non eſt contra libertatem Eccleſiaſticam. Iuxta quam doc-B trinam actio re vera nõ excuſatur propter conſuetudinem, ſed potius conſuetudo excuſatur propter modum, & titulum actionis, ipſa verò cõſuetudo poſt quàm introducta eſt, & à viris prudentibus, ac timoratis ſeruata creditur, ad ſummum indicat, & eſt argumentum, actiones illas non fuiſſe vſurpatæ iuriſdictionis, ac proinde per modum defenſionis fieri conſueuiſſe. Atque hoc modo excuſatio hæc reducitur ad vltimam infrà tractandam, ideoq; nunc illa generali doctrina ſuppoſita ſolũ aduertimus, neceſſarium eſſe, vt ad talem materiam, ſeu actionem verè, & conuenienter ap-C plicetur, alioqui ſi materia non ſit capax defenſionis, quia ibi non fiebat violētia, nec morale periculũ eius, erit ficta excuſatio, & de ſolo titulo, non vera, nec de re, oportet ergo, vt & cauſa, & neceſſitas defenſionis ſupponatur, & vt in ipſa defenſione debita moderatio ſeruetur, vt infra explicabitur.

14. Quomodò excuſentur, arma prohibita à clericis auferentes,

Atque hoc titulo poteſt aliquomodo excuſari conſuetudo illa auferendi à clericis arma prohibita. Nam certè ſi id fiat per vſum iuriſdictionis, vel aliqualis punitionis, non video, quomodo excu-D ſari poſſit, quidquid Couarr. & alij ſentiant. Quod ex parte ſenſit Nauarr. conſil. 27. alias 44. de Excõmunicat. nu. 5. quatenus excuſat huiuſmodi factum, eo quod ordinatur ad impediendum aliquod delictum, additque interdum fieri per modum pacti, & conuentionis inter clericum, & miniſtros iuſtitiæ, ſolent enim clerici arma offerre, ne ad ſuos ſuperiores, & Prælatos deferantur, vel denuncientur. Quòd ſi ita eſt, ceſſat violatio Eccleſiaſticæ libertatis, quidquid ſit de iniuſtitia, vel turpitudine pacti.

Quando verò arma tolluntur ſolùm per modum defenſionis ad tollendam occaſionem rixæ, vel periculum perturbationis ciuitatis, tunc non auferuntur in pœnam, & ideò non videtur licere ex vi talis facti omnino ſpoliare clericum armis, priuãdo illum dominio eorum, quia nullus apparet iuſtus titulus, quo id fieri poſsit; ergo tantùm debent pro illa occaſione auferri, vt poſteà reddantur, niſi clerici voluntariè conſentiant donationi eorum, vt dictum eſt.

15. Quo pacto excuſetur conſuetudo comprehendendi clericos in delicto compertos.

Sic etiam honeſtari ſolet conſuetudo, qua ſolent miniſtri ſecularis iuſtitiæ clericos in delicto inuentos, vel quos probabiliter præſumunt ad delinquendum incedere, detinere, & comprehendere, vt ſuis Prælatis eos præſentent, nullo enim modo id facere poſsũt titulo iuriſdictionis, vt conſtat ex cap. *Cum non ab homine*, de Iudicijs, & cap. *Si verò*, de Setent. excõmun. & cap. *Si clericus*, de Foro comp. & cap. *Si clericus*, de Sentent. excõmun. in 6. Vnde nulla conſuetudine introduci poteſt, vt eo modo tale factum liceat. Solet autem iuſtificari per modum defenſionis, quia expedit valde reipublicę, vt impediantur delicta, & hoc munus videtur maximè commiſſum miniſtris iuſtitiæ ſecularis. Et ita docent Panormit. in cap. *Vt famæ*, de Sentent. excõmunic. n. 6. & in cap. *Cum non ab homine*, de Iudicijs, vbi etiam Decius nu. 10. & Felinus ibi, & in cap. *Si verò*. 1. de Sentent. excom. n. 2. & Nauarr. in dicto conſ. & in Sum. cap. 27. n. 83. & Iulius Clar. dicto §. vlt. q. 28. n. 6. Cenſetur etiam ibi interuenire tacita voluntas Prælatorum, quam etiam poteſt interpretari conſuetudo, & poteſt ibi ſufficere, quia ibi non interuenit commiſsio iuriſdictionis, ſed tantùm quidam vſus facti, quo Prælatus vtitur miniſtro iuſtitiæ ad comprehendendum ſubditum ſuum delinquentem, quod optimè per ſeculare brachium facere poteſt. Denique ad hunc modum ſub hac ſpecie defẽſionis excuſantur alię conſuetudines, vt excludendi clericum à curia Regis, vel etiam à regno, vel aliæ ſimiles, quas nunc examinare, non eſt noſtri inſtituti, ſed videri poſſunt Doctores allegati. Præſertim Azor ſuprà, & Henriq. lib. 14. de Irregular. cap. 12. n. 6. litera P. & ſequentib.

Cap. Cum non ab homine. Cap. Si verò. Cap. Si clericus. de Foro comp. Cap. Si clericus de Sẽtent. excõ. Panormit. Decius. Felin. Nauar. Iul. Clar. Azor. Henriq.

16. Alius modꝰ dictam conſuetudinem defendẽdi.

Alius modus defendendi hanc conſuetudinem eſt, fundando illam in priuilegio Pontificio. Non eſt enim dubium, quin poſsit Pontifex concedere alicui Regi, vel regno ſpeciale priuilegium derogans aliqua ex parte priuilegio exemptionis, de quo infrà dicetur. Hoc ergo priuilegio ſuppoſito, actus, qui ex illo fiunt, honeſti ſunt, & ita etiam conſuetudo illorum eſt honeſta. Tunc autem cõſuetudo non derogat immunitati, ſed derogatam ſupponit, & ideò non eſt cõſuetudo, quæ excuſat, ſed priuilegium, de quo ſtatim dicam. Vnde non probo, quod Nauarr. in dicto conſ. 27. de Sentent. excommun. n. 1. dicit, conſuetudinem immemorialem Gallię, quòd iudex ſecularis poſsit punire clericum, habere vim priuilegij, citans Aufredum in Clementin. 1. de Offic. ordinar. regul. 1. fallentia. 10. Inſinuat enim, talem conſuetudinẽ poſſe inducere priuilegiũ, quod in hac materia non cenſeo eſſe verum, quia ſi conſuetudo ſit turpis, & reprobata, etiam ſi immemorialis ſit, non poteſt inducere priuilegium, & ideò cùm in hac materia conſuetudo ſit reprobata, vt diximus, etiam ſi immemorialis ſit, non poteſt vi ſua priuilegium introducere, vt rectè dixit Probus in cap. 2. de Probat. & ſentiunt alij authores ſuprà citati. Ergo oportet, quòd priuilegium præcedat, vt conſuetudinem honeſtet.

Conſuetudo nũquam inducit priuilegiu contra libertatẽ eccleſiaſticam. *Probus.*

17. An immemorialis cõſuetudo ſit ſufficiens ſignum priuilegij à Pontifice conceſſi.

Quæri autem poteſt, an immemorialis conſuetudo ſit ſufficiens indicium, ſeu teſtimonium, quòd ex legitimo priuilegio inchoata fuerit, videtur enim valdè probabile, ita eſſe præſumẽdum, quia immemorialis conſuetudo præſumitur honeſta, vt multi Iuriſperiti tradiderunt, quia cùm non poſsit probari mala præſumitur bona. Nihilominus cenſeo, ſolam, & nudam conſuetudinem etiam immemorialem non ſufficere in hac materia ad probandum priuilegiũ. Tum quia illa regula non procedit in conſuetudine reprobata per legẽ, vt Rochus Curtius, & alij tractantes de conſuetudine tradiderunt; tum etiam quia valde odioſum eſt priuilegium hoc, & difficile, ac rarò conceditur, & ideò niſi legitimè probetur, non præſumitur; ſolus ergo vſus quantumuis antiquus, cùm in facto conſiſtat, non probat ſufficienter ius, ſeu priui-

Rochꝰ Curtius tract. de Conſuet. ſect. 7. nu. 24. Sanc. lib. 7 de Matri. diſp. 4. nu. 14. circa ſi. Vide etiam tr. ẽt. de Legib.

priuilegium. Loquor autem de nuda, & pura conſuetudine, quia ſi cum illa coniungatur conſtans fama, & traditio ęque antiqua, ſeu immemorialis, quòd pręceſſerit priuilegium, & talis traditio integrê probetur, videtur ſufficiens, vt talis conſuetudo pro priuilegio reputetur.

18. *Conſuetudo in priuilegio fundata poteſt à Pontifice reuocari.*

In tali verò caſu addendum eſt, non obſtante illa traditione, & probatione, poſſe talem conſuetudinem per Pontificem reuocari. Tum quia illa conſuetudo non accipit vires à præſcriptione, ſed à priuilegio, priuilegium autem à ſuperiori datum ſemper poteſt reuocari, pręſertim ex iuſta cauſa. Tum etiam quia licèt admitteretur ibi aliqua præſcriptio, non poſſet obſtare, quominus Pontifex poſſet reuocare iuriſdictionem receptã per illud priuilegium, & quaſi præſcriptam illa conſuetudine, quia ſemper illa iuriſdictio eſt quaſi delegata à Pontifice, & conſequenter ab eius voluntate pendens. Item quia contra Papam nemo præſcribere poteſt in his, quæ ad ſupremam eius poteſtatem pertinent. Nam, vt rectè dixit Innocentius in cap. 2. de Poſtulatio. Prælator. n. 2. *quia Papa circa ſpiritualem poteſtatem omnia poteſt, & plenitudinem poteſtatis habet, nullus poteſt quærere poſſeſſionem, quæ ei præiudicet, cùm illam habeat à Domino tantùm.* Idemque docuit Gloſſa in cap. *Cum nobis*, de Præſcript. vbi Panormit. n. 1. & 12. eam valdè commendat, & in cap. *Si diligenti*, eodem tit. n. 11. Pontifex autem ex vi poteſtatis ſpiritualis, quam à Chriſto accepit, poteſt exemptionem clericorum, vel conſeruare, vel redintegrare, ſi aliqua ex parte fuerit diminuta, & ideò ſemper poteſt quancunque conſuetudinem illi contrariam quomodocunq; introducta ſit, reuocare, quia illa poteſtas, quæ à Domino conceſſa eſt, per nullam conſuetudinem diminui poteſt, neque ipſe Pontifex illam poteſt à ſe abdicare.

Innocent. *Gloſſa.* *Panormit.*

Concordia.

9. QVarta excuſatio erat concordia, ſeu pactum. Solent enim iudices laici nonnullas actiones ſuas contra immunitatem defendere titulo alicuius antiquæ concordiæ inter Reges, & Prælatos, ſeu clerum tranſactę, per quam conA ceſſum fuerit ſecularibus iudicibus, vt in talibus cauſis, vel occaſionibus poſſint circa materiam Eccleſiaſticã iuriſdictionem ſuam exercere. Atque hunc titulũ video in hoc regno ſæpiùs allegari, & in regno Galliæ ſcimus, facta eſſe ſimilia concordata tempore Leonis X. & Regis Franciſci, quæ Rebuffus commentatur, & in regno Hiſpaniæ, & alijs deſiderari ſcimus, propter vitandas perturbationes, quæ inter iudices ſeculares, & Eccleſiaſticos oriri ſolent.

Circa hanc autem excuſationem in B primis aduertendum eſt, quotieſcunque huiuſmodi concordia inter Epiſcopos etiam in Concilio prouinciali, vel nationali congregatos, & Reges, aut Senatus fit, nihil poſſe contra priuilegium immunitatis operari, niſi authoritate Summi Pontificis facta ſit, vel confirmetur. Ita notauit Rebuff. in Concordat. titul. de Approbat. Cõuentor. verb. *Firmitatem.* Ratio autem eſt manifeſta ex ſuperiùs dictis, quia Epiſcoporum conſenſus non eſt ſufficiens ad diſpenſandum, vel priuilegium concedendum, quo exemptio clericorum minuatur, quia non poteſt C inferior diſpenſare, nec priuilegium cõcedere in iure ſuperioris, pręſertim, quãdo eſt tam graue, & tam difficilem, ac raram habet diſpenſationem, vt de hoc priuilegio ſuprà oſtẽdimus; ergo ſolùm poteſt conſenſus Prælatorum operari per modum renunciationis, per quam aliqua ex parte cedant iuri ſuo; at verò talis renunciatio propria authoritate facta non valet, vt ſuprà etiam eſt probatum; ergo neque illa concordia poteſt eſſe valida ſola authoritate Prælatorum etiam cum inferiori clero facta.

20. *Concordia inter [illegible] ſeculares [illegible] immunitati nihil dero-gar. Rebuff.*

Nec refert, quòd illa non videatur eſſe D ſimplex renunciatio, ſed quaſi commutatio per modum trãſactionis facta, tum quia per illam tranſactionem nunquam ſuppletur in ipſa exemptione diminutio, quę in aliqua parte materiæ illius fit, neque nouum aliquod ius Eccleſiaſtico ſtatui conceditur, ſed ordinariè ſolet ab Eccleſiaſticis fieri ad fugiendam vexationem, vel maius malum vitandum, vt ſeculares illa parte contenti, maiorem nõ vſurpent. Quod certè fieri non debet contra commune bonum, ſi autem fiat, ſiue cum culpa, ex humano timore, ſiue ſine 21.

ſine culpa ob neceſsitatem ad vitandum maius malum, erit potiùs tolerantia quędam, vel permiſsio, quàm concordia, etiamſi fortaſſe hoc nomine appelletur, & ideò non reddet tutos in conſcientia iudices ſeculares, donec conſenſus Pontificis legitimè informati accedat. Tum etiam quia licèt ſingamus, aliquid iuris, vel commodi tribui Clero à Principibus ſecularibus, vt in aliqua parte exemptionis cedant iuri ſuo, etiam hoc modo non poteſt priuatus Prælatus, ſeu particularis clerus in aliquo renunciare exēptioni, quaſi alienando partem eius per modum commutationis, tum quia hoc etiam eſt contra commune bonum ſtatus clericalis, in cuius fauorem exemptio eſt introducta; tum etiam quia illa eſt quædam alienatio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ inter bona Eccleſiaſtica meritò computatur, ideoq; ſub prohibitione alienandi bona Eccleſiaſtica meritò comprehenditur.

22. Concordia per Pontificem confirmata valida eſt, & ſufficiens. Rebuff.

Accedente autem Summi Pontificis conſenſu, non eſt dubium, quin talis cōcordia valida ſit, & conſequenter ſufficientem excuſationem inducat. Eſt autem conſiderandum, hanc Papæ approbationem habere vim cuiuſdam priuilegij, vt in ſimili notauit Rebuffus in Cōcordatis tit. de Approbatione Conuentor. verb. *Priuilegijs*, & eſt per ſe manifeſtum, quia etiam ſi fiat per modum cōtractus, eſt peculiaris fauor permanens, & ſtabilis cum aliqua iuris communis derogatione. Quocirca excuſatio hæc ad ſequentem de priuilegio reuocatur, vnde ſicut ibi dicemus, priuilegium reuocari poſſe per Pontificem, ita de qualibet ſimili cōcordia ab eodem confirmata dicendum eſt. Nam licèt poſt confirmationem Prælati non poſsint à concordia recedere ſua authoritate, ſaltem inuitis Principibus ſecularibus, nihilominus Pontifex ſemper poteſt concordiam reuocare, quia vt dixi, confirmatio illa fuit quaſi priuilegij cuiuſdam conceſsio, quod reuocari ſemper poſſe infrà oſtendam.

Concordia per Pontificem confirmata ab eodem reuocari valet.

23. Obiectio.

Contra hoc verò allegari poteſt Rebuffus in Concordatis tit. de Collationib. qui in præfatione quæſtionem proponit in §. *Inſuper quæro, an altera pars valeat derogare his concordatis.* Et reſpōdet, A non poſſe, loquiturq; de concordatis inter Regem, & Papam. Et licet plura argumenta multiplicet, vnicum tamen eſt fundamentum, ſcilicet, quia concordia illa tranſit in contractum, contractus autem obligat partes, etiā ſi ſupremi Principes ſint. Sed in primis caſus, in quo verſamur, videtur eſſe diuerſus, quia quando concordia fit inter Epiſcopos, vel clerum alicuius regni, & Regem, illi tantùm ſunt partes contrahentes, Pontifex autē confirmando pactum, ſolùm ſe gerit vt ſupremus diſpenſator, fauorem, & gratiam concedens vtrique parti contrahenti tanquam ſibi ſubditæ, & inferiori, & ideò illam reuocare poteſt. Quia verò inſtari poteſt, quòd Papa in illo caſu cōiungitur clero tanquam caput eius conſenſum conſummando, ideòq; etiam cōſiderari tanquam partem contrahentem, propterea vlteriùs addo, reſolutionem illam Rebuffi aliqua declaratione, vel limitatione indigere. Nam ex parte Regis ſimpliciter verum eſt, non poſſe recedere à concordatis cum Papa, tum propter dictam rationem contractus, tum etiam quia ſi aliquid priuilegij, vel fauoris ex parte Regis ibi intercedit, conceſſum eſt à ſubdito ſuo ſuperiori, & ideò eſt irreuocabile.

Solutio.

24. At verò ex parte Pontificis diſtinctione opus eſt, quia per nullum contractum poteſt Pontifex à ſe abdicare ſupremam poteſtatem ſpiritualem, quam habet ad diſponendum ea, quæ ad conuenientem Eccleſiæ gubernationem pertinent, & ideò licèt ſine cauſa non poſsit à concordata recedere, ſi tamen poſtea mutatis rebus, vel meliùs perſpectis concordatam Eccleſiæ nociuam, aut non conuenientem eſſe intellexerit, poteſt, reuocando illam ab ea recedere, compenſando alteri parti damnū, ſi quod fortaſſe ratione pacti præcedētis patiatur. Sic enim Rex temporalis poteſt priuilegium ſubdito ſuo conceſſum, etiam ſi in vim pacti tranſierit, reuocare, dūmodò, & ad commune bonum regni expediat, & ſubdito reſtituat, vel recompenſet, quod ille in pacto præcedente ex parte ſua contulerat, vt in materia de Priuilegijs latiùs traditum eſt. Quæ generalis doctrina ſpeciali ratione locum habet in hac materia exemptionis, tum

tum quia, vt dicebam, quidquid in ea A remittitur ex parte Eccleſiæ, ordinariè liberaliter ſine compenſatione conceditur; tum maximè quia in hac exemptione magis eſt attendendum bonum commune ſtatus clericalis, quàm vlla conuẽtio cum temporali Principe facta, quia neceſſe eſt, vt ſemper habeat illam conditionem tacitè incluſam, dummodò in præiudicium, aut vexationem, vel vilipendium ſtatus clericalis non cedat, aut aliquando ſequatur ex cõcordia. Intercedente ergo ſimili cauſa poterit reuocari, ſine illa verò nõ poterit, ſaltem licitè, ſi tamen fiat, exiſtimo factum tenere propter ſupremam ſpiritualem poteſtatem Papæ, quæ in ſe minui non poteſt, vt de priuilegio ſtatim dicam.

25. Cõcordia inferioris Prælati cum laico abſq; iuriſdictionis conceſsione facta valida eſt.

Oportet autem aduertere hæc omnia dicta eſſe, quando per concordiam conceditur laicis iuriſdictio aliqua in clericos contra priuilegium clericale: nam ſi non concedatur iuriſdictio, ſed tantùm executio aliqua, vel miniſterium facti, non repugnat fieri per concordiam inter Prælatum, & iudicem ſecularem, vt hic poſsit tanquam organum, & miniſter Epiſcopi actiones aliquas circa clericos exercere, quæ ad impedienda peccata, vel perturbationes publicas conuenientes iudicentur, & ſine indecentia clericalis ſtatus fieri poſsint, vt ſunt, eripere arma clericis noctu illa portantibus, vel cõprehendere clericum in graui delicto inuentum, & ſimiles. Hoc ſupponunt omnes authores ſuprà allegati, approbantes huius modi conſuetudines, quę maximè ex hoc pacto ſaltem implicitè honeſtantur. Sumitur etiam ex iuribus, quæ declarant, eſſe in Epiſcopis poteſtatem ad vtendum hoc modo auxilio brachij ſecularis, cap. *Si verò*, de Sententent. excom. cum alijs ſuprà allegatis. Non enim eſt neceſſe, vt id ſemper faciant per ſpeciale mandatum. Cur enim non poterunt etiã id efficere per aliquam generalem commiſsionem, ſeu concordiam, quatenus neceſsitas ſuæ diœceſis iuxta ſuum prudens arbitrium poſtulauerit? Intelligendum autem eſt, huiuſmodi licentiam, ſeu concordiam ſemper eſſe debere ab arbitrio Prælatorum Eccleſiæ dependentẽ, non enim poſſunt ius aliquod in hac parte tribuere ſecularibus iudicibus, ſed tãtùm illis vt inſtrumentis vti, inſtrumentum autẽ ſemper pendet à motione principalis agentis. Et ideò ſemper eſt integrum Prælatis prohibere iudicibus ſecularibus, ne tales actiones exequantur, non obſtante quacunque licentia, vel prætenſa concordia, etiam conſuetudine firmata, ita enim expedit ad bonum regimen ſtatus clericalis, & oppoſitum exemptioni clericorum multum derogaret.

Cap. *Si verò*.

26. Vltimò poſſunt ad hoc caput reduci nonnulli actus iuriſdictionis, quos Principes ſeculares interdum circa Eccleſiaſticos exercent, non vt Eccleſiaſtici sũt, ſed vt ſunt feudatarij, vel miniſtri ciuiles talium Principum. Sic diximus ſuprà, cauſas feudales tractari debere coram domino feudi, etiam ſi ſuprà Eccleſiaſtica bona, & contra clericos moueantur. Sic etiam Cardinalis Bellarminus contra Barclaium cap. 35. defendit factum Imperatoris Caroli V. qui Hermanum Colonienſem Epiſcopum ad ſuũ tribunal vocauit. Quod factum obijciebat Barclaius, Cardinalis autem reſpondet, verum quidem id eſſe, ſed vocaſſe illum vt Principem imperij. Sic etiam ſolent Reges viſitare miniſtros ſuos, & Conſiliarios, etiam ſi clerici ſint, eoſque temporalibus pœnis pecuniarijs, vel depoſitione ab officio ſeculari, & alijs ſimilibus clericis non indecentibus, punire. Quam conſuetudinem defendunt Aufrerius in Clementin. *Paſtoralis*, de Officio Ordinarij regul. 1. fallent. 27. & 28. & Caſſaneus in Conſuetudinib. Burgundiæ, verb. *Iuſtitiæ*. Videtur autem in hoc maximè fundari, quod tunc non conſiderantur, niſi ſub reſpectu merè ciuili, & maximè, quia ſub ea conditione, & pacto ad ea miniſteria, & officia Regia acceptantur, quod pactum nec contra exemptionem Eccleſiaſticã, nec contra decentiam Eccleſiaſtici ſtatus, aut bonos mores eſſe videtur, & ita eſt communi vſu receptum, & approbatum.

B C D — *Bellarm.* *Aufrer.* *Caſſaneus.*

Priuilegium.

27. QVinta excuſatio erat priuilegiũ, de quo in iure, vt ſic dicam, nulla eſt difficultas, in facto autem eſt maxima. Duo enim, quæ ad ius pertinent,

certa

certa ſunt, vnum eſt, poſſe hoc priuilegium concedi ſaltem à ſummo Pontifice, quod ſuprà probatum eſt, & ex vſu ſatis conſtat. Alterum eſt, hoc priuilegium poſſe à Pontifice reuocari, ac proinde, vt ad legitimã excuſationem proſit, nõ ſatis eſſe, quod ſemel conceſſum, ſeu obtentum ſit, ſed oportere, vt perſeueret non reuocatum. Atque hoc etiam ex vſu Pontificum conſtat, frequenter enim huiuſmodi priuilegia reuocant per illa verba: *Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs*, vt patet ex capit. *Clericis*. §. vltim. de Immunitat. Eccleſiar. in 6. vbi id notat Gloſſa, & ex cap. *Quia ſæpe* de Electiõn. in 6. cum ſimilibus, & ſingulis annis fit talis reuocatio in Bulla cænæ Domini. Ratio vero eſt, quia priuilegium conceſſum ſubdito reuocari poteſt ab eodem ſuperiore, vel eius ſucceſſore, vt in libr. 8. de Legibus cum communi ſententia probatum eſt. Hoc autem priuilegium eſt huiuſmodi, etiam ſi Imperatori, aut Regibus ſit conceſſum, quia datur à Papa, qui eſt ſuperior illis, & ideo ſemper poteſt illud reuocare.

Cap. Clericis.

Cap. Quia ſæpe.

26. In quo eſt conſiderandum, quôd Papa, quando hoc priuilegium concedit Imperatori, verbi gratia, non ſolûm remittit aliquid de priuilegio, quod fortaſſe ab ipſo Imperatore acceperat, ſeu committit illi aliquam partem iuriſdictionis temporalis directæ, quam ipſe Imperator Eccleſiæ prius donauerat, ſed etiam ex parte aufert priuilegium à Chriſto ipſo conceſſum, & derogat iuri canonico, & in illo diſpenſat per ſuam ſpiritualem poteſtatem. Quia ergo hæc poteſtas ſemper in Pontifice manet integra, (quia per nullum priuileium poteſt ſupremam iuriſdictionem à ſe abdicare, vt cum Aretino, Baldo, & alijs rectè notauit Felinus in cap. *Nouit* de Iudicijs. numer. 8.) ideo ſemper poteſt Papa priuilegium ſuum reuocare, prohibendo ſeculari Principi vſum temporalis poteſtatis circa clericũ, ſeu reducendo ius diuinum, & canonicum ad ſuum integrum ſtatum, ablata diſpenſatione. Imó etiam poteſt iuriſdictionem temporalem directam, quam per ſuum priuilegium Principi ſeculari commiſerat, ab illo auferre, & ad ſe reuocare, ſeu in ſe ſolo retinere. Quia veriſimilius eſt, non illam à ſe abſtuliſſe, ſed quaſi delegaſſe, & cõmiſiſſe depẽdenter ſemper à voluntate ſua, quia nõ amplius neceſſariũ eſt ad finẽ priuilegij, nec ex verbis eius plus colligi poteſt. Hoc autẽ priuilegium, quod minuit immunitatẽ, odioſum eſt, & ideo reſtringẽdũ, vt illo modo intelligatur conceſſũ, quo immunitati minus præiudicet, ideoq; ſemper eſt reuocabile, & per poteſtatem ſpiritualem, per quã Pontifex poteſt clericos eximere, & per ſupremam poteſtatem ciuilem, quam Pontifex nunc habet in perſonas, & bona clericorũ, quàm nunquã à ſe abdicat, etiam ſi talia priuilegia concedat.

Felinus.

Cap. Nouit.

Difficultas autem eſt, an de facto integra ſint aliqua huiuſmodi priuilegia, vel potius omnia, quæcunq; fuerũt cõceſſa, nunc ſint reuocata, ideóq; talis excuſatio, licet de poſsibili iuſta eſſe poſſit, de facto locũ non habet. Ratio dubitandi ſumitur ex Bulla cænæ Domini, (in alijs enim antiquis iuribus, vel Bullis nõ inuenitur generalis reuocatio) nã in clauſula 19. poſt prohibitas actiones contra immunitatẽ addũtur in Bulla Gregorij. xiij. hæc verba: *Etiã prætextu quorũcũq; priuilegiorũ à Sede Apoſtolica ex quibuſuis cauſis, ac ſub quiſcunq; tenoribus, & formis, in genere, vel in ſpecie cõceſſorũ quibuſcũq; Regibus*, &c. *quæ nolumus illis in aliquo ſuffragari, illa õnia ex nũc in irritũ vocando.* Per quæ verba apertè reuocantur priuilegia omnia, & tot particulis additis augetur reuocatio, vt omnia priuilegia, & omnes modos, ſeu ſpecies illorum, omnemque materiam, & omnem formam, & quaſcunque perſonas comprehendere videatur. Et quamuis in poſterioribus Bullis vſque ad nouiſsimã mutata ſint illa verba, nihilominus eundem ſenſum referre videntur, nã poſt prohibitionẽ ſub cenſura additur hæc ſola limitatio: *Sine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia.* Quæ exceptio extẽdit prohibitionẽ ad omnes alios caſus, non obſtantibus quibuſcunque alijs priuilegijs, nam licentia actualis, & particularis in caſu ſpecifico non eſt propriè priuilegium, ſed potius diſpenſatio quædã, quæ à priuilegio differt, vt in libro de Priuilegijs dixi.

27. An aliquã priuilegia contra immunitatem irreuocata ſubſiſtant. Ratio dubitandi.

Nauarr. Vnde Nauarr. in ſum. cap. 27. num. 72. verba vtriuſq; Bullæ referens, ingenuè fatetur, ibi eſſe reuocata omnia priuilegia, dubitat autē, an poſſint excipi priuilegia remuneratiua, vel quæ ſunt immemorali conſuetudine firmata, & ſequitur Salzedo in Scholijs ad practicam criminalem Bernardi Diaz, cap. 55. §. *Apud Gallos*. De qua exceptione ſtatim dicam. Salzedo.

28. Sentētia negans. Nihilominus multi authores non ſolum antiqui, ſed etiam moderni vtuntur hac excuſatione priuilegij ad aliquorū regnorum conſuetudines defendendas. Vt de Hiſpania affirmat Banez. 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2. concl. 6. & Menochius de Retinend. poſſeſſ. remed. 3. n. 354. & de Gallia Aufrerius in Clementin. 1. de Offic. ordinarij, limitat. 13. & Iul. Clar. lib. 5. §. vlt. q. 36. num. 26. & de republica Veneta Gigas in tract. de Crimin. læſæ Maieſt. quoad illud crimen in particulari. Difficile autem eſt ſolidū fundamentum huius ſentētiæ afferre, aut probabili modo explicare illa verba reuocatoria, vt prædictum effectum in omnibus priuilegijs, circa talem materiam non conſequantur. Fortaſſe autem illi authores exiſtimarunt, talia priuilegia eſſe remuneratoria, vel immemoriali cō ſuetudine firmata, quæ etiam Nauarr. excepit. Sed re vera immeritò excipiūtur ab ijs verbis (præſertim vt habentur in Bulla Gregorij. xiij.) priuilegia, quæ ſunt in antiquo vſu etiam immemoriali, quia vt ſuprà dixi, cōſuetudo in hac materia non addit firmitatem priuilegio, cùm in vi conſuetudinis nullum ius inducat, ideòque immemoriale priuilegiū nihil ſpeciale, & proprium habet, ratione cuius ſub generali reuocatione, & appellatione priuilegiorum non comprehendatur. Quod etiam dicitur de priuilegio remuneratorio, non ſatisfacit, tum quia, ſine probatione dicitur, omnia talia priuilegia eſſe remuneratoria, tū etiā quia illa reuocari poſſunt, vt ſuprà dixi, & videntur ſatis comprehenſa ſub illis verbis, *Ex quibuſuis cauſis, ac ſub quibuſcunque formis, ac tenoribus conceſſorum.* Bañez. Menoch. Aufrer. Iul. Clar. Gigas.

29. Sententia auctoris. Quapropter mihi valde probabile eſt, ex vi illorum verborum eſſe reuocata priuilegia quoad cauſas criminales, nam de illis tantùm in illa clauſula ſermo eſt, A ideoque in alijs materijs pertinentibus ad immunitatem clericorum habere poterit locum excuſatio priuilegij, vbi de illo ſatis conſtiterit. In criminalibus autem cauſis, & præſertim in capitalibus (ita enim loquitur expreſſè Gregorius. xiij. in ſua Bulla) videntur, vt dixi, priuilegia reuocata. Quia verò Sixtus. V. & poſteriores Pontifices non ita expreſſè illam reuocationem poſuerunt, & veriſimile eſt, non ſine cauſa illa verba mutaſſe, ideo non audeo damnare vſum talium priuilegiorum, ſed hoc Apoſtolicæ ſedi remitto. B Nam etiam Cardinalis Bellarminus cap. 35. contra Barclaium, cum ille diceret, eſſe in Gallia quædam delicta grauia, quæ priuilegiata dicútur, ipſe reſpōdet, ideo dici priuilegiata, quia priuilegio Sedis Apoſtolicæ indultum eſt Regibus Francorum, vt ea delicta cognoſcere poſſint. Quibus verbis videtur, illam excuſationem non improbare, ſicut illam non improbant Iulius Clarus, & Aufrerius, quos allegat. Bellarm.

Defenſio iuſta.

C Sexta, & vltima excuſatio eſt iuſta defenſio regni, aut innocentum, vel propria, & hæc eſt valde viſitata in Regijs tribunalibus, quia per ſe, & generatim ſpectata habet magnam quandā ſpeciem illius naturalis æquitatis, qua *vim vi repellere licet*. Nam defenſio ex ſuo genere omnibus licita eſt, ſi neceſſaria ſit, & debito modo fiat; vnde etiam contra Papam licitam eſſe Regibus, vel Eccleſiæ in tertio libro notatum eſt cū Caietan. in Opuſc. de Poteſt. Papæ cap. 27. Idemq; in hac materia de Exemptione notat Victoria Relect. 1. de Poteſta. Eccleſiæ. n. 8. ſeu propoſit. 8. D Couarruuias, & multi alij moderni ſcriptores, Hiſpani præſertim, & Galli, ex quibus videri poſſunt Didacus Perez in legem. 5. tit. 1. libri. 2. Ordinamenti, & Didacus Caſtillo in l. 49. Tauri. numer. 3. & Matthæus de Afflict. in deciſionib. Neapolitan. deciſ. 2. 24. 85. & 363. Et ex antiquis Decius in l. *Vim*. ff. de Iuſtit. & iur. num. 25. & Platea in l. *Prohibitum*. C. de iure fiſci lib. 10. Fundamentum autem eſt, quia illud principium, *Vim vi repellere licet*, eſt de primæuo iure natu- 30. Caietan. Victor. Couarr. Didac. Perez. Didac. Caſtillo. Matth. de Afflict. Decius. Platea.

Iſidor. *D. Thom.* naturali, teſte Iſidoro in 5. lib. Etymologiar. cap. 4. & refertur in cap. *Ius naturale.* diſt. 1. & confirmat D. Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. Et ita illo vtuntur iura canonica in cap. *Significaſti.* 2. de Homicid. c. *Si verò.* 1. de Sent. excõm. ergo etiã licet laicis vti illa defenſione contra clericos.

31. In hac autem materia videtur hic vſus maximè neceſſarius, quia niſi hæc defenſio interdum adhibeatur, ſæpiùs innocẽtes grauiſsimè opprimentur à ſuis proximis iudicibus, vel Prælatis Eccleſiaſticis, quia vel omnino non poſſunt, vel non ſine magno diſpendio ad ſuperiores Prælatos recurrere, & præſertim ad Romanam curiam longè diſtantem. Et addit Couarru. ſignum huius neceſsitatis eſſe, quòd ferè omnia catholica regna hac vtuntur defenſione, quòd videant, ſine illa non poſſe innocentes ſuos defẽdere, cùm tamen hoc ad ſuam conſeruationem, & cõſequenter ad officium ſuũ pertineat. Sicut enim vnuſquiſq; homo ius habet vim vi repellendi, non ſolùm quando fit toti corpori, ſed etiam ſi cuilibet membro fiat, ita reſpublica habet poteſtatem ad propulſandam vim cuicunque membro ſuo factam. Reſpublica autem tranſtulit ſuam poteſtatem, & curam in Regem, ideòq; defenſio hæc Regibus ſpecialiter cõmẽdata eſt, teſte Hieronymo Ierem. 22. & Iſidoro lib. 3. Sententiar, ca. 53. & habẽtur in cap. *Regum,* & cap. *Principes.* 23. q. 5. & Auguſtino epiſt. 50. & habetur in cap. *Maximianus.* 23. q. 3. Et idem tradit Concilium Pariſienſe. 1. ſub Ludouico p. 2. cap. 2. & 3. Rex autem per ſua tribunalia Regia, & alios miniſtros, illa poteſtate vtitur. Ergo eſt iuſta hæc excuſatio, quia & actio fit legitima poteſtate, & non eſt contra exemptionem, quia non eſt actus iuriſdictionis, ſeu ſuperioris, ſed defenſoris, à defenſione autem nullus eſt exemptus.

Hieron. *Iſidor.* *Cap. Regum.* *Cap. Principes.* *Auguſt.* *Cap. Maximianus.* *Conc. Pariſi.*

32. Quanuis autem hæc defenſio habeat, vt dixi, hanc ſpeciem naturalis ęquitatis, nihilominus illam applicare ad praxim, & ad excuſanda plurima facta iudicum ſecularium, difficillimum profectò eſt. Vt autem punctum difficultatis explicemus, ſuppono, ſermonem eſſe de defenſione, quæ fit, non titulo, vel poteſtate iuriſdictionis circa aggreſſorem, ſed quæ ſit propria authoritate, viribus, ſeu

A potentia, ſuppoſito iuſto titulo dominij, vel adminiſtrationis eius rei, quæ defenditur, ne per violentiam auferatur. Quia cùm ſecularis iudex non habeat iuriſdictionem in clericum, non poteſt propter defenſionem, vti iuriſdictione in ipſum; ergo ſolùm facto poteſt aduerſus clericũ ſe vel alios defendere. In quo poteſt notari differentia inter Prælatum Eccleſiaſticum, & Magiſtratum ciuilem: nam ſi Magiſtratus inferat vim Prælato, poteſt Prælatus ſe defendere per poteſtatẽ iuriſdictionis ſpiritualis, in qua ſemper eſt

B ſuperior præcipiendo, interdicendo, & excommunicando, imò hic modus defenſionis eſt illi magis proprius, quia per ſe non vtitur gladio materiali, quanuis per laicos poſſit interdum illo iuuari, prọ vt neceſſarium, vel opportunum fuerit. At verò iudex laicus non poteſt ſe defendere à vi per clericum immiſſa, exercendo iuriſdictionem in illum, quia illam non habet, oportet ergo, vt ſit defenſio facti, qualis à priuata perſona fieri poteſt, ſi impetatur, etiam vſque ad occiſionem aggreſſoris, ſi neceſſaria fuerit.

C Deinde vt habeat locum hæc excuſatio neceſſariæ ſunt duæ illæ vulgares cõditiones requiſitæ ad licitum vſum illius principij, *Vim vi repellere licet.* Vna eſt, vt actualis vis ab altera parte inferatur, nam hoc ipſum in primis ſupponitur in illiſmet verbis. Vnde in præſenti oportet, vt vis ſit clara, & manifeſta, quia contentio eſt inter ſubditum, & ſuperiorem, de quo ſubditus cõqueri ſolet, quod ſibi vim inferat, & ideò neceſſe eſt, vt ſit clara, & manifeſta: nam ſi res ſit dubia, ſemper pro ſuperiori præſumẽdũ eſt, ideòq; tunc nulla poteſtas laica vim facere poteſt contra iudicem, vel Prælatum Ec-

33. *Duæ conditiones ad hanc excuſationẽ omnino requiſitæ.*

D cleſiaſticum, vt ſuum ſubditum defendat, quia iniuſtam vim inferret Prælato, priuando illum iure ſuo, quod habet in caſu dubio. Neque ſatis erit, quòd poteſtas ſecularis probabili iudicio, aut ſuſpicione ducatur, niſi certò ſciat, nullã eſſe opinionem contrariam probabilẽ, iuxta quam poſſit Eccleſiaſticus Pręlatus practicè iuſtè præcipere, vel coactionem aliquã ſubdito inferre, quia ſi ita procedat re vera, practicè nullã vim facit: nam ſpeculatiuè tantũ res eſt dubia. Altera cõditio eſt, vt defẽſio ſit moderatæ tutelæ, vt iura,

iura,& omnes Doctores declarant,vt alibi latiùs declaraui. Ad hāc ergo cōditionē ſpectat, vt defenſio per poteſtatē laicam neceſſaria ſit: nam ſi is,qui conqueritur de ſuo Prælato, vel de alia perſona Eccleſiaſtica coram poteſtate laica, poſſit ſine graui incommodo, vel periculo æqualis, vel maioris nocumenti, à ſuperiori Prælato Eccleſiaſtico defenſionem poſtulare, profectò non inculpatè ſe defendit à clerico per laicum,nec laicus ipſe iuſtè ſe intromittit, neque inculpatè vtitur poteſtate ſua defenſiua, quia ſine ratione, aut iuſto titulo ius alterius, & munus vſurpat. Et ita canones non permittunt, poſtulare auxilium ſecularis poteſtatis contra inſolentias clericorum, niſi vbi per ſuperiores Prælatos remedium adhiberi non poteſt, vel ab eis negligitur. Vt apertè docet Gelaſius Papa in cap. *Quo auſu,* & Concilium Antioch. in cap. *Siquis Epiſcopus*.23.q.3.& Concilium Toletan.9. in capite *Filijs*. 16. q.7. Suppoſita autem neceſſitate, etiam pertinet ad hanc cōditionē,vt actiones ipſæ, quibus fit defenſio,nō excedant modum debitum,ac prudenti arbitrio moderatū.

To 5. diſp. 46.ſect.1. — *Gelaſi. Papa. Concil. Antiochen. Concil. Toletan. 9.*

34. Ex his ergo principijs oritur,vt dicebā, non parua difficultas in applicatione iuſta iſtius excuſationis ad caſus in hac materia occurrētes. Primò quidem quia hæc poteſtas,quam vſurpant laici in Eccleſiaſticas perſonas,vel cauſas,ferè ſemper eſt per vſum iuriſdictionis, quia exerçendo illius actiones, dicunt, eum defendere,qui vim patitur. Nam frequentiùs fit hęc defenſio deferendo cauſas clericorum, vel Eccleſiaſticas ad tribunalia Regia,vt ibi examinetur,& iudicetur,an iudex Eccleſiaſticus vim inferat,nec ne. Hoc autem faciunt iudices ſeculares cauſam ad ſe aduocando, & acta cauſæ cum proceſſu in Eccleſiaſtico tribunali formato ad ſe afferri præcipiendo,& poſteà cauſam iuridicè examinando,ac tandem ſententiam de appellatione iniuſtè negata, vel cenſura male impoſita, vel alia vi ſimili iniuſtè illata,proferendo; hi autem omnes ſūt actus iuriſdictionis. Reſpondent authores, qui hunc morem defendunt, tunc iudicem ſecularem non iudicialiter, ſed extraiudicialiter procedere. Sed videntur profectò verbis illudere. Quid enim eſt iudicialiter procedere, niſi aduocata cauſa, illam publicè examinare,& ſententiam in illa cum authoritate ferre? hæc autem facit iudex ſecularis in illo articulo, in quo defenſionem præbere dicit. Reſpondent alij, non eſſe inconueniens,quòd iuriſdictione vtatur in ſolo articulo, quem iudicādum aſſumit, dummodò de principali cauſa, quæ eſt fundamentum controuerſiæ non iudicet. Sed hoc etiam nihil ad excuſationem confert, ſatis eſt enim, quòd ille etiam articulus ad materiam Eccleſiaſticam pertineat,& quòd Eccleſiaſtica perſona ad iudicium ſeculare tanquam rea in eodem articulo deferatur. Ergo in omnibus huiuſmodi caſibus nō ſeruatur prima conditio ad defenſionem neceſſaria.

Hanc defenſionem ſemper ferè per vſum iuriſdictionis à laicis exerceri. — *Cuidā euaſioni obuiatur.* — *Refellitur alia euaſio.*

Vnde etiam deficit alia,quia non pręcedit certa,& manifeſta violentia.Et inde fit,vt ſine ſufficienti cauſa, vel occaſione ſub nomine defenſionis vſurpentur actiones, quæ re vera non pertinent ad defenſionem facti, vt ſic dicam,ſed ad defenſionē iuridicam,quam poteſt præſtare iudex legitimus ſua iuriſdictione vtendo. Vnde vlteriùs efficitur, vt illa non poſſit dici defenſio moderatæ tutelæ, neque poſſit fundari in ſolo illo principio naturali *vim vi repellere licet*, tum quia non fit per actionem licitam, ſed per vſurpatam iuriſdictionem,vt oſtenſum eſt, tum etiam quia fit antequam cōſtet certò vim inferri innocenti. Quod ex ipſo facto manifeſtum eſt, quia ad hoc ipſum ſuam operam adhibet, & ſe interponit iudex ſecularis, vt iuridicè examinet, an fiat vis, nec ne; ergo non ſupponit certam, & euidentem violentiam; ergo non ſupponitur talis ſtatus cauſæ,ſeu iniuriæ,in quo poſſit iuſtè per ſolam defenſionem facti vis vi repelli. Quæ ratio locum habet, quotieſcunque iuridicè cognoſcendum eſt de iuſtitia, vel iniuſtitia alicuius facti Eccleſiaſtici iudicis,vel cuiuſcunque clerici. Et declaratur à contrario,nam ſi laicus de ſuo iudice ſeculari conqueratur, quòd illi inferat vim, negando appellationem, vel quid ſimile, non patienter feret iudex ſecularis,vt Eccleſiaſticus ſe intromittat, & authoritatem ſuam interponat, acta cauſæ poſtulando ſub præcepto, vel cenſura ad examinandum, & iudicandū, an iu- 35

iudex ſecularis vim faciat, nec ne. Neq; ſeculares iudices illã vocabunt defenſionẽ in iudice Eccleſiaſtico, ſed ſuę iuriſdictionis vſurpationẽ; ergo eodẽ iure ipſi iudices ſeculares reſpectu Eccleſiaſticorũ cenſeri debent, vel certè maiori. Quia maiorẽ poteſtatẽ habet Eccleſiaſticus iudex ſuprà laicũ, quàm è contrario, vt ſæpe dictũ eſt, quia Prælatus Eccleſiaſticus poteſt iudicare de peccatis omniũ ſuarũ ouiũ iuxta cap. *Nouit*, de Iudicijs, & cap. *Ex tenore*, de Foro compt. & cap. *Siquis de Potentibus*. 24. q. 3. Et ſimiliter munus defendendi innocẽtes magis incũbit Prælatis Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus Magiſtratibus, vt notauit Gloſſa in cap. *Regum*, 23. q. 5. & ſumi poteſt ex multis decretis. 87. diſt.

C. Nouit. Cap. Ex tenore. Ca. Siquis de Potentibus. Gloſſa.

38. Defenſionẽ ſpiritualis poteſtatis vſurpationẽ includentem admittendã nõ eſſe.

Quapropter difficile videtur hũc modũ defenſionis admittere, aut approbare tanquã iuſtũ ex vi ſolius legis naturalis, qua vim vi repellere licet, quoties nõ ſupponitur euidẽs, & manifeſta violẽtia ſolo facto impedienda, nõ iure examinanda, aut vindicanda. Hęc enim duo in hac materia diſcernenda maximè ſunt, ne iuriſdictio pro defenſione vſurpetur. Poterũtq; facilè illa duo hoc exẽplo diſtingui: nam Rex Galliæ ſi videat manifeſtã vim, & iniuriam inferri innocẽti à ſubdito alterius Regis, v.g. Angliæ, qui ad innocentẽ ſubditũ ſuum occidendũ aggreditur, poteſt illi facto reſiſtere, & innocentem defendere, vim vi repellendo. Si tamen vis nõ ſit manifeſta, & euidens, neq; per actionẽ exteriùs violentã inferatur, ſed in iudicio ſibi fieri ſubditꝰ alterius Regis cõqueratur, opuſq; ſit iudiciario examina ad cognoſcendum de violentia, nõ poterit profectò Rex Galliæ ſub ſpecie defenſionis, & ex vi illius principij, *vim vi repellere licet*, acta cauſę poſtulare, vt de querela cognoſcere, & iudicare valeat, vt eſt per ſe manifeſtũ, tum ex vſu, & cõmuni iure gentiũ, tum etiã quia ſi contrarium permitteretur, plurimarũ perturbationũ, & diſſenſionum ſeminariũ eſſet. Ergo ſignum eſt, hãc poſteriorẽ nõ eſſe defenſionẽ, nec ex vi naturalis iuris ei licere, qui iuriſdictionem non habet.

37. An prædicta defenſio per ius canonicum liceat.

Hinc ergo non nulli authores videntes fortaſſe, illam non eſſe legitimam excuſationem pro omnibus ſimilibus cauſis, vel actionibus, addiderunt, excuſari

A iudices ſeculares ſimilia facientes, quia hoc eſt illis iure canonico conceſſũ, ideoque non ſine debita iuriſdictione procedere. Vnde in Bulla cœnę cum damnantur iudices ſimiles actus exercentes, additur: *Niſi in caſibus iure conceſsis*. Ita ſentit Couar. in Pract. c. 35. n. 4. §. *Cæterũ in hac Regia*, vbi alios authores refert. Idẽ Nauarr. in cap. *Cum contingat*, de Reſcrip. remed. 1. §.: *Secũdo infertur*, Rebuff. in cõmentarijs ad Conſtitutio. Gallic. tom. 3. tit. de Appellationib. tanquam ab abuſu. nu. 14. & in Concordat. tit. vlt. de Protectione concordator. Azebedo in lib. 1. B Nouę recopilat. legum Hiſpaniæ tit. 6. l. 2. Quod autem ius canonicum hanc poteſtatẽ Principibus ſecularibus, vel eorum Magiſtratibus tribuerit, colligunt dicti authores ex cap. *Filijs, & nepotibus* 16. quæſt. 7. quia in eo dicitur, *Si Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differat*. Et ſimili modo allegant cap. *Principes*, & cap. *Regum*, cap. *Adminiſtratores*. 23. quęſt. 5. & cap. *Chriſtianis*, & cap. *Petimus*. 11. quęſt. 1. Item cap. *Quidam Monachi*, & cap. *Probinum*. 16. quęſt. 1. & cap. *Non licuit*, diſt. 17. & cap. C *Maximinianus* 23. quęſt. 3. & cap. *Boni Principis*. 96. diſt.

Prima opinio.

Couarr. Nauarr. Rebuff.

Azebedo.

28. Prædicta ſententia in iure canonico fũdamẽtum nõ habet.

Circa hãc autem ſententiam duo mihi dicenda videntur, vnum eſt, ſententiã illam nullũ in iure canonico habere fundamentum. Nam illa omnia, quę afferũtur, ſunt antiqui iuris, & ideo licèt aliquid ſimile in eis eſſet conceſſum, per nouiora iura Decretalium, & Bullarum Pontificum eſſet reuocatum. Sic enim ad cap. *Filijs, & nepotibus*, Reſpondet Panormitan. in cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, vbi etiam Gloſſa idem ſentit, & idem habet Stephanus Aufrerius in Tract. de D Poteſt. ſeculariũ in Eccleſiaſtic. & Azor tom. 1. lib. 5. cap. 14. quęſt. 2. in fine. Nõ exiſtimo tamen neceſſarium, ad reuocationem antiquorum canonum recurrere, quia in nullo eorum, quę allegantur, ſermo eſt de poteſtate iuriſdictionis in res, vel perſonas Eccleſiaſticas, quę laicis tribuatur. Et præſertim in cap. *Filijs*, ſolũ dicitur, vt patronus Eccleſiæ, ſi viderit, bona Eccleſię ab inferioribus clericis defraudari, moneat Epiſcopũ: ſi ab ipſo Epiſcopo, moneat Metropolitanum; ſi à Metropolitano, *Regijs auribus intimare non diffe-*

Panormit. Gloſſa. Aufrerius. Azor.

Satisfit iuribus in oppoſitum adductis.

diſſerat, quod non oportet intelligi, vt Rex iuriſdictione vtatur in Metropolitanum, ſed vt authoritate ſua illum moneat, vel ſi non ſatis ſit, implorato Pōtifice, illius authoritate illum cohibeat, interim verò facto, & potentia impediat, ne Eccleſia in bonis ſuis iniuriam aliquam, vel damnū patiatur. Qui ſenſus & eſt cōformis intentioni Concilij Toletani. 9. cuius eſt illud caput, vt indicánt illa verba, *Aut commonitionis honeſta conuentione cōpeſcant*, quæ licèt de ipſis Patronis dicta ſint, nihilominus Regi accōmodari poſſunt, quatenus indicant, mentem Cōcilij fuiſſe, vt vnaquæq; perſona ibi nominata iuxta modū ſtatui, & cōditioni ſuæ accōmodatū, remedium adhibeat. Nam ſi Concilium voluiſſet nouam iuriſdictionem Regi in Metropolitanum tribuere, profecto clarioribus verbis id facere debuiſſet. Itē aliâs potuiſſet tunc Rex Metropolitanum in ius vocare, in carcerem mittere, & punire, quod eſt incredibile. Imò cenſeo ſolius Concilij prouincialis authoritate ſine approbatione Pontificis fieri non potuiſſe. Denique, cū Conciliū aliud non declarauerit, ſecundum regulas iuris loquutum fuiſſe intelligendum eſt, regula autem iuris etiam antiquioris illo Concilio eſt, vt qui iudicium ab Imperato repetierit, *Honore proprio priuetur: ſi autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.* Ex Concilio Mileuitano cap. 19. cap. *Placuit.* 11. quęſtio. prima. Atque hic etiam ſenſus non diſplicuit Panormitano, & inſinuatur etiam in marginali nota quæ in C. Gregoriano habetur, & ex Archidiacono ſumpta eſt.

39. Et iuxta hunc ſenſum faciliimè, & omnino verè intelliguntur reliqua iura allegata, in nullo enim illorū eſt ſermo de iuriſdictione, nec de actu, qui illā requirat, ſed de defenſione, tuitione, aut auxilio, quod & Principes ſeculares Eccleſię debent, & Eccleſiaſtici Prælati ab illis poſſunt exigere. Sic Iſidorus in dicto c. *Principes*, dixit, ipſos rationem eſſe reddituros Deo propter Eccleſiam, quam à Chriſto *tuendam* ſuſcipiūt, Hieronymus verò in dict. cap. *Regum*, duo de Regibus dicit, ſcilicet, officiū eorū eſſe facere iudicium, & iuſtitiā: & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & miſeris, qui faciliùs opprimuntur à potentibus,

Iſidor.

Hierony.

A præbere auxilium, vbi nihil in ſpeciali dicit de clericis. Vnde prior pars in ſuo foro, & reſpectu ſubditorum intelligenda eſt, ſub poſteriori verò poſſunt clerici in legitimo ſenſu cōprehendi. Ioannes autem Papa in dicto ca. *Adminiſtratores*, ſolū monet Magiſtratus ſeculares, vt Prælatis Eccleſiaſticis eos monētibus, vt ad Eccleſiarum *tuitionem*, pupillorum, ac viduarum *protectionem*, rapaciumq; refrænationem inuigilent, obediant, Gelaſius autē Papa in cap. *Chriſtianis*, potiùs dicit, *cœleſtem militem*; id eſt, clericum, *nō*
B *niſi forum ſuū debere ſectari*, occaſione quorundam clericorū, qui per Regiam poteſtatem opprimebantur, vt in ſeruitutem redigerentur. Et ideo ſtatim in capite ſequenti duabus Eccleſiaſticis perſonis cauſam delegat, commendat tamen cuidam Comiti, *vt ſi ad delegatorum iudicium eorum aduerſarij venire contempſerint ſublimitatis eius tuitione vallentur, nequid illis aut ſubreptio, aut inimica legis violentia neceſſitatis imponat.* Vbi imploratur brachium ſeculare ad reſiſtendum alteri laico, non ad iudicandum clericum.

Et hoc ipſū cōfirmat Cōcil. Carthag. 3. in d. cap. *Petimus*, & extendit ad petē- 40. Concilium Carthagi.
C dū auxiliū à brachio ſeculari, ad reſiſtendum Prælato intruſo, & tyranno, quod his verbis moderatur, & declarat, *ſeruata forma diſciplinæ non æſtimabitur appetitus, ſi à veſtra charitate modeſte cōuentus recedere detractauerit, cū fuerit, ſua cōtumacia faciente, etiā authoritate iudiciaria*, id eſt ſeculari, *cōuentus.* Similiter Cōcil. Chalcedonenſe in dicto cap. *Quidam monachi*, dicit, monachos eſſe cogendos per brachium ſeculare (vtique imploratū ab Eccleſiaſtico) vt è curia exeant. Idemq; facit Gelaſius Papa in dict. cap. *Probinum*, & in di-
D cto cap. *Non licuit*; Similiterq; Auguſt. in dict. cap. *Maximianus*, ſolùm dicit, eſſe laudabile in Epiſcopo petere ab Imperatore auxilium contra hoſtes Eccleſiæ. Denique Marcellus Papa in dicto cap. *Boni Principis*, quod ad rem pertineat, ſolū dicit, *Boni Principis eſſe, ſacerdotes Dei honorare, atq; tueri*, tueri autē nō eſt iudicare, & multò minus eſt honorare, quin potiùs contra honorem ſacerdotum eſt, quod à laicis iudicentur. Eſt ergo euidēs in illis iuribus, nihil iuriſdictionis in Eccleſiaſticos laicis tribui.

Vnde

41. Ius canonicu dictū de ſi[illegible] modi non approbare.
Vnde vlterius concludo, veriſimilem non eſſe ſuprà dictam excuſationē, nimirum, hæc fieri à laicis licentia, ſeu iuriſdictione eis iure communi conceſſa. Probatur, quia iura antiqua illam non concedunt, vt probaui, nulla enim alia referuntur; iura autem nouiora non ſolum non concedunt, ſed omnino prohibent, vt cap. *Qualiter, & quando*, de Iudicijs, cum ſimilibus, maximè verò hoc conuincunt verba Concilij Lateranen. ſub Leon. X. ſeſſ. 9. in reformatione curiæ; *Cum à iure tam diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes conſtitutiones*, &c. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. *nefas* dicit *eſſe cuilibet Magiſtratui ſeculari, prohibere Eccleſiaſtico iudici, nequem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet*, &c. Et rationem hanc reddit: *Cùm non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat*. Huiuſmodi autem ſunt omnes actiones, de quibus tractamus, adquas ſeculares iudices iuriſdictionem nō habere, Concilium apertè tradit.

Cap. *Qualiter, & quando.* Conc. Lat. Cōc. Trid.

42. Denique eſt manifeſta ratio, quia iudices ſeculares etiā in materijs ſpiritualibus hanc vim (vt ipſi loquuntur) per eaſdem actiones auferre volunt, in illis autem materijs neceſſaria eſt iuriſdictio ſpiritualis, quæ nullo iure diuino, aut naturali competit laicis, & iure canonico ſemper à principio fuit denegata laicis talis iuriſdictio, vt ſuprâ probatum eſt, & conſtat ex decretis diſtin. 96. Et quanuis Papa de abſoluta poteſtate eam poſſit illis delegare, ordinariè id non facit; ergo non eſt veriſimile, iure cōmuni eſſe datam ſecularibus totam iuriſdictionem Eccleſiaſticā, quæ ad honeſtandas omnes illas actiones, quas ipſi vſurpant, neceſſaria eſt. Imô inde etiam concluditur, nullam omnino communicari, tumquia eadem eſt ratio totius, & ſingularum partium, tum etiam quia ſiquis rectè conſideret, ſemper cauſa, quam iſti iudices ad ſe aduocant, & de qua volunt cognoſcere, Eccleſiaſtica eſt, nimirum, ſententia à iudice Eccleſiaſtico lata, vel aliquid ſimile.

43. Aliorū euaſio.
Quapropter alij authores ſentientes cum præcedētibus, neceſſariam eſſe iuriſdictionem ab Eccleſiaſtico Prælato

A manantem, vt tales actiones iuſtè fiant, ad priuilegium Apoſtolicum recurrūt, affirmantq; in regnis catholicis, in quibus hæ actiones in praxi tolerantur, eſſe priuilegium à Pontificibus conceſſū ob cauſas iuſtas, præſertim ad reprimēdos Vicarios Epiſcoporum ab inſolentijs (vt ait Bañez ſtatim citandus) & vt pauperes, & minus potentes, qui ſæpius hanc vim patiuntur, facilius, vel ſine magno diſpēdio remedium aliquod habere poſſint. Atque ita de regno Galliæ teſtatur Menochius de Retinend. poſſeſſ. remed. 3. num. 354. & indicat ſæpe Rebuff. in locis allegatis, & de Hiſpania idem affirmat Dominicus Bañez. 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2. concluſ. 6. Et in hoc regno, ſcimus, fieri multa ſimilia, & prætextu ſimilis priuilegij defendi, vel ratione cuiuſdam concordiæ per Pontificem approbatæ, vel conceſſæ, donec per ſedem Apoſtolicā aliud ordinetur, quod perinde eſt. Et re vera ego etiam aliam viam non inuenio, qua poſſint ſimiles actiones à violatione exemptionis excuſari. Quia verò pendet hæc excuſatio ex facto, id eſt, an talia priuilegia ſint re vera his regnis, vel eorum Principibus conceſſa, & an in ſua vi perſeuerent, fuerint vè perpetua, de quibus circunſtantijs mihi non conſtat, ideò neque approbare poſſum, nec reprobare huiusmodi facta, ſed illud Apoſtolicæ ſedi remitto. Solumque aſſero, vt Principes, vel Magiſtratus ciuiles tuta conſcientia poſſint hoc genus iuriſdictionis exercere, neceſſariū eſſe, vt de priuilegio, quod eſt illius fundamentum, ſufficientem, ſatiſque probabilem notitiam habeant, & quod à Pontificibus reuocatum non ſit, hac autem notitia ſuppoſita, cætera quæ ad hanc materiam ſpectant, ſufficienter ex principijs poſitis definiri poſſe exiſtimo.

Menoch. Rebuff. Bañez.

B C D

Superioris libri ſumma.

QVanuis in hoc opere fidei catholicæ cauſam, & defenſionē potius, quam mores inſtruendi munus aſsūpſerim, nihilominus in hoc quarto libro vtrunque officium pro viribus explere

explere neceſſarium duxi. Tum vt labor noſter catholicis, quibus maximè debitores ſumus, vſui magis eſſe poſſet; tum etiam vt non ſolum hæreticorum errores refellendo, argumentaque ſoluendo, ſed etiam morum honeſtatem, & æquitatem, quæ in vtriuſque fori Eccleſiaſtici, & ciuilis diſtinctione, ac ſeparatione cernitur, explicando, pleniùs Regi Angliæ, eiusq; Proteſtantibus, alijsque libertatis Eccleſiaſticæ inimicis, quantũ in nobis eſt, ſatis faceremus. Cùm ergo in tractatu de Clericorum exemptione, ſeu Eccleſiaſtica immunitate duas controuerſias eſſe conſpicerē, ad fidem vnã, alteram ad mores ſpectantem, ita vtrãq; pertractare curaui, vt & illius, quæ in nobis eſt, fidelis doctrinæ rationem redderem, & quomodo in vſu, & praxi ſeruanda ſit, docerem. Quam ob cauſam priùs exemptionem ipſam ex fidei principijs, ac fundamentis, hoc eſt, ex verbo Dei ſcripto, & non ſcripto, ſed antiqua Patrum, & Eccleſiæ traditione firmato, ſtabilire ſtudui. Deinde immunitatem hanc Eccleſiaſticam non ſolùm iure Põtificio, ac Cæſareo introductam eſſe, verum etiam ipſi diuino iuri, tam veteri, quàm nouo; imò etiam naturali valde cõſentaneam eſſe demonſtraui. Quia reuera neque in diuino cultu reuerentia debita, ac decentia, neque in Eccleſiaſticis moribus honeſtas, neque in Eccleſiaſtica Hierarchia decor, ordo, & pulchritudo ſine hoc immunitatis iure, ac priuilegio ſubſiſtere poſſet. Quod vt euidentius conſtaret, rationem, & modum, quo vſu, & moribus talis exemptio ſeruanda eſt, luculentiùs declaraui.

Quæ omnia, ſi Rex ſereniſsimus Angliæ, attentè, ac ſyncerè, depoſitoq; nimio dominandi, ac imperandi affectu, conſiderare voluerit, futurum ſpero, vt non tam grauatè ferat, quàm in ſua Præfatione ſignificat, tantam hominum, & fundorum partem Regum poteſtati, & iuriſdictioni ſubductam eſſe: quia neque Maieſtas Regia inde obſcuratur, ſed illuſtrior fit, nec minuitur potentia, ſed augetur. Nihil enim Chriſtianum, & catholicum Regem ita illuſtrat, clarumq; ac celebrem reddit, ſicut integra in Deũ pietas, & religionis cultus: nam (vt optimè dixit Cyrillus) ad Theodoſium ſcri- Lib. de Recta fid. ad Theodoſ.

A bens, *Glorioſa in Deum pietas Regijs honoribus immobile fundamentum eſt*, vnde ſubiungit, *Principes pietatis cultores ſine labore vincere, & aduerſarijs præualere.* Lib. 13. Hiſtor. cap. 1.
Ideoq; (vt Nizephor. refert) idẽ Theodoſius nihil aliud filijs Arcadio, & Honorio moriens mandauit, quàm vt verã pietatem integran ſeruarent, per quã & pacem habituros, & victoriã à Deo conſequuturos eſſe ſperabat. Filij autem Parenti fidem, & obedientiam exhibentes (eodem Nicephoro teſte) *Quæcunq; deceſſores eorũ pij Imperatores pro Eccleſijs ſta-*
B *tuerant, & ipſi confirmarunt, eaque firmiter ſeruarunt, aliaque inſuper Deo grata addiderunt.* Intelligebant quippe religioſi Principes, prærogatiuas, & immunitates rebus diuinis conceſſas, non hominibus datas eſſe, ſed Deo, à quo regnorum omnium felicitas, & conſeruatio pendet, ac proinde, *tunc Chriſti dextera imperium defendi, quando Eccleſiæ ſtatus incõcuſſus ſeruatur*, vt Leo Papa dixit. Ex quo intulit Epiſt. 25. D. Thom.
D. Thomas lib 2. de Regim. Princip. ſub finem, Regem, & Principem toto conatu, & ſollicitudine diuino cultui teneri incumbere: non ſolum quia homo, ſed etiam quia Dominus, & Rex eſt, & Dei
C vices gerit, à quo maximè pendet. Vnde ſubdit inferiùs. *Omnes Reges, qui ad diuinã reuerentitiã fuerunt ſoliciti, feliciter ſuũ curſum conſummaſſe: qui verò è cõtra infelicẽ conſequutos exitũ fuiſſe.* Abſit igitur à Chriſtiano Rege, vt Eccleſiaſticã libertatẽ propter diuinũ cultũ introductam, & tã diuina, quã humana lege ſancitã, & diuturna Eccleſiæ catholicæ cõſuetudine ſtabilitã, & antiquorũ Patrum, poſteriorumq; fideliũ ſcriptorũ authoritate probatam, paucorum Nouantium ſuaſu, vel ſtudio, ac deſiderio temporalem dominationem amplificandi, euertere
D moliatur. Id enim non gloriã, ſed ignominiam ei afferet, & terrenum regnum non augebit, ſed auferet ſempiternum. Quod ne Iacobo Regi contingat, toto corde optamus, & obnixè petimus ab illo, in cuius manu cor Regis eſt, & in ſaniorem partem illud vertere poteſt, & veritatis radijs ita illuſtrare, vt amplius ab ipſo non auertatur.

* *Finis Libri Quarti.* *

LIBER

LIBER V.

DE ANTICHRISTO, CVIVS NOMEN, ET PERSONAM PER CALVMNIAM, ET INIVRIAM falſo Proteſtantes Pontifici attribuunt.

QVONIAM doctiſsimi noſtri temporis, catholiciq; ſcriptores (vt interim antiquiores omittã) totam de Antichriſto materiã accuratè diſputarunt, eandemq; nos iam alibi pro noſtra tenuitate proſequuti ſumus, liber hic parum neceſſarius alicui videri poteſt, præſertim quia ſuperioribus non ita connectitur, vt propter doctrinæ conſequutionem poſtulari videatur. Verumtamen Rex Angliæ, cui initio huius operis reſpõdere propoſuimus, nos vel inuitos laborem hunc iterũ ſubire compellit. Ille enim in ſua Præfatione poſt ſuæ fidei profeſsionem, ad diſputationem de Antichriſto repente digreditur, & peculiarem eorum, quæ pro ſua opinione protulit, reſponſionem poſtulat, dicens: *Id mihi maximè in votis eſt, vt ſi cui hanc meam de Antichriſto coniecturam libebit refellere, ſingulis diſputationis meæ partibus ordine reſpondeat*: ideoq; neceſſarium ducimus, & cum illo digredi, & ſingulis eius coniecturis peculiare tribuere reſponſum. Neque enim illud prætermittendum cenſuimus, eo quod Rex ſolis cõiecturis ſe niti fateatur: quia
A in re adeo abſurda, & planè incredibili, & Eccleſiæ Catholicæ nimis odioſa, & pernicioſa, nec coniecturę permittendæ ſũt ſed penitus extirpandæ. Quam ob cauſã iterum de Antichriſto diſputationẽ texere, imò etiam ſi neceſſe ſit eadem iterum repetere non ſum veritus, dũmodo quãtum in me eſt, omnibus tam ſapientibus, quam inſipientibus ſatisfaciam, vtriſque enim (teſte Apoſtolo) debitores ſumus.
Ne tamen lectori moleſti ſimus, nõ omnia, *Rom. 1.*
quæ de Antichriſto tractari ſolent, ſed ea ſolum, quę cauſę, & peculiari reſponſioni, quam Rex poſtulat, inſeruire queant, attingemus. Et ſingula membra,
B quę Rex diſtinguit, ſingulatim etiam expendemus, non tamen eodem ordine, ſed ea ſemper pręmittemus, quæ vel euidentiora ſunt, & in Scripturis clariora, vel quorum cognitio ad ea, quæ minus nota ſunt, vel à prioribus pendent, aliquid cõferre poſſe cenſebimus.

CAPVT I.

De Antichriſti nomine, eiuſque varia ſignificatione

PRius quam de re ipſa dicamus, vi- 1.
ſum eſt de nomine Antichriſti pauca pręmittere, vt omnes Proteſtãtium

Nominis etymon. tium tegnas, vel potius in Chriſti Vicarium contumelias detegamus. Nomen igitur *Antichriſtus*, græcũ eſſe, ſeu à Græcis deſumptũ nemo eſt, qui neſciat. Cõponitur autem ab ἀντι, & Χριστος, Anti, & Chriſtus. In qua compoſitione certũ eſt, Chriſti nomen, vt eſt proprium Ieſu Saluatoris noſtri, vſurpari. Quamuis enim hoc nomen, vt ab vnctione deriuatum generalius ſit, & quoſcumque homines per ſacram aliquam Vnctionẽ in dignitate aſſumptos ſignificare ſoleat, iuxta illud: *Nolite tangere Chriſtos meos*, Pſal. 104. nihilominus Meſsiam, ſeu Chriſtũ Dominum, præſertim poſt eius aduentũ per antonomaſiam ſignificat, ſicut etiam in lege veteri fuerat præſignificatum, vt Ioãnes cap. 4. indicauit: *Scio quia Meſsias veniet, qui dicitur Chriſtus*, & expoſuit Aug. tract. 15. & 33. in Ioan. & optime Cyrill. catecheſ. 4. myſtag. Euſeb. lib. 1. Hiſtor. cap. 3. & lib. 4. de Demonſtrat. cap. 10. & Lactan. lib. 4. c. 7. & alij, quos late retuli in tom. 1. 3. partis diſput. 18. Sect. 2.

Pſal. 104. — *Ioan. 4.* — *D. Aug.* *Cyril.* *Euſeb.* *Lactant.*

2. Falſa hæreticorum de hoc nomine etymologia.

Particulam verò *Anti* contendunt hæretici, non oppoſitionem, ſed vicem, ſeu loco alterius ſubrogationem in illa compoſitione ſignificare, & ita Antichriſtũ eum eſſe, qui ſe Chriſti vicariũ appellat. Sed ducuntur profecto ſpiritu decipiendi ſimplices, ſaltem per nominis ineptam accommodationem. Et ideo omiſſa quæſtione de illa duplici ſignificatione dictionis *Anti* ſecundum ſe, & generali vſu Græcorum ſpectatæ, à nobis ſolum conſideranda eſt, prout in illius nominis compoſitionem ſecundum Scripturæ, Eccleſiæ, & Patrum vſum aſſumpta eſt. Sic ergo certum eſt, cõtrarietatem, & oppoſitionem ſignificare, nomenq; *Antichriſti*, inſignem Chriſti hoſtem deſignare. Sumpſit enim Eccleſia vocem hanc ex Scriptura, in qua nullum aliũ habet ſignificatum. Nullibi enim reperitur hæc ipſa vox in Scriptura niſi in epiſt. 1. & 2. Ioannis, ibi autem aperte ſignificat hoſtem Chriſti. Nam cum cap. 2. dixiſſet, *Audiſtis, quia Antichriſtus venit*, ſubdit inferius: *Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quia Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium.* Ex quibus verbis euidenter conſtat, Antichriſtum opponi Chriſto, negãdo Ieſum eſſe

Antichriſtus ſignificat Chriſti aduerſariũ. Probatur ex Scriptura.

1. Ioan. 2.

A Chriſtum, illum vtique ſingulariter promiſſum, ex duplici natura in vna perſona diuina compoſitum, & ipſamet diuinitate, & Spiritu Sancto ſingulariter vnctũ, ac proinde per antonomaſiam Chriſtum. Vnde cap. 4. repetit: *Omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus. Soluere autem Ieſum*, nihil aliud eſt, quam negare, Ieſum eſſe diuinitate vnctum per ſingularem vtique vnionem humanitatis ad Verbum: & hæc eſt ſumma ad Chriſtum oppoſitio, vt idem Apoſtolus iterum epiſt. 2. explicauit, dicens: *Multi ſeductores exierunt in mũdum, qui non confitentur, Ieſum Chriſtum veniſſe in carne, hic eſt ſeductor, & Antichriſtus.* B In Scriptura ergo nõ habet nomen iſtud alium vſum. In alijs verò Scripturæ locis, in quibus non nominatur, ſed deſcribitur Antichriſtus, ſummus aduerſarius Chriſti depingitur. Nam Daniel. 9. & Matth. 24. per *abominationem deſolationis*, Antichriſtum prædici creditur, & de illo dicitur, ſedem, & nomen Chriſti vſurpaturum, maximamque perſecutionẽ contra Chriſtum in Eccleſia ſua eſſe excitaturum. Et de eodem intelliguntur verba C Chriſti Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illũ accipietis.* De eodem etiã loquitur Paul. 2. ad Theſſal. 2. vbi his nominibus illum onerat: *Homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Et tandẽ vt oſtendat Paulus ſummam oppoſitionem Antichriſti cum Chriſto, adiungit. *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui*, Apud Danielem item, & in D Apocalypſi deſcribitur Antichriſtus tãquam inſignis Chriſti aduerſarius, vt infra videbimus.

Dan. 9. *Matt. 24.* — Ioan. 5. — 2. Theſſal. 2.

Atque in hunc modum de Antichriſto, & nomine eius ſenſerunt Sancti Patres exponentes hæc loca, Chryſoſt. Homil. 4. in Ioan. Cyrill. lib. 3. in Ioan. cap. 6. & ibi Theophyl. Euth. & Beda, & late Irenæ. lib. 5. contr. hæreſ. cap. 25. Ambr. in Pſal. 43. Et lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 14. Nazianz. oratio. 47. quæ inſcribitur *Significatio, in Ezech.* & in Iambico inſcripto *Definitionis minus exactæ*, in fine, Ruffin.

3. Probatur ex Patribus. *Chryſoſt.* *Cyril.* *Theophyl.* *Euthym.* *Beda.* *Irenæ.* *Ambroſ.* *Nazianz.*

Ruffin. Ruffin.in expoſit.Symbol.Hilar.lib.de
Hilar. Vnit.Pat. & Fil. ſatis à principio, ſi eius
eſt opus.Melius,& certius lib.contr.Au
xent.in principio : *Nominis Antichriſti*
D.Hiero. *proprietas* (inquit) *eſt, Chriſto eſſe contra-*
rium. Et Hieronym.epiſt.151.ad Algaſ.
q.11. *Ipſe eſt enim vniuerſorum perditio, qui*
aduerſatur Chriſto, & ideo vocatur Antichri
ſtus. Et hac ratione lib.2.contr.Iouinian.
in princip. *Quomodo dies, & nox miſceri*
non poſſunt, ita nec iuſtitia, & iniquitas, pec-
catum, & bona opera, Chriſtus, & Antichri-
D. Aug. *ſtus.* Auguſt.tract.3.in epiſt.1.Ioan. *La-*
tinè, ait, *Antichriſtus, contrarius eſt Chriſto,*
& poſtea reprehendit eos, qui interpre-
tabantur nomen Antichriſti, id eſt, ante
Chriſtũ,& inquit: *Non ſic dicitur, non ſic*
ſcribitur, ſed Antichriſtus, id eſt, contrarius
Damaſ. *Chriſto.* Et optime Damaſ.lib.4.c.27. *Nõ*
nobis, ſed Iudæis veniet, non pro Chriſto, ſed
aduerſus Chriſtum, qua etiam de cauſa Anti-
chriſtus dicitur. Et in tom.9. operũ Augu
ſtini, author tract. de Antichriſto ſic in-
choat. *De Antichriſto ſcire volẽtes, primo*
notabitis, quare ſic vocatus ſit, ideo ſcilicet,
quia Chriſto in omnibus contrarius erit, &
Chriſto contraria faciet. Et licet ille tracta-
tus nõ cenſeatur eſſe Auguſtini, authori
tatem habet, & Rabani eſſe creditur. Et
Hugo Eterian. lib. de Regreſ. animar.
cap. 23. *Erit* (inquit de Antichriſto) *ho-*
mo, non Angelus; qui aduerſabitur Chriſto,
& membris eius, inde Antichriſtus appellan
dus. Pluresque alios in ſequenti capite
referemus.

4. Cum ergo hæretici nec etymologiam
hanc, nec ſignificationem negare poſsint,
quid eis prodeſt, mutata vocis etymolo-
gia,& noua ſignificatione ex proprio ce-
rebro illi attributa, ſaltẽ nomine Vicariũ
Chriſti Antichriſtum appellare? Nam ſi
de ſolo nomine in hoc contendere ſtudẽt
contemnendi ſunt,& ad ſcholas gramma
ticorũ remittendi. Si vero ſub illa ſpecie,
& vmbra vocis ſuadere contendunt, illũ
eſſe verũ Antichriſtum ſub hac propria
vocis ſignificatione, & tanquam illi ad-
uerſarius, quia ſe Vicarium Chriſti, atq;
adeo Antichriſtum in alia ab eis cogitata
ſignificatione, appellat, ita vt intelligant,
non quemlibet hoſtem Chriſti, ſed illũ,
qui ſub nomine Vicarij eius illi opponi-
tur eſſe Antichriſtum. Reſpondemus in
primis, cum, qui non per rapinam, vel

A vſurpationem ſe Chriſti Vicarium no-
minat, ſed quia ab ipſo Chriſto conſtitu-
tus eſt, nõ eſſe Chriſti hoſtem,& ex hac
parte non poſſe eſſe Antichriſtum. De-
inde dicimus, illud ſignum Antichriſti
non inueniri in Scripturis, nec in illis, vel
à Patribus traditum eſſe, nimirum, Anti
chriſtum eſſe oppugnaturum Chriſtum
ſub ſpecie Vicarij eius, ſed aperte vſurpã
do ipſum Chriſti nomen, & dignita-
tem. Et ideo hac vana cogitatione, &
nouitate omiſſa per ſigna Antichriſti in
Scriptura fundata diſcurrendum eſt.

B Non poſſum autem omittere, quin 5.
prius aduertam ex hac nominis huius Nominis,
etymologia, & ex dictis teſtimonijs du- Antichriſti
plicem huius vocis acceptionem diſtin- duplex ſig-
guendã eſſe. Vnam propriam, aliã cõmu nificatio.
nem: ſeu translatam appellare poſſumus,
Nam quia nomen Antichriſti hominem
Chriſti contrariũ ſignificat, per Antono
maſiam accipitur vt nomẽ propriũ ſingu
laris cuiuſdã hominis maximi Chriſti,&
Eccleſię aduerſarij; generali autẽ modo,
etiã de alijs Chriſti hoſtibus dicitur. Hac
duplici eius nominis acceptione vſus eſt
Ioannes dicta epiſt.1.cap.2. cum dixit. *1.Ioan.2.*
C *Audiſti, quia Antichriſtus venit, & nunc*
Antichriſti multi facti ſunt. Et rationem
huius poſterioris ſignificationis inferius
inſinuans, dicit. *Qui negat, quoniam Ieſus*
eſt Chriſtus; hic eſt antichriſtus. Idemq; ferè
repetit cap.4.& in epiſt.2. Et ita ex hoc
loco duplicem hanc illius nominis accep
tationem adnotarunt Patres ibi,& Matt. *Matt. 24.*
24.& 2.Theſſal.2. vbi Hierony. Chryſ. *Theſſal.*
Oecumeni. & alij. Et optimè Cyprian. *D. Hiero.*
epiſt. 76. in principio dicens, Ioannem, *Oecum.*
vniuerſos, qui de Eccleſia exiſſent, quique cõ *Chryſoſt.*
tra Eccleſiam facerent, Antichriſtos appella *Cyprian.*
re. Et infra. *Vnde apparet, aduerſarios Do-*
D *mini Antichriſtos omnes eſſe,* & ſimilia fe-
re habet epiſt.7. Et Auguſt.lib.2. contra *D. Augu.*
Aduerſarium legis, & Prophetarum cap.
vltimo de illo ait, *Deus verus eſt, in cuius*
templũ falſus ille (id eſt Antichriſtus) *ſeſ-*
ſurus eſt, ad quem pertinet etiam iſte, (vtiq;
legis aduerſarius) *qui ſub nomine Chriſti,*
quod eſt nomen Dei, hoc eſt, Chriſtianum ſe
videri volẽs, ſemper extollitur contra Chri-
ſtum, ſeque oſtendit Antichriſtum, non
vnum illum maiorem cæteris, ſed ex his ali-
quem, de quibus dicit Ioannes Euangeliſta, *1. Ioan.2.*
nunc antichriſti multi facti ſunt. Eos enim

dicebat hæreticos, qui tẽporibus Apoſtolorũ *eſſe iam cæperant*. Idem lib. 20. de Ciuita.

Hieron. *1. Petr. 5.* cap. 19. Vnde etiam Hierony. Naum. 2. tractans illud. 1. Petr. 5. *Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo, &c.* ſubiungit: *Catulus leonis Antichriſtus, & omnes doctrinæ peruerſæ, &c.* Et infra. *Audiſtis, inquit Ioãnes, quia Antichriſti multi ſunt, tot enim Antichriſti ſunt, quot dogmata falſa.* Et Matt. 7. in fine, omnes, *qui contra Chriſtũ ſapiunt*, Antichriſtos vocat. Quæ omnia cõfirmant quod diximus, Antichriſtum ex ſumma ad Chriſtum oppoſitione ita eſſe appellatum, & inde deriuatum eſſe nomen ad alios inſigniores Chriſti aduerſarios denotandos. Sicut etiam cõmuni vſu, hominẽ valde crudelem Neronem eſſe dicimus, & ſimilẽ tyrannũ eſſe Diocletianũ, & magnũ Philoſophũ eſſe Ariſtotelẽ, & ſic de alijs. De hac ergo trãslata ſignificatione nulla eſt dubitatio, de altera verò ſupereſt cũ hæreticis cõtrouerſia, quam ſequenti capite proſequemur.

CAPVT II.

Vtrum Antichriſtus proprie dictus ſit homo aliquis ſingularis, vel ſedes aliqua ſeu imperium.

1. Opinio hæreticorum. HÆretici contendunt, nõ eſſe ſingularem perſonam, ſed ſeriẽ, vel genus perſonarũ in aliqua ſede, vel imperio ſuccedentium: quem errorẽ excogitarunt, vt Papam Antichriſtũ eſſe

Vuicleph. ſuaderent. Hunc errorẽ inſinuarũt Vuicleph. ar. 30. & Ioan. Huſ. art. 19. dãnati in Concilio. Conſtant. ſeſſ. 8. & 15. Cla-

Luth. rius Luther. in cap. 49. Geneſ. vbi hac ratione reijcit cõmunem ſententiam aſſerentem, Antichriſtum futurum eſſe de

Gualter. tribu Dan, quam fuiſſe dicit diaboli inuentum. Et quidam Rodolphus Gualterus in Homilijs de Antichriſto irridet eos, qui aſſerunt Antichriſtũ fore certũ

Beza. ſingularẽ hominem. Sic etiam Beza in 2. Theſſal. 2. dicit, licet Paulus loquatur de Antichriſto, vt de quodã homine, ſub illo nihilominus intelligere totũ corpus Eccleſiaſticæ tyrannidis, ita vero, vt peculiarẽ tyrãnidẽ declaret, nimirũ Romanã. Vnde cõcludit, manifeſte hallucinatos eſſe, quicunq; Paulũ de vno quopiã homine eſſe loquutũ intellexerunt, niſi dent quẽ

A piam, qui à Pauli ſeculo ad diẽ vſq; iudicij ſuperſtes maneat. Denique Caluinus etiã in eodem loco, & lib. 4. de Inſtit. c. 7. idẽ ſupponit, cũ Papã dicit eſſe Antichri-*In P[illegible]* ſtũ. Et hæc ſententia placuit Iacobo Regi qui ſolis cõiecturis duci fatetur, quales autem illæ ſint poſtea videbimus.

Veritas catholica, & in fide certa 2. Veritas [illegible] eſt, Antichriſtum propriè, ſeu antonomaſticè ſumptum, futurum eſſe ſingularẽ quendam hominẽ inſignẽ, ac peculiarẽ Chriſti aduerſariũ. Ita docent ſapiẽtes, & catholici viri, qui hac ætate contra hæreti-

B cos decertarunt, & hoc punctũ magna diligentia, & eruditione tractarunt. Et probatur breuiter ex ſacra Scriptura, & Patribus. Et in primis expendo locũ. 2. Theſſal. 2. vbi licet Antichriſtus hoc nomine nõ exprimatur, de illo nihilominus loqui Paulũ, ſancti omnes, & catholici docent, nec hæretici negant; imò eundem locũ in contrarium inducunt, vt poſtea videbim⁹. In illo igitur loco inſtruit Paulus Theſſalonicẽſes, vt non perturbentur cogitãtis diem Domini, id eſt, vltimi iudicij, iam eſſe propinquum, quia neceſſe eſt, vt Antichriſti aduentus, & perſecu-

C tio antecedat. Vnde ait, *Neq; vos ſeducat vllo modo, quoniã niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur ita vt in tẽplo Dei ſedeat, tanquam ſit Deus.* Et infra. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet. &c.*

[Margin: ...hominem ... futurum ... Probatur Scriptur. *B[illegible] li. 3. [illegible] ma. [illegible] Sand[illegible] 8. de [illegible] Monar. Tho. Malued. in [illegible] re de Antichriſt. Ioſeph, Acoſ. in opere de Temporib. nouiſſ.*]

Profectò ſi verba ſingula attente põ- 3. Expenduntur ſingula D. Pauli verba. derẽtur, nõ poſſunt propriè, ac ſyncere intelligi, niſi de ſingulari, ac definita perſona. Quis enim thronum aliquẽ, vel ſe-

D dem regni, *hominem peccati*, aut, *filiũ perditionis*, appellare ſolet? Similia enim verba nõ collectionem, vel ſucceſsionẽ, ſed determinatam perſonam in rigore ſignificant, neque à ſua propria ſignificatione violenter, & ſine cauſa extrahenda ſunt. Præſertim quia tot circunſtantijs, moribus, & conditionibus ille homo veſtitur, & à Paulo, ac prophetis deſcribitur, vt neceſſario vni tantum perſonæ conuenire debeant. Vt cum Paulus ait: *Cuius* 2. Theſſal. 2. *eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus*, & ſimilia, quia veriſimile nõ eſt, in omnibus ſucceſſoribus, ſeu Regibus alicu-

alicuius regni omnes illas proprietates, & morũ qualitates eſſe futuras. Accedit Paulũ nõ abſolute *hominẽ*, ſed cũ articulo græco, *illũ hominẽ peccati* dixiſſe, vt etiã latinè Ambroſi⁹ legit, & Vatablus vertit, articul⁹ autẽ grec⁹ vim habet indicãdi ſingularẽ perſonã, vt infra ex Patribus oſtendã. Imo notatione dignũ eſt, Paulũ quater repetere illũ articulũ dicẽs, *ille homo peccati, ille filius perditionis, ille, qui aduerſatur*, &c. Et infra: *Tũc reuelabitur ille iniquus.* Poſitus ergo eſt ad deſignãdã ſingularẽ perſonã, qua etiã demõſtrat relatiuũ, *Cuius eſt aduẽtus*, &c. Et adhuc apertius pronomẽ. *Ille iniquus*, cũ ſubſequẽti relatiuo, *quem Dñus Ieſus interficiet*, &c.

Ambr. Vatabl.

4. Atque ita hunc locum Patres intellexerunt, Diuus Chryſoſtomus orat. 3. & 4. in illum locum, qui per comparationem ad Chriſtum, perſonæ Antichriſti ſingularitatem declarat. Nam ſicut Chriſtus prædictus fuerat tanquã ſingularis homo, & data ſunt certa eius indicia, vtique per ſigna, & prodigia, quæ erat facturus, ita illi opponitur Antichriſtus, eiuſque aduentus tanquam cuiuſdam particularis hominis prædicitur, & per ſigna, & prodigia falſa, quæ operaturus eſt indicatur. Ergo ita eſt futurus Antichriſtus determinata perſona, ſicut fuit Chriſtus. Sic etiam Theophylact. illa verba exponẽs interrogat; *Quis autem ille eſt? nunquid Satanas? nequaquam, ſed homo quiſpiam omnem Satanæ operationem recipiens.* Idemque fere habet Theodoret. qui antitheſim inter Chriſtum, & Antichriſtũ magis expendit, dicens, dæmonem imitari conſilium Dei, *Nam ſicut Deus humana ſuſcepta natura, noſtram procurauit ſalutem, ita ille, cum eliget hominem, qui poſſit omnem eius ſuſcipere operationem, per eum omnes homines decipere conabitur, ſe ipſum Chriſtum, & Deum & hominem nominans*: Vbi ſolum notamus æquiparationem in hoc, quod vterque eſt certa, & particularis perſona, nam in modo eſt diuerſitas. Nõ enim ſicut Chriſtus eſt verbum in humanitate aſſumpta, ita erit Antichriſtus perſona Dæmonis in aſſumpta natura hypoſtaticè, ſicut quidam falſo finxerunt, quos alibi impugnauimus; ſolum ergo fit in hoc comparatio, quod ſicut Chriſtus fuit indiuiduus homo, ita etiam erit Antichriſtus. Vnde etiam ipſe Theodoretus doctè mutauit loquendi modum, nam de Chriſto dixit, *ſicut Deus humana natura ſuſcepta*, &c. de dæmone autem ait, *ita ille cum eliget hominem, qui poſſit omnem eius ſuſcipere operationem*; ſentiẽs futurum nõ ſolum ſpecialem naturam, ſed etiam particularem perſonam inter alias electam à dæmone tanquam aptam ad omnem ſuam prauam operationem.

Chryſ. Theophyl. Theodor. Antichriſtus dæmon non erit.

5. Deniq; in eiſdẽ verbis Theodoreti ratio alia ponderari poteſt. Nam præcipua intentio Antichriſti maximaq; ad Chriſtũ oppoſitio erit, quia perſuadere conabitur, ſe eſſe Chriſtũ, & verũ Meſſiã, & oſtẽdere *tanquã ſit Deus*, vt ibidẽ ait Paulus. Hoc autẽ nõ poteſt fingi de throno aliquo, aut ſedentiũ in illo ſucceſsione. Nã ſicut Chriſtus non eſt prædictus, niſi vt particularis homo, ita nemo ſe finget Chriſtũ, niſi in ſua particulari perſona. Et licèt multi ſe finxerint Chriſtum, nullus autẽ niſi in ſua, & pro ſua propria perſona: & inter eos, qui in ſignis, prodigijs, mendacijs, ac potentia præcellet, per antonomaſiã erit Antichriſtus. Vnde Ambroſius ibidẽ ait, Antichriſtũ futurũ eſſe *primum, & ſummũ prauorũ hominũ, qui ſe vt Deos coli voluerũt.* Rectè etiã Tertul. lib. 5. cõt. Marc. c. 16. *Qui eſt* (ait) *homo delicti, filius perditionis, quẽ reuelari prius oportet ante Dñi aduentũ*, &c. *Secundũ nos quidẽ Antichriſtus, vt docẽt veteres, & nouæ Prophetiæ.*

Alia ratio ex Theodoreto. D. Amb. Tertul.

6. Atq; hinc Ambr. Chryſ. & alij Patres cũ citatis verbis Pauli cõiũgũt alia Chriſti verba Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & nõ accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illũ accipietis.* In quibus manifeſtè cõſtat, Chriſtũ loqui de aliqua determinata perſona, quã Iudæi vt Meſſiã ſuſcipiẽt. E ita dicti Patres, & alij præcedẽti capite allegati verba illa Chriſti de Antichriſto interpretãtur. Et Auguſt. tract. 29. in Ioan. exponẽs verba illa c. 7. *Quia à ſemetipſo loquitur, gloriã propriam quærit*, dicit, talẽ futurũ eſſe Antichriſtũ, *Ipſũ quippe annũciãs Dñus, gloriã ſuã quæſiturũ, non gloriã Patris, ait ad Iudæos, ego veni*, &c. & Amb. in Pſal. 43. ait, ſignificaſſe Chriſtũ illis verbis, *Iudæos in Antichriſtũ credituros, qui in illũ credere noluerunt.* Et idẽ habet li. 1. de Spir. ſãct. c. 14. Quãuis enim multi futuri eſsẽt Pſeudo Chriſ-

D. Ambr. D. Chryſ. Ioan. 5. Expenduntur verba D. Ioanis. D. Aug. D. Ambr.

Chriſti, & Pſeudo Prophetæ, (vt ipſe etiam prædixit Matth. 24.) quos aliqui Iudæi pro Meſsia ſuſcepturi eſſent, (vt ex parte impletum legimus Actor. 5. & poſtea apud Euſeb. li. 8. Hiſt. cap. 6.) Nihilominus neminẽ Iudæi ita pro Meſſia ſuſcipient, ſicut Antichriſtũ, & ideo illum ſingulariter Chriſtum verbis ſuis deſignaſſe intelligimus. Et ſic etiam dixit Cyrillus Hieroſolymit. cateches. 12. *Iudæorum liberi venientem reiecerunt, male autem venturum expectant, verum Chriſtum negauerunt, falſum autem ipſi errantes recipient. Qua de re etiam Saluator verè dixit, ego veni,* &c. Quod autem ille falſus Chriſtus futurus ſit ſingularis quidam homo, & Antichriſtus, declarat late idem Cyrill. cateches. 15.

Matt. 24. Actor. 5. Euſeb. Cyrillus. Ioan. 5. D. Cyril.

7. Præterea hoc aperte confirmat modus loquendi Ioannis epiſt. 1. *Et ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Nam in his verbis diſtinguit quendam Antichriſtum ſingulariter prædicatum, & prædictum, à multis, per quandam eius participationem, & translationem ſic nominatis. Ergo aperte ſupponit, illum priorem eſſe particularem perſonam. Præſertim quia illi multi Antichriſti, quos Ioannes dicebat iam factos, nõ erant multa regna, aut imperia tyrannica, ſed vel multi, qui ex Iudæis contra Chriſtum iam inſurgebãt, vel plures hæretici, vt Ebion, Cherintus, Simon Magus, vel plures etiam Imperatores Romani Chriſtianorũ perſecutores, vt Nero, Domitianus, vt Sancti paſsim exponunt; ergo etiam ille ſingularis Antichriſtus eſt vna certa, ac definita perſona. Accedit, in dictis verbis, & Paulo inferius, & in cap. 4. & epiſt. 2. vbicunq; ponitur in ſingulari nomẽ *Antichriſtus*, poni cum articulo ὁ, id eſt, *ille*, qui articulus vim habet deſignandi certam perſonam, & cum quadam ſingularitate, iuxta generalem Patrum regulã, quam tradunt Epiphanius lib. 1. contra hæreſ. Secta. 9. & libr. 2. hæreſ. 56. & Chryſoſt. enarrat. in cap. 7. Iſai. Ponderans, non dixiſſe Prophetam: *Ecce virgo concipiet*, ſed addidiſſe articulum ad deſignandam ſingularẽ, & excellentẽ virginẽ, & Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 4. circa finẽ, ponderans, addidiſſe Ioannẽ articulũ, cum dixit, *In principio erat verbum.*

1. Ioan. 2. Alia eiuſdẽ verba ponderantur. Probatur idẽ ex articulo græco. *D. Epiph. Chryſ. Iſai. 7. D. Cyril.*

A Et orig. tom. 7. in Ioan. circa illa verba, *Propheta es tu?*

Ioan. 1. Origen. 8.

Ad hanc etiã veritatẽ confirmandam multa argumẽta deſumi poſsũt ex locis Daniel. & Apocalyps. in quibus Antichriſtũ prædici, & Patres docẽt, & hæretici nõ negant. Itaq; Dan. ca. 7. poſtquã explicuit, quartã beſtiã eſſe regnũ quartũ, vtiq; Romanorũ, poſtea per decẽ Reges diuidendũ, ſubiũgit. *Et alius cõſurget poſt eos*, per quẽ omnes Patres Antichriſtum intelligũt, vt ibi Hieronymus teſtatur, & ſequitur Auguſt. 20. de Ciuit. ca. 23. & D. Greg. li. 32. Moral. cap. 12. vbi B particula *alius* ſatis demõſtrat ſingularẽ perſonã, cuius actiones ſtatim deſcribit Propheta ſatis cõſentaneè ad Paulũ. Et certe negari ſaltẽ non poteſt, in throno, & imperio illius, qui contra decẽ Reges pugnaturus eſt, quiq; tres deſtruet, & ſeptẽ alios ſibi ſubijciet, futurũ eſſe aliquẽ primũ Regẽ, qui contra alios inſurget: neceſſariũ ergo eſt, illũ eſſe certã, ac determinatã perſonã, ille autẽ erit Antichriſtus. Tũ quia in illũ ſpecialiter conueniũt omnia, quæ ibi ſubijciuntur, *Sermones contra excelſum loquetur, ſanctos al-* C *tiſsimi conteret,* &c. Tũ maximè quia tẽpus regni illius tã erit breue, vt in eo non ſit habiturus ſucceſſorẽ, ſed in illo, & cũ illo ſit thronus eius extinguẽdus, vt ex eodẽ loco Danielis, & ex c. 11. & 12. & ex Apoc. c. 11. & ſequẽtibus, & ex verbis Pauli, *Quẽ interficiet Dñus Ieſus ſpiritu oris ſui*, & ex alijs infra oſtendemus.

Ex Daniele cõfirmatur. *Dan. 7. D. Hier. D. Aug. D. Greg. 2. Theſ. 2.*

Hoc argumentũ etiã cõuincit, illũ vltimũ Regẽ per cornu paruũ ſignificatũ non fuiſſe Mahometũ, (vt aliqui voluerũt) neq; aliũ ſimilẽ tyrannũ. Vnde etiã poteſt hæc veritas confirmari ex circũſtãtijs tẽporis, loci, originis, bellorum, & D alijs ſimilibus, cũ quibus deſcribitur Antichriſtus venturus in allegatis Scripturæ locis, quæ poſtea tractaturi ſumus, nõ enim poteſt ſingularis perſona euidẽtius deſignari, quã per circunſtantias huiuſmodi, vel (vt cum dialecticis loquamur) per collectionẽ proprietatũ, quæ nõ niſi in vnũ, & particulare indiuiduũ cõuenire poſsint; ita autẽ Antichriſtus deſcribitur in Scriptura negari, ergo non poteſt, quin particularis perſona futurus ſit.

Rex vltimus apud Danielẽ, nõ fuit Mahometus, aut alius tyrannus.

Denique de Antichriſto ſingulariter prædicto à Daniele, Paulo, &

Iterum veritas authoritate Patrū roboratur.

Ioanne Euangeliſta omnes antiquiſsimi Patres, qui de illo ſcripſerunt, vbiq; ſupponunt, eſſe futurum ſingularem hominem, cuius genus, mores, & alias proprias circumſtantias deſcribunt. Vt conſtat ex his, quæ tradunt Irenæus lib. 5. cont. hæreſ. à cap. 25. Hypolit. orat. de Conſummat. mundi. Ephrē tract. de Antichriſt. in tom. 1. Cyril. Hieroſolymitan. Catecheſ. 15. Ambr. lib. 10. in cap. 21. Lucæ, vbi tres numerat Antichriſtos, Diabolū, Arium, & omnes hæreticos ſimiles, & ſingularem, & famoſum Antichriſtum, qui perſequuturus eſt Eccleſiam in fine mundi. Sic etiam depingit Antichriſtū Lactanti. lib. 7. diuin. inſt. cap. 16. 17. 18. & 19. concludit: *Hic eſt autem qui vocatur Antichriſtus, ſed ſe ipſe Chriſtum mentietur, & contra verum dimicabit.* Similiaque repetit in Epitom. Inſtitution. cap. 11. & eodē modo loquitur Hug. Eterian. dict. lib. de Regreſ. animar. cap. 23. Proſper in Dimidio tempor. á cap. 6. vſq; ad 16. præſertim vero Hieronym. Daniel. 7. dicens, *Putamus Antichriſtum vnum eſſe de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus ſit.* Idem ſupponit epiſt. 151. ad Algaſi. q. 1. vbi late ita exponit locum Pauli ad Theſſalonicenſ. Idēq; habet Theodoret. in eiſdem locis. Daniel. & Paul. Et ſimiliter Chryſ. orat. 3. in 2. ad Theſſalon. ait, Antichriſtum non eſſe futurū ipſum Satanam, *Sed hominem quendam ſuſcipientem omnem eius operationem,* Vbi eadem verba habet Theophyl. dicens: *Non erit Satanas, ſed homo quiſpiā,* Cypria. etiam lib. 3. ad Quirin. cap. 118. de Antichriſto exponit Illud Iſai. 14. *Hic homo, qui concitat terram,* ſupponens profecto futurum eſſe particularem hominem.

(D. Iren. D. Hypol. D. Ephrē. D. Cyril. D. Amb. Lactant. Hug. Eter. D. Proſp. D. Hieron. Theodore. Chryſoſt. D. Cypr. Iſai. 14.)

II. D. Aug. Auguſt. 20 de Ciuit. cap. 19. *Nulli* (inquit) *Dubium eſt, eum de Antichriſto iſta dixiſſe, dieque iudicij. Hunc enim appellat diem Domini, & ait, non eſſe venturum, niſi ille prior venerit, quē refugam vocat, vtiq; à Dño Deo. Quod ſi de omnibus impijs merito dici poteſt, quanto magis de iſto.* Et infra tractans locū Ioannis, ait: *Sicut ante finē exierunt multi hæretici de medio Eccleſiæ, quos multos dicit Antichriſtos, ita omnes tunc inde exibūt, qui non ad Chriſtū, ſed ad illū nouiſsimū Antichriſtum pertinebūt.* Et c. 23. ita etiā exponens Danielē, ait, *Antichriſti aduerſus Eccleſiā futurū ſæuiſsimū regnum, licet exiguo ſpatio temporis ſuſtinendū, donec Dei vltimo iudicio regnū ſancti accipiant ſempiternum, qui non dormitans hæc legit, dubitare non ſinitur.* Præterea idē docet Gregor. lib. 14. Moral. capit. 11. vbi Antichriſtū dicit, futurū eſſe caput omniū iniquorum, & quæ in cap. 9. Iob dicuntur, ita intelligi de vnoquoq; iniquo, *vt referri quoq; debeant ad ipſum ſpecialiter caput iniquorū.* Et lib. 31. cap. 12. *Antiquus hoſtis,* ait, *illū perditū hominem ingredietur, qui ſpecialiter Antichriſtus nuncupatur.* Ac deniq; Damaſcen. lib. 4. de Fide cap. 27. *Omnis,* ait, *qui Chriſtū non confitetur, Antichriſtus eſt. Cæterum peculiari, ac præcipuo modo Antichriſtus ille dicitur, qui ſub mundi cataſtrophen venturus eſt.*

(D. Greg. D. Dama.)

CAPVT. III.

Duabus Proteſtantiū obiectionibus ex Daniele, & Paulo ſumptis contra doctrinam ſuperioris capitis, ſatisfit.

I. Siniſtra Bezę interpretatio in Danielem.

QVoniam ſi Antichriſtus vna ſingularis perſona futura eſt, euaneſcit hæreticorū phātaſia, quòd in throno Apoſtolicæ ſedis Antichriſtus ſedeat, conantur veritatē ex Scripturis demōſtratā, eiſdē Scripturis impugnare. Et primo objicit Beza locū Dani. 7. vbi per quatuor beſtias quatuor regna ſignificata ſūt, ſingula autē illorū regnorū multo tēpore durarunt, & plures Reges habuerunt, qui per ſingulas beſtias ſignificati fuerūt, & codē modo dicūtur ibidē decē cornua quartæ beſtię eſſe decem Reges, quos non oportet eſſe ſingulas perſonas, ſed pluriū ſeriē in vnius regni ſede; ergo eadē ratione dicendū eſt de regno Antichriſti, quod per cornu paruū ſignificatur, non eſſe vnum tamen hominem, ſed vnum thronū, in quo multi per ſucceſsionem ſedebunt; quorū collectio vocatur à Paulo *homo peccati,* quia erit velut vnum corpus ſibi ſuccedentium tyrannorum.

(Dan. 7.)

2. Reſponſio ad illam.

Reſpōdeo in primis, diſsimilē eſſe rationē de verborū ſignificatione, & de repreſentatione per figuras, vel imagines apparentiū rerū, vt beſtiarū, vel animaliū. Nam verba habent propriam ſignificationem quaſi permanentē, & communē, â qua extrahenda nō ſunt, niſi vbi neceſsitas, vel ſufficiens authoritas coegerit, & maximè cauendus eſt ſenſus impro-

improprius,&metaphoricus,quando ex alijs verbis,& circunſtantijs in ipſo contextu, & ſermone adiunctis proprietas ſermonis conſtare poteſt. At verò res, vel imagines apparentes non habent per ſe ſtabilem ſignificationem,ſed illam tantum, ad quam tunc, cùm apparent, aſſumuntur, ſeu imponuntur,quæ metaphorica,ſeu quaſi analoga eſt,pendetque ex voluntate, ſeu intentione Dei reuelantis, & ideo eſt obcuriſsima,& intelligi non poteſt, niſi ab eodem Propheta per verba declaretur, vel ex alijs Scripturæ locis ſignificatio colligatur,vel certe poſtea tandem ex effectu cognoſcatur. Paulus ergo non per viſiones imaginum,ſed per verba loquutus eſt de Antihriſto, & talibus verbis eũ indicat, vt plane de illo tanquam de vna ſingulari perſona loquatur, & mores eius, ac circunſtantias ita deſcribit, vt vni tantum, & non omnibus,qui in aliquo throno ſuccedunt,cõuenire ſoleant.

3. Quid Daniel ſub beſtiarũ nomine intellexerit.

At vero Daniel narrat futura ſibi reuelata,non verbis,ſed ſub imaginibus beſtiarum. Vnde vtitur quidem verbis, quæ immediate ſignificant beſtias, & vt indicet, non eſſe veras, ſed apparentes, non abſolute dicit, prima erat leęna, ſed *quaſi leęna*,ſecunda *ſimilis vrſo*,tertia *quaſi pardus*, ipſæ autem beſtiæ id ſignificabãt, ad quod repræſentandum per quandam analogiam fuerant impoſita, & oſtenſa, & aliam ſignificationem impropriam, ſeu translatam non habebant. Ideoque potuerunt facile repræſentare regna, & non certas perſonas,& è cõuerſo,pro arbitrio reuelãtis. Hinc ergo fit, vt per beſtias interdum ſignificentur regna,interdum certę perſonæ. Nam Daniel.7.per leænam alas aquilæ habentem ſignificatur regnum Chaldęorum;per vrſum,regnũ Perſarum,& Medorum; per pardũ regnum Græcorũ, & per quartã beſtiã, Romanorũ regnũ. At vero in cap. 8. per Arietem ſignificatur Darius Rex; per Hircum, Alexander, vt ipſemet Daniel expoſuit. Igitur ex repræſentatione per viſionem beſtiarum nullum fieri poteſt argumentum ad ſignificationem verborũ, nam illa variatur, vel imponitur pro arbitrio reuelãtis,hęc verò de ſe fixa eſt, & certa,niſi aliunde cõſtet, ad metaphoricum ſenſum transferri.

Dan.7.

Dan.8.

A

Addo præterea, licet per beſtias ſignificentur regna apud Danielem cap.7.nihilominus per ſingulas principaliter ſignificari primos vniuſcuiuſque regni coditores,& amplificatores,in quibus pręcipue inueniuntur proprietates, quę per tales imagines, & viſiones repręſentantur. Et ſic leęna alata præcipue repræſentabat Nabuchodonoſor regni Chaldęorum fundatorem,hominem ferociſsimum,& libidini deditũ, vt notat Hieronymus, qui etiam ait,vrſum,Cyrum maiorem Imperij Perſarum conditorem ob eius duritiam, & ferocitatem repræſentaſſe. Pardus verò alatus ſignificabat Alexandrum imperij Gręcorum caput, qui magna fortitudine, ac velocitate orbem domuit. Ita ergo per quartã beſtiam ſignificari potuit Iulius,vel Auguſtus Cæſar, licet probabilius videatur,non fuiſſe ſignificatam particularẽ perſonam, quia imperium illud in principio non monarchicum,ſed ariſtocraticum fuit.

4. Primi [illegible] beſt[illegible] mine [illegible] ficantu[illegible] *Dan.7.*

D.Hier.

B

5. Cornua decem [illegible] reges [illegible] ſentant.

Per decem autem cornua illius beſtiæ expreſſe dicuntur ſignificari decem Reges,vtique illi, qui decem regna, in quæ imperium Romanum diuident, debellaturi ſunt. Ita ergo per cornu paruulum Rex quidem noui imperij inchoator repręſentatus eſt, qui non eſt alius, niſi Antichriſtus, vt Hieronymus,Theodoretus, & omnes Patres intellexerunt. Eſt autem differentia,quia de cęteris imperijs, vel de decem Regibus non dicitur, quantum throni eorum duraturi fuerint, vel ſint, & ideo tam ipſi fundatores, quàm eorum ſucceſſores poterunt per illasmet imagines beſtiarum, aut per decem connua repręſentari: de imperio autem Antichriſti ſatis ſignificatur,tum ibi, tum alijs locis infra tractãdis,breui tempore eſſe duraturum, & cũ ſuo met fundatore eſſe extinguendum, & ideo per illud cornu paruulum ita ſignificatur Antichriſti imperium,vt etiam vna tantum, & ſingularis perſona repręſentetur.

C

D.Hiero. Theodor.

D

6. Alia Bezæ interpretatio in Diuũ Paulum.

Secundo obijciunt Proteſtantes locũ Pauli.2.ad Theſſal.2.dicuntq; (vt ſuprà ex Beza retuli) niſi vnꝰ homo detur,qui à tẽporibus Pauli vſq;ad diẽ iudicij ſuper eſtes maneat, nõ poſſe Antichriſtũ eſſe certũ aliquẽ ſingularẽ hominẽ: nã Paulꝰ citato loco cũ Theſſalonicẽſes docuiſſet.

Diem

Diem Domini (vtiq; ad iudicandũ) nondũ inſtare, quia *niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, non veniet dies illa*, ſubiungit: *Nunc quid detineat ſcitis, vt reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis, tantum vt qui tenet nunc teneat, donec è medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Duo ergò docet Paulus, ſcilicet, Antichriſtum iam tunc incepiſſe operari ſuam iniquitatem, & apoſtaſiam à Chriſto in fine mundi eſſe ab Antichriſto conſummandam, ipſumque eſſe interficiendum, & tunc diem Domini eſſe venturum. Hæc autem non poſſunt de eadem perſona intelligi, quia non poteſt vnus, & idem homo operari iniquitatem tempore Pauli, & durare perſequendo Eccleſiam vſque ad finem ſeculi, & tunc reuelari, & à Chriſto interfici.

7. Duplicem notioné nominis Antichriſti, ſe neſcire, hæretici ſimulant.

Propter hoc teſtimonium quidam dixerunt, Neronem fuiſſe Antichriſtum, quorum ſententiam infra cap. 4. tractabimus, quia illi non negabant Antichriſtum eſſe particularem perſonam. Illa ergo opinione omiſſa, Proteſtantes vel ignorant, vel ignorare ſe ſimulant duplicem ſignificationem nominis Antichriſti ſecundo capite poſitam, nam ex illius ignoratione obiectio facta procedit. Sicut enim dixit Ioannes, *Antichriſtus venit, & nũc Antichriſti multi facti ſunt*, quia vnus eſt, qui ſingulariter prædictus eſt, & multi, qui eius iniquitatem participãdo, illum quaſi præfigurant, & ideò nomen etiam eius participant: ita etiam dixit Paulus, Antichriſtum, ſuo tempore iam inchoaſſe operari iniquitatem, licèt id in fine mundi ſit conſummandum.

1. *Ioan.* 2.

Antichriſto in typo multiplex eſt, vnicus in perſona.

Errant ergo hæretici non diſtinguentes inter Antichriſtum communiter, & propriè dictum, ſeu (quod idem eſt) inter Antichriſtum in typo, & in perſona. Antichriſtus enim in typo non eſt vna perſona, ſed corpus, vel ſucceſsio pluriũ tyrannorum nomen Chriſti perſequentium. Proprius autem Antichriſtus in perſona, & qui per antonomaſiam prophetatus eſt, vnica eſt, & ſingularis perſona. De vtroque autem loquutus eſt Paulus in citato loco. Nam cum ait, *Myſterium iam operatur iniquitatis*, loquitur de Antichriſto typico. Quem tunc fuiſſe

A Neronem multi Patres intellexerunt, præſertim Chryſoſtom. ibi, & Theophylact. Et idem Chryſoſt. ſerm. de Eleemoſyn. & collat. & Homil. de Præmijs Sanctor. Ambroſ. ibi, & Hieronym. epiſt. 151. ad Algaſi. q. 9. Attigit Tertullian. lib. de Reſurrect. carn. cap. 24. & Auguſtin. 20. de Ciuitat. cap. 19. vbi incertam quidem dicit eſſe expoſitionem propter loci ambiguitatem, non tamen illam reprehendit. Addit verò aliã, quam Theodor. & Sedulius in Paulum ſequuntur, ſcilicet, quẽlibet Hæreſiarcham, & Chriſti hoſtem ſub illo,

D. Chryſ. *Theoph.* *D. Ambr.* *D. Hiero.* *Tertul.* *D. Aug.* *Theod.* *Sedul.*

Hæreſiarchæ, Antichriſti dicũtur.

B *qui myſterium operatur iniquitatis*, comprehendi. Quod parũ ad præſens refert: omnes enim in hoc conueniunt, quod ille, qui tunc operabatur myſterium iniquitatis, non erat Antichriſtus, ſed typus, imago, præcurſor, aut inſigne membrũ Antichriſti. Quod vt ſignificaret Paulus non dixit ſimpliciter, operatur iniquitatem, ſed *myſteriũ operatur iniquitatis*, vel ipſum Neronem vocando myſterium iniquitatis, ſi nomẽ *myſterium* ſit ſuppoſitum illius propoſitionis, & in caſu nominãdi poſitum ſit,

2. *Theſſ.* 2.

C & vocetur myſterium, quia figura erat Antichriſti; vel certe ipſamnet perſequutionem Neronis vocando myſteriũ iniquitatis in caſu accuſandi, quia Nero perſequendo Chriſtianos, operabatur myſterium iniquitatis; id eſt, tyrannidẽ, quæ erat imago perſecutionis Antichriſti futuræ.

Vnde tantum abeſt, vt ex illo loco probetur, Antichriſtum proprium non eſſe vnam certam perſonam, vt oppoſitum potius inde conuincatur. Nam Paulus euidenter diſtinguit myſterium iniquitatis, ſeu illum, qui tunc operabatur myſteriũ iniquitatis ab *illo iniquo, quem*

8. Ex ijſdem verbis Pauli Bezæ interpretatio impugnatur.

2. *Theſſ.* 2.

D *Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Imo inde docet Theſſalonicenſes, nondum inſtare diem iudicij, quia *nondum reuelatus fuerat homo peccati*, id eſt, verus, & proprius Antichriſtus. De quo etiam ſubiungit: *Quid detineat, ſcitis, &c.* nimirum, ne ille Antichriſtus veniat. Non declarat autem aperte Paulus, quidnam eſſet, quod aduentum Antichriſti detineret, ſed ſignificat, Theſſalonicẽſes iam illud ſciſſe, quia cum eſſet cum illis, eos iam inſtruxerat (vt ſtatim ſubiungit) Antichriſtum non eſſe venturum, donec

Romanum imperium è medio tollere- A
tur, vel ad eum ſtatũ perueniret, in quo per Antichriſtũ poſſet omnino deſtrui, vt Patres exponunt. Ergo ſemper Paulus ſupponit, proprium Antichriſtum eſſe alium diſtinctum ab eo, qui tũc operabatur myſterium iniquitatis, & de illo ſemper tanquam de ſingulari homine loquitur, vt capite præcedenti ponderaui.

9. Regis Angliæ ſententia.

Vnde etiam Rex Angliæ in Præfat. pag. 67. fatetur ex illo loco potius probari, *tempus, quo venturus eſt Antichriſtus, & vniuerſalis diſceſsio futura eſt, non niſi longo poſt tempore, quo Paulus ſcripſit illam epiſtolam futurum fuiſſe.* Nam hoc ipſum eſt, quod Paulus Theſſalonicenſibus tradere, & perſuadere ſtudebat ex illo principio, quod Antichriſtus non ſolum nondum venerat, ſed neque tam citò venturus erat, alioqui non recte concluſiſſet, diem Domini nondum inſtare. Nihilominus tamen idem Rex negat, Antichriſtum eſſe particularem perſonam, quanuis non ex illo loco, ſed ex alio id ſuadere nitatur, vt capite ſequenti videbimus.

CAPVT IIII.

Alteri obiectioni ex cap. 17. Apocalypſis ſumptæ contra eandem reſolutionem capitis ſecundi ſatisfit.

1. Obiectio regis Angliæ ex Apocalypſi.

TERTIO objicit Rex Angliæ in Præfat. pagin. 98. vbi ſic inquit: *Scorto Babylonio, quod beſtiæ inequitat, ſedem alicuius imperij, & ſucceſsione continuatam aliquorum hominum ſeriem illi præſidentem, non vnum aliquem deſignari, perſpicuum eſt, ex forma, qua diuerſis libri locis Antichriſtus ipſe deſcribitur,* vtique in Apocalypſi, & inducit cap. 17. eiuſdẽ libri, in quo refert Ioannes oſtenſam ſibi eſſe *mulierem meretricem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* De qua muliere concludit in fine capitis: *Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Ex quo Rex concludit, mulierem illam *non poſſe ſignificare certam vnius hominis perſonam, ſed plures homines ſibi continenter ſuccedentes, quorum ſedes eſt magna illa ciuitas.*

Reſpondeo, etiamſi Regi demus, ciuitatem illam per mulierem ſignificatã, 2. Reſponſio.
eſſe Romam (vt ipſe intendit) & ſeptem Reges per ſeptem cornua ſignificatos eſſe ſeptem formas regiminis illius ciuitatis, & octauum futurum eſſe Antichriſtum, vt idem Rex arbitrio ſuo commẽtatur: licet (inquam) hæc omnia gratis demus, non video, vnde inferre poſsit cum fundamento in illo textu, Antichriſtum non eſſe vnam certam perſonam. Nam licet mulier ſignificet ciuitatem, in qua eſt aliquod imperium per beſtiam
B repræſentatum, cum ſucceſsione pluriũ Regum, ſeu plurium formarum regiminis: nihilominus beſtia, quæ etiam ſignificare dicitur Antichriſtum vnum tyrãnum, vnumq; hominem ſignificare poterit. Neque ex textu aliquid induci poteſt, quod vel apparenter aliud indicet. Nam ſi forte fiat argumentum à ſimili, quia ſi mulier ſignificat ciuitatem, & beſtia imperium cum ſucceſsione præſidentium in illa, etiam beſtia, vt repræſentat Antichriſtum, ſimili modo ſignificabit ſeriem tyrannorum, &c. profecto cõſequentia nullius momenti eſt. Nam hæ
C imaginariæ repræſentationes, ſeu ænigmaticæ figuræ non ſemper oſtenduntur, ſeu proponuntur ad ſignificandum idem, vel eodem modo, vt per ſe cõſtat.

Addo, in illa expoſitione Regis, in qua ſuam obiectionem fundat, eſſe quidem aliqua, in quibus cum nonnullis Catholicis conuenit, quæ probabilia ſunt, ſed incerta, alia vero eſſe Regis propria, quæ vix, aut nullo modo poſſunt ſubſiſtere. Nam in primis licet probabile ſit, meretricem illam Romam repræſentaſſe, vt exponit Hieron. epiſt. 151. ad Algaſi. q. 11. & Tertull. lib. 3. contr. Marci.
D & contra Iudæ. qui non intelligunt Romam Chriſtianam, ſed ethnicam; tamen etiam eſt valde probabile, non repræſentaſſe ciuitatem aliquam particularẽ, ſed ciuitatem diaboli, aut mundi, ſicut illam Auguſtinus diſtinxit à ciuitate Dei, id eſt, totum cœtum impiorum. Quomodo etiam dixit Hieron. Pſalm. 54. duas ciuitates eſſe in mundo, Babylonem, & Hieruſalem. *Per Babyloniam* (inquit) *intelliguntur mali.* Et hæc ſolet Scriptura mundum appellare. In illum enim conueniunt omnia, quæ de illa muliere dicuntur,

3. Meretricis nomine, aut Roma ethnica, aut mũdus intelligitur.

Hieron.

cuntur, nam cum illa fornicati ſunt omnes Reges terræ, & ab ea inebriantur omnes, qui inhabitant terram, vtiq; tanquã terreni, & animales homines. Et cætera ſimili modo. Hac autem poſita mulieris interpretatione, non oportet, beſtiam, cui inſidere viſa eſt, eſſe Antichriſtum, ſed ſatanam, vt multi Scriptores docuerunt, diabolus enim quaſi ſuſtinet totú impiorũ corpus, & ideo illi inſidere dicitur: & cætera, quæ ibi dicuntur, facile diabolo accõmodantur. Cum ergo diabolus, vel ſatanas non ſit collectio perſonarum ſibi in aliquo imperio ſuccedentium, ſed vna certa ſingularis perſona, non eſt neceſſarium, beſtiã illam repræſentaſſe, vt Rex vult, continuatam perſonarum ſeriem, ſed vnum Principem dæmoniorum, qui ad Chriſtum eiuſq; Eccleſiaim impugnandã ſatellitibus ſuis tam malis angelis, quam prauis hominibus, multiſq; tyrannis per tẽporum ſucceſsionem vtitur.

4. *Beſtia, qua meretrix vehebatur, Antichriſti figura erat, nó Antichriſtus.*

Præterea licèt demus, *Scortũ illud Babylonum* (vt Rex loquitur) eſſe Romã, & beſtiam, cui inſidet, eſſe Antichriſtũ, non eſt neceſſe, illum eſſe ſolum Antichriſtum in perſona, ſeu verum, & propriũ. Sed potius dicendum eſt, illã beſtiã prius fuiſſe Antichriſtum in figura, ſeu myſterio, tandem vero in proprium, ac verum Antichriſtũ defecturã. Ac proinde licet demus Antichriſtum per beſtiã repræſentatum non vnum tantũ hominem, ſed plurium ſucceſsionẽ poſtulare; nihilominus dicimus, illam ſucceſsionẽ in Imperatoribus, qui malitia ſua, & tyrannide Antichriſtũ præſignarunt, impleri: cum autem in vero Antichriſto ſucceſsio conſummabitur, illum tantum eſſe futurum vnam ſingularem perſonam. Quam vero reſponſio hæc ſit conſentanea Euangeliſtæ, facile intelliget, qui attente conſiderauerit, quam appoſitè Imperatores Romani tyrannidem exercentes in Chriſtianos ſignificentur per *beſtiam coccineam*, & *plenam nominibus blaſphemiæ*; hæc enim epitheta non fœminæ, ſed beſtiæ attribui, & omnes interpretes docent, & ex græco textu manifeſtum eſt. Dicitur autem *coccinea*, quia *erat circundata purpura, & coccino*, vt infra dicitur, per purpuram autem imperium ſignificari ſolet, quia erat quaſi

Imperatores etiam Chriſtianorũ perſecutores, in beſtia cocinea ſignificari.

A proprium illius dignitatis inſigne, & ad id magis explicandum dicitur etiam beſtia illa circundata *inaurato auro, & lapide pretioſo, & margaritis*. Poteſt etiam dici *coccinea* propter ſanguinem Martyrum, de quo infra dicitur, & vidi *mulierẽ ebriã de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum*. Quanuis enim beſtia ſanguinẽ effunderet, & inde coccinea denominari poſsit, mulier tamen, id eſt ciuitas illum bibebat, eo quod inebriabatur, odio perſequens Chriſtianos, & idola colendo, propter quod etiam *mater fornicationũ, & abominationum terræ* ibidẽ appellatur.

B Quod autẽ beſtia illa non ſolum Antichriſtum in perſona, ſed etiam in figura in ſua repræſentatione complectatur, illo verbo *myſterium* à Ioanne interpoſito ſatis ſignificatum eſt, & explicatur optime per verba Pauli. 2. Theſſal. 2. *Myſterium iam operatur iniquitatis*, vtiq; Nero, qui cæpit in Chriſtianorum perſecutione Antichriſtum adumbrare, vt omnes Patres exponunt. Idemq; optimè declarant alia verba ibi ſubiuncta, & ſic intellecta: *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de Abyſſo, fuit*, vtique in myſterio, & figura, quia prius

5. *Nero, beſtia fuit, & myſterium iniquitatis, in figura.*

C quam Ioannes id ſcriberet, iã Nero myſterium operabatur iniquitatis, quem multi Imperatores poſtea imitati ſunt: *Non eſt*, autem in perſona, *ſed aſcendet de abyſſo, & in interitum ibit*; vt cap. 11. & 13. de Antichriſti perſona prædictum fuerat. Denique ſic etiam intelligi non incongrue poſſunt alia verba poſtea ſubiuncta, *& beſtia, quæ erat* (vtique in figura) & *non eſt*, id eſt, nondũ venit, *& ipſa octaua eſt*, quia eſt diſtincta perſona â ſeptem Imperatoribus, qui tyrannide ſua illam inſignius repræſentarunt, & ideo

D *de ſeptem eſt*, quia eorum imperium vſurpabit, & crudelitatem augebit, & cõſummabit, ipſa tamen, *in interitum vadit*: quia breui tempore regnabit, & ſtatim condemnabitur. Ex hac ergo interpretatione, quæ valde probabilis eſt, potius colligitur, quòd ſicut Imperatores ſeptem, qui myſterium iniquitatis Antichriſti operati ſunt, perſonæ fuerunt certæ, & ſingulares, ita & proprius Antichriſtus, qui poſt illos veniet, erit certa, & ſingularis perſona. Imo licet priora ſeptem capita poſsint ita intelligi, ac exponi, vt in

in ſingulis non tantum perſonæ vnicæ, ſed aliqua ſucceſsio perſonarum intelligatur: nihilominus octaua, *quæ erat, & non eſt*, erit ſingularis perſona vnica, quia breuiſsimo tempore durabit, & ſtatim ſine ſucceſsione *in interitum ibit*, vt ibidem ſignificatur.

6. Quapropter ad obiectionem diſſoluẽdam, non multum refert exponere, qui ſint illi ſeptem Reges, quos per ſeptem capita beſtiæ ſignificari Angelus interpretatus eſt; Quomodocunque enim illi Reges intelligãtur, Antichriſtus, qui poſt illos futurus eſt, perſona erit vnica, & ſingularis, quod breuiter declaro iuxta duas magis receptas expoſitiones. Vna eſt multorum, qui ad explicandos ſeptem illos Reges, diſtinguunt ſeptem mundi ætates, primam ab Adam vſque ad diluuium; ſecundam à diluuio ad Abraham, tertiam ab Abraham vſque ad Dauid; quartam à Dauid vſque ad Babylonicam captiuitatem, & finem eius; quintam à fine, ſeu exitu populi à captiuitate vſque ad Chriſtum; ſextam à Chriſto vſque ad Antichriſtum; & ſeptimam tribuunt temporibus Antichriſti. Vnde in prioribus ſex ætatibus per ſingulos Reges intelligi dicunt omnes Reges crudeles, & tyrannos, qui per ſingulas ætates ſanctos perſequuti ſunt. Ex quibus Regibus *quinque* præceſſerunt, ſeu *ceciderunt*, vt ait Ioannes, *vnus*, id eſt, *ſextus eſt*, *& alius*, id eſt ſeptimus, *nondum venit*, vtique Antichriſtus. De quo addit idem Ioannes: *Et cum venerit, oportet illum breui tempore manere*, vt ſignificet, licet priores Reges non in vna perſona, ſed in plurium ſucceſsione durauerint, quia ætates illæ diuturnæ fuerunt, vltimam vero futuram eſſe breuiſsimã, & ideo Regem in ea pugnaturum, vnam tantum, & ſingularem futuram eſſe perſonam. Iuxta hanc tamen expoſitionem beſtia, quæ ſtatim octaua eſſe dicitur, non intelligitur eſſe Antichriſtus, ſed diabolus, qui dicitur *fuiſſe*, in prioribus, quia ſolutus erat, nunc vero in ſexta ætate dicitur *non eſſe*, quia ligatus per Chriſtũ eſt, & poſtea dicitur *aſcẽſurus de abyſſo*, quia ſoluetur tẽpore Antichriſti, & in ipſo veniet, & cum ipſo regnabit.

Per ſeptem Reges aliqui intelligunt bonorum perſecutores in ſeptẽ mũdi ætatibus.

In ea opinione diabolus beſtia illa eſt.

7. Altera expoſitio ſupponit, per beſtiam non dæmonem, ſed Antichriſtum intelligi, vel potius imperium Romanũ non abſolute, & in tota ſua amplitudine, ſed vt operans myſterium iniquitatis, id eſt perſecutionis Chriſtianorum in præcurſoribus Antichriſti, vſque ad Antichriſtum verum, qui omnem iniquitatem effundet. Et ſic beſtia illa in Nerone incepiſſe optimè, & conſentaneè ad Paulum intelligitur. Dicitur autem habere capita ſeptem propter Imperatores ſucceſſores eius: Subquibus aliqui putant, comprehendi omnes, qui in illo imperio perſequuti ſunt Chriſtianos, ſiue plures, ſiue pauciores fuerint, ſumpto numero certo pro incerto, ſeu pro vniuerſali. Sed difficile hoc creditu eſt, cum Ioannes diſtincte numeret quinq; qui præceſſerunt, & vnum, qui eſt, & alium, qui futurus eſt, hæc enim tam diſtincta cõputatio non fit in numero incerto. Et ideo alij propriè verba intelligunt de ſeptem tantum Imperatoribus, qui poſt Neronem vſque ad Neruam fuerunt. Illo enim tempore Ioannes vixit, & prophetauit, & ideo tantum myſterium iniquitatis, quod in eo tempore, in quo ſcribebat, partim præceſſerat, partim agebatur, partim duraturum proximè erat, commemorauit, inde vero ad Antichriſtum tranſitum fecit. Quod etiam difficile videtur. Cur enim alij ibi non numerantur, præſertim Traianus, qui eodem fere tempore, & viuẽte Ioanne, acerbiſsime Chriſtianos vexauit? Vnde addi poteſt, per ſeptẽ Reges intelligi poſſe aliquos inſigniores Chriſti perſecutores, qui inter ethnicos Imperatores Romanos fuerũt, & typi fuerunt Antichriſti. Quanuis enim Eccleſiæ perſecutiones varijs modis numerẽtur, nihilominus ſub aliqua nõ contẽnenda cõſideratione ad eũ numerũ reduci poſsũt, qui illi viſioni accommodari poſsit. Seuerus enim Sulpitius lib. 2. ſacr. hiſt. nouẽ tantũ numerat Eccleſiæ perſequutiones, illas à Nerone inchoãdo. Alij vero ab eodẽ principio numerãt decẽ, teſte Auguſtino li. 18. de Ciuit. c. 52. Vnde aliquam ponit Sulpiti⁹, quæ in narratione Auguſtini omittitur, & è conuerſo: quare facile poſſemus nos illa ad ſeptem, vel octo reducere. Auguſtinus autem non putat eſſe inchoandum à Nerone, nec ſiſtendum in Diocletiano, vt alij faciũt, & ideo

Alij Antichriſtũ, & eius præcurſores intelligunt.

Septem capita nõ ſignificare numerũ incertum.

Seu. Sulp.

D. Aug.

Eccleſiæ perſecutiones nouẽ ſecundũ alios ſecundum alios, plures

& ideò in multo maiori numero eſſe putat, eumq́; eſſe incertum, & pro varietate temporum multiplicari.

8. Nero primus Chriſtianorum perſecutor.

Sed quidquid ſit de re ipſa in ſe, & nudè ſpectata: in ordine ad locum Ioannis, quem tractamus, non ſine cauſa dicitur, Neronem fuiſſe primum Chriſti perſecutorem, quia Ioannes non de omnibus Chriſti hoſtibus, ſed de Antichriſto, & præcurſoribus eius loquitur, & fortaſſe non abſolutè, & ſimpliciter de omnibus; ſed de his, ſuper quos Romanum Imperium, vel Romana ciuitas inſidebat. Inter hos autem Nero fuit primus, qui poſt Chriſtum publico edicto contra Chriſtum bellum mouit, propter quod de illo ſingulariter dixit Paulus, *myſterium iam operatur iniquitatis*, de quo myſterio etiam Ioannes loqui videtur, vt dixi, ideòq; merito ille reputatur initium, & quaſi fundamentum Antichriſtianiſmi myſtici in Romano imperio. Poſt illum verò numerat Ioannes alios ſeptem, in quibus eos numerare, & intelligere probabile eſt, qui nouarum perſecutionum Chriſtianorum capita fuerunt. Nam vt dixit Optat. lib. 3. aduerſus Parmenian. *Tunc noua perſecutio Chriſtianorum in Romano imperio facta eſſe cenſetur, cùm publico Imperatorum edicto noua aliqua ratione Chriſtiani diuexati ſunt*; ideòq; non omnes, qui perſecutionem ab vno incæptā continuarunt, inter perſecutores, & Antichriſtos myſticos diſtincte numerantur, ſed illi ſoli, qui vel nouis modis, & edictis perſecutionē innouarunt, vel qui eam, quæ iam ceſſauerat, redintegrarūt. Sic poſt Neronem inter perſecutores numeratur Domitianus, & poſt hunc Traianus, licet inter eos alij interceſſerint, & ſic poſſunt alij numerari, vt Marcus Aurelius, Decius, Diocletianus, Iulianus Apoſtata, vel alius ſimilis.

Poſt Neronem alij Eccleſiam perſecuti. Optat.

9. Ratio dubitandi in cōtrarium.

Obſtant verò maxime huic expoſitioni verba Ioannis, vbi de illis ſeptem Regibus ait: *Quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius non dum venit*; ſignificat enim Ioannes his verbis, quando illa ſcribebat, quinque ex ſeptem illis præceſsiſſe, & ſextum actu imperaſſe, quod ſi ita eſt, non poterunt in illo numero computari Imperatores, qui poſt Ioannem fuerūt, vt Decius, Diocletianus, & alij.

Reſponſio.

Poſſet tamen quis dicere Ioannem loquutum A eſſe prophetico more de re futura, partim vt præterita, vel præſenti, partim vt futura diuerſis reſpectibus in ordine ad imperium Chriſtianum. Ita vt cecidiſſe dicat Ioannes illos quinque præcipuos Chriſti hoſtes, qui ante Chriſtianos Imperatores, id eſt, ante Conſtantinum Eccleſiam perſecuti ſunt, quales probabiliter exiſtimari poſſunt primi quinque, illi, qui proxime poſt Neronem imperarunt, ſcilicet Galba, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, & Nerua. Prætermiſſis Othone, & Vitellio, quorum propter temporis breuitatem non habetur ratio: B & non computato Nerone, quia neceſſe non eſt, vt in illo numero comprehendatur. Sextus verò, qui additur tanquam præſens, non male intelligi poteſt Licinius, qui ſtatim in principio imperij Chriſtiani tempore Conſtantini grauiſſimè Chriſtianos perſecutus eſt, teſte Euſebio in vita Conſtantini lib. 1. cap. 4. & lib. 2. cap. 1. & in Hiſtor. lib. 10. cap. 9. Euſeb.

10. Iuliani perſecutio grauiſsima.

Alter verò qui venturus poſtea dicitur, non immerito Iulianus Apoſtata intelligi poteſt, in quem recte conuenit illud, quod Ioannes ſubiungit: *Oportet* C *illum breue tempus manere*, & fuit vltimus Imperator Romanus, qui Chriſtum ipſum, & Chriſtianum nomen perſequutus eſt. Nam licet multi alij Imperatores hæretici Eccleſiam Catholicam impugnauerint, vt Conſtans, & Valens, Conſtantinus Copronymus, & ſimiles, illi tamen non contra Chriſtum apertum bellum mouerunt, ſed ſub nomine Chriſtiano veros Chriſtianos inſequebantur. Aliorum verò perſecutorum Eccleſiæ, (licèt plurimi in varijs regnis, & ſectis fuerint) hic ratio non habetur, quia (vt dixi) ſolum de Romano imperio Ioannes loquebatur. D Veruntamen hæc omnia incerta eſſe fatemur, quia non certa verborum expoſitione, ſed ſola coniectura, & humana accommodatione nituntur; ea tamen ſolum proponimus, vt oſtendamus, quocunque modo probabili locus ille exponatur, ex illo non colligi octauum illum Regem, per quem Antichriſtus deſignatur, eſſe corpus aliquod tyrānorū, aut ſeriē Regū ſibi ſuccedentium, ſed futurū eſſe certū & ſingularē hominē, ſicut fuit Nero, vel Diocletianus, & alij Imperatores ibi deſignati.

11. Rex Angliæ per ſeptem capita, ſeptem formas regiminis Romæ intelligit.

At verò Rex Angliæ his expoſitionibus non contentus, nouam vel inuenit vel à ſuis Proteſtantibus didicit, ad hoc ſolum inuentam, vt ad Apoſtolicam ſedem reuelationem illam Ioannis accommodent. Ait enim, ſeptem Reges non eſſe perſonas certas, nec Imperatores Romanos, ſed varias formas regiminis, quæ in ciuitate Romana à principio eius vſque ad eius deſtructionem erunt, quas dicit eſſe ſeptem, & illas intelligi per ſeptem capita beſtiæ, ſeu per ſeptem Reges, quos per ſeptem capita ſignificari, Euãgeliſta declarauit: *Nam Romæ* (inquit) *Reges primo fuerunt, deinde exactis Regibus, Conſules, Dictatores, Decem viri, Tribuni militum. Sexta erat, quo tempore Ioannes conſcripſit Apocalypſim, Cæſarum Imperatorum, ſeptima, quæ nondum venerat, & exiguo tempore erat duratura, Eccleſiaſtica eſt Epiſcoporum, quæ tranſlationẽ Imperij Roma Cõſtantinopolim ſubſequuta eſt. Licet illorum regimen* (ait) *Imperatoribus quodammodo fuit ſubordinatum.* Et infra addit, Octauam eſſe Antichriſtum, quod multis verbis declarat, dicens, illum eſſe regimen eorundem Epiſcoporum Romanorum, quod poſt annos 276. in eadẽ ſede ſubſequutum eſt, vtique à tempore Bonifacij tertij, vt inferiùs expreſſe dicit. Quæ omnia ſine vlla probatione, ſola dicendi authoritate producit.

12. Oſtenditur ſine fundamento hæc effingi.

Prius quam de hac interpretatione iudicium proferam, Tertulliani animaduerſionem præmittendam cenſui, in lib. de Præſcriptio. cap. 17. dicentis, *Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones neceſſario nolunt agnoſcere ea, per quæ reuincuntur, & his nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt.* Hoc igitur in tota hac cauſa de Antichriſto Proteſtantibus accidiſſe vel ex hac ipſa interpretatione, quam tractamus, manifeſtum eſt. Nam in primis in tota illa auctoritatem aliquam fide dignam, vel probationem requirimus, nam ſi hęc omnia tanquam dictata prophetico ſpiritu vendicantur, oportet, vt talis propheticus ſpiritus aliquo ſigno, vel modo ſufficiente nobis oſtendatur, ſi autem ſola humana coniectura, vel potius accommodatione inuenta ſunt, qua facilitate dicuntur, contemnuntur. Non ſolum

A

quia humana coniectura plerumque fallitur, ſed etiam quia illa nullum habet in textu fundamentum, neque in verbis. Imò Rex illa detorquet ad peregrinam, & inuſitatam ſignificationem. Qualis eſt quod per quinque Reges, qui præceſſerunt, ſeu ceciderunt, intelligãtur Reges, Conſules, Dictatores, Decemuiri, & Tribuni Romanæ ciuitatis: & ideò nullus ante Nouatores, illos Reges ita intellexit. Deinde immeritò illa quinque mẽbra numerantur vt quinque regimina illius ciuitatis inter ſe diſtincta, & ſibi ſuccedentia. Nam Conſules, ex quo incœperunt ſemper durarunt, & ordinarium regimen tenuerunt, vſque ad Imperatores. Nunquam enim ante Iulium Cæſarem fuit in illa Republica ordinarium regimen per Dictatorem, ſed ſolum per occaſionem interdum ad breue tempus creabatur. Ideòq; Conſules, & Dictatores dici non poſſunt multiplicaſſe Reges, vel ordinaria regimina in illa Ciuitate. Nam Conſules ſemper durabant, etiã ſi ſuborta graui occaſione, Dictator crearetur, qui poſt ſex menſes, vel ceſſante occaſione, ceſſabat. Vnde ſolũ erat quaſi extraordinarium ſubſidium, non regiminis mutatio.

Dictatores peculiarem formam re- [illegible] [illegible] [illegible].

B

Liuius Decad. [illegible] 3. [illegible] *di.*

C

Eademq; vel maior ratio in decem viris militat, quia decem viri non ad mutandum reipublicæ regimen, ſed tantum legum ferendarum cauſa creati ſunt, & interim poteſtatem regendi Rempublicam acceperunt. Intra triennium autem ceſſarunt, & partem illius temporis non tam reipublicæ authoritate, quàm vi obtinuerunt. Hoc autem non ſatis eſt, vt illa cenſeatur peculiaris regni, ſeu regiminis mutatio, alioqui etiam numeranda eſſet mutatio regni in inter regnum, in quo centum gubernabant, vnus tamẽ cæteris præerat, cuius imperium tantum per quinque durabat dies, & ita viciſſim inter ſe per anni circuitum ſortiebantur. Nam hæc ratio gubernandi non minus à regno diſtat, quam decemuiratus à Conſulatu, nec minori tempore interregnũ, quàm decemuiratus durauit. Tandem eadem fere ratio in tribunis militum vrget. Quia propter tribunorum militum adiectionem, nihil de regimine, vel de Conſulibus immutatum eſt, ſed illi ſunt adiuncti de plebe tribuni militum, ſolo

13. Idem dicendum de Decemuiris.

D

fere

ferè nomine à Conſulibus diſtincti. Eſt A ergo illa diſtinctio, & numeratio non ſolùm voluntaria, ſed etiam in rigore falſa, & contra veritatem hiſtoriæ conſicta. Nam omnes hiſtoriæ tantum tria tempora Romanæ gubernationis vſque ad Conſtantinum diſtinguunt, Regum, Conſulum, & Imperatorum: nam cæteræ dignitates tantum fuerunt quaſi concomitantes tempora Conſulum, eoſque in diuerſis occaſionibus, vel miniſterijs adiuuantes.

14. Pontificum regimen nō ſignificatur à Ioanne per Regem qui ſeptimus dicitur.

Prætereà incredibile eſt, & intolerabile, quod ſeptimus Rex eſſe dicatur, B regimen Sanctorum Pontificum à Syluestro vſque ad Bonifacium tertium. Eo enim tempore non fuit Roma meretrix fornicaria, per idolorum cultum, nec habebat in manu ſua populum plenum abominatione, ſed doctrinæ fidei, & ſanctitatis. Nam licèt fortaſſe plures idolorum cultores in ea inuenirentur, ciuitas ipſa in Chriſtum credebat, & verum Deum adorabat, & quatenus talis erat Pontificum humeris inſidebat. Ideòque Pontificum regimen, quod eo tempore fuit, dici non poteſt eſſe vnum ex illis ſeptem capitibus. Præſertim cum C Ioannes dicat, beſtiam illam coccineam plenam eſſe nominibus blaſphemiæ, cui meretrix magna inſidebat. Impium ergo eſt cogitare, beſtiam illam, vt fornicationum fundamentum, ſeu fulcimentum, eſſe in illo capite repræſentatam aliqua ex parte, ſeu, quoad vnum caput fuiſſe Sanctorum Pontificum regimen, vel (quod perinde eſt) hoc Pontificium regnum vnū ex illis ſeptē capitibus beſtiæ fuiſſe. Præter quã quod immeritò diceretur de illo ſeptimo Rege, *Oportere illum breui tēpore manere*, ſi 270. annis durauit, nam licet cõparatione ſe- D quentiũ illud regimen ſit minus diuturnũ, abſolutè, & in ſe non poteſt dici breue. Et præſertim quia cõparatione præcedētium, fuit diuturnius, quam primorum Regum Romanorum, qui ſeptem tantũ fuerunt, & iuxta receptam ſentētiam ad ſummum annis 240. durarunt, & ab initio Conſulum vſque ad initium imperij Auguſti ſolum 478. anni tranſierunt, iuxta communiorem computationem. Vnde ſi ille numerus annorum in tria regna diuidatur, vt Rex vult, quodlibet eorum longe breuiori tempore durauit, quam regnum illud Sanctorum Pontificum, quod Rex ſeptimum facit: cur ergo de illo potius, quàm de omnibus præcedentibus dictum fuiſſet, oportere illud breui tempore manere? Neque omittam aduertere, falſum omnino eſſe, quod Rex obiter, & quaſi aliud agens, interponit, regimen illorum Pontificum Imperatoribus fuiſſe ſubordinatum, contrarium enim in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Cõtrariũ repugnat verbis Apocalypſis.

15. A tempore Bonifacij nihil ex antiqua fidē immutatum.

Denique quod ſupponit, regimen Pōtificium, ſeu Romanorum Epiſcoporum à tempore Bonifacij tertij adeò fuiſſe diuerſum à regimine ſuperiorum Pontificum, vt ex Chriſtiano factum ſit Antichriſtianum, dogma hæreticum eſt, & impia Proteſtantium, ac mera impoſtura, contra omnem hiſtoriam; imò contra experientiam vſque ad hodiernum diem. Nam eadē fides, quæ in prioribus fuit, in Bonifacio tertio, & ſucceſſoribus eius perſeuerauit, & Primatus, quem idem Bonifacius habere voluit, & profeſſus eſt, nō per rapinam vſurpauit, ſed à ſuis prædeceſſoribus (vt ſic dicam) hæreditauit, eundem enim illi exercuerunt, & tutati ſunt; vt in ſuperioribus demonſtratum eſt, neq; in vlla re alia ſubſtantiale diſcrimē regiminis Eccleſiaſtici oſtendi poteſt. Eſt ergo vana illa diſtinctio regiminum in Romana ſede, & cõſequenter tota expoſitio Regis, totaque calumnia Antichriſtianiſmi Romanis Epiſcopis impoſita euaneſcit. Ac tandem euidenter cõuincitur, ex dicto loco Ioãnis non colligi, Antichriſtum eſſe ſeriē plurium hominum in eodem regno, ſed potius contrarium indicari, nimirum, illum futurum eſſe aliquem ſingularē hominem, licèt ex alijs Scripturæ locis id euidentius comprobetur.

CAPVT V.

De tempore perſecutionis, & mortis Antichriſti.

1. Per ſingula procedendum.

QVANVIS ex ſola proprietate nominis Antichriſti, & certitudine, ac ſingularitate perſonæ eius, euidentiſsimum ſit, ineptiſsimè ad thronum Romanę ſedis applicari ea, quę de Antichriſto prædicta ſunt, nihilominus

nus, quia Rex Angliæ contrarium nititur ſaltem coniecturis oſtendere, diſcurrendo per tria capita, ad quæ reuelationes de Antichriſto factas reducit, ſcilicet, ad tempus aduentus eius, ſedem eius, & deſcriptionem perſonæ eius, operæpretium exiſtimamus ſingula ponderare, & in omnibus oſtendere, non ſolum coniecturam probabilem ad id, quod intenditur, inde non ſumi, verum potius oppoſitum ex ſingulis conuinci. Incipimus autem à temporis circũſtantia, quia notior, & euidentior eſt.

2. De Antichriſto quatuor prędicta, ortus: regnũ: perſecutio: Mors.

De Antichriſto autem quatuor nobis prædicta ſunt, ſcilicet, venturum in hũc mundum, regnaturum in eo, perſequuturum Eccleſiam, ac tandem interficiendum eſſe à Chriſto. Hæc omnia patent: nam de aduentu eius dicitur Daniel. 7. *Ecce aliud cornu paruulum ortum eſt de medio eorum*, de regno ſubditur: *Porro cornua decem ipſius regni, Reges decem erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior prioribus, & tres Reges humiliabit.* De perſecutione verò dicitur ibidem: *Sermones contra excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret.* Denique de illius fine ſubditur: *Iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem.* Et clariùs Paul. 2. Theſſal. 2. *Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & illuſtratione aduentus ſui.* Iuxta hæc igitur quatuor, totidem puncta de tempore aduentus inquiri poſſunt, primum quo tempore orietur in hoc mundo, ſecũdum quando regnare incipiet, & quãto tempore regnabit, antequam aperto marte contra Eccleſiã pugnare incipiat, tertium quando incipiet perſequi Chriſtianos, quantumvè temporis in hac perſecutione durabit; quartum quando interficietur, id eſt, quanto tempore ante iudicij diem. Et quanuis ordine temporis ortus, & regnum eius priora futura ſint, nobis tamen notiora eſſe poſſunt tempora perſecutionis, & mortis eius, quia clarius ſunt in Scriptura reuelata, & ideò de illis prius in capite præſenti dicemus, de alijs verò duobus temporibus in ſequentibus.

Dan. 7.

2. Theſſ. 2.

Proteſtantes ergò varie de perſecu-
3. tione, & fine Antichriſti loquuntur: nam de initio eius quidam dicunt, ab initio Eccleſiæ fuiſſe, vt duobus capitibus præcedentibus viſum eſt. Alij in quadringenteſimum Chriſti annum illud initium referunt, alij in ſexcenteſimum ſexageſimum ſextum, vel circa; alij circa ſeptingenteſimum; alij circa milleſimum ducenteſimum, vt latè tractat Bellarminus libro 3. de Romano Pontifice cap. 3. Rex verò Angliç eam ſententiam eligere videtur, quæ initium Antichriſti ponit anno circiter ſexcenteſimo. Dicit enim in Præfatione pagina 98. incœpiſſe Antichriſti regnum ducentis ſeptuaginta ſex annis poſt translationem imperij Roma Conſtantinopolim per Conſtantinum factam, quæ, vt probabilius creditur, anno trecenteſimo trigeſimo Chriſti facta eſt, ex quibus, additis ducentis ſeptuaginta ſex, efficiuntur ſexcenti ſex, quo tempore Bonifacius tertius ſedit, à quo Antichriſtum incœpiſſe Rex affirmat. Neq; ipſe inter perſecutionem, & regnum diſtinguere videtur, quia ſub eodem Bonifacio vtrunque incœpiſſe autumat. Imò ſentit, non aliter incœpiſſe regnum Antichriſti, quàm inchoando perſecutionem, noua dogmata cudendo, & ipſius Chriſti poteſtatem in terris vſurpando. De tempore autem durationis eiuſdem perſecutionis ſentit, non eſſe definitum, ſed eſſe totum tẽpus futurum ab eiuſdem perſecutionis initio vſque ad finem mundi, vel prope illum. De tempore namque mortis ipſius Antichriſti, ſeu fine perſecutionis, & regni eius nihil etiam Rex definit, ſed ignorari ait, quanto tempore ante diem iudicij ſit futurum, vt patebit ex fundamentis eius, quæ capite ſequenti expendemus.

Variæ Proteſtantium opiniones de tempore aduentus Antichriſti.

Bellarm.

Rex Angliæ circiter annum Chriſti ſexcenteſimum ponit aduentum Antichriſti.

4. Perſecutio Antichriſti iudicij diem non multũ præcedet.

Nos autem in primis ſtatuimus, id, quod fortaſſe neque Rex, neque alij Proteſtantes negabunt, perſecutionem Antichriſti propè iudicij diem finiendã eſſe, ſeu (quod perinde eſt) iudicium non multo poſt conſummatam, & finitam Antichriſti perſecutionem, ſed proximè, & quaſi immediatè poſt illam, futurum eſſe. Ita videtur apertè prædicere Chriſtus Dominus Matthæ. cap.
24. *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum Sol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, virtu-* Matt. 24

Probatur ex Matthæo. *virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & maieſtate.* Quæ verba euidenter deſcribunt ſecundum Chriſti aduentum ad iudicium, nec de hoc fuit vnquam nec poteſt eſſe controuerſia. At verò tribulatio illorum dierum, de qua in eiſdem verbis fit mentio, plane eſt tribulatio ſub Antichriſto futura, de qua paulò antea dixerat Dominus: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet.* Dices, multos Patres, & expoſitores intelligere hæc verba de tribulatione Iudæorum in deſtructione Hieruſalem per Titum, & Veſpaſianum. Nam hanc prędixerat Daniel. cap. 9. vbi prædicit futuram abominationem deſolationis in templo, cuius Chriſtus in eodem loco meminit, dicens: *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat, tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Reſpondeo, licèt probabile ſit, Chriſtum hanc etiam tribulationem voluiſſe comprehendere, tamen negari nõ poſſe, quin ſimul, & pręcipue loquatur de tribulatione ſub Antichriſto futura. Tum quia hoc conſonat antecedentibus, & ſubſequentibus verbis. Diſcipuli enim ſimul de tempore deſtructionis templi, & conſummationis ſeculi, & aduentus Domini ad iudicandũ interrogarunt, quia forte putabant ſimul eſſe futura, & ita Chriſtus reſpondet verbis, quæ ad vtrãq; tribulationem poſsũt applicari, & poſtea tandẽ de iudicio apertè ſermonem inſtituit. Tum etiã quia in rigore ſola tribulatio Antichriſti erit ita magna, vt nulla ſimilis antea fuerit, vel futura ſit poſtea. Et ideò de illa maximè loquutus eſt Chriſtus, eademq; merito dici poteſt *deſolatio abominationis,* id eſt, Antichriſti. Nam vt Irenæus rectè expoſuit lib. 5. c. 25. ipſemet Antichriſtus *abominatio deſolationis* merito vocatur. *Abominatio* quidẽ, quia erit homo ſumme abominabilis, & cognominatur *deſolationis,* quia in ſanctis, & Chriſtianis incredibilem deſolationem efficiet. Ergo ex verbis Chriſti ſatis colligitur, ſtatim poſt finitam, & cõſummatam tribulationem ab Antichriſto Eccleſiæ Chriſti faciendam, incœptura eſſe ſigna diei iudicij, & paulò poſt, Chriſtum eſſe ad iudicandum venturum. Quod ex ſequẽtibus magis confirmabitur.

Obiectio.

Dan. 9.

Reſponſio.

Antichriſtꝰ rectè dicitur abominatio, & eius perſecutio, tribulatio.

D. Irenæ.

A

Addimus ergo ſecundò, tribulationẽ illam cum morte, & per mortem eiuſdẽ Antichriſti, & non antea eſſe terminandam: nam licet Chriſtus ibi hoc non expreſſerit, in alijs Scripturæ locis euidenter declaratur, Paulus enim 2. ad Theſſalon. 2. ſic inquit: *Et tunc* (id eſt ſublato Romano imperio) *reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis.* Ex quibus verbis aperte colligitur, non deſtiturum Antichriſtum â perſecutione ſua, donec ab ipſomet Chriſto, eiusque iuſſu, & imperio interficiatur. Nam tribulatio illa maxime conſiſtet in coactione per tormenta, in inductione per promiſsiones temporales, & in ſeductione per portenta, & falſa prodigia; ab his autem non deſiſtet ille iniquus, donec à Chriſto interficiatur, & potentia eius deſtruatur; ergo, teſte Paulo, tribulatio finitur per Antichriſti mortem, & non antea. Et hoc idẽ ſignificauit Daniel cap. 7. dicens, per tribulationem illã *Sanctos tradendos eſſe in manu Antichriſti vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Et ſtatim ſubdit: *Et iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpareat vſque in finem.* In quo loco de Antichriſto ad literam loqui, manifeſtum eſt, & omnes Patres, & expoſitores Catholici vnanimi conſenſu docẽt. Vnde idem Daniel in cap. 8. loquens de Antiocho dicit: *Contra Principem Principum conſurget, & ſine manu conteretur,* quę verba dicta etiam eſſe de Antichriſto in perſona Antiochi repræſentato, author eſt Diuus Gregorius libr. 30. Morali. cap. 12.

5. Tribulatio Antichriſti ante ei mortem nõ terminabitur.

2. Theſſal. 2.

B

In quo conſiſtit illa tribulatio.

C

Dan. 7.

D

Dan. 8.

D. Greg.

Denique Apocalyp. 19. de Antichriſto, & quodam pſeudopropheta eius, qui *fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ,* dicitur, *Viui miſsi ſunt iſti duo in ſtagnum ignis,* additurque de ſocijs eorum. *Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper*

6. Perſecutione Antichriſti eius morte terminãdam.

Apoc. 19.

 equum,

equum, nimirum, Chriſti, quem prius ſe vidiſſe Ioannes narrauerat. Conſtat igitur finem tribulationis ſub Antichriſto futuræ, etiam eſſe futurum finem imperij, & vitæ eius. Nam licèt ſit diſſenſio inter Catholicos, an in hoc mundo interficiendus ſit propter Pauli verba, vel viuus in infernum tradendus, vt Ioannes ſignificat, vel viuus abſorbẽdus à terra per hiatum eius, vt intra illam concluſus ibi moriatur, & ſepeliatur, & anima in infernum deſcendat, vt ita facilius loca concilientur: hæc quæſtio nihil ad rem præſentem refert, quocunque enim modo ille præſentem vitam in hoc mundo inter mortales finiat, ſatis nobis eſt, non prius amiſſurum regnum, vel à perſecutione ceſſaturum, quam viuere in hoc mundo deſinat.

7. Perſecutio Antichriſti tres annos cum ſemiſſe durabit. *D. Iren.* *Lactant.*

Tertiò dicendum eſt, perſecutionem illam breui tempore eſſe duraturam, nimirum, tribus annis cum dimidio, ac ſubinde totidem annis ante mortem Antichriſti eſſe inchoandam. Ita docent Patres omnes, Irenæ. libro 5. cap. 30. Hippolit. de Conſummat. mundi, Lactant. libr. 7. cap. 17. *Dabitur* (ait) *Antichriſto deſolare orbem terræ menſibus quadraginta, & duobus*. Idem Cyrill. catecheſ. 14. Chryſoſtom. Homil. 49. in Matthęum, in Imperfecto, Ephrem tract. de Antichriſto, Hieronym. Danielis 17. & 12. dicens, *Sanctos permittendos eſſe poteſtati Antichriſti per tres annos, & dimidium*. Item Auguſtin. 20. de Ciuitate cap. 18. & 23. dicens, *Antichriſti aduerſus Eccleſiam ſæuiſſimum regnum exiguo ſpatio duraturum eſſe, qui vel dormitans hæc legerit, dubitare non poſſe*. Et ſtatim idem tempus declarat, Idem habet Proſper in Dimidio tempor. cap. 17. & Raban. in tractatu de Antichriſto, qui fertur ſub nomine Auguſtini. Et eadem eſt communis ſententia interpretum Daniel. 7. & 12. vbi præſertim Theodoret. & in Apocalypſi. 8. & ſequentib. Victori. Primaſij, Bedæ, Anſelmi, Ruperti, Aret. & recentiorum.

D. Cyril. *Chryſoſt.* *D. Ephrē.* *D. Hiero.* *D. Aug.* *D. Proſpe.* *Raban.* *Theodore.* *Victor.* *Primas.* *Beda.* *Anſelm.* *Rupert.* *Aret.*

8. Probatur ex cap. 7. Dan. *Dan. 7.* *D. Hiero.* *Theodor.*

Fundaturque hæc ſententia primò in verbis Daniel. 7. *Tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. In quibus verbis nomine *temporis* annus ſignificatus eſt, vt notant ibi Hieronymus, Theodoret. & omnes, & Auguſtin. 20. de Ciuit. cap. 23. & patet ex Daniel. 4. *Donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum*. Et iterum: *Septem quoq; tempora mutabuntur ſuper te*. Idemque inferius repetitur. Eſt ergo ille vſus Scripturæ maximè in illo Propheta, quem Ioannes in Apocalyp. imitatus eſt. Item neceſſe eſt, vt ibi tempus ſignificet definitam aliquam temporis mẽſuram, quia aliàs non poſſet numerari: non poteſt autem ſignificare horam, diem, hebdomadam, aut menſem, quia eſſet nimis paruum tempus, nec ſignificat multitudinem aliquam annorum, quia eſſet nimia duratio contra alia loca Scripturæ. Denique tempus in motu Solis præcipue conſpicitur, cuius integra reuolutio annum conſummat, & ideò meritò nomine temporis, vel vnius temporis ſignificatur, quando enim incipit altera ſolis conuerſio, quaſi nouum tempus inchoatur, in nulla verò multitudine annorum poteſt tam certa ratio metaphoræ occurrere, vt nomine temporis in ſingulari ſignificetur. Vnde etiam intelligitur, quando dicitur *per tempus*, perinde poſitum eſſe, ac ſi diceretur, per vnũ tempus, maximè cum ſtatim additur, *& tempora*. Hoc autem plurale de duobus intelligendum eſt, & non de pluribus, tum quia illud ſufficit ad vim vocis, cuius amplitudo coarctanda eſt, ne in immenſum creſcere, & ſine termino ampliari poſsit, quod repugnat intentioni prophetiæ, & additioni dimidij temporis, quæ ſtatim fit, & plane indicat, tempus illud ſtrictè ſumi: tum etiam quia vt Hieronym. & Auguſtin. ſuprà notant, in Hebræo ibi eſt numerus dualis, qui Latinis non eſt in vſu, & ideò pluralis pro duali poſitus eſt. Igitur vox *tempora*, ibi duos annos ſignificat; ſunt ergò tres anni cum dimidio.

D. Aug. Tempus nomine annus ſignificatur. *D. Hier.* *D. Aug.*

Accedit (vt notat Auguſtinus ſupra) quod hoc tempus per dierum numerum ab eodem Propheta explicatur; ſic enim ait, cap. 12. *Et à tempore, quo oblatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*, qui efficiunt tres annos cum dimidio, & ſuperſunt duodecim dies, quod non refert, quia non oportet dimidium annum eſſe præciſum, nam communi ſermone dicitur annus dimidius, etiam ſi ali-

9. Probatur idem ex ca. 12. eiuſdem Prophetæ. *Dan. 12.*

ſi aliqui dies vltra ſex menſes ſuperſint. Præterea Apocalypſis. 12. ſimiliter dicitur: *Poſtquam vidit Draco, quod proiectus eſſet in terram, perſequutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum, & datæ ſunt mulieri* (id eſt Eccleſiæ) *alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.* Qui locus intelligitur ab omnibus de tempore perſequutionis Antichriſti in eadem illarum vocum ſignificatione. Vnde paulò antea in eodem capite per dies idem tempus declaratur, dum dicitur: *Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habet locum paratum à Deo, vt ibi paſcãt eã diebus mille ducentis ſexaginta.* Et ſimiliter cap. 11. per dies, & menſes idem tempus explicatur, dum dicitur: *Ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus,* & de prædicatione Eliæ, & Enoch ſubiungitur: *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis.* Qui non conficiunt integros annos tres cum dimidio, deſunt enim 18. dies.

Probatur etiam ex Apocalypſi. Apoc. 12.

Apoc. 11.

10. Difficultas.

Vnde oritur difficultas, quia ſuprà dictum eſt, hoc tempus menſium, vel annorum non eſſe præciſum quoad dies, quia nonnullis diebus pluribus abundat, hic autem deficiunt dies, fieri tamen non poteſt, vt in eodem menſium numero ſit exceſſus, & defectus dierum. Dicendum verò eſt, hoc ita eſſe in ordine ad eundem effectum, ſeu ad eandem rem, quæ narratur, ſecus vero eſſe poſſe in ordine ad res diuerſas. Quocirca quoties fit numeratio per dies, numerus dierum ſine dubio eſt præciſus, quia hoc requirit veritas narrationis, licèt non oporteat, extremos dies eſſe completos, ſed ſit ſatis eſſe inchoatos. Similiter etiam narratio per menſes requirit præciſum numerum quoad menſes, vltimus tamen poteſt eſſe non impletus, & ideò in numero dierum non requiritur tanta præciſio. Quod ſi certo numero menſium addatur dimidium, tunc neceſſe eſt, reliquos menſes eſſe integros, quia dimidij menſis additio hoc requirit ad numeri menſium veritatem, & nihilominus quoad numerum dierum non requiritur tanta æqualitas, nam dimidium menſis dicitur menſis nõ

Solutio.

A completus, ſiue ſit præciſe dimidius, ſiue plures, aut pauciores dies, quàm quindecim fuerint.

Idem ergo eſt cum numerantur tot anni, verbi gratia tres, & additur dimidium, nam priores anni requiruntur integri, in dimidio autem poteſt eſſe varietas, quia non ſemper requiritur aut completus, aut præciſus quoad numerum dierum, & menſium integritatem. In præſenti ergo tempus perſecutionis Antichriſti ſine dubio erit trium annorum cum ſemiſſe. Et quia in alia numeratione per dies adduntur B aliqui dies vltra præciſum tempus trium annorum cum dimidio, ideò neceſſario ſunt intelligendi illi anni quoad præciſum numerum dierum, etiam ſi non oporteat, vt dixi, vltimum diem integrum eſſe. Non eſt autem neceſſe prædicationem Eliæ, & Enoch durare toto tempore, & omnibus diebus perſecutionis Antichriſti, poterunt enim mitti aliquot diebus poſt inchoatam perſecutionem, vel quod veriſimilius eſt, occidi aliquot diebus ante mortem Antichriſti, & conſequenter ante finitam eius perſecutionem, & ideò licet prædicaturi dicantur Elias, & Enoch per tres an- C nos, & dimidium, vel per quadraginta & duos menſes, nihilominus poſſunt nõ eſſe integri quoad numerum dierum, licet in perſecutione non ſolum integri ſint, ſed etiam aliquibus diebus abundent. Et ſimili modo dicitur Eccleſia in perſecutione illa in deſertum fugere, & ibi manere per idem tempus annorum, & menſium, quia Sancti eo tempore fugient in montes, & ſe abſcondent in ſolitudinem, & ibi manebunt. Fieri tamen poteſt, vt non ſtatim à principio ſe re- D cipiant in ſolitudinem, ſed poſt aliquot dies ab inchoata perſecutione, & ideò quoad numerum dierum illudmet tempus annorum, vel menſium minor recenſetur.

11. Tres anni erunt integri; in medio vero poteſt eſſe varietas.

Quartò dicendum eſt, finem perſecutionis Antichriſti, & mortem eius per ſolos quadraginta quinque dies anteceſſuram eſſe diem iudicij, ſeu diẽ iudicij eſſe futurum poſt menſem cum dimidio à morte Antichriſti. Contra hanc aſſertionem tres poſſunt referri ſententiæ. Prima eſt antiqua Chiliaſtarum, qui di-

12. Mors Antichriſti anteceſſura eſt diem iudicij; diebus quadraginta quinq;.

Primus error Chiliaſtarum.

xerunt, poſt Antichriſtum debellatum regnaturum Chriſtum cum Sanctis in hoc inferiori mundo in ſumma pace, & gloria terrena per mille annos. Hanc verò ſententiam omitto, quia iam eſt ab Eccleſia reiecta tanquam hęreſis manifeſta, & quia nihil ad præſentem cauſam refert, & in alijs locis ex profeſſo tractatur à Theologis in 4.d.43.& ab expoſitoribus Apocalyp.cap.20.vbi videri poteſt Ribera,& Perer.lib. 8. in Daniel. in fine.

Secunda ſententia. *Riber. Perer. Ezech.* 38. *&* 39.

Hac ergo omiſſa ſententia, altera eſt, dicentium moram illam eſſe futurã per tempus ſeptem annorum. Quia Ezechiel.cap.38. & 39. deſcribens perſecutionem Antichriſti ſub nominibus *Gog*, & *Magog* (vt eſt probabilior expoſitio) dicit, ſuperato *Gog*, id eſt, Antichriſto, & deſtructo *Magog*, id eſt, eius exercitu, tantam eſſe futuram ſtragem inimicorum, tantamque pacem in populo Dei, vt poſt luſtratam, & purgatam terram per ſeptem menſes mortuos ſepeliendo, habitatores eius per ſeptem annos non indigeant lignis de ſaltu ad ſuccendendũ ignem, quia ſpolia ex armis inimicorum ad illum vſum ſufficient. *Ezech.* 39.

13. Tertia Regis Angliæ dicentis id certo ſciri non poſſe.

Tertia verò ſententia negat, poſſe certo ſciri quanta temporis mora inter Antichriſti mortem, & diem iudicij interceſſura ſit. Quam tanta exaggeratione tradit Rex Angliæ in Præfat. pag.74.vt dicat, *Sententiam, quam Pontificij ſequuntur; tempus illud trium annorum cum dimidio, & tot dierum, proprie, & ad amuſsim intelligendo, toti nouo teſtamento repugnare.* Nimirum quia in illo dies iudicij ignoratus ab omnibus, & repentinus futurus prædicatur. Et alioqui ſi quæ ſunt hac de re prophetiæ, tam ſunt obſcuræ propter verborum ſignificationem variam, & ſæpius metaphoricam, vt nihil certum ex eis colligi poſsit. Vnde concludit, in loco citato ſumi diem pro anno, & numerum definitum pro incerto, ſeu pro duratione diuturna.

14. Probatur aſſertio poſita auctoritate Patrum. *Hieron. Theodor. Beda. Anſelm.*

Nihilominus aſſertio poſita communis eſt Patrum. Eam docet Hieronym. Daniel.14. Theodoret. orat. 10. in Daniel. Beda Apocalyp.8. Anſelm.2.Theſſalon.2.& frequentius moderni, Bellarmin.lib.3. de Rom.Pontif. cap. 17. Ribera, & Perer. ſuprà. Probatur ex loco citato Daniel.12. vbi poſtquam dictum fuerat, perſequutionem Antichriſti duraturam diebus mille ducentis nonaginta, ſtatim additur: *Beatus, qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque.* In quo numero quadraginta quinque dies adduntur priori numero, quod non alia ratione factum intelligitur, niſi quia tot diebus, & non pluribus differendum eſt iudicium poſt finitam perſecutionem. Nam quia in illis diebus peccare poteſt, & damnari etiam ille, qui in tentatione Antichriſti firmus permãſerit, non poteſt proclamari beatus intra illum dierum numerum; qui autem peruenerit vſque ad finem illorum dierum conſtans in eadem viua fide, pronuntiatur beatus, quia iam erit finita via, poſt quam peccari non poterit. Atque ita locum illum intellexerunt authores allegati.

Bellarm. Riber. Perer. Dan. 12.

15. Opinio recentiorum. Vide Mald. lib. 1. c. vlt. Riber. Apocal. 20. n. 13. Improbatur.

Quidam verò alij recentiores, dicunt, ex illo quidem loco colligi, quadraginta quinque dies futuros ante iudicium poſt necẽ Antichriſti, non tamen ſtatim poſt illos futurũ eſſe iudiciũ, quia ibi hoc non dicitur. Veruntamẽ ſi attente põderetur vis illius beatificationis, *Beatus, qui expectat, & peruenit vſq; ad dies*, vt nos illã expẽdimus, valde probabiliter vtrũq; inde colligitur. Quia niſi finitis illis dieb⁹ mille trecẽtis triginta quinq; ſtatim eſſet futurus finis mundi, & iudiciũ, non eſſet, cur abſolutè beatificarẽtur perſeuerãtes vſque ad illum numerũ dierum, quia adhuc in periculis verſarentur. Et eadẽ ratione poſsẽt dici beati, qui perſeueraſsẽt vſq; ad dies milleducẽtos nonaginta, quia iam vicerunt Antichriſti tribulationem, & è conuerſo dici poſſent beatiores, qui vſque ad dies quatuor mille perſeuerarent. Non ergo ſine myſterio ille præciſus numerus dierum poſitus eſt, ſed quia in illo finienda ſunt bella, & pericula Sanctorum in terris. Habetque hoc argumentum, vt ſtatim dicam, magnam vim, quando tam accurate futurum tempus per dies, & numeros magnos, & paruos, perfectos, & imperfectos computatur; nam tunc denotatur magna præciſio narrationis, & quod in illo puncto myſterium aliquod ſit implendum, hic autem nullum aliud cogitari poteſt, niſi quod ille ſit finis mundi futurus, ſeu (quod idẽ eſt) iudicij dies.

16. Oiopinio aliorum. Dicunt aliqui ſignificari potuiſſe, non omnes Chriſti hoſtes, & Antichriſti miniſtros cum illo ſimul eſſe occidendos, & ideo perſecutionẽ non eiſe omni ex parte finiendam in termino illorum milliũ nongentorum dierum, ſed per alios quadragintaquinque occidendos eſſe hoſtes Sanctorum, & ideo ex tunc beatos appellari, quia in maiori tranquillitate, extinctis hoſtibus, Chriſto ſeruire poterũt etiam ſi iudicium tam cito futurum non ſit. Sed hæc eſt voluntaria coniectura, & non multum probabilis. Tum quia tempus perſecutionis ſatis præciſe numeratur Dan. 7. & 12. Tum etiã quia non eſt veriſimile, extincto mirabiliter Antichriſto, & pſeudopropheta eius, futurũ eſſe timorem hoſtiũ in ſanctis Eccleſiæ, aut futurum eſſe aliquem miniſtrum Antichriſti, qui eos perſequi audeat. Tum præterea quia Ezechiel. 39. ſub nominibus *Gog*, & *Magog*, ita deſcribitur Victoria contra Antichriſtum, omneſque fautores eius, Gog, & Magog, vt ſimul ipſe & omnes eius miniſtri ſint occidendi, ſic enim dicitur: *Super montes Iſrael cades tu, & omnia agmina tua, & populi tui, qui ſunt tecum.* Et infra: *Super faciem agri cades, & immittam ignem in Magog, & in his, qui habitãt in inſulis cõfidenter.* Hęc ergo narratio illas moras nõ admittit, neq; erunt neceſſariæ, cum non humano brachio, ſed diuina virtute, & prodigijs occidendus ſit, non tantum Antichriſtus, ſed omnis etiam exercitus, omneſque fautores eius. Ergo ratione victoriæ, & quietis à perſecutione Antichriſti, beati dici poſſent omnes, qui vſque ad milleſimũ trecẽteſimũ nongenteſimũ diẽ perſeuerarunt; ergo alia altiori, & veriori ratione dicũtur beati, qui vſque ad milleſimũ trecenteſimum trigeſimũquintum diem cõſtantes fuerunt, vtique quoniã ad finẽ omnium periculorum peruenerunt, & *ſtabunt in ſorte ſua in finem dierum*, ſicut ſtatim ibidem dicitur à Daniele. Hæc ergo expoſitio ſimplicior eſt, & verbis ipſis magis conſona.

Dan. 7. & 12.

Ezech. 39.

Cum Antichriſto omnes eius miniſtri occidendi.

17. *Ezech. 39.* Non obſtat locus Ezechielis. Neque obſtant verba Ezechiel. 39. de ſeptem menſibus pro ſepeliendis mortuis, & ſeptem annis pro armis hoſtium ad ignem conſumendis, quia non ſunt poſita ad prædicendum futurum, ſed ad exaggerandã præſentẽ ſtragem. Itaq; ſenſus nõ eſt aſſertiuus futurarũ actionũ, ſed potentialis, id eſt, tot erunt cadauera, vt pro ſepeliendis illis ſeptem menſes ſint neceſſarij, & tot armorũ ſpolia ad fouendũ ignẽ, vt pro ſeptẽ annis ſufficere poſſint. Vbi etiam ſeptem anni, vel menſes non certum, ſed indefinitum tempus, id eſt, longam, & longiorem moram ſignificare poſſunt, vt Bellarminus notauit. Eundemque ſenſum vidit Ribera. num. 71. & alijs teſtimonijs illum confirmat, neſcio autem cur paulo poſt illi diſplicuerit.

A

Bellarm. *Ribera.* In Ezechiel ſeptẽ anni pro tẽpore indefinito ponuntur.

B

Aduerto etiam, intelligendo locum illum iuxta corticem, & proprietatem literæ, ad ſummum inferri, futurum tempus ſeptem annorum à morte Antichriſti vſque ad iudicium, vt eodem num. 23. Ribera tradit. Quod quidem intentioni noſtræ nihil obſtaret, quia ſatis breue eſt tempus illud ad concludendũ non dum veniſſe Antichriſtum. Verumtamẽ ſuppoſito illo ſenſu, nullum relinquitur fundamentum illius excluſiuæ, nimirũ, ſolum per ſeptem illos annos differendũ eſſe iudicium, ſaltem ex vi illius prophetiæ. Quia Ezechiel tantum dicit, ignem per ſeptem annos fouendum eſſe ex ſpolijs armorum, non verò dicit poſtea non eſſe futurum mundum hunc inferiorem ad humanum vſum ignis, & lignorum, ſicut eſt. Neque hoc poſterius ex priori colligitur, ſed ſolum poſt illud ſeptennium, conſumptis iam armis, neceſſariũ fore colligere ligna, vel ſcindere arbores ex ſaltu; ergo nihil certum inde colligitur, licet breuitas tẽporis in confuſo aliunde habeatur, vt ſtatim dicam. 18.

Et ſi tẽpus certũ ſignificarent, nihil officio veræ ſentẽtiæ.

C

Vnde tandẽ addo, licèt obſcuritas prophetiarũ, & varietas expoſitionũ ſufficiat, vt ante Eccleſiæ definitionẽ non ſit certa ſentẽtia hęc de quadraginta quinq; diebus, nihilominus hoc non obſtare, quominus probabilior, vel etiam ſimpliciter vera cenſenda ſit. In quo etiam animaduerto, licèt non ſit certum de fide, tot dies, tantum vê temporis præciſe ſumptum interponendum eſſe inter finẽ Antichriſti, & diem iudicij, nihilominus certiſsimum eſſe, illud tempus eſſe ſatis breue, nec poſſe per plures annos differri. Nãm Chriſtus Dominus dixit Matt. 24. *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum Sol obſcurabitur*, non poteſt autem 19.

D

Dies à morte Antichriſti ad iudicium multi eſſe non poſſunt.

 cum

cum proprietate dici, ſtatim poſt tale tẽpus fieri, quod ſit per plures annos poſt finitum illud tempus; imò valde credibile ſit ex his verbis, ſigna illa, quæ diẽ iudicij præcedent, & mortem Antichriſti ſequentur, inceptura eſſe ante tranſactos illos quadraginta quinque dies, quia hoc indicat verbum *Statim*, â Chriſto poſitũ; & per ſe eſt neceſſarium, vt dies iudicij in fine illorũ, & poſt prædicta ſigna, vel paulo poſt eſſe poſsit.

CAPVT VI.

Primæ obiectioni Regis Angliæ contra doctrinam ſuperioris capitis ſatisfit.

1. *Apocaly.* Rex Angliæ cõtendit regnum Antichriſti longius duraturum.

TRia potiſsimum argumẽta ex Prę fatione Regis colligo, quibus probare nititur, Antichriſtũ longiori tempore eſſe duraturum, ipſe autem nihil diſtinguit inter perſecutionem, & regnum Antichriſti, quia vel æqualis durationis illa facit, vel ſaltem vtrumque cenſet longo tempore eſſe duraturum, & ideo etiam nos in hoc capite de illis tanquam de vno loquemur, nam poſtea illa accuratius diſtinguemus.

2. Fundamento caret.

Primum ergo argumentum ſumit ex cap. 13: Apocalyp. iuncto. 17. In priori enim ait Ioannes, vidiſſe beſtiam aſcẽdentem de mari habẽtem capita ſeptem. Et de eadem poſtea ſubiungit. *Et vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis eius curata eſt.* Sentit ergo Rex, beſtiam illam eſſe Romam, & vuln⁹ illud lethale, quod accepit, eſſe vaſtationem, & quaſi deſtructionem eius â Gotthis, & Vandalis factam, & hoc vulnus *curabitur*, ait, *in capite, ſiue in Rege Antichriſto, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.* Quod non aliter confirmare videtur, niſi ex conſonantia alterius capitis. 17. In quo etiam Ioãnes narrat vidiſſe beſtiam habentẽ capita ſeptem, quæ capita declarat eſſe Reges, quibus poſtea octauum addit, qui *ex ſeptem etiam eſt*, & qui *erat, & non eſt. Qui* (vt Rex exponit) *eſt Antichriſtus, qui regnare incipiet Romæ, poſtquam per operationem iniquitatis Chriſtiana Roma plane corrupta fuerit, & ſinceritatem religionis amiſerit.* Vnde quia ipſe iam hoc eſſe completum

A exiſtimat, & *lethale vulnus Romæ à Gotthis inflictum, iam dudum curatum eſt, & adhuc idem thronus Romæ durat*, infert ipſe, Antichriſtum, & regnum eius multo lõgiori tempore, quam per triennium cum dimidio eſſe duraturum.

In toto hoc argumentandi modo nullam vim rationis, vel authoritatis inuenio, quia pro libito aſſeritur, & ſine probatione ſumitur, quod proprię opinioni deſeruit, nihilominus tamen iſtud proponimus, ne aliquid prætermittere videamur, & vt dum per occaſionem hanc vi- 3.
B ſionem Ioannis explicuerimus, veritatẽ catholicam magis confirmemus. De viſione igitur capitis 13. breuiter reſpondemus, probabile valde eſſe beſtiam illã Antichriſtum repręſentaſſe. Nam omnia, quæ ſtatim de illa beſtia dicuntur, propria ſunt Antichriſti opera, & ſigna, & quia ſtatim introducitur alia beſtia, quæ priorem prædicat, & nomẽ eius adumbrat, quod omnes intelligunt de nomine Antichriſti. Et ita hũc locũ expoſuerunt Patres antiqui Irenæ. lib. 5. cap. 28. & 30. Hypolit. orat. de Conſummat. mundi, Method. in ſimili orat. Ephrem
C tract. de Antichriſto, Gregor. 33. Moral. cap. 26. Ambroſ. Rupert. Andreas, Aret. Anſelmus, & alij Apocalypſim exponentes.

Beſtia Apo. 13. non tam Romã, quã Antichriſtũ ſe ſignat.

Irenæ. D. Hypol. D. Metho. Ephrem. D. Grego. D. Amb. Rubert. Andr. Aret. D. Anſel.

4. Septem beſtiæ capita ſeptẽ Reges ſunt Antichriſti ſocij

De ſeptem autem capitibus eius, licèt varia ſit expoſitio, tamen ſimplicior, magiſq; recepta eſt, illa ſeptẽ ſignificare Reges, ex illis decem, qui tempore Antichriſti erunt, & per decem cornua apud Danielem, & Ioannem ſignificantur. Nam quia ex illis decem tres interficientur, & deſtruentur ab Antichriſto, alij vero ſeptem illi ſubijcientur, & ſociabuntur, &
D cum illo ſimul regnabunt, faſces illi ſubmittendo, ideo Antichriſtus dicitur habere capita ſeptem. Vnde quod additur, *Vnum ex his capitibus fuiſſe quaſi occiſum in mortem*, non oportet de propria perſona Antichriſti intelligi, hoc enim ibi non dicitur, ſed quod in vno ex capitibus ſuis grauiter vulnerabitur, & curabitur. Ergo non beſtia, ſed vnũ ex capitibus eius plagam accipiet, ipſa autem beſtia curabit plagam illam, ſpecie quidem externa, mirabili quodam modo, ita vt *admirata fuerit vniuerſa terra poſt beſtiam, &c.* Igitur ſenſus eſt, vnum ex illis ſeptem Regibus

gibus

gibus, qui Antichriſto ſeruient, fore lethaliter vulnerandum, fortaſſe in aliquo bello, vel propriè, & ad literā in ſuo corpore vulnus lethale recipiēdo; & poſtea ſubito eſſe ab Antichriſto dœmonis arte tam mirabili modo ſanandum, vt omnes rapiantur in admirationem, & Antichriſtum adorent. Vel certè intelligitur magis metaphorice de vulnere in ſtatu, & regno, quia aliquis ex illis Regibus vincetur ab hoſtibus, ita vt videatur omnino deſtructus, & ſuo regno priuatus, & ſubito ab Antichriſto ſumma potentia curabitur, id eſt, reſtituetur in priſtinum ſtatum, & regnum, hoſtibus ſuperatis, ita vt omnes dicāt. *Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Vel fortaſſe vtrūque ſimul continget, & ſignificatur.

5. Aliq; eiuſdē loci expoſitiones.

Vnde iuxta hanc expoſitionem cùm infrà eodem capite Antichriſtus vocatur *Prior beſtia cuius curata eſt plaga mortis*, intelligendum eſt, non in ſe, ſed in vno ex ſuis capitibus. Et eodem modo, quod infra dicitur, *quæ habet plagam gladij, & vixit*, intelligendum eſt habere in vno ex ſuis ſocijs, qui erunt quaſi membra eius. Niſi forte ipſemet Antichriſtus habiturus ſit ſeptem regna, & in vno eorum recepturus ſit plagam illam, quam ſubito reſtauret, & curet. Quocunque autem ex his modis intelligatur, inde non colligitur diuturnitas magna in regno Antichriſti, tum quia hoc totum poterit vno menſe fieri, tum etiam quia accidere poterit, antequam Antichriſti perſecutio incipiat, in progreſſu regni eius, iuxta dicenda capite nono. Et iuxta hanc expoſitionem conſtat, immerito coniungi viſionem capitis 17. cum hac capitis 13. tum quia fortaſſe beſtiæ in vtraque viſæ diuerſas res ſignificant, vt ex ſupra dictis patet; tum etiam quia licet eundem Antichriſtū ſignificent, non tamen eoſdem Reges, nam in cap. 17. ſignificantur ſeptem Reges, qui ſucceſsiue erant, ibi enim expreſſe dicitur quinque præceſſiſſe, & aliū eſſe, aliumque futurum eſſe. In capite autem 12. ſignificari videntur ſeptem Reges, qui ſimul erunt cum Antichriſto, & ita non rectè inter ſe coniūguntur. Tum denique quia licet ex cap. 17. colligatur diuturnitas neceſſaria ad illam ſucceſsionem, non tamen in proprio Antichriſto, & regno eius, ſed in

Non bene cōiūgūtur viſiones capitum 17. & 13. Apoc.

A ſucceſsione tyrannorum, qui eum præcedent, eumque adumbrabunt, & quaſi præcurrent, vt cap. 5. declaraui.

Addo verò nō deeſſe catholicos ſcriptores, qui in cap. 13. beſtiam illam interpretantur eſſe Romanum imperium, & ſeptem illos Reges eſſe fortaſſe eoſdem ſeptem, qui cap. 17. per ſeptem etiam capita beſtiæ repræſentantur. Quæ certe non eſt improbabilis ſententia, cum in dicto cap. 17. probabiliſsimum ſit, beſtiam illam eſſe Romanum imperium, vt dixi cap. 4. & veriſimile ſit, in vtroq; loco eandem beſtiam ſignificari; intelligē- B dum autem hoc puto de Romano imperio ethnico, & tyrannico in illis ſeptem capitibus repræſentato. Neque ideo excluditur communis expoſitio, quòd illa beſtia ſit Antichriſtus, intelligitur enim non adæquatè (vt ſic dicam) ſed quia erit præcipuum caput illius beſtiæ. Nam Romanum imperium (eius deleto nomine) occupabit, & prędeceſſorum ſuorū tyrannidem augebit, & cōſumabit. Qua expoſitione poſita, caput illud plagam mortis accipiens erit ipſemet Antichriſtus, qui ſe ipſum cum omnium admira- C tione ſubito curabit, ſiue plaga illa tantū fuerit verum læthale vulnus, proprie cūratum, antequam mors conſummaretur: ſiue plaga illa fuerit ipſamet mors, nō veram, ſed ficta, & curatio fuerit etiam ficta reſurrectio, vt ibi volunt Primaſi. Beda. Anſelmus, & non nulli alij, & ſentit Gregor. lib. 11. epiſt. 3. dicens, quod veniens Antichriſtus mori ſe, & reſurgere ſimulat. Nam hoc etiam veriſimile eſt, vt ſe Chriſtum fingat, & ab illis verbis nō eſt alienum. Ex quo etiam ſenſu nihil habet Rex Angliæ, quo diuturnam durationē Antichriſtiani imperij oſtēdat, quia bre- D ui tempore poterit factum illud contingere, neq; in eo capite dicit Sanctus Ioānes regnaturam eſſe beſtiam multo tempore poſtquam à plaga curata fuerit.

6. Aliqui Catholici beſtiæ nomine Imperiū Roma. intelligunt. Bellarm li. 3. de Rom. Pōtif. c. 15.

In eo ſenſu Antichriſt9 erit caput illud beſtiæ vulneratū.

Ad hanc verò expoſitionem videtur magna ex parte accedere Iacobus Rex, quod attinet ad beſtiæ ſignificationem. Nam ſicut cenſuit, in cap. 17. beſtiam eſſe regimen, ſeu imperium Romanæ ciuitatis, ita ſentire videtur, beſtiam capitis 13. idem imperium, ſeu regimen ſignificare. Vnde cōſequenter ait, beſtiā in vno ex ſuis capitibus vulneratam eſſe Roma-

7. Dictis fauet ex parte rex Iacobus.

Romam, *quæ à Gotthis lethale vulnus accepit, & poſtea curata eſt*, & deinceps *in ea multo tempore regnat Antichriſtus*. De qua interpretatione, ſeu accōmodatione, qua tenus beſtiam eſſe Vrbem, vel eius impe rium, aut regimen exponit, non controuertimus, quāuis enim minus probabilis ſit, non continet errorem contra fidem, & ideo id permittimus. Quod verò deinde addit Rex, vulnus illatum beſtiæ in vno ex capitibus ſuis, eſſe illud, quod à Gotthis, & Vandalis Roma accepit, confuſe dictum eſt, nam ſæpius Roma ab illis hoſtibus vulnerata eſt: & non explicatur, quando illud vulnus acceperit, & à quo per Antichriſtum, ſeu Antichriſti tempore ſanata fuerit. Quod, ſi per ſingula breuiter diſcurramus, manifeſtum fiet, quocunque modo id Rex intellexerit, non poſſe applicari expoſitionem.

8. Vulnꝰ illud non poteſt ſumi propri ma Gotthorū obſidione ſub Alarico.

Prima enim Gotthorum Romana obſeſsio ab Alarico facta eſt, anno Domini 410. & tunc quidem non negamus, per conuenientem metaphoram dici poſſe, Romanā vrbem lethale vulnus accepiſſe. Nihilominus tamen immerito dicitur, Ioannem de illo fuiſſe loquutū, quia vulnus illud non fuit illatum beſtiæ in vno ex capitibus ſuis, vt ait Ioannes, ſed in ipſo corpore beſtiæ, vtique in ipſa ciuitate, caput enim, quòd tunc beſtia illa habebat (vt Rex ipſe vult) Romana ſedes, ſeu Pontifex Romanus erat. At Romana ſedes nihil mali per Alaricū paſſa eſt. Nā in primis Innocētius, qui Romæ præſidebat, quādo Alaricus illā pene deſtruxit, ad pacē inter Alaricū, & Imperatorē cōponendā diſceſſerat: & Rauennę ſubſtiterat: *Deo ita prouidente, ne vrbis videret excidiū*, vt ait Oroſi. li. 7. c. 39. & attigit Sozom. lib. 9. cap. 7. & Nicephor. lib. 13. c. 35. vbi ſubiungit, Alaricum ſuis conceſſiſſe, vt domos expilarent, & opes diriperent, iuſsiſſe autem, vt vni templo, in quo tumulus Apoſtoli Petri eſt, parcerent. *Quæ res* (inquit) *in cauſa fuit, ne Roma omnis funditus interiret. Cum enim propter timorem plurimi confluxiſſent, ob Apoſtoli reuerentiam ſeruati, vrbem denuo ædificijs reſtaurarunt.* Igitur neque Petri ſedes, neque perſona Pōtificis, qui tūc ſedebat vulnus accepit, ſed ciuitas ipſa, quæ propter vitiorum multitudinē, & pręſertim propter reliquias idololatriæ cladem

Oroſ. Sozom. Nicephor.

A illam accepiſſe creditur, vt ijdem authores, & multi alij tradunt. Ergo non rectè accōmodantur ad illud excidium verba Ioannis dicentis: *Vidi vnum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem.*

9. Regis expo [illegible] dem capitis

Vnde multo minus poteſt altera pars illius prophetiæ huic interpretationi adaptari, ait enim Ioannes. *Plagam mortis, quam vnum caput beſtiæ acceperat, curatam eſſe, & admiratam eſſe vniuerſam terrā poſt beſtiam*, nimirum poſt Antichriſtum, de quo ſubditur: *Et adorauerunt draconē, qui dederat poteſtatem beſtiæ, & adorauerūt beſ-* B *tiam dicentes, quis ſimilis beſtiæ?* Vtique quia modo quodam extraordinario, & mirabili plagam mortis curauit, vt omnes exponūt. A qua interpretatione non diſcrepat Rex cum ſubdit: *Atque ita illud lethale vulnus, quod à Gotthis, & Vandalis acceperat, curabitur in illo capite, ſiue Rege Antichriſto, qui deinde exurget.* Hoc autem ſubſiſtere nō poteſt, ſi ea, quæ hiſtoriæ tradunt, cum his, quæ Rex ipſe alibi ſupponit, conferantur. Nam vulnus Romæ illatum à Gotthis, duce Alarico, ſtatim curatum eſt, non extraordinario modo, aut virtute dœmonis, ſed ſpeciali C Dei prouidentia cooperantibus hominibus communi, & ordinario modo. Ait enim Auguſtinus in tractat. ſeu ſermone de excidio vrbis, Deum ſpeciali prouidentia noluiſſe tunc Romam deſtruere, ſed caſtigare, & ideo multos ciues ſaluos ſeruaſſe, à quibus poſtea ciuitas inſtauraretur. Quod amplius declarauit Nicephorus loco, & verbis ſupra citatis, dicens, *cū ad D. Petri templum plurimi confluxiſſent, ob Apoſtoli reuerentiam ſeruatos, Vrbem denuo ædificijs inſtauraſſe.* Quæ inſtauratio per paucos annos fere ad perfectionem perduci potuit.

Niceph.

10. Roma in Vādalorum obſidione vulnus in capite nō accepit.

D Poſt annos vero quadraginta quinq; Genſericus Rex Vandalorum Vrbem obſedit, & incendere, ac demoliri incæpit, & ita Romæ, iam à priori plaga curatæ, nouam intulit. Illa autem plaga non ſolum caput Vrbis nō attigit, verum etiā interuentu eiuſdem capitis factum eſt, vt Vrbs ipſa à lethali vulnere, non tam curata fuerit, quam diuina prouidentia pręſeruata. Vnde Sanctus Leo Papa in ſermo. de Octau. Apoſtol, *Quis hanc* (inquit) *vrbem reformauit ſaluti? quis à captiuitate eruit? quis à cæde defendit? Ludus*

D. Leo.

Circen-

Circenſium, an cura Sanctorum? quorum vtique precibus diuinæ cenſuræ flexa ſententia eſt, vt qui merebamur iram, ſeruaremur ad veniam. Et infra: *libertatem noſtram, nõ ſicut opinãtur impij, ſtellarum effectibus, ſed ineffabilis omnipotentis Dei miſericordiæ deputantes, qui corda furentium barbarorũ mitigare dignatus eſt.* Hoc autem feciſſe Deũ interceſsione eiuſdem Sancti Leonis, refert Paul. Diaconus lib. 15. dicens: *Occurſu Leonis Papæ mitigatus eſt Genſericus, ab incendio, cædibus, atque ſupplicijs vrbem immunem ſeruauit.* Addit vero, omnibus opibus ablatis, plures Chriſtianos in Africam adduxiſſe. Illud autem nec dici poteſt lethale vulnus, & facile reparari potuit, vt per ſe notum eſt.

Paul. Diacon.

11. Odoacer Romana occupauit, nõ tamen vaſtauit.

Vlterius vero poſt viginti fere annos iam vrbe inſtaurata, iterum illam obſedit, & occupauit Odoacer Rex Edulorũ anno 476. vt Euagri. lib. 2. Hiſtor. cap. 16. & Nicephor. lib. 16. c. 11. & Caſsiodor. in Chron. referunt, qui tamen nõ ciuitatem incẽdiſſe, aut deſtruxiſſe, ſed tãtum occupaſſe dicũt. Imò de illo ait Caſſiodorus. *Cum extinctis aduerſarijs, Italiæ libere dominaretur, modeſte, ac temperate tanta vſum eſſe felicitate.* Nullum ergo lethale vulnus tunc inflictum eſt Romanæ ciuitati, nec proprio imperio, quo tunc regebatur, id eſt, Pontificio; Nam Simplicius, qui tunc præſidebat, nec dignitate, nec ciuitate ſua priuatus eſt, aut imminutus, ſed ciuitas in eodem ſtatu, in quo antea erat, in Simplicio, & ſucceſſoribus eius, Felice. 3. & Gelaſio toto tempore, quo Odoacer vixit, perſeuerauit.

Euagri. Nicephor. Caſsiodor.

12. Totila Romanam grauiter afflixit ſed non lethali vulnere.

Denique anno Domini, 547. & 550. Totila Gotthorum Rex Romam vexauit, & occupauit, & ex parte diripuit, ac diruit, non tamen lethale vulnus infixit, & illud qualecumque fuit, ſtatim reparatum eſt, ſeu curatum. Nam in primo ingreſſu interuentu Pelagij tunc Diaconi, & poſtea Papæ eius nominis primi, & Beliſarij Ducis, tam cum Romanis, quàm cũ ipſa ciuitate benigne ſe geſsit, & quãuis partem murorũ euerterit; paulò poſt per eundem Beliſarium inſtaurati ſunt. In ſecundo vero ingreſſu licèt Totila in principio vrbem demoliri, & deſtruere tentauerit, tandem verò, & habitatores eius reuocauit, & ipſam nouis ædificijs muniuit, & illuſtrauit. Ergo multo minus eo tempore recepit Roma lethalem plagam, aut expectare illã oportuit Antichriſtum, qui eam à ſua plaga curaret.

13. Argumẽto ad hominẽ Regis Angliæ aſſertio rafellitur.

Accedit, poſt has omnes plagas, ſeu perſecutiones, beſtiam illam, ſeu Romanam vrbem per quinquaginta ſex annos ſanam, & integram in pace ſub eodẽ imperio Pontificio, & in eadem fide perſeueraſſe (etiam ex ſententia Regis, & Proteſtantium) prius quam inceperit Antichriſtus, quẽ ipſi confingunt. Rex enim ait, Eccleſiam Romanam cæpiſſe eſſe Antichriſtianam anno 606. vltima vero Romana irruptio anno 550, præceſsit, vt dixi; ergo quando venit illud tẽpus, iam nõ habebat beſtia plagam, quę ſub Antichriſto ſanaretur. Multoque minus accommodari poteſt, quod Ioannes addit, *admiratam eſſe vniuerſam terram poſt beſtiam,* vtique propter curationem vulneris lethalis. Neque etiam ex eo tempore, vel ob illud factum potentia Romanæ ciuitatis, aut Romani Põtificis maior viſa eſt mundo, vt propterea omnes beſtiã adorarent, dicẽtes: *Quis ſimilis beſtiæ? & quis pugnare poterit cum ea?* Nec denique ex eo, quod excidium Romanum in quacumque ex dictis obſidionibus factũ poſtea inſtauratum eſt, nec ex modo, quo plaga illa curata eſt, colligi poteſt, quod Ioannes ait, *Draconem dediſſe poteſtatem beſtiæ.* Nemo enim vnquam cogitauit, inſtaurationem illam factam eſſe virtute dæmonis, ſed diuina virtute, & prouidentia, quę voluit populum ſuum corripere, non perdere, vt recte dixit Auguſtinus in dicto tract. de Excidio vrbis, & lib. 1. de Ciuitat. cap. 1. vnde nullus niſi amens, vel ethnicus inde potuit ad draconem adorandum, ſed potius ad Deũ laudandum, & glorificandum excitari; ergo nihil eorũ, quæ Ioannes eo loco prædicit, poteſt ſecundum illam fruſtra cogitatam expoſitionem accommodari.

Auguſt.

14. Male verba quædã Ioãnis textui adduntur.

Ex quibus tandem manifeſtum eſt, vltima verba, quæ ad ſuam interpretationem Rex adiecit, dicens, *Plaga mortis curabitur in ſuo capite, ſiue Rege Antichriſto, qui deinde exurget, atque ad diuturnum tempus regno potietur.* Hæc (inquam) verba vltima (quę ad pręſentem cauſam ſolum pertinebant) ſine vllo fundamẽto in illa viſione ſeu prophetia Ioannis, à Rege addita eſſe. Nam ibi nihil docet Ioannes de dura-

durationе diuturna regni Antichriſti; imò de beſtia illa, quæ in vno de ſuis capitibus vulnus acceperat, & ſanata fuerat, dicit: *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*, facere (inquit) ea omnia, quæ ibi declarantur, ſcilicet, *loqui blaſphemias contra Deum, & contra eos, qui in cœlo habitant, & facere bellum cum Sanctis, &c.* quibus perſecutio, & impietas Antichriſti deſcribitur. Ergo illa diuturna duratio Antichriſti non ſolum ſine fundamento in illo textu, ſed etiam contra eius verba excogitata eſt.

CAPVT. VII.

Alteri obiectioni Regis Angliæ ex cap. 18. Apocalypſis deſumptæ ſatisfit.

1. Secunda Regis Angliæ ex Apocal. obiectio.

SEcundo, ac præcipue colligit Rex Angliæ hanc diuturnitatem regni Antichriſti ex loco alio Apocalyp. 18. vbi prius deſcribitur ingens caſus, & interitus ciuitatis magnæ Babyloniæ, quam Rex Romanam eſſe ſupponit, & deinde prædicitur maximus planctus Regum, & mercatorum terræ ſuper illam, & timor ex admiratione deſolationis eius. Vnde Rex Angliæ ſic concludit: *Ex illo grauiſsimo planctu planiſsime conſtat, regnum Antichriſti longius triennio, & ſemeſtri ſpatio, aut vnius hominis æuite duraturum.* Hoc autem probat, quia *Reges qui cum ea fornicati ſunt, & in delicijs vixerunt, tempus habuiſſe diuturnius ad magnam illam neceſsitudinem contrahẽdam, oportuit. Mercatores autem terræ ſic eius, dum ſtetit, prolixe copias, & felicitatem oſtentant, quaſi ſuarum fuiſſet emporium diuitiarum, quæ tã exiguo tempore non poterãt, ac ne vno quidẽ ſeculo coaceruari.* Ex his ergo duabus cõiecturis concludit Rex, eſſe neceſſarium, vt regnum Antichriſti non trium annorum, nec tantũ vnius hominis vitæ, imò neq; vnius ſeculi, ſed plurium futurum ſit: quomodo autem ex illis coniecturis hoc ſequatur, non declarat, cum tamen inter ſe nullam connexionem habere videantur, vt à me breuiter explicabitur.

2. Babylon alia vera, alia myſtica.

Prius verò neceſſe eſt exponere, quę ſit illa Babylon, de qua Ioannes tã in hoc cap. 18. quam in præcedẽtibus loquitur. Duplex enim ab hominibus diſtinguitur Babylon, vna materialis, & propria

A in Chaldęa ſita, quæ initium imperij Chaldęorum fuit, alia myſtica. Et licet Andreas. capit. 53. de vtraque cenſeat poſſe Ioannem intelligi, cæteri tamen omnes pro certo ſupponunt, non loqui Ioãnem de propria Babylone, quod & ipſe ſatis indicauit cap. 17. dicens, fuiſſe in fronte ciuitatis ſcriptum. *Myſterium, Babylon magna*, illique multa attribuit, quæ non recte veræ Babyloniæ accommodantur. Loquitur ergo Ioãnes de Babylone myſtica, quæ autem illa ſit inquiro. In quo ſolum inuenio Aretam, qui cap. 53. illam B Babylonẽ, de qua Ioannes loquitur cap. 16. in fine, Conſtantinopolim eſſe, interpretatus fuerit, ſed ſine fundamento in Scriptura, vel ratione. D. Ioannes de myſtica loquitur.

3. Babylon dicitur vniuerſus mũdus.

Duæ igitur ſunt probabiles expoſitiones, vna eſt, hanc Babylonem eſſe vniuerſum mundum quoad prauorum congregationem, quam Auguſtinus Diaboli ciuitatem appellauit in libris de Ciuit. præſertim in 18. à principio. Vnde enarrat. 2. in Pſalm. 26. ſic ait: *Eſt quędã ciuitas, quæ Babylonia dicitur. Ciuitas iſta ſocietas eſt omnium impiorum ab oriente, vſq; ad occidentẽ, ipſam habet regnũ terrenũ, &c.* C Et enarrat. in Pſalm. 61. *Omnes* (inquit) *qui terrena ſapiunt, omnes, qui felicitatẽ terrenam Deo præferunt, omnes, qui ſua quærũt non quæ Ieſu Chriſti, ad eam ciuitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia myſtice, & habet Regem diabolum.* Idẽq; repetit Enarrat. in Pſa. 28. circa id: *Memor ero Raab, & Babylonis ſcientium me, Babylon* (ait) *ciuitas dicitur ſecundum ſeculum, vna ciuitas iniqua Babylon, omnes iniqui ad Babylonem pertinent, &c.* De hac ergo Babylone exponunt dictum locum Apocalypſis graues, & antiqui expoſitores. Beda, Victori. Tyconi. Homil. 16. in Apocal. D Anſelmus, Primas. Nec non etiam Ambroſ. ac Auguſtinus in cõmentarijs, quæ ſub nomine illorum inter illorum opera feruntur, pręter alios modernos expoſitores in eum locum. Et idem docuit Aretas ſuo capite 41. 42. 53. & 55. licet alijs locis aliter interpretari videatur. Nec diſſentit Andre. licèt ad alias etiam Babylones verba accommodet. Expreſſe, & optime Proſper in Dimidio temporis capite ſeptimo vbi ita exponit illud Pſalmi. *Filia Babylonis miſera, &c.* Pſal. 86. Beda. Victor. Tycon. D. Anſel. D. Amb. D. Augu. Aretas. Andr. D. Proſp.

Poſſunt

4. Poſſunt etiam pro hac expoſitione referri Petrus Damianus Epiſtola tertia ad Blancam, capite decimo ſecundo, quatenus ait, omnem animam iniquam nomine Babylonis comprehendi. Et de pęnis interni verba illa exponit: *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentorum*. Et hoc etiam habet Pacianus Paręnes. de Pęnitentia in fine. Et ſimiliter Diuus Auguſtinus, Pſalm. 149. exponit illa verba capitis decimi octaui Apocalyp. *Duplicate duplicia ſecundum opera eius, in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplicia*: intelligitque dicta eſſe de mundo, qui nomine Babylonis ſignificatur, licet prædicta verba non ad literam referat, ſed *Sit*, ait, *ſcriptum eſt, reddite illi duplum, ad quod fecit* Atque ex hiſmet verbis, ſeu locis ſit probabilis hęc expoſitio. Et præterea ex illis. *Facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi*. Hæc enim proprijſsime de ciuitate impiorum dicuntur, & vix in aliquam particularem ciuitatẽ conuenire poſſunt. Item illa, *Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum eius*, quæ ſic exponit Cyprianus lib. de Lapſis. Sicut etiã illa, *Væ væ ciuitas illa magna in qua diuites facti ſunt omnes*. Item illa, *Quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes, & in ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorũ inuentus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terra.* Hæc enim non videtur poſſe niſi ciuitati vniuerſum orbem occupanti adaptari, hæc autem eſt ciuitas impiorũ: bene ergo illa per Babylonem intelligitur. Ideq; confirmat Aretas ſuo capite 41. ex illo adiectiuo, quo ſæpe illa ciuitas *magna* vocatur, putat enim non poni ad diſtinctionem ciuitatis paruæ (ſic enim parũ emphaſis haberet, & nihil magnum ſignificaret) ſed ad denotandam abſolutam magnitudinem, id eſt, vniuerſalitatem illius ciuitatis: nam omnia loca, & omnia tempora occupauit, quod videtur etiam ſignificare Hieronymus epiſt. 17. ad Marcel. non hoc caput, ſed 13. Apocalypſis explicando.

Pet. Dam. Augustinus in Psalm. in Apocaly. Pacian. Apocaly. Apoc. 18. Apoc. 18. D. Cypri. Aret. D. Hiero.

5. Neq; eſt difficile ad hanc ſignificationem Babylonis cętera omnia quę in c. 17 de illa dicuntur, accõmodare: nam Babylon in hac ſignificatione ſumpta non eſt aliud, quam mundus in malam partem acceptus, prout eſt frequens in ſacra Scriptura, vt 1. Ioan. 5. *Mundus totus in maligno poſitus eſt, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum fides noſtra*, & Chriſtus Ioan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit*. Vnde inter tres pręcipuos ſalutis animarum inimicos mundus numeratur, & intellectus creditur à Ioanne. 1. canonic. cap. 2. per *ſuperbiã vitæ*, de qua ſtatim ſubiungit, *quæ ex mũdo eſt*. Hac ergo ratione recte dicitur de hac Babylone mundi, *Sedere ſuper aquas multas*, ſuper *populos, gentes, & linguas*. Vt infra idem Ioannes declarat. Vocatur etiã *meretrix magna*, quia rè vera *De vino fornicationis eius biberunt omnes gentes, & Reges cum illa fornicati ſunt, & mercatores terræ de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt*, & ſimilia, quibus vanitas, & mundi malitia optime deſcribitur. Ac tandem merito de illa dicitur, eſſe *Ebriã de ſãguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu*, quia omnes impij Sãctos perſecuti ſunt, & Maryres in vniuerſis mundi prouincijs, ſanguinem ſuum pro Ieſu Chriſto fuderunt. 1. Ioan. 5. Ioan. 15. 1. Ioan. 2. Apoc. 18.

Sicut autem hæc Babylon non eſt de lapidibus facta, ſed ex hominibus prauis coaleſcit, vt dixit Tyconi. dicta Homilia decima ſexta, ita eius excidium non conſiſtet in murorum, & ædificiorum demolitione, aut incendio, ſed in vltima impiorum omnium perditione. Et ita hæc Babylon non per Antichriſtum, nec ante diem iudicij deſtruetur, ſed ipſo iudicij die, & per Chriſtum, & Angelos eius iuſtitiæ miniſtros. Vnde dicitur, Apocalypſis decimo octauo. *In vno die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam.* 6. Babylõ hęc deſtruetur, cum impij perierent.

Dices: quomodo ergo *Reges terræ, & mercatores flebunt illam, & longe fient propter timorem tormentorum eius*, cum ipſi membra ſint illius ciuitatis, & tormenta eius vitare non poſsint. Reſpondeo, imò hac ratione merito ploraturos, *quia plangent ſe ſuper illam*, vt ibidem dicitur, & quia valde horrebunt illa tormenta, dicuntur, *longe ſtare*, vtique non corpore, ſed affectu, ita vt quantum in ſe eſt, fugere cupiant, ſed non poſsint. Denique iuxta hanc expoſitionem verum quidem eſt, quod Rex Angliæ aſſumit, Reges, & merca- 7. Apoc. 18. Obiectio. Solutio.

tores terræ non niſi diuturno tempore amicitiam, & negotiationem habuiſſe cum illa ciuitate, inde autem non ſequitur, Antichriſtum longo tempore regnaturum, ſed ciuitatem malorũ per multa ſecula durare, prius quàm à Deo iudicetur, & puniatur.

8. Babylonis nomine eti am Roma ſignificatur

Secunda expoſitio eſt, vt Babylonis nomine ibi Roma ſignificetur: ita vt ibi prædicetur, deſtructionem, & ſtupendam Vrbis vltionem diuinam ante finẽ mundi futuram eſſe. Quod enim Babylonis nomine Roma interdum ſignificetur, clare tradit Auguſtinus libro 18. de Ciuitat. capite ſecundo dicens, *Veram Babylonem fuiſſe primam Romam, & veram Romam fuiſſe ſecundam Babylonem.* Et Hieronymus de Scriptor. Eccleſ. in Marco, Petrum, ait, cum prima epiſt. cap. quinto, inquit, *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta,* figuraliter Romam ſignificaſſe, idemque habet Iſaię. 47. in principio, ita etiam exponens loca Apocalyp. Et in epiſtol. 17 ad Marcellam, de Roma exponit locum hunc Apocalypſis 17. & 18. Idem Iſa. 24. Romam eſſe ſentit, ſpiritualem Babylonem, de qua Ioannes loquitur. Idem habet Oroſi. libro ſeptimo contra Paganos capite ſecundo. Et Tertullianus libro tertio contra Marcionem capite decimo tertio, vbi Pamel. aduertit, hoc intelligendum eſſe de Roma ethnica, ſeu mundana, non de Sancta Eccleſia ibi congregata. Satis enim aperte illas diſtinxit Petrus, dicens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Denique quod in hac ſignificatione in Apocalypſi ſumatur Babylon, ſatis communis interpretatio eſt inter antiquos, & modernos Apocalypſim exponentes, tam hoc cap. 18. quàm alijs, vt ſunt Victorin. Andre. Arethas, Riber. Viegas, item Bellarminus libro tertio de Summo Pontif. cap. 13. Sander lib. 8. de Viſib. monar. cap. 8. & alij complures. Eſtque probabilis expoſitio, quia Ioannes cap. 17. (ſi proprietas verborum teneatur) de ſpeciali ciuitate loquitur, & in cap. 18. non loquitur tantum de populo, ſed etiam de materiali ciuitate, vt ex domibus, & alijs ædificijs conſtante, & particulari loco terræ ſita, quę ab alijs terræ locis diſtare, vel propinqua eſſe poteſt, vt indicant illa verba:

D. Augu. *D. Hiero. 1. Petr. 5.* *Oroſi.* *Tertul.* *Pamel.* *Lorin. 1. Pet. 5. refert. quam plures.* Id de Roma Ethnica, nõ religioſa dicendum. *Victor.* *Andr,* *Aretas.* *Riber.* *Vieg.* *Bellarm.* *Sand.*

A *Longe ſtante propter timorem tormentorum eius, & illa: Omnis, qui in latum nauigat, & nautæ, & omnes, qui in mari operantur, longe ſteterunt, & clamauerunt videntes locum incendii eius.* Si autem illa Babylon eſt ciuitas aliqua particularis, non poteſt certe eſſe, niſi Roma, vt ex dictis ſatis conſtat, & ex ſuperioribus capitibus eiuſdem Apocalypſis eſt manifeſtum.

Hac ergo admiſſa expoſitione, ex illa ad ſummũ colligitur, Romanam ciuitatẽ ante finem mundi delendam eſſe, & pror- 9. Romam ante diem iudicii delendam, probabile eſt.
B ſus euertendam etiam quoad materialia ædificia, & igni tradendam. Quod multi Catholici non ſolum ſine rubore, ſed etiam conſtanter docent, ac defendunt; quos refert, eorumque ſententias late deſcribit Thomas Maluenda lib. 4. de Antichriſto c. 4. & 5. & quamuis ipſe timeat in eorũ deſcendere ſententiã, ideoq; alijs modis conetur loca Apocalypſis interpretari (quos nunc examinare, probare aut improbare nõ eſt neceſſe) Nihilominus negari non poteſt, ſententiam illam probabiliſsimam eſſe, multumque, & locis Apocalypſis, & Antiquis Patribus C conſentaneã, præſertim Hieronymo, cuius hæc ſunt verba Iſai. 24. *Attereturciuitas vanitatis, ſiue omnis ciuitas, vel ſpiritualis Babylon, quæ ſedet in ſeptem montibus purpurata, cuius ſupplicia in Apocalypſi Ioannis legimus.* Nec ab ea ſententia diſcrepat libro ſecundo contra Iouinian. licet indicet, prophetiam non eſſe abſolutam, ſed comminatoriam, dicens: *Ad te loquor, quæ ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſsione deleſti, & cæt. maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypſi comminatus eſt, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum.* D Accedit Lactanti. lib. 7. cap. 25. qui teſtimonio Sibyllæ confirmat, caſuram, & incendendam eſſe *vrbem caput Orbis: Et tunc* (ait) *quis dubitet veniſſe iam finẽ rebus humanis, orbique terrarum.* Et certe ſuppoſita deuaſtatione orbis præſertim Chriſtiani futura in fine mundi ante iudicium, partim per decem Reges, qui Antichriſtum præcedent, partim per ipſum Antichriſtum, qui maiori potentia, & acerbitate, ac odio Chriſtum, & eius Eccleſiam perſequetur, per ſe probabiliſsimum eſt, aliquem, vel plures eorum

Maluend. *Hieron. Iſai. 24.*

eorum irruituros in vrbem, eamque penitus euerſuros, vt Romanum nomen, imò & Chriſtianum, ſi poſsint, Roma deleta, prorſus extinguant.

10. Modus autem, ordo, & tempus huius euerſionis, licèt futuram eſſe ſupponamus, longè incertiora ſunt, quam ipſa euerſio: nam de ipſa euerſione habemus fundamentum in Scriptura, iuxta probabilem ſenſum eius, de cæteris autem circunſtantijs fere nihil. Vnde modus ille, quo vir eruditus Thom. Maluenda vltimum excidium Romanum deſcribit iuxta eorum ſententiam, qui de Romana vrbe prophetias Apocalypſis intelligunt, neque ab omnibus, qui illum ſenſum approbant, aſſeritur: nec mihi videtur neceſſarius, aut cogente fundamẽto fultus. Ait enim, Romam circa finem mundi ad plura, & maiora ſcelera, & flagitia redituram, quam prius, cum eſſet ethnica, cõmiſerit, nam & fidem negabit, & Pontificem à ſe abijciet, & Eccleſiaſticos ordines trucidabit, & ad idololatriam redibit: Nam antiquam temporalem potentiam iterum recuperabit cum maiori amplitudine, & imperij maieſtate, quâm antea habuerit, decemq; Reges potẽtiſsimos ſibi ſubiectos habebit, quorum opera ſanctos perſequetur acerbius, & martyrijs crudelioribus afficiet, quã ſub Imperatorib⁹ ethnicis paſsi fuerint. Poſtea vero intra breue tempus (ait) Reges illos â Roma defecturos, & aduerſus illã inſurrecturos, ac penitus deleturos, Deo id permittente, in vindictam ſcelerum eius, tam præteritorum, quam illo tempore præſentium. Hoc enim videtur indicaſſe Ioannes Euangeliſta, cum eodem cap.18. dixit: *Quoniam peruenerunt peccata eius vſque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius.* Credendum enim eſt, Deum non permiſſurum tam graue Romæ ſupplicium, niſi ipſa prius antiquis peccatis noua ſuper adderet, & ita iram Dei in ſe excitaret. Atque ad hunc modum accomodat cætera, quæ in hoc capite, & præcedenti Ioannes prædicit. Ac tandem poſt deſtructionem Romæ à decem Regibus factam, venturum eſſe dicit Antichriſtum iuxta alias prophetias ſupra tractatas.

Tempus illius euerſionis incertiſſimum eſt.

Doctoris cuiuſdã Catholici opinio.

11. Hæc vero omnia, licet impoſsibilia non ſint, neque cum aliqua prophetia, aut promiſsione Romæ facta, quam ego ſciam, repugnent, non videntur mihi neceſſaria, nec ſatis fundata. Nam (ſuppoſita expoſitione Babylonis, quam proſequimur) ex hoc loco Ioannis ſolum habemus eſſe euertendam, ac penitus deſtruendam, ita vt *vltra iam nõ inueniatur*, vt ait Ioannes, id eſt, non amplius inſtaurabitur, nec habitabitur, ideoq; *nec tibia canentium, nec artifex, nec vox molæ, nec lux lucernæ, nec vox ſponſi, & ſponſæ amplius audientur, aut inuenientur in ea*, vt ibi dicitur. Erit ergo deſolatio ſempiterna, ideoq; certum, & exploratum videtur, oraculum illud de Roma intellectum, in nullo pręcedentium excidiorum Romanæ vrbis, impletum eſſe, vt facile coniectabit lector, ſi attẽte ea, quæ de illis excidijs in capite præcedenti diximus, cũ verbis adnotatis præſentis prophetiæ contulerit. Imo inde valde probabile fit, tale excidiũ Romanum, ſi futurum eſt, non niſi prope finem mundi eſſe futurũ, quanuis hoc in dicto capite 18. non aſſeratur, neque alibi ſit prophetatum, & ideo minus certum ſit. Inde tamen aliquomodo ſuadetur, quia veriſimile eſt, tam mirabilem vrbis deſtructionem, & immanem ſedis Apoſtolicæ perſecutionem nõ niſi temporibus Antichriſti, vel prope illa eſſe futuram, quia illa fore videbitur tribulatio maxima Eccleſiæ, & in ea implebitur quod Daniel prædixit ceſſaturum iuge ſacrificium, & ſimilia.

Impugnatur quoad primam partem.

12. Quod vero Ante illam deſtructionem reditura ſit Roma ad priſtinam potentiam, & temporale imperium, non video, vnde probari poſsit, quia non omnia, quæ hoc capite de Roma dicuntur, neceſſe eſt in ea inueniri in illo vltimo tempore, in quo deſtruetur, ſed in toto diſcurſu temporis ex quo fuit condita vſq; ad finem: *Quia* (vt ibi dicitur) *peruenerunt peccata eius vſq. ad cælũ, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius*, vtique omnium, quæ in ea quouis tempore factæ ſunt. Qua propter etiam non video, vnde ſatis probetur, redditura Romam ad idololatriam, vel ad ſimilia ſcelera, quæ ex veri Dei ignoratione prodeunt, tum quia vt dicantur peccata peruenire vſque ad cœlum,

Impugnatur quoad ſecundã partem.

ſatis eſt, quod prioribus flagitijs impiorum ſemper addantur noua, & grauiſſima peccata Chriſtianorum, quibus Deus magis quodammodo ad iram mouetur, quam delictis hominum cæterorũ ignorantium verum Deum. Et fieri poterit, vt in illo tempore peccata, & flagitia in illa vrbe multiplicentur cum maiori luxu, & corruptione, quàm in præteritis Chriſtianitatis temporibus, tum etiam quia licet illud excidium futurum ſit in ſupplicium multitudinis prauæ, credibile eſt, futurum etiam eſſe in probationem bonorum, & in purgationem, & meritum prædeſtinatorum, vt de perſecutione Antichriſti Chriſtus ſignificat, & Patres vbique docent. Non erit ergo neceſſarium, Romam ad idololatriam redire, vt illius deſtructionem Deus permittat.

13. Impugnatur quoad tertiam.

Quod denique additur, decem Reges prius futuros eſſe ſubiectos temporali imperio Vrbis, & poſtea eſſe contra illam inſurrecturos, non video, quo fundamento aſſeratur: Nam quod hic ait

Apoc. 18.

Ioannes, *Reges terræ fornicatos eſſe cum illa; & plancturos ſe ſuper illam*, ad ſummum indicat, illos futuros eſſe Romanæ ciuitatis amicos, vel forte prius illius ſcelera imitatos fuiſſe, poſtea vero naturali affectu eius perditionem doluiſſe. Addo etiam non videri neceſſarium, vt illi Reges, qui prius fornicati erunt cum Babylonia, & poſtea plangent cum illa, ſint illimet decem, qui proxime ante aduentum Antichriſti regnabunt, ſed alij Reges terræ, qui non deerunt extra imperium Romanum, vt in Perſia, in Africa, India, & alijs regionibus, qui fortaſſe vſque ad mundi finem permanebunt. Denique non oportet, per Reges terræ intelligere ſolos ſupremos, & principales Reges terræ, ſed etiam magnos Principes, & quaſi regulos, vt ſunt nunc multi Duces, & Potentatus Italiæ, & Germaniæ, & ſimiles, qui vltra decem illos famoſiores Reges eſſe poterunt tempore deſtructionis vrbis Romæ, & cum illa prius fornicari, non tantum per idololatriam, ſed per alia vitia ſectando mundi vanitatẽ, & poſtea de illius perditione dolere, ac plangere.

14. Quocirca ex illo loco, ſupponendo per Babyloniam Romam intelligi, ſolum poteſt certo colligi, Romam tandem aliquando eſſe omnino, & irreparabiliter euertendam, vnde fit veriſimilius, id futurum eſſe prope diem iudicij, & tempore Antichriſti, vel circa. In quo vero ſtatu erit Roma proxime antequam deſtruatur, tam in temporali imperio, quam in ſpirituali, & in fide, non video eſſe reuelatum, nec cum fundamento definiri poſſe. Nullum vero eſt inconueniens, quód perſeuerando in fide, religione, & regimine tam temporali, quam ſpirituali per Apoſtolicam ſedem, ſicut nunc eſt, in fine mundi deſtruatur per aliquem tyrannum infidelem, ſiue paganum, ſiue apoſtatam. Sicut enim hoc magna ex parte contigit in tempore Alarici, ita poterit acerbius, & omni ex parte in fine mundi conſummari. Neque hoc eſt contra ſanctitatem illius vrbis, tum quia non obſtante fide, & præſentia Vicarij Chriſti, poterunt in illa ita multiplicari peccata, vt coniũcta præcedentibus, Dei iudicium, iuxta occulta conſilia prouidentiæ ipſius, contra ipſam excitent. Tum etiam, quia licet ciuitas, & capita eius in fide permaneant, fieri poterit, vt multitudo populi, & præcipuorum ciuium exemplo, & minis, vel promiſſionibus tyrannorum infidelium corrumpantur, & deficiant. Tum denique, quia (vt dicebam) illud excidium non erit tantum propter vindictam, ſed etiã ad probationem, & multorum Martyrum perfectiorem conſummationem. Ideoque non eſt etiam contra promiſſiones factas Eccleſiæ, & ſedi Apoſtolicæ de perſeuerantia in fide, & in cathedra Petri, quod Roma illomodo deſtruatur, quia cathedra nunquam deficiet, nec fides eius, ſiue in hoc, ſiue in illo loco conſiſtat, vbique enim eadem erit, ſemperque Eccleſia viſibilis durabit, etiam ſi vi perſecutionis cogatur ad montes fugere, vel in locis occultis magna ex parte ſe abſcondere.

Ex omnibus illis ſolũ colligitur Romã prope diem iudicij perituram.

15. Incertũ an ea deſtructio facienda ſit ab Antichriſto, vel aliquo ex eius adminiſtris.

Deinde neque ex illo loco, neque ex alio (quod ego ſciam) ſatis colligi poteſt, an hæc vltima Romæ deſtructio ab ipſomet Antichriſto perficienda ſit, & conſummanda, vel ante illum, per aliquem, vel aliquos ex illis decem Regibus, qui in Romano orbe tunc regnabunt. Nam

quod

quod altero ex his modis futurum id ſit, poſita dicta expoſitione, fit valde probabile, quia vt dixi, tam generale excidium vrbis capitis mundi, tantaq; Eccleſiæ calamitas, & perſecutio non poteſt à tẽporibus Antichriſti multum diſtare, & ideo vel ab illo erit, vel ab his, qui proxime illũ antecedent. Itẽq; ex alio principio id fit multũ credibile, quia vel ante deletũ prorſus Romanum imperium Antichriſtus non veniet, vel per illum deſtructio Romani imperij conſummabitur, tunc verò maxime delebitur Romanũ imperiũ, quando Roma prorſus extincta fuerit, & è conuerſo dũ illa in ſuo ſtatu perſeuerauerit, adhuc reliquiæ Romani imperij durabunt. Ergo ſicut imperiũ Romanũ, ita & vrbs eodem tempore, & ſub eiſdẽ tyrannis deſtruetur. Quod autẽ alterutro ex dictis modis cõtingere poſsit, & neuter illorũ vel reuelatus ſit, vel repugnet reuelatis, patet, quia nullibi reuelatũ eſt, Romanam vrbem eſſe duraturam vſque ad tempora Antichriſti incluſiuè, ſeu intrinſece, vt ſic rem explicem, poterit ergo antea per decem Reges deſtrui. Itẽ non ſolũ probabile eſt, ſed etiam aliqui contendunt eſſe certum, ante aduẽtum Antichriſti imperium Romanum eſſe omnino per decem Reges delendũ; ergo probabile eſt, ab eiſdem eſſe Romã euertendam. Quod in capite etiam 17. Apocalypſis inſinuatur.

16. Probabile eſt Romæ vaſtationẽ ab Antichriſto conſummandam.

E contrario verò nullibi etiam eſt reuelatum, Antichriſtum non eſſe venturum, donec Romana vrbs ſit deſtructa: ergo ſi per ipſum deſtruatur, ſatis implebitur prophetia huius capitis, quod tractamus de deſtructione Babylonis. Item ſupra diximus, eſſe valde probabile, & Patribus conſentaneũ, Romanum imperiũ, licet per decem Reges Antichriſti proximos præcurſores ita ſit diuidendum, & extenuandum, vt prope deleatur, per ipſum nihilominus Antichriſtũ eſſe conſummandam deſtructionẽ eius; ergo per ipſum etiam poterit Roma deſtrui, atque extingui. Cum auem dico, *per ipſum*, nõ intelligo eſſe neceſſarium, vt ipſe Antichriſtus præſens ſit in tali bello, ſatis eſt enim, quod per ſe, vel duces ſuos, vel Reges ſibi ſubiectos id faciat. Itaque vtroque modo poteſt intelligi, quod de muliere fornicaria dicitur Apocalypſis 17. A & de decẽ cornibus beſtiæ, ſeu de decem Regibus, quòd *odient fornicariam, & deſolatam facient illam, &c.* ſi per fornicariam Romam, per beſtiam autem Antichriſtum intelligamus, vt eſt probabile, ſed incertum, vt ſupra dixi, & 2. tom. 3. part. diſp. 56. Sect. 2. Vbi nihil aliud de vltimo Romæ excidio docui; imò de illo tanquã de re incerta loquutus ſum. Neq; aliter loquitur Bellarm. qui potius ſentit, Romam ab ipſo Antichriſto eſſe delendam. Nam lib. 3. cap. 13. ſic ait: *Antichriſtus odio habebit Romam, & cum ea pugnabit, eamque deſolabit, & incendet.* B Idemq; ſentit lib. 4: cap. 4. in fine. Eundẽq; dicẽdi modũ ſequitur Bozius lib. 24. cap. 6. & citat Tertullianum, Lactant. Cyrillum, Chryſoſt. Ambroſ. Hieronymum, & Auguſtinum.

Bozius. Tertul. Lactant. Cyril. Chryſoſt. Ambroſ. D Hieron. Auguſt.

17. Cõcluditur ex Apoc. 18 non colligi perſecutionẽ Antichriſti vltra tres annos cũ ſemiſſe duraturam.

Vltimo tandem (vt Regi Iacobo reſpondeamus) dicimus, ex toto hoc cap. 18. Apocalypſis, vel ex deſtructione Vrbis in illo prædicta, vel ex circunſtantijs, cũ quibus deſcribitur, colligi non poſſe, perſecutionẽ Antichriſti longiori tẽpore, quâm per triennium, & ſemiſſem eſſe duraturam. Nam ſi decẽ Reges Vrbẽ demoliturі ſunt, C licèt bellum illud per plures annos duret, vel poſt illud Roma per plures annos deſtructa iaceat, nihilomin⁹ Antichriſtus poſtea veniens, poterit breui tempore durare. Si vero ipſemet Antichriſtus Romã debellaturus eſt, poterit id facere antequam ſpiritualẽ (vt ita dicã) perſecutionem Eccleſiæ incipiat, dũ tẽporale imperiũ acquirit, quod pluribus annis durare poterit, prout perſecutionẽ antecedet, vt capite nono dicã. Et tũc poterit perſecutio durare tantũ breui tẽpore dicto, vt per ſe manifeſtũ eſt. Vel certe licèt demus, ipſam Vrbis deſtructionẽ D futurã eſſe partẽ Antichriſtianæ perſecutionis, adhuc pòterit triennio, imò biẽnio cõpleri quidquid de illa deſtructione Ioãnes preſignificat. Quia nõ ſolũ intra annũ, ſed etiã intra mẽſes paucos circũdari poterit, & expugnari, & incẽdio tradi, & alia pati, quæ ibi deſcribuntur. Et Paulo poſt ſequi poterit grauiſsim⁹ ille plãctus Regum, & mercatorum, quẽ Ioannes cõmemorat, nam ſi plãctus ille futurus eſt in prouincijs, & inſulis Romę vicinis, intra paucos dies poterit notitia incendij ad eas peruenire, ad remotiores autem

intra plures, vel intra annum, planctus autem ipſe breuiori tempore poterit cōſummari.

18. Regis obiectio diſſoluitur.

Quod autem Rex objicit, quia & Reges ad contrahendam neceſsitudinem magnam cum illa Babylonia, & mercatores ad congerendas diuitias, longiori tempore indigebunt: hoc (inquam) probat quidem, & Reges, & mercatores, & Babyloniam ipſam longo, & diuturno tēpore eſſe duratura, prius quam Antichriſtus veniat, vel Babyloniam deſtruat, nō vero porbat deſtructionem ipſius vrbis, vel planctum poſtea ſubſequutum futurum eſſe diuturnum. Tum quia hæc diuerſa ſunt: tū etiā quia frequēter illa, quę multo tempore durarunt, vno momento extingui ſolent. Eo vel maxime, quòd in toto illo capite, nullū eſt verbū de Antichriſto, vnde licet ea, quę ibi narrātur, diuturnius tempus poſtularent, facile reſponderemus, illa cōſūmanda eſſe ante ortum Antichriſtum (vt declaraui poſſe euenire) ipſum vero Antichriſtū poſtea eſſe venturum, & breui eſſe conſummandum.

CAPVT. VIII.

Tertiæ obiectioni Regis Angliæ ex varijs noui teſtamenti verbis deſumptæ ſatisfit.

1. TErtio impugnat Rex Angliæ fundamentum, quo nitimur ad aſſerēdum, Antichriſti perſecutionē tam breui tempore duraturam. Contra quod duo objicit. Vnum eſt, nō eſſe neceſſariū Ioannis de illo tempore loquentis verba in proprio ſenſu interpretari, quia inſpecto more loquendi Prophetarū, ſatis cōmode poteſt metaphoricè intelligi. Duplicem autem in illis verbis ipſe meditatus eſt allegoriam, vna eſt, vt numerus certus pro incerto ponatur. Quia certum eſt, Ioannem id facere conſueuiſſe, vt cap. 7. cum duodecim millia Saluandorū ex ſingulis tribubus numerat, & cap. 9. Cū ait: *Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia, &c.* idemq; habet alijs in locis præſertim cap. 14. cū numerat: *Centū quadraginta quatuor mille virgines*, & cap. 20. cum ſępius dicit, Chriſtū regnaturum cum ſuis ſanctis *mille annis*,

Contendit 1. Rex Angliæ à Ioanne poſitum tempus certum pro incerto.

Apoca. 7. & 9.

Apoc. 14. & 20. & 21.

A & c. 21. cū varios numeros menſurarum deſcribit. Accedit, quod Ioānes in his numerationibus antiquos Prophetas imitatur, pręſertim Danielē, Ezechielē, & Zachariam, apud quos ſępe ſumitur numerus certus pro incerto, vt Daniel. 7. *Decies millies cētena millia miniſtrabant ei*, & alibi ſępe. *Dan. 7.*

2. Altera Regis allegoria eſt, vt illa tria tēpora, & dimidiū temporis neq; annos, neq; certū tēpus ſignificēt, ſed dimidiā ſpiritualē hebdomadā: *Nam qui recordatur* (ait) *Ioannem in viſionibus morem Prophetarū imitari, admodum veriſimile eſſe comperiet, in illis tribus diebus, & dimidio eum imitari Danielis hebdomadas, hebdomadam vnam accipiendo totum illud tempus, quod inter aduentū Chriſti primū, & ſecundū intercesserit, cuius temporis, ſiue ſpiritualis hebdomadæ dimidio triumphantē inducit Antichriſtū.* Poteſtq; interpretatio hæc iuuari ſententia Lyrani, qui Daniel 12. incertū putat eſſe, an dies ibi ꝓprie ſumatur pro naturali die, vel metaphorice pro anno ſicut hedomada apud eundē Danielem ſumitur. Idem ergo dici poterit de locis Ioannis in Apocalypſi, & ita erit probabilis hęc expoſitio.

B

Contendit. 2 temp[illegible] Ioāne a[illegible] natū [illegible] care dimidi[illegible] etate ſpiritualis heb- domadæ.

Lyran.

C

3. Altera obiectio principalis eſt, nō poſſe verba Ioānis in ſenſu proprio intelligi, quia talis ſenſus alijs Scripturæ locis, & cuidam fidei dogmati repugnat. Argumentatur ergo, quia ſi Antichriſtus certo numero dierū regnaturus eſt, & poſt mortem eius intra quadraginta quinque dies iudicium futurum eſt, ſtatim ac Antichriſtus regnare, ac perſequi Eccleſiam cæperit, certo ſciēt fideles homines, quo die futurum ſit iudicium. Hoc autem eſt contra Chriſti verba multis in locis. Nā in primis Matth. 24. dixit: *De die autem illa, & hora nemo ſcit, neq; Angeli cælorum, niſi ſolus Pater.* Deinde ſimilitudine diluuij declarat, quâm repente venturus ſit dies ille, dicens: *Sicut autem in diebus Noe, ita erit aduentus filijs hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ita erit aduentus filij hominis. Tunc duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur, duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur*

3. Argumētatur ab incertitudine diei iudicij.

D

quetur. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Quibus omnibus (ait Rex) *ſignificatur illorum temporũ ſumma ſecuritas, futuros eſſe homines varijs negotijs, & curis humanis implicatos, cum hora nouiſsima eos repente, nec opinatos occupet.* Sicut Chriſtus in dicto loco concludit. *Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam: ita & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora filius hominis venturus eſt.*

4. Multa congerit teſtimonia ex Scriptura. *Matt. 25. Act. 2.* Secundo Matth. 25. ad declarandam illius diei incertitudinem adducit Chriſtus parabolam decem virginum, & cõcludit, *Vigilate itaque quia neſcitis diem, neque horam.* Tertio addere poſſumus verba Chriſti Actor. 2. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Quarto addit Rex verba Petri. 1. canonic. cap. 5. *Sobrij eſtote, & vigilate.* (1. Petr. 5.) *Petrus* (ait) *iubet nos vigilare, & ſobrios eſſe, ad excipiendum illum diem ſemper intentos.* Quinto (ait) *Ioannes in Apocalypſi bis nos admonet, vt furem nocturnũ, ſic Chriſtum eſſe venturum. Veniam* (dicit Spiritus Sanctus in Apocalypſi. 3.) *ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te,* & cap. 16. *Ecce venio ſicut fur.* (Apoca. 3. & 16.) Sexto addere poſſumus, hoc dixiſſe Paulũ. 1. ad Theſſal. 5. *De temporibus autem, & momentis fratres non indigetis, vt ſcribamus vobis.* (1. Theſſ. 5.) *Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.* Denique id etiam dixit Petrus epiſt. 2. cap. 5. (2. Petr. 5.)

5. Regis fundamenta euertuntur. Ad priorem partem reſpondeo, literalem expoſitionem verborum Ioannis, quam Pontificij, id eſt, Catholici ſequũtur, fundatam eſſe in primis in proprietate verborum Scripturæ, quæ præferẽda eſt. Cauendum enim omnino eſt periculum deſerendi verum Spiritus Sancti ſenſum, *Quem*, vt lib. de Pudicit. cap. 9. Tertullianus dixit, *omnino obſeruare debemus, æquè ac præceptũ;* quia *non leuior eſt transgreſsio in interpretatione, quàm in conuerſatione.* Magnum autem eſt periculũ aberrandi à vero ſenſu, quando proprietas verborum ſine auctoritate, vel neceſſitate relinquitur, neutra autem ratio hic inuenitur ad proprium verborum ſenſum relinquendum, vt infra oſtẽdemus.

A Imò è contrario dictus ſenſus proprius fundamentum habet in conſonantia, & concordia diuerſorum locorum Scripturæ, & in varijs modis explicandi eandem rem per tempora, menſes, & dies, & in veteri, & in nouo teſtamento, vt credibile non ſit, omnia eſſe per metaphoram, & improprietatem dicta. Fundatur præterea in communi conſenſu Patrum, per quos Deus Eccleſiam verum ſenſũ Scripturarum docet, quod autem Patres ita ſentiant, ſatis conſtat ex his, quos cap. 6. attulimus. Denique fundari poteſt, B quia nulla metaphora ibi quadrare poteſt, neque habet probabile fundamentum, vt facile conſtabit per ea diſcurrendo, quæ Rex adducit.

6. In Scriptura ſæpé numerus perfectus pro incerto ponitur. Ad priorem ergo metaphorici ſenſus partem, in qua dicitur, accipi numerum certum pro incerto, & ad indicandum longum, aut breue tempus, magnumq; aut paruum numerum indefinitum, reſpondemus, regulam in generali ſumptã veram eſſe, & hoc modo ex teſtimonijs ibi relatis, & alijs multis, quę afferri poſſunt, recte probari, male tamen ad præſentem expoſitionem applicari. Nam in primis, vt doctè notauit Bellarminus lib. C 3. de Roman. Pontif. c. 8. (*Bellarm.*) tunc in Scriptura numerus definitus pro indefinito tempore ſumitur, quando eſt perfectus, & in aliquo ordine conſummatus, vt sũt decem, centum, mille. Quando verò numerus comprehendit non tantum magnum, ſed etiam paruum numerum, tunc eſſę ſignum propriæ, & præciſæ numerationis. Et ratio eſt in promptu, quia ſimplex, & abſoluta expreſsio vnius numeri conſummati facilè poteſt eſſe capax talis metaphoræ, vel propter aliquam numeri perfectionem, vel per ali- D quod myſterium, vt ſolet conſiderari in ſeptennario numero propter mũdi creationem, vel in millenario propter eius perfectionem aptam ad ſignificandam quandam temporis plenitudinem, vt dixit Auguſtinus 20. de Ciuit. cap. 7. (*D. Aug.*) vbi etiam ita exponit illud *centuplum*, de quo Dominus loquitur Matt. 19. (*Matt. 19.*) vt copioſum præmium ſignificet. Et alia exempla profert in lib. 2. de Doctrin. Chriſt. cap. 16. At verò quando minute, & diſtincte additur numerus minor maiori, & dimidius integro, ſignũ eſt definitæ, (Per numerum imperfectũ determinata duratio ſignificatur.)

 ac

ac propriæ numerationis, quia alias nunquam haberemus certum aliquē in Scriptura numerum. Item quia nec in illa imperfectione numerorū perfectio aliqua, vel diuturnitas durationis cogitari poteſt, nec ratio probabilis reddi, cur talis additio, & multiplicatio numerorum fiat. Eſtq; optimum exemplum ad hoc confirmandum Daniel. 8. vbi de Hieroſolymitana vaſtatione per Antiochum facta dicitur, duraturam eſſe per *dies duo millia trecentos*. Quem numerum omnes intelligunt, præciſè, & cum proprietate eſſe intelligendum, propter ſpecialē modum, quo præſcribitur. Et ita D. Hieronymus ibi ex libris Machab. & Ioſepho illum comprobare, & declarare ſtudet. Idem tradit Theodoret. orat. 8. & Gloſſa, Lyran. & accurate Benedict. Pereira.

Dan. 8.

D. Hier.
Theodoret.
Gloſſa.
Lyran.
Bened. Pereir.

7.
Locus ille Ioannis metaphoricum ſenſum admittere nō poteſt.

Quocirca partem hanc ita cenſeo veram, vt in ea nullam declarationem, aut limitationem credam eſſe neceſſariam, tum quia per ſe fundata eſt in veriſsima exponendi Scripturā regula. ſ. retinendum eſſe proprium ſenſum, quādo nihil eſt, quod metaphoram indicet, vel ad illam excogitādam cogat, tum etiam quia nulla particularis exceptio illius partis occurrit. Nam ſiquis objiciat exemplum de cētum quadraginta quatuor millibus ſignatis ad ſalutē Apoc. 7. & aliud de cētum quadraginta quatuor millibus Virginibus ſtantibus cum Agno Apoc. 14. Reſpondet ibi Ribera, per illos numeros ibi definitam, ac prēciſam multitudinem ſignificari. Sed quia hoc difficile creditu eſt, reſpōdeo, numerum illum ſic multiplicatum myſterium continere, & ideò pro indefinita multitudine poni: nā duodenarius numerus eſt numerus vniuerſalis, & per ſe ipſum multiplicatus iuxta numerū duodecim tribuum illū numerum efficit; vt Beda, Rupert. & alij interpretati ſunt.

Primum Regis fūdamētum euertitur.
Apoc. 7.
Apoc. 14.
Riber.

8.
Perfectus etiā numerus ponitur pro tempore determinato.

At verò in alia parte de ſenſu metaphorico, quia non gratis, & vbiq; cōfingendus eſt, neceſſario addenda eſt limitatio. Quia ſępiſsime numerus perfectus ſignificat in Scriptura definitum tēpus, certamq; durationem, vt quando dicitur creatus mundus ſex diebus, vel quando dicitur Dan. 4. *Septem tēpora mutabuntur ſuper te*, vbi licèt in verbo *tēpora* ſit aliqua metaphora, quam ſupra explicui, in numero ſeptennario nulla eſſe intelligitur. Item in prophetia Danielis de 70. hebdomadibus Daniel. 9. & ſæpe alias. Ideoq; illa pars permiſsiuè tantum, ſeu potētialiter intelligenda eſt, id eſt, poſſe in illo ſenſu tales numeros accipi, & metaphoram illam eſſe vſitatam in Scriptura. Nihilominus tamen in vſu, & applicatione eius ad hunc, vel illū locum, neceſſariū eſt, circunſtantias conſiderare, ita vt illis quadret metaphora, nulloque modo illis aduerſetur. Item etiā obſeruādæ ſunt cōmunes Eccleſiæ, & Patrū interpretationes. Quæ duo (vt dixi) perſuadēt, etiā in dictis locis Apocal. nō habere locū metaphorā, quia neq; verbis, neq; circunſtantijs locorū accōmodata eſt, neque Patres ibi illam inuenerunt, ſed certum, ac definitum tempus ibi prędici intellexerūt.

Dan. 4.

Dan. 9.

9.
Secundum Regis fundamentum deſtruitur.

Altera verò pars metaphoræ, quam excogitauit Rex, plane improbabilis eſt. Primo quia nec Ioannes in Apocalypſi, neque Daniel c. 12. nominarunt hebdomadam, ſed tempora, menſes, & dies, & multo minus loquuti ſūt de dimidia hebdomada, ſed per alios numeros mēſium, & dierum proprietatem ſui ſermonis declararunt. Et confirmari hoc poteſt, quia vbi Daniel voluit tres annos, & dimidiū, per dimidiam hebdomadam ſignificare, id fecit apertè cap. 9. dicens: *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium*, id eſt tranſactis tribus annis cū dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ. Secundò, nunquam per hebdomadam ſignificatur in Scriptura omnino indefinitum tēpus, ſed quoties vox illa per metaphoram ſumitur, ſaltem ſeruatur proportio ad ſeptennarium numerum, metaphora verò in eo ponitur, quod ad numerum annorum extenditur, vt in dicto loco Danielis, & Geneſ. 29. *Imple hebdomadam dierum*, id eſt, ſeptem ànnos. At verò in tempore toto, quod inter primū & ſecundum Chriſti aduentum decurrit, nulla ratio ſeptennarij numeri cogitari poteſt, nec probabilis cauſa talis metaphoræ afferri, nec authoritas, nec exēplum: quæ eſt ergo hæc licentia ad libitum interpretandi, vel potius corrumpendi Scripturam? Tertio licet metaphora dimidiæ hebdomadæ poſſet accōmodari verbis illis, *Per tempora, tempus, & dimidium temporis*; nullo tamen modo

Dan. 9.
Aliter Dan. de hebdomadis aliter de tribus annis loquutus eſt.

Gen. 29.

modo poteſt accommodari numerationi quadraginta duorum menſium, vel mille ducentorum nonaginta dierum: quæ enim ratio, vel proportio, ſeu analogia ad fingendam talem metaphoram excogitari poteſt? Quin potius, vt ſæpe dixi, ille modus explicandi tempora per menſes, & numerum menſium per numerum dierum, excludit omnem huiuſmodi metaphoram, & proprium eſſe ſenſum oſtendit.

Menſiũ, & dierũ nume-[...] hebdo-[...] ac-[...]modari [...] poteſt.

10. Quarto ſi tres illi anni cum dimidio, qui de aduentu, & duratione Antichriſti prædicti ſunt, dimidiam ſpiritualẽ hebdomadam illo modo intellectam ſignificarent, ſaltem non excederent dimidium temporis illius, quod inter primũ, & ſecundum Chriſti aduentum intercedit; at iuxta Regis ſententiam Antichriſtianiſmus incepit ãno Chriſti 606. & ita iã durauit mille ſeptẽ annis, & ad huc durat, & durabit quãtum ſcit Deus; ergo incredibile eſt, totum illud tempus per trium annorum cum dimidio ſpatiũ propter allegoriam dimidiæ hebdomadæ ſignificari. Denique iuxta hanc interpretationem inutilis eſt omnis illa numeratio temporum, dierum, & menſiũ, quæ tam accuratè à Ioanne fit: quia ex illa nihil certum, vel probabile de initio, vel duratione temporis Antichriſti cõiectari poteſt, ſed vnuſquiſque fingere poteſt, quod voluerit initium, & temporis ſpatium, & aſſerere illud eſſe dimidiã ſpiritualem hebdomadam. At vero Scripturæ verba, licèt interdum ſint metaphorica, non tamen inutilia, nec fruſtra prolata; ergo quãdo metaphora talis eſt, vt peruertat prophetiæ vſum, intentionem, & fructum, abijcienda prorſus eſt, & vitanda.

11. Quapropter deponenda eſt etiã, ſeu reijcienda dubitatio Lyrani, an in illis locis dies metaphoricè pro anno ſumatur. Et pro certo ſtatuendum eſt, ibi propriè ſumi, & naturalem diem ſignificare. Eſt autem aduertendum hoc intelligi poſſe, vel de illis locis, in quibus eſt ſermo de mille ducẽtis nonaginta duob⁹ perſequutionis Antichriſti, vel vbi eſt ſermo de quadraginta quinq; diebus poſt mortem eius. Lyranus enim non de prioribus, ſed de his poſterioribus loquitur. De prioribus autem non negat, futuros

Lyrani dubitatio reijcitur.

A eſſe naturales dies, quod intentioni noſtræ maximè deſeruit, &c. Ideoque breuiter oſtendit ñr eſſe certum. Nã ſi dies ibi annũ ſignificaret; ergo cũ diciturperſecutio Antichriſti duratura per mille ducẽtos nõaginta dies, intelligetur de totidem annis. Quomodo ergo verum erit verbum Chriſti: *Niſi breuiati eſſent dies illi, non fuiſſet ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Quomodo enim breuiabuntur ſi tot ferè futuri ſint quot hactenus tempus legis gratiæ durauit? Similique ratione conſiſtere non poterit, quod Ioannes ait Apocalyp. 12.
B *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.* Et cap. 20. dicit, Satanam ligatum fore per annos mille, & poſtea ſoluendum modico tempore; at verò tempus mille ducentorum, ac plurium annorum non poteſt dici abſolutè modicum, neque comparatè ad tẽpus, quo Satanas eſt ligatus. Ergo impoſſibile eſt, ibi accipi diem pro anno, ſed pro vero die.

Dies illo loco pro ãno ſumi nõ poteſt.

Matt. 24.

Apoc. 12.

Apoc. 20.

Confirmatur primo, quia numerus ille dierum poſtea per numerum menſium explicatur, quis autem dicat, menſem ibi ſignificare triginta annos? Nunquam enim in Scriptura talis metaphora menſium, ſicut hebdomadarum inuenitur. Confirmatur ſecundo, quia ſi detur licentia, diem pro anno explicãdi, eandem alius ſumet ad intelligendum mille annos, quia ſcriptum eſt: *Mille anni ante oculos tuos tãquã dies heſterna, quæ præterijt.* Et conſequenter ſequitur, duraturum Antichriſtum plus quã per mille annorum millia, quod ridiculum eſt. Denique confirmatur ex Iuſtino contra Tryphonem, qui hac ratione irridet eius interpretationem. Putabat enim ille, per tempus ibi intelligendos eſſe centum annos. *Quod ſi ita eſt, ſceleſtum illum hominem vt minimum tercentum quinquaginta annos regnare oportet.* Quod tanquã abſurdum, & ridiculum omittit: præter quam quod nulla probabilis ratio, vel fũdamentum in Scriptura talis ſignificationis, aut metaphoræ poteſt afferri. 12.

C

D

Ex quo vlterius eadem certitudine concluditur, etiam in vltimis quadraginta quinque diebus, de naturalibus diebus ſermonem eſſe. Primo quidem, quia fingi 13.

Dies in illa prophetia eodẽ ſenſu ſumitur.

gi non poteſt, in eadem ſupputatione, reſpectu temporis perſecutionis Antichriſti diem accipi proprie, reſpectu verô temporis poſtea futuri, ſumi metaphoricè pro anno, quia vno, & eodem verbo dicitur de vtroque tempore, ſeu de toto illo duraturum eſſe, *duobus millibus triginta quinque diebus*; ridiculum autem eſſet dicere, idem nomen, in eadem oratione ſemel poſitum, partem temporis ſignificare proprie, & partem metaphoricè. Secundo quia rationes factæ de illis etiam diebus procedunt, & præſertim quia etiam dixit Chriſtus Matt. 24. *Statim poſt tribulationem illorum dierũ ſol obſcurabitur*; ergo inter finem Antichriſti, & initium ſignorum iudicij non intercedent quadraginta quinque mille anni, imò nec quadragintaquinque, quia quod poſt quadragintaquinque annos fit, non ſtatim fit. Denique metaphora Lyrani non habet fundamentum in Scriptura, vt ipſe putat. Non enim poteſt ex Scripturis oſtendi, diem interdum ſignificare metaphorice annum. Nam in loco, quem Lyra adducit, Ezechiel. 4. vbi dicitur, *Diem pro anno dedi tibi*, dies non ſignificat metaphoricè annum, ſed vtraque vox in ſua proprietate ſumitur, diciturque annus pro die cõputari, quia quot diebus Ezechiel vinctus, atque conſtrictus ſub ſiniſtro, vel dextro latere dormiturus erat, tot annis Iſrael, & Iuda captiui erant futuri. Sicut Hieronym. & omnes exponunt, veluti cum dicitur in Pſal. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies*, dies propriè ſumitur pro die naturali, comparantur autem mille anni cum naturali die; imò cũ momento reſpectu diuinæ Æternitatis.

Cõfirmatur ex loco Ezechielis.

14. *Tertiũ Regis fundamentũ verã ſententiam non impugnat.*

Ad poſteriorem partem obiectionis, in primis generatim dico, totam illam obiectionem non procedere cõtra præcipuum dogma, quod docemus, nimirũ, perſecutionem Antichriſti breui tempore eſſe duraturam, & teſtimonia Danielis, & Ioannis, quæ de illo tempore loquuntur, propriè, & ad literam eſſe intelligenda. Nam ad ſummum procedit obiectio contra illam vltimam partem de quadraginta quinque diebus à morte Antichriſti vſq; ad diem iudicij interponendis. Etenim ſi dixerimus, illos quadraginta quinque dies non eſſe præciſe

A definitos, vt illis conſummatis certo futurus ſit iudicij dies, omnino ceſſabit obiectio, etiam ſi cætera de tribus annis cũ dimidio, quibus perſecutio Antichriſti tantum durabit, certiſsima ſint, & conſtanter teneantur. Quia ſi poſt mortem Antichriſti non eſt certum, futurum iudicium finitis quadragintaquinque diebus, ex morte Antichriſti nunquã præſcietur, quando futura ſit dies, vel hora iudicij; ergo ceſſat obiectio. Pars autem illa de quadragintaquinque diebus, poſt quos ſit futurum iudicium, non eſt dogma fidei, nec de illo pertinaciter contendendum eſt, & ideo tota obiectio non multum ad cauſam refert. Dummodo non negetur, illos etiam quadraginta quinque dies propriè eſſe intelligendos, tam quoad numerum, quâm quoad naturales dies: hoc enim neceſſario coniũctum eſt cum alia certa ſentẽtia de breui tempore Antichriſti, vt declaratum eſt. Quia hoc non obſtante multi catholici cenſent, ex Scriptura quidẽ colligi, poſt mortem Antichriſti non eſſe venturum diẽ iudicij intra quadragintaquinq; dies, non tamen inde colligi, finitis illis diebus, ſtatim eſſe futurum, & hoc ſatis eſſe, vt ſit incertus, & conſequenter vt ceſſet obiectio.

Non eſt de fide, ſtatim poſt quadraginta quinq; dies futurũ iudicium.

B

C

15. *Iudicij dies coniecturis cognoſcipoteſt ex ſcriptura ſupra;*

Nos vero addere poſſumus, verum quidem eſſe, Scripturam non dicere apertê, immediate poſt illos quadraginta quinque dies futurum eſſe iudicium, inſinuare tamen illud, ſatiſque probabiliter ex illa colligi, vt ſupra oſtendi. Hoc autem non ſatis eſſe, vt certo præſciatur dies iudicij, ſed ſolum vt coniectari poſſit cum magna probabilitate, quod nullum eſt inconueniens, quia non repugnat teſtimonijs adductis, cũ in illis de certa præcognitione, & præſcientia ſermo D ſit. Denique addimus, etiam ſi coniectura illa de quadraginta quinque diebus incerta ſit, nihilominus viſa morte Antichriſti poſt ſufficientem cognitionem perſonæ eius, certum eſſe poſſe ſcientibus Scripturas, prope eſſe diem iudicij, neq; longe diſtare, etiam ſi dies, & hora certo non cognoſcatur. Illud autem nõ ſolum verbis Chriſti non repugnat, ſed potius in eis continetur, cum ipſe dixerit: *ſtatim autem poſt tribulationem illorum dierum ſol obſcurabitur*, &c. Illud autem *Matt. 24.*

ſtatim

ſtatim erit proxime poſt mortem Antichriſti, vt ex Scripturis oſtenſum eſt; ergo qui nouerint Scripturas, euidenter intelligent, propinquiſsimum eſſe diem iudicij, nam illud *ſtatim* hanc propinquitatem aperte indicat. Vnde ſubiungit idẽ Dominus: *Ab arbore autem fici diſcite parabolam, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas, ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in ianuis.* Ergo talis præcognitio diei iudicij, vel certa quoad propinquitatem eius, & non quoad definitum diẽ, vel probabilis, & coniecturalis quoad ipſum diem, non repugnat, ſed potius eſt maxime conſentanea Scripturis. Neque contra hoc aliquid probant teſtimonia adducta, vt diſcurrendo per ſingula facilè conſtabit.

16. *Matt. 24.* Ad locum Matt. 24. reſpondeo, priora verba Chriſti, *De die illa nemo ſcit*, intelligi de certa, & infallibili præſcientia, non de probabili coniectura. Dico præterea, coniecturam etiam haberi non poſſe, niſi ex reuelatis, quia determinatio illius diei pendet ex Dei voluntate, quæ non poteſt niſi ex effectibus, vel ſignis reuelatis cognoſci. Poſita autem reuelatione ſignorum præcedentium diem iudicij, ex illis coniectari poteſt tempus illius diei, maiori quidem, vel minori probabilitate, iuxta modum reuelationis, & ſignorum. Et his coniecturis ſæpe Sancti Patres vſi ſunt ad iudicium aliquod faciendum de appropinquante die iudicij; imò ad hunc finem reuelata eſſe à Deo illa ſigna, ex allegatis verbis Chriſti aperte colligitur. Ad cætera autem verba, quibus docet Dominus, horam nouiſsimam diei iudicij repente occupaturam eſſe homines, reſpondeo, eandem obiectionẽ fieri poſſe contra verba Chriſti: *Scitote, quia prope eſt in ianuis*: nam hęc præcognitio ſatis eſſe poteſt, vt dies iudicij non repente præoccupet eos, qui verba Chriſti crediderint, & euentum illorum obſeruauerint, & conſiderare voluerint. *Matt. 24.*

17. *Pauciſsimi tunc erunt, qui coniecturis illuſtrantur.* Dico ergo in primis, hos futuros eſſe rariſsimos, quia pauci erunt, qui prædictas prophetias perſpectas habeant, easq́; intelligant, ac recogitent. Ideóque licèt pauci aliqui intelligentes, & in fide ſapientes poſsint ex illa expectatione parati eſſe ad Domini aduentum, hoc non obſtat, quominus totus fere mundus nihil minus, quàm de illius fine cogitet, atque ita totum fere orbem repente occupet Chriſti aduentus. Quod rectè declaratur exemplo diluuij, quo Chriſtus vtitur, aliqui enim fuerunt tunc homines, quos non repente pluuiæ præoccuparunt, vtique Noe, & familia eius, & nihilominus abſolute ait Chriſtus, diluuium veniſſe, & imparatos homines inueniſſe, omneſque oppreſsiſſe; ita ergo erit in aduentu ad iudicium. Aliud ſimile eſſe poteſt de tempore primi aduentus Chriſti, nam ſimpliciter repente venit, reſpectu orbis, licet pauci ſapientes potuerint intelligere, iam prope inſtaſſe aduentum eius.

18. *Iudicij incertitudo tripliciter conſiderari poteſt.* Deinde aduerto, illam incertitudinẽ diei iudicij poſſe conſiderari, vel reſpectu noſtri, & omnium, qui futuri ſunt ante reuelatum Antichriſtum, & inchoatam perſecutionem eius. Vel reſpectu eorum, qui eo tempore futuri ſunt, quo perſecutio Antichriſti iam graſſabitur, nondum verò finem eius viderunt; vel reſpectu eorum, qui viuent poſt Antichriſti mortem, & antequam inchoentur proxima ſigna iudicij, ſcilicet, *Sol obſcurabitur*, & ſimilia; vel reſpectu eorũ, qui talia ſigna iam proſpexerint. In primis igitur temporibus dies iudicij eſt omnino incertus, imò vix poteſt per cõiecturam aliquid de illius mora, vel propinquitate iudicari, vt Auguſtinus epiſt. 80. latè oſtendit, & experimento ſatis cognitum eſt in Patribus, qui ante mille annos diem iudicij propinquare exiſtimarunt. Neque in hoc eſt controuerſia. De ſecundo tempore dicimus, ſapientes quidẽ magna fide, intelligentia, & attẽtione tũc res conſiderantes cõiectare poſſe, diem iudicij, non longe abeſſe, quia certo credent, tribulationem illam breuem eſſe futuram, & illa finita, ſtatim inceptura eſſe ſigna iudicij, vtrunq; enim Chriſtus prædixit. Vnde Gregor. 34. Moral. cap. 10. in fine, aliàs 15. *Appropinquante* (ait) *die iudicij, vel præcurſoris vocibus, vel quibuſdam erumpẽtibus ſignis, ipſa eis iam aliquo modo aduenientis Domini virtus interlucet.* Erit tamen illa coniectura & confuſa reſpectu definiti temporis, & rara reſpectu totius mundi, & *D. Aug.*

incerta, reſpectu plurium, quia cum multæ futuræ ſint tribulationes, & multi pſeudochriſti, teſte ipſo Chriſto, (*Matt. 24.*) difficillimum erit intelligere, an illa ſit vltima, & maxima, & an ille ſit proprius Antichriſtus.

19. *Regis obiectio.* Sed ait Rex: *At Pontificij dicunt, mundus non ignorabit, illum eſſe Antichriſtum, duorum teſtium doctrina.* Reſpõdeo, duos illos teſtes prædicaturos breui tempore, & fortaſſe in paucis orbis locis, & prouincijs: & ita non ſufficiet, vt totus orbis ſciat, illum eſſe Antichriſtum. *Reſponſio.* Imò etiã vbi prædicabunt, multi erunt increduli, ſicut fuerunt in diebus Noe, vel ſicut fuerunt Iudæi, quando Ioannes teſtimoniũ præbuit Chriſto, ideòq; licet aliqui credant, & poſsint eandem coniecturam appropinquantis iudicij facere, nullum eſt inconueniens, quia cęteri omnes, & mũdus, ſimpliciter loquendo, nihil tale cogitabit. Vnde Ambroſ. 1. Theſſalon. 5. (*1. Theſſ. 5. D. Ambr.*) in principio de illo tempore intellexiſſe videtur multa ex dictis teſtimonijs: *Dies Domini vt fur veniet.* (*2. Petr. 3.*) & *Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Et illud, (*Matt. 24.*) *Siquis vobis dixerit, Ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere. Subito enim* (ait) *& ex inſperato apparebit, ſicut coruſcatio apparet ab Occidente in Orientem,* (*Iſai. 3.*) *habens ſecum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichriſti, & ſatellitum eius. Cum enim ſecuri fuerint perfidi de regno diaboli, interfectis Sanctis, id eſt Enoch, & Elia, & læti de victoria, inuicem ſibi mittentes munera, ſicut dicit Apocalypſis, tunc illis ſubito veniet repentinus interitus.* (*Apoc. 11.*) In quibus verbis repentinum Chriſti aduẽtum dicit inchoari ante mortem Antichriſti, & ad illum interficiendum, & tũc maxime futurum repentinum incredulis: nam pauci credentes iam poterunt illum expectare; quanuis illi etiam de die, & hora etiam ſint incerti futuri.

20. At verò in tertio tempore poſt mortem Antichriſti, & ante ſigna iudicij maior quidem eſſe poterit coniectura iudicij appropinquantis, tamen illa etiam in paucis erit. Nam in primis breuiſsimum erit tempus illud inter Antichriſti mortem, & ſigna iudicij, vt ſæpe probatum eſt ex verbis Chriſti Domini dicentis: (*Matt. 24.*) *Statim autem poſt tribulationem illorũ dierum, Sol obſcurabitur.* Deinde in tam breui tempore mors Antichriſti non poterit nota fieri vniuerſo mundo, neque magnæ illius parti, (*Antichriſti mors nota non erit omnibus hominibus.*) quia Chriſtus deſcendens ad Antichriſtum interficiendum, non reuelabitur vniuerſo mundo, ſed in illo tantum loco apparebit, vbi Antichriſtus adfuerit, & inde mors eius diuulgãda erit per famam, vel literas per temporis decurſum, prout humano modo fieri poteſt. Ergo interim nihil magis ſolicitus erit mundus de die iudicij, quam ſi Antichriſtus non eſſet mortuus. Deniq; apud illos etiam, qui nouerint Antichriſtum, & mortem eius viderint, aut crediderint, (*Multi eorũ qui mortem Antichriſti viderint, Scripturas intelligent.*) paucisſimi erunt, qui legerint, & intellexerint prophetias de tempore aduentus Chriſti ad iudicandum poſt occiſum Antichriſtum. Imò illi etiam qui illas intellexerint, nunquam erunt ſatis certi de ſenſu illarum, donec impletas illas videant: ideòq; licèt probabiliter credere poſsint, poſt tot dies futurum iudicium, non tamen certo ſcient diem illũ. Et ita nihil ſequitur contra teſtimonia Scripturæ de incertitudine diei iudicij, etiam ſi in rigore de toto tempore, & de omnibus perſonis intelligantur. Eo vel maxime, quod etiam non conſtat, an illi quadraginta quinque dies terminum habituri ſint in ipſo die iudicij, vel in die, in quo omnium hominum mors conſummabitur, poſt quam diem, non eſt reuelatum, an ſtatim, vel poſt aliquos dies, futura ſit reſurrectio vniuerſalis, & iudicium. Et ita ſemper manent incerta dies, & hora iudicij.

21. *Fidelibus in vltimo tempore iudicij dies nota erit, non infidelibus.* At verò de vltimo tempore poſtquã inchoata fuerint ſigna iudicij, de quibus Chriſtus ait: (*Matt. 24.*) *Statim poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur:* ex eodem Euangelio conſtat, notum eſſe futurum vniuerſis fidelibus, mundi conſummationem, & iudicij diem eſſe propinquiſſimas, cum Chriſtus dicat: *Cum videritis hæc omnia, ſcitote, quia prope eſt in ianuis.* Infideles autem cum talia ſigna, & finẽ, ſeu ſignificationem eorum, vel prorſus ignorauerint, vel non crediderint, terrebuntur quidem, & contremiſcent, nihil vero de futuro euentu intelligẽt, aut cogitabunt. Nihilominus tamen reſpectu omniũ verũ ſemper erit, quod Chriſtus proxime ſubiungit: *De die autẽ illa, & hora nemo ſcit*, quia infideles penitus illam igno-

ignorabunt, fideles autem etiam ſapientes, licèt cognoſcãt eſſe propinquam, definite tamen neſcient, tali die, & hora eſſe futuram: quia ignorabunt deſtinatum diem ad vniuerſalem mortem omnium hominum, & alium præfinitum ad reſurrectionem, aliumque præordinatum ad iudicium; imò etiam ignorabunt, an ſint futuri diſtincti dies, & quantum inter ſe diſtabunt. Et præterea neſcient, quanto tempore duratura ſint illa ſigna antecedentia iudicium poſt mortem Antichriſti, quia licet ſapientiores fideles coniectare poſsint, non duratura vltra quadraginta quinque dies, neſcient nihilominus, an totos illos dies occupatura ſint nec ne: & conſequenter neſciẽt, quo die conflagrabit mundus, & ita de cæteris, quæ vſque ad diem iudicij ſunt futura. Atque ita omnia Chriſti verba ad literam, & in omni rigore, ac proprietate vera ſunt, etiam ſi verba Ioannis in proprio etiam, & rigoroſo ſenſu intelligantur, quod in ſequentibus teſtimonijs amplius declarabitur.

22. *Matt. 25.* Explicatur parabola de decem virginibus, de Iudicio particulari.

Ad ſecundum teſtimonium ſumptũ ex parabola de Virginibus Matth. 25. reſpondetur, poſſe quidem omnia, quæ in illa dicuntur ad priuatum vniuſcuiuſque iudicium accommodari, nam eius etiam dies, & hora incerta eſt hominibus, & in illud iudicium optime quadrat totius parabolæ concluſio: *Vigilate itaq; quia neſcitis diem, neque horam.* Hæc autẽ ignorantia diei, & horæ mortis non tollit, quin ante illius euentum, & conſequenter ante iudicij particularis momẽtum præſentiri poſsit mors, & iudicium illud prope eſſe coniectari, quanuis de die, & hora certa, & definita cognitio nõ comparetur, vel præconcipiatur. Et ita duo in eadem parabola inopinatè euentura ante hoc iudicium diſtinguere neceſſe eſt. Vnum eſt, prius prænunciari aduentum ſponſi, aliud eſt, ipſum ſponſum poſtea venire. Primum in illis verbis continetur: *Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obuiam ei,* aliud ibi ſubiungitur: *Dum autem irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo, & cæt.* Ex quo intelligimus, magis repentinam eſſe denunciationem aduentus iudicij, quam ſit futurus eius aduentus, nam prior dormitantes, vel dormientes inuenit omnes Virgines, id eſt, nihil de appropinquante iudicio cogitantes: aduentus autem ſponſi prudentes inuenit paratas, & accenſis lampadibus ipſum expectantes, & ita licet diem, & horam vtriuſque, ſcilicet, prænunciationis, & aduentus ignorauerint, non tamen tam inopinatus illis fuit ſponſi aduentus, ſicut illius propria denunciatio. Vnde in particulari iudicio illa duo ita diſtingui poſſunt, vt momentum mortis ſit idem, quod erit aduentus iudicij, diſpoſitiones autem præuiæ proximæ ad mortem, prænuncient iudicij aduentum; vt ægritudines, & alia frequentia pericula mortis. Et ita dixit Gregorius Homil. 13. in Euangelia: *Venit Dominus cum ad iudicium properat, pulſat verò cum iam per ægritudinis moleſtias mortem vicinam eſſe deſignat.* Et hanc interpretationem proſequitur Origenes Homilia 22. in Matthæum, & eam cenſet maxime literalem Diuus Thomas ibi, nec diſplicet Auguſtino Epiſtola 80. Vnde ſi illam ſequamur, nihil ex illa parabola ad materiam præſentem conducere poteſt, quia regnum Antichriſti non ante priuatum iudicium, ſed ante vniuerſale futurum eſt. Quòd ſi loqui velimus de iudicio particulari illorum hominum, qui poſt Antichriſti mortem futuri ſunt, illi etiam ignorabunt diem, & horam ſuæ mortis, & conſequenter etiam ſui particularis iudicij, præſentire autem poterunt, non longe diſtare per ſigna, & præconia appropinquantis finis mundi.

Iudicij denunciatio magis repẽtina erit, quam eius aduentus.

D. Grego.

Origen.

D. Thom.

D. Aug.

25. Eadem parabola intelligi poteſt de Iudicio vniuerſali.

Vnde vlterius dicimus, licet hic ſenſus probabilis ſit, non ita eſſe accipiendum, vt negemus, poſſe etiam illam parabolam de vniuerſali iudicio intelligi, ſine præiudicio eorum, quæ de tempore Antichriſti diximus. Nam duobus modis poſſunt exponi verba illa: *Media autem nocte clamor factus eſt.* Primo vt per clamorem illum intelligamus tubam, & vocem magnam, qua Angeli clamabunt ad electos congregandos, ſicut Chriſtus dixit Matth. 24. vt exponunt Hieron. Chryſoſtom. & alij Matth. 25. & Auguſtin. epiſtol. 120. cap. 34. Sed difficilis eſt expoſitio, & æquiparatio: nam tuba illa, & vox Angelorum præcedet iudicem iam venientem poſt vniuerſorum

Matt. 25.

Matt. 24. *D. Hier.* *Chryſoſt.* *D. Augu.*

hominum mortem, eoſque vocabit, vt ad vitam reſurgant, & in iudicium veniant, iuxta illud Pauli. 1. ad Corinth. 15. *Canet enim tuba, & mortui reſurgent*
1.Cor.15. *incorrupti.* At vero clamor hic, qui in parabola Virginum anteceſſurus dicitur, fiet ante mortem hominum, quando adhuc poſſint præparari, & diſponi ad ſpõſum recipiendum, ſicut prudentes virgines fecerunt; ergo per hunc clamorem non poteſt vox illa Angelorum ſignificari.

24. D. Aug. Reſpondet autem Auguſtinus, etiam clamorem illum, de quo in parabola de Virginibus eſt ſermo, futurum eſſe poſt mortem omnium hominum, quæ per
Alia expoſitio, ſomnum ibi ſignificatur illis verbis, *dormitauerunt omnes, & dormierunt*, & conſequenter ait, illum clamorem non eſſe, vt homines præparentur ad lumen iuſtitiæ recipiendum de nouo, ſed vt reſurgant. Tunc autem Virgines prudentes ornare lampades ſuas, ſe præparando per recogitationem bonorum operum ſuorum ad rationem reddendã. Atque iuxta expoſitionem hanc, nihil etiam ex illa parabola ad præſentem controuerſiam ſumi poteſt: nam poſt vniuerſalem mortem omnium hominum, certum erit, diem, & horam reſurrectionis, & aduentus iudicij prope adeſſe, ſemper tamen quæ futura ſit ignorabitur, donec audiatur vox tubæ, niſi forte animæ beatæ illam iam in Verbo videant, quod non repugnat verbis Christi, licèt ſit incertum.

25. Tertia expoſitio. Alia verò expoſitio eſſe poteſt, vt clamor ille non ſit vox tubæ, ſed ſit prædicatio Enoch, & Eliæ, & aliorum ſeruorum Dei, qui eo tempore viuent, vel etiam ſint ſigna iudicij, quæ præcedent, *vt Sol obſcurabitur, &c.* illa enim ſuo modo clamabunt, diem Domini appropinquare. Et ſic etiam in illo aduentu duo ſupra dicta diſtinguenda erunt, vnum eſt præuia denunciatio aduentus iudicij, quæ erit non tantum antea ignorata, ſed etiam inexpectata, & repentina, quia ante illam non præcedet alia publica excitatio, ſeu præmonitio præter generales, quæ iam ſatis in Scriptura factæ ſunt. Aliud eſt aduentus iudicis, & hic non erit ita repentinus, quin præparatio, & expectatio ad illum præcedere poſſit,

A ſemper tamen dies, & hora eius definitè ignorabitur, donec veniat. Et hoc modo explicauit hanc incertitudinem Oecumenius. 1. Theſſal. 5. ſuo cap. 6. dicens, Oecumen. 1.Theſſ.5.
ſigna propinquantis aduentus poſſe certo cognoſci, aduentum autem ipſum non ita.

Ad tertium teſtimonium ex Actor. 1. reſpondeo primo, per verba illa: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta*, ad ſummum excludi certam præcognitionem definiti diei, & horæ ſecundi aduẽtus Domini, vt notauit Cyprian. lib. 3. ad Quirin. cap. 89. Deinde dico, voluiſſe Christum reprehendere curioſam inueſtigationem, & inutile deſiderium ſciendi futura, maximè quæ à diuina poteſtate, & præfinitione pendent, vt notauit Iuſtinus quæſt. 112. ad Gentes. Auguſtinus autem in epiſt. 78. addit, per illa verba etiam excludi numerum quẽlibet annorum, intra quem, vel poſt quẽ immediate futurus ſit ſecundus Domini aduentus, quia hoc etiam propriè ſignificat vox illa *tempora*, & ideò in nullius hominis cognitionẽ cadere poteſt poſt quot annos futurum ſit iudicium. Quod adeò confirmat, vt dicat, licet ex verbis Chriſti Matth. 24. colligatur, non eſſe futurum iudicium, niſi prius Euangeliũ in vniuerſo orbe prædicetur, dicente Domino: *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio.* Nihilominus etiam impleto illo ſigno, nunquam poſſe cognoſci tempora (id eſt annorum numerum) quæ vſque ad iudicij diem ſuperſunt. In quo ſignificat duo, vnum eſt, verba Chriſti: *Non eſt veſtrum noſſe, &c.* non ſolum excludere cognitionem per aſtra, aut alia humana ſigna, ſed etiam per ſigna reuelata, & per prophetias. Aliud eſt, non ſolum dicta eſſe à Chriſto pro ſolis illis diſcipulis, qui tunc aderant, & ipſum interrogabant, ſed etiam pro omnibus hominibus quocũque tempore futuris. Quod latius tradit Epiſt. 80.

26. Explicatur locus ex ca. 1. Act. Act. 1. D. Cyprian. B D. Iuſtin. D. Aug. C Matt. 24. D

Hinc verò ſumi poteſt obiectio cõtra dicta. Nam hinc fieri videtur, nunquam poſſe certum eſſe, quot anni reſidui erũt vſq; ad iudicij diem: hoc autẽ repugnare videtur his, quę diximus de tribus annis cum dimidio perſecutionis Antichriſti. 27. Obiectio. Solutio.

Reſpon-

Verba Chriſti nō ad ſolos apoſtolos coarctāda.

Reſpondeo in primis, verum quidem eſſe, verba Chriſti non ſolum ad Apoſtolos, & diſcipulos, qui Chriſtum audiebant, ſed ad omnes nos etiam pertinere, omnium enim inordinatum deſiderium præſciendi futura, quæ à Dei diſpoſitione pendent, repreſsit Chriſtus, docuitq́; non pertinere ad homines ea inueſtigare, nec velle cognoſcere, niſi quatenus ea Deus voluerit reuelare. Ex quo recte etiam infertur, incerta nobis eſſe tēpora aduentus Domini, quia nihil de numero annorum durationis mundi nobis reuelatū eſt. Et hoc eſt, quod præcipue Auguſtinus in illis locis agit, & intēdit. Sub aduentu autem Domini comprehēdit etiam ſigna proxima aduentus eius, & inter ea ponit interdum Antichriſti perſecutionem, vt in lib. 18. de Ciuit. cap. 53. poſtquam dixit; *Illam ſane nouiſſimam perſecutionem, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet Ieſus* &c. Subiungit: *Hic quæri ſolet, quando iſtud erit? importune omnino.* Et ſtatim inducit verba Chriſti, *Non eſt veſtrum noſſe tempora*, &c, Et in dicta Epiſt. 80. dicit, Paulum tradidiſſe nobis, *Antichriſtum manifeſtum futurum, & interficiendum ore Domini Ieſu Chriſti. Sed poſt quantum temporis* (inquit) *hoc ſit futurum, nec ſaltē obſcure loquutus eſt.* Itaque tempora vſque ad Antichriſtum incognita eſſe contendit Auguſtinus, poſt manifeſtatum autē Antichriſtum, nō negat Auguſt. ab his, qui illum cognouerint, & ſcripturas intellexerint, & cōſiderauerint, poſſe cognoſci, quam breui tempore ſit iam tunc mundus duraturus.

D. Auguſt.

Tempus ante Antichriſti manifeſtationē incertū eſſe contendit Auguſtinus.

28. Vnde quod in eadem epiſt. 80. paulo poſt ſubiungit: *Quod autem de ſignis Euāgelicis, & propheticis, quæ quotidiè fieri cernimus, propinquum Domini aduentum ſperare debeamus, quis negat? Quotidie quippe magis, magiſque fit proximus. Sed quanto interuallo propinquet, hoc dictum eſt, non eſt veſtrum ſcire,* hoc (inquam) de ſignis remotis ſecundi Domini aduentus intelligendum puto, non de proximis, de quibus inferius ait. *Puto, quod non erunt ſic, quando erūt, quæ in Euāgelio prædicta ſunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſuræ gentium,* quæ ipſe allegoricè de perſecutione Eccleſiæ tempore Antichriſti interpretatur. Tunc ergo poterunt ſapientes fidelium breuitatem reſidui temporis vſque ad iudicium præcognoſcere. Neque agent contra verbum Chriſti: *Non eſt veſtrum noſſe tēpora*, quia non per humanas coniecturas, aut naturalia ſigna, nec per ſingularem reuelationem, aut inordinatam curioſitatem illā cognitionem inquirent; ſed per reuelationem in Scriptura factam videbunt impleri, quod prædictū eſt. Sicut enim in primo ſuo aduentu quædā ſigna Deus dedit, quibus à ſapientibus cognoſci poterat, vel iam factum eſſe, vel breui tempore diſtare, antequam fieret, & poſt certum annorum numerum, ſaltem per hebdomadas Danielis, licet ſemper dies, & hora fuerint ignorata; ita cum proportione intelligendum eſt in ſecundo.

D. Auguſt.

A — B

29. Explicatur locus ex 1. Petr. 5.

Ad quartum ex verbis Petri: *Sobrij eſtote*, reſpondeo in primis, Petrum ibi non agere de incertitudine mortis, vel iudicij, ſed de certa, & quotidiana dæmonis perſecutione, qua homines ad peccatum trahere conatur, *circuit, quærens, quē deuoret*, hanc enim cauſam adduxit Petrus, obquam ſobrios nos eſſe, & vigilare monebat. Et ad hoc paſsim allegantur à Patribus illa verba, & res eſt adeò perſpicua, vt ſuperflua ſit probatio. Vnde licet alicui eſſet reuelata hora mortis, vel iudicij, nihilominus neceſſarium eſſet illi conſilium Petri, imo, ſi ſaperet, quo certius appropinquare diem iudicij agnoſceret, eo magis vigilaret, & ſobrius eſſet, ne â dæmone vinceretur. Addo vero vlterius, licet illud conſilium datum eſſet à Petro propter incertitudinem mortis, vel iudicij, nihil nobis obſtare, nā Chriſtus Dominus licet aliquādo nos moneat *vigilare, ne intremus in tentationem*, Matt. 26. alibi ſæpe ſimilem vigilantiam admonet propter mortis incertitudinem, vt in parabola de Virginibus, & alibi frequenter. Vnde ſicut diximus circa dictam parabolam, illam incertitudinē non ſolum à nobis non excludi, verum etiā nec ab hominibus futuris tempore Antichriſtianæ perſecutionis, ita dicendum eſſet de his verbis Petri, etiam ſi in illo ſenſu dicta fuiſſent: quia ſemper homines de die ſuæ mortis, & iudicij incerti erant.

C — Vigilandū nobis ob dæmonis inſidias, & mortis incertitudinem.

D — *Matt. 26.*

Ad cætera teſtimonia, quæ continēt ſententiam, & comparationem illam, 30.

quod *Dies Domini veniet vt fur.* Dico in primis, illam non ſolum ad iudiciũ vniuerſale, ſed etiam ad diem mortis, & priuati vniuſcuiuſque iudicij referendam eſſe, vt ſapienter docuit Auguſtinus dicta epiſt. 80. Vbi etiam ita exponit verba Marci. 13. vbi poſt longum ſermonẽ de die vniuerſalis iudicij, concludit Chriſtus. *Vigilate ergo (neſcitis enim quando Dominus domus veniet, ſero, an media nocte aut galli cantu, aut mane) ne cum venerit, repente inueniat vos dormientes.* Probatq; optime, quia verba illa omnibus nobis dicta ſunt, ſicut Chriſtus ſubiũxit, *Quod autẽ vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Dies autem vniuerſalis iudicij non inueniet nos, & omnes homines in hac vita, vt propter illius incertitudinẽ oporteat nos omnes vigilare; ergo vnicuique hoc dicitur propter ſuum priuatum, ne illi vt fur, veniat, *Quod vnuſquiſq.* (ait Auguſt.) *debet etiã de die hui⁹ vitæ ſuæ nouiſsimo formidare.* Cur autẽ hoc monuerit Chriſtus, cũ de vniuerſali iudicio ſermonẽ feciſſet, hac ratione, & verbis expoſuit Auguſt. *In quo enim quenq; inuenerit ſuus nouiſsimus dies, in hoc eum comprehendet mundi nouiſsimus dies, quoniam qualis vnuſquiſq; in hoc die moritur, talis in illo die iudicabitur.* Et infra: *Tunc ergo vnicuique veniet dies ille*, ſcilicet, vniuerſalis iudicij, *cũ venerit ei dies, in quo talis hinc exeat, qualis iudicandus eſt illo die.* Vnde recte colligitur, vnicuique in tantum venire diẽ iudicij vt furem, in quantũ dies mortis venit, vt fur: nam vt etiam ait Auguſtinus, *Illum imparatum inueniet dies ille, quẽ imparatum inueniet vitæ ſuæ vltimus dies.* Eodemq; modo de priuato iudicio explicuit comparationem illam Oecumen. 1. Theſ. 5.

Eodem modo alia ſcripturæ loca exponũtur. 1. Theſ. 5.

Matt. 13.

D. Aug. Cum mors venit, vt fur tunc etiam iudicium venit.

1. Theſ. 5.

31. Mors ipſa nõ omnino vt fur venit.

Non dicitur autem mors venire vt fur, quia omnibus ſit repentina: nã licet dies, & hora eius incerta ſint, ordinariẽ inſtare præcognoſcitur, & præcedunt ſigna, non ſolũ generalia, ſed etiã ſpecialia, quæ nos poſſunt ad vigilandum excitare, ne mors noctu, ideſt, dormientibus, & imparatis nobis tanquã fur veniat: tamen quia etiam ipſa ſpecialia ſigna mortis repente ſolent euenire, & tunc vix poteſt homo ſe ad mortẽ præparare, ideo mors, vt præuijs ſuis præcurſoribus coniuncta dicitur venire vt fur. Hinc ergo etiam

A dies vniuerſalis iudicij dicitur ventura vt fur, nobis quidẽ mediãte noſtro particulari iudicio, vt expoſuit Auguſtinus illis vero, qui in illis vltimis temporibus viuent, quia dies illa cum ſuis proximis ſignis, repẽte incipient, vt cum Ambroſio ſupra dixi. Nihilominus tamen non erit tam repentinus ille dies, quin per ſigna antecedentia ſint homines, qui tunc vixerint, excitandi, vt vigilent; & ſe præparent, ne illos imparatos inueniat. Vnde Paulus in eodẽ loco. 1. Theſ. 5. vt ibidem Oecumen. notat, alio exemplo mu- Oecum. 1. Theſ. 5.

B lieris prægnantis hoc declarauit dicens: *Tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habentis, & non effugiẽt.* Partus enim in ſe ſpectatus non eſt omnino repentinus, nam præcedunt dolores, quæ ſunt illius appropinquantis ſigna, tamen dolores ipſi repente veniunt, & ideo antea oportet præparari, alias magnum imminet periculum, & ſic partus ſuis doloribus coniunctus dici poteſt venire vt fur, quia dies, & hora eius ſemper ſunt incerta, & dolores eius repente incipiunt; ita ergo de die iudicij intelligẽdum eſt.

C Addit deniq; Auguſtinus epiſt. 80. diem Domini *nõ omnibus*, ſed *imparatis, ac dormiẽtibus*, vt furem eſſe venturum. Quod egregiè colligit ex illis Pauli verbis: *Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis eſtis, & filij diei, non ſumus filij noctis, neq; tenebrarũ. Igitur nõ dormiamus ſicut & cæteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.* Igitur dormientibus, & rebus huius mundi intemperatè vtentibus dies ille veniet vt fur, non autem vigilantibus, & ſe præparantibus. Quia licet ignorent illius iudicij tempus, diem,

32. D. Aug. Mors imparatis vt fur venit.

D & horam, non ignorant tamen proxime inſtare, vel in ſe, vel in particulari iudicio vniuſcuiuſque & ideo vigilant, ne illos dies illa tanquã fur comprehendat. Vnde quod ibidem ait Paulus: *Cum dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus*, etiã de illo tempore, in quo Antichriſti perſecutio graſſabitur, & proxima iudicij vniuerſalis ſigna videri incipient, Auguſtinus intelligit, dicitque illos, qui ſanctos tribulabunt dicturos eſſe, *pax & ſecuritas*, eiſque tanquam furem venturum repen-

repentinum interitum: eos autem, qui perſecutionem patientur, id eſt, filios Eccleſiæ, partim eſſe timore magno afficiendos (iuxta illud: *Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione eorũ, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi*. Quod maximè cõtinget fidelibus peccatoribus, qui minus paratos eo tẽpore ſe ſe inuenient) partim eſſe ſpe ſubleuandos, iuxta illud, *Surgite, & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*, quod his eueniet, qui ſanctè vixerint, & ſobrij, ac vigilantes inuenti fuerint.

33. Quanuis definitum ſit tẽpus à morte Antichriſti, dies iudicij rectè dicatur ignorari.

Hæc autem omnia ſic intellecta, impleri optime poſſunt, etiam ſi tempus, quo Antichriſtus perſequuturus eſt Eccleſiam, & quod inter mortem eius, & aduentum Domini intercedet, certum, ac definitum, & in Scripturis reuelatum ſit. Nam hoc non obſtante homines mali, & perſecutores Eccleſiæ dicent, pax, & ſecuritas, ſaltem toto tempore ante mortem Antichriſti, quo tempore eis repentinus veniet interitus, & dies Domini, vt fur, & adhuc poſt diem interfectionis Antichriſti, multitudo infidelium in ſua ignorantia, & incogitantia permanebit, & plures etiam ex credentibus myſterium ignorabunt, & male antea viuentes in eadem conſuetudine perſeuerabunt, donec ſigna iudicij incipient, quando vehementer timebunt, & licet diem certum ſuæ mortis, vel iudicij venturi non agnoſcant, nihilominus vel inuiti intelligent, diem Domini inſtare, quando vix poterunt ſe ſe ad illum præparare, & ideò illis etiam dies Domini veniet, vt fur. Electis autem, & iuſtis non ita veniet, quia Chriſti, & Prophetarum verba intelligentes, & præ oculis habentes, diuinaque gratia excitati, & adiuti, ſpe gaudentes iudicem expectabunt.

CAPVT. IX.

Alteri difficultati occurrendo, tempus regni Antichriſti, & initium eius amplius declaratur.

1. Antichriſtũ nondum veniſſe.

EX his, quæ præcedentibus capitibus diſputauimus, ſolùm concluditur, neque pręceſsiſſe, neque inchoatam eſſe Antichriſti perſecutionẽ, ſi enim præceſsiſſet, iam mundus iudicatus fuiſſet, & ſi eſſet inchoata intra breue tempus conſummandus eſſet, quòd eſt incredibile, quia neque aliqua perſecutio nunc eſt acerbior, quam præteritis temporibus fuit, nec iuge ſacrificium publicè in Eccleſia celebrari ceſſauit, & alia ſigna diẽ iudicij anteceſſura, quæ prædicta ſunt, partim non ſunt completa, partim nondum apparere inceperunt, & lõgius tempus requirunt, vt compleantur, vt prædicationis Euangelij per totum orbẽ conſummatio, diuiſio imperij Romani in decẽ regna, eiuſq; integra deſtructio, aliaq; ſimilia, quæ intra quatuor annorũ tempus expectari non poſſunt. Vnde omnia bella, hæreſes, & alia orbis mala, quæ hactenus patimur, noſtriq; maiores experti ſunt, ad illa pertinent, de quibus Chriſtus dixit: *Audituri eſtis prælia, & opiniones præliorũ, multi venient in nomine meo, & multos ſeducent, multi pſeudoprophetæ ſurgent, ſcandalizabuntur multi, tradent vos in tribulationem, & occident vos, &c.* *Matt. 24.* Et nihilominus adiungit: *Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.* Hæc enim omnia videmus, & eſſe nunc, & fuiſſe olim in Eccleſia, & cum eadem rerum viciſsitudine diuturno tempore. Ipſe ergo rerũ humanarũ, & Eccleſię ſtatus cũ prophetijs cõiunct⁹ euidenter oſtẽdit, non eſſe finẽ mũdi ita propinquũ, vt intra tempus pręfinitum, & abbreuiatum illius vltimæ tribulationis conſummandus ſit; ergo manifeſtum eſt tempus perſecutionis Antichriſti nõdum inchoatum eſſe.

2. Proponitur difficultas de initio regni Antichriſti.

Supereſt verò difficultas, quia ex hoc principio nõ eſt demonſtratũ nondum veniſſe, & regnare cępiſſe Antichriſtũ, quia regnũ eius diuturnius futurũ eſt, & nõ cõſtat, quantũ durabit, nec quanto tẽpore ante diẽ iudicij incipiet. Eo vel maximè, quod nõ eſt etiã reuelatũ, an regnũ illud Antichriſtianum vnius tantum hominis, & Regis futurũ ſit, an pluriũ in eodẽ throno ſibi ſuccedentiũ. Nam licèt oſtẽſum ſit, proprium Antichriſtum futurum eſſe vnicum tantum ſingularem hominem, non tamẽ inde cõcluditur neceſſario, futurũ eſſe vnicum Regẽ in ſuo regno, ſeu throno, poterit enim eſſe vnus ex multis in eodem throno ſibi ſuccedẽtibus, atq; regnantibus, & ab illo denominabitur illud Antichriſti regnum, & ſic fieri poterit, vt thronus Antichriſti,

ſeu regnum Antichriſti non ſit inchoatum, & in mundo præualeat, licet in illo nondum ſederit vnicus ille, & proprius Antichriſtus. At verò ſi hoc totum concedatur, eneruabitur argumentum contra hæreticos, ſaltem quoad eam partem, qua contendunt, Regnum, & thronum Antichriſti iam incepiſſe.

3. Prima reſponſio, regnum Antichriſti intra triennīū cū ſemiſſe terminandum.

Huic difficultati duobus modis occurri poteſt; vnus eſt, aſſerendo, non ſolum perſecutionem, ſed etiam abſolutè, & ſimpliciter regnum, & imperium Antichriſti duraturum eſſe ſolum per dictū tempus trium annorum cum dimidio. Fundariq; poteſt reſponſio, quia plures ex Patribus allegatis ita loqui, & ſentire videntur. *D. Iren. D. Hypol.* Irenæus enim, & Hyppolitus abſolutè dicunt, regnaturum Antichriſtum tribus annis cum dimidio. Auguſtinus etiam ait, Antichriſti ſæuiſsimum regnum exiguo tempore duraturum. Eodemque fere modo Victorinus loquitur, & multi alij præſertim ex modernis, vt Bellarmin. lib. 3. de Romano Pontifice cap. 8. & Ribera in cap. 8. Apocalypſi. *Victor. Bellarm. Riber.* Poteſtque ex Scriptura deduci, quia illa indifferenter loquitur de Antichriſto, illique ſolum triennium, & mēſes aliquot ad regnandum tribuit, neque inter eius regnum, & perſequutionem diſtinguit; ergo nec nos diſtinguere poſſumus, nec habemus fundamentum, quo plus temporis ad regnandum, quam ad præliandum contra Chriſtum illi tribuamus. Præſertim quia Scriptura dicit, dœmonem totam ſuam virtutem, & poteſtatem illi communicaturum, dœmon autem non indiget multis temporum moris ad regna hominum debellanda, ſi à Deo permittatur, permittetur autem illo tempore, vt libere agat, propter quod dicitur *ſolui modico tempore* Apocalypſ. 20. & cap. 12. dicitur: *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet.* *Apoc. 20. & 12.* Ergo non eſt, cur regnum Antichriſti, quod veluti regnum diaboli futurum eſt, diuturnius cogitetur.

4. Reſponſio illa improbatur.

Nihilominus reſponſio hæc non poteſt ſatisfacere, nam vt attigi in 2. tomo tertiæ partis diſput. 54. ſect. 5. licet de monarchia Antichriſti recte declarata verè dici poſsit, tantum eſſe duraturam illo tempore quadraginta duorum menA ſium, vtique ab eo tempore, quo extinctis tribus Regibus, & ſuperatis alijs ſeptem, ſeu cæteris totius orbis Romani, vel etiam Chriſtianis Regibus, ſolus incipiat dominari, nihilominus neceſſarium eſt, vt tempus vitæ, & regni eius futurum ſit diuturnius. Et de tempore quidē vitę id eſt per ſe manifeſtum, quia naſcetur infans more aliorum hominum, & paulatim creſcet, & per multos annos ad ætatem adultam perueniet, antequam regnaturus ſit. Maximè quia (vt infra dicā) non habebit regnum hæreditario iure, B ſed per tyrannidem, & fraudem illud vſurpabit, quod niſi in adulta ætate facere non poterit.

De tempore autem regni expreſsius, quam alij hoc attigit Benedict. Pereira lib. 15. in Daniel. non longè à medio, §. *Cæterum*, &c. & ait, licèt de tempore quo eſt Antichriſti perſecutio duratura, ex Scriptura conſtet, nihilominus *quandiu* (ait) *ſimpliciter Antichriſtus regnaturus ſit à nullo, quod ego ſciam traditur, & nulli opinor mortalium fuiſſe compertum.* Et ſtātim tacite explicat Patres proximè allegatos, vt loquantur de Antichriſti duratione ab eo tempore ex quo *incipiet atro*C *citer, & crudeliter inſectari ſanctos, ipſiſq; præualebit.* Et videtur ſententia hæc fuiſſe Lyrani Daniel. 12. nam circa illa verba, *Et à tempore ex quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, &c.* inquit: *Hic Angelus inſtruit Danielem de termino, à quo ſunt computandi tres anni cum dimidio.* Et infrà: *Ab illo ſunt computandi dies mille ducenti nonaginta.* Vnde inferius colligit, *tres annos perſecutionis Antichriſti non eſſe computandos ab illo tempore, quo ſe incipiet oſtēdere, & aliquos ad ſe attrahere, ſed ab illo tē*D *pore, quo iam erit tantæ poteſtatis, quòd ſe exhibebit adorandum hominibus, & quo fideles non audebunt publicè celebrare ſacrificium.* Et certe ſi verba aliquorum Patrū attente expendantur, non plus ſignificant. Ait enim Lactantius: *Dabitur ei deſolare orbem menſibus quadraginta duobus.* Ephrē verò ait, *Poſtquam tria tempora cū ſemi impleta fuerint poteſtatis, & operationis ſceleſti Antichriſti, & cæt.* Et ſimiliter Hieronym⁹ Daniel. 7. *Tribus annis, & ſex menſibus Sancti poteſtati Antichriſti permittendi ſunt.* Aug. item lib. 20. de Ciuit. c. 8. ſo-

Margin notes (right column): 5. *Benedict. Perein.* — Tẽpus regni Antichriſti determinatè ignotũ eſt. — *Lyran. Dan. 12.* — Regni tempus longius erit, quam perſecutionis. — *Lactant. D. Ephrē. D. Hier. D. Aug.*

ſolum dixit: *tempus, pro quo Soluendus eſt Satanas futurum trium annorum cum dimidio*, & cap.23. non abſolutè regnum, ſed *ſæuiſſimum regnum* Antichriſti dixit *exiguo tempore* duraturum.

6. Probatur ex Daniele. Dan. 12.

Denique ex ipſa Scriptura videtur hæc ſententia ſatis probari, primo quia Daniel cap. 12. expreſſe deſignat initiũ illius temporis dierum mille ducentorũ nonaginta, ſcilicet, *A tempore, in quo ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem.* At non eſt veriſimile, illud ipſum futurũ eſſe initium regni, & prçliorum Antichriſti, quia tã magna acerbitas perſecutionis, quæ à publico ſacrificio Chriſtianos abſtinere cogat, & ingens audacia ſedendi in templo, tanquam ſit Deus, quæ eſt abominatio deſolationis, ſupponunt magnam potentiam, & regnum ſatis ſuperbum, & amplum; ergo duratio regni Antichriſti nõ poteſt claudi illa breui duratione. Conſonatque ordo narrationis Ioannis Apocalyp. 13. vbi prius ait, *Vidi de mari beſtiã aſcendentem*, quam eſſe Antichriſtũ ferè omnes intelligũt, & ſubiũgit: *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam* Et poſtea. *Admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam*, vtique propter victorias, & ſigna miranda: quæ omnia perſecutionem præcedent. Nam poſtea ſubditur. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos, &c.*

Ex Apocal.

7. Dan. 7. Iterũ ex Daniele.

Denique idem confirmat narratio Danielis capit. 7. vbi poſt viſionem quartæ beſtiæ habentis decem cornua initium regni Antichriſti ſic deſcribit, *Ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio corũ, & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius, & ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* Et infra addit, *Et maius erat cæteris.* Et deinde ſubiungit. *Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduerſus Sãctos, &c.* Ex quo diſcurſu apparet, cornu illud, priuſquam contra Sanctos bellum inchoet, habiturũ paruum initium, & poſtea bellaturum tria regna, & ſubiungaturum alia, & ita eſſe augendum, vt fiat maius alijs, hæc autem non poſſunt paruo tempore fieri: Et tamen poſt illa ſequetur initium perſequutionis; ergo neceſſe eſt, vt initium regni Antichriſti per multum tempus antecedat initiũ perſequutionis eius.

A Ac proinde fit, vt tẽpus totius regni Antichriſti longius ſit quam trium annorũ cũ dimidio; quibus (vt ibidẽ ait Daniel.) *Sãcti tradẽtur in manu eius*, vtiq, *Antichriſti.* Aperte ſignificans, illud breue tẽpus futurum eſſe ſolius perſecutionis, tẽpus autem regnandi maius eſſe futurum.

Quantum autẽ futurum ſit tempus regni ſimpliciter Antichriſti, nullibi reuelatum inuenimus, & ideo nimia cum certitudine affirmari poteſt, niſi futurũ eſſe maius, quàm quadraginta duorum menſium. Neque enim ſatis erit auxiliũ dœmonis, vt ſine mora temporis, & aliquorum annorum tot prælia efficiat, totque regna debellet, quia modo humano hæc facturus eſt, quanquam credibile ſit, per dœmonis auxilium breuius, & facilius id eſſe conſequuturum. Vnde etiam fit, vt regnum Antichriſti aliquot annis anteceſſurũ ſit eius monarchiam cõſummatam, & perfectam, quia non in momento, ſed diſcurſu temporis illam cõſequetur, ideoque prius erit in fieri, quàm ſit perfecta. Regnum autem incipiet, ſimul ac per tyrannidem ditionem aliquam occupauerit, ſupremamque vim, & iuriſdictionem in aliqua prouincia obtinere inceperit. Et ita probabile eſt, conſũmatam monarchiam tantum illo breui tẽpore quadraginta duorum menſium eſſe duraturam, quia ſimul atque fuerit potitus regnis omnibus, perſecutionem incipiet. Hoc autem non eſt ita certum, quia etiam poſt monarchiam perfecte obtentã fieri poteſt, vt non ſtatim perſecutionem incipiat, & ideo de ſola perſequutione certum eſt, duraturam per ſolos illos menſes. De monarchia verò eſt probabile, ſed incertum, de regno verò ſimpliciter certum eſt, futurum eſſe diuturnius.

8. Tẽpus perſecutionis certum eſt, monarchię incertum.

B C

D Vt autem difficultati tactæ in principio occurramus, addendum cenſemus: licet definire non poſſimus certam quantitatem durationis illius regni, nihilominus credẽdum eſſe, tempus illud nõ eſſe diuturnius, nec longius futurum, quam eſſe poſsit, & regulariter ſoleat eſſe vnius hominis vita, nimirum ſeptuaginta, aut octoginta annorum. Et in Antichriſto credibile eſt multo breuius futurum eſſe tempus durationis eius, quia non permittetur viuere toto tẽpore, quo naturaliter poſſet, ſed diuinitus occidetur, aut

9. Tempus regnandi [illegible] hominis vitam [illegible] excedet.

 viuus

viuus in infernum mittetur, fortaſſe in dimidio dierum ſuorum, quia *propter electos breuiabuntur dies illi.* Ergo merito cõiectare poſſumus, initiũ totius vitæ Antichriſti vix anteceſſurum initiũ perſecutionis per quinquaginta annos, & initiũ regni vix per triginta, & fortaſſe erit breuius. Nam Alexander Magnus breuiori tẽpore mundum ſubiugauit, vt ex lib. 1. Machab. cap. 1. ſumitur, veriſimile autẽ eſt, Antichriſtũ velocius occupaturum omnia propter dęmonis auxilium, & licentiã ſeu permiſsionem Dei amplam, vt iam dixi. Quod autem totũ tempus durationis Antichriſti non ſit futurũ maius, quam poſsit eſſe tempus vnius vitæ humanę, ex alio principio cap. 2 poſito cõuincitur, nimirum Antichriſtum futurum eſſe vnum ſingularem hominem tantũ, vt ſtatim amplius explicabimus.

Matt. 24. *1. Mach. 1*

10. Inſtãtia hæreticorum.

Adhuc enim ſupereſt inſtantia ſupra facta, ſcilicet, hoc recte dici, & concludi de proprio Antichriſto, vt futurus eſt vna ſingularis perſona, & conſequenter etiã de regno eius vt futuro ſub eius perſonali imperio, vt ſic dicam, non probari tamen ſufficienter ex dictis imperiũ Antichriſti ab ipſomet Antichriſto eſſe inchoandũ: Cur enim non poterit ab eius progenitoribus inchoari, & tandẽ ad illũ peruenire? Quod ſi hoc ita contingere poteſt, vnde conſtabit nondum veniſſe, ſeu inchoatum eſſe thronum illũ, & regnum, in quo Antichriſtus ſeſſurus eſt, & inde proditurus ad alia temporalia regna occupanda, ac tandem Eccleſiam Chriſti perſequendam. Fieri ergo poteſt, vt regnum illud iam inceperit, & quod per multa annorum ſecula duraturum ſit: quia illius regni non eſt præfinitum aliquod tempus in Scriptura, nec data ſunt ſigna ad cognoſcendum initium eius, ſed tantum finem. Quod ſi hoc concedatur, conſurgit difficultas in principio tacta, quia nihil erit contra hæreticos effectum: illi enim ſolum contendunt, thronum, & regnum Antichriſti iam veniſſe, non perſonam aliquam ſingularem, quæ ſit Antichriſtus.

11. Reſponſio.

Reſpondeo, in primis, fugam hanc nihil hæreticis huius temporis prodeſſe, illi enim contendunt, proprium Antichriſtum iam veniſſe, & ſingularem perſecutionem ſub ipſo prædictam iam eſſe A inchoatam, & duraſſe per multos annos vſque ad mille, vel plures, & fortaſſe per multos adhuc duraturam. Hoc autem eſſe falſum ex allegatis prophetijs aperte conuincitur, & alijs circunſtantijs planius fiet. Et præterea errant iſti hæretici, quia in illo diuturno throno Antichriſtiano, quem fingunt, non cenſent ſolam aliquam perſonam in illo ſedentem eſſe propriũ Antichriſtum, ſed omnes qui in illo throno ſedent, per totum hoc tempus, ex quo Antichriſtianiſmus ſecundum eorum imaginationẽ B cæpit, dicunt, eſſe vere, ac propriè Antichriſtum. Quo poſito explicare non poſſunt, quis illorum ſit, qui tribus tantum annis cum dimidio perſequetur Eccleſiam, *tribulatione illa magna qualis nunquam fuit*: quisve ſit ille, quem *Chriſtus occidet ſpiritu oris ſui*, non enim occidet omnes ſedentes in illo throno, nec plures, de vno enim tantum id eſt prædictum: quis denique ſit ille, cui dœmon â Deo ſpecialiter ſolutus, & permiſſus, ſuam totam virtutem communicabit, & poteſtatem conferet, vt ſigna mendacia faciat, & prodigia, nam hæc, & ſimilia C hactenus non fiunt, & de vno tantum homine prædicuntur. Quod ſi dicant, hunc eſſe futurum illum, qui poſtremo ſederit in tali throno, qui in illo deſtruendus eſt, & prorſus extinguendus. Certè ſolum illum vocat Scriptura per antonomaſiam Antichriſtum, & ſolum illum nobis tribuit inter ſigna certa futuri iudicij; fruſtra ergo hæretici plures alios, qui æqualiter hoc nomen mereantur, fingunt, cum in alijs non poſsint illam proprietatem Antichriſti oſtendere. Et præterea voluntarie, & ex ſola malitia confingunt dari iam aliquem thronum D Regium, in quo vltimus Rex futurus ſit ille proprijſsimus Antichriſtus. Quæ enim ſunt ſigna talis throni? aut vbi in Scriptura indicatus eſt? aut cur non poterit quis voluntarie dicere, illum eſſe thronum regni Angliæ? ſicut ipſi malitioſe dicũt, eſſe thronũ Apoſtolicæ Sedis, & alius finget eſſe thronũ Turcæ, vel aliũ ſimilem. Eſt ergo vana illa cogitatio.

Scripturæ de Antichriſto, vt vno tantum homine loquitur.

Thronum Antichriſti iam inchoatũ falſò fingunt hæretici.

12. Regnũ Antichriſti breuius vitæ eius futurum.

Quin potius addo, licet non ſit tam euidens ex Scripturis, totum tempus regni, & throni, quod poſsidebit Antichriſtus, non eſſe futurum diuturnius, quam

A

quam fuerit duratio vitæ Antichriſti, nihilominus magna probabilitate poſſe ex Scriptura colligi, minori tempore duraturum regnum, quam perſonam Regis in ſtatu Regio. Quod ita declaro, quia in primis perſona Antichriſti nec naſcetur ex Regibus, nec erit legitimus hæres alicuius regni. Vtrumque colligo ex Daniel. 11. vbi ſic dicitur. *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quæ verba nō poſſunt ad aliquam ſeriē hominum in throno aliquo ſibi ſuccedentium accommodari, ſed de vna aliqua ſingulari perſona prædicuntur, nam in longa ſucceſsione Regum in eodem throno, licêt fortaſſe primus fuerit deſpectus, & clam introierit, per fraudulentiam, non poſſunt hæc de omnibus ſucceſſoribus affirmari. Dicuntur ergo illa omnia ſimul de vno aliquo tyranno fundatore (vt ſic dicam) vel inchoatore alicuius regni. Præterea illammet perſonam futuram eſſe Antichriſtum, teſtatur Hieronym. ibi contra Porphyriū, qui de Antiocho locum illum interpretabatur, dicens, *Noſtri autē & melius interpretantur, & rectius, quod in fine mundi hæc ſit facturus Antichriſtus, qui conſurgere habet de modica gente, id eſt, de populo Iudæorum, & tam humilis erit, atq. deſpectus, vt ei non detur honor Regius, & per inſidias, & fraudulentiam obtineat principatum.* Dum vero ait, *Noſtri autem*, aperte ſignificat, hanc fuiſſe tunc Eccleſiaſticorum concordem ſententiam, quā etiam ſequitur Theodoret. ibi. Confirmarique poteſt ex Daniel. 7. vbi dicitur. *Et ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum*, quod de Antichriſto omnes Scriptores Eccleſiaſtici intellexerunt, vt ibi ait Hieronymus. Dicitur autem paruulum, quia erit abiectus, & infimæ originis, ac ſubinde non hæres regni alicuius, imò nec Regiæ ſtirpis, & ideo dicitur naſci, *de medio eorum*, vtiq; regum, non ex illis. Igitur Antichriſtus non ſuccedet in aliquo regno, vel throno, ſed erit primus Rex in ſuo throno, quē ipſe inchoabit, eriget, ſeu vſurpabit.

Antichriſtus regnum fraude non hæreditate obtinebit.
Dan. 11.
D.Hiero.
Theodor.
Dan. 7.

13. His addo, Antichriſtū non habiturū in ſuo regno ſucceſſorem, quia ipſemet, qui regnum per fraudulentiam obtinebit, illud per diaboli potentiam in immēſum augebit, & ſanctos poſtea perſequetur, ac tandem à Chriſto occidetur, & regnum eius deſtruetur; ergo non habebit in regno ſucceſſorem, & conſequenter non plus, imó minus durabit regnū, quam Rex, quia ſimul finientur, & tardius incipiet Antichriſtus regnare, quā eſſe. Quæ omnia ex eiſdē locis ſcripturę colligūtur. Nam Ioan. dicto cap. 13. ſub nomine beſtiæ de vno, & eodem homine loquitur, qui conſurget de terra, cui diabolus dabit ſuam virtutem, & poteſtatē, per quam vniuerſam terram ſubiugabit, & poſtea bellum faciet ſanctis per menſes quadraginta duos. Idem ſumitur ex Daniel. 7. vbi ſub ſpecie cornu paruuli deſcribitur idem Antichriſtus cum eodē progreſſu in erectione throni, & augmento tēporalis potentiæ, & tranſitu ad perſecutionem ſanctorum, & blaſphemias contra Deum, & Chriſtum, *vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, quo tempore & ipſe, & regnum eius deſtruentur, & cōſonant huic veritati ſaltē in ſenſu myſtico verba Iob. 18. *Nō erit ſemen eius, neq; progenies in populo ſuo, nec vlla reliquia in regionib⁹ ei⁹.* Quæ verba interpretās Greg. li. 14. Mor. c. 11. p illa 2. Theſ. 2. addit. *Quē Dñus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui. Dū ergo eius iniquitas cū mūdi ſtatu terminatur, progenies eius in populo ſuo nō relinquetur.* &c. *At nulla eius progenies in mūdo remanet, quia diſtrictus iudex iniquitates illius, cū iſto mūdi fine cōcludet.* &c. *Quod vero hæc de Antichriſto intelligi debeāt, demōſtratur, cū ſubditur. In diebus eius ſtupebūt nouiſsimi, & primos inuadet horror*, &c. Cōcludimus ergo durationē regni Antichriſti nō eſſe futurā diuturniorē, quā vita vnius hominis eſſe poſsit. Vnde fit euidēs, Antichriſtū vſq; ad noſtra tēpora nō veniſſe, neq; regnū eius inchoatū eſſe, nō ſolū in perſona ei⁹, ꝙ eſt euidētius, verū neq; in aliquo, vel aliquib⁹, quib⁹ ipſe legitime ſuccedere poſsit.

B
C
D

Antichriſtus vt primus in ſuo throno, ſic erit poſtremus.
Apoc. 13.
Dan. 7.

Atq; ad hanc veritatem confirmandā addi poſſunt duo alia ſigna tēporis aduētus Antichriſti, vnum eſt prædicatio 14.
Euangelij per vniuerſū orbē, quæ debet præcedere aduentū Antichriſti, & nōdū eſt facta; aliud eſt deſtructio omnimoda Romani Imperij, quæ vel præcedere etiā debet Antichriſti aduentū, vel per eius potentiā, & victorias eſt conſummanda.

Signa aduētus Antichriſti nondum ſunt impleta.

De

A De his vero ſignis aliquid in ſecundo tomo tertiæ partis diſp. 34. ſect. 2. breuiter attigi, & in diſp. 56. ſect. 1. & 2. eadem latè, ac diligenter tractaui, ideoque in præſenti nihil de illis addendum exiſtimaui. Solum circa poſteriorem de Romani Imperij deſtructione aduerto, eruditum quendam virum me reprehendiſſe, quôd ibi dixerim ſignum hoc de euerſione Romani imperij, incertũ eſſe, nec ſatis conſtanter ex Pauli, alijſque Scripturæ vaticinijs colligi poſſe. Si tamen attente legantur quæ diximus, non ſignũ ipſum in dubiũ reuocauimus, quod certum, & cõmuni Patrum traditione, quæ nobis etiam Apoſtolica viſa eſt, conſtare diximus. De modo autem, quo exponẽdum, & intelligendum ſit, tantam certitudinem eſſe negauimus, quia neque Patrum traditio, & conſenſio æquê in modum ipſum cadit, nec ex prophetijs ſatis definiri poteſt. Quod nunc etiam verum eſſe cenſemus, & breuem expoſitionem adiungimus.

Thomas. Maluen. li. 2. de Antichriſto cap. 3. & lib. 4. ca. 14.

Tunc Romanum imperium euertendum.

15. Varijs enim modis intelligi poteſt, extinguendum eſſe Romanum imperiũ ante Antichriſti aduentum, primo quia diuidendum eſt in decem, vel plura regna Romani Imperij ſub Regibus, qui illud inter ſe diuiſum occupabunt, & retinebunt, donec Antichriſtus veniat, & illa omnia vſurpet. Et hoc, ſi aliud non addatur, eſt certiſsimum, & plane colligitur ex prophetijs præſertim Danielis, & eſt concors ſententia Patrum, vt ibi diximus. Secundus modus addit præcedenti, futurum eſſe ante aduentum Antichriſti, vt per illa decem regna omnino extinguatur nomen, & dignitas imperij, aut Imperatoris, aut Regis Romanorum, & hunc modum diximus nõ eſſe certum, neque ſatis colligi ex prophetijs, neque affirmari ab omnibus Patribus. Quia licèt in aliquo, vel pluribus illorum Regum nomen, & dignitas Romani Regis perſeueret, fieri poterit, vt per Antichriſtum ipſum vincantur, & ſpolientur. Et ſic totalis deſtructio Romani Imperij non omnino antecedet Antichriſtum, ſed per illum conſummabitur.

Modus euerſionis incertus eſt.

16. *D. Hier.* A qua ſententia, & explicatione certè non multum diſtat Hieronymus Daniel. 7. cum ait: *Dicamus quod omnes ſcriptores ſcholaſtici tradiderunt, in conſummatione mundi, quando regnum deſtruendũ eſt Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum inter ſe diuidant, & vndecimum ſurrecturum eſſe Regem paruulum, qui tres Reges de decem ſuperaturus ſit.* Et infra: *Quibus interfectis, etiam alij ſeptem victori colla ſubmittent.* Quæ verba ad prædictum ſenſum trahi poſſunt, licèt in eis non declaret, an in illis decem Regibus, vel in aliquo illorum nomen Romanum permanſurum ſit, donec per Antichriſtum extinguatur. Cyrillus autẽ *D. Cyril.*

Confirmatur ex Patribus.

B catheches. 15. licet prius dicat, veniet Antichriſtus, *cum impleta fuerint tempora Imperij Romani.* Nõ explicat, an debeât eſſe impleta, ita vt iam omnino extinctũ ſit, vel ita vt iam ſit impletum tempus, in quo ſit extinguendum. Vnde infra ſubiungit, *decem ſimul Reges Romanorum excitabuntur, poſt quos Antichriſtus Romanorum poteſtatem rapiet.* Tertullian. autẽ in Apolog. cap. 32. *Vim maximã orbi imminentem, Romani imperij cõmeatu* (dicit) *retardari.* Vbi ſcholiaſtes ait: *Sicut Medorum dominatum Babylonij peſſundedere, Babyloniorum vero Perſæ, Perſarum rurſus* *Tertul.*

C *Macedones, Macedonum porro Romani, ita Romanorum Imperium Antichriſtus, & Antichriſti poſtremo Dominus noſter.* Idemq; Tertulian. lib. ad Scapul. cap. 2. dicit de Romano imperio: *tandiù durabit, quãdiu ſeculum ſtabit,* quia vſque ad Antichriſti perſecutionem ſtabit. Imo Andr. Cæſar. in Apoc. cap. ſuo. 36. ait Antichriſtum aſſumpturum nomen, & titulum Regis Romanorum, & totum illum principatum in decem regna iam diuiſum, funditus euerſurum. Præterea Lactan. lib. 7. cap. 15. dicit, Romanum imperium eſſe delendum, non declarat autem, an omnino ante Antichriſtũ, vel per illum, cap. *Andr.* *Lact.*

D autem 25. addit, *quandiu Roma incolumis fuerit, non futurum iudicium.* Et Chryſoſt. Homil. 4. in 2. ad Theſſalon. *Romanum imperium ab Antichriſto extinguendũ eſſe* dicit, & alia multa ex Auguſtino, Theodoret. & alijs in dicto loco adduximus, quibus hãc partem probabilem eſſe oſtendimus, neq; aliquid denuo allegatum video, quo poſterior hic modus improbabilis, prior vero certus omnino eſſe oſtendatur. *D. Chryſ.*

Quin potius addo veriſimile videri, 17.
ſaltem

ſaltem temporale regnum Pontificis Romani duraturum eſſe vſq; ad Antichriſti tempora incluſiuè, donec per illũ deſtruatur, & vſurpetur, vt infra videbim⁹; atque hoc ſatis iudicari poſſe, vt Romanum imperium nõ cenſeatur omnino extinguẽdum ante aduentum Antichriſti, ſed per eum eſſe tyrannidem conſummãdam. Denique ad maiorem explicationẽ diſtingui poſſunt duo tẽpora Antichriſti vnũ tẽporaliũ pręliorũ, quibus decẽ Reges vincet, & omnia vſurpabit, aliud perſecutionis Sanctorũ, & apoſtaſię à Chriſto. Quod ergo ante hoc poſterius tẽpus Romanum imperium omnino auferendum ſit, certum eſt ex omnibus dictis, & ex alijs, quæ dicto loco adduxi, & copioſius dictus author proſequitur. De priori autem tempore cenſeo valde probabile, in illomet tempore, & per Antichriſti pręlia deſtructionẽ Romani imperij conſummandam eſſe, vt ſuadent cætera, quæ inſinuaui, & ita optime intelliguntur verba Pauli. 2. ad Theſſalon. 2. *Tantũ vt qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tũc reuelabitur ille iniquus.* Vtique extollendo ſe *ſupra omne, quod dicitur Deus,* & cæt. Et facile etiam omnia Patrum dicta conciliãtur. In hoc ergo ſenſu diximus; non eſſe certum, an imperium Romanũ omnino ſit ante inchoatum regnum, & prælia Antichriſti, vel per illa omnino extinguendum, quod núc etiam verum exiſtimamus.

CAPVT. X.

Alijs duobus argumentis ſatisfit, & obiter nõnullæ Catholicorum opiniones de tempore Antichriſti refelluntur.

1. PRæter ea, quę Rex Angliæ obijcit, duo alia ſolent ex Sciptura ſacra cõtra ea, quę de tẽporibus Antichriſti diximus, à Proteſtantibus opponi, quibus ad huius puncti complementum ſatisfacere neceſſarium viſum eſt. Primũ eſt, quia licet finis Antichriſti in fine mũdi futurus ſit, non opus eſt, vt eius initiũ tanto tempore differatur: & conſequenter fieri non poteſt, vt eius duratio tam breuis ſit quantum à nobis eſt deſcripta. Ad hoc autem ſuadendum tria loca inducunt. Primus eſt illud Pauli. 2. Theſſalon. 2. ſupra tractatum: *Myſterium iam operatur iniquitatis, &c.* Secundus eſt. 1. Ioan. 2. *Antichriſtus venit,* vbi de proprio Antichriſto loquitur, vt indicat articulus in Græco additus iuxta ſuperius dicta, & tamen de præſenti dicit, *venit.* Tertius locus eſt. 1. Ioan. 4. vbi eodem modo de Antichriſto loquens ait: *De quo audiſtis, quoniam venit, & nunc iam in mũdo eſt.* 2. Theſ. 2. 1. Ioan. 2. 1. Ioan. 4.

2. Hæc vero ex ſupra dictis facilem habent ſolutionem, quia vero non ſolũ hæretici, ſed etiam aliqui catholici nobis in hoc puncto negotium faciunt, illa iterũ proponimus, vt opiniones quaſdam Catholicorum attingamus, omnibuſque ſatisfaciamus. Igitur propter hęc teſtimonia præſertim Pauli, aliqui ex antiquis Scriptoribus dixerunt, Antichriſti perſonam tempore Apoſtolorum veniſſe, non tamen tunc totam ſuam iniquitatem exercuiſſe; & conſummaſſe, ſed in fine mundi iterum venturum, vt ſuum curſum expleat, & omnia, quę de illo ſcripta ſunt, impleantur. Hanc opinionẽ veterum Scriptorum fuiſſe, Hieronymus, & Auguſtinus referunt, ille Daniel. 11. hic lib. 20. de Ciuit. cap. 29. eamque ſequutus eſt Victori. in ſuo cõmentario ſuper Apocaply. circa medium, vbi exponens 13. caput. Sic de Antichriſto ſcribit: *Fuiſſe autem eum iam in regno Romanorum, & fuiſſe inter Cæſares, Paulus conteſtatur, dicens, Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat.* Vnde ſentit, eum, qui tunc tenebat imperium, vtique Neronem, fuiſſe Antichriſtum. Eundem vero putat, eſſe iniquum illum, qui poſtea reuelandus eſt. Nec tamen exiſtimauit eum viuere, aut vſque ad finẽ mundi victurum, ſed mortuum eſſe, & reſurrecturum: *non ſua* (inquit) *virtute, nec Patris* (vtique carnalis, ſeu per humanam generationem) *ſed Dei iuſſu ſuſcitatus* ob hominum peccata, vt poſtea proſequitur.

Antichriſtũ iã fuiſſe tẽpore Apoſtolorũ, & iterum venturum, aliqui dixerũt

D. Hieron. D. Augu. Victor.

3. Sulpitius etiam Seuerus lib. 2. ſacr. Hiſtor. circa medium refert, ſuo tempore, *multorum opinione receptum eſſe, Neronem Antichriſtum venturum fuiße,* quã ipſe ibi nec affirmat, neque negat, ſed ſolum ait, *Dignus extitit, qui perſecutionem in Chriſtianos primus inciperet, neſcio, an & poſtremus explebit.* Inferius vero ait: *Vnde credi-*

Seuer. Sulpitius.

Neronem iterum venturum, opinio aliquorum fuit.

creditur, etiam ſi ſe gladio ipſe transfixerit cu rato vulnere eius, ſeruatus ſub finem ſeculi mittendus. Cui ſententię adhęrere videtur, & ſecundum illam de Nerone intelligit illud Apocalyp. 13. de beſtia, quæ plagam mortis accepit, quæ poſtea curata eſt. Vnde ſentit, Neronem nunc non eſſe mortuum, ſed reſeruatum, vt in fine mundi veniat, myſterium iniquitatis cõpleturus. Idem vero in Dialog. 2. de Vita Sancti Martini in fine, licèt affirmet, redituram Neronem in fine mundi, & debellaturum decem Reges, & iterũ imperaturum in Occidente, & acerbam perſecutionem in Chriſtianos renouaturũ, vt eos ad idola colenda inducat: non tamen dicit, illum futurum Antichriſtum, ſed potius eodem tempore excitandum in Oriente Antichriſtum, qui ſe Chriſtũ venditet, & Chriſtianos à Chriſto auertere conetur, non tamen ad idola, ſed ad ſe adorandum, iudaiſmumque ſeruandũ trahat, Eũque dicit pugnaturum eſſe cõtra Neronem, & illum ſuperaturum, ac orbem ſubiugaturum, donec à Chriſto occidatur

4. Hæc verò ſententia, licet anilem fabulam contineat, non tamen ex hęreſi proceſsit, nec illã in rigore continet, neq; negat receptam traditionem, proprium ve Scripturæ ſenſum, quo habemus Antichriſtum eſſe vnam certam perſonam, & venturum eſſe in fine mundi, & paruo tempore duraturum. Sed adiungit alia, non quidem Scripturę contraria, ſed male in ea fundata, & per ſe vana, & incredibilia. Paulus enim licet (iuxta probabiliorem, magiſque receptam expoſitionem) dixerit, Neronem ſuo tempore operatũ eſſe iniquitatem Anichriſtianam (vt ſic dicam) nõ tamen eandem, quam poſtea Antichriſtus operabitur, ſed ad imitationem eius, vel quaſi imaginẽ eius. Vnde licet dixerit, Neronem eſſe Antichriſtum, addit, in myſterio, ſeu eſſe *myſterium iniquitatis*, id eſt typum Antichriſti, vt ſupra explicuimus. Sine fundamẽto ergo fingitur, Neronis perſonam eandem futuram eſſe cum perſona Antichriſti: vaneque, & præter diuinam conſuetudinem; imò & contra bonitatem cogitatur, ſuſcitandum eſſe à Deo Neronem iam mortuũ, vt iniquitatem, quàm inchoauerat in priori vita, poſtea conſumet. Reſurrectionis enim opus, quod proprium Dei eſt, non ſit propter iniquitatem operandam, ſed propter altiores, & honeſtiores fines Deo dignos, & ſuæ diuinæ ſapientiæ, ac prouidentiæ conſentaneos. Præter quàm quod Scriptura nũquam ſignificat, Antichriſtũ ſupernaturali modo eſſe à Deo procreandum, vel reuocandum in mundum, ſed more aliorum hominum generandum.

Opinio illa in Paulo fũdamentum non habet.

5. Vnde non minus vana fuit cogitatio dicentium, Neronẽ conſeruari nunc in vita mortali, donec iterum appareat. Nã hoc etiã ſine miraculo fieri nõ poteſt; ineptũ autem eſt talia miracula Deo tribuere, propter tales fines, ſeu cauſas. Neque minus friuolũ eſt, locum Apocalypſis de plaga beſtiæ curata, ſic exponere, tũ quia longe aliter à Patribus exponitur, vt ſupra viſum eſt; tum etiam, quia ex verbis cap. 13. clare colligitur, tam plagam, quã curationẽ eius tempore Antichriſti eſſe futurã, quãdo admirata terra poſt beſtiã, draconẽ adorabit, tum etiã quia ex hiſtorijs cõſtat, Neronem ſe ipſum iugulaſſe, ac verè interfeciſſe. Vt enim ait Gregor. Turonen. lib. 1. Hiſtor. Francor. cap. 25. *excitatã ſuper ſe ſeditionẽ fugere tentãs, quarto ab vrbe lapide propria ſe manu interfecit.* Idemq; habet Paul[9] Oroſ. lib. 7. Hiſtor. anno ab vrbe cõdita 88. additq; in eo omnẽ Cęſarum familiam conſumptam eſſe. Idẽq; refert Euſeb. in Chroni. anno Dñi 70. eodemq; modo de Neronis morte loquitur. Nicephor. lib. 2. cap. 27. & lib. 4. cap. 1. & in hiſtorijs prophanis eſt res notiſsima. Denique ſi (vt poſteriori loco dicebat Sulpitius) Nero non eſt futurus Antichriſtus, cur, vel quo fundamento fingitur iterum in fine mundi venturus? hæc ergo licet hæretica non ſint, vt fabuloſa ſunt contemnenda.

Fabula eſt Neronem modo viuere.

Apoc. 13.

Greg. Tur.

Paul. Oroſ.

Euſeb.

Niceph.

6. Locus autem Pauli ſatis ex dictis declaratus eſt, quia, vt ſupra dixi, Neronẽ, vel totum imperium Romanum ethnicum Antichriſti myſterium, ſeu typum apellauit Paulus, illum autem euidenter à vero Antichriſto diſtinxit, dicens: *Quid detineat ſcitis, donec è medio fiat, & tũc reuelabitur ille iniquus.* Ad priora autem Ioannis verba reſpondemus primo Auguſtinũ lib. 20. de Ciuitat. cap. 29. de futuro allegare verba illa: *De quo audiſtis, quoniam venturus eſt,* ſiue quia ita legit ex gręco

De Antichriſto, & Nerone vt diſtinctis loquitur D. Paulus.

2. Theſ. 2.

Auguſt.

græco, ſiue quia tacite ita interpretat⁹ eſt. Nõ eſt enim nouũ in Scriptura præſens pro futuro accipi, vt Ioan. 4. dixit Samaritana: *Scio quia Meſsias venit*, de præſenti loquẽs, & tamẽ ſtatim ꝑ futurũ declarat, *Cũ ergo venerit, ille nobis annũciabit omnia.*

Ioan. 4.

7. Opinio quorũdam aliquos hæreſiarchas, Antichriſtum fuiſſe.

Verumtamen hic nobis occurrunt alij Catholici, eſto verum ſit Antichriſtum non veniſſe Apoſtolorum tempore, non tamen eſſe expectandum circa finem mundi: nam illemet loquendi modus propinquitatẽ maiorẽ indicat: ideoq; non eſſe incredibile, Antichriſtum iam veniſſe in Luthero, vel alio hęreſiarcha ſimili. Præcipue vero notari obiter poteſt opinio Ioannis Annij qui ſuper Apocalypſim, Mahometum eſſe Antichriſtum ſibi perſuaſit, quẽ nonnulli ſequuti ſunt, quos refert, & ſequitur Feuard. lib. 5. in Irenę. c. 30. Illi verò non verbis Ioannis, aut Pauli, nec aliquo Scripturę teſtimonio, ſed ſolis coniecturis, quibus ea, quæ de Antichriſto prædicta ſunt, Mahometo accommodant, nituntur.

Ioan. An. Feuard. De Mahometo idem aliqui affirmant.

8. Mahometũ nõ fuiſſe verum Antichriſtũ oſtenditur.

Non cenſeo autem neceſſarium illas vel referre, vel refellere, tum quia id diligenter præſtitit Benedict. Pereir. in proprio opuſc. contra Anniũ, quod ſuis diſputationib⁹ in Apocalypſim adiũxit, Tum etiã quia licet vnũ, vel alterũ ſignũ Antichriſti in Mahometo reperire valeãt id mirũ nõ eſt, quia nullus eſt hoſtis Chriſti, qui aliquã de proprietatibus Antichriſti nõ participet: ideo enim omnes illi generali quadã appellatione Antichriſti vocãtur, vt ſupra vidimus. Neceſſariũ ergo eſt, omniũ ſignorum Antichriſti collectionem in aliquo oſtendere, vt eum eſſe proprium, ac verum Antichriſtum cõcludatur. Hoc autẽ in Mahometo oſtẽdere impoſsibile eſt, niſi negando prædictiones multas de Antichriſto, pręſertim eas, quę ſunt de tẽpore perſecutionis, & mortis eius, in illo ſẽſu proprio, quo à Patribus intellectę ſunt, eaſq; ad ſenſus metaphoricos, alienos à proprietate verborũ, & à multis circunſtãtijs, quas in ipſis ꝓphetijs põderauim⁹, detorquẽdo: atq; etiã illas, quæ ſunt de breui tẽpore, quo eſt perſecutio Antichriſti duratura, & de morte illius prodigioſa, per quã perſecutio finietur, & paulo poſt ſequetur iudiciũ. Accedũt etiã, quæ de imperij Romani defectione tradunt Patres ita interpre-

A tãtes verba Pauli. 2. Theſ. 2. *Quid detineat ſcitis, tantũ vt qui tenet, teneat, donec è medio fiat, & tũc reuelabitur ille iniquus.* Anno enim 630. quando Mahometus apparuit, adhuc vigebat Romanum imperium ſub Heraclio, & poſtea etiam floruit, & vſque ad noſtra tempora durat, licet ſemper in diminutionem iuerit.

9. *Ben. Perei.* Nec in throno Mahometi ſucceſsiue eſt Antichriſtus.

Præterea omnia, quę in ſequẽtibus de teſtibus cõtra Antichriſtũ mittẽdis, & de ſede, & Antichriſti erroribus, varijſq deſcriptionibus dicemus, opinionẽ illã aperte cõfundunt. Ideoq; coguntur authores B eius, quædã ad perſonam Mahometi referre, alia ad thronũ eius, ſeu imperiũ duraturũ vſq; ad mundi finẽ, & tunc acerbius in Chriſtianos ſæuiturũ, ideoq; qui ſic opinantur, in multis cũ Proteſtãtibus cõueniunt, vel ad metaphoras voluntarias confugiendo, vel etiã non de vna, & eadẽ perſona, quæ de Antichriſto prædicta ſunt, interpretando, cõtra Scripturę contextũ, ac certitudinẽ. Et ideò licet opinio hęc nõ contineat impietatẽ Proteſtantiũ, cauenda eſt, ne illis maior errandi occaſio detur, & ne prauis interpretationibus res per ſe difficilis, & obſcura magis inuol C uatur. Vnde merito Damaſcen. lib. de Hæreſib. in fine Mahometum typum, & præcurſorem Antichriſti vocat, non ipſũ verũ Antichriſtum, idemq; de Luthero, & de alijs hæreſiarchis, qui hactenus fuerunt, intelligendũ eſt: nã ex eiſdẽ principijs de illis ferendum eſt iudicium nec circa ſingulos immorari neceſſe ſit.

9. Reſpõdetur locis initio adductis.

Ad obiectionẽ ergo factam circa verba Ionnis nego, verbum *venit* de pręſenti accipi pro futuro propter propinquitatẽ effectus, ſed ſæpe propter certitudinẽ prophetiæ. Quod optime comprobatur Ezechiel. 3. vbi pręſenti additur pręD teritum, cùm dicitur: *Ecce venit, & factũ eſt*, & tamẽ ſermo eſt de die iudicij, vt exponit Hieronymus, qui & propter certitudinem prophetiæ, & propter exaggerationem, vt ſemper cogitetur quaſi pręſens, & iam factũ, per verba de præſenti, & de præterito ſignificatur. Ita ergo loquutus eſt Ioannes. Quod ſatis declarauit, adiungendo: *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt*, perinde enim fuit, ac ſi diceret, licet vnus Antichriſtus ſingularis, ac cæterorũ caput, & exemplar certiſsimẽ veniat, id eſt, venturus ſit: iam vero nũc

Ezech. 3.

D. Hiero.

1. *Ioan. 2.*

in pręſenti tempore multi Antichriſti facti ſunt, id eſt, multi eius miniſtri, & pręcurſores, qui ſicut facta, ita & nomen eius participant. Dum ergo Ioannes ait, hos iam veniſſe, ſatis declarat, alterum nondum veniſſe, ſed dici venire, quia certiſsime veniet, quia dum alij quaſi vias eius præparant, quodammodo iam venire dicitur.

11\. Explicatur locus. 1. Ioãnis.

Et ſic facile etiam intelliguntur alia verba capitis quarti. Nam in primis cum *omnis ſpiritus, qui ſoluit Ieſum* dicitur *eſſe Antichriſtus*, vel intelligi debet de Antichriſto generaliter ſumpto, quia multi fuerunt hæretici ſoluentes Ieſum, & omnes Iudæi ſoluunt illum, negantque eſſe verum Meſsiam & verum Deum: vel intelligendum eſt eſſe Antichriſtum, non perſona, ſed ſpiritu, ſicut Ioannes dicitur eſſe Elias, Matthæi 12. & Luc. 1. Vnde græce legitur, *Et hic eſt Antichriſti*, vtiq; ſpiritus Antichriſti, ſicut legit Cyprian. lib. 2. ad Quirinum cap. octauo. Seu *eſt de Antichriſti ſpiritu*. Et ſic recte ponitur ibi Antichriſtus cum articulo, quia omnes, qui ſoluunt Ieſum; imò omnes hæretici habent illius ſpiritum, licet non ſint ipſe in perſona. Et ita etiam conuenienter exponuntur ſequentia verba, de *quo audiſtis, quoniam venit*, id eſt venturus ſit, & iam venire incipiat per ſuos præcurſores, per quos iam in mundo eſt ſecundum ſpiritum ſuum, & muneris, ac nominis participationem, quos propterea pręcurſores ſpiritus Antichriſti recte vocat Tertullian. lib. 5. contra Marcion. cap. 16.

Matt. 12. Luc. 1. Cyprian. Tertul.

12\. Obiciunt hęretici facta Antichriſti breui tempore claudi nõ poſſe.

Altera principalis obiectio hæreticorum eſt, quia ea, quæ facturus eſt Antichriſtus, & de illo prædicta ſunt, non poterunt breui tempore à nobis præſcripto, conſummari. Et præcipuè exaggerant verba illa Pauli; *Niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, & cæt.* Quæ diſceſsio (vt Caluinus dixit) tam vniuerſalem Apoſtaſiam totius orbis à Chriſto ſignificat, vt multorum annorum, imo & multorum tyrannorum, hæreticorum, aut hoſtium Chriſti ſucceſsione opus habeat, quia vnius hominis vel vita, vel diligentia ad illam conſummandam non ſufficit. Talem autem futuram eſſe illam apoſtaſiam, eamque per *diſceſsionem* à Paulo ſignificari.

Quid à Paulo nomine diſceſsionis ſignificetur

A Pontificiorum omnium ſententiam eſſe Rex Angliæ in ſua Præfatione tanquam rem certam ſupponit, & quadam notanda ratione ſuadet, dicens: *Alioqui eorum Eccleſia quotidie eſſet erroribus obnoxia, quod omnino ipſorum doctrinæ repugnat*. Denique initium, & authorem eiuſdem Apoſtaſiæ futurum eſſe Antichriſtum, & per eundem eſſe conſummandam, ſatis indicauit Chriſtus, cum dixit, *tunc futuram eſſe tribulationem, qualis nunquam fuit, & propter electos eſſe cito conſũmandam*, vtique interfecto ipſo Antichriſto, vt Paulus declarauit.

In Præfa. pag. 64. *Matt. 24.*

B Reſpondemus in primis, non eſſe neceſſarium, in loco Pauli per *diſceſsionem* intelligere vniuerſalem apoſtaſiam à fide, ſed integram deſtructionem Romani imperij, ſeu diuiſionem eius in decem regna, vt interpretatur Tertullianus lib. de Reſurrectione carnis, cap. 24. & Hieronym. dicta quęſtion. 11. ad Algaſ. Ambroſ. & Primaſi. ibi. Deſtructionem autem Romani imperij fatemur, non breui tẽpore eſſe peragendã, ſed paulatim per plures annos, & Reges. Prius enim diuidetur Romanum imperium in decem, C ſiue plures Reges, poſtea vero veniet Antichriſtus, qui cum illis per aliquos annos certabit, & eos tandem ſuperabit, vt diximus. Ad totam ergo diſceſsionem, ſeu defectionem Romani imperij non ſufficiet vnius hominis vita, ad vltimam vero conſummationem per Antichriſtum faciendam vnius hominis vita ſufficiet, vt ſatis explicatum eſt.

13\. 1. Significa[illegible] Romani imperij [illegible]. *Tertul. D. Hieron. D. Ambr. D. Primaſ.*

Secundo dicimus nomine *diſceſsionis* ſignificari ibi ipſum Antichriſtum, ſic enim Auguſtinus 20. de Ciuitat. cap. 19. *refugam* legit, & ait: *Illum refugam vocat, vtique à Domino Deo: quod ſi de omnibus* D *impijs merito dici poteſt, multo magis de iſto.* Græce vero ibi ponitur nomen *apoſtaſia*, quo nomine ipſũ Antichriſtũ ſignificari, intellexerunt ibi Græci, indicat Chryſoſtom. Homil. 3. vt illum intellexit, & ſequitur Theophylact. Idemque tradunt Theodoret. & Oecumen. & Hugo Eterian. lib. de Regreſſ. animar. capit. 23. Poteſt autem Antichriſtus ita vocari, vel ad declarandum, futurum eſſe ſummum apoſtatam, ſic enim ſolent abſtracta pro concretis poni ad ſignificandam excellentiam, ſeu exceſſum in tali proprie-

14\. 2. Antichriſtus ipſe diſceſsio vocatur. *Auguſt.*

prietate, vel certe per metonymiam nomẽ effectus authori, ſeu cauſæ tribuitur, nam quia Antichriſtus erit cauſa maximæ apoſtaſiæ in Eccleſia futuræ, nomen apoſtaſiæ illi tribuitur.

15. Diſceſsio non neceſſario ſignificat generalẽ apoſtaſiam.

Ex quibus conſtat, nõ ſubſiſtere, nec verum eſſe, quod Rex Angliæ pagin. 64. Præfationis dicit, Põtificios omnes conſtanter affirmare, *diſceſsionis* nomine generalẽ apoſtaſiam ibi ſignificari. Nam licet aliqui, in meliori, & ſaniori ſenſu quã Proteſtãtes, ita vocẽ illam interpretentur, non tamen omnes cõſtanter hoc affirmant, vt viſum eſt. Nec ſatis intelligo rationem, qua Rex ſuadere conatur, Pontificios omnes neceſſario debere ita ſentire, *quia* (inquit) *aliàs eorum Eccleſia eßet quotidie erroribus obnoxia*. Nam quæ eſt hæc illatio? Nunquid ſi per diſceſsionem Romani imperij deſtructio, vel Antichriſtus ipſe ſignificetur, ideò Eccleſia Romana erit quotidiè erroribus obnoxia? Nulla profecto eſt connexio, nulla illationis veriſimilitudo. Fortaſſe autem argumento illo ſolum probare voluit, apoſtaſiam illam, quam ſignificari vult nomine *diſceſsionis*, generalem eſſe futuram, & non particularem. Veruntamen neque hoc etiam inde probatur, nec illatio etiam in hoc ſenſu habet vllam veriſimilitudinem. Quia licet quotidie, vel frequenter fiant apoſtaſiæ particulares ab Eccleſia Romana, & catholica, non ideo illa quotidie fit erroribus obnoxia, quia & ſemper damnat errores eorum, qui ab ipſa diſcedũt, & ipſi apoſtatæ ſtatim extra illam exeunt, & ita ipſa, licèt perſonis interdũ minuatur, ſemper immaculata manet, iuxta illud. 1. Ioan. 2. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Et infra. *Ex nobis prodierunt, ſed nõ erant ex nobis, ſi enim eſſent ex nobis, permãſiſſent vtique nobiſcum.* Et infra. *Vos vnctionem habetis à Spiritu Santo, & noſtis omnia.* Semper ergo Eccleſia retinet Spiritum ſanctum, & veritatem (vt addit cap. 4.) licet quotidie multi ab ea diſcedãt. Vnde etiã in vltima apoſtaſia, quæ ſub Antichriſto futura eſt, licèt ſano modo generalis dici poſsit, ſemper Eccleſia catholica, & Romana erit ab erroribus immunis, vt ſtatim dicetur.

Apoſtatæ Eccleſiam non maculant, quia extra ipſam ſunt.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 4.

16. Tertio ergo addimus, & concedimus, *diſceſsionem*, ibi ſignificare apoſtaſiam ab Eccleſia Romana, & fide Chriſti, futurã in mundo, in fine eius, retenta nimirum voce græca in ſua ſyncera proprietate. Quam expoſitionem videtur mihi magis indicare Chryſoſtomus, item Anſelmus, licèt expoſitionem de defectione à Romano imperio primo loco ponat: ſtatim addit: *Siuè vt multitudo Eccleſiarum diſcedat à Pontifice Romano, aut multitudo hominum diſcedat à fide.* Diuus autem Thomas intelligens, illam diſceſsionem eſſe futuram defectionẽ à Romano imperio, addit, intelligendam eſſe non ſolum de imperio Romano temporali, ſed etiam de ſpirituali, *in quod teſte Leone Papa temporale commutatum eſt.* Diſceſsionem autem à ſpirituali imperio Romano dicit eſſe diſceſsionem â fide catholica Romanæ Eccleſiæ. Fuitque hęc antiqua expoſitio, vt Auguſtinus ſupra refert, quam ipſe non improbat.

Tertio nomine diſceſſionis intelligitur apoſtaſia.

D. Chryſ.

D. Anſel.

D. Thom.

D. Leo.

D. Aug.

17. Hæc autem apoſtaſia â fide non erit, ſicut hæretici fingũt, ita generalis, vt fides verà â tota Chriſti Eccleſia peritura ſit, hoc enim, & fundamentum nullum habet, & repugnat promiſsioni Chriſti: *Et portæ inferi non præualebũt aduerſus eã.* Matth. 16. & alijs verbis eius Matt. 24. *Propter electos breuiabuntur dies illi*, vtiq; ne illi à charitate excidant, nedũ à fide. Et Daniel cap. 12. dixit. *In tempore illo ſaluabitur omnis, qui inuentus fuerit in libro vitæ*, & in fine concludit, *Beatus, qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecẽtos triginta quinque*, quod alijs verbis dixit Chriſtus Matt. 24. *Qui autem perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit.* Nõ deerunt ergo qui perſeuerẽt. Quin potius tantum abeſt, vt omnes antea credẽtes, tũc ſint fidem amiſſuri, vt multi potius, & maxime ex Iudæis tunc ſint conuertendi ad fidem, vt teſtatur ibi Theodoret. & Gregor. Homil. 12. in Ezechiel. & Auguſt. 20. de Ciuit. cap. 29. ait. *Per Eliam Theſbitem vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in Chriſtum verum, hoc eſt, in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celeberrimum eſſe in ſermonibus, cordibuſque fidelium.*

Apoſtaſia illa non erit generalis.

Matt. 16.

Dan. 12.

Matt. 24.

Multi tunc fidem ſunt recepturi.

Theodor.

D. Greg.

D. Aug.

18. Vnde idem Auguſtinus eodẽ li. ca. 8. ait, Eccleſiam à Deo electam, & prædeſtinatam nunquam eſſe seducẽdam, neque etiam in perſecutione Antichriſti, ſed *erit* (inquit) *hic Eccleſia illo tempore,*

D. Aug.

etiam quo ſoluendus eſt diabolus , ſicut ex quo hic eſt inſtituta, hic fuit, & erit omni tẽpore. Et infra dicit, tunc eſſe ſoluendum ſatanam, *vt fideliſsima patientia electorum probetur*, non vt vincatur, *tales enim erũt,* (inquit) *cum quibus ei belligerandum eſt, vt vinci tanto eius impetu, inſidijsque non poſsint.* Inferius vero in eodem capite vlterius dubitat, an in illo apoſtaſiæ tempore non ſolum aliqui ex credentibus permanſuri ſint, ſed etiam aliqui, qui in fide non fuerant, ad illam acceſſuri ſint: & reſpondet in primis, paruulos multos eſſe illis tribus annis cum dimidio baptizandos à parentibus fidelibus, & ita illos ſaltem denuo ad fidem acceſſuros. Deinde generaliter ait, *Neque qui cadant ab Eccleſia, nec qui accedant ad Eccleſiam illo tempore defuturos*, quod latè confirmat. Dicitur ergo tempus illud diſceſsionis, ſeu apoſtaſiæ, non quia tota Eccleſia, & omnes fideles Chriſtum negaturi ſint, ſed quia magna erit clades, pluresque ſuperabit tentatio, quàm victores permanebunt, vel quàm vnquam in perſecutione aliqua victi fuerint. Quanta verò futura ſit apoſtatantium multitudo, incertum eſt, licet enim aliqui dicant, duas partes fidelium eſſe caſuras, & tertiam permanſuram, nullibi eſſe reuelatum, aut ſatis fundatum inuenio.

19. Apoſtaſia illa breui tẽpore conſũmabitur.

Non erit igitur hæc apoſtaſia adeo vniuerſalis, vt nõ poſsit intra illud breue tempus, vtique trium annorum cum dimidio fieri, tum quia in illis poſtremis temporibus, prius etiam, quam Antichriſtus veniat, Eccleſia erit multis perſecutionibus, & contradictionibus agitata. Nã vt prædixit Chriſtus Matt. 24.

Matt. 24. *Scandalizabuntur multi, & inuicem tradẽt, & odio habebunt inuicem, & multi pſeudo prophetæ ſurgent, & ſeducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Et ita cum Antichriſtus venerit, inueniet homines valde diſpoſitos, vt breui tempore magnam illorum iacturam facere poſsit.

D. Aug. Vnde Auguſt. 20. de Ciuit. cap. 19. refert, multos ex antiquis expoſitoribus intellexiſſe verba illa Pauli, *Et nunc quid detineat, ſcitis, & myſteriũ operatur iniquitatis*, non de Romano imperio: *Sed de malis, & fictis, qui ſunt in Eccleſia, donec perueniant ad tantum numerum, qui Antichriſto magnum populum*

2. Theſ. 2.

A *faciat, & hoc eſſe myſteriũ iniquitatis, quia videtur occultum.* Et inferius ait, tũc omnes hos malos, vel occultos hæreticos prodituros, & coniungendos Antichriſto, vt illi adhæreant, eumq; ad cæteros euertẽdos adiuuẽt. Accedit, vt infra, ex Paulo, & Apocalypſi dicit, quòd *præſentia eius futura eſt ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, ac prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, tunc enim ſoluetur Satanas, & per illum Antichriſtus mirabiliter quidẽ, ſed mendaciter operabitur.* Hinc ergo facile intelligitur, non eſſe neceſſariam ſucceſsionẽ

B multorum ſeculorum (vt Caluinus dixit) ad illam generalem apoſtaſiam, quæ tempore Antichriſti fiet, vel certè ſi per multa ſecula ad illam generalem diſceſſionem mundus diſponetur, illa diſpoſitio non ſub Antichriſto, nec per Antichriſtum fiet, ſed per plures hæreticos, & præcurſores Antichriſti. Vtrunque enim ſignificauit Chriſtus Matt. 24. & Ioannes. 2. epiſt. c. 2. & 4. & Paulus. 2. ad Theſſalon. 2.

20. Inſtantia.

Quod ſi quis vrgeat, hoc recte procedere, ſi apoſtaſia Antichriſtiana aliquam

C prouinciam tantum, vel ad ſummum vnam partem mundi occupatura eſſet; non fore autẽ ita, ſed mundum occupaturam vniuerſum, neque videri poſſe in tam breui temporis mora tam late extendi: Reſpondemus in primis, non cõſtare in quot regionibus orbis perſecutio Antichriſti propria graſſabitur: & veriſimile eſſe, non ita eſſe diſſeminandum errorem Antichriſti per totũ mundum, ſicut euangelium eſt ante diem iudicij in toto orbe prædicandũ, quia illud prius non ita prædictum eſt in Scriptura, ſicut hoc poſterius. Neque etiam

Solutio.

In certũ eſt an hæc apoſtaſia totũ orbẽ occupatura ſit.

D dicunt vaticinia Antichriſtum regnaturum in toto orbe proprie, & in tota ſua vniuerſitate ſumpto, ſed dicunt, Antichriſtum occupaturum orbem Romanum in decem regna prius diuiſum, & poſtea bellum contra ſanctos eſſe moturum, vnde veriſimile ſit in eodem orbe Romano futuram eſſe illam ſpiritualem ſtragem, & multorum fidelium apoſtaſiam. Ad illam autem non erit neceſſaria multorum Regum, aut temporum ſucceſsio. Nam vnus Antichriſtus quam plurimos habere poterit ſuæ iniquitatis mini-

miniſtros, qui ſimul per varias eiuſdem Orbis partes errores eius diſſeminabunt. ſimulque (permittente Deo) Dœmon totas ſuas vires exeret, & partim ſignis, & portentis mendacibus, partim promiſsionibus temporalibus, partim coactione, & exquiſitis tormentis breui efficiet, vt maior fidelium pars Chriſto renunciet, & characterem beſtiæ ſuſcipiat. Et ita non ſolum multorum ſeculorum, Verum etiam nec vitæ vnius hominis tempus ad prædictam Apoſtaſiã efficiendam neceſſarium erit.

21. Addo denique non eſſe neceſſarium, vt totum orbem Romanum talis perſecutio, & diſceſsio inuadat, quia hoc reuelatum non eſt, ſed ſolum quod futura ſit maior, quam vnquam fuerit, quod eſſe poterit, & intenſiue (vt ſic dicam) vbi fieri contigerit, & extenſiue reſpectu aliarum perſecutionum, quod habere poterit, etiam ſi non omnes prouincias, & loca totius Monarchiæ, nedum omnes mundi partes attingat. Præſertim quia ſicut Chriſtus dixit, propter electos breuiandos eſſe dies illos, ita propter eundem finem fieri poterit, vt intra certos orbis terminos concludatur, non permittente Deo amplius extendi, propter eundem finem, aliaque ſecreta ſuæ prouidentiæ conſilia. Vel certè ſi fortaſſe tribulatio illa quoad loca, ſeu Regiones, & Prouincias Orbis generalior futura eſt, & in omnibus illis magnam illam apoſtaſiam eſt effectura, etiam ad illum effectum non erit neceſſaria diuturnior temporis duratio, quia non oportet, vt ſucceſſu temporum in diuerſis locis fiat: ſimul enim per varios miniſtros in diuerſis locis fieri poterit. Nam ſoluendus eſt Satanas, qui vbique habet inuiſibiles miniſtros paratiſsimos, & viſibiles non deerunt Antichriſto, ac breui tempore poterit illos vbique tranſmittere, cum magna vi, & poteſtate humana, dœmonis induſtria, & poteſtate adiutos, illoſque ad ſummam diligentiam, & celeritatem inſtabit: *Sciens, quia modicum tempus habet*. Ergo quacumque ratione apoſtaſia illa intra tempus à Deo breuiatum conſummari poterit.

Dœmon potiſsimus miniſter erit huius apoſtaſiæ.

Apoc. 12.

.*.

CAPVT. XI.

Antichriſti tempore Duos veros homines ad teſtimonium contra illum ferendum mittendos eſſe ex cap. 11. Apocalypſis, contra duas falſas Proteſtantium expoſitiones oſtenditur.

1. QVoniam de Antichriſti tempore dicere incepimus, priuſquam ad cætera capita à Rege propoſita tranſeamus, neceſſarium eſt, cum illo digredi, & de teſtibus contra Antichriſtũ mittẽdis diſputare, præſertim quia diſputatio hęc cũ ea, quam de tẽpore Antichriſti proſequuti ſumus, valde cõiuncta eſt. Nam vnũ ex pręcipuis ſignis, quibus oſtendere poſſumus Antichriſtũ nondum veniſſe, inde ſumitur, quod teſtes cõtra illũ mittendi nondũ venerunt. Hoc autẽ fundamentum de duorũ teſtium miſsione ex cap. 11. Apocalyp. ſumptum eſt. Ideoq; verus illius prophetiæ ſenſus inquirẽdus, & explicãdus eſt. Cũ itaq; Ioãnes prędixiſſet Antichriſti perſecutionẽ verbis illis: *Ciuitatem ſanctam conculcabũt menſibus quadraginta duobus*, ſubiũgit. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis* Qui dies fere totidem menſes, vtiq; quadraginta duos efficiunt. Apoc. 11.

2. Circa hãc igitur prophetiã primo inquiremus, an illi duo teſtes, quos Deus promittit, ſe daturũ tẽpore perſecutionis Antichriſti, futuri ſint veri homines, vel quid ſint. Nã Rex Angliæ totũ hunc locũ metaphoricè interpretatur, duaſq; habet expoſitiones, quas in hoc cap. & ſequẽti expedem⁹. Iuxta priorẽ expoſitionẽ negat, illos duos teſtes futuros eſſe homines, ſed ait eſſe duo teſtamẽta, vetus, & nouũ, quæ contra Antichriſtũ, *& monarchiã Babylonicã* (vt ipſe loquitur) *conſtãs & manifeſtũ teſtimoniũ præbent, ideoq; illa maxime antichriſtus odio proſequetur, nihilq; intactũ relinquet quo illa dedecoret, corrũpat & ſupprimat*. Hęc fere Rex, qui inuehitur hac occaſione in Sũmos Pontifices, Romanãq; Eccleſiã, fingens ab eis eſſe cõtra diuinam Scripturam multa dicta, & facta *probri, & ignominiæ plena. Qualia ſunt* (ait) *illam naſum cereum, literam mortuam, & regulam lesbiam appellare, cum illa libros apochryphos miſcuiſſe, eoſque illi*

Duos illos teſtes, duo eſſe teſtamenta, ait Rex Angliæ.

æquiparare tentaſſe: imò *traditiones hominum illi præferre, eademque ſupprimere ſub linguis peregrinis, & ne in vulgari ſermone legatur prohibendo, occultare*, ac denique *illam deſtruxiſſe, & interfeciſſe*, quando alias translationes latinas præter vulgatam Pontificum authoritate correctam, & emendatam ijdem Pontifices ſub cenſuris prohibuerunt. Hos autem teſtes ab Antichriſto interfectos, Deus tandem per Regem Angliæ, eiuſque miniſtros excitauit, ſeu in priſtinam lucem, & integritatem reduxit, vt ipſe vult. Sicque concludit impletam eſſe prophetiam illam.

3. Illi expoſitioni faciẽt aliqui.

Huic interpretationi metaphoricæ quoad eam partem, vt duo illi teſtes ſint duo teſtamenta, occaſionem aliquam dederunt nonnulli antiqui Scriptores. Nã in libro ſuper Apocalypſim, qui inter opera Auguſtini ſub nomine illius ponitur, in Homilia octaua ſic habetur, *Dabo duobus teſtibus meis, id eſt, duobus teſtamentis.* Illud autem opus ſine dubio non eſt Auguſtini, meritoq; à Louanienſibus in appendicem reiectum eſt. Creditur autem eſſe Ticonij, cuius opus in Apocalypſim, idem Auguſtin. allegat lib. 13. de Trinitate capite tertio, vbi etiam dicit, Ticonium illum hæreticum Donatiſtam fuiſſe. Ideoque non multum curandum eſt de illius interpretatione. Quanquam ille non omnino negat, illos teſtes eſſe homines, infra enim ait, illos eſſe Eccleſiam, quæ propter duo teſtamenta binario numero ponitur. Quam expoſitionem imitatus eſt Beda lib. 2. in Apocaly. capit. 11. vbi per teſtes etiam intelligit, *Eccleſiam ex duobus populis vnitam, & duorum teſtamentorum lumine radiatam.* Veruntamen Beda & myſticè loquutus videtur, & in ea expoſitione non inſiſtit, nã ſtatim refert aliam de Elia, & Enoch, & non reijcit, ſed tacitè approbat. Et ſi quis poſtea Scriptor Catholicus illam myſticam expoſitionem, vel probare, vel inſinuare viſus eſt, ab alio literali ſenſu recedere non eſt auſus. Itaque metaphora illa prout à Rege traditur propria eſt Proteſtantiũ, & à quodam Roberto Abbato Caluiniſta inuenta dicitur, & quatenus alium ſenſum proprium, & literalẽ excludit, improbabilis omnino eſt, quatenus vero contra Eccleſiam Romanam applicattur, erroribus ſcatet, & hęreſibus.

Apoc. 11. *Ticon.* *D. Augu.* *Beda.* *Feuard. li. 5. in Ioan. cap. 30.*

4. Duo illi teſtes, veri homines futuri.

Dico ergo, teſtes illos, de quibus Ioannes loquitur, futuros eſſe veros homines, ad teſtimonium pro Chriſto contra Antichriſtum reddendum, ſpecialiter mittẽdos. Aſſertionem hanc ita certam eſſe cenſeo, vt ſine temeritate negari nõ poſſit. Probatur primo ex verborum proprietate, quam relinquere ſine fundamẽto, magna temeritas, & corruptio Scripturarum eſt. Hic autem nullum eſt fundamentum, vel in ipſa Scriptura, vt ex verbis conſtat, in quibus illa metaphora nullum fundamentum habet, neque in Patribus, quia omnes contradicũnt, vt infra videbimus, neque in aliqua ratione, vel coniectura, nullas enim Rex adducit, ſed ſolam voluntariam accommodationem, proprijs opinionibus, & erroribus accõmodatam, contumelijsq; contra Eccleſiam Catholicam redundantem. Illa ergo non eſt Scripturæ interpretatio, ſed corruptio.

5. Probatur ex verbi ſacri textus.

Præterea ſi paulatim ſingula expendamus, quam ſit inepta accommodatio, facile intelligemus. Nam in primis ex verbis illis colligimus, promiſiſſe Deum dare duos teſtes tẽpore aduentus, & perſecutionis Antichriſti, vt ex contextu Ioannis conſtat, ideo enim coniungit illa duo: *Ciuitatem Sanctam conculcabunt, & cætera*, & ſtatim: *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt*, id eſt, dabo illis ſpiritum prophetandi, ſeu ad prophetandum in tempore illius calamitatis mittam illos. Non poſſunt ergo duo illi teſtes promiſsi ad literam eſſe duo teſtamẽta, nam hæc data ſunt Eccleſiæ à principio, neque tempore Antichriſti aliquid eis addetur, aut nouo modo dabuntur, niſi quatenus mittẽtur illi prophetæ, qui ſacram doctrinam maiori ſpiritu proponãt, & interpretẽtur. Quin potiùs, ſi iuxta Regis ſententiam, Antichriſtus venit à ſexcẽteſimo ſexto Chriſti anno, ab eodẽq; (vt Proteſtãtes etiã fingũt) cęperũt Scripturę per traditionẽ hominũ corrũpi, nullo modo tũc dati ſunt duo teſtes ad prophetandũ, ſed qui multo iã antea dati erãt, tunc interfici, ſeu corrũpi cęperunt.

Deinde in eodem loco Apocalypſis dicitur, duos illos teſtes prophetaturos dies mille ducentos ſexaginta, id eſt, toto 6.

Confirmatur argumẽto ex ipſius Regis verbis deſumpto.

to ferè tempore, quo Antichriſtus ciuitatem ſanctam, id eſt, Eccleſiam calcabit, quod tempus, iuxta expoſitionem Regis comprehendit omnia hæc tempora Romani Pôtificatus à ſexcenteſimo ſexto Chriſti anno, vſque ad Lutherum. v.g. Ergo toto hoc tempore vtrunque teſtamentum in ſua virtute, & integritate cõſeruatur in Eccleſia, eorumque doctrina Eccleſiæ maxime innoteſcit, & contra Antichriſtum pugnat, nec aliquis audebit illam corrumpere, quia ibi dicitur de illis teſtibus pro illo tempore. *Siquis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & ſiquis voluerit eos lædere, ſic oportet, eum occidi.* Et ſtatim illorum magna virtus, & potentia deſcribitur, & tandem additur: *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet contra eos bellum.* Ergo Antichriſtus non corrumpet Scripturas vſque ad finem temporis & perſecutionis ſuæ. At verò iuxta ſententiam Regis, Scripturæ patiuntur bellum à Papa, ex quo cœpit in Papatu Antichriſtianiſmus, & toto hoc tempore nõ prophetant Scripturæ in Eccleſia, ſed traditiones humanæ, quibus Scripturæ obſcurantur, & corrumpuntur: quæ eſt ergo accõmodatio talis metaphoræ, aut concordia prophetiæ Ioannis cum ficta iſta interpretatione?

7. Alia verba Ioannis dure, & falſe duobus teſtamẽtis accommodantur.

Præterea Ioannes ait, quod poſtquam illi duo teſtes à beſtia, ſeu Antichriſto occiſi fuerint, *corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, vbi Dominus eorũ crucifixus eſt, per tres dies, & dimidium,* quod Rex dictum declarat, *quia ad dimidium ſpiritualis hebdomadæ, quod inter primum, & ſecundum Chriſti aduentum intercedit, Scripturæ tanquam cadauera iacebunt omnium contemptui expoſitæ, dedecoratæ, corruptæ, ſuppreſſæ, &c.* In quibus verbis duo notanda ſunt. Primum eſt, vt iuxta ſuum metaphoricum ſenſum hæc duo cadauera Prophetarum ad duo teſtamẽta accommodet, multa fingere, & exaggerare, quæ nec probare poteſt, neque vllam veriſimilitudinem habent, ideòq; per errorem à ſuis Proteſtantibus accepiſſe cõuincitur; ac ſubinde nihil ad metaphoram explicandam deſeruire. Ait enim, libros Scripturę multis retro temporibus *ad ſilentium eſſe damnatos, quia laicis eorum lectio interdicta eſt, ita vt pro hæretico combureretur, qui in manus ſumere auderet, aut inſpicere.* Vtrunque autem horum euidenter falſum eſt, tum quia neq; lex, neque exemplum de his oſtendi poteſt, tum etiam quia contrarium manifeſtè conſtat ex vſu, & praxi Eccleſiæ Catholicæ.

Addit verò Rex Scripturæ libros in ignota lingua abſconditos iacuiſſe. At latina lingua non eſt ignota in Eccleſia Latina, niſi rudibus, & idiotis, quibus vtile non eſt per ſe ipſos velle ſcripturas intelligere, aut interpretari, ſed magis expedit, vt quę illos ſcire, & intelligere de Scripturis conuenit, à ſuis Paſtoribus, & Euãgelij prędicatoribus addiſcant. Neq; aliter Scriptura ſacra in catholica Eccleſia conſeruata, & tractata eſt. Denique vt interfectionem illam metaphoricam vtriuſque teſtamenti Rex confingat, dicit, deprauatam eſſe ſcripturam, cum tamen in ſua integritate, tam librorum omnium canonicorum, quam omnium eorum partium per Eccleſiam ſit conſeruata, & legitima authoritate propoſita. Item ait corruptam eſſe: quod falſum plane eſt, quia per Eccleſiam vbi oportuit, lectio, quæ corrupta erat, emendata eſt, vbi verò mutatio facta non erat, in ſua antiquitate conſeruata eſt. Tandem vero dicit fuiſſe interfectam anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecũdo, quia præter emendatam editionem vulgatam ab Eccleſia propoſitam, aliæ ab hæreticis factæ, & corruptæ non permittuntur. Quæ omnia & per ſe friuola ſunt, & ad explicandum dictum Scripturæ locum valde aliena.

8. Lingua latina ignota non eſt, vt Rex fingit.

Aliud in dictis verbis Regis notandũ eſt, in his ſuam iterum inculcare expoſitionem, ſcilicet, Ioannem per hos dies, & menſes non certum tempus, ſed dimidium totius temporis curſum à primo vſque ad ſecundum Chriſti aduentũ intellexiſſe, quam expoſitionẽ ſatis in ſuperioribus refutauimus. Nunc vero interrogo, cum dicit *ad dimidium illius temporis* Scripturæ teſtamenta *tãquam cadauera iacitura, contemptui expoſita, neglecta penè ab omnibus, nec à pluribus intellecta*: interrogo (inquam) quid intendat, cum ait, *Ad dimidium temporis*, aut enim vult toto dimidio tẽpore, quod inter primũ, & ſecundũ Chriſti aduẽtum intercedit, ſcrip-

9. Nõ eſſe duo teſtamenta ex tempor. determinato à Ioanne cõuincitur.

ſcripturarum corpora tãquam cadauera in illo ſtatu iacitura, vel ſolum in dimidio tempore eſſe interficienda ſine deſignatione temporis, pro quo mortua iacebunt. Hoc poſterius repugnat vaticinio Ioannis dicentis, *Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis*. Et infrà: *Et videbunt de tribubus, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium*. Iacebunt ergo cadauera illa per totam dimidiam hebdomadã, quę ſi ſpiritualis eſt, vt vult Rex, includit totam dimidiam partem temporis decurrentis inter primum, & ſecundum Chriſti aduentum.

10. Si autem hoc concedatur, & priorem ſenſum ſuorum verborum Rex eligat, nobis quæſo declaret, qui fieri poſsit, vt per illam eandem ſpiritualẽ hebdomadã duo illi teſtes teſtimonium ſuum daturi ſint, quomodovè prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, prout Ioannes ait, per quos dies etiam dimidiã ſpiritualem hebdomadam ſignificari Rex docet. Maxime quia Ioannes dicit, teſtes illos eſſe occidendos poſtquam finierint ſuũ teſtimoniũ dare, quod non poteſt intelligi de priori dimidia parte illius hebdomadæ ſpiritualis, id eſt, de ſexcentis annis à primo aduentu Chriſti, in quo (vt Rex vult) ſcriptura vixit, nam Ioannes aperte loquitur de eodẽ tempore, in quo Antichriſtus Eccleſiam perſequetur; ergo in fine illius temporis occidentur teſtes, quomodo ergo poſtea per integram dimidiam hebdomadam eadem cadauera in platea iacebunt? Accedit, quod poſtquam occiſi fuerint illi teſtes, non amplius ferent teſtimonium contra Antichriſtum, quia iam finierunt ſuum teſtimonium, & quia ſtatim, ac reuixerint, vocabuntur ad cœlum, & quia ſtatim occidetur Antichriſtus. At verò ex ſententia Regis duo teſtamenta poſtquam per ſpiritum Lutheri, vel ſimilem reuixerunt, adhuc perſeuerant, teſtimoniũ ferendo contra Antichriſtum, & inter homines verſantur, & quem ipſe vocat Antichriſtum, ipſe adhuc viuit, & vſque ad finem ſeculi viuet. Nullo ergo modo ſubſiſtere poteſt accommodatio illa, vel potius fictio.

11. Præterea ſi vanis huiuſmodi interpretationibus, aut accommodationibus vti liceret, quid eſſet facilius, quàm oſten-

A dere, metaphoras illas de duobus teſtamentis tanquam duobus teſtibus ab hoſtibus Chriſti interfectis, &c. multo verius accommodari huius temporis hæreticis, vel ipſimet Regi, quam Eccleſiæ Catholicæ. Tunc enim homo interficitur, quando ſpiritu, quo viuit, & loquitur, priuatur; ergo tunc maximè dici poſſet Scriptura interfici, quando ſpiritu illo, quo facta eſt, & interpretari debet, priuatur. Scripturæ enim veluti corpus eſt ſcripta litera, ſpiritus autem, & vita eius eſt illius ſenſus; tunc ergo

In hæreticos rectè quadrant metaphoræ, quas confingunt.

B vere interficitur, quando proprio vniuſcuiuſque ſpiritu humano, vel forte diabolico declaratur, & ad teſtificandum inducitur. Conſtat autem à Rege, & Proteſtantibus non aliter Scripturam tractari, & exponi, vt in hac ipſa præſentis loci expoſitione Rex oſtendit, & ſuperius in ſtatuenda regula ſuæ fidei teſtatus eſt. Ergo neceſſe eſt, vt apud huiuſmodi homines Scriptura tanquam mortua iaceat, eiuſque corpus tanquam cadauer in manibus eorum feratur. Quibus optimè etiam illud conuenit. Quod *inhabitantes terram, gaudent ſuper illos, & iocundantur, quia* (vt Rex addit) *carnales ſuæ libidines non amplius comprimuntur, nec in ordinem rediguntur gladio verbi Dei*, quia apud illos non eſt *viuum, & efficax, ſed mortuum, ac ſine diuino ſpiritu*. Nam quocunque modo viuant, per ſolam fidem, quod illis peccata non imputantur, iuſtitiam, & gloriam ſibi promittunt, & neque mandatorum obſeruationem, neque pœnitentiam de peccatis ſecundum ſcripturas neceſſariam eſſe, prædicant. Denique dum iſti iactitant, ſe ſolos intelligere nouum, & vetus teſtamentnm, certiſsimum eſt ſine vita, & ſpiritu illa poſsidere, atque adeò tanquam mortua corpora apud eos iacere.

Scriptura ab hæreticis iugulatur.

C

D

Ad hunc denique modum poteſt illa interpretatio metaphorica ex diſcurſu fere totius dicti cap. 11. refutari, & confundi. Nam ſi illi duo teſtes non ſunt veri homines, ſed ſunt tantum verbũ Dei in duobus teſtamentis ſcriptum, vel impoſsibile eſt, ſeriẽ totius capitis tenere, & cõmode interpretari; vel infinitæ metaphoræ volũtariè, & ſine fũdamẽto fingẽdę ſũt, quod ſynceritati ſcripturæ, & cõuenienti rationi eã explicãdi repugnat. 12.

Metaphorę imperitæ ſynceritatẽ Scripturæ deprauant.

Nam

Nam ſi illi teſtes non ſunt futuri veri homines, & prophetæ, quid eſt, quod de illis dicitur. *Hi habent poteſtatem claudendi cœlũ, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum?* Quomodo enim Scripturæ hanc babẽt poteſtatem toto tẽpore prophetiæ ipſarum. Quod vè eſt tempus duorum teſtamentorum, niſi vel totum tempus, quo durat Eccleſia, vel illud certe maxime, in quo ipſam ſcripturam magis integrã, incorruptam, & viuam conſeruatam eſſe, Proteſtantes volunt? Item illud: *Poteſtatem habent ſuper aquas conuertẽdi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcunque voluerint,* quo probabili modo poteſt ad duo teſtamenta, vel ad aliquid aliud præter duos homines accõmodari? Idemque argumẽtum de reliqua parte capitis fieri poteſt, vt iam ſatis declaratum eſt; neceſſe eſt ergo, vt verba illa in ſenſu proprio de hominibus intelligantur. Quam ſententiam quoad hanc partem, quod illi duo teſtes futuri ſint veri homines catholicam eſſe cenſemus, tum quia in Scriptura eſt ſatis expreſſa, nec poteſt ad metaphoricum ſenſum niſi tum magna violentia detorqueri, tum etiam, quia Patres, & expoſitores communiter ita verba illa intellexerunt, vt in capite ſequenti videbimus.

13. Alia proteſtantiũ metaphorica interpretatio.

Iam vero ſequitur examinanda alia interpretatio, quam Rex frequẽtius receptam eſſe dicit, vtique inter ſuos Proteſtantes. Qui vt prophetiam illam ſuis noui Euangelij prædicatoribus accõmodent, metaphoram in binario illo numero ponunt, quos (ait Rex) duos teſtes appellari, quia pauci fuerunt, & in cilicijs, ſeu ſaccis apparuiſſe, *quia pœnitentiã prædicarunt,* occiſos vero fuiſſe, quia multi crudeliter interfecti, & igne combuſti ſunt, reſurrexiſſe autẽ in ſucceſſoribus ſuis, quia non defuerunt, qui verbi Dei prædicatione illorum virtutem, & locũ tenerent: miracula vero illorum fuiſſe, quia breui tempore virtute ſpiritus magnas nationes, & multas in veram, ſcilicet, fidei viam reduxerunt. Hæc fere Rex ex ſuo ſpiritu proprio, non tamen ex certa ſcientia, ſed (vt ipſe ait) ex ſua coniectura, quam neque in ſanctis Patribus fundare poteſt, illos enim in Apocalypſis explicatione erraſſe confitetur, neque in ipſis Scripturæ verbis, cũ pro

A libito ad metaphoras ſibi deſeruientes ea detorqueat, quæ ſatis quidem ad illam expoſitionem contemnendam eſſe poſſent. Ad maiorem tamen erroris eius oſtenſionem, animaduerto: quædã in accõmodatione illa inueniri falſa, alia praue accommodata, & alia omiſſa, fortaſſe quia nullum locum, vel ſenſum cõmodum in illa metaphora recipere poſſunt.

Primum enim falſum eſt, hos pſeudo prophetas tam paucos fuiſſe, vt duorum nomine merito ſignificari credãtur. Nã 14. ſectæ hæreticorum huius temporis tot ſunt, vt vix poſsint numerari: & tot ſunt B capita, quot ſententiæ; imo in vnaquaque plura capita, plureſque magiſtri inueniuntur. Eo vel maxime, quod in illo duorum numero non tantum vult Rex primos vniuſcuiuſque hæreſis inuentores, ſed etiam eorũ ſucceſſores, qui vſq; ad hodiernum diem nouam fidem prædicant, comprehendi; iſti autem plures profecto ſunt, quam vt duorum nomine apte ſignificentur. Deinde euidẽtius falſum eſt, hos nouos prædicatores prædicando pœnitentiam apparuiſſe, cum conſtet, vnum ex præcipuis falſis articulis eorum eſſe, pœnitentiam non eſſe ne-C ceſſariam, ſed nouam vitam, quam in ſola, noua, & inaudita fide propriæ iuſtitiæ conſtituunt. Præter quã quod Prophetæ non dicuntur apparere veſtiti ſaccis, quia pœnitentiam prædicãt, ſed quia vitam aſperam, & pœnitentem profitẽtur, ſeu quia pœnitentiam agunt: iſti autem noui Euangelij prædicatores quam quæſo vitæ aſperitatem profitẽtur, quã vè pœnitentiam egerunt? Certè neque ipſe Rex id dicere eſt auſus, ne manifeſtum mendacium affirmaret. Non ſunt ergo iſti teſtes ſaccis amicti, quos Deus contra Antichriſtum miſſurus eſt.

15. Hæreſiarchæ á ficto illo Antichriſto non fuer occiſi.

D Præterea, ſi per duos teſtes omnes iſti prædicatores intelliguntur, cum Ioannes dicit, duos illos fuiſſe ab Antichriſto interfectos, conſequenter intelligendus eſt, affirmare, omnes illos prædicatores ab eadem Beſtia fuiſſe interfectos, nam eodem modo dicit, duos fuiſſe interfectos, ſicut duos prædicaſſe. At hoc falſum eſt, pauci enim ſunt ex his hæreſiarchis, qui ab hominibus interfecti fuerint, vel per Eccleſiam digna mortis pœna puniti, ſed plures eorum non ſine prodigijs, & ſig-

& ſignis diuinæ iuſtitiæ mortui ſunt; ergo vel interpretatio illa falſum ſupponit, vel metaphora non ſubſiſtit. Multo vero magis incongruũ eſt; quod in ſuis ſucceſſoribus reſurrexiſſe dicantur, hæc enim non eſt reſurrectio, ſed noua prolis generatio, Ioannes autem loquitur de eorundem, qui ceciderant, excitatione, & reſurrectione. Ait enim: *Et poſt dies tres, & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos*, vtique in illos eoſdem, qui interfecti iacebant. *Et ſteterunt ſuper pedes ſuos.* Præterea quod praui prædicatores imitatores, & ſucceſſores habeant, nouũ non eſt, ideoq; neque admirationem, neque ſtuporem efficit, at ex illorum teſtium occiſorum reſurrectione, *timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.* Illa ergo reſurrectio non eſt alterius perſonæ ſimilis ſucceſsio, ſed eiuſdem miraculoſa, ſeu prodigioſa excitatio. Denique additur, inimicos illorum prædicatorũ vidiſſe illos aſcendentes in cœlum, ad quod ſtatim poſt reſurrectionem ſuam vocati fuerant; quando autem in ſucceſſoribus Lutheri, Caluini, aut Henrici. 8. aliquid ſimile vidit, vel audiuit Eccleſia? Eſt ergo friuola accommodatio.

Hæretici magis ex ſe ipſis ſurgere, quam reſurgere dicẽdi ſunt.

16. Falſitas illius metaphoræ oſtenditur à tempore.

Atque hinc denique conuincitur eſſe etiam inſufficientem. Nam in primis explicare non poſſunt, cur iſti ſui prophetæ prophetare dicantur mille ducẽtis ſexaginta diebus, cum in Scriptura non ſoleat tempus tot numeris, & partibus definitum pro indefinito poni, nec ratio talis metaphoræ, aut exemplum ſimile afferri poſsit. Multoque minus explicare poſſunt, cur dicatur, quòd corpora iſtorum ſuorum prophetarum iacebunt *in plateis ciuitatis magnæ*, &c. *vbi Dominus eorum crucifixus eſt.* Nam cum iſti in hac parte fateantur, ſermonem eſſe proprium de vera morte ſuorũ Prophetarum, etiam hæc verba proprie intelligenda erunt de corporibus eorum mortuis, quomodo ergo illa iacebunt in plateis ciuitatis per tres dies, & dimidiũ, cum fere omnia, quæ pœna mortis interiere, ſtatim combuſta fuerint. Deinde neque locum accommodare poſſunt, nã per ciuitatem magnam, in qua Dominus eorum crucifixus eſt, Romam intelligunt, vt infra videbimus; at neque Lutherus, neque Caluinus, vel eorum ſucceſſores Romæ interfecti ſunt. Idemq; argumentum procedit, etiam ſi ciuitas illa, vt veritas habet, Hieruſalem intelligatur, de nullo enim Proteſtantium legimus, ibi eſſe propter ſuum nouũ Euangelium interfectum. Neque etiam poſſunt exponere, qui ſint illi tres dies cum dimidio, niſi recurrendo ad ſpiritualem hebdomadam, quæ iuxta illorum ſenſum plus quam mille annos comprehẽdere poteſt. Præterea vbi eſt inuenta in his pſeudoprophetis, *poteſtas claudendi cœlum, ne pluat in diebus prophetiæ ipſorũ*, aut *conuertendi aquam in ſanguinem, vel percutiendi terram omni plaga, quotieſcunq; voluerint*, aut faciendi aliqua alia mirabilia opera, quæ per illa verba metaphoricè ſignificata fuerint. Certe nullum miraculoſum opus hos falſos prophetas feciſſe legimus. Et perueſio potius, quam conuerſio prouinciarum, & regnorum, quæ per illorum falſam doctrinam facta eſt, nullum ſignum eſt virtutis verbi, aut ſpiritus ipſorum, cum homines non ad pœnitentiam, & præceptorum obſeruantiam, aut vitæ perfectionem attraxerint, ſed licentiam viuendi ſine Eccleſiaſtica obedientia, imo ſine iugo legis diuinæ, per ſolam fidem ſalutem promittendo, homines ad ſenſibilia procliues facile deceperint.

Oſtenditur etiã à loco.

Hæreticorũ prophetæ regnanõ cõuertunt, ſed peruertunt.

Vera ergo, & catholica ſententia eſt, illos Prophetas à Ioanne prædictos futuros eſſe duos tantum homines, mortales, diuina virtute, ac prouidentia mittẽdos in mundum tempore aduentus Antichriſti, cum gratia, & virtute Spiritus ſancti ad prædicandum verum Chriſtũ Dominum noſtrum, contra Antichriſtum, eiuſque fidem veris, ac nouis miraculis confirmandam, per veros, ac præciſos mille ducentos ſaxaginta dies, id eſt, fere toto tempore perſecutionis Antichriſti, prout verbis Ioannis in proprietate intellectis aſſeritur, & ſupra ca. 3. explicatum eſt. Et habet conuenientiſsimam rationem diuinæ prouidentiæ, ne in tempore tam acerbæ perſecutionis videatur Deus Eccleſiam ſuam ſine externo auxilio ſufficiente, & proportionato relinquere. Cõgruum eſt enim, vt Deus hominibus per homines ſubueniat, quod in omnibus temporibus, & occaſionibus obſeruatũ ab ipſo videmus; ergo

17. Veritas catholica ſtabilitur.

ergo in illis etiam diebus ſimile auxiliũ per illos teſtes hominibus *præſtabit*.

18\. In fine vero illorum dierum occidentur vere, & propriè illi duo prophetæ ab Antichriſto, vtique vel per ſe, vel per miniſtros eius, hoc enim Scriptura non declarat, & vtroque modo veritas verborum ſaluatur. Item poſt mortem vere iacebunt eorum corpora in plateis ciuitatis magnæ per tres dies integros, & partem alterius, per quam ciuitatem mũdum aliqui intelligunt, quatenus prauis hominibus abundat, nam ibi dicitur ciuitas illa ſpiritualiter vocari *Sodoma, & Aegyptus*, quibus nominibus ſolet hic mundus in Scriptura vocari: ſed melius intelligitur Hieruſalem, nam additur ibi, *Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*. De quibus verbis plura inferius dicemus. Illis autem diebus mali, & Antichriſti ſectatores verè, ac propriè gaudebunt de morte illorum Prophetarum, & in eorũ ignominiam non ſinent, eorum cadauera ſepeliri. Quod etiam conſulto permittet Deus, vt mirabilior ſit eorum reſurrectio, quæ poſt tres dies, & dimidium verè, ac propriè continget. Iuxta verba illa. *Et poſt tres dies, & dimidium ſpiritus vitæ intrauit in eos*, quæ non poſſunt intelligi de glorificatione animarum illorum Prophetarum, vt aliqui hæretici finxerunt, tum quia glorificatio animarum illorum Martyrum non differetur per tres dies, neque per momẽtum, tum quia ſtatim additur, *Et ſteterunt ſuper pedes ſuos*, vbi euidenter eſt ſermo de reſurrectione corporum. Quæ pro illis duobus Prophetis non reſeruabitur in tempus generalis reſurrectionis, ſed ſtatim fiet, videntibus, & mirantibus alijs hominibus adhuc in vita mortali viuentibus, audientq́; vocem illam de cœlo illos vocantẽ, *Aſcendite huc*, cui voci ipſi obedient, aſcendendo in cœlos mirantibus eorum hoſtibus. Quorum magna pars ſtatim, terræ motu magno corruente ciuitate, oppreſſa, & interfecta eſt, alij verò, qui permanſerunt, terrore perterriti gloriam Deo dederunt, vt Ioannes concludit.

Ciuitas illa mundũ ſignificat, ſed magis propriè, ac vere Hieruſalem.

Spiritus vitæ non poteſt de animarum gloria, ſed de reſurrectione duorum teſtium intelligi.

19\. Neque oportet aliter hæc omnia cõfirmare, quam ipſo contextu, & verbis Scripturæ, nam in proprietate ſua hoc ſignificant, & nulla ſubeſt ratio, vel ne- A ceſsitas, imò nec commoditas ad metaphoricos ſenſus illa trahendi, proprio arbitrio, & ſolo affectu ad proprias opiniones illa accommodandi, vt ie vera Rex Angliæ, & alij Proteſtantes faciunt. Accedit, quod omnes Patres, & interpretes verba illius prophetiæ propriè intelligunt: quanuis enim vel in perſonis illorum teſtium deſignandis, vel in aliquibus minutioribus circũſtantijs differãt, vt mox videbimus: in hoc vero dogmate, quod vaticinium illud propriè, & ad literam intelligendum ſit, omnes conueniunt, vt in ſequenti capite referemus. B Solum hic refero Lactantium lib. 7. cap. 17. vbi tacito nomine, dicit, Prophetam magnum venturum tempore Antichriſti, de quo locum Apocalypſis ad literam interpretatur. Non video tamen, cur in ſingulari de Propheta magno loquatur, & non de duobus Prophetis, ſicut expreſſe Ioannes loquitur. Ita ergo intelligenda res eſt. Neque contra hunc proprium ſenſum illius contextus aliquid Rex affert, præter ea, quæ de Enoch, & Elia diſputat, de quibus capite ſequenti videbimus. Nunc enim plane dicimus, C licet illi duo teſtes non eſſent futuri Enoch, & Elias, non inde fieri, non eſſe futuros homines, veroſque Prophetas, ac prædicatores, propriè interficiendos ab Antichriſto, & à Chriſto reſuſcitandos. Poſſet enim Deus ex ſanctis hominibus tunc viuentibus duos ad illud miniſterium ſua gratia vocare, eiſque ſpiritum prophetiæ, & miraculorum impertiri, & in eis poſſent omnia, quæ ibi prædicuntur propriè, ac veriſsimè impleri. Hic ergo ſenſus, & veritas in hoc capite demonſtrata per ſe poteſt ſubſiſtere, quidquid in quæſtione alia de Enoch, & Elia D ſentiatur.

Quanuis illi duo teſtes non eſſent Enoch, & Elias, tamen eſſent veri homines.
Lactant.

Vnde tandem concludo, locum hunc in hac proprietate, & generalitate explicatum ſufficere ad demõſtrandum, Antichriſtum nondum veniſſe, abſtrahendo etiam ab ſpeciali diſputatione de Enoch, & Elia. Quia non ſolum eſt euidens, non veniſſe Eliam, & Enoch, verũ etiam nec aliquos duos Prophetas contra aliquem Chriſti hoſtem ita prædicãtes, vt in eis impleta fuerint omnia, quæ ibi Ioannes de illis duobus teſtibus, ac Prophetis prædicit, hactenus apparuiſſe, vt

Locus idem Apoc. oſtendit Antichriſtum nõdũ veniſſe.

Nec duo illi Prophetæ, nec alij eis ſimiles adhuc fuerũt.

vt eſt euidens, conſiderando cum proprietate, & veritate circunſtantias omnes, quas notauimus. Nulli enim prædicatores hactenus fuerunt, qui per mille ducentos ſexaginta dies prædicauerint, cum poteſtate faciendi mirabilia in cœlo, aquis, & terra, quique poſt illos dies fuerint publicè interfecti, eorumq; corpora per tres dies cum dimidio iacuerint in plateis alicuius ciuitatis, & poſtea publicè reſurrexerint. Ergo ſtante illo proprio, & vero ſenſu, euidens eſt, illos duos teſtes nondum eſſe miſſos, ac proinde neque Antichriſtum veniſſe. Multo ergo euidentius eſt, non poſſe vaticinium hoc ad Papam accommodari.

CAPVT XII.

Eliam, & Enoch eſſe teſtes illos, qui contra Antichriſtum mittendi ſunt, oſtenditur.

1. QVanquam, vt dixi, ad oſtendẽdum quod intendimus, neceſſarium non ſit ſcire, aut definire, quinam futuri ſint illi duo ſingulares homines, quos Deus teſtes, ac prędicatores contra Antichriſtum daturus eſt: quia dummodo conſtet illos futuros eſſe veros homines, quicunque illi futuri ſint, procedit demonſtratio, vt oſtendi: nihilominus quoniam in hoc puncto vehementer inuehuntur Proteſtantes contra Patres, contra Catholicos, & contra perpetuam Eccleſiæ traditionem, & cõmunem ſenſum, ſuoque arbitrio, & ſpiritu Scripturas eludunt, ideò quæſtionem hanc prætermittere non potuimus. In qua ea ſolum addemus, quæ ad reſpondendum Regi, eiuſq; nouam ſententiam confutandã neceſſaria videbuntur, nam cætera, quæ hic dici poterant, alio in loco à nobis tractata ſunt. Contendit igigitur Iacobus Rex, ſententiam aſſerentem, Eliam, & Enoch venturos in fine mundi in ſua carne mortali ad prædicandum contra Antichriſtum falſam eſſe, eamq; pro conſueta Proteſtantium licẽtia, ac libertate, *futilem, & anilem fabulã*, imò *vanitatem fabulæ Iudaicæ, otioſumq; ſomnium* appellat. Sic enim Proteſtãtes, quod rationibus, aut teſtimonijs confirmare non poſſunt, ſolent conuicijs, & exaggerationibus, rudibus, & indoctis ſuadere. Rex igitur nulla teſtimonia, nullaſvè rationes adducit, quibus ſuam ſententiam perſuadeat, ſed illa tantum teſtimonia, quæ Bellarminus ad confirmandum vetus dogma adduxit, efficacia non eſſe conuincere conatur: idque ad ſuæ ſententiæ confirmationem ſufficere putauit, quia noſtram, humanum captũ ſuperare, ſupponit, vt ſtatim referam. Nos verò primum omnium errores, in quibus ipſe verſatur, detegemus, & confutabimus, deinde Eccleſiaſticam, & veram ſententiam confirmabimus, poſtremo verò illius obiectionibus, vel potius euaſionibus ſatisfaciemus.

Teſtes illos non futuros Enoch, & Eliam contendit Rex Iacobus.

Vide Naziãze. orat. 32. circa medi.

2. Principio ergo ſtatuimus, Eliam, & Enoch vſque nunc viuere, non vita cœleſti, & glorioſa, ſed mortali, id eſt, in qua nec Deum facie ad faciem vident, nec immortalitatem, vel claritatem gloriæ in corporibus aſſequuti ſunt. Priorem partem, quòd Elias, & Enoch viuant, vt certam Rex admittit, in cæteris verò contrarium dogma ſupponit, & fundamentum ſuæ ſententiæ ponit, cum dicit: *Quì poſsit hoc cum Theologia, vel ratione conſiſtere, vt hæc duo glorificata corpora de paradiſo, cœlovè deſcendant, prædicent, pugnent contra Antichriſtum, & interſiciantur ab eo?* Hoc autem fundamentum colligere in primis videtur ex Geneſ. 5. vbi de Enoch dicitur: *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. Vel ad ſe* (ait) *recepit.* Et ex 4. Regum. 2. vbi Elias dicitur viſus in cœlum ferri. Deinde hoc vtitur dilẽmate. *Nunc oportet illos, aut in cœlo eſſe, aut in paradiſo, ſi in cœlo (quod haud dubiè verum eſt) glorificata ſint corpora eorum oportet, cum nihil corruptibile eo poſsit penetrare.* Apocaly. 20. *Quod ſi ſunt in terreſtri paradiſo, primum ſcire auemus, vbi ſit ille paradiſus, & cæt.* Et infrà ſubiungit, *Blaſphemum eſſe credere, ex quo Adam ab illo paradiſo eiectus eſt, aliquem ex Adami poſteris illuc perueniſſe.* Poſteaque addit, terreſtrem illum paradiſum diluuio, ſi non ante, deletum eſſe.

Enoch, & Elias adhuc ſunt in vita mortali.

Geneſ. 5.

4. Reg. 2.

Apoc. 20.

3. Veruntamen fundamentum illud nõ ſolum nouum, & inauditum eſt, ſed etiã repugnat vniuerſalibus loquutionibus Scripturæ, à quibus nihil licet excipere, ſine authoritate, vel eiuſdem Scripturæ, vel

Probatur ex Scriptura.

vel verbi Dei non ſcripti per traditionẽ Eccleſiæ, & Patrum manifeſtati, quod hic oſtendi non poteſt, ſed potius contrarium. Aſſumptum duobus modis oſtenditur.

Nemo gloriam aſſequitur, niſi prius moriatur.

Prior ſumitur ex vniuerſali regula Scripturarum, nullum hominem mortalem transferri ad immortalem, & beatam vitam, niſi intercedente morte corporali, & conſequenter neminem cõſequi corporis gloriam, niſi media reſurrectione, quæ eſt ad vitam. Vtrunque docuit ſatis apertè Paulus. 1. Corint. 15. dicens.

1. Cor. 15.

Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Et infrà. *Inſipiens, tu quod ſeminas, non viuificatur niſi prius moriatur.* Et infrà. *Seminatur in corruptione, & reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, &c.* Et cætera, quibus apertiſsimè docet, hanc eſſe generalem regulam, à qua neque Chriſtus excipi voluit, nam ipſum etiam mori oportuit, & ita intrare in gloriam ſuam, & ideò *primogenitus mortuorum* & *primitiæ reſurgentium* appellatur. Nemo ergo illum ad gloriã comitatur, niſi prius mortem guſtauerit. Vnde ad Hebræos. 9. ait idem Paulus.

Hebr. 9.

Quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium; ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt, &c. Et ad Roman. 5.

Rom. 5.

Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt.

4. Enoch, & Elias gloriã aſſecuti nõ ſunt.

At verò Elias, & Enoch hactenus mortui non ſunt, vt de Enoch docet Paulus ad Hebr. 11. dicens. *Fide Enoch translatus, ne videret mortem*, & de Elia colligitur ex quarto Regum. 2. vbi narratur, viuum fuiſſe *in cœlum translatum, cum ſermocinaretur cum Eliſeo.*

Hebr. 11.
4. Reg. 2.

Et ita de vtroque id fatetur Rex cum tanta exaggeratione, vt dicat, omnes Patres ſuper hoc conſentire, *vtrunque Enoch, atq; Eliam adhuc viuere, quod* (ait) *nemo Chriſtianus vnquam opinor, negauerit.* Et infrà explicando, quomodo viuant, inquit, *Deus enim viuentium eſt, non mortuorum Deus, quanto magis in viuis ſunt Enoch, & Elias, qui nunquam mortem more aliorum guſtauerunt.* Ergo cum nondum guſtauerint mortem, nondum in cœlo domicilium, & perfectam beatitudinem animæ, & corporis poſsident, iuxta prædictam Scripturæ regulam.

A

Reſponderi verò poteſt, nullam eſſe tam generalem regulam, quæ exceptionem non patiatur, vel priuilegium admittat; itaque licet dicta regula generalis ſit, ex priuilegio potuerunt facile Enoch, & Elias excipi. 5. Euaſio.

Neque hoc mirum videri debet, cum multorum Patrum ſententia fuerit, illos homines, qui prope iudicium viui inuenientur, non eſſe morituros, ſed immutandos, & rapiendos in glorioſum ſtatum, ſi iuſti fuerint; cur ergo non poterunt cum illis excipi Enoch, & Elias? Præſertim quia generalis lex eſt, vt homines præſentem vitæ curſum intra paucos annos abſoluant, & certum ſit, ab hac lege exemptos eſſe Enoch, & Eliam, qui per tot annorum millia mortui non ſunt.

B

Veruntamen licèt fateamur, non eſſe tam certum, in hac poſteriori regula non eſſe admittendam exceptionem ſicut in priori, nihilominus vera ſententia, & à Theologis recepta, & magis à Patribus probata, & Scripturis omnino conſentanea eſt, etiam hanc regulam, nullam admittere exceptionem. Reſponſio.

C

Nam omnes omnino homines, etiam illi, qui in fine mundi erunt, prius morientur, quàm Dominus ad iudicandum veniat, iuxta ordinem à D. Paulo poſitum in verbis proximè allegatis: Hebr. 9.

Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium. De qua re alibi latiùs diſputaui. 3. tom. in 3. p. diſp. 50. ſect. 2.

Addimus verò, licèt illa exceptio de hominibus in fine mundi futuris ab errore, vel temeritate excuſetur, quia ex Scriptura occaſio illius ſumpta eſt, & in Patribus habet aliquod fundamentum, nihilominus exceptionem hanc de Elia, & Enoch excuſari non poſſe à temeritate ex vi huius ſecundæ regulæ, propter nouitatem ſui, & ſine fundamento in Patribus; & quia valde repugnat Scripturæ, cùm præter citata loca Dauid Pſalm. 88. cum magna ponderatione dicat, *Quis eſt homo, qui non videbit mortem?* Tanquam certum ſupponens, nullum eſſe, de quo id poſſit affirmari. Cum ergo Enoch, & Elias nondum viderint mortem, profectò nõdum ſunt immortales effecti, iuxta hanc Scripturæ regulam.

D

Temerariũ eſt dicere, Enoch, & Eliam non morituros.

Pſal. 88.

6. AnteChriſti aduentũ nemo gloriam conſequut9 eſt.

Vt autem certius conſtet, ſententiam illam non poſſe ſine errore defendi, addamus alteram generalem Scripturę regulam, videlicet, nullum hominem deſcendentem ex Adamo fuiſſe cœleſtem gloriam, vel in ſola anima, vel, quod grauius eſt, in corpore, & animo conſequutum ante Chriſti Domini aduentum, & mortem. Hanc regulam nobis tradidit Paulus ad Hebræos 9. dicens, In ſecundum tabernaculum, ſeu ſancta ſanctorum ſolum Pontificem ſolitum fuiſſe cum ſanguine ingredi, *Hoc ſignificante Spiritu Sancto non eſſe propalatam Sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente ſtatum*. Quem vtique habuit vſque ad punctum mortis Chriſti, quando velum templi ſciſſum eſt, & ianua cœleſtis regni fuit aperta. Vnde in Hymno *Te Deum laudamus* canit Eccleſia: *Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum*. Et Innocent. III. in cap. *Maiores*, de Baptiſm. dixit, *Regnum cœlorum vſque ad mortem Chriſti fuiſſe omnibus obſeratum.*

Innoc. 3. Cap. Maiores.

7. Euaſio.

Dicetur forte, non fuiſſe quidem eo tempore ita propalatam viam, vt omnibus iuſtis eſſet peruia, neque ita ianuam apertam, vt omnibus eſſet obuia, nihilominus vni, vel alteri, cui Deus voluit hoc beneficium conferre, extraordinarie patuiſſe. Sed contra, nam hæc eſt exceptio à regula data ab Spiritu Sãcto, quam non licet ex proprio cerebro fingere. Deinde contra illam obſtant verba Chriſti Ioannis. 3. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo*. Certè qui dicit *Nemo*, omnes præter ſe excludit, & exceptio illa firmat regulam in contrarium. Item Paulus ad Hebræos. 11. cum inter Patres antiquos Enochum numeraſſet, ſubiungit. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur*. Ergo neque Enoch, neque Elias repromiſſionem acceperunt, neque conſummati ſunt, id eſt, nondum corporis, & animi beatitudinem acceperunt. Nam Enoch in proprio nomine, & perſona induxerat Paulus, Eliam verò ſub Prophetis ſine dubio comprehenderat, & illum maximè deſignat, cum infra ait, *Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis*, nam de Elia legimus, quòd *incedebat zona pellicea accinctus renibus*. 4. Reg. 1. Et *circumibat* fugiens perſecutionem Iezabelis, *egens, anguſtiatus, & afflictus, errans in montibus, & in ſpelunca latens*. 3. Reg. 19. Ergo ſicut Enoch, & Elias comprehenduntur ſub omnibus, qui fuerunt teſtimonio fidei probati, ita etiam ſub his, qui non acceperunt repromiſſionem, nec conſummati fuerunt.

Reſponſio. *Ioan. 3.* *Hebr. 11.* Enoch, & Eliam gloria non potiri indicat Paulus. *4. Reg. 1.* *3. Reg. 19.*

8. Præterea idem Paulus ſic ait, in cap. 10. eiuſdem epiſtolæ: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis viam bonam. Quam initiauit* (inquit) id eſt, cui ipſe initium dedit, ſeu per quam ipſe primus omnium ingreſſus eſt, vel vt Theophylact. ait, *nouam viam fecit, per quam primus iuit*. Idem latiùs Theodoret. & eodem modo intellexerunt Chryſoſt. & Oecumen. Vnde ſi vel vnus homo ante ipſum Chriſtum, viam illam perambulauit, & beatitudinis ianuam ingreſſus eſt, non initiauit Chriſtus viam illam bonam. Et ſimilia ſunt verba capitis ſexti, *Confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, incedentem vſq; ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis intrauit Ieſus*. Certe ſi prius ingreſſi ſunt Enoch, & Elias, illi potius intrarunt præcurſores, quã Chriſtus. Vnde quia nemo illuc ingredi poterat ante ipſum, ſic loquutus eſt Dominus ad Apoſtolos Ioan. 14. *Vado parare vobis locum, & ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & recipiam vos ad me ipſum*. Quæ teſtimonia alio in loco latius expendi, & Patrum expoſitionibus confirmaui, & veritatem hanc fuſe probaui, ac defendi, & ideò nunc à longiori confirmatione abſtineo.

Hebr. 10. *Theophyl.* *Theodoret.* *Chryſoſt.* *Oecumen.* *Hebr. 6.* *Ioan. 14.*

9. His Scripturæ documentis accedunt teſtimonia Patrum; qui vnanimi conſenſu docent, Enoch, & Eliam mortem nõ guſtaſſe, ſed adhuc viuere in corpore, & animo; nullus autẽ eorũ dicit, eos viuere in corpore immortali, & glorioſo, & multi vel indicant, vel aperte docent, in corporibus mortalib⁹ adhuc viuere, quãuis diuina virtute conſeruentur, & ab omni alteratione corruptiua vſq; ad prę finitum tempus præſeruentur. At inquit Rex Angliæ, Bellarminum ad ſuam ſententiam confirmandam, quinque Patrum

Patres eandem ſententiam tueantur.

Cardinalem Bellarm. immerito Rex accuſat.

trum adduxiſſe teſtiomnia, Irenæum, Tertullianũ, Epiphanium, Hieronymũ, & Auguſtinum, illos verò ſolũ dicere, Enoch, & Eliam viuere, eorum autem corpora eſſe mortalia nõ affirmare. Imò addit contrarium tradere Irenæum, & Tertullianum. Ille enim dixit, *Enoch, & Eliam in Paradiſo remanſuros vſque ad con ſummationem conſpicantes æternitatẽ.* Hic autem ait: *Enoch non guſtaſſe mortem, vt æternitatis candidatum.* Sed oportet, diligentius expẽdere ſingulorum teſtimonia.

D. Iren. Tertull.

10. Diui Irenæi verba expẽduntur.

Irenæus quidem lib. 5. dicit, *Enoch, & Eliam, ibi manere conſpicantes incorruptelam.* Sed vbi quæſo, manere dicit? certe, *in paradiſo* (ait) *vbi primus poſitus eſt homo,* id eſt, in paradiſo terreſtri, at ille nõ eſt locus corporum beatorum; ergo con tradicit Irenæus Regi dicenti, *Enoch per multa retro tempora eſſe in cœlo in corpore glorioſo;* Quin potius ſubdit Irenæus *Ibi,* in eodem ſcilicet paradiſo terreſtri, *manere vſque ad conſummationem,* id eſt, vſque ad finem mũdi. Quomodo vero hoc intelligendum ſit, ex eodem Irenæo accipimus lib. 4. cap. 30. vbi de Enoch ait, *Translatus eſt, & conſeruatur vſque nunc.* Hæc enim verba non ſignificant, certe translatum eſſe ad immortalitatem, ſed modo extraordinario â Deo conſeruari, *vſque nunc,* & vſque ad finem mundi, quẽ nomine, *conſummationis* in alio loco ſignificauit. Vnde quod ait: *Conſpicantes incorruptelam,* non ſignificat, iam induiſſe immortalitatem, ſeu incorruptibilitatẽ, ſed actualem incorruptionem, quam illi in ſe experiuntur, & vident, idem enim eſt *conſpicantes,* quod *conſpicientes,* & intuentes ſuam incorruptionem. Per quã etiam dici poſſunt, quaſi in ſigno, & participatione quadam conſpicari immortalitatem, & ſpem illius dare, eo quod ſi Deus homines mortales ita conſeruat, facile credi poteſt, etiam poſſe mortuos ad vitam immortalem reſuſcitare, hoc enim ibi perſuadere Irenæus intendebat.

11. Tertulliani ſententia expenditur.

PræştereaTertullian. libro contra Iudæ. cap. 2. ſic de Enoch ſcribit. *Enoch iuſtiſsimum non circunciſum de hoc mũdo trãſtulit, qui necdum mortem guſtauit vt æternitatis candidatus,* vbi eſſe candidatũ non ſignificat iam eſſe in æternitate, ſed eſſe

A illi propinquum, & ad illam aſpirare, tãquam certum ſignum illius habens, hoc enim vox candidati in proprietate ſignificat. Vnde idẽ Tertullian. lib. de Anim. cap. 50. *Translatus eſt* (inquit) *Enoch, & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſeruantur, vt Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Impetrando nimirum â Deo ſuo martyrio, vt Antichriſtum interficiat ſpiritu oris ſui. Quid eſt ergo quod Rex Angliæ dicit, Tertullianum plane negare, Enoch eſſe moriturum, cum tam expreſsis verbis

B hoc loco illud fateatur? Nec Tertullianus ſibi eſt cõtrarius, quia vocauit Enoch *æternitatis candidatum,* quia (vt dixi) eſſe candidatum æternitatis non eſt, eſſe trãslatum in æternitatem, ſed eſſe aſpirantem ad æternitatem. Vnde friuolum eſt Regis argumentum, cum inquit, *Iam male ſibi firmatum habet ius æternitatis, ſi iterum moriturus eſt.* Nam poteſt habere firmum ius æternitatis ſuo tempore obtinendæ, licet ſit moriturus, ſicut habuit Chriſtus dum in vita mortali vixit, & iuſti in gratia confirmati dici poſſunt habere firmatum ius æternitatis, id eſt, ad æternitatẽ, licèt prius morituri ſint. Sic

C ergo Enoch habere poteſt firmatum ius æternitatis, licet moriturus, ſit, quia ſine dubio in gratia eſt confirmatus, & præordinatus, vt per martyrium tranſeat ad æternitatem, vt in hoc poſteriori loco Tertullianus dixit. Et ita vtrũq; coniũxit in lib. de Reſurrect. carn. cap. 58. vbi de Enoch, & Elia dicit, *Nondum reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi, quia tamen de orbe translati, & hoc ipſo iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni iniuria, & contumelia, immunitatem carnis ediſcunt.* Cuius ſentẽtiæ clarus ſenſus eſt, nondum eſſe reſurrectione diſpunctos,

Alia clariſsima eiuſdem Tertulliani verba.

D quia nondum ad eam perfectionem gloriæ corporum peruenerunt, quam poſt mortem, & reſurrectionem obtinebũt, ſed per translationem aliud genus immunitatis ab effectibus, & iniurijs mortalitatis conſequuti ſunt, ratione cuius dicuntur candidati æternitatis. Vnde ſubiungit, *Cui nam fidei teſtimonium ſignant, niſi qua credi oportet hæc futuræ integritatis documenta?*

Circa Epiphanium non immoror, ſed ingenuè fateor, vbicunque Enoch, aut 12.

Eliæ ſermonem attigit, ſolũ dicere, eos non eſſe mortuos, & adhuc viuere teſtimonium dantes æternitati, & corporum perpetuæ durationi futuræ: an vero poſtea venturi ſint, vel morituri, non tractat, neque alterutrum definit, vt videri poteſt contra hæreſ. 9. & contra hæreſ. 64. proxime poſt fragmẽtum ex Methodio, & in Anchorato verſus finem.

D. Hieron. ſentẽtia clarior eſt.

Venio ad Hieronymum, cuius clarior eſt in hac re ſententia, nam epiſt. 148. ad Marcellam tractans locum Pauli. 1. ad Theſſal. 4. de his, *qui rapientur obuiam Chriſto in aera*, ait: *vis noſſe, vtrum ſic occurrant in corporibus, vt non ante moriantur, cũ & Dominus noſter mortuus ſit, & Enoch, atque Elias ſecundum Apocalypſim Ioannis morituri eſſe dicantur, ne ſcilicet, vllus ſit, qui non guſtauerit mortem.* Et epiſt. 61. ad Pammach. cõtra errores Ioan. Hiero. verſus finem dicit. *Eliam, & Enoch nec dum mortuos, paradiſique colonos, habere membra, cum quibus rapti ſunt, atque tranſlati,* &c. Et licet non declaret, quid de illis poſtea futurum ſit, ſatis indicat, non eſſe tranſlatos ad cæleſtem gloriam, ſed in paradiſum eisdem corporibus, & eiuſdẽ qualitatis diuinitus conſeruari. Quod inferius magis declarat, dicens: *Tanto tempore in eadem permanent ætate, qua rapti ſunt, & habent dentes, & ventrem, & tamen cibis non indigent.*

13. D. Auguſtinus aperte pro nobis ſtat.

Denique etiã Auguſtinus diſerte ſuã in hoc puncto ſententiã aperuit, & verã fidei doctrinã tradidit lib. 1. de Peccat. merit. & remiſſ. cap. 3. vbi cum dixiſſet, Adam in paradiſo fuiſſe mortalẽ, licet nõ eſſet moriturus, ſi nõ peccaſſet, adiungit: *Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali, atque mortali, etiam illis, qui ſine morte hinc translati ſunt, fuiſſe conceſſam. Neque enim Enoch, & Elias per tam longã ætatem ſenectute marcuerunt, nec tamẽ credo eos iam in illam ſpiritualem qualitatẽ corporis cõmutatos, qualis in reſurrectione promittitur, quæ in Domino prima præceſsit.* Latius id tradit idem Auguſtinus lib. 9. Geneſ. ad litteram. cap. 6. dicens. *Neque arbitrandum eſt, Eliam vel ſic eſſe iam ſicut erunt ſancti, quando peracto operis die, denariũ accepturi ſunt, vel ſic quemadmodũ ſunt homines, qui nondũ ex hac vita migrarunt, de qua tamen ille non morte, ſed trãslatione migrauit.* Et infra dicit idem ſentiendum

Alius Diui Aug. locus.

eſſe de Enoch, & de vtroque concludit: *Enoch, & Elias in Adam mortui, mortiſq; propaginem in carne geſtantes, quod debitũ vt ſoluant, creduntur etiã reddituri ad hanc vitam: & quod tandiu dilatum eſt, morituri.* Et alia loca infra referemus, quæ profecto ſi Rex vidiſſet, nõ aſſeruiſſet, Hieronymum, & Auguſtinum negaſſe tantũ Enoch, & Eliam eſſe mortuos, nõ tamen affirmaſſe eſſe morituros, vtrunq; enim diſertiſsime affirmant, & ex generalibus regulis fidei confirmant.

His Patribus addi poteſt Ambr. nã lib. de Paradiſ. cap. 3. in primis dicit, Enoch mortem non vidiſſe, idẽque de Elia dicit in lib. 1. de Abel. cap. 2. Tamen ſuper. 1. ad Corinth. cap. 4. Exponens verba illa: *Puto, quod Deus nos Apoſtolos nouiſsimos oſtendit*, ait. *Hoc ideo perſonæ ſuæ deputat, quia ſemper in neceſsitate fuit, perſecutiones, & preſſuras vltra cæteros paſſus, ſicut paſſuri ſunt Enoch, & Elias, qui vltimo tẽpore futuri ſunt Apoſtoli. Mitti enim habent ante Chriſtum ad præparãdum populum Dei, & muniendas omnes Eccleſias ad reſiſtendum Antichriſto, quos perſecutionẽ pati, & occidi lectio Apocalypſis teſtatur.* Idemq; fere dixerat. 1. Theſſal. 5. Quod ſiquis fortaſſe his teſtimonijs nõ acquieſcat, quia nõ eſt certũ, op⁹ eſſe Ambroſij, in primis dicim⁹ negari nõ poſſe, quin ſit alicuius grauis, & ſatis antiqui expoſitoris. Deinde addimus opus indubitatum Ambroſij tractat. de Symbol. vbi cap. 23. dicit, *Reſurrectionis teſtes ſunt Elias, & Enoch, qui per tot annorum curricula, & vſque ad ſecundum Domini aduentum Chriſti in carne perpetuo manebunt.* Ac denique in lib. 4. de Fide cap. 1. expreſſe dicit. *Trãſlatus erat Enoch, raptus Elias, ſed non eſt ſeruus ſupra Dominum, nullus enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo. Nam & Moyſem licet corpus eius non apparuerit in terris, nuſquam tamen in gloria cæleſti legimus, niſi poſtea quam Dominus reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſoluit inferni, & piorum animas eleuauit. Trãslatus ergo Enoch, raptus Elias, ambo famuli, ambo cum corpore, ſed non cum reſurrectione, nõ cum manubijs mortis,* &c, id eſt, non cum gloria reſurgentium, neque cum dotibus gloriæ, qua ſunt quaſi ſpolia mortis, & crucis Chriſti.

14. D. Ambroſ. in eadẽ ... ſententia. 1. Cor. 4.

Magnus item Gregor. lib. 9. Moral. 15.

cap.

D. Gregor. idem apertè ſentit varijs locis. cap. 3. aliàs 4. ſic de Enoch, & Elia loquitur. *Hinc eſt, quod duo illi prædicatores eximij dilata morte ſubtracti ſunt, vt ad prædicationis vſum in fine reuocentur.* Apoc. 11. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra. Quorum vnum in Euangelio per ſemetipſum veritas pollicetur, Elias venturus eſt, & reſtituet omnia.* Matth. 17. & libro decimo Matt. 17. quarto capite vndecimo in fine, aliàs duodecimo in principio: *Illi* (ait) *qui in prioribus mundi partibus præceſſerunt Enoch, & Elias, ad medium reuocabuntur, & crudelitatis eius* (id eſt Antichriſti) *ſæuitiam in ſua adhuc mortali carne paſſuri ſunt,* vbi noto particulam, *Adhuc mortali carne,* quia per illam in ea nunc mortali carne viuere ſignificat, & lib. 20. cap. 25. *Et ſi ad cœlum raptus eſt Elias, mortem diſtulit, non euaſit.* Et Homilia 29. in Euangel. *Eliam* (ait) *raptum eſſe in cœlum aereum, vt in ſecretam quandam regionem terræ duceretur, vbi in magna carnis, & ſpiritus quiete viueret, quouſque ad finem mundi redeat, & carnis debitum ſoluat. Ille enim mortem diſtulit, non euaſit.* Denique Cyprianus in libro de Montibus Syna, D. Cypria. & Sion contra Iudęos, non longe ab initio dicit, Enoch translatum eſſe viuum in locum, vbi Deus ſcit, & in fine mundi ex eo loco venturum eſſe ad confundendum Antichriſtum, vnde euidenter ſupponit, non eſſe in gloria, ſed viuere potius in carne mortali.

CAPVT XIII.

Ioannem per duos teſtes Enoch, & Eliam intellexiſſe, coniectura; & Patrum authoritate oſtenditur.

1. Ex eo quod mortui non ſunt, venturos obuiam Antichriſto ſignificatur.

EX impugnatione igitur huius erroris ratio valde vrgens colligitur ad perſuadendum, illos duos teſtes futuros eſſe Enoch, & Eliam, etiam ſi ad id confirmandum, nullum aliud nobis ſuppeteret Scripturæ teſtimonium. Nam ſi Elias, & Enoch non viuunt in gloria, neque habent immortalia corpora, ſed diuinitus conſeruantur tot annis à morte, & à corruptione pręſeruati, cur quæſo tam inſigne miraculum, & extraordinarium prouidentiæ genus factū eſt, niſi quia illorum virorum via non-

A dum conſummata eſt, & in hac vita aliquod inſigne opus illis agendum ſupereſt, propter quod à Deo reſeruantur, & vt pro ipſius honore aliquid in corporibus mortalibus patiantur? Ergo quando alia teſtimonia deeſſent, magnum argumentum hinc ſumitur, eos reſeruari ad reſiſtendum maximo Chriſti hoſti Antichriſto, & ad ſubueniendum Iudæis, & gentibus in ſummo periculo, & maximæ neceſsitatis tempore, & ad ſuſtinendam pro Chriſto inſignem mortem. Ergo quamuis Ioannes Euangeliſta eos Apoc. 11.
B non nominet, ſatis eos indicat, dum dicit: *Dabo duobus teſtibus meis,* ſupple, ſpiritū, ſeu virtutem, & *prophetabunt.* In quo modo dicendi innuit illos teſtes non eſſe denuo creandos, ſeu producendos, ſed iam exiſtere, & tunc mittendos eſſe cum ſpiritu prophetiæ, &c. Merito ergo intelligimus, illos teſtes futuros eſſe Enoch, & Eliam. Verba Ioannis expendūtur.

2. Probatur hæc coniectura Patrū traditione.

Cui coniecturæ accedit communis Patrum traditio. Nam Tertullian. Cyprian. Ambroſ. Hieronymus, Auguſtin. & Gregorius in locis allegatis expreſſe id tradunt. Itemq; Gregor. Homil. 12. Tertull.
C in Ezechiel. & Ambroſius Apocalyſim D. Cypria. exponens, Auguſtin. tractat. 4. in Ioan. D. Ambr. ſpecialiter de Elia, & 20. de Ciuit. cap. D. Hiero. 29. de eodem tractans, habet verba notanda D. Aug. dicens, Eliam venturum ante iudicium, & per illum Iudæos in verum D. Greg. Chriſtum credituros, *Celeberrimum eſſe in cordibus, oribuſq; fidelium.* Idem de Elia tradit Iuſtinus Martyr Dialogo contra D. Iuſtin. Tryphon. dicens Eliam in perſona futurum præcurſorem ſecundi Chriſti aduentus, ſicut ſpiritualis Elias fuit præcurſor primi aduētus. Idem Dorotheus Doroth. in Synopſi de Elia (inquit) *Contra Antichriſtum Dux belli ſeruatur, qui ſe ſe illi op-*
D *ponet, & ſeductionem illius, ac ſuperbiam redarguet, qui id à Deo accepit, vt ſecundi, & illuſtris Domini aduentus præcurſor futurus ſit.* Idem latè de Elia docet Iulian. Pomer. libro primo de Iudæis ante medium, & Chryſoſtomus Homilia quarta in 2. Theſſalon. *Veniet* (inquit) *Elias fideles confirmans,* & alia proſequitur, quæ capite ſequenti expendemus, D. Proſper. in Dimid. temporis cap. 13. de Enoch, & Elia exponit locum Apocalypſis. Optime Damaſcen. libr. 4. fidei Iulian. Pomer. D. Chryſ. D. Proſp. D. Damaſcen.

dei cap. 27. *Mittentur (ait) Enoch, & Elias Thesbites, & Patrum corda in filios, hoc eſt, ſynagogam ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & prædicationem Apoſtolorum conuertent; ab eoq́ trucidabuntur.* Idem tradit Theodoret. Daniel. 12. & Malac. 4. Denique idem tradunt communiter expoſitores Apocalypſ. 11. Præſertim Andreas Cæſarien. ſuo cap. 30. qui dicit, pleroſque Doctorum per illos teſtes Eliã, & Enoch accepiſſe, quos ipſe ſequitur: & ait eſſe ex traditione præconũ Chriſti in Eccleſia inuariabiliter recepta. Cõſentiunt denique Beda, & Anſelmus, & Thomas Anglus, qui nomine Diui Thomæ ſolet circunferri. Pluresq́; alios Patres capite ſequenti addemus.

Theodoret.

And. Cæſar.

3. Regium reſponſum. *Præfat. pagin. 83.*

Ad illos vero omnes vnico verbo ſatis à mente catholica alieno Rex Angliæ reſpondet, dicens: *Quoniam in hunc de Patribus antiquis ſermonem incidimus, ſinite, quæſo, hac occaſione obiter vos moneam, mirum non eſſe ſi ſæpius Patres hìc errent, & minus recte multa Apocalypſis myſteria intelligant, propterea quod liber ille eorum tẽporibus adhuc obſignatus fuit; & licet myſterium iniquitatis iam tunc ageretur, ille tamen homo peccati nondum erat reuelatus. In omnibus enim obſcuris prophetijs certiſſima eſt regula, nunquam eas ſatis intelligi poſſe vſque dum compleantur.* Et inferius verba ſubiungit acerbiſsima. *Tantũ abeſt, vt huic futili, & anili fabulæ credam, vt contrà, iſto tam erudito ſeculo, hoc qui credat (Deum teſtor) non modo pro magni nominis theologo, ſed ne pro Chriſtiano quidem habeam, quin potius ſcribis, & phariſæis accenſeã, qui ſic inſaniebant, vt quamuis Chriſtus contrarium docuiſſet, ſemper tamen venturum eſſe Eliam ſomniarent. Veteribus autem Theologis, ſi qui in hac parte errauerint, æquior ſum, propter rationem, quam ſuprà memoraui.* Hæc ſunt verba Regis, à quo iuſte expoſtulare poſſumus; vt talium verborum pondus, rationem, conſtantiam, & veritatem expendamus.

4. Regis dicta ſingillatim expenduntur.

In primis enim quod tot, & tam inſignes Patres reprehendere audet, ſponſioni prius ab ipſo factæ parum eſt conſentaneum. Deinde quamuis prophetia nondum impleta obſcura eſſe ſoleat, quoad varias circunſtantias, & quoad ea, quæ ſolum per ęnigmata, & metaphoras prędicuntur, nihilominus in his, quę ad ſubſtantiam prophetiæ ſpectant, & quæ per verba propria reuelantur, non ſolet ita eſſe obſcura, quin ſaltem toti Eccleſiæ, & ſapientibus Doctoribus eius nota ſit. Quis enim diceret, prophetias de Chriſto venturo, antequam implerentur non fuiſſe à ſapientibus populi Dei intellectas ſaltem quoad ſubſtantiam articuli de Meſsia venturo, & inſigni Propheta futuro? Et quoad alias circunſtantias expreſſe, & verbis proprijs prædictas, vt quod naſciturus eſſet in Bethlẽẽ ex Virgine, & ſimiles? Sic ergo in præſenti dicimus, eſto liber Apocalypſis ſit obſignatus, & obſcurus quoad multa in eo reuelata, dum non implentur: nihilominus aliqua eſſe ſatis clare prædicta in proprijs verbis, in quibus exponendis communis Patrum conſenſus non errat. Alia verò licet ſint obſcura ex conſonantia, & collatione cum alijs prophetijs clarioribus illuſtrantur, & in his etiam exponendis non errant Patres, quando communi conſenſu eundem ſenſum, vt certum dogma Eccleſiaſticum tradunt. Quãdo enim prophetia adeò eſt obſcura, & vnica, vt dici poſsit conſignata, etiam ipſi Patres non tradunt ſuas expoſitiones vt certas, ſed coniecturis vtuntur, & ideò in eis regulariter non concordant. In præſenti autem ſatis clara eſt prophetia Apocalypſis de duobus teſtibus ſaltem in genere, quod ſint futuri homines, & Prophetæ, vt capite præcedenti oſtenſum eſt; ex alijs verò Scripturis, & omnium concordia concludunt Patres ferè vnanimi conſenſu, & magna aſſeueratione, & certitudine, illos teſtes futuros eſſe Enoch, & Eliam; ergo ſine ingenti audacia (nequid grauius dicam) dici non poteſt, eos in hac parte erraſſe.

Prophetiæ nondum impletæ, quo ad circunſtantias obſcurę ſunt, nõ quo ad ſubſtantiam.

Prophetiæ huius ex Apocalyp. circunſtantiæ ex alijs locis patefiunt.

5. Impletam eſſe hãc prophetiã Rex ſine fundamento ſupponit.

Præterea ratio, ſeu excuſatio Regis errorem deteriorẽ ſupponit, dicit enim latuiſſe Patres intelligentiam illius prophetiæ, quia nondum erat impleta, ſupponitur autem impleta, quia Papa eſt Antichriſtus, & quia vel duo teſtamenta ab Eccleſia Romana corrupta, vel quia Lutherus, Caluinus, aut ſimiles Apoſtatæ ſunt illi duo teſtes promiſsi. Quam ſuppoſitionem neque Rex probat, nec probare poteſt, quia neq; veſtigiũ, vmbram non veritatis habet, ſed Proteſtãtiũ calum-

calumniam, & impoſturã, vt ex hactenus dictis euidenter conſtat, & in ſequentibus magis illuſtrabitur, & cõfirmabitur.

6. *In Præfat. pag. 63. & 129.* Adhęc, ſi Regi iam eſt liber ille reſeratus, quomodo in coniecturis ſemper verſatur, dum illum conatur exponere, totamque de Antichriſto diſputationem ita obſcuram, & inuolutam eſſe tradit, vt neminem ad credendũ cogat, imò & opinionem ſuam ſolùm coniecturam appellat? Profectò poſtquam de ſenſu prophetiæ ex euentu, & quia impleta iam eſt, conſtat, non eſt amplius ambiguum, vel coniecturale quod per eam fuerat prędictum, nec ſola opinione, ſed certa fide credendum eſt. Quod ſi forte dicat, ſe nõ certa fide credere, prophetiã illam Ioãnis de Antichriſto eſſe impletam, ſed hoc ipſum ſolum coniectura quadam opinari, ac ſubinde totam expoſitionem ſuam

A fide, vel ſcientia cõiecturæ excluduntur. eſſe tantum coniecturalem. Profectò ſi ita reſpõdeat, conuincitur in primis, immerito affirmare, librum illum his temporibus iam eſſe reſeratum, vel eſſe reuelatum hominem peccati, ac prophetiam de illo ita impletam, vt ſatis iam intelligi poſsit. Nam quod humana coniectura affirmatur, nec reuelatum eſt, nec ſatis intellectum. Vnde maiori certe ratione coniectare, imò & conſpicere, ac dicere poſſumus, errare Regem, dum putat, ſe intelligere huius libri myſteria, quę Patres aſſequi non potuerunt, vt ipſe ait.

7. Denique interrogo, cur pro Chriſtiano non habeat, eum, qui prædictam de Enoch, & Elia ſententiam credit? Nam ſi ipſe in tota ſua diſputatione ſolis coniecturis ducitur, nunquid Chriſtianus non eſt, qui coniecturis, & ſomnijs Proteſtãtium ſeducentium Regem Angliæ, non credit? Dicet, ideo non eſſe illum Chriſtianum habendũ, quia non credit Chriſto dicenti, Eliam iam veniſſe, & ideo cũ Iudęis adhuc ſperat venturum: hoc enim in verbis ſuis Rex ſignificat. At profectò iam Chriſtus ſuum de Elia teſtimonium dederat ab initio Eccleſię, & nihilominus Patres conſtanter ſententiam illam de Enoch, & Elia docuerunt; ergo ſi conſequenter loquatur, neceſſe eſt, vt omnes illos Patres pro Chriſtianis non habeat, quia quamuis (vt vult) Apocalypſim non intelligerent, ſaltem verbis Chriſti fidem adhibere debuerunt. Quod ſi illis

A licuit ſine amiſsione Chriſtianitatis, Chriſti verba aliter, quàm Rex illa interpretatur, intelligere, cur etiam nobis non licebit, cum Patribus potius, quam cũ Rege de ſenſu verborũ Chriſti ſentire, eiſq; fidem adhibere? Concludimus ergo, non ſolum ſalua Chriſtianitate, verum etiam ſecundũ ſanam fidem hominis Chriſtiani, & ſecundum veram, & grauem Theologiam credendum, ſperandumque eſſe, Eliam eſſe venturum: quod vt planius fiat, verba Chriſti, & prophetarum in capite ſequenti diligentius expendemus.

B Prius vero neceſſe eſt Regis fundamẽto ſatisfacere, quod ſupponit Enoch, & 8. *Fũdamento Regis ſatisfit.* Eliam habere iam glorificata corpora, & ideo ingenue fatetur, *captum ſuum ſuperare, qui poſsit cum Theologia, vel ratione conſiſtere, vt è cœlo deſcendant, prædicent, & pugnent, contra Antichriſtum: interficiantur ab eo, poſtea quàm per multa annorum millia exempti fuerunt à maledictione mortis.* Confirmat hoc dilẽmate ſupra facto quia vel ſunt in cœlo, vel in paradiſo, & vtrumque impugnat. Denique addit, *cũ eorum corpora tandiu fuerint à peccato libera non indigere maceratione, ac ſubinde non eſſe cur oporteat ſaccis apparere induta.* Sed in

C primis noſtra parum refert, quod ſentẽtiam catholicam captum ſuum ſuperare affirmet, id enim certè non tam ex myſterij altitudine, vel rei difficultate, quã vel ex pręconcepto errore, vel ex Theologię defectu naſcitur. Apprehẽdit enim corpora Eliæ, & Enoch, eſſe iam glorificata, & ideo non capit, quod ſint iterum ad prædicandum, pugnandũ, & moriendum ventura. Deponat igitur errorem illũ, & facile cætera capiet. Addo vero, etiam glorificata corpora poſſe Deum ad ſtatũ mortalitatis reuocare, & omnia pręd

D dicta eis agenda, vel patienda committere: ſicut potuit Paulum vſque ad tertium cœlum rapere, vel (vt graues Doctores affirmant) vſque ad viſionem diuinæ eſſentiæ eleuare, & poſtea ad communem ſtatum viatorum reducere. Verumtamẽ non eſt nunc nobis illud miraculum neceſſarium, quia certum nobis eſt, illa corpora non eſſe glorificata. Cur enim hoc rex non credit? ex eo forte, *quod per multa annorum millia exempti fuerunt Enoch, & Elias à maledictione mortis, cui per naturam omnes ſubiacent.* Sed hoc nullius

momenti eſt, facilè enim eſt Deo corpus mortale à morte præſeruare quanto voluerit tempore ſine dotibus gloriç, ſicut, Adamo non peccante, omnibus in ſtatu innocentiæ datum eſſet. Quibus Auguſtinus locis ſupra citatis Enoch, & Eliam comparat, rectè diſtinguens inter corpus immortale, quod non poteſt mori, & corpus mortale, quod licèt mori poſſit, per ſpecialem Dei prouidentiam, aut operatione diu non moritur. De Enoch autem, & Elia nunquam Scriptura dixit, non poſſe mori, ſed hactenus non eſſe mortuos; cur ergo Rex non capit fieri poſſe, & futurum eſſe, vt aliquando inter homines redeant, & moriantur?

D. Aug.

9. Cum autem interrogat, vbinam ſint, reſpondemus primo cum Patribus, quçſtionem eſſe curioſam magis, quã neceſſariam ad cætera fidei, vel Theologiç dogmata capienda, & defendenda. Vbi enim Deus voluit, illa potuit cõſeruare, & vbicumque ſint, inde poterit illa huic inferiori mundo reſtituere. Sic Auguſtin. lib. 2. de Peccat. origin. capite 23. inter quæſtiones, quç ſalua fide tractantur, & in quibus vel coniectura vtimur, vel iudicium propter ignorationem ſuſpendimus, ponit hanc, *Vbi ſint nunc Elias, & Enoch, quos tamen* (ait) *non dubitamus, in quibus nati ſunt corporibus viuere*, Chryſo. etiam Homil. 21. in Geneſ. de Enoch, ait, *ſiquis curioſe interroget, & dicat, quo ipſum tranſtulit? diſcat, non conuenire humanis mentibus, curioſius ea, quæ à Deo fiunt, explorare, &c.* Et ſimilia habet Homilia 22. ad Hebræos in fine literæ. Deinde dicimus fortaſſe translatos eſſe in aliquem cœleſtem locum, vbi ab elementorum immutationibus, & impreſsionibus immunes ſint, etiam ſi vſque ad empyrium cœlum, quod glorificatorum corporum propria ſedes cenſetur, non ſint perducti. Verba enim Scripturæ ab hoc dicendi modo nõ diſſonant, neq; res ipſa magnam difficultatem, vel admirationem habet. Quod enim Rex quaſi irridendo, & tanquam abſurdum infert, quod futuri ſint, *viridariorum more vltro, citroque cœlum inter, & terram curſitantes* friuolum eſt, & riſu dignum. Nam ſi Angeli quotidie aſcendunt, & deſcendunt in Cœlum propter ſalutem hominum, ſi Criſtus ipſe poſtquam ſemel

Curioſũ magis eſt, quã vtile, ſcire velle vbi ſint Enoch, & Elias.

D. Aug.

Cyril.

A aſcendit, iterum deſcenſurus eſt ad iudicandum, & rurſus aſcenſurus ad regnandum, quid mirum, quod duo homines electi à Deo ad extraordinarium opus, & miniſterium, tranſlati ſemel fuerint, & iterum reuertãtur ad ſuũ curſum, ac miniſterium implendum, ac tandẽ in Cœlum redeant conſummati.

10. Denique probabilius cenſemus, eſſe in paradiſo terreſtri, in quo Adam fuit conditus, vt dixit Athanaſi. in epiſtola pro Synodo Nycęn. circa principium, & de Enoch ſignificatur in libro ſapien-

Probabilius eſt illos in terreſtri paradiſo agere.

D. Atha.

B tiæ, vt in capite ſequenti videbimus, vbi hoc etiam magis confirmabimus. Nec repugnat quod de Elia ſcriptum eſt, viſum eſſe in cœlum ferri, nam vt rectè dixit Gregor. homil. 29. in Euãgel de cęlo aereo, non de æthereo id intelligendum eſt. Quod autem Rex dicit, *blaſphemum eſſe credere, ex quo Adam ab illo paradiſo eiectus eſt, aliquem ex Adami poſteris illuc perueniſſe*, ſi intelligeretur de eo, qui diceret, aliquẽ propria virtute, induſtria, aut labore poſſe illuc pertingere, aut ingredi, rectè dictum eſſet. Si autem intelligatur de illo, qui diuinæ virtuti, ac dono, ſeu

C diſpenſationi hoc tribuit, non ſolum ſine fundamento dictum eſt, verum etiam cũ illa cenſura, non diſsimili cenſura dignum eſt, quia eſt contra Sanctorum Patrum ſentẽtiam, cui ſacra Scriptura multum fauet, vt ſtatim dicam. Quod autem ad hoc impugnandum vlterius Rex interrogat, vbi ſit ille paradiſus? ad quçſtiones adiaphoras pertinet, vt ſupra etiam dixit Auguſtinus, & quidquid in ea ſentiatur, parũ ad cauſam præſentẽ refert.

Auguſt.

11. Deniq; quod adiũgit, *Paradiſum terreſtrẽ haud dubie deletũ eſſe*, ſi exaggerationẽ illã, *haud dubie* abſtuliſſet; tolerabile eſſet,

Paradiſum terreſtrem euerſum nõ fuiſſe, probabilis eſt.

D quia nõ deſũt graues authores, qui ita ſentiũt, & quia nõ eſt illa ſentẽtia dãnabilis, cũ nõ ſit aperte contra Scripturas, vel cõmunem traditionem, aut Eccleſię ſenſum. Quod autem *haud dubie* ita ſit, ſine fundamento dicitur, quia nullũ poteſt Rex oſtendere ſcripturæ locũ, quo dubitationem omnẽ illius aſſertionis auferat. Quin potius longe probabilius eſt, paradiſum non eſſe deletum per aquam diluuij, ſed vſque nunc in ſua amęnitate, & pulchritudine conſeruari, ibiq; Eliam, & Enoch in quadam vitæ felicitate viuere

D. Bern. *D. Augu.* uere, vt eam recte deſcribit Bernard. Serm. 3. & 6. de Aſcẽſio. Domini. Et Auguſt. dicto cap. 23. de Peccat. origin. dixit, curioſe quidem inquiri, *Qualis, vel vbi ſit paradiſus, vbi Deus cõſtituit hominẽ, quem formauit ex puluere. Cum tamen eſſe illum paradiſum, fides Chriſtiana non dubitet.* Vbi non tantum dicit fuiſſe, ſed *eſſe.* Veruntamẽ de hac quæſtióne, alibi pro captu meo diſputaui, & ideo illam omitto, & quia præſens controuerſia ab illa non pendet. Nã licet paradiſus ille fuiſſet per diluuium deletus, potuiſſet Deus vel alibi locum ſtatui illorum duorum prophetarum conuenientem præparare, vel illummet locum, aut partem eius ad priſtinum ſtatum, vel ſaltem ad amœnitatem illis hominibus conuenientem reſtituere. Ac denique quanuis ibi nunc illi teſtes feliciter, & ſine peccato viuãt, venient nihilominus ſaccis veſtiti, nõ vt pró præteritis peccatis ſatisfaciant, neq; fortaſſe quia illa maceratione carnis ad alia vitanda indigebunt; ſed propter exẽplum hominum tunc viuentium, vt luctum, & mœſtitiam (vt Athanaſius inquit) oſtendant.

CAPVT XIIII.

Vtrum ex alijs Scripturæ locis oſtendi poſſit, Eliam, & Enoch futuros eſſe ſecundi Chriſti aduentus præcurſores, & teſtes contra Antichriſtum.

1. *Pag.* 77. REX Iacobus in ſua Præfatione fidenter affirmat, *Verbum nullum in Scripturis reperiri, quod innuat, vel Enochum, & Eliam redituros eſſe, & cum Antichriſto dimicaturos, in eoque conflictu occidendos, aut quidquã ſimile paſſuros.* Vt autem hoc oſtendat, diſcurrit per ea Scripturæ loca, quibus non ſolum Bellarminus, quem ipſe tantum accuſat, ſed etiã antiquiſsimi Patres, & catholici omnes ſolent dogma illud confirmare; & omnibus reſpondere aggreditur, imò & *mala fide agere,* qui dicta loca illo modo interpretantur, conatur euincere. Nos vero catholicorum ſententiam ſequentes aſſerimus, multa eſſe in Scriptura teſtimonia, quibus verum illud dogma ita confirmatur, vt licet per ſe certam fidẽ

Multa alia ſcripturę loca ſignificãt duos illos teſtes fore, Enoch, & Eliam.

A diuinã non faciant, nihilominus ita prædictam veritatem comprobant, vt ſine formidine prudenter credi poſsit, præſertim accedente conſenſu antiquorum Patrum, & omnium ferè expoſitorum interpretatione. Et quoniã de loco Apocalypſis ſatis iam diximus, nunc per cætera diſcurremus. Et quia illa, quæ de de Elia loqũuntur, clariora ſunt, prius de Elia, poſtea de Enocho dicemus.

Dicimus ergo primo, Eliam venturũ eſſe, vt ſit præcurſor ſecundi Chriſti aduentus, & vt reliquias Iſrael ad Chriſtũ conuertat, & ab Antichriſto auertat, & ſic contra Antichriſtum pugnet. Hæc aſſertio in primis probatur ex verbis Malachiæ cap. 4. *Ecce ego mittã vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis: & conuertet cor patrũ ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, ne fortè veniã, & percutiam terram anathemate.* Quæ verba de vero Elia in perſona, & de miſsione illius ante diem iudicij finalis, & prope illum fere communi conſenſu antiqui Patres intellexerũt, Chryſoſt. Hom. 58. in Matt. & 4. in 2. ad Theſſal. Theod. orat. 10. in Dan. in fine circa cap. 12. Ambroſ. 1. Corinth. 4. in id, *Puto enim quod Deus,* &c. Auguſtin. 20. de Ciuit. cap. 29. Gregor. 9. Moral. ca. 4. Proſper in Dimid. temporis cap. 13. Damaſcen. lib. 4. de Fide cap. 28. Iſidor. lib. de Vita, & morib. ſanctor. cap. 35. & Iulian. Pomer. lib. 1. contra Iudæos ante medi. Item expoſitores in eundẽ locum, præſertim Cyrillus; Theodoret, & in loca Matth. 11. & 17. præſertim Hieronymus, Euthym. Theophyl. Anſelm. & D. Thomas, & in Apocalypſ. 11. præſertim Aretas dicens: *Et certe quod Elias venturus ſit, manifeſtum eſt, quoniam Scriptura hoc prædixit, quæ per Malachiam vaticinatur: Ecce ego mittam vobis Eliam.*

2. Id in primis oſtenditur de Elia.

B C D

D. Iuſtin. Origen. D. Chryſ. Theodor. D. Ambr. D. Augu. D. Greg. D. Proſp. D. Damaſ. D. Iſidor. Iul. Pom. D. Cyril. Theodor. D. Hier. Euthym. Theophyl. D. Anſ. D. Thom. Arct.

His vero non obſtantibus Rex Angliæ interpretationem hanc non ſolum iudicat eſſe falſam, ſed etiam Iudaicã fabulam, ac ſubinde hæreſim, quam qui credit, Chriſtianum eſſe non putat, quia verbis Chriſti contradicit. Ait ergo, Malachiam non loqui de Elia in perſona, ſed in ſpiritu, nec de ſecundo Chriſti aduẽtu, ſed de primo, cuius diem, *magnum, & horribilem,* vocat propter diem paſsionis, & mortis Domini, ac proinde prophetiã illam

3. Rex Iacob. Malachiam de primo aduetu, & Ioãne Baptiſta interpretatur.

illam in Ioanne Baptiſta fuiſſe completam. Quod totum probat teſtimonio Chriſti Matt. 11. vbi cum multa de Ioãne dixiſſet, adiungit: *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem prophetauerunt, & ſi vultis recipere ipſe eſt Elias, qui venturus eſt.* Quid clarius? Et addit cap. 17. cum diſcipuli ipſum interrogaſſent: *Quid ergo ſcribæ dicunt, quod Eliam oportet primũ venire.* Reſpondens ait, *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia: dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerũt eum.* Et ſubdit Euangeliſta, *Tunc intellexerũt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.* Et ſimilia fere habet Marc. cap. vlt. quæ poſtea ponderabimus. Et pro hac ſua ſententia ſolum quendam Bibliãdrum hæreticum allegat. Poſſet vero Hieronymum etiam adducere, qui non ſolum Ioannem Baptiſtam, ſed omnem chorum Prophetarum Chriſto teſtimonium perhibentium nomine Eliæ ibi ſignificari intelligit, & addit, Chriſtum in Euangelio in Elia Ioannem intellexiſſe, & Rupertus ibi dubius eſſe videtur de ſenſu Malachiæ, quanuis ſimul dicat, plures Doctores, *quibus omnes* (ait) *fere conſentimus*, credere Eliam ad literam eſſe venturum, & omnia reſtituturum.

Matt. 11. Matt. 17. Marc. 16. D. Hieron.

4. Sed aduerto, aliud eſſe loqui de primario ſenſu literali, & maxime proprio Malachiæ, aliud de ſenſu, vel ſecũdario, vel myſtico, & ſpirituali. Dico ergo, negari non poſſe, quin Propheta ad literã, & in ſenſu maximè proprio, & nomini conſentaneo loquatur de ſecundo Chriſti aduentu, & de propria perſona Eliæ. Probatur primo, quia à principio capitis aperte loquitur Malachias de die iudicij, de illa enim ait: *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes impietatem ſtipulæ, & inflammabit eos dies veniens,* &c. Quæ verba manifeſte indicant, ſermonem eſſe de die iræ, & vindictæ diuinæ, ante quam præcedet ignis omnia comburens, quæ propriiſsime conueniunt in diem iudicij, in diem autem, vel tẽpus primi aduẽtus Chriſti nullo modo. Et in toto contextu ſequenti idem ſenſus comprobatur. Et ita in toto contextu ſequenti idẽ ſenſus comprobatur. Et ita in hoc nec Hebræi, nec catholici expoſitores, vel Patres diſcordant. Ergo cum poſtea dicit, *Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis,* de eodem die iudicij loquitur, qui erit *magnus iuſtis,* & *horribilis peccatoribus* (vt ait Hieron.) nam & cõtextus, & literæ conſecutio hoc poſtulat, & proprietas verborum id ſatis indicat: & cõſonant verba. Ioel. 2. Nam ſicut dixit Malachias, *Mittam Eliam antequã veniet dies magnus, & horribilis.* Ita Ioel poſtquã latè depinxiſſet præcedẽtia ad diem iudicij, dicens, *Ante faciem eius ignis volãs, ſol, & luna obtenebrati ſunt, Dominus dedit vocem ſuam,* & ſimilia, concludit: *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde;* ergo dies illa magna, & horribilis in vtroq; loco eſt dies iudicij. Quã etiam *magnam* appellat Sophon. cap. 1. & horribilitatem eius egregiè deſcribit, dicens: *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ,* &c. Similiter eundem diem vocat *magnum, & iræ* Ioannes Apocalypſ. 6. Non ergo accommodantur recte verba Malachiæ diei paſsionis Chriſti, nec inuenitur antiquus expoſitor, vel Sanctus, qui ita intellexerit. Et ſpecialiter notauit Chryſoſt. Hom. 58. in Matt. ponderans vltima verba Malachiæ: *Ne forte veniens percutiã terram anathemate.* quæ nõ primo aduentui Chriſti, ſed ſecundo recte accommodantur.

Malachias in ſenſu proprio de ſecundo Chriſti aduentu loquitur. Malec. 4. D. Hier. Ioel. 2. Sophon. 1. Apoc. 6. D. Chriſ.

5. Secundo hinc fit, ibi etiam Malachiã propriè, & ad literã loqui de Elia, & prædicere, illũ eſſe futurũ ſecundi aduentus Chriſti præcurſorẽ. Quod magis confirmant Septuaginta interpretes: *Ecce ego mittã Eliam Thesbitem,* vt habetur in verſione Hieronymi, & in Latina nuper correcta, & legunt Cyrill. & Theod. in Micheã, & Tert. lib. de Anima ca. 35. Aug. Euth. Arethas ſupra; & Chryſ. Homil. 38. & 58. in Matt. Qui notat, additã nomini Eliæ fuiſſe circunſtantiã patriæ, vt tolleretur ambiguitas, & notaretur, ſermonẽ eſſe de propria perſona Eliæ.

Malachias literaliter loquitur de Elia ſecundi aduentus præcurſore. D. Hier. D. Cyril. Tertul. D. Auguſ. Euthym. Areth. D. Chryſ.

6. Tertio idem comprobatur ex verbis Eccleſiaſt. 48. vbi à principio capitis de Elia propheta loquitur Sapiens, eiuſque inſignẽ ſanctitatẽ, magna prodigia, & ſigna mirabilia, ſingularẽq; tranſlationẽ deſcribit, & poſtea ſubiũgit: *Qui ſcriptus es in iudicijs temporum, lenire irã Dñi, cõciliare cor Patris ad filiũ, & reſtituere tribus Iacob.* Vbi quæſo, ſcriptus eſt in hunc modum Elias

Eccleſ. 48. Clarius id inſinuatur in libro Eccleſiaſtici. Pag. 80.

Elias, niſi apud Malachiam? ergo de eodẽ Elia Malachias loquitur, de quo Sapiens, ac ſubinde de propria perſona Eliæ. Ad

Cap. 8.

quæ verba reſpondet Rex Angliæ, cum conſtet Eccleſiaſticum alludere ad verba Malachiæ, Chriſtum interpretando Malachiam, etiam Ieſum Sidrach expoſuiſſe: *Neque dedecori eſt* (ait) *huic mortali Ieſu explicari ab immortali, veroque Ieſu, licet ad pudorem, & confuſionem hæreſeos Ieſuitarum*. Similiaque conuicia liberè proferunt Proteſtantes, quando nec probabilia, nec veriſimilia facere poſſunt, quę dicunt.

Hunc locũ Proteſtãtes cum ratione non poſsint conuicijs diſſoluunt.

Quis enim legens caput illud Eccleſtaſtici ſibi perſuadeat, non loqui à principio de vero Elia.

Eccleſ. 44.

Sumpſerat enim ille Ieſus onus laudandi viros glorioſos parentes ſuos, vt dixerat capite 44. & incipiens ab Enoch, per Noe, Abraham, Iſac, Iacob, & cæteros Prophetas, peruenit ad Salomonem in fine cap. 47. & poſtea incipit in 48. *Et ſurrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ipſius quaſi facula ardebat, qui induxit in illos famem, & cæt. Et deiecit de cœlo ignem ter*, & alia, quæ hiſtoricè aperte refert vſq; ad illud: *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus eſt ſpiritus eius.* Et poſtea de Eliſeo ſermonem proſequitur. In medio autem illius enarrationis dè Elia interponit illa verba, *Qui ſcriptus es in iudicijs, &c.* Qui ergo veriſimile eſt, relatiuum, *Qui* nõ referre perſonam propriã illius Eliæ, de quo in antecedentibus, & ſequentibus ſermo texebatur? aut quis talem intertrepretationem Chriſto imponat? Pręſertim cum eodem loqutionis genere illi dicatur: *Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis, Qui deieciſti Reges, Qui audis in Sina iudicium, Qui vngis Reges, Qui receptus es in turbine ignis*, & ſtatim, *Qui ſcriptus es.*

De eodem Elia omnia hęc ab eccleſiaſtici authore dicta ſũe

7. Regis expoſitio confutatur.

Suſpicor ſane, ſub verbo *Explicãdi* intellexiſſe Regem verbum *emendandi*, vel *corrigendi*, & ideo dixiſſe, non fuiſſe dedecori Ieſu mortali *exponi*, id eſt, *corrigi*, & *emendari* à Ieſu immortali, ſentiens Ieſũ mortalem non recte intellexiſſe verba, Malachiæ, & ideo aliter, quàm ipſe ſenſerit, explicatum eſſe à Ieſu immortali. Cũ enim Rex ſentiat, illum librum non eſſe canonicũ, facile in illo admittet aliquid, quod emendari potuerit. Sed licèt hoc non eſſet dedecori homini mortali à ſe loquenti, fuiſſet tamen dedecori Spiri-

A tui Sancto, qui per illum loquebatur: vt vera fides docet, illum librum vt canonicum nobis proponens. Talis ergo interpretatio Regia non poteſt Ieſuitis eſſe pudori, Rex videat, an ipſi ſit honori. Neque per illam aliqua hæreſis confutatur, quę per Dei gratiam hactenus in Ieſuitis cum veritate notari potuerit, ſed potius interpretatio illa hæreſim inuoluere conuincitur, quia vel male ſentit de libro Eccleſiaſtici, vel certe non interpretationem, ſed corruptionem verborum eius Chriſto attribuit.

B Quarto Malachiam de perſona Elię fuiſſe loquutum, probamus ex ipſis Chriſti verbis Matth. 17. vbi interrogãtibus diſcipulis, quid eſſet, quod Scribæ dicebant, oportere, Eliam venire primũ, id eſt, ante aduentum Meſsiæ, reſpondit Chriſtus dãdo primum: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Deinde vero addit ſecundum, ſcilicet: *Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerũt eum, ſed fecerunt in eum quæcumque voluerunt, ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis.* Ex quo cõtextu in primis colligo, Chriſtum de duplici Elia eſſe loquutum, nam C de vno ait, *eſſe venturum*, de alio verò dicit *iam veniſſe*: de primo item dicit, quod *reſtituet omnia*, de altero vero non hoc dicit, ſed potius eſſe male tractatum, & quaſi contemptum à Iudæis, quia illi nõ crediderunt, ſed *fecerunt in eum quæcumq; voluerunt.* Denique tacitè indicat duplicem ſuum aduentum, vnum in quo paſſurus fuit â Iudęis, ante quem venit ſpiritualis Elias, de quo proximo loco ſermonem fecerat: alium, in quo non ad patiendum, ſed ad complendum omnia veniet, ante quẽ vẽturus eſt proprius Elias, de quo propterea prædixit, quod *reſti*D *tuet omnia.* Iuxta quem ſenſum ſumma, ſeu paraphraſis reſponſionis Chriſti eſt: Verum quidem eſt, Eliam verũ, & proprium eſſe venturum, non tamen modo, ſed eo tempore, quo reſtituenda ſunt, & complenda omnia: Dico autem vobis, eſſe alium ſpiritualem Eliam, qui iam venit tanquam præcurſor iſtius mei aduentus, in quo veni ad patiendum pro hominibus, à quibus ipſe etiam male, & infideliter tractatus eſt.

8.

Matt. 17.

De duplici Elia, altero vero, altero myſtico Chriſtus loquitur.

Hunc autem eſſe verum, & literalem ſenſum verborum Chriſti, oſtendo primo, 9.

mo, quia eſt ſimpliciſsimus,& valde conſentaneus verborum contextui, & proprietati, quæ ſeruanda eſt, niſi vbi clara fuerit metaphora, & ita hic fit. Nam in priori ſententia,& nomen Eliæ,& futurum verbum *veniet*, propriè intelligitur, idemque de verbo *reſtituendi omnia*, ſtatim explicabimꝰ. In altera vero parte nomen Eliæ ſpiritualiter exponitur, quia Chriſtus ipſe tam aperte illud declarauit vt diſcipuli ſenſum intellexerint, alia vero verba omnia in ſua proprietate retinētur. Accedit, quod in prioribus verbis aperte Chriſtus annuit ſententiæ ſcribarum, quę in illo populo erat vulgaris,& receptiſsima,& tanquam veram illam approbat, nimirum, Eliam Prophetam eſſe venturum. Neque vnquam ſignificauit, deceptos fuiſſe, qui de vero Propheta Elia prophetiam illam intelligebant. Poſtea vero quaſi addens myſterium nouū non deſtruens prophetiæ literam, & veritatem, ſed illam eleuans ad ſpiritualem ſenſum, addit: *Dico autem vobis, iam venit, & non cognouerunt eum.* Cum ergo hic ſit planus ſenſus, ſine cauſa laborat Rex Anglię, vt illum euertat, dicendo, Chriſtum in priori parte vſum eſſe verbo futuro *veniet*, non affirmando, ſed referendo quod Proheta dixerat, & poſtea addidiſſe præteritum *venit*, vt explicaret prophetiam,& doceret, iam eſſe impletam. Sed profecto magnā vim facit illis verbis, *At ille reſpondens ait, Elias quidem venturus eſt*, nam hæc non ſunt verba referentis, ſed affirmantis, & conſentientis. Nec diſcipuli dubitabant, an Propheta id dixiſſet, ſed an futurum eſſet, ipſe autem reſpondit, ita quidem futurum eſſe: & nihilominus addit, alio ſpirituali modo Eliam iam veniſſe. Sicut enim Paulus, 2. ad Theſſalon. 2. de Antichriſto dixit, *myſterium iam operatur iniquitatis*, & de eodem ſubdit, *& tunc reuelabitur*. Ita intelligere poſſumus, dixiſſe Chriſtū, Eliā in myſterio iam veniſſe, in perſona verò adhuc eſſe venturū. Et hoc magis declarauit Marcus c. 9. vbi prius refert, dixiſſe Chriſtū, *Elias cū venerit primò reſtituet omnia.* Et infra ſubiūgit, *Sed dico vobis, quod & Elias venit*, vbi priora verba clariſsimè affirmando dicta ſunt, & non referēdo, & in poſterioribus particula *&*, vnius Eliæ ab alio, & duplicis etiam aduentus diſtinctionem denotat.

Vulgarē de Elia venturo opionem Chriſtus nō improbauit

10\. Ioannes Baptiſta nō inſtituit ōnia cum paucos cōuertcrit.

Secundo cōfirmatur dicta expoſitio, quia optime concordat cū alijs Scripturæ locis, in quibus de proprio Elia venturo, & de ſpirituali Elia, qui iam venit, ſermo eſt. Nā vbi eſt ſermo de Elia proprio venturo, de illo dicitur, vel quod *conuertet homines ad Deum*, vel quod *placabit irā Dei*, & ſic etiā illi tribuit Chriſtus, quod *reſtituet omnia*, quo verbo omnia, quæ alijs verbis Malachias, & Eccleſiaſticus dixerūt, complexus eſt. Nec poſſunt illa verba Ioanni Baptiſtę rectè accōmodari, cū ſua prędicatione parū Iudæis profecerit. Quod enim Caluiniſtæ reſpondēt, reſtituiſſe omnia, quia prædicauit Chriſtū, qui omnia reſtituit, friuolum, & valde extortū eſt. Tum quia verbum, *reſtituet omnia*, ſignificat efficaciam, & effectum prędicationis ipſiuſmet Eliæ futurū eodem tempore,& per ipſum, vt apertè conſtat ex proprietate verborum. Tum etiam quia alias quilibet Chriſti prędicator dicetur reſtituere omnia etiā ſi prędicatione ſua nihil proficiat: quod ridiculū eſt. Tum deniq; quia cum Malachias dicit de Elia, *Et conuertet corda Patrum ad filios*, non poteſt exponi, id eſt, prædicabit eū, qui cōuertet: imò nec rectè exponemus dicendo, ita prędicabit, vt ad conuertendū ſufficiat, ſed ſenſus planus eſt, cōuertet efficaciter, ſeu ita prędicabit, vt conuertat: hæc enim eſt vis verbi, & hoc declarant verba Dei per eundē prophetam ſubiuncta. *Ne forte veniam, & percutiam terram anathemate.* Ita ergo dixit Chriſtus, *reſtituet omnia*, quia cum Iudæi priori Eliæ non crediderint, & à vero Chriſto diſceſſerint in eius primo aduentu, per alterū Eliā Chriſto reſtituentur, iuxta illud Iſai. 10. & Pauli ad Roma. 9. *Si fuerit numerus Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* Altera vero pars de ſpirituali Elia conſonat verbis eiuſdē Chriſti Matth. 11. *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*, id eſt, Ioānes Baptiſta, & vt intelligeretur loqui de Elia in ſpirituali ſenſu, præmiſit, *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias*, id eſt, ipſe vobiſcum exercebit Eliæ miniſteriū, quod erit cōuertere homines, præſertim Iudæos ad Chriſtū. Quia vero ſine conſenſu illorū perfici non poterat, ideo dixit, *ſi vultis*, vt Chryſoſto. & Theophylact. notarūt.

Malac. 4.

Elias primo aduentu paucos ſecundo plurimos cōuertet.

Iſai. 10. *Rom. 9.* *Matth. 11* *Chryſoſt.* *Theophyl.*

Et

D.Hiero. Et Hieronymus *Hoc* (inquit) *quod dictũ eſt, ſi vultis recipere ipſe eſt Elias, myſticum eſſe, & indigere intelligentia ſequens ſermo Domini demonſtrat*, dicens: *Qui habet aures audiendi audiat*, id eſt, qui valet intelligere, attendat, & altiorem ſenſum verborũ percipiat. Nam ſicut Angelus de Ioanne
Luc.1. prædixerat. Lucę.1. venturum eſſe *in ſpiritu, & virtute Eliæ*, ita in præſenti dicitur eſſe Elias.

11.
Ioannes Eliæ ... præcedi ... veri ... ſimili ... Tertio ipſa metaphora, qua nomen Elię Ioanni attributũ eſt, indicat, de propria perſona illius Prophetæ, cui nomen illud prius impoſitũ eſt, prædictũ fuiſſe, mittendũ fore præcurſorẽ alicuius aduẽtus Chriſti, & prędicaturũ Iudæis, vt cõuertantur ad Chriſtum, nam quia in hoc munere Ioannes aſsimilatus eſt vero Elię, ideo ipſe Elias nominatus eſt, tanquã venturus in ſpiritu, & virtute Eliæ. Sicut
Luc.1. declarauit idem Lucas cap.1. addendo, *vt conuertat corda Patrũ in filios*, alludens ad locum Malachiæ, vt ex verbis ipſis conſtat, & notauit præter expoſitores ibi,
D.Aug. Auguſt. tract.4. in Ioannẽ, dicẽs, Ioannẽ dictũ eſſe in ſpiritu Eliam, quia hoc fuit in primo aduentu, quod Elias erit in ſecundo. Idem Gregor. homil.7. in Euãg.
D.Greg. Ipſa ergo metaphora Elię Ioanni attributa, indicat, priorẽ prophetiam ad literam eſſe prędictã de proprio Elia. Quod ita etiam confirmatur, nam cũ Angelus ait: *Veniet in ſpiritu, & virtute Eliæ*, aperte diſtinguit. Eliam à Ioanne; ergo ſupponit proprium Eliam *venturũ in ſpiritu, & virtute, vt conuertat corda Patrũ in filios, &c.* ac ſubinde ſupponit, de illo Elia diſtincto à Ioanne prius fuiſſe ſimilia verba prædicta. Quocirca licet daremus, verba Malachię interdũ afferri de Ioanne Baptiſta, quaſi in eis fuerit prædictus, intelligendum id eſſet in ſenſu ſpirituali, fortaſſe etiã à Spiritu Sancto intento, non tamẽ eſt excludẽdus proprius literalis ſenſus, qui multis alijs modis euidenter comprobatur. Sicut quando Ioannes de Chriſto adducit verba illa, *Os non cõminuetis ex eo*, non excluditur proprius literalis ſenſus, quo ſignificatur, in typo id ad literã ſeruatum eſſe, vt obſeruauit Auguſt. tract. 120. in Ioannem, & Chryſoſt. homil.84. Ita ergo licet verba Malachiæ Ioanni in ſpirituali ſenſu accõmodentur, ad literã ſeruanda eſt proprietas. Nã de Ioanne ad

Senſus literalis ... myſtici, ſi modo ſit idoneus, nõ excludit.

Ioan. 19. Exod. 12.

Auguſt. D.Chryſ.

A literam prædictũ fuerat per eundẽ Malachiam cap.3. *Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã ante te.* Quę verba prius retulit Chriſtus Matt.3. tanquã proprie de illo dicta, vnde præmittit, *Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt, &c.* poſtea vero longe aliter inducit locũ Malachiæ, vel potius ad illum alludit per attributionem, vel in ſpirituali ſenſu ad Ioannem verba accommodat.

Malac. 3.

Matth.3.

Vltimo authoritate Patrum hæc expoſitio verborum Domini comprobatur. Hieronymus enim Matth.11. dicit,
B Ioannem myſticè vocatum eſſe Eliam propter ſimilitudinem, & addit, quod ſicut Elias futurus eſt præcurſor ſecundi aduentus Chriſti iuxta Malachiam, ita Ioannes fuit præcurſor primi. Quamuis enim ibi ſolum hanc referat, vt aliorum, ſententiam, vltimo tamen loco eam ponit, & tacite approbat. Matthæi vero 17. ſupponit vt veram traditionem Hæbræorum de vero Elia venturo præcurſore ſecundi aduentus, & poſtea ſic exponit verba Chriſti. *Ipſe, qui venturus eſt in ſecundo Saluatoris aduentu iuxta corporis fidem, nunc per Ioãnem venit in veri-*
C *tate, & ſpiritu.* Et Auguſtin. lib.83. Quęſtio. q.58. *In ſecundo* (ait) *aduentu in claritate Dominus venturus eſt, cuius aduentus præcurſor ſperatur Elias, ſicut primi Ioãnes fuit, & ideo dicitur à Domino, Elias iam venit, & multa ei homines fecerunt, & ſi vultis ſcire ipſe eſt Ioannes Baptiſta, qui venturus eſt. Quia in eodem ſpiritu, & in eadem virtute, & tanquam præcedentis præconis officio, & hic iam venit, & ille venturus eſt.* Vbi clariſsime exponit, Chriſtum loquutum eſſe de duplici Elia, vero, & myſtico. Et lib.1. Quæſtion. Euã-
D gelicar. q. 21. de vero Elia intelligit illa Domini verba: *Elias quidem venturus eſt*, & quod additur, *Et reſtituet omnia*, exponit, *Vel eos, quos Antichriſti perſecutio conturbauerit, vel ipſe reſtituet moriendo, quæ debet.* idem tract.4. in Ioann. vt ſupra retuli. Et ſimiliter Ambroſ. lib.1. in Luc. circa illa verba: *Et præibit ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ.* Inter alias rationes, & ſimilitudines ponit: *Quia hic prioris, ille ſequentis Dominici præcurſor aduentus.* Et libro ſecundo de Virginibus in principio dicit. *Eliã, qui virgo fuit ideo raptum eſſe in cælũ, & Dominici*, ait, *venturus*

12.
D.Hiero. Authoritate Patrũ ſẽtentia Catholica cõſtabilitur.

D.Aug.

Ambroſ. Luc.1.

rus eſt præcurſor aduentus. Gregor. etiam
D. Greg. lib.35. Moral.cap.9. Aliàs 6. de vero E-
lia intelligit, quomodo autem reſtituet
omnia, declarat, dicens, *Nunc enim ami-
ſit Iſraelitas Eccleſia, quos conuertere prædi
cando non valuit, ſed tunc Elia prædicante,
dum quotquot inuenerit, colligit, velut ple-
nius recipit, quod amiſit.* Et eodem modo
intellexit verba Chriſti idem Gregor.
lib. 20. Morali. cap. 25. & Homil. 12. in
Ezech.

13. Origen. Patrum græcorũ dicta proponuntur.

Præterea Origen. tracta. 3. in Matth.
poſt interrogationem Apoſtolorũ: *Quid
ergo dicunt Scribæ, quod Elias oportet venire
primum?* addit: *Ad hoc reſpondit Ieſus, non
reprobans quidem, quæ à Scribis tradita fue-
rant de Elia, ſeb alium Eliæ aduentũ ante ſe
denotat factum, quem ignorauerant Scribæ.*
Et ita ſtatim exponit ſequentia verba
Chriſti de duplici Elia in perſona, & in
ſpiritu, quorum alter venturus eſt, alter
Chryſoſt. iam venit. Vnde optime Chryſoſt. Ho-
mil. 38. in Matt. 11. *Significauit* (inquit)
*Chriſtus, Ioannem, vtrique enim vnam ad-
miniſtrationem ſuſceperunt, & præcurſores
ambo conſtituti ſunt. Quapropter non dixit,
hic eſt profecto Elias, ſed, ſi vultis ſuſcipere,
hic eſt.* Et cætera, quę eleganter proſequi
tur tum ibi, tum latius, & melius homil.
58. vbi exponit verba Chriſti, *Elias ven-
turus eſt*, de Elia Theſbite, de quo etiam
loquutus fuerat Malachias. Et hom. 4. in
2. ad Theſſalon. ſimiliter declarat, Ioan-
nẽ dictum eſſe Eliam propter miniſteriũ
Theophila. Matth. 17 præcurſoris, in quo vero Elię ſimilis fuit,
Et Theophylact. Matt. 17. exponẽs ver-
ba Chriſti ait: *Dicendo, quòd Elias quidem
veniet, oſtendit, quod nondum venit, & in ſe-
cundo aduentu veniens reſtiturus ſit ad fidẽ
Chriſti omnes Hebræos, quos perſuaſibiles in-
Tertull. ueniet, &c.* Deniq; Tertullian. lib. de A-
nima, cap. 35. eidem fauet expoſitioni, vt
poſteriores omittam, Bedam, Anſelm.
& alios, qui verba Chriſti ita intellexe-
runt.

14. Bellarminus defenditur.

Quid eſt ergo quod Rex Angliæ ait,
nihil eſſe in Scripturis, quod innuat, Eliã
eſſe venturum ante iudiciũ? Nunquid
veriſimile eſt, tot Patres tanta concor-
dia in aſſertione hac ex ſacra Scriptura
colligenda conueniſſe, ſine magno, &
euidenti in eadẽ Scriptura fundamento?
Quapropter multũ excedit, dum prædi-
ctam interpretationem verborum Chri-
A ſti in Bellarmino reprehendens, eam im-
pudentem vocat, & paraphraſim nõ fe-
rendam, vel callidè, & peſsima fide indu-
ctam fuiſſe dicit. Aut enim Sanctos Pa-
tres non legit, aut omnes in vno Bellarmi
no tecte, & callide, & contra id quod ali-
bi profitetur, reprehendit, vtrũq; autem
intolerabile eſt, & Rege indignum. Eo
vel maximè, quod nec rationem vllam,
nec ponderationem verborum Chriſti
alicuius momenti affert, quo receptum
ſenſum verborum Chriſti impugnet: ne-
que his ſatisfacit, quæ nos ad illum per-
B ſuadendum induximus. Cum ergo, &
alia teſtimonia Scripturæ aliter recte in-
telligi nõ poſsint, & verba Chriſti in op-
timo, & plano ſenſu cum illis concordẽt,
& communis Patrum interpretatio con-
ſentiat, dubitandum non eſt, quin E-
lias futurus ſit ſecundi aduentus Chri-
ſti pręcurſor, ac ſubinde vnus ex duobus
teſtibus à Ioãne in Apocalypſi prędictis.

De Enoch verò quaſi irridendo ſic ait 15. Regis de Enoch facetia.
Rex. *Sed Enochum oportet in hoc negotio
cum Elia coniũgi, nullam aliam ad rem, ni
fallor, niſi ad iugum ex altera parte tollendũ.*
Verumtamen dictèria hæc, & irriſionis
C verba non Bellarminum tantum (vt
Rex diſsimulat) ſed Patres omnes; imò
ipſum Ioannem Euangeliſtam pungunt.
Nam ſi prædicta verba audienda ſunt,
non ſolum aduerſus Enochum, ſed in
vniuerſum omnem ſocium Eliæ in prę-
dicatione, & aduentu ſuo irrident, &
excludunt. Ita enim dicere aliquis po-
terit, quid oportet, alium quencumque
Eliæ coniungi, niſi forte ad iugum ex
altera parte tollendum? Cur ergo Ioan-
nes, duos teſtes, duoſq; Prophetas ven
turos eſſe prædixit? Quis nouit ſen-
ſum Domini, aut quis Conſiliarius eius
D fuit? Aut quis rationem ab illo exiget,
cur duos teſtes miſſurus ſit, & non vnũ
tantum, vel non plures? Vel cur in pri-
mo ſuo aduentu vnum tantum præcur-
ſorem miſerit, in ſecũdo vero duos? Vel
cur ad prędicandum Euangeliũ miſerit
duodecim Apoſtolos, & non plures, neq;
pauciores, & in fine mundi contra Anti-
chriſtũ duob' teſtibus cõtentus futurus
ſit? Sunt ergo futiles huiuſmodi obiecti
unculę: nam Deus *omnia operatur ſecundũ
conſilium voluntatis ſuæ.*

Quãquã recte cõſiderãti ſtatim multę 16.
rationes

rationes huius diuinæ prouidentiæ oc- A
Congruæ aliquot rationes, cur ... ius ſocius ... Eliæ ad- ... gendus.
currere poſſunt. In primo enim aduentu vnus tantum præcurſor miſſus eſt, quia ſolum ad vnum Iudæorum populum, & ad vnum terræ locum mittebatur, & eo tempore, quo adhuc ille populus in fide perſeuerabat, & prophetarum doctrinis erat inſtructus, ideoque vnus teſtis eximius, qui eſſet *lucerna ardens, & lucens*, viſus eſt ſufficiens. Elias autem mittendus eſt ad Eccleſiam per totum orbem iam diffuſam, & ex gentibus, ac Iudæis conſtantem, & eo tempore, quo vix inuenient fidem ſuper terram propter in- B gentem Antichriſti perſecutionem, & ideo ſocium aliquem habebit, qui eum ad ferendum iugum Euangelicæ prædicationis, & Chriſti defenſionis iuuet.
Apoc. 11.
Vt ſint duo candelabra in conſpectu Domini ſtantia, & vtrunque populum illuminantia; & duæ oliuæ, ex quibus maior abundantia gratiæ in tempore tantæ neceſsitatis Eccleſiæ communicetur. Itaque grauiſsimè Rex errat, de numero duorum teſtium dubitando, vel illum tanquam ratione carentem irridendo.

17.
Quis Eliæ ... adiungēdus, non ita compertū eſt.
Quis autem futurus ſit ille ſocius, nõ eſt tam exploratum, & certum, ſicut C quòd alter futurus ſit Elias. Vnde in eo, quod addit Rex, nullum Scripturæ locũ de reditu Enoch loqui: minus errat. Nã
Aret.
etiam Aretas Apocal. 11. ſuo cap. 30. dixit. *Quod Elias venturus ſit, manifeſtũ eſt; de Enoch vero teſtimonium quidem, quod ad aduentum ſpectet, ex Scriptura non habemus.* Vnde factum eſt, vt de hoc ſocio Eliæ variè ſenſerint Doctores catholici:
Victorin.
D. Hilar.
Victorin. enim Apocalyp. 11. opinatus eſt, Ieremiam cum Elia eſſe venturum, Hilar. autem canon. 20. in Matt. reprobata illa ſentẽtia Moyſem ſociauit Eliæ, cuius ſententiam aliqui moderni expo- D ſitores Matth. 17. ſequuti ſunt. Alij vero hoc munus prophetandi cum Elia tẽpore Antichriſti Ioanni Euangeliſta tribuunt cum Hypolito lib. de Conſumm. mundi.
Hypol.
Qui tamen nõ excludit Enoch, ſed tertium Ioannem adiũgit. Hoc vero fundameatum non habet, & ipſi Ioãni repugnat, qui duorum tantum teſtiũ mentionem facit. Neque abſolutè credibile eſt, Moyſem, Ieremiam, aut Ioanñe venturum eſſe cum Elia, quia nullum veſtigium, vel indicium eius rei in Scriptura habetur, & longe verius eſt, illos omnes mortuos eſſe, & cum Chriſto iam regnare, & ideo veriſimile non eſt illos eſſe iterum morituros, & de cælo 1. tom. 3. p. diſp. 55. ſect. 3.
ab ſtatu beatifico abſtrahendos, vt ad pugnandum cum Antichriſto deſcendant, vt latius alibi tractaui.

18.
Probabiliſsimũ eſt Eliæ ſociũ Enoch futurũ.
Supereſt, vt omnino aſſeramus, Enoch eſſe venturum ſimul cum Elia, vt ſit alter teſtis, & prædicator contra Antichriſtum. In hac enim affirmanda ſententia grauiſsimi Patres, & fere omnes conueniunt. Tertullian. lib. de Anima cap. 50. Auguſtin. lib. 9. Geneſ. ad liter cap. 6. & lib. 1. de Mirabilib. Sacræ Script. cap. 3. Ambroſ. 1. Corint. 4. Damaſcen. lib. 4. cap. 27. Beda, Anſel. & D. Thomas in Apocal. vbi etiã And. Cæſar. dicit, pleroſq; Doctorum hanc ſequi ſentẽtiam, & Aretas dicit, haberi ex traditione præconum Chriſti.
Tertul. *D. Aug.* *Damaſc.* *Beda.* *Anſelm.* *Thom.* *And. Cæſ.* *Aret.*
Et argumentum magnum eſt, quia Enoch mortuus non eſt, ſed translatus, vt Scriptura docet Geneſ. 5. vnde fit, aliquando eſſe moriturum, *quia ſtatutũ eſt hominibus ſemel mori*, à qua regula non poteſt cum fundamẽto excipi. Ergo veriſimillimum eſt, ad hunc finem reſeruari, vt cũ Elia veniat, & pro Chriſto moriatur.
Geneſ. 5. *Heb. 11.*

19.
Eccl. 44.
Fauent maxime verba Eccleſiaſtici
Accedũt verba Eccleſiaſ. 44. *Enoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam.* Quæ verba de paradiſo terreſtri intelliguntur à Patribus, vt ſupra retuli. Rex autem Angliæ contendit, ſufficienter ſic exponi, qui poſitus fuit in exẽplũ futuris hominibus, quo ad pœnitentiam agendam, & ſectandum Deũ incitarentur. Quam expoſitionem Theodoret. quæſt. 45. in Geneſ. tradidiſſe videtur. *Theodor.* Et poſſet tolerari, ſi alia nõ excluderetur, vel ſi multæ aliæ circunſtantiæ, aliquid amplius in verbis illis ſignificatum eſſe, interpetari non cogerent. Nam ſi ſolum in exemplum translatus eſſet, non certe in paradiſum terreſtrem, ſed in cæleſtem transferendus fuiſſet, nec in mortali corpore in terra ſeruandus, ſed gloria, & honore ſtatim coronandus. Deinde pauci profecto futuri erant, qui illo exemplo tam diſtanti, tamque abſcondito permouendi eſſent ad pœnitentiam; alius ergo modus commouendi homines ad pœnitentiã ibi prædicitur,

Denique in illa nota cauſali, *trãſlatus eſt, vt det gentibus* (ſeu generationibus vt habent Græca) ſatis indicatur, ex ſpeciali prouidentia reſeruatum eſſe ad excitandos homines aliquando ad virtutem, & pœnitentiam. Vnde probabile eſt, non ſine myſterio poſitum eſſe *gentibus*, quia Elias magis ad Iudæorum conuerſionẽ, Enoch verò ad reuocandos lapſos ex gẽtibus mittetur: Hoc ergo habet hæc aſſertio ſatis probabile in Scriptura fundamentum, quod Patrum authoritate, & coniectura confirmatum, niſi quis velit voluntariè tergiuerſari, & plus ſapere, quam oportet, rem ſatis credibilem, & moraliter certam efficit.

Elias ad Iudæos, Enoch ad gentiles conuertẽdos præcipuè deſtinabitur.

CAPVT. XV.

Antichriſti ſedem, & loco, & gradu longiſſime à Pontificis ſede diſtare.

1\. Romã Antichriſti ſedẽ eſſe Rex Iacobus ſuadere conatur.

De tempore aduentus Antichriſti, & conſequenter de teſtibus ad prædicandum contra ipſum venturis, ſatis (vt opinor) diſputatum eſt, ſequitur dicendum de Antichriſti ſede, quod eſt ſecundum membrum diſputationis Regis Angliæ, ſeu alter locus, vnde oſtendere nititur, Antichriſtum iam in ſede, ac throno ſuo ſedere. Videturq́; in hunc modum argumentari. Roma futura eſt ſedes Antichriſti, ergo magnum ſignum eſt, eum, qui nunc Romæ ſedet, eſſe Antichriſtũ. Veruntamen nec Rex ita expreſſe colligit, neque illatio vllius momenti eſſet. Duobus enim modis poteſt Antecedens illius argumentationis intelligi, vno modo de ſede ipſa Romani Pontificis, quatenus eſt Pontificius thronus, in quo dicatur ſeſſurus Antichriſtus; alio modo ſolum de loco Romanæ vrbis, ita vt in illa collocaturus ſit Antichriſtus thronum, & Regalem curiam imperij ſui. Non poteſt autem Antecedens illud in priori ſenſu intelligi, quia eſſet inutilis argumẽtatio, & petitio principij: nam illa eſt concluſio, quam Rex ſuadere conatur, nimirum Antichriſtum ſeſſurum eſſe; imo & iam ſedere in Pontificia, ſeu Romana ſede; ſi ergo in illo ſenſu Antecedens illud intelligeretur, pro fundamento, & principio argumentationis, probanda concluſio aſſumeretur, eſſetque ridicula argumentatio.

A

2\. De Roma ipſa, non de Pontificio throno loquitur.

Oportet ergo, vt Rex loquatur de loco ipſo Romanæ ciuitatis, & pro fundamento ſuæ rationis ſumat, Antichriſtũ collocaturum ſedem imperij ſui in illa ciuitate, vt inde colligat, Romanum Põtificem eſſe Antichriſtum, quia in eadẽ ciuitate ſedem Pontificatus ſui habet. Et ſic collectio quidem per ſe ſpectata friuola eſt, quia in eadem ciuitate poſſunt varij Principes, imperio, moribus, & titulo, ac modo regnandi valde diſsimiles, ſedes imperij ſui ſaltem diuerſis temporibus collocare. Neq; propterea inde inferri poteſt, vnum imperium eſſe aliud. Aliàs eodemmodo inferri poſſet, Conſtantinum fuiſſe Turcam, quia in eadem ciuitate Conſtantinopolitana ſui imperij ſedem collocauit, in qua poſtea Turca ſedet. Imo & inferri poſſet, Petrum, & ſucceſſores eius etiam ante Bonifaciũ fuiſſe Antichriſtum, quia ſedem ſuam in eadem Romana ciuitate habuerunt.

B

Quanuis autem hæc conditio habẽdi ſedem imperij in eadem ciuitate, non ſit ſatis, ad oſtendendum eſſe eundem, qui ſedet, neque habere propriè eandem ſedẽ, id eſt, eodem regnandi titulo, eadem vè poteſtate, ac dominatione, nihilominus eſt conditio neceſſaria, & ideo Rex cum ſuis Proteſtantibus maximè conatur oſtendere, conditionem hanc figendi ſedẽ Romæ, vero Antichriſto cõuenire, vt ex illa, adiunctis alijs inferãt, eum qui nunc ſedet in illa ciuitate eſſe Antichriſtũ. Cum autem ex hactenus dictis conſtet, cõditiones alias de tẽpore Antichriſti prædictas, in eũ, qui nunc ſedet, non conuenire, & in ſequentibus oſtendendum ſit, alias etiam qualitates, & proprietates de perſona Antichriſti reuelatas in Pontifice non reperiri, etiam ſi daremus, Romam futuram eſſe locum ſedis Antichriſti, nihil referret ad concludendum, Antichriſtum, aut veniſſe, aut eſſe Pontificẽ. Nihilominus tamen, quia etiam illud principium, ſcilicet, Antichriſtum Romæ ſeſſurum, falſum eſt, vt euidentius conſtet, quàm ſit vana fictio, & impoſtura de Antichriſtiana ſede Romæ collocata, vel collocanda, expendemus in hoc capite Regis probationes, oſtendemusque aſſertionem eius falſam eſſe, ſuiſq; principijs, & expoſitionibus 3.

C

D

Etſi Roma Antichriſti ſedes eſſet futura nõ inde rectè inferebatur, in ſede Petri ſeſſurum.

Apoca-

Apocalypſis repugnantẽ; poſtea vero de futura ſede Antichriſti pauca ſubijciem⁹,

4. *Præfat. pagin. 64.* *2. Theſ. 2.* Probationes Regis proponuntur.

Romanam ergo ciuitatẽ futuram eſſe locum ſedis Antichriſtianæ, probat Rex primo ex Paulo 2. ad Theſſalon. 2. dicente de Antichriſto: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, Id eſt,* (ait Rex) *in ſinu atq; adeo in penetralibus Eccleſiæ.* Et addit: *Iam vbi ſit Apoſtolica illa ſedes, cuilibet relinquo diuinandum, ſed & quis in ea ſedens pro Deo ſe ſe gerat, peccata condonans, fidei articulos definiens, omniũ hominũ cenſor, & iudex, ipſe à nemine iudicandus.* In quibus verbis hoc argumentũ virtute continetur. Antichriſtus ſedebit in Eccleſia, quæ eſt templum Dei; ergo ſedes eius erit in ſinu, & penetralibus Eccleſiæ, id eſt, in præcipuo, & (vt ſic dicam) in intimiori loco eius; ergo erit Romæ; ergo Apoſtolica ſedes, quæ ibi eſt, eſt ſedes Antichriſti. Probat virtute hanc vltimam illationem, *quoniam qui illic ſedet, oſtendit ſe tanquam ſit Deus.* Hactenus Rex.

5. Templi nomine an Eccleſiam Paulus intellexerit. *D. Hier.* *Hug. Eter* *Oecumen.*

In hoc ergo argumento in primis non hæremus in Antecedente prout à nobis propoſitum eſt, & virtute cõtinet expoſitionem, quod Paulus per templũ Dei Eccleſiã intellexerit. Nã hic ſenſus errorem non continet, ſed potius probabilis eſt: Hieronymus enim epiſt. 151. ad Algaſi. q. 11. ſenſum illum cæteris præfert, illũq; ſequitur Hugo Eter. lib de Regreſ. anim. cap. 23. & Oecumen. ibi, ita hunc ſenſum probat, vt alios excludat, dicens, *Non dicit templum, quod erat Hieroſolymis, ſed Eccleſiam Dei.* Alij vero Græci interdum inſinuant, Paulum non loqui ſolũ de templo Hieroſolymitano, ſed etiam de Eccleſijs Chriſti, indicantes, prius nõ excludere. In quam ſententiam citatur

D. Chryſ. Chryſoſt. 2. Theſſal. 2. dicens, *Iubebit, ſe in templo Dei collacari, non Hieroſolymitano ſolum, ſed etiam in Eccleſijs.* Ita enim vertit Muſculus in Veneta impreſsione anni 1549. in nouis autem editionibus Pariſienſibus anni 1581. & 1588. interprete Germano Herueto, non legitur particula *ſolum*, nec *Eccleſijs* in plurali, ſed in ſingulari, hoc modo. *Iubebit ipſum pro Deo adorare, & ſedebit in templo Dei, non quod eſt Hieroſolymis, ſed in templo Eccle-*

Theophyl. *ſiæ.* Theophylact⁹ autẽ aliter videtur legiſſe, vel expoſuiſſe Chryſoſtomum di-

A cens, *Non in templo ſpecialiter, quod eſt Hieroſolymis, ſed in Eccleſijs ſimpliciter, & omni diuino templo.* Apud Theodoretũ etiã non inuenio excluſiuam ſecundũ verſionem eiuſdem Germani Herueti, in Colonienſi editione anni 1573. ſed verba eius ſunt: *Templum Dei appellauit Eccleſias, in quibus primam ſedẽ arripiet.* In quibus verbis potius videtur tacite excludere templũ Hieroſolymitanũ, licet abſolute dicendo *Eccleſias*, omnes includat, & conſequenter etiam illas, quę Hieroſolymis fuerint. *Theodor.*

B Quocirca etiã Eccleſiam per templũ Dei intelligendo, duę, vel tres ſunt illius vocis expoſitiones. Vna, vt per Eccleſiam nõ materialis locus adorationis Dei, ſed formalis (vt ita dicam) Eccleſia, id eſt ipſa congregatio fidelium intelligatur. Et hanc indicat Hieronymus ſupra dicens, *Vel in Eccleſia; vt verius arbitramur, ſedebit, oſtendens ſe, tanquam ipſe ſit Chriſtus, & filius Dei.* Et idem ſignificat Matth. 24. exponens illud, *In loco Sancto, id eſt in Eccleſia.* Et certè verba Chryſoſtomi, quę retuli iuxta Heruetũ, ab hoc ſenſu aliena non ſunt. Et eundem

6. Per templũ cõgregatio fidelium ex poni poteſt. *D. Hier.* *Matt. 24.* *D. Chryſ.*

C ſenſum vt probabilem ponit Andr. in Apocalyp. cap. ſuo. 62. Alia expoſitio eſt, vt templũ Dei ſumatur pro materiali loco ſacrificij, & adorationis, quod *Eccleſiã* vocamus. Et hęc expoſitio poteſt ſubdiſtingui. Vnde ſecunda expoſitio erit, vt templũ Dei generaliter ſumatur pro Eccleſijs Chriſti, & ſpecialiter pro illis ſolis, ita vt templũ Hieroſolymitanum excludatur. Et hanc poſuit expreſſe Oecumen. & ab illa non diſcrepat Theodoret. licet excluſiuam expreſſe non poſuerit. Tertia erit, per templũ Dei intelligi omne diuinum templum, ſiue ſit in Eccleſia *Andr.*

2. Eccleſiæ excludendo templũ Hieroſolymitanum. *Oecum.* 3. Quilibet locus Dei cultui dicatus.

D Chriſti, ſiue in Synagoga. Et hanc tradit Theophylactus, & ſequitur Caietanus dicens, *Non determinatum templum, ſed quodlibet Deo dicatum ſignificari.* Ita vt templum Dei poſitum ſit ad excludendum tantum idolorum templa, vt voluit etiam Auguſtinus in lib. 20. de Ciuit. cap. 19. *Theodor.* *Theophyl.* *Caietan.* *D. Auguſ.*

Addit vero ibi Auguſtinus quartã expoſitionem, magis metaphoricam. Nam per templũ Dei intelligit ipſummet Antichriſtum, & ponderat, Græca non habere, *vt ſedeat in templo Dei, ſed in templũ*

7. D. Auguſt. ipſum Antichriſtum putat dictum Dei templũ

 Dei

Dei, id eſt, vt ſe gerat tanquam Dei templũ. Quod poteſt intelligi, vel de ipſa perſona Antichriſti, & ſic intelligendũ erit, non illo cõmuni modo, quo iuſti dicũtur templũ Dei, ſed alio ſingulari modo, quo ipſe haberi volet, vt verus Deus. Sicut dicitur in Chriſto habitare plenitudo diuinitatis corporaliter: & ita humanitas Chriſti, ſeu Chriſtus vt homo poteſt dici ſingulari modo tẽplum Dei. Vnde cũ Paulus ait: *Ita vt in tẽplo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus*, iuxta hanc expoſitionẽ, non ponit illa duo tanquam diuerſa, ſed poſterior pars eſt prioris explicatio, exhibebit enim ſe Antichriſtus in tẽplũ Dei, ſe ipſũ verum Deũ prędicando, & vt ſic adorandũ oſtentãs. Vel per Antichriſtũ intelligi poteſt, non ſola perſona Antichriſti, ſed ſimul cũ corpore myſtico ex prauis hominibꝰ, qui illũ ſequẽtur congregato: & ſic dicitur Antichriſtus ſedere in templo Dei, quia ſuam cõgregationem oſtentabit tanquam veram Dei Eccleſiã; in qua ipſe ſedebit tanquã Deus. Et hunc poſteriorem ſenſum magis ſequitur Auguſtinus.

2. Theſ. 2.

8. Optio datur quãlibet ex dictis expoſitionibus eligendi.

Si ergo Regi Angliæ placet, vt templum Dei in illo loco Pauli Eccleſiã ſignificet, non cõtendimus, eligat autẽ ipſe ex dictis expoſitionibus quã magis probet: nunc enim nihil noſtra refert, inter eas diiudicare, ſed ad rem ſolum ſpectat, breuiter oſtendere, nullam earum Proteſtantiũ aſſertioni, ſeu vanæ potius cogitationi poſſe deſeruire. Nam ſi Eccleſia per templum Dei ſignificata eſt fidelium congregatio, licet Antichriſtus in hac Eccleſia ſeſſurus ſit, oſtendens ſe tanquam ſit Deus, non ſequitur in Romana ciuitate collocaturum ſedem ſuam. Nam fidelium cõgregatio eſt per totum orbem diffuſa, & de ſe abſtrahit à materiali loco: vnde ſedere hoc modo in Eccleſia tanquam Deũ, nihil aliud eſt, quã in ipſa Chriſti Eccleſia, & ab his, qui fuerint membra eius pro Deo haberi, ac reputari. Quod verum eſſe poterit, ſiue Romæ, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Hieroſolymis contingat; imo ſiue in Europa, ſiue in Aſia eueniat. Oportet autem aduertere, congregationem illam, in qua Antichriſtus adorabitur vt Deus, vocari templum, vel Eccleſiam Dei, quia antequam per Antichriſtum peruerte-

A retur, erat templum, & Eccleſia Dei: ipſum autem pro Deo ſuſcipiendo, quoad eam partẽ facta erit Synagoga Satanæ, ſeu Antichriſtiana. Iuxta hunc ergo ſenſum nihil colligitur de Romana ciuitate, quod ſit futura ſedes Antichriſti. Imò aliunde euertitur blaſphemia dicentium, Pontificem ibi ſedentem eſſe Antichriſtum: nam (vt ait Hieronymus) *Antichriſtus ſedebit in Eccleſia, oſtendens ſe eſſe Chriſtum, & filium Dei*, Pontifex autem non ita ſedet, ſed vt miniſter Dei, & Chriſti Vicarius, & ſeruus ſeruorum Dei. Et hæc ratio fere eodem modo de B quarta expoſitione procedit, vt facile conſideranti patebit, nam expoſitio Auguſtini ad hoc etiam reuoluitur, vt per Eccleſiam hominum congregatio, non materialis locus deſignetur, eademq; nomine *templi Dei* ſignificetur.

D. Hier.

Si vero placeat, per Eccleſiam intelligere ſolas Chriſtianorum Eccleſias, cum Paulus indefinite de templo, ſeu Eccleſia Dei loquatur, nõ magis poteſt inferri ſeſſurum Antichriſtum in aliquo templo Romano, quam in conſtantinopolitano, vel Hieroſolymitano, aut alio ſimili. C Nec refert quod Rex addit, ſeſſurum Antichriſtũ *in ſinu, & penetralibus Eccleſiæ*, tum quia hæc verba non ſunt Pauli, ſed ipſe illa adiunxit de ſuo capite, ideoque pari facilitate contemnuntur. Tum etiam quia ſatis erat Anglia in ſinu, & penetralibus Eccleſiæ, & tamen Deo permittente, facta eſt ſedes Antichriſti: & Lutherus, ac Caluinus in medio quidem Eccleſiæ, ac ſubinde in ſinu, & penetralibus eius virus ſuum effuderunt, licet Romam euertere non potuerint. Dicet forte Rex, licet templum Dei indefinitè D poſitum fuerit, per antonomaſiam ſumptum eſſe pro Roma, vel Romano templo tanquam omnium præcipuo. Poſſetque iuuari verbis Theodoreti. ſecũdę Theſſalonic. 2. dicentis, *Templum Dei appellauit Eccleſias, in quibus primam ſedem arripiet*: nos enim dicimus, primam ſedem eſſe Romanam; illam ergo arripiet Antichriſtus. Sed illud etiam voluntarie dicitur, & ſine probatione. Et præterea facile reſpondebimus, ſeſſurum Antichriſtum non in templo, quod re vera pręcipuum eſt, ſed quod ipſe volet, & prædicabit eſſe præcipuum, credibilius

9. Ex Regis coniectura non magis ſequitur Antichriſtum in Romano quam in aliis templis ſeſſurum.

Inſtantia.

Reſponſio.

lius autem eſt, illud eſſe futurum in Iudæa potius, quam in Italia. Nam cum Antichriſtus ſe pro vero Chriſto, & Meſſia vendıtaturus ſit, caput Eccleſiæ ſuæ dicet eſſe Hieruſalem, non Romam, vt mox videbimus. Theodoretus autē per *primam ſedem* re vera non intellexit Romanam, neque aliquam ex primarijs Eccleſijs, ſed in vnaquaque Eccleſia, vel tēplo primarium locum, ac ſedem ſoli Deo debitam: vel loquutus eſt de prima ſede, non quæ nunc ſit, vel ſuo tempore erat, ſed quam ipſe Antichriſtus eriget. Atq; hic diſcurſus æquè procedit iuxta tertiã expoſitionem, quæ ſub nomine templi tam Iudaicum templum, quam Eccleſias Chriſtianorum complectitur: nam ſic magis ampla eſt, & indefinita Paulina propoſitio, ideòque minus poteſt ex ea inferri determinatus locus Romanæ ciuitatis.

10. Sinus Eccleſiæ ampliſſimus eſt, nec ſolū Romam includit.

Ex quibus etiam concluditur, fruſtra Regem diuinandum proponere, vbi ſit Apoſtolica ſedes: nam licet omnibus pateat, illam eſſe Romę, non ſequitur, Antichriſtum ibidem collocaturum ſedem ſuam, etiam ſi ſeſſurus ſit in ſinu Eccleſiæ. Quia ſinus Eccleſię ampliſsimus eſt, & boni, ac mali in illo exiſtunt, & vnus quidem legitime ſedet, alius per ambitionem, & tyrannidem caput Eccleſiæ fingitur. Præterquam quod (vt ſupra dicere cœperam) licet Antichriſtus Roma expelleret Pontificem, & ſuam ipſe ſedem ibi collocaret, non ſederet in eadem ſede, neque inde poſſet concludi, eum, qui nunc legitime ſedet, ita ſedere, ſicut Antichriſtus ſedebit. Nam qui nunc ſedet, non ſe Chriſtum, aut Meſsiam eſſe prædicat, ſicut prædicabit Antichriſtus.

Pontifex nō ſe Deū vēditat, ſed Chriſti Vicariū exhibet.

Quapropter vanum eſt, quod Rex ſubiungit, Pontificem pro Deo ſe gerere, *peccata condonando, &c.* Nam aliud eſt, vicem Dei gerere, & vt miniſtrum eius, modoq; ab ipſo inſtituto ſupernaturales effectus operari, & diuinam iuriſdictionem exercere: aliud verò eſt, ſe pro Deo gerere, ſe ipſum tanquam Deum credēdum, adorandumque proponere. Illud enim legitime facit Pōtifex, hoc autem poſterius erit proprium Antichriſti, vt Scripturæ docent, & Patres interpretãtur, & in capitibus ſequentibus fuſius declarabimus.

11. Altera Regis interpretatio ex Apocalypſi.

A Alteram probationē, quod Roma futura ſit ſedes Antichriſti, Rex aſſumit ex Apocalypſi, ſupponitq; ex cap. 13. Beſtiam, quam Ioannes vidit aſcendentem, habentemq; capita ſeptem, & cornua decem eſſe Antichriſtum. Deinde verò argumentum ſumit ex cap. 17. vbi Ioannes narrat, ſe vidiſſe mulierem meretricem ſedentem ſuper eandem beſtiã (vt Rex interpretatur) de qua muliere ſic Ioannes in fine capitis concludit. *Et mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ.* Et de eadē prius dixerat, *eius nomen eſſe Babylon magna*, & eodē modo illam appellat cap. 18. ergo *locus hic* (ait Rex) *perſpicue, & ſine vlla contradictione declarat, Romam eſſe, aut fore ſedem Antichriſti.* Probat illationem. *Primum quia nullus iam Papiſta inficiatur, Babylonis nomine ibi planiſsime Romam intelligi. Deinde hanc mulierem* (ait) *eſſe illum Antichriſtum, liquet ex tempore, quo vim ſuam, & operationem exercet, quod erit quadraginta duorum mēſium prout. 13. cap. habetur.*

Apoc. 13.

Apoc. 17.

B

Apoc. 18.

12. Mulier cū beſtia confundi nō debet.

Prius vero, quàm huic argumento reſpondeam, in his, & alijs Regis verbis aduerto, illum confundere mulierem cum

C beſtia, & è cōuerſo: nam mulierem dicit eſſe Romam, & Babylonem, eandemq; rurſus dicit eſſe Antichriſtū, & paulò inferius conſtare dicit, beſtiam ſeptem capitum eſſe Antichriſtum. Et tamen pag. 108. dicit beſtiã illam eſſe ciuitatē regiã. Et ſimiliter pag. 99. mulierem cū beſtia confundit, & nunc ciuitatem, nunc imperium eius, nunc Antichriſtum ſignificare dicit. Quæ confuſio & communi expoſitioni repugnat, & intelligentiæ lumen obfuſcat, nam ſi mulier, & Babylō eſt Roma, quomodo eſt Antichriſtus? aut quomodo inſidet beſtiæ, quæ dicitur

D eſſe Antichriſtus? Deinde in cap. 13. non dicitur poteſtas data mulieri per menſes 42. ſed beſtiæ; ergo inde non probatur, mulierem eſſe Antichriſtum, ſed beſtiã. Non debent ergo confundi: aliud enim mulier, aliud beſtia repræſentat, neque poteſt beſtia ſe ipſam portare. Neq; verò hoc dicimus, vt obiectionem vitemus, ſed vt verum ſenſum declaremus, viãq; paremus ad cauendas calumnias, quæ in illa confuſione, & æquiuocatione deliteſcunt, vt infra cap. 20. videbimus. Ob-

iectio autem in hunc modũ formari poteſt. Mulier fornicaria, quæ magna Babylonia nuncupatur, eſt Roma, & illa dicitur inſidere beſtiæ, id eſt, Antichriſto tanquam Principi, & fundamento ſuo; ergo Roma futura eſt Antichriſti ſedes. Probatur conſequẽtia, quia licet potius Princeps videatur ſedere in ciuitate, vbi habet ſolium, quàm ciuitas in ipſo, tamẽ etiã ciuitas ipſa dicitur ſedere ſuper Principis humeros, quatenus eius potentia, & virtute regitur, & conſeruatur. Sic ergo Roma viſa eſt ſedere ſuper beſtiam Antichriſtum; erit ergo ſedes eius.

13. Si mulier illa Roma eſt ethnica, nõ Chriſtiana eſt.

Apoc. 17.

De hac obiectione multa dici poſſent, niſi eſſent in ſuperioribus dicta. Poſſemus ergo facile obiectionem vitare dicendo, fornicariam illam in cap. 17. Apocalypſis à Ioãne viſam, non Romam, ſed mundum ſignificare, & beſtiam, cui inſidere viſa eſt, non Antichriſtum, ſed diabolum eſſe. Veruntamen ad reſpondendum Regi neceſſarium non eſt, probabiles, nedum magis receptas interpretationes negare. Concedimus ergo mulierem illam Romam ſignificare, non tamen Chriſtianam, ſed ethnicam, vt cap. 6. declaraui. Cum verò ſubſumitur, beſtiam, cui mulier inſidebat, eſſe Antichriſtum, reſpondemus, vel negandũ id eſſe, vel certe diſtinguendum, & ſano modo intelligendum. Nam illa beſtia dicitur habere ſeptem capita, quæ ibi exponuntur eſſe ſeptem Reges, quorum nullus eſt Antichriſtus, ſed alius, qui octauus eſſe dicitur, licet de ſeptem ſit, & vocatur ſpecialiter, *beſtia, quæ erat, & non eſt*, vt ſupra tractatum eſt. Igitur beſtia habens ſeptem capita, & cornua decem, nõ eſt adequatè (vt ſic dicam) Antichriſtus, ſed eſt ſucceſsio tyrannorum perſequẽtiũ Chriſtianos in Romano imperio, poſt quos ortus eſt Antichriſtus tanquã *cornu paruum de medio eorũ*, vt dicitur Dani. 7. Hinc ergo non recte infertur, Romã aliquãdo inſidere ſuper illũ Antichriſtum verum, & propriũ, ſed ſuper Imperatores Romanos ethnicos, Eccleſię perſecutores, & Antichriſtos typice, & per figuram, ſeu participationem. Horum ergo Imperatorum, ſeu Antichriſtorum fuit quidem Roma ſedes, quando tenebat imperium ſuper omnes Reges terrę, & erat ebria de ſanguine Martyrum, id eſt, quã-

Beſtia cui inequitat, non ſignificat Antichriſtum, ſed ſeriem tyrannorum Gentilium.

Daniel. 7.

A do erat Roma ethnica, non Chriſtiana.

Vnde ſi attentè conſideretur cap. 17. Apocalypſis, nunquam in illo ſignificatur, mulierem illam fornicariam viſam eſſe ſedẽtem ſuper illam beſtiam, quatenus proprium Antichriſtum, ſed ſolum quatenus tyrannos præcurſores eius, & Romanos imperatores ethnicos repræſentabat. Et ideò fortaſſe quando Ioãnes dicit, vidiſſe mulierem ſedentem ſuper beſtiam, ſolũ addit, *Habentẽ capita ſeptẽ, & cornua decẽ,* quia Antichriſtus nec eſt vnum ex illis ſeptem capitibus, nec de decem cornibus. Nam ipſe Ioãnes poſt-

14. Confirmatur, explicando verba Apocalypſis.

B quam dixerat, de ſeptẽ Regibus quinq; præceſsiſſe, & vnum eſſe, & alterum nõ dum veniſſe, ſed fuiſſe venturũ, & breui tempore duraturum, ſubiungit: *Et beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octaua eſt, & de ſeptẽ eſt, & in interitum vadit.* Et poſteà declarat, *decem cornua eſſe decem Reges, qui poteſtatem accipient poſt beſtiam, cui ſuam virtutem, & poteſtatem dabunt.* Deinceps verò de his ſubiungit, quod *odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & igne concremabunt*, vtique in hoc beſtiæ ſeruientes, cum qua *habent vnum conſilium,*

C *cuiq; ſuam virtutem tradent,* vt prius dixerat.

Vnde vlterius colligo, tantum abeſſe, vt dicat Ioannes, fornicariam ſediſſe ſuper illam beſtiam, quatenus verum, & proprium Antichriſtum adumbrabat, vt potius ſignificet, per ipſum, vel per Reges miniſtros eius eſſe deſtruendam. Ergo ex illa viſione non ſolum non liquet, nec colligi poteſt, Antichriſtum fixurũ ſui imperij ſedem Romæ, ſed potius cõtrarium non obſcurè probatur, cum per ipſum Antichriſtũ deſtruenda ſit. Quod

15. Ex eo loco colligi non poteſt Antichriſtum ſedem Romę fixuram.

D in cap. 18. multum confirmatur, maximè contra Regem Angliæ, qui verba illius capitis: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna,* de Romana ciuitate intelligit, & ita ex illius ſententia ibi deſcribitur deſolatio, & abolitio perpetua Romanę vrbis, vnde neceſſaria fere conſequutione infertur, illam Romę deſtructionem per Antichriſtum, & Reges illi ſubiectos faciendã eſſe. Primò ex verbis antecedẽtis capitis, quæ proximè retulimus. Secũdò ex ſequenti cap. 19. quia illud excidium Babyloniæ, quod cap. 18. deſcribitur, non

Apoc. 18.

Magis colligitur Romam ab Antichriſto euertendam.

Apoc. 19.

non eſt totius orbis conſummatio, & cõbuſtio, ſed cuiusdam particularis ciuitatis, iuxta illam interpretationem; erit ergo ante mundi finem. Et tamen ex cap. 19. colligitur, illud Babylonicum excidium prope finem mundi eſſe futurum, nam ſtatim poſt illud oſtenditur Chriſtus deſcendens ſuper equũ album, & cũ gladio ex vtraque parte acuto procedente ex ore eius, cæleſtibus exercitibus comitantibus ad perdendam beſtiam cũ Regibus, & exercitibus ſuis, qui occiſi ſunt in gladio *ſedẽtis ſuper equũ*; ergo illã Babylonicã deſtructionẽ per Antichriſtum, & exercitũ eius futurã eſſe ſatis cõſequenter intelligitur. Ergo inde euidẽter concluditur non eſſe futuram Romã ſedem Antichriſti.

16. Dilemmate idem probatur.

Tertio idem ita concluditur, nam ſi Roma eſt illomodo in fine mundi deſtruenda, vel id fiet per Antichriſtum, vel per alium; ſi per Antichriſtum, certe ſedes eius non erit, quia hæc duo inter ſe repugnant. Neque fingi poteſt, quod prius in illa fixurus ſit ſedem, ſi poſtea illam ſit deſtructurus; tum quia neque hoc habet fundamentum, neque veriſimilitudinem, tum quia monarchia Antichriſti non tanto tempore durabit, vt ad illam viciſsitudinem rerũ poſsit ſufficere, tum præterea, quia (vt ex cap. 17. colligitur) ex odio fornicariæ deſtruet illam per ſe, vel per Reges amicos ſuos; ergo à principio gerent hoſtile bellum contra illam: ergo cogitari non poteſt, quod prius ſit Roma futura ſedes Antichriſti, & poſtea per illum deſtruenda.

Alia pars dilemmatis.

Neque etiam dici poteſt deſtruenda per alium poſtquam Antichriſtus in illa ſedem ſuam fixerit, tum quia repugnat cũ verbis citatis ex cap. 17. vbi dicitur deſtruenda per Reges amicos beſtiæ, id eſt, Antichriſti, & executorum conſiliorũ eius. Tum etiam quia ex alijs locis Apocalypſeos, & ex Daniele, & Paulo conſtat, Antichriſtum à nullo puro homine eſſe ſuperandum, ſed ab ipſo Chriſto eſſe interficiendum, ergo ſi Antichriſtus ſemel ſedẽm ſuam Romæ collocaret, non eſſet Roma ab vllo hoſte Antichriſti deſtruenda, neque ab ipſo Chriſto ante generalem mundi conflagrationem, quia Chriſtus cum venerit ad Antichriſtum interficiendum, nullam deſtruet ciuitatem, neque hoc de illo legitur, ſed ſolum quod Antichriſtum, & pſeudoprophetam eius viuos in infernum mittet, & cæteros illorum ſocios in gladio ſuo occidet, Apocalyp. 17.

17. Concluſio.

Aſſertio ergo, quod Roma futura ſit Antichriſti ſedes, & à Rege non probatur, & dictis, ac expoſitionibus eius cõtraria eſt, & plane falſa. Denique eſt optima coniectura, quia Antichriſtus deſtructurus eſt Romanum imperium, & magno odio illud proſequuturus, vt etiã ex 17. cap. Apocalypſis colligitur, & ex 2. Theſſ. 2. & ex omnib⁹ Patribus, ergo nõ eſt veriſimile, collocaturũ eſſe Romæ ſedẽ ſuã, quia etiam Romanum nomen cum imperio ſuo cupiet extinguere.

Apoc. 17. 2. Theſ. 2.

CAPVT XVI.

Vbi futura ſit Antichriſti ſedes.

1. Certius eſt Antichriſti ſedem non futuram Romæ; quam vbi futura ſit.

LOngê quidem certius eſt, Romã non eſſe futuram ſedem Antichriſti, quam ſit certum, quis locus, vel ciuitas futura ſit, in qua thronum ſuum ſit collocaturus. Neque id mirum eſſe debet, quia in omnibus rebus obſcuris, quæ à cognitione humana longe diſtãt, facilius quid non ſit, quam quid ſit agnoſcitur. At nobis etiam non eſt tam neceſſarium, cognoſcere, vbi ſit Antichriſtus ſeſſurus, quam ſcire, non eſſe Romæ imperaturum, quia hoc poſterius ad hæreticos confundendos multum conducit; illud vero prius, licet ſit ignotum, vel incertum, non multum refert. Nihilominus tamen vt ex hac affirmatione negationem demonſtratam in ſuperiori capite in hoc ampliori authoritate confirmemus, quid in hoc puncto veriſimilius videatur, paucis proponemus.

2. Regiam Antichriſti [illegible]

Catholici ergo Doctores, veriſimillimum cenſent Hieruſalem futuram eſſe regalem ſedem Antichriſti, templumq; Hieroſolymitanum vtcunque per Antichriſtum inſtauratum futurum eſſe quaſi fundamentum, & caput falſæ religionis, quam Antichriſtus in mundum inducere conabitur. Quæ opinio ſine vlla dubitatione ex antiqua traditione deſcendit. Nam Irenæ. lib. 5. cap. 25. aperte dicit, Antichriſtum regnaturum in Hieruſalem. Lactant. lib. 7. cap.

D. Irenæ, Lactant.

Hypol. *D. Aug.* *Raban.* *D. Greg.*

cap. 15. & 17. dicit, regnaturum eſſe in Oriente, in eaque Aſiæ parte, quæ Syria vocatur, id eſt, in Iudæa. Hypol. in orat. de Conſummat. mundi, dicit Hieroſolymis ſeſſurum. Idem Auguſtinus, vel potius Rabanus tract. de Antichriſt. Gregor. Turonen. lib. 1. Hiſtor. Francor. in princip. *Antichriſtus* (ait) *primum circunciſionem inducet, ſe aſſerens Chriſtum, deinde in templo Hieroſolymitano ſtatuam ſuam collocabit,* &c. Idẽ Cyrill. catech. 15. Damaſ. lib. 4. cap. 27. Seuer. Sulpit. dialog. 2. de Sanct. Martin. & omnes exponentes Scripturas ſtatim tractandas. Tantus autem Patrum conſenſus non potuit certe in ſola humana ſuſpicione, aut opinione fundari, cum ſit de re futura contingente, & ex diuina prouidentia, ac permiſsione maxime pendente; ergo credendum eſt, manaſſe ex communi intelligentia ſcripturarum: ſunt enim in Scriptura multa teſtimonia, quæ hoc ſignificant, tamen quia prophetica, & obſcura ſunt, ex traditione aliqua verum illorum ſenſum Patres colligiſſe videtur.

D. Cyril. *D. Dam.* *Seu. Sulp.*

3. D. Pauli teſtimonium maxime fauet. *2. Theſſ. 2.*

Duo autem videntur eſſe præcipua teſtimonia, quibus hæc veritas confirmatur, quæ nunc expendemus, & obiter alia teſtimonia, & rationes, ſeu congruẽtias attingemus. Primum teſtimonium eſt illud Pauli, quo Rex vtebatur: *Ita vt in templo Dei ſedeat.* Nam Paulum ibi loqui de templo Hieroſolymitano longe veriſimilius eſt. Primum enim ita exponunt frequentius antiqui Patres, Iren. lib. 5. cap. 25. *Transferet* (inquit) *regnum ſuũ in Hieruſalẽ, & in templo Dei ſedebit, ſeducens eos, qui adorabunt eum, quaſi ipſe ſit Chriſtus.* Et ca. 30. *ſedebit* (ait) *in tẽplo Hieroſolymis.* Idem Hypolit. in orat. de Conſummat. mundi, Ephrem orat. de Antichriſt. p. 3. *Honorabit* (inquit) *Iudæos ſupra modum, & Iudæorum populi ipſum maximè honore afficiẽt. Vnde & ipſe tanquam eos honore præferens, deſignabit ipſis omnibus locum ſuum, ac tẽplum, ſuamque illud inſtaurandi prouidentiam.* Idem Cyrillus Hieroſolymitan. cateches. 15. Damaſc. lib. 4. c. 27. exponens Paulum, ait, *Porro Dei templum non noſtrum intelligit, ſed iudaicum, non enim nobis, ſed Iudæis veniet.* Ita etiam interpretantur locum Pauli Sedulius, Haymo. D. Thomas, & alij communiter. Et poteſt ita ſuaderi.

D. Iren. *D. Hypol.* *Ephrem.* *D. Cyril.* *Damaſ.* *Sedul.* *Haymo.* *D. Thom.*

A Nam veriſimilius eſt, loqui Paulum de templo materiali, quod eſt locus adorationis, & ſacrificij, quam de templo metaphorico Eccleſiæ, vel animi humani; tum quia illa ſignificatio vocis tẽpli eſt magis propria, magiſque vſitata, faciliuſque poterat à fidelibus intelligi, quos tunc Paulus inſtruere volebat; tũm etiã quia ſine dubio alludit ad verba Chriſti Matt. 24. Cum videritis *abominationem ſtantem in loco ſancto.* Vbi non eſt dubiũ, quin Chriſtus de materiali templo loquatur. Tunc autem quãdo Paulus ſcribebat, ſolum templum Hieroſolymitanum *templum Dei* quaſi per antonomaſiam â fidelibus vocabatur, quia tunc vel nondum incæperant Chriſtiana templa, vel non hac voce appellabantur, vt ex antiquis Patribus conſtat. Neq; in alia ſignificatione inuenitur in Scriptura, & præſertim in nouo teſtamento vox illa *templi Dei* in proprietate ſua, & prout locum ſacrificij ſignificat; ergo veriſimilius eſt, in eadem ſignificatione Paulum illa voce vſum fuiſſe.

Probabilius eſt D. Paulũ loqui de tẽplo Hieroſolymitano quam de Eccleſia.

Matt. 24.

B

4. Confirmatur hoc teſtimoniũ ex alio Matt. 24. vbi Chriſtus ait: *Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto,* ibi enim per locum ſanctum templum Hieroſolymitanum intellexiſſe teſtes ſunt omnes, qui de ſtatua, ſeu imagine Cæſaris locum interpretantur, vt Chryſoſt. Hom. 76. Theophyl. ibi, Item Hilar. can. 25. in Matt. dicens, *De Antichriſti temporibus hæc loquutus eſt.* Et infra. *Atque à Iudæis ſuſceptus in loco ſanctificationis inſiſtet, vt vbi ſanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis ſit.* Ambroſ. etiam lib. 10. in cap. 21. Lucæ, de *templo interiori Iudæorum* exponit. Et eundem ſenſum indicauit ibi Hieronymus, cum dixit, verba Chriſti poſſe intelligi, aut ſimpliciter de Antichriſto, aut de imagine Cæſaris, quam in templo poſuit Pilatus, aut de ſtatua Adriani, quæ in Sancto ſanctorum loco poſita fuit; intellexit ergo Hieronymus illum locum Sanctũ eſſe templum & Sanctaſanctorum, & tamen ibidem ait, de eodem loco Paulum loqui. 2. Theſſal. 2. Vtrumque autem optimè confirmatur ex loco Daniel. 9. *Et erit in templo abominatio deſolationis,* quidquid enim ibi per abominationem deſo-

Matt. 24. Procedens expoſitio ex Matthæ. cõfirmatur

C

D. Chryſ. *Theophy.* *D. Amb.*

D

D. Hier. *2. Theſſ. 2.* *Dan. 9.*

deſolationis ſignificetur, dubitari non poteſt, quin templum Hieroſolymitanũ Daniel intellexerit, nullum enim aliud templum Dei veri tunc erat, nec de alio eſt ſermo in teſtamento veteri; At Chriſtus Dominus locum Danielis allegat, ergo idem templum per locum ſanctum intellexit: Paulus autem ad vtrunque alludit; ergo de eodem templo loquitur, de quo Daniel, vt recte notauit Origen. lib. 6. contra Celſum circa medium.

Origen.

5. *Apoc. 11.* Aliud teſtimonium ex Apocalypſi noſtram ſententiam corroborat.

Secũdum principale teſtimonium eſt Apocalyp. 11. vbi dicitur, teſtes prædicaturos contra Antichriſtum interficiẽdos eſſe *in ciuitate magna, vbi Dominus eorum crucifixus eſt*, id eſt Hieroſolymis, interficientur autem ab Antichriſto, vt ibidem dicitur, & ibidem Antichriſtus ipſe interficiẽdus eſt; ergo lõge veriſimilius eſt, ibi præcipuè regnaturum eſſe Antichriſtum. Sic Andr. in illum locum ſuo cap. 30. *In hac namq; ciuitate* (ait) *ad imitationem Dauidi regni ſedem* (*vt probabile fit*) *conſtituet.* Idem cap. 62. cum maiori dubitatione. Clarius Aret. cap. 30. *Corpora* (inquit) *illorum inſepulta proijciet in plateis Hieruſalẽ, in ea enim regnabit tãquam Rex Iudæorum, quos ſeducet.* Et eodem modo locum illum de ciuitate Hieruſalem intellexerunt reliqui expoſitores antiqui, & moderni in illum locum, multiq; alij Patres docuerunt, Eliam, & Enoch in Hieruſalem eſſe ab Antichriſto occidendos, quod non niſi ex hoc loco ſumpſerunt. Vnde ſatis probabiliter colligitur, ciuitatem illam futuram eſſe Regiam Antichriſti, ideò enim in illa potius, quàm in alijs teſtes Chriſti conſtanter prædicabunt, quia caput ſuperſtitionis erit, ſicut olim Petrus, & Paulus in Romana vrbe, quæ caput erat ethnici imperij, præcipue docere ſtuduerunt: vnde ſicut ipſi martyrio ibi coronati ſunt, ita etiam Enoch, & Elias interficientur ab Antichriſto in ciuitate ſua Regia Hieruſalem. Cum enim Iudæus futurus ſit, & pro Meſsia à Iudæis ſuſcipiendus, & adorandus, vt paulò poſt dicemus, per ſe veriſimile eſt, poſtquam in Oriente monarchiam vſurpauerit, in ciuitate Regia Iudæorum, quam ipſe inſtaurabit, ſoliũ ſuum collocaturum. Illa ergo ciuitas ab Antichriſto inſtaurata, & aucta ibi à Ioãne *ciuitas magna* vocatur, vel certe *magna*, quia in ea magna, & mirabilia contigerunt, quia vero fide, & moribus corruptiſsima erit illo tempore, ideò *ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus* in eodem loco à Ioanne appellatur.

Andr.

Aret.

Enoch, & Elias Hieroſolymis occidendi ſũt.

6. Rex Iacob. ciuitatẽ magnã contendit Romam ſignificatã eſſe.

Apoc. 11. Prima eius cõfirmatio.

At verò Rex Angliæ, non obſtante dictorum verborum euidentia, Romam à Ioanne illis verbis ſignificatam eſſe cõtendit. Et primo aduertit, cùm Ioannes dixit: *Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus*, illud verbum *ſpiritualiter* tam Hieroſolymis, quàm Sodomæ, & Ægypto tribui, vt credatur, non eſſe ſermonem de Hieruſalem materiali, ſed myſtica, per quam Romam intelligit. Deinde expendit, poſt prædicta verba Ioannem non addidiſſe ſimpliciter, *vbi Dominus eorum crucifixus eſt*, ſed interpoſita particula *Et*, *vbi & Dominus eorum, & cæt.* & ita exponit: *Sedes Antichriſti tam plena futura eſt ſpiritualibus fornicationibus, & idololatrijs, atque olim fuerunt Sodoma, & Aegyptus, imò perſecutione Sãctorum tam cruenta, vt in ea iterum Chriſtus ſit crucifigendus in membris ſuis*, iuxta regulam vulgarem vt quæ in corpore, & membris fiunt, capiti tribuantur. Tertio expoſitionem hanc confirmat ex verbis Ioannis cap. 18. in fine, vbi de myſtica Babylone dicit. *Et in ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terra.* Nam ſub illa diſtributione *omnium* Chriſtum etiam cõprehendi vult, quia ille interfectus eſt in terra. Vnde videtur colligere, etiam Chriſtum dici Romæ interfectum.

Secunda.

Tertia.

Apoc. 18.

Tandemque addit, poſſe dici Romæ occiſum Chriſtum, quia authoritate Romani imperij occiſus fuit, & tanquã reus in Imperatorem Romanum, *ita vt qui illum excuſare niteretur, Cæſaris amicus non haberetur.* Poteſtq; hæc interpretatio iuuari, quia nonnulli Catholici non intelligunt in proprio ſenſu verba illa. Nam Hieronymus epiſt. 7. multis argumentis perſuadere conatur, ibi non eſſe ſermonem de ciuitate propria Hieruſalẽ. Primùm quia in initio eiuſdem capitis. 11. vocat Ioannes Hieruſalem *ciuitatẽ ſanctam*, dicens: *Et ciuitatem ſanctam conculcabunt menſibus. 42.* Deinde quia in Scriptura ſacra non ciuitas ſpecialis, ſed mundus ſolet ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus

7. Contendit etiam dici poſſe Chriſtum Romę occiſum.

Ioan. 19.

D. Hier.

Apoc. 11.

Lyran.

tus appellari, & ita concludit ciuitatem illam eſſe mundum. Lyranus verò in illum locum per ciuitatem illam magnā, cōgregationem infidelium intelligit; ergo ſi licet à proprio verborum ſenſu recedere, non erit, cur interpretatio Regis probabilis non videatur.

8.

Primæ Regis probationi occurritur.

Reſpondemus in primis ea, quæ Rex aduertit, leuia eſſe, vel ad ſuam expoſitionem ſuadendam, vel ad veritatē euertendam. Nam quod primo notat, aduerbium illud *ſpiritualiter*, non ſolum Sodomæ, & Ægypto, ſed etiam Hieroſolymis tribui; manifeſte falſum eſt, & contra literam. Quia in primis non ponitur ibi nomen Hieruſalem, vt ſpiritualiter accipi notetur, ſed per periphraſim deſcribitur: per alia nomina metaphorica, quibus eius viles, & fœdæ proprietates notantur, & per mortem Domini, quæ in ea contigit, & ita non apparet, quomodo illud aduerbium *ſpiritualiter* ibi potuerit Hieruſalem tribui. Deinde id ſit manifeſtius, ordinem verborum notando, quę ſic habent: *Corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Aegyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Vbi clare conſtat vocem *ſpiritualiter* non coniungi cum *ciuitate magna*, nec poni ad indicandum, non propriè, ſed metaphoricè vocari ciuitatem, aut magnam, ſed coniungi cum verbo *vocatur*, & poni ad explicandum, quomodo illa ciuitas vocetur *Sodoma, & Aegyptus*, vtique myſticè, & non propriè; extrahit ergo à propria ſignificatione voces (vt ſic dicam) in prædicato propoſitionis poſitas, non ſubiectum ipſum, cui illa metaphorica prædicata tribuuntur. Neque etiam poteſt coniungi vox illa *ſpiritualiter*, cum poſterioribus verbis: *Vbi & Dominus eorum crucifixus eſt*, quia illa iam eſt quaſi noua propoſitio, indicans, illam ciuitatem magnam per aliam conditionem, ſeu proprietatē eius valde diuerſam, cui verbum *ſpiritualiter* ibi nō tribuitur, niſi quis velit ſuum arbitrium verba peruertere. Ergo verbū *ſpiritualiter*, nullo modo tribuitur Hieroſolymis, quia neque ſub hac ipſa voce, neque ſub periphraſi, ſeu deſcriptione de illa dicitur. Atque ita concluditur, ex vi illius contextus propter vocem illam *ſpiritualiter* non poſſe ibi metaphoricè

Vox Spiritualiter, in Ioannis teſtimonio, quomodò intelligenda.

Apoc. 11.

Vox illa Sodomæ, & Aegypto applicatur.

A intelligi, niſi nomina Sodomæ, & Aegypti, & in hoc conueniunt Hieronymus, & Lyran. ſuprà allegati cum expoſitoribus omnibus.

D. Hier. *Lyran.*

In his autem, quæ ſecundo loco Rex notat particula *Et*, quam Rex ponderat, nihil veritati obſtat, ſenſus enim literalis, & clarus eſt, ciuitatem illam non ſolum eſſe ſpiritualiter Sodomam, & Aegyptum, ſed etiam in illa cōmiſſum eſſe illud horrendum facinus occidendi Chriſtū. Vnde libenter accipimus quod Rex ibi fatetur, ſermonem ibi eſſe de ciuitate illa, in qua erit ſedes Regia Antichriſti. B Item admittimus, quod addit, futuram eſſe plenam tenebris, & fornicationibus, vel ſpiritualibus, vel carnalibus, ob quas Sodoma, & Aegyptus appellatur. Quā verò ſubiungit interpretationē, vt Chriſtus non in ſe, ſed in ſuis membris crucifixus ibi dicatur, omnino reijcimus, & improbamus. Nam licèt illa regula interpretandi Scripturas de Domino, & eius corpore trita ſit, tamen, vt ait Auguſtinus illam explicans, *Quid corpori, quid capiti conueniat, vtiq; intelligendum eſt.* Quia licet regula in ſe, ac generatim ſumpta vera ſit, in mala eius applicatione, ſine delectu, & intellectu facta, grauiſsimè errari poteſt. Quod ſine dubio Regi non ſolum in hoc puncto, ſed etiā in toto hoc diſcurſu de Antichriſto, imò etiam in alijs fidei dogmatibus, & in abuſu aliarum regularum interpretandi Scripturas ſæpe contingit, vt aliquoties iam in ſuperioribus notauimus. Et in præſenti eſt manifeſtum, primo quia ibi nulla eſt neceſsitas talis regulæ, vel metaphoræ, & illa non eſt applicanda, neque affingenda ſine fundamento. Secundo quia verba non iuuant, ſed potius repugnant, cum enim dicitur *Dominus eorum*, expreſſe diſtinguitur caput à membris, & ab illis membris, qui pro ipſo interfecti fuerunt. Tertio quia verba illa, *Vbi & Dominus*, ponuntur ad deſignandam ciuitatem magnam, de qua erat ſermo, & diſtinguendam illam à cæteris; ſi autem ſit ſermo de capite in membris, inutile eſt ſignum, quia nec tantum Hieroſolymis, nec tantum Romæ, ſed per vniuerſum mundum, & fere in omnibus vrbibus eius Chriſtus eſt in ſuis membris crucifixus. Denique nullus expoſitorum

9. Secūdæ Regis confirmationi ſatisfit.

Locus ille intelligendus de Ciuitate, in qua Chriſtus in ſe, nō ſuis in membris, occiſus eſt.

Auguſt. 3. de Doctri. Chriſtian. cap. 31.

C

Cōfirmatur primo.

Secundo.

D

Tertio.

ſitorum ita locum illum intellexit, neq; Hieronymus, aut Lyranus ſupra, neque aliquis ex Patribus.

10. *At tertiam hanc confirmationẽ reſpondetur. Beda.*

Confirmatione, quam tertio loco Rex addidit ex c. 18. Apocalypſis, maxime moti ſunt Beda, & alij, qui dixerunt, Babylonem in illo capite non ciuitatem aliquam ſpecialem, ſed vniuerſum mundũ ſignificare, quam expoſitionẽ valde probabilem eſſe ſupra oſtenſum eſt: illa autẽ poſita ceſſat obiectio. Supponendo autẽ illam Babylonem eſſe Romam, argumẽtum Regis parui momenti eſt: nam ſi ex illis verbis, *Sanguis omniũ, &c.* colligi putat, etiam Chriſtum interfectũ eſſe Romæ, & ideò exponit eſſe occiſum in mẽbris ſuis; ergo Abel, & Machabęi martyres, item Stephanus, Andreas, & omnes Apoſtoli Romæ interfecti ſunt, nam illi etia interfecti ſunt in terra. At non ſunt interfecti Romę in proprijs perſonis, nec in mẽbris ſuis, quia Abel, aut alius ſimilis non fuit caput Martyrũ, nec in eis locũ habet regula de capite, & corpore; quomodo ergo omnes illi Romæ interfecti ſunt? Quod ergo Rex de alijs reſponderit, nos de Chriſto reſpõdebimus. Multóq; facilius, & probabilius, quia non eſt neceſſe illam diſtributionem intelligere de omnibus Sanctis à principio mundi interfectis, ſed de illis, qui per tyrannos perſequentes Chriſti Eccleſiam interfecti ſunt, & ita non eſt neceſſe ſub illis comprehendere Chriſtum.

11. *Romæ dicitur inueniri ſãguis eorum Martyrum, qui eius authoritate vel approbatione occiſi ſunt. Riber. Vieg.*

Dices ſaltem neceſſarium videri omnes Martyres noui teſtamenti comprehendi. Propter hoc reſpondent docti expoſitores moderni, ſenſum non eſſe, omnes Sanctos interfectos eſſe Romæ, ſed dici in ea inueniri ſanguinem omnium Martyrum, quia Romana potentia, & authoritate interfecti ſunt, quotquot vbique pro Chriſto interfecti fuerunt, maximè vſque ad tempora Ioannis. Poteſtque expoſitio hæc ſatis in litera fundari, ſic enim habet: *In ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inuentus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terra.* Vbi pondero particulam illam *in terra*, in hoc enim poſteriori loco non dixit *in ea*, id eſt, in Babylone, ſed *in terra*, id eſt, vbiq; in mundo; ergo non dicit, omnes eſſe Romæ interfectos, ſed omnium vbique interfectorum ſan guinem Romæ attribui. Sed inſtabit aliquis, quia etiam hoc modo non omnes Martyres Romanorum Imperatorum, aut Magiſtratuum ipſorum, opera interfecti ſunt. Nam Stephanus interfectus eſt à Iudæis populari impetu, aut propria authoritate, multi etiam in Perſide, & alijs locis extra Romanum imperium interfecti ſunt. Reſpondetur inprimis, hos paucos eſſe eorumque non haberi rationem, neque eſſe neceſſarium, vt vniuerſales ſermones Scripturę ſine vlla exceptione ſemper intelligantur. Vel dici etiam poteſt, omnium pro Chriſto interfectorum ſanguinem Romæ inueniri, quia omnium martyria Roma ſuo exẽplo approbauit, & omnibus tyrãnis exemplũ, & animos præbuit ad perſequendum Chriſtianos, ac denique quia vel omnium mortibus cooperata eſt, vel affectu ſuo conſenſit, & ita particeps facta eſt interfectionis omnium.

12. *Etſi Chriſtus Romana authoritate ſit occiſus, violẽter ex locis verbis dicitur Romę occiſus.*

Atque hæc omnia optime in Chriſti mortem conueniunt, ſicq; melius accõmodantur, quæ Rex vltimo loco in ſua interpretatione dicit, Chriſtum dici interfectum Romæ, quia Romani Imperatoris authoritate interfectus eſt. Hoc enim violentiſſimè accõmodatur ad verba Ioannis cap. 11. Nam ibi non agit de authoritate, ſed de loco, *Vbi Dominus eorum crucifixus eſt*, vt verba ipſa oſtendũt, & occaſio, propter quam adiuncta fuere, vtique ad ſignum exhibendum, quo intelligeretur, de qua ciuitate ſermo eſſet, ad quem finem parum deſeruit, aut authoritatem, aut potentiam, qua Chriſtus occiſus eſt, noſſe: potuit enim in toto orbe Romano, & in quacunqne eius ciuitate interfici, etiam ſi authoritate Imperatoris necaretur. At verò in cap. 18. *Apoc. 18.* omnes illi interfecti, ſub quibus Rex vult Chriſtum comprehendi, non dicũtur interfecti Babylone, ſed *in terra*, ſanguis autem omnium dicitur eſſe Babylone, ſeu Romæ, vtique per participationem, authoritatem, cooperationem, ſeu conſenſum, vt dictũ eſt. Hoc autẽ modo etiã ſanguis Chriſti non in membris tãtum, ſed etiã in ſua perſona Romæ inuentus eſt, vel propter rationem Regis, quia per Romanos milites, & Magiſtratum, & quaſi in defenſionem authoritatis Cæſaris interfectus eſt, vel certe quia

Romæ eſt ſanguis martyrum, qui Romæ non ſunt occiſi.

Romani Imperatores perſequendo, & A
occidendo Chriſtianos, maximum in Chriſtum odium profitebātur, & ita interfectionis eius participes fiebant. Rex ergo ſua illa interpretatione ſoluit quidem propriam obiectionem, quam in præcedenti confirmatione poſuerat: nō verò exponit, ſed corrumpit verba capitis 11. quæ tractamus.

13. D. Hieron. explicatur. Ad Hieronymū reſpondemus in primis, non fauere Regi, quia non de Roma, ſed de toto mundo locum interpretatur. Et nihilominus dicimus, etiam illam interpretationem non probari à nobis, quia eſt à verbis, & à mente ſcribentis aliena, vt explicatum eſt, cenſentque viri docti, Hieronymum ibi non tam in propria perſona, quàm nomine Paulæ, & Euſtochij loqui, eaq; proponere, quę ad Hieruſalem cōmendandam, & ab ignominia vindicandam illæ conferre putabant, non expendendo, nec examinādo rigoroſè veritatem eorum, quæ dicebantur. Nec rationes Hieronymi cogūt, tum quia eadem ciuitas diuerſis reſpectibus, vel temporibus ſancta, & iniqua nūcupatur, vt eſt frequens in Scriptura; tū etiam quia probabile eſt, *ciuitatem ſanctam*, de qua Ioannes loquitur in initio illius capitis, non eſſe eandem cum *ciuitate magna*, de qua in fine loquitur, nam prior eſt Eccleſia Chriſti, poſterior verò eſt Hieruſalem. Nec eſt inuſitatum in Scriptura, Hieruſalem comparari Sodomæ, vt ibi latè expoſitores oſtendunt, & licet alibi factum non eſſet, hoc non obſtaret, quominus Ioannes præuidens futurum Hieroſolymitanū ſtatum ſub tēpore Antichriſti, eam cōparationem faceret, illaq; metaphora vteretur. Nā etiā Roma in antiqua Scriptura non inuenitur Babylon appellata, & tamen Petrus, & Ioannes nomen illud per metaphorā impoſuerunt. Denique idem Hieronymus Daniel. 11. in fine ex profeſſo docet, Antichriſtum Hieroſolymis collocaturum eſſe ſolium regni ſui, & ibi in monte Sion eſſe à Chriſto interficiendū. Et in hunc ſenſum exponit latè locum illum Danielis, quem ſenſum, vt ipſe ait, *prolixe proſequutus eſt, vt oſtenderet Porphyrij calumniam, & Scripturæ difficultatem, cuius intelligentia abſque Dei gratia, & doctrina maiorum ſibi imperitiſſimi, vel maximè vendicant*. Quæ verba ideò refero, vt meam etiam in hoc libro prolixitatem eiſdem excuſem.

In Apocalypſi ciuitas Sācta & magna, diuerſæ ſunt.

Alibi Hieronymus ſuā mentē clarius expreſſit.

CAPVT XVII.

Ex deſcriptione perſonæ Antichriſti, quam Paulus tradit. 2. ad Theſſalon. 2. illum Pontificis aduerſarium maximum potius, quàm Papam eſſe futurum, euidenter oſtenditur.

HOc eſt tertium caput diſputationis, quā Rex de Antichriſto propoſuit. Qui ſtatim in eiuſdem diſputationis initio inducit deſcriptionem B perſonæ Antichriſti traditam à Paulo. 2. ad Theſſal. 2. *Homo peccati, filius perditionis, qui extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus.* In qua omiſsis duabus prioribus particulis, ſolum tertiam expēdit, & illā Pontifici accōmodat, vt illum Antichriſtianiſmi arguat. Et in hunc fere modum colligit: Papa ſe extollit ſupra omne, quod dicitur Deus; ergo eſt Antichriſtus. Antecedens patet, nam de Regibus, vel ſacerdotibus, vel de vtriſq; ait Deus. *Ego dixi, Dij eſtis*, Pſal. 82. At Papa ſe extollit ſupra omnes Reges, & Epiſcopos, C nam *ſuper vtriuſq; gladij poteſtatem hodie ſe effert*. Ergo extollit ſe ſupra omne, quod dicitur Deus, ac proinde eſt Antichriſtus. Neq; in eo loco in verbis Pauli proprietatem aliā, vnde Antichriſti perſona deſcribi, ſeu cognoſci poſsit, conſiderare voluit, ſed poſt longā digreſsionē de ſede, & tēpore Antichriſti, in pag. 102. ad deſcriptionē perſonæ illius reuertitur, eāq; non ex locis clarioribus Scripturæ, ſed ex obſcuriſsimis Apocalypſis viſionibus eruere conatur. Sed prius quā ad illa obſcuriora, minuſq; vtilia neceſsitate coacti cū illo diuertamur, circa hūc D locum Pauli inſiſtendum eſt. Quoniam ex eo euidenter conſtare poteſt, talem deſcribi Antichriſti perſonam, vt nō ſolū à Pontifice Romano diſtinctus, ſe etiā fide, & moribus omnino diuerſus, & oppoſitus, ac denique ſummus Apoſtolicæ ſedis hoſtis, & aduerſarius cogitādus ſit.

1. Præfat. pag. 64.

2. Theſſ. 2.

Sūmum ... tit. Antichriſtū eſſe Rex Iacobus colligit.

Pſal. 82.

Ex eodem Pauli loco Regis commentū aperte conuincitur.

Et in primis expendo verba priora, quæ Rex omiſit. *Homo peccati, filius perditionis*. Nam per hæc verba deſcribitur ille homo vt iniquiſsimus, & quòd perditiſsimus ſit futurus. Quod paulò poſt

2. Antichriſt. erit homo peccati, id eſt, peccatis omnibus coopertus.

poſt apertius idem Apoſtolus explicuit, A

2.Theſſ.2. dicens: *Ille iniquus, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ, & in omni ſeductione iniquitatis.* Vnde Chryſoſtom.

D.Chryſ. ibi Homil.3. *Vocat eum hominem peccati, quia faciet innumerabilia, & procurabit, vt alij faciant terribilia.* Et Theodor.

Theodor. *Ipſum* (inquit) *hominem peccati appellauit, quandoquidem, natura homo eſt, qui omnem operationem diaboli in ſe ſuſcipit. Filius autem perditionis, vt & ipſe pereat, & alijs perditionem procuret.* Vnde in hoc dicit Chriſtum æmulaturum, vt ſicut Chriſtus omnium fuit cauſa ſalutis, ita ipſe ſit author B

Theophy. perditionis omniũ. Theophyl. *Hominẽ peccati illũ ipſum vocat, vt qui omne peccatorum genus peracturus ſit, & alios ad pecca*

Oecum. D.Cyril. *tum ſupplantaturus.* Similia habet ibi Oecumenius, eiſdẽq; coloribus Antichriſtũ depingunt Cyrill. catech. 15. *Iudæos* (ait) *decipiet, eoſq; omni genere inhumanitatis, & malis circunſcribet, ita vt omnes, qui ante illũ improbi, & impij fuerint, excellat malitia.* Et ſanctus Ephr. ſerm. de Antichriſ-

Ephrem. to. *Enomet draco in eũ vniuerſam ſuã amaritudinẽ cum omni ſua malitia, propinabitq. fraudulenter latens in ſe lethiferum virus.* Et ſimilia habet Damaſcen. lib. 4. ca. 27. C

Damaſc. & alij qui de Antichriſto ſcribũt, vel expreſſe, vel tacite ita verba Pauli interpretando. Verba enim illa Pauli: *Homo pec-*

Genitiui caſus pro adiectiuis poſiti exaggeratione in ſcriptura ſignificant. *cati. Filius perditionis* per exaggerationem, & antonomaſiam dicta ſunt. Habẽt namq; illa genitiua locũ adiectiuorũ, & abſolutè poſita illã magnã vim habere ſolent, ſicut idẽ Paul. ad Coloſ. 1. Chriſtũ

Coloſ. 1. D.Aug. vocauit *filiũ dilectionis ſuæ*, id eſt, dilectiſſimũ, in quẽ Pater omnes theſauros dilectionis ſuæ effudit, vt ſenſit Auguſt. 15. de Trinit. ca. 19. in fine. Ad hunc ergo modũ vocat idẽ Paulus hoc loco Antichriſtũ hominẽ peccati, id eſt, ſumme D

Hug. Car. Caietan. malũ, ac perditiſsimũ, vel vt Hug. Card. expoſuit, *ſeruũ peccati*, vel, vt ait Caietanus, *homo habens plenitudinem omnium peccatorũ.* Et hinc etiam Theologi cũ Gre-

D. Greg. gorio. 15. Moral. cap. 28. Antichriſtum dicunt eſſe caput malorum omnium ſub Satana, quia in illo futura eſt omnis malitiæ plenitudo. Et quia ſicut Chriſtus eſt ſanctior omnibus bonis, ita Antichriſtus futurus eſt peior omnibus malis, vt

D. Thom. dixit cum Gloſſ. D. Thom. 2. Theſſ. 2.

3. Quis ergo ita ſit audax, & impudens, vt deſcriptionem hanc Bonifacio. III. aut Põtificibus, qui poſt illũ fuerunt, attribuere nõ vereatur? Quid enim mali fecit Bonifacius. III. propter quod, *homo peccati*, & *filius perditionis* vocari meruerit? Nihil profecto tale memoriæ proditum in hiſtorijs legimus. Nam ſancte vixit, & ſancta decreta edidit, & ſãcte mortuus eſt, vt cõſtat ex Platina, & alijs. Solũq; illi ei obijciunt Proteſtantes, quod ambitionẽ Conſtantinopolitani Patriarchæ, primatum Eccleſiæ appetentis, repreſſerit, & ſedem Romanã matrem eſſe, & caput Eccleſiarum cõſtanter, fideliterq; defenderit. At hoc ſumma laude dignũ eſt, non enim fuit ab eo vſurpatũ, aut nouiter inuentũ, ſed à Deo conceſſũ, & à Patribus, ac prædeceſſoribus ſuis acceptũ. Id enim omnes ſuperiores Põtifices vſq; ad ſanctũ Gregoriũ Magnũ feciſſe, in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Oſtenditur Antichriſti notas ſũmis Põtificibus, non conuenire.

Bonifacius III. à calũnia vindicatur.

Sed inſtant, nomen vniuerſalis Epiſcopi ab Imperatore Phoca ſibi conceſſũ vſurpaſſe, vt Anaſtaſius refert. Reſpõdemus in primis, aut eos tractare de nomine vniuerſalis Epiſcopi, aut de re per illud ſignificata, ſcilicet, primatu Eccleſiæ. Primatũ quidẽ Eccleſiæ Romanæ ſupra Cõſtantinopolitanã, & alias cõferre non potuit Phocas, nam ãte illũ ſemper in Eccleſia Romana fuit, & ipſi Patriarchæ Cõſtãtinopolitani lõge antea, ac ſemper illũ recognouerũt, vt in ſuperioribus oſtẽſũ eſt. Ad ſummũ ergo potuit Phocas Romanæ Eccleſiæ primatũ contra inſolentiã Cyriaci moderni Archiepiſcopi Conſtantinopolitani defẽdere, ac declarare. Atq; hoc tantũ feciſſe, Anaſt. & Paul. Diac. retulerũt, quorũ verba recitat Bar. ann. 606. n. 2. Si vero de nomine Oecumenici, ſeu vniuerſalis Epiſcopi tractãt, & in eo ponũt hoc grãde peccatũ, inprimis in verbis Anaſtaſij, aut Pauli Diaconi hanc vocẽ nõ inuenio, ſed voces Primat⁹, primæ ſedis, & capitis Eccleſiarũ, quæ antiquiſsimæ ſunt. Deinde etiam ſi verũ ſit, Ioannẽ Archiepiſcopũ Cõſtantinopolitanũ nomen vniuerſalis Epiſcopi vſurpare voluiſſe, & Cyriacũ eadẽ ambitione laboraſſe, & propterea Bonifaciũ obtinuiſſe à Phoca, vt illũ cõpeſceret, ipſumque Phocam id feciſſe, & imperiali edicto declaraſſe, nomen illud ſolũ Romano Pontifici poſſe conuenire: nihilominus nec

4. Phocas Romanæ ſedi primatum non detulit ſed ad ſummum declarauit.

Anaſtaſius refert, neque oſtendi poteſt, Bonifacium, aut ſucceſſores eius titulũ illum accepiſſe, illa voce explicatum, & ſignificatum. Denique concedamus, ſi placet, Bonifacium illo titulo, & nomine vſum fuiſſe, nunquid hoc grande peccatum eſt, vt propterea mereatur Bonifacius homo peccati appellari? Certe ſi res ipſa, & dignitas vera eſt, vt re vera eſt, non multum refert, hac, vel illa voce illã explicare, & fortaſſe in ea occaſione ad reprimendũ, & cõfundendũ Cyriacũ illo nomine vti volentẽ, videri potuit expediens. Alioqui ſi Bonifacius titulũ illum acceptans peccauit, grauius certe Chalcedonenſis Synodus deliquit, quæ nomen illud Leoni Magno, eiuſque ſucceſſoribus obtulit, teſte Gregor. lib. 7. indict. 1. epiſt. 30. *D. Greg.*

5. Quod ſi Gregorius, & prædeceſſores eius, vt idem ait, illud acceptare noluerunt, vel propter humilitatem, vel quia ſuis temporibus non iudicarunt neceſſarium, vel quia vocis ambiguitatem timuerunt: exiſtimari poſſe, arbitrantes, illo nomine vniuerſalis Epiſcopi omnẽ alium epiſcopatum de medio tolli; potuit nihilominus Bonifacius ſuo tempore iam ſatis explicata voce, & intentione Cyriaci Conſtantinopolitani Epiſcopi, ad reſiſtendum illi ſine humilitatis præiudicio, ad dignitatem ipſam tuendã nomen acceptare. Admiratione profecto dignum eſt, quod Henricus Rex Angliæ ad ſuæ libidinis excuſationem nomen capitis Eccleſiæ vſque ad illa tempora inauditum auſus fuerit vſurpare, & à Iacobo Rege non homo peccati, ſed potius verum Eccleſiæ caput, cui ipſe ſuccedere, quemque imitari debeat, cenſeatur: & Bonifacium III. propter acceptum à maioribus nomen, defenſamq; dignitatem, Antichriſtum, hoc eſt, hominem peccati, & filium perditionis appellare auſus ſit. Omitto cæteros Pontifices, qui poſt Bonifacium ſederunt, neque illo titulo ordinariè vſos eſſe, neque indignum illud nomen hominis peccati meruiſſe. Nam licet non negemus, aliquos improbis moribus fuiſſe, illi tamen pauci fuerunt, & inter eos nullus tam iniquus habitus eſt, vt homo peccati, & filius perditionis per antonomaſiam dici meruerit, & ê conuerſo multi fuerũt

Henricus vere debuit homo peccati appellari.

A ſanctiſsimi; ex quibus aliqui martyres fuerunt, multi vita, & ſanctitate illuſtres, ac reliqui omnes ſine vlla improbitate, vel ſcandalo Eccleſiam in fide, & iuſtitia cõſeruarunt. Deſcriptionẽ ergo Antichriſti illis verbis à Paulo inſinuatam, nemo, qui vel iudicium rationis habeat, Pontifici Romano accommodabit.

6. Venio ad alia verba, quæ Rex expẽdit, licèt non integrè illa referat, ſic enim habent: *Qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Omiſit enim Rex verbum *Aduerſatur,* B quia ſuæ interpretationi non congruebat, Pontifex enim nõ aduerſatur Chriſtianis Regibus, aut Epiſcopis, quos Rex ibi Deorum nomine ſignificari vult, ſed eorum ſe ſpiritualem Patrem, & protectorem, æquiſsimumque moderatorem eſſe profitetur. Prætermiſit etiam illa poſteriora verba; *aut quod colitur,* quia ſenſum ab illo excogitatũ prorſus euertunt. Sed videamus prius, quomodo ſancti Patres verba illa intellexerint. Certe illi non Reges, iudices, aut Principes mundi, vel Eccleſiæ ſacerdotes, aut Prælatos Paulum intellexiſſe exiſtimarunt, C ſed vt ſonant verba: *Omne, quod dicitur Deus,* Et ſpecialiter ſolent Patres de idolis, & dijs gentium id exponere, quia omnes abijciet Antichriſtus, & ſupra omnes eleuabitur, id eſt, ſupra omnes, qui Dej, licèt falſo, dicũtur. Sic Chryſoſtom. inquit, *deſtruet Deos gentium, iubebitq; ſe pro Deo adorari.* Similiter Theodor. *Se ipſum Chriſtũ, & verum Deũ dicet, & ita contra omne, quod dicitur Deus, inſurget. Idẽ fere Theoph. Oecum. & Ambr. alijque expoſitores.* Iren. vero clarius li. 3. c. 6 de dijs gentium locum Pauli interpretatur, *qui dicuntur dij, ſed non ſunt,* & ſupra illos ait, extollendum eſſe Antichriſ D tum, *non ſupra verum Deum,* Quod quomodo intelligendum ſit, dubitare quis poteſt. Nam idem Irenæ. lib. 5. cap. 25. licet eodem modo verba illa exponat, ſimul de eodem Antichriſto dicit; *Exiſtẽs apoſtata, & latro, quaſi Deus vult adorari.* Vnde adiungit: *Idola quidem ſeponens ad ſuadendum, quod ipſe ſit Deus, ſe autẽ extollens vnũ idolum.* Itaq; Antichriſtus re vera ſupra verũ Deum, & ſupra falſos, ſeu idola ſe extollet. Sentit autẽ Iren. Paulũ per illa verba *ſupra omne quod dicitur Deus,*

Aliqua Pauli verba à Rege ſupprimuntur.

Dei nomine à Paulo idola intelligi, aliqui dicunt.

D. Chryſ.

Theodor.

Theoph.

Oecum.

D. Amb.

D. Irenæ.

Deus, tãtum falſos deos intellexiſſe, exaltationem verò eius ſupra verum Deũ in alijs verbis: *Vt in templo Dei ſedeat, oſtẽdens ſe tãquam ſit Deus*, ſignificaſſe. Vnde c.20. ait. *In tẽplo Dei ſedente, vt ſicut Chriſtum adorent illum, qui ſeducuntur ab illo.*

7. Tam verũ Deu, quàm falſi a Diuo Paulo ſignificati.

Lyr. Rab.

Non eſt autem alienum ab vniuerſalitate dictorum verborum, vt intelligantur, tam verum, quàm falſos Deos comprehendere, ſcilicet, *ſupra omne, quod dicitur Deus*, ſiue verè, ſiue falſe dicatur, & ſiue religioſe, ſiue ſuperſtitioſe colatur. Et ita Lyran. ibi, & Rab. in tract. de Antichriſto, *ſupra omnes*, inquiũt, *deos gẽtiũ, & non ſolũ ſupra illos, ſed etiã ſupra omne, quod colitur*, id eſt, ſupra Sanctã Trinitatẽ, quæ ſolũ colẽda, & adorãda eſt. Idẽq; clare ſentit Oecumen. ibi dicens: *Aduerſabitur, & extollietur ſua ſuperbia non ſolũ aduerſus Deum vniuerſorũ, ſed etiã aduerſus idola. Neq; enim ad idololatriã ducet homines, ſed vt ipſum tanquã Deũ adorẽt, propterea dicitur, quod efferetur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut Numẽ.* Et 1. Ioã. 4. eadẽ verba tractãs, adiungit: *Per hoc, quod addit, & omne numen, etiã Chriſtianiſmum ſignificat*, in quo nimirum eſt cultus veri Dei. Præterea Chryſoſtomus ibi, cũ Paulus ſimul dicat, *Aduerſatur, & extollitur*, ita exponit: *Non enim inducet ad cultum idolorũ, ſed erit quidã Dei aduerſari⁹*, vtiq; veri Dei; ergo etiã ſupra illũ extolletur, nam faciet ſe *pro Deo adorari*, vt idẽ Chryſoſtom. ſubiũgit Homil. 40. in Ioãn. exponens verba illa: *Si alius venerit in nomine ſuo, illũ accipietis. Antichriſtus* (ait) *neq; ſe miſſum à Patre, neq; eius volũtate venire, dicet, ſed omnẽ poteſtatẽ tyrãnice vindicabit, ſe omniũ Deũ profitebitur, vt Paulus inquit, ſupra omne, quod dicitur* Deus, *aut colitur.* Alij verò Patres nunc de idolis, & falſis Dijs, nũc ſimpliciter de omni cultu Dei loquũtur. Sic enim Tertul. lib. de Reſurrect. carn. ca. 24. *Aduerſatur* (ait) *& ſuper extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus, vel religio, ita vt in templo Dei ſedeat, adfirmans Deum ſe.* Idẽq; habet lib. de Anima cap. 57. & lib. 5. contra Marcion. cap. 16. *Supra omne* (ait) *quod Deus dicitur, & omnem religionem.* Similia videri poſſunt in Hypolit. Ephren, & alijs in tract. de Antichriſt. Cyrill. catecheſ. 15. Lactant. lib. 7. cap. 17. Hieronym. dicta q. 11. ad Algaſi. & idem ſentit Auguſt. tract. 29. in Ioan. Parumq; refert, quod per priora, vel poſteriora verba Paulus id dixerit, dũmodo conſtet, in integra deſcriptione Antichriſti, quã ibi poſuit, nõ tantum de dijs metaphoricis (vt ſic dicã) ſeu per participationem quandam, vt ſunt Reges, & Prælati, nec tantum de Dijs gẽtium falſis, ſeu idolis, ſed etiam de vero Deo loquutum fuiſſe.

Oecum. 1. Ioan. 4. D. Chryſ. Ioan. 5. 2. Theſſ. 2. Tertull. Hypol. Ephrem. D. Cyrill. Lactant. D. Hier. D. Aug.

A B C D

8. Principes, & ſi aliquando dij dicãtur, ea ſignificatio facili lege non cõgruit.

Valde ergo frigida eſt, & inanis Proteſtantiũ expoſitio, aut potius accõmodatio. Primò quia eſt contra cõmunem ſenſum Patrũ. Secundo quia eſt contra vim verborũ: nam diſtributio illa *Supra omne, quod dicitur Deus*, plus cõprehẽdit. Vel ſi verbũ illud, *quod dicitur*, habet emphaſim illam, *quod dicitur, cum non ſit*, vt Irenæus ſignificauit, ſic non ad Reges, vel Prælatos, ſed ad idola pertinet, quia Reges, & Prælati eo modo, quo dicũtur Dij, non falſo dicuntur, cum ore ipſius Dei dicantur ſecundum quãdam analogiam, vel participationẽ, vel ſi abſolutè ſumitur *omne, quod dicitur*, ſiue ſit, ſiue nõ ſit, omnẽ appellatum Deum includit. Et præterea illud nomẽ *Deus* debuit maxime cõprehendere id, quod freqũẽtius, & ab omnib⁹, & à toto vulgo dicitur Deus, Epiſcopi autẽ, aut Reges, licèt ſemel, aut iterũ in Scriptura dij dicantur, vulgo tamen, & cõmuniter non ita appellantur, idola autẽ gentiũ tunc maxime deorum nomine ſignificabantur, & præter illos Deus verus, præſertim à Chriſtianis, tũc maxime Deus dicebatur; ergo de his potius, quàm de Regibus loquitur Paulus.

D. Iren.

9. Summa Antichriſti ſuperbia non erit in eo, quod velit hominibus, ſed ipſi Deo præcellere.

Accedit etiã nõ cõtemnẽda cõiectura, quod Paul⁹ ibi nõ quãcũq; animi elationẽ, ſed ſume prauã, & inordinatã, in illo homine peccati voluit oſtẽdere, ac deſcribere, vt verba ipſa, & magis, quę inferius adiũgit, præ ſe ferunt. Ergo nõ loquitur tantũ de exaltatione ſuper alios homines in poteſtatibus tẽporalib⁹, vel humanis. Hoc enim modo multi fuerũt ſuperbiſſimi Imperatores ſupra omnẽ humanam poteſtatẽ ſe extollẽtes, & ipſe Rex Angliæ in ſuo regno ita vult extolli, vt ſol⁹ recognoſcatur caput in temporalibus, & ſpiritualibus, & ita ſe effert ſupra vtrũq; gladium, vt infra Deum nolit recognoſcere ſuperiorem, etiam in ordine ad ſalutem animæ, ſed omnium volens eſſe iudex, à nemine putat ſe poſſe iudicari.

Rex temporalis primatem ſpiritualem vſurpãs verius Antichriſtus vocatur.

Multo ergo maiori ratione poteſt huiuſmodi Rex Antichriſtus ſaltem in imagine, ſeu imitatione appellari. Nam Athanaſ. epiſt. ad ſolitar. vit. agent. circa finẽ, ita de Conſtantio loquitur: *Grauia ſunt iſta, & pluſquam grauia, tamen iſtiuſmodi, quæ congruant in eum, qui Antichriſti imaginem gerit. Quis enim videns, eum in decernendo ſe facere Principem Epiſcoporum, & præſidere iudicijs Eccleſiaſticis, non merito dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt.* Hęc de Cõſtantio dixit Athanaſius, quia iudicia Epiſcoporum in rebus Eccleſiaſticis, & præſertim in cauſa fidei vſurpare volebat; quid ergo de ſeculari Principe, qui ſpiritualem primatum ſibi arrogat, dicturus fuiſſet?

D. Athan.

10. Antichriſt. ſupra Deum ſe efferet.

Veruntamen licèt hoc genus ſuperbiæ imaginem Antichriſti referat, non dum tamen veritatem, maiorem enim voluit Paulus de Antichriſto indicare, & ideò non ibi deſcriptionem concluſit, ſed addidit: *Ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus.* Quæ verba ſine cauſa Rex in illa deſcriptione omiſit, cùm illa maximè declarent perſonam Antichriſti, & ſuperbiã eius, exponãtq; quomodo intelligendum ſit prius verbum: *Extollet ſe ſuper omne, quod dicitur Deus*: non quidem ſuper vtriuſque gladij poteſtatem ſe efferendo, intra ordinem miniſtrorum Dei, ſed ſupra ipſum Deũ ſe exaltando, & iubendo ſe in templo adorari vt Deum. Et hoc magis declarãt, quæ poſtea adiungit: *Cuius eſt aduentus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigijs mendacibus.* Nã hæc omnia eo tendent, *vt ſe Deum faciat in omni ſeductione iniquitatis.*

11. Argumentum ad hominem.

Ex quibus etiam conſtat, argumentum Regis cõtra ipſum euidenter retorqueri. Primo ad hominem, quia ipſe dicit, Romanum Pontificem eſſe idololatram, adorando ſanctos vt numina, & Deos, ac ſubinde illis ſe ſubijciendo, & ſeruiendo; at verò Antichriſtus nulli numini ſe ſubijciet, ſed ſupra omne illud extolletur, nec idola, aut ſimulachra venerabitur, ſed eis aduerſabitur, vt Patres ex verbis Pauli colligunt; ergo non loquitur conſequenter Rex dicens, Papã eſſe Antichriſtum. Deinde euidentiſsimum eſt, Papam non ſe facere Deum,

A

nec iubere, ſe adorari vt Deum, nec eſſe Dei, aut Chriſti aduerſarium: nam eius gloriam, verumq; cultum tanquam eius miniſter procurat: non eſt igitur Antichriſtus, neque ſe extollit ſic ut Antichriſtus. Item Antichriſtus, vt ex Chryſoſtomo referebam, non ſe dicet à Patre, vel Deo miſſum, ſed in nomine ſuo veniet, vt Chriſtus etiã ſignificauit. Ioan. 5. Pontifex autẽ non ſolũ à Patre miſſum, ſed etiã à Chriſto ſibi eſſe poteſtatẽ cõmiſſam, confitetur, & ſeruũ eius, imò & ſeruorũ Dei ſe profitetur, quæ igitur eſt cõuentio lucis ad tenebras, Chriſti ad Belial, Vicarij Chriſti ad aduerſariũ Chriſti?

Pontifex Deum c... non Deũ ſe facit.

D. Chryſ.

B

12. Proprie n... ſe extolli... qui ius ſuũ iuſtè tuetur

Vnde addo, iniuſtiſsimè attribui Pontifici verbum *extollendi ſe*, eo quod dignitatem ſuam ſuprà vtriuſque gladij poteſtatẽ tueatur. Nã qui ius ſuum, & à Deo ſibi propter bonũ Eccleſiæ datum defendit, non *ſe extollit* (quod vèrbũ exceſsũ, & arrogantiam ſignificat, & in hoc ſenſu ſine dubio acceptum eſt à Paulo) ſed diuinam inſtitutionẽ defendit, & vniuerſale bonum Eccleſiæ procurat: Pontifex autem re vera eſt à Chriſto conſtitutus ſupra vtriuſq; gladij poteſtatẽ; vt in ſuperioribus oſtenſum eſt; ergo non ſe extollit, cùm illũ gradum honoris ſedi ſuæ vendicat. Et quidem ſi hoc titulo Antichriſti nomen meretur, non à Bonifacio III. ſed à principio Eccleſiæ Antichriſtianiſmus incepit, ſemper enim Pontifices illum excellentiæ gradũ in ſua ſede recognouerunt, & defenderũt, vt ſuprà oſtendimus. Deniq; non minus efficax argumentum ſumitur ex vltimis verbis, quibus deſcribitur Antichriſtus vt operans ſigna, & prodigia mendacia: nam Romana ſedes non eſt vſa his artibus, aut prodigijs ad ſuam dignitatem tuendam. Imò ipſe Rex Angliæ dixit, ſe neſcire, quibus artibus ad illud faſtigium poteſtatis aſcenderit, neque mirũ, ſi illas neſciat, quia nullæ ſunt, præter ſynceritatẽ verbi Dei, & efficacitatem promiſsionis Chriſti ſtabilientis Eccleſiam ſuam ſupra petram, veriſq; miraculis illam confirmantis, vt cap. 19. attingemus.

C

Si Bonifacio Antichriſta dicẽdus eſt, dicantur etiam prędeceſſores.

D

13. Mẽdacibus ſignis Pontifices Catholicis illudere calumniãtur Proteſtãtes.

Sed dicit Rex, hæc prodigioſa ſigna, & mendacia, eſſe miracula, quæ Catholici in Eccleſia facta eſſe, & fieri gloriantur, quæ ipſe irridet, adhibens etiam exemplum de miraculo circa Euchariſtiam facto,

Bellarm. facto, quo illius veritatem alibi Bellarminus confirmauit. Quod exemplum tam doctè, & piè idem Bellarminus defendit in ſua reſponſione cap. 9. vt nihil illi addi poſſe videatur. Solum aduertere oportet, hæc falſa prodigia interdum tribui Antichriſto, vt in hoc loco Pauli, interdum verò prædici de quodam pſeudo Apoc. 13. propheta eius, vt Apocalypſ. 13. verſ. 12. & 13. Et vtrumque locum exponit Rex de falſis miraculis Eccleſiæ, confundit tamen Antichriſtum cum propheta eius, & Romanum Pontificem cum Eccleſia. Vt autem errorem eius, & Proteſtantiū calumniam detegamus, illa duo loca, & puncta diſtincte tractare neceſſe eſt. Hic ergo de miraculis ipſiuſmet Antichriſti Apoſtolus loquitur. Vt ergo Pontificatum Romanum in Antichriſtianiſmum tranſiſſe Rex nobis probet, oportet, vt demonſtret, aliquem Romanum Pontificem, qui præſtigijs, & prodigijs mendacibus ad Antichriſti imperium erigendū vſus fuerit. At hoc oſtendere non poteſt fateatur ergo neceſſe eſt, deſcriptionem Antichriſti à Paulo datam Pontifici non conuenire.

14. Nullum Pōtificē Rom. præſtigijs, graſſatum oſtenditur: & in primis de Pōtificio.

Minorem ex hiſtorijs probare poſſumus à Bonifacio. 3. incipiendo, & per alios diſcurrendo, quod eſſet prolixum, ſatis ergo ſit in ſumma dicere, Bonifacium nulla ſigna feciſſe, quibus dignitatem aliquam, vel poteſtatē, aut imperiū cōſequutus ſit, vt ex hiſtorijs, & ex ſuperius dictis ſatis eſt euidens. De ſucceſſoribus autem eius etiam ſanctiſsimis; pauca vera miracula in Eccleſiaſticis hiſtorijs leguntur, tantum abeſt, vt falſa confingantur.. Nam Leonem. 2. qui multis annis Platin, poſt Bonifacium 3. ſedit ſanctum virum fuiſſe, Anaſtaſius, Platina, & alij tradunt, & Romana Eccleſia anniuerſario cultu inter ſanctos eū veneratur. Et tamē nulla de illo miracula, vel ſigna leguntur, quibus vel potentiam aliquam vſurpauerit, vel ſanctitatis nomen obtinuerit. Martinus autem primus, qui poſt Bonifacium 3. ante Leonem ſecuudum ſedit, non ſolum ſignis, aut portētis nō eſt vſus ad Eccleſiam decipiendam, verum potius ſola Pontificia fide, & ſpirituali poteſtate, ac animi conſtantia Conſtanti Imperatori, & Paulo Cōſtātinopolitano Epiſcopo reſtitit, dicens. *Etiam ſi totus orbis dogmata* A *peregrina, & à fide aliena complecti velit, ſe* Baron. Anno 649. n. 4. *nec minis cuiuſquam, nec blandimentis, nec morte ipſa à doctrina Apoſtolica, & Euangelica vllo pacto poſſe auelli.* Hac ergo fide Baron. ſupra n. 50. ex Anaſtaſ. non falſis miraculis Apoſtolicam ſedem cōmendauit, & ideo eandē fidem in ſuis Epiſtolis maxime laudat. Et ob eandē Baro. an. 654. nu. 3. & 6. fidem Deus vero miraculo illum à manu Spatharij volentis iuſſu Imperatoris, & Exarchi Olympij tentantis illum occidere liberatus eſt, eumque poſtea viuum, & mortuum veris miraculis honorauit. Sic etiam Pontifex Deuſdedit Martino antiquior, & iunior Bonifacio in hi- B De Deuſdedit, & alijs Pontificib. ſtorijs Sanctus prædicatur, & anniuerſaria traditione colitur, ſuamque dignitatem ſine prodigijs mendacibus conſeruauit, vera ſanctitate vitæ, quam & hiſtoriæ referunt, & Eccleſia veneratur, & Deus aliquando ſimplici, & vero miraculo, ſolo oſculo ęgrum à lepra mundando, manifeſtauit. Et ſimilia de Gregor. 2. 3. ac 7. Agathone, Leone. 8. & alijs in grauibus, ac fide dignis hiſtorijs referuntur, eiſque cum Sanctitate vitę nonnulla miracula ſine vlla fictione, vel mēdacij ſuſpitione tribuuntur.

C 15. Miracula ergo, quæ à Pōtificibus Romanis poſt Bonifacium interdum facta ſunt, longe diſtant à ſignis Antichriſti: nam hęc erunt *in omni ſeductione iniquitatis*, vt Paulus ait, illa vero in fidei defen- 2. Theſ. 2, ſionem, & Chriſti honorem ſemper facta leguntur. Denique Rex ipſe alio loco fatetur, ſe ignorare artes, per quas thronus ille Romanæ ſedis ad tam excellentem poteſtatem euectus eſt, cur ergo nunc fingit, per falſa ſigna; & portenta mendacia eſſe comparatum?

16. Tandem addit Paulus aliud ſignum, & quaſi particulam aliam deſcrip- D tionis Antichriſti, dicens: *quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui.* Quæ verba Proteſtātes, & Rex illos ſequens etiā ad metaphoram traducunt, dicentes, ſpiritum oris Chriſti eſſe verbum Dei prædicatum per Lutherum, & miniſtros eius, quo Deus Papatum debilitauit, & paulatim deſtruit. Verumtamen neque Refellitur Regis ſenſus. iſte eſt ſenſus Pauli, neque etiam in eo ſenſu verum eſt, quod dicitur. Paulus enim per ſpiritum oris Chriſti, eius imperium efficax, & per illuſtrationem ad-

uentus eius, verum deſcenſum, & glorioſam apparitionem ad interficiendum Antichriſtum intelligit. Hoc enim verba in proprietate ſignificant, & non eſt, cur ad metaphoricos ſenſus torqueantur. Et ita illa Patres intellexerũt. Chryſoſtom. ibi oratio. 4. *Iuſſu* (inquit) *ſolo, & præſentia, ſatis eſt enim eum adeſſe, & hæc omnia perierunt.* Theodoretus. *Cum è cœlo apparuerit, loquetur tantum, & ſcelerato iſti omnino afferet interitum.* Et adiungit locum Iſai. 11. *Spiritu oris ſui interficiet impium.* Oecumen. *Spiritum oris vocat iuſſum, & præceptum,* Ambroſ. primo Theſſalon. 5. *Subito, & ex inſperato apparebit Chriſtus ſicut coruſcatio apparet, habẽs ſecum militiam exercitus Dei Patris ad perditionem Antichriſti, & ſatellitum eius.* Et id confirmat ex Apocalyp. 11. Hieronymus dicta quęſtion. 11. ad Algaſ. exponit *Spiritu oris ſui,* id eſt, *Diuina poteſtate, & ſuæ maieſtatis imperio, cuius iuſſiſſe feciſſe eſt.* Et infra. *Quomodo tenebræ ſolis fugantur aduentu, ſic illuſtratione aduentus ſui eum Dominus deſtruet, atque delebit.* Et Auguſtin. 18. de Ciuit. cap. 53. *Illam* (inquit) *nouiſſimam perſecutionẽ, quæ ab Antichriſto futura eſt, præſentia ſua ipſe extinguet Ieſus, ſicut ſcriptum ęſt, &c.* & inducit verba Pauli. Iuxta hãc ergo verborũ proprietatẽ, verũq; ſenſum, ſatis cõſtat deſcriptionẽ Antichriſti quoad hanc partẽ nõ eſſe in Romanis Pontificibus impletam.

Chriſt⁹ glorioſo deſcẽſu Antichriſtũ expugnabit.

Chryſoſt.

Theodor.

Iſai. 11.

Oecum.

D. Ambr.

D. Hiero.

D. Aug.

17. Sed neq; id, quod in ſua metaphora iactant Proteſtantes, oſtendere vnquã potuerũt. Gloriantur enim de verbo Dei, cum tamen nihil minus credãt, aut in veritate habeãt, Retinẽt enim corpus inanime verbi Dei (vt ſupra dicebã) & ſpiritu proprio illum induũt. Huicq; ſpiritui ꝓprio fidẽ adhibent, illoq; ſolo bellũ cõtra Dei Eccleſiã, & Romanũ Pontificẽ mouent, vt euidẽter in li. 1. demõſtrauim⁹. Abſit ergo, vt tali verbo, & ſpiritu oris ſui præualere poſſint cõtra Petrã, ſuper quã Deus fundauit Eccleſiã, contra quã portæ inferi nõ præualebunt. Neq; propterea quòd multos à fide, & obediẽtia Romanæ Eccleſiæ peruerterũt, ideo per eos impleta eſt Pauli prędictio, nulli enĩ fuerunt hęretici, qui nõ multos deciperent, & plures peruertit Arrius, quã Lutherus, & non ideo delere potuit Chriſti Vicariũ, vel Eccesiã; eſt ergo inanis glo-

Proteſtantes de verbo Dei gloriantur.

Illorũ gloriatio futilis, & inanis eſt.

A riatio illa, vanaq; præſumptio. Qui ergo integre cõſiderauerit ſigna omnia, & colores, quibus Paulus deſcribit venturum Antichriſtũ, euidenter intelliget, nõ ſolũ diſſimilẽ Pontifici futurũ, ſed etiam ex diametro contra illũ pugnaturum: nã cũ ſit futurus Chriſti hoſtis, nõ poteſt non eſſe maximus Vicarij Chriſti aduerſari⁹.

CAPVT. XVIII.

Quæ ex viſionibus cap. 6. & 9. Apocalypſis. Rex inducit refelluntur.

B Pergit Rex in ſua Præfatio. pag. 102 & ad ſuã de Pontificũ Antichriſtianiſmo perſuadendã coniecturã, quatuor viſiones Apocalypſis inducit, in quibus ait Antichriſtũ depingi. Prima eſt in cap. 6. vbi Ioannes narrat apertiones ſex ſigillorũ libri, quẽ c. 5. clauſum viderat, & poſt primã viſionẽ equi albi, cui Chriſtus inſidebat, & ſecundã equi rufi perſecutionẽ, quam Chriſtiani, vel à tyrannis, vel à ſuis cognatis, & amicis paſſuri erãt; & tertiã equi nigri, qui famẽ, & alias plagas, vel potius hæreticorũ tenebras, & C perſecutiones ſignificabat, adiũgit quartã viſionẽ equi pallidi, quę his verbis deſcribitur: *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eũ nomen illi mors, & infernus ſequebatur eũ, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ* (vel vt Rex ex græco legit ſuper quartã partẽ terræ) *interficere gladio, fame, & morte, & beſtijs terræ.* Hunc ergo equũ pallidum, vel ſeſſorẽ eius vult Rex eſſe Antichriſtũ, quod inde confirmat, quod ſtatim illi cõnectitur quinti ſigilli reſeratio, in qua Sãcti Martyres clamant, & accelerari iudiciũ, & vindictã expoſcũt, quod ſtatim in apertione ſexti ſigilli cõceſſũ eſt eis. Quid autẽ tota hęc explicatio ad cauſã referat, Rex non declarat. D

1. Equi pallidi ſeſſorem Apoc. 6. Antichriſtum Rex interpretatur.

Breuiter ergo reſpõdemus, vel falsũ, vel valde incertũ eſſe per illũ equũ pallidũ ſignificari Antichriſtũ: Si enim accuratè Apocalypſis expoſitores percurrãtur, tot fere inuenientur expoſitiones, quot capita. Nãquidã applicãtes ea ſigilla varijs Imperatoribus Romanis ethnicis, & inſignib⁹ Eccleſię perſecutorib⁹, equũ illum pallidum Domitiano accommodant, vt Petrus Aureol. quem Viegas ſequitur. Alij diuerſorum ordinũ perſecutiones ibi ſignificari intelligentes,

2. Occurritur Regis coniecturis.

Aureol.

Viegas.

equum

equum pallidum Traiano tribuūt, quia illi facile applicantur inſignia pallidi coloris, mortis, & inferni: Eccleſiamque perſequutus eſt fere illo tempore, quo Ioannes viſionem illam videns, à quarto animali myſteriū illud didicit, vt Ribera ibi proſequitur. Andreas autem Diocletianum, ſeu Maximianū intelligit, quorum tempore perſecutio ſimul cum peſte, & fame Eccleſiā vexauit. Quod etiā Arethas refert, & ſequi videtur. Alij aliter cætera interpretantes, per equum pallidum Mahometum, eiuſque per ſe, & per ſucceſſores ſuos Chriſtianorum perſecutionem ſignificari exiſtimarunt, vt Ioachimus, & Pannonius. Alij falſos fratres ſignificari dicunt, hypocritas, & pſeudoprophetas Eccleſiam perſequentes, vt Anſelmus, Richardus, Victo. Hugo Cardin. At vero Victor. per equum rufum, nigrum, & pallidum, bella, famē, & peſtem à Chriſto in Euangelio prænunciata ſignificari dicit. Idemque placuit Tyconio Homil. 5. qui etiam addit, per equum pallidum *homines malos* intelligi, *qui perſecutiones excitare non deſinūt.* Ambroſius item, vel qui eius nomine fertur, longe aliter, & valde myſticè locū interpretatur, & in alijs infinita eſt varietas. Neminem tamen reperio, qui de Antichriſto ſigillum illud quartum ſpecialiter intellexerit; quanuis ſi generaliter de Pſeudoprophetis, & hypocritis illud intelligamus, recte ſequitur, Antichriſtum per antonomaſiam ſub illo cōprehendi.

Riberas *Andr.* — *Aret.* — *Ioachim.* *Pannon.* *D. Anſel.* *Richard.* *Victor.* *Hug. Car.* — *Tycon.* — *D. Amb.*

3. Idcirco poteſt Antichriſto quoque accommodari.

Et hoc quidem probabile eſt: & ad ſummum ad id ſuadendum valet coniectura illa, quòd in quinti ſigilli reſignatione proponuntur petitiones ſanctorum Martyrum poſtulantium vindictam, & iudicium, & ſtatim in ſexto fit ad iudicium tranſitus. Quanquam neque illud in rigore ſuadet. Nam ibidē in apertione quinti ſigilli legimus ſanctis eſſe reſponſum, *vt expectarent modicum tempus donec implerentur fratres eorum, & conſerui illorum, qui interficiēdi ſunt, ſicut & illi.* Ex quo reſponſo intelligimus, illas ſanctorum interpellationes proponi, vt factas ante finem perſecutionum, & maximè ante perſecutionem Antichriſti, ad quam referri poteſt illud *modicum tēpus*, quod ſancti expectare iubētur. Nihil ergo eſt, quod nos cogat per equum pallidum Antichriſtum intelligere. Sed id gratis Regi cōcedamus. Quod quæſo inde argumentum ad ſuam de Romano Pontifice cogitationem fundandam, vel perſuadendam ſumere poteſt? Nullum profecto, nam licet ibi deſcribatur Antichriſtus venturus, nullū illius deſcriptionis veſtigium in Pontifice inuenitur. Color enim pallidus (ex omnium ſententia) indicat timorem nimium, quem tyranni, & præſertim Antichriſtus hominibus, & fidelibus maximè, incutiet; Pontifex autem non terroribus, & cōminatione mortis homines ſibi ſubiectos habet, ſed in virtute ſpiritus, & verbi Dei, amore potius, quam timore illos gubernat. Vnde quod ſequitur, *mors, & infernus*, nullo modo in Pontificem conueniunt; quia non profitetur, ſe recepiſſe poteſtatem *ad interficiendum gladio, fame & beſtijs terræ*: hæc enim fecerunt Imperatores tyranni, & Reges apoſtatæ, & rebelles: ſed accepit Pontifex poteſtatem gladij, quo diſsipet errorum tenebras, & diſperdat vitia, & virtutem plantet. Igitur illius ſigilli reſeratio, quocunq; modo intelligatur, nihil ad punctum, quod tractamus, pertinebat.

Cōfirmatio — *Apoc. 6.*

Eſto locus ille de Antichriſto exponatur, nihil obeſt Romano pontifici.

Secundam viſionem affert ex cap. 9. Apocalypſis, in quo quintus Angelus tuba cecinit in capite enim. 8. dixerat Ioannes, cum agnus aperuiſſet ſigillum ſeptimum, vidiſſe ſe ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datas illis eſſe ſeptem tubas, & in eo capite quatuor primarum tubarum clangorem deſcripſerat, in nono vero capite incipit dicens: *Et quintus Angelus tuba cecinit: & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram, & data eſt ei clauis putei abyſsi, & aperuit puteum abyſsi, & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer de fumo putei. Et de fumo putei aſcenderunt locuſtæ in terram, & data eſt eis poteſtas.* In quibus verbis, & in toto ſonitu huius tubæ duo tantum Rex expendit. Primum eſt, *Stellam illam quæ de cælo cecidit ſignificare aliquem eximiæ dignitatis, qui de cælo cecidit, quia cum deberet eſſe lux mundi, ſicut Chriſtus præcepit, ille contra munus ſuum deſerens, inſtar Luciferi deficit, regnū ſibi erigit.* Secundum eſt, locuſtas indicare peſtiferum, *examen ſubdolorum, &*

4. Alio Apocalypſis loco Rex vult oſtendere pōtificem eſſe ſtellam de cælo cadentē.

Apoc. 9.

inima-

immanis ſæuitiæ animalculorum, quod ſtella illa in mundum emiſit. Et ad hunc modũ (ait Rex) *ſedes Antichriſti cœpta eſt erigi,* ſentiens, ſtellam illam eſſe Antichriſtũ, & illum virum eximiæ dignitatis, qui inſtar Luciferi defecit, eſſe Bonifacium III. quẽ Antichriſti initium facit. Quæ autem ſint animalcula illa ſæuiſsima, nõ declarat, videtur autem intelligere, vel omnes Pontificios, vel Doctores omnes, & paſtores, aut forte Ieſuitas, qui Pontificis imperium dilatare ſtudent.

5\. Multa vitia Põtificibus falſo obiecta.

Poſtea vero Rex tranſitum facit ad clamorem ſextæ tubæ, in quo ſolum cõſiderat, quòd in fine capitis dicitur. *Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs ſuis, neque à veneficijs ſuis, neque à fornicatione, neque à furtis ſuis.* Quæ omnia Proteſtantium more de catholicis, vel (vt ipſe vult) de Papiſtis interpretatur. Et primo illis attribuit, quod adorant dæmonia ex Vazquez lib. 3. de Cult. & adorat. diſp. 6. cap. 3. Secundo per ſimulacra &c. Imagines intelligit, *quia negari non poteſt, quin caput doctrinæ de cultu earũ ſit Romanenſis Eccleſia.* Tertio per homicidia: exponit cædes, & trucidationes, quas Romana Eccleſia efficit, hæreſes perſequendo. Quarto, veneficia dicit eſſe *Agnos Dei, benedicta induſia, reliquias, orationes, quibus putantur homines à varijs periculis præſeruari.* Quinto, fornicationem dicit, partim ſpirituale eſſe per idololatriam, partim propriam, quia in Eccleſia frequentior eſt propter cælibatũ ſacerdotum, & clericorũ in ſacris, & propter *tot otioſos monachorũ & ſanctimonialiũ greges. Nam otium eſt magnum libidinis incentiuum.* Sextô, furta denique & metaphoricè, & propriè nobis attribuit, dicens: *Furti autem in eo maxime ſe alligãt, quod Deo ſurripiunt titulos honorũ, & amplitudinem poteſtatis illi ſoli debitam, quam in Antichriſtum caput ſuum conferunt. Nec minus in accumulandis opibus furti tenẽtur, Iubileis, indulgentijs, reliquijs, & id genus alijs,* &c.

1\. Calũnia de cultu dæmonum.
Vazq.
2\. de Idololatria.
3\. de homicidijs.
4\. de veneficijs.
5\. de fornicatione.
6\. de furtis.

6\. Tertio vt ſuadeat Rex, in his omnibus

A

deſcribi tempora Antichriſti, tranſit ad caput. 10. Apocalypſis, vbi Ioannes vidit Angelum ſtantem ſuper mare, & ſuper terram voce magna clamantem, *Quia tempus non erit amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cæperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas.* Cõſequenter vero progreditur ad cap. 11. dicens, ibi deſcribi exitium Antichriſti, & ex profeſſo oſtendit, illum ſignificari per beſtiam aſcendentem de abyſſo, illamque beſtiam eſſe eandem, quæ cap. 13. & 17. commemoratur, *quia ſemper ex abyſſo aſcendere dicitur,* De quo non multum contendimus, vt ex ſupradictis conſtat, & infra iterum dicam. Hic autem hoc ideo Rex inculcare videtur, vt ſuadeat, Ioannem in cap. 9. de Antichriſto tractare, poſt cuius deſtructionem ſequetur iudicium, & tempora ceſſabunt.

Apoc. 11. Alia loca à Rege circa Romanum Pontificem accumulantur.

B

7\. Hæc fere Rex: in quibus ſi attente rẽ expendamus, ea, quæ pertinent ad interpretationem illam, vt per ſtellã, aut beſtiam Antichriſtum intelligamus, indifferentia ſunt, nihilque ad fidei offenſionem, vel defenſionem ſpectãt: illa vero, quæ calumnias, falſa teſtimonia, & (vt quod re vera ſunt, dicam) blaſphemias contra Romanam Eccleſiam continent, nullam habent probationem, ſed ſolam maledicendi libertatem, & Proteſtantiũ conſuetudinẽ, à quibus Rex miſere deceptus, eorũ ſermones imitatur, & ideo reſponſionem omittere, & omnia contemnere poſſemus: quia vero Sapientibus, & inſipientibus debitores ſumus, dicemus prius de literali expoſitione capitis. 9. Apocalypſis, poſtea vero vanas Regis accommodationes, falſaſq; calumnias refutabimus.

Proteſtantiũ ſomnia non veritate, ſed calũniãdi ſtudio nituntur.

C

D

8\. Primo ergo ſtella illa, quam Ioannes vidit cecidiſſe de cœlo, & datam eſſe illi clauem abyſſi, duas habet apud catholicos præcipuas expoſitiones, vnam in bonam partem, alteram in malam, ſtellã illam interpretantes. Primo ergo dicunt aliqui, ſtellam illam non eſſe malum Angelum, nec perſonam aliquam prauam, ſed eſſe aliquem ſanctum Angelũ à Deo mittendum circa finem mundi, vt aperiat puteum abyſſi, permittendo, nimirum, principibus tenebrarum, vt inde aſcen-

Per ſtellã è cælo cadẽtẽ Apoc. 9. intelligunt aliqui bonũ Angelum.

aſcendant ad infeſtandos homines, partim tenebris hæreſum, & infidelitatum, excæcando mentes eorum, partim grauiſsimis malis, & perſecutionibus iuſtos affligendo. Quæ expoſitio non poteſt facile refutari. Nam cum dicitur ſtella illa cecidiſſe de Cœlo, non ſignificat caſum moralem à iuſtitia ad iniquitatem, ſicut dicitur cecidiſſe de Cœlo Lucifer Iſai. 14. Sed ſignificat deſcenſum localẽ velociſsimum, & i deo verbo illo declaratur. Et cum poſtea dicitur *obſcuratus Sol, & cætera*, non dicitur ſtellam miſiſſe tenebras, vel mala ſubſequentia operatam fuiſſe, ſed ſolum aperuiſſe, id eſt, licentiã dediſſe, ſeu impedimenta abſtuliſſe, & tunc ſequutum eſſe, quod ſubiungitur. *Et aſcendit fumus putei*, & cetera, quæ ſequuntur. Explicaturque interpretatio hæc ex alia ſimili Apocalypſ. 20. vbi Ioãnes vidit *Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem clauem abyſsi, & catenam magnã in manu ſua. Qui apprehendit diabolum, & ſatanam, & ligauit, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, &c.* Illum enim Angelum bonum eſſe dubium non eſt; quid ergo mirum, quod idem Angelus miſſus etiã fuerit ad *ſoluendum diabolum modico tempore*, vt ibidem ſubiũgitur. Eſt ſane ſententia hęc valde probabilis.

Caſus ille localis nõ moralis eſt.

Iſai. 14.

Confirmatur. *Apoc. 20.*

9. Alij ſtellam illam Luciferum eſſe dicunt. *Iſai. 14.*

Altera vero expoſitio, quæ in malam partem ſtellam illam interpretatur, non minus probabilis eſt, in plures autem diuiditur. Antiqui enim expoſitores ſtellam illam diabolum eſſe interpretantur, nempe Luciferum, de quo in perſona Regis Babylonis dictum creditur Iſai. 14. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, corruiſti in terram, &c.* vſq; ad illud, *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Vnde ponderant, non dixiſſe Ioannẽ, vidi ſtellam deſcendere, ſed deſcendiſſe de cœlo, quia non tunc deſcendit, ſed antequam homines conderentur, vel peccarẽt, deſcenderat. Vel ſi fortaſſe Ioannes vidit tunc quaſi ſtellam deſcendentem, ſignificabat Angelum malũ, qui iam longe ante deſcenderat. Huic autem ſtellæ ſic expoſitæ dicitur data clauis abyſsi, quia poteſtas inferni ei commiſſa eſt tanquam regi. Nam locuſtæ illæ feroces, quas Ioannes deſcripſerat, *habebãt ſuper ſe Regem Angelum abyſsi*, hic autẽ angelus abyſsi idem eſſe videtur, qui di-

Cætera viſionis illius de eodẽ explicantur.

A citur ſtella cadens, cui clauis abyſsi data eſt, quia poteſtas ei data eſt in cæteros illius regni incolas: Vnde etiam Chriſtus Dominus Matth. 12. regnum attribuit Satanæ dicens: *Si ſatanas ſatanam eijcit, quomodo ſtabit regnum eius?* Et ibidem: *Belzebub dicitur princeps dæmoniorũ.* Neq; obſtabit, quod clauis illa ad aperiendum deſeruierit, vt ibidem dicitur: nam poteſtas regni ciuitatis, vel domus etiam ad hunc actum extenditur. Et iuxta hac expoſitionem poſſunt cætera intelligi nam fumus fornacis recte intelliguntur

Matth. 12

B eſſe dœmonis tentationes, & locuſtę miniſtri eius, ſiue mali Angeli, ſiue perditi homines, &c.

Alij vero per ſtellã illam non angelũ malum, ſed vel genus aliquod malorum hominum, vel aliquem prauum hominem intelligunt. Ambroſius enim ibi: *Per ſtellam* (inquit) *hæreſiarchæ deſignantur*, quia ſicut *ſtellæ in cælo refulgent, ita etiam ipſi, ante quàm caderent, doctrina, atq; ſapientia refulgebant in Eccleſia.* Et ſic cõſequenter intelligit, locuſtas eſſe miniſtros hęreſiarcharum, atque ad hunc modum cætera proſequitur. Anſelmus ve-

10. Nõnullimalis hominibus ſtellam cadentem ac cõmadãt.

D. Amb.

Anſelm.

C ro licèt per ſtellam dœmonẽ intelligat, per locuſtas hęreſiarchas ipſos dœmonis miniſtros interpretatur, quia ſicut locuſtæ ſaliunt, & non volant, ſed ſtatim in terram recidunt, & mordent, ac corrodunt, ita hæretici ſuperbia ſaliunt, ſed cũ per cognitionẽ in altum volare non poſſint, in terram recidunt, & ſunt bonorũ corroſores. Vnde conſentaneè ad hanc expoſitionem poſſumus rectè per ſtellã illam intelligere inſignem hæreſiarcham Lutherum, qui cũ antea ſuo modo ſtella eſſe videretur, aut eſſe deberet, occulto

D Dei iudicio permiſſus eſt in abyſſũ errorũ cadere, & tenebras effundere, ex quibus ingens locuſtarũ, miniſtrorum, vel potius etiam hæreſiarcharum multitudo pullulauit.

Alij denique per ſtellam intelligunt, non quencumque hæreſiarcham, ſed aliquem inſignem, qui non ſolum tenebras effundendo, ſed etiam per tyrannidẽ, & potentiam perſequendo, Chriſtanos inſectatus fuerit. Et ſic Lyranus per ſtellã illam intelligit Valentem Imperatorem, qui perſuaſione vxoris ſuæ de altitudine fidei catholicæ cecidit in hæreſim Arianam

11. Alij transferunt viſionem ad inſignem aliquem Eccleſiæ hoſtem.

Lyra.

nam, & miſit prędicatores, qui Vandalos, & Gothos eadem hæreſi inficerent. Quos Vandalos ſignificatos dicit per locuſtas, qui Italiam, & alias prouincias catholicas deuaſtarunt. Quam expoſitionem ſequuti ſunt Petr. Aureol. in eundē locum, & Anton. 1. p. Hiſtor. tit. 6. cap. 1. §. 7. quoad hanc poſteriorem partem: nam per ſtellam cadentem, potius Genſericum, vel alium ſimilem Vandalorum Regem, quàm Valentem interpretantur. Quid ergo mirum, ſi quiſpiam ſimili allegoria dicat, Henricum. viij. Regem Anglię fuiſſe ſtellam illam de cœlo cadentē, qui non ſolum de altitudine fidei in turpiſsimum ſchiſma, & hæreſim lapſus eſt; ſed etiam ex illuſtri Romanæ Eccleſiæ, non ſolum armis, ſed etiam doctrina, & ſcriptis defenſore, in acerrimum hoſtem commutatus eſt: vnde ſtatim denſiſsimus fumus prauæ doctrinæ per totam ditionem eius ſparſus eſt, & fidei lumen ac intelligentiam obtenebrauit; indeq; praui miniſtri, & accerrimi catholicorum perſecutores tanquam locuſtæ, & ſcorpiones, breui tempore multiplicati ſunt.

Aureol. *D. Anton*

12. Per eā ſtellā nemo antiquorū Antichriſtū intellexit.

Hæc quidem, & ſimilia facile à quolibet excogitari poſſunt. Non tamen ideo illa propono, quia omnia interpretationi Scripturæ apta, aut probabilia eſſe iudicem, ſed vt intelligat lector, non magis eſſe veriſimilia, quæ Regi Anglię Proteſtantes perſuaſerunt: nam ſolum per voluntariam accommodationem ſine fūdamento in textu Ioannis, & ſine conſequutione, & obſeruatione eorū, quę in illo clangore buccinæ proponūtur, excogitata fuerunt. Vnde cum tanta fuerit varietas inter antiquos authores in exponenda illa ſtella, cùmque multi eorū dicant, ibi pręcurſores Antichriſti, & calamitates in Eccleſia futuras prope tempora Antichriſti deſignari: nullum tamen ante Regē Angliæ, & magiſtros eius reperio, qui dixerit, ſtellam illam eſſe Anchriſtum, vel locuſtas eſſe proprios miniſtros eius, ſed ad ſummum præcurſores, vt eos vocant Anſelmus, & alij ex authoribus allegatis.

D. Anſel.

13. Antichriſtꝰ dici nō poteſt ſtella de cœlo cadēs

Et merito quidem per ſtellam cadentem nullus Antichriſtum intellexit, quia longe diuerſa futura ſunt Antichriſti initia ab his, quæ per ſtellam cadentem ſig-

A nificantur. Nam in Apocalypſi ſemper inducitur Antichriſtus vt beſtia de abyſſo aſcendens, vt paulò antea Rex ipſe notauit, ſtella autem viſa eſt, vt de cœlo cadens, qui modus oriendi longe diuerſus eſt. Nec refert, ſi quis dicat, etiam dœmonem repręſentari per beſtiam aſcendentem de abyſſo, & nihilominus etiam per ſtellam cadentem ſignificari poſſe: nam dœmon prius fuit ſtella, & cadēdo in terram in draconem, & beſtiam abyſſi commutatus eſt. At vero Antichriſtus non erit prius ſtella, nec erit tanquam Ange-

B lus in cœlo, vel tanquam inſignis perſona habens in hoc mundo, vel in Eccleſia aliquem excelſum, vel regni, vel ſacerdotij locum, à quo ceciderit, ſed erit (vt illū depingit Daniel cap. 7. & 11.) *paruus, & deſpectus, viliſsimus, & indignus decore Regio*, talia enim erunt Antichriſti exordia, vt ſupra tactū eſt, & in ſequentibus iterum dicam. Igitur non quadrat in illum accommodatio, ſeu repræſentatio ſtellæ in terram cadentis. Vt omittam alia, quæ vix poſſunt cohęrenter ita exponi: nam in omni interpretatione ſummam habent obſcuritatem.

Dan. 7. & 11.

14. Eſto Antichriſtus eſſet ſtella cadens, nulli Pontificum id quadraret.

C Tandem eſto, ſtella illa ſit Antichriſtus, & per eam ſignificetur aliquis eximiæ dignitatis vir: Profecto hac permiſſa interpretatione, ex illa conuinci poteſt, neq; vllum ex Pontificibus, neque ſignatim Bonifacium Tertium Antichriſtum fuiſſe. Nullus enim hactenus ſuam dignitatem ita deſeruit, vt Sedem Apoſtolicam ſua maieſtate, & excellentia priuauerit, ſed omnes conſtantiſsimè illam tutati ſunt, ac defenderunt. Quod ſi aliqui per tyrannidem, vel violentam mortem illa priuati ſunt, ille non eſt caſus, ſed conſummatio dignitatis; imò licet

D aliquis per culpas, vel hæreſes ab illa dignitate cecidiſſet, nullum eſſet iudicium Antichriſtianiſmi, quia ille fuiſſet caſus perſonalis, nō qui adhæreret ſedi, nec in illam, nec in ſucceſſores redundaret. Verumtamen etiam hic caſus per Dei gratiam in Pontifice Romano inuentus non eſt, præſertim vt Pontifex eſt, & Eccleſiam illuminat, nunquam enim Pontifices hæreſes docuerunt, aut ſeminarunt, vt ſupra late oſtenſum eſt. Maxime vero de Bonifacio Tertio in nulla hiſtoria legitur, doctrinam prauam in Eccleſiam

Matt. 5.

cleſiam introduxiſſe, aut aliquid contra illa verba Chriſti feciſſe, *Vos eſtis lux mũdi.* Qua ergo fronte, qua vè ſpecie veritatis dicitur fuiſſe *ſtella cadens de cœlo: quia in eximia dignitate conſtitutus ad mundum illuminandum, munus ſuũ deſeruit?* Reſpõdet tacite, Rex deſeruiſſe munus ſuũ, quia regnum ſibi erexit. Sed hoc iam ſatis refutatum eſt. Et iterum hoc modo improbatur: nam vel erexit ſibi ſpirituale regnum, vel temporale. Non primum, quia non vſurpauit Pontificatum, ſed ad illum legitime electus eſt: & in illo conſtitutus, nihil ſibi ſpiritualis poteſtatis arrogauit, quod à prædeceſſoribus ſuis traditum, & obſeruatum non fuerit, vt ſæpe in ſuperioribus dictum, & demonſtratum eſt, vbi de nomine vniuerſalis Epiſcopi etiam eſt ſufficienter dictum. Nec etiam erexit ſibi Bonifacius regnum aliquod temporale, quia nullum bellum temporale geſsit, nec de tyrannide temporali ab aliquo hiſtoriographo accuſatus eſt. Quod eſt ſufficiens argumentum, longiſsimè diſtare ab Antichriſto, qui prius temporale bellum geret, & imperium vſurpabit, poſtea Sãctos perſequetur.

Regis obiectio refellitur.

15\. *Fumus ab ore putei aſcendens nihil ad Bonifacium.*

Atque hinc facile conuinci poteſt, cętera, quę in illo clangore buccinæ audita ſunt, *de fumo aſcẽdente de ore putei, &c.* nõ poſſe ad tempora Bonifacij accõmodari, quia per fumum illum denſiſsimum ſolem, & aerem obſcurantem, omnes expoſitores hęreſes intelligunt, prauaſque doctrinas, nihil enim magis appoſite per illas tenebras, & fumum ſignificari poteſt, cum certum ſit, illa omnia non propriè, ſed metaphoricè ibi ſumi. Nam licet in viſione imaginaria ſub ſpecie viſibili viderentur, non tamen repræſentabãt corporalem fumum aliquando aſcẽſurum, ad ſolem obſcurandum, ſed aliquam ſpiritualem tribulationem, in Eccleſia futurã, fidei veritatem, & lumen obſcurantem. At tempore Bonifacij Tertij nulla talis doctrina ex officina Romana prodijt, nec aliquid circa veritatem fidei innouatum eſt, nec cũm aliquo fundamento aliquid talè deſignari poteſt, vt in libro primo, & ſecundo late oſtendimus; ergo nõ cæpit tunc in Romana ſede hæc prophetia impleri. Quod argumentum de toto reliquo tempore vſque ad noſtram æta-

A tem fieri poteſt: quia nunquam ab illa ſede fumus infidelitatis aſcendit, vt in eodẽ loco probatum eſt.

16\. *Poſt Bonifacium [illegible] fuerunt.*

Denique quod in hoc puncto Rex ſubiungit de examine locuſtarum, id eſt, ***immanis ſeuitiæ animalculorum, & ſubdolorum***: quomodo poſt Bonifacium ſubſequutum ſit, oſtendere non poteſt. Nam poſt Bonifacium fuerunt in Eccleſia ſanctiſsimi, & ſapientiſsimi Paſtores, & Doctores, quales fuerunt ex Græcis Damaſcenus, Maximus, Germanus Conſtantinopolitan. Theophylact⁹, Photius, B Euthymius, & alij. Ex Latinis vero Remigius, Bernardus, D. Thomas, D. Bonauentura, Petrus Damianus, Laurentius Iuſtinianus, Hugo, & Richardus de Sancto Victore, & ſingulariter ex Anglia Beda, Anſelmus, Lanfrancus, & infiniti alij ex omnibus Chriſtiani orbis prouincijs, Romanæ ſedi adhærente, eiuſque fidem, & doctrinam ab antiquis acceptam illuſtrantes, & poſteris tradentes. Neque etiã in miniſtris illius Sedis ſęuitia vlla, vel perſecutio per vim, aut cruciatus ſcorpiacos in Eccleſia facta eſt. Ergo locuſtę illæ, vel ſæua animalcula ineptiſsi- C me accõmodantur Doctoribus, vel miniſtris Eccleſię Romanæ, cũ potius hęreticos, vel alios Antichriſti pręcurſores, vel miniſtros animalia illa repręſentauerint, vt õnes antiqui, & ſapiẽtes intellexerũt. Et licet demus ſignificare proprios miniſtros veri, & ſingularis Antichriſti, inde potius cõuincitur, illũ à Bonifacio, & ſucceſſoribus ſuis quàm legitime diſtare.

17\. *Per ſextam tubam contra Catholicos ineptè Proteſtantes buccinantur.*

Excluſa vero verborum accõmodatione, quę per turbã quintã inſonuerant, facile refutantur cætera, quæ ex clamore ſextæ tubæ per ſolã calũniam ad detrahẽdum de catholicis à Proteſtantibus arri- D piuntur. Oportet autem aduertere, in illa viſione deſcribi ingentem cladem, & interfectionem futuram in mundo in nouiſsimis tẽporibus, ſiue ſub Antichriſto, ſiue (quod probabilius eſt, magiſq; receptũ) prope tẽpora illius, ſub illis Regibus, qui Romanũ imperiũ diſperdent, ante quã Antichriſtus veniat. Tria vero in viſione illa diſtinguere neceſſe eſt, ſcilicet, multitudinem ingentem ferocium equorũ cum ſeſſoribus ſuis, multitudinẽ hominum occidentium, & homines ipſos occiſos, qui dicuntur eſſe *tertia pars*

 homi-

hominum, & alios, qui remanſerunt, de quibus in fine dicitur, *Non egiſſe pœnitentiam*, & cætera. Igitur feroces equi ſine dubio repræſentant vel hæreticos, & eorum miniſtros, vt multi volunt, vel exercitus tyrannorum, vt veriſimilius alij opinantur: & ab his occidenda dicitur tertia pars hominum, vtique eorum, *qui ſignum Dei non habebant*, vt in principio capitis dicitur, & communiter de iniquis, & impijs exponitur. Præter hos reliqui fuerunt homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, de quibus in fine capitis dicitur non egiſſe *pœnitentiam ab operibus manuum ſuarum*, & hos homines reſiduos vult Rex Anglię eſſe diſcipulos Antichriſti: nam doctrinam Antichriſti dicit in illis verbis declarari; & poſtea omnia accommodat doctrinæ Romanæ Eccleſiæ.

18. Diſcipuli Antichriſti (vt vult Rex Angliç idolatræ nõ erunt. *Dan.* 11. 2. *Theſ.* 2.

Sed in primis repugnat alijs Scripturis, in quibus dicitur Antichriſtus deſtructurus idola, Danielis vndecimo. *Nec quenquam Deorum curabit, quia aduerſum vniuerſa conſurget*. Et Paulus ſecund. Theſſalonicenſ. ſecundo, *Extollens ſe ſupra omne, quod dicitur Deus*, vt ſupra late explicuimus. Vnde colligimus, per verba illa: *Nec egerunt pœnitentiam ab operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & æ rea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare*, non poſſe ſignificari diſcipulos Antichriſti, nec doctrinam eius, quia ipſe potius docebit, non eſſe adoranda idola, & cultores illorum perſequetur. Atque hinc aliqui colligunt, illas plagas, & cædes non eſſe futuras ſub Antichriſto, ſed illum præcedere, & quia per illas non conſumentur omnino idololatræ, per Antichriſtum eſſe perimendos. Alij vero cenſent, nihil referre, quod illi feroces equi ſint exercitus ipſiuſmet Antichriſti: nam licet ille idololatras perſequatur, non poterit omnes qui in mũdo ſunt occidere. Sicut Mahometus etiam eſt inſectatus idololatras, eos tamẽ abolere non potuit. Poterunt ergo aliqui etiam poſt perſecutionem Antichriſti viuere, & de ijs, qui remanſerint poſt tot hominum cædes, & à ſuis idololatrijs pœnitentiam non egerunt, recte dicitur, cum ipſo Antichriſto, vel cũ malis Chri-

A ſtianis damnandos eſſe. Nam ſimili modo licet Antichriſtus Chriſtianos perſequatur, non poterit tamen omnes interficere, nec peruertere, & tamen ſi qui ex illis reſiduis praui fuerint, & non egerint pœnitentiam à ſuis fornicationibus, & homicidijs, &c. etiam illa dãnabuntur.

Et ita poſſunt poſteriora verba Ioannis intelligi. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidijs ſuis, neq; à fornicatione ſua, neq; à furtis ſuis.* Hæc enim vitia non indicant doctrinam Antichriſti, ſed prauos mores hominum. Quod notauit ibi Richardus 19. De ... ribus, ... de Antichriſti diſcipulis loquitur D. Ioannes.

B Vict. dicens. *Notandum, vbi ait. Neque egerunt pœnitentiam de operibus manuum ſuarum, ibi redarguere eorum infidelitatem. Vbi vero dicit, & non egerunt pœnitentiam ab homicidijs, &c. ibi redarguit eorũ prauas actiones.* Hæc autem vitia inueniri quidẽ ſolent in multis Catholicis, multo vero magis in hęreticis; inter quos præſertim exerceri veneficia, vulgatiſsimũ eſt: homicidia vero eorum, & iniuſtiſsimas cędes, & in antiquis hæreticis, Donatiſtis, Arianis, in hiſtorijs, & Sanctis Patribus legimus, & in modernis oculis conſpicimus, qui eo ferocitatis peruenerunt, vt

C ſe ipſos ſæpe occidant, vt hoſtes ſimul perimant, ne in illorũ manus perueniãt. Poſſunt deniq; ſub illis verbis cõprehẽdi etiam alij infideles, qui idola non colunt, vt Pagani, qui maxime vitijs carnis, per fornicationes ſignificatis, dediti eſſe ſolent: & Iudæi, qui vſuris, & alijs iniuſtis negotiationibus frequẽtius inuoluũtur. Ac deniq; ſub illis quatuor mẽbris omnia genera peccatorũ mortaliũ comprehenduntur, à quibus qui pęnitentiã non egerint, licet aliquã Dei veri cognitionẽ habeãt: imò licèt verã fidẽ habeant, damnabuntur. In quo etiã perſtringũt hęc verba

D hæreticos Proteſtantes, qui ſine pęnitentia peccatoribus ſalutem promittunt.

Supereſt, vt ad ſingulas Proteſtantiũ calũnias, quas Rex imbibit, breuiter reſpondeamus. Et in primis quoad adorationem dœmonis, notiſsimũ eſt, in Romana Eccleſia non ſolũ reprobari, ſed etiã eius criminis reos grauiſsime puniri. Neque vllus Doctor catholicus in dubium id reuocauit. Gabriel autẽ Vaſquez vir inſignis doctrinę, & pietatis in hoc à catholicis Doctorib' nõ diſſẽtit: ſed tractat quęſtionẽ de facto; & nõ de iure, an qui illuditur à dœ- 20. Reſpondet ad primam ex calũniis Proteſtãtiũ. Gabriel Vaſquez à crimine falſo m poſt ... defenditur.

A

â dæmone ſibi apparente ſub aliqua ſpecie, vel figura Chriſti, & adorationem exhibet ſigno, vel lumini apparenti, poſſit per ignorationem, vel bonam intentionem ab idololatria, vel ſuperſtitione excuſari. Aitque vtroque modo excuſari poſſe, quia ſi ignoratio ſit inuincibilis, vt eſſe poteſt, culpam excuſat. Si vero intentio adorantis non feratur in ſignum apparens, ſed ſolum in Chriſtum repræſentatum, vel in memoriam reuocatum, etiam excuſatur culpa, quia vtroque modo re vera non adoratur dæmon, ſed Chriſtus. Quæ doctrina euidenter ſupponit, adorationem dæmonis per ſe eſſe damnabilem. Ad ſecundum concedimus, catholicæ doctrinæ de cultu, & adoratione imaginum Eccleſiam Romanam caput eſſe; quantum vero diſſidium ſit inter imagines, & idola, quantumque adoratio imaginum ab idololatria diſtet, ſatis in libr. 2. tractatum eſt. Ad tertium de homicidijs dicimus, illa quidem interdum cõmitti â malis Chriſtianis, & propter illa fore damnandos, niſi pœnitentiam agant: Pœnas vero, quæ authoritate publica in Eccleſia catholica interdum hæreticis infliguntur, non eſſe homicidia, ſed iuſta ſupplicia.

Ad ſecundã de idolatria.

Ad tertiã de homicidijs.

21. Ad quartã de veneficijs.

In quarta calumnia duo includuntur errores, vnus eſt, damnare ſacramentalia Eccleſiæ tanquam ſuperſtitioſa, & venefica, quod euidenter falſum eſt, & blaſphemum, cum veneficia dæmonis virtute, & ſacramentalia Dei auxilio, oratione, & ſanctorum etiam interceſſione, Eccleſiæque precatione nitantur, vt in libr. 2. tetigimus, & alibi latius tractauimus. Alius error eſt, venerationem reliquiarum tacite negare, & miracula diuina, quæ illis mediantibus fiunt, damnare contra Scripturam Actor. 19. de ſudarijs, & ſemicinctijs ſancti Pauli, & cap.5. de vmbra Petri. Et 4. Reg. 13. de reliquijs Eliſei, & contra omnem traditionem, & hiſtoriam Eccleſiaſticã adeo conſtantem, vt vel illam negare, vel illi fidem non adhibere inſolentiſsimũ ſit. Quod vero ibi additur de orationibus ſuperſtitioſis, Pontificibus, & Põtificijs, nihil obeſt, quia ipſi damnant ſuperſtitionem illam, & illis ſignis, vel ſcriptis, aut verbis vtentes puniunt; vt tractando de ſuperſtitione dixi.

Tom. 3. in tert. part. Reliquiarũ cultũ tollere inſolẽtiſſimum eſt. *Actor.* 5. & 19. 4. *Reg.* 13

22. Tom. 5. de Relig. Ad quintã de fornicationibus.

Quinta accuſatio antiquas hæreſes excitat, damnare enim videtur cælibatum, virginitatem, & Monachatum, quæ certe hæreſes ſi ad Chriſtianam doctrinam pertinent, Eccleſiæ fides à principio Antichriſti fuit, nõ Chriſti. Ipſe enim Chriſtus virginitatem, & paupertatẽ docuit, Pauluſq; cõſuluit, & à principio fuerũt in Eccleſia Monachorum greges, & ſanctarum Virginum monaſteria. Sed hæc alijs locis à nobis latè tractata ſunt. Nũc lectorem breuiter aduertimus vt inter otium vitioſum, & ſanctum diſcernat,

Cælibatus otio virtutes nõ vitia nutriuntur.

B

nam illud libidinis, vel maiorum vitiorum eſt incentiuum; hoc vero charitatẽ nutrit, & ab ea deſideratur, dicẽte Auguſtino, *Otium ſanctum quærit charitas veritatis.* Hoc enim otium, licet ab operibus externis ſæpe vacet, non tamen â diuinis ſtudijs, meditationibus, aut orationibus, quarum adiutorio fit, vt libido non dominetur, nec vincat, licet interdũ pulſet. Et ideo dixit Paul. 1. Corin. 7. *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta & corpore, & ſpiritu.* Et ſubdit inferius: *Porro hoc ad vtilitatẽ veſtrã dico, non vt laqueũ vobis inijciã, ſed ad id, quod honeſtũ eſt, & quod facultatẽ præbeat ſine impedimento dominum obſecrãdi.*

Lib. 19. de Ciuit. ca. 19.

1. *Cor.* 7.

C

Status ergo continentium non ſolũ perfectior, ſed ad ipſam continentiam ſeruãdã vtilior eſt, ſi homo recte illo vtatur: nec damnandus eſt propter particularia perſonarũ vitia, quæ in alijs ſtatibus non deſunt, & interdũ propter maius cõmune bonũ toleranda, & quantum fieri poteſt, corrigenda ſunt: quod ſancte, & prudenter Romana Eccleſia obſeruat.

23. Ad ſextã de furtis.

Quæ vero in ſexto mẽbro de furtis dicũtur, falſæ calũniæ Proteſtantiũ ſunt, neq; aliud reſponsũ merentur; vixq; illius ſunt capaces, qui odiũ, & indignatione contra indulgẽtias cõceperunt, & illo ita excæcati ſunt, vt pias, & volũtarias eleemoſynas à furtis diſcernere nõ valeãt. Nam in conceſsione indulgentiarũ nullus eſt quæſtus non ſolum iniuſtus, verum etiã nec indecẽs, nec reſultans in vtilitatẽ temporalẽ concedentis indulgentiam, ſed eſt paterna prouidentia ſuccurrendi communibus neceſsitatibus quorundam fidelium per pia opera aliorum, eos inducendo ad opera ſatisfactoria pro peccatis, inter quæ ſunt eleemoſynæ, qui-

D

In largitione indulgentiarũ nullus indecẽs [illegible]

quibus alij indigẽtes iuuari poſſunt. Sed de hac materia latius à nobis in proprio loco diſputatum eſt.

24. *Apoc.*10. Reſpondetur ad ea, quæ Rex vltimo cõtra Rom. Pontificem accumulat.

Ad ea tandem, quæ Rex tertio loco inducit ex cap.10.& 11. vt ſuadeat, in cap. 9. ſermonem eſſe de Antichriſto. Reſpondetur primo, ex verbis illis capitis. 10. vbi *Angelus iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, quia tempus nõ erit amplius,* ad ſummum probari illas tribulationes, & ſupplicia diuina, quæ in ca.9. prædicuntur, pertinere ad vltima tempora mundi: inde vero non neceſſario ſequitur, inter plagas dicto cap.9. prænunciatas contineri vltimam Antichriſti perſecutionem, ſatis eſt enim, quod poſt illas proxime immineat. Nam quia homines per priores plagas nec pœnitentiam agere, nec emendari voluerũt, tandem permittet Deus vltimam, poſt quam mundus conſumetur. Vnde cõminatio illa, *quia tempus non erit amplius,* non oportet, vt intelligatur implẽda ſtatim poſt præcedentes plagas, ſed poſt vltimam, quæ iam inſtabit. Quod ex cõſequẽtibus verbis poteſt facile intelligi, additur enim: *Tempus non erit amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cæperit tuba canere cõſummabitur myſterium Dei.* At ſeptimus Angelus non ſtatim cæpit tuba canere, ſed in cap. 11. prius præmittitur perſecutio Antichriſti, & prædicatio teſtium contra illum, & in fine additur. *Væ ſecundum abijt,* id eſt, completum eſt, *Et ecce væ tertium veniet cito.* At væ ſecundum inchoatum fuerat in tuba ſexti Angeli, nam primum væ in quinta tuba fuerat conſummatum, vt in cap.9. dictum fuerat. Ergo væ ſecundum quatenus in illo includitur Antichriſti perſecutio non fuit completum, nec comprehẽſum totum in vocibus, & prædictionibus ſextæ tubæ, ſed duraturũ eſt poſt omnia, quæ dicuntur cap.10. Et in priori parte capitis.11. vſque ad dicta verba. *Væ ſecundũ abijt, & ecce væ tertium veniet cito,* vtiq; væ vltimi iudicij diei. Vnde ſtatim ſubiungitur. *Et ſeptimus Angelus tuba cecinit,* &cæt.

Apocalypſis verbis vẽtura non cõpleta Antichriſti perſecutio indicatur.

*Apoc.*11.

24. *Apoc.*9. Vnde ſiquis verba, & contextũ Ioannis attente conſideret, facile intelliget, priores plagas cap.9. ad vniuerſum mundum, & magis ad impios, & infideles, & iniquos, quàm ad Eccleſiam, & ſanctos

A pertinere, vt indicant verba illa capitis. 9. *Præceptum eſt illis, ne læderent.* Et infra. *Niſi tantum homines, qui non habent ſignũ Dei in frontibus ſuis:* vltimam vero perſecutionem Antichriſti, quæ cap.11. & ſequentibus prænunciatur, futuram eſſe contra Eccleſiam, & contra ſanctos, vt patet ex initio capitis.11. Vnde vlterius poſſumus diſtinguere duo tempora Antichriſti, vnum, in quo monarchiam expugnabit, & hoc tempus comprehendi poteſt in viſionibus capitis. 9. nam ſine dubio calamitates, & plagas orbi inferet per bella, & exercitus ſuos, quibus totũ B orbẽ perturbabit: & pro eo tempore nõ ita ſe oſtendet Chriſto contrarium, ſicut poſt obtentam monarchiam, imò ficte, & ſimulate procedet, vt ſancti etiam antiquiſsimi docuerunt. Aliud vero eſt tempus perſecutionis Eccleſiæ, & de hac ſine dubio incipit loqui Ioannes in cap. 11. Denique licet daremus Regi, omnes prædictiones quintæ, & ſextæ tubæ pertinere ad perſonam Antichriſti, & futuras eſſe in fine mũdi, inde euidentius concluderemus, illas plagas nõdum incæpiſſe, neq; illum Antichriſtũ C apparuiſſe, aut bella ſua excitare cæpiſſe, vel ſaltẽ non potuiſſe incipere ante mille annos à temporibus Bonifacij tertij, iam enim mundus finitus fuiſſet, vt in ſuperioribus demonſtratum eſt.

Cap.9. Apocalypſis ... gis ... pies, quam ad Eccleſi... ſtatum ... ciat.

Inter... de te... Antichr... mor... antecedete.

Si apud ... nem ſermo eſt de Antichriſto, ... de probatur nondum venisse.

CAPVT. XIX.

Idem ex cap.13. oſtenditur, & omnia, quæ Rex ex illo decerpit, refelluntur.

TErtiam veluti deſcriptionem Antichriſti colligit Rex ex cap. 13. Apocalypſis, multũq; laborat, la- 1.
D teq; diſcurrit, vt eam Pontifici Romano accommodet, ſed re vera in vanum laborat, & quo licentius loquitur, & pro ſuo arbitrio, & affectu verba Scripturæ accõmodat, eo magis errorẽ, in quo verſatur, oſtendit, & nolẽns impugnat. Prius vero, quã illius diſcurſus expendamus, ſummã illius capitis iuxta propriũ, & literalẽ ſenſum magis receptũ ante oculos proponamus. Duas etenim habet partes. In priori narrat Ioannes ſe vidiſſe beſtiam aſcendentem de mari, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper

Periocha capitis.13. Apocalypſis quoad priorẽ illius partem.

ſuper cornua eius decē diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. De qua beſtia dicit eſſe ſimilē pardo, & habere pedes ſicut vrſi, & os ſicut os leonis. Et draconē dediſſe illi totā virtutē ſuā, & vnū ex capitibus eius fuiſſe abſciſum in mortem, & plagam mortis eius curatam: & admiratam totam terram adoraſſe beſtiam. Et poſtea deſcribit Ioannes poteſtatem datam huic beſtiæ ad loquendū magna, & blaſphemias, & ad perſequendum Sanctos menſibus quadraginta duobus. Atque hæc fere ſunt, quæ in priori viſione, & parte illius capitis continentur.

2. De hac autem priori beſtia quid ſit, ſeu repręſentet, & quo ſenſu accipienda ſint, quę de plaga mortis illi data, & curata, & de tempore perſecutionis eius dicuntur, in capite 6. dximus, vbi Regis metaphoras impugnauimus. Et inde viſionem illam ad Pontificem accommodari non poſſe; imò inde, beſtiam illam nondum apparuiſſe, conuicimus. Nihilominus tamen neceſſarium eſt, hoc loco refellere aliqua, quæ contumelioſè per ſolam maledicentiam Pontifici accōmodātur, quæque non niſi Proteſtantes, & Scripturam adulterantes in ore Regis poſuerunt.

3. Quatuor beſtiæ illius proprietates Roman. Pōtif. Rex affingit.

Pungens igitur Romanum Pontificē ait, beſtiam illam apparuiſſe pardo ſimilem. *Tum propter colorem, quia reſperſa erat maculis; id eſt, corruptelis contaminata, tū quod adulterinam quandam imperandi ratio-*
1. *nem habet, ſpecie ſpiritualem, re vera ſecularem, quia ſuper Reges terræ extollitur.* Se-
2. cundo ait, hanc beſtiam apparuiſſe etiam leopardo ſimilem, *quæ ſpuria eſt bellua, è*
3. *leone pardoque miſta.* Tertio ait, viſam eſſe *vrſinis pedibus ad vires eius ſignificandas, ore autem leonis ad rapacitatem declarandā,*
4. *ſæuamque naturam.* Quarto exponit, apparuiſſe os ſuum ad blaſphemias in Deum, & bellum ſanctis intuliſſe, quia *eam* (ait) *terram vniuerſam adorare oportet, quod nunquam vetus illa ethnica Roma à quoquam poſtulauit, quæ dedignata non eſt, fœdere cōiunctos Reges ſocios, atque amicos comiter appellare.* Probat autem, hanc adorationem dari Summo Pontifici ex more inaugurādi Pontificem, teſtemque ipſum Cardinalem Bellarminum appellat.

4. Verumtamen in primo puncto interpretatio ipſa, ſeu analogia ad veritatē, & ad literam cōparata apta nō eſt, nec ſufficiens, quia Antichriſtus non erit tantum *corruptelis contaminatus*, ſed erit vndique corruptiſsimus, nec vſurpabit temporale regimen ſub ſpecie, vel vmbra ſpiritualis poteſtatis, ſed primo, ac pręcipue tēporale imperiū occupabit, & violenter vſurpabit, & deinceps etiā diuinitatē ſibi arrogabit, vt partim ex Daniele & Paulo aperte intelligitur, & in pręcedenti capite tactū eſt, & in ſequenti iterū dicetur. Vide longe aliter Richard. Victor. lib. 4. in Apocalypſ. cap. 4. per beſtiā illam intelligens imperiū ethnicū gentiliū Eccleſiā perſequentiū, ait, *comparari pardo maculoſo propter variam philoſophorum aſſertionem*, id eſt, propter variam ſuperſtitionē. Ambroſius vero ibi, *hypochriſim Antichriſti* in varietate colorum dicit deſignari: *Nam cùm ſit futurus homo nequiſsimus, varijs virtutibus ſe decorabit, vt facilius ſtultos quoſque decipiat.* Beda vero, & Primaſius cum Tyconio Homilia. 11. in maculis pardi aiunt repræſentari *gentium varietatem Antichriſtum ſequentium*, ſiue quia erit multitudo collecta ex diuerſis populis, ſiue quia diuerſis hæreſibus erit maculata, vt ait Diuus Anſelmus. Vnde ſi maculæ pardi vitia repræſentant, non quoſcumque defectus, ſed vniuerſa vitia in Antichriſto futura deſignant. Accedit quod Antichriſtus propter velocitatem pardo comparatur, quia breuiſsimo tempore imperium conſequetur, & omnia conculcabit. Sicut Danielis ſeptimo, Alexander Magnus propter hanc cauſam per pardum repræſentatur, vt Diuus Hieronymus, & alij exponunt. Item propter crudelitatem in humano ſanguine effundendo. Nullus autem niſi impudentiſsimus ſit, ſimiles proprietates in Romano Pontifice audebit confingere. Imo neque Rex Angliæ, neque tota hæreticorum verſutia eas corruptelas, quas in Sede Apoſtolica effingunt, oſtendere potuerunt: nam quæ ad doctrinam pertinent corruptelæ non ſunt, licèt ab hominibus contrarijs erroribus, & hęreſibus corruptis tales iudicentur: quę vero ad mores ſpectant, maxima ex parte ab eiſdem Eccleſię hoſtibus vltra veritatem efficte, & exaggeratæ ſunt; & ſi aliquę huiuſmodi in

Reſpondetur ad [illegible]. Antichriſtus non ſolus Vitiorum maculis [illegible]debit, ſed illis [illegible] appellabitur. [illegible]ius imperium tēporale [illegible] primario.

Rich. Vict.

D. *Amb.*

Beda. *Primaſ.* *Tycon.*

D. Anſel.

Pardo comparatur Antichriſtus ob velocitatē.

Daniel. 7

D. Hier.

in Prælatis Eccleſiæ inuentę aliquando ſunt, ad perſonales, & humanos defectus pertinent, qui ſedem ipſam non maculant.

5. Reſpondetur ad 2. & 3.

Vnde quæ in ſecundo, & tertio puncto de ſimilitudine leopardi, & de pedibus vrſinis dicuntur, non grauatè accipimus: aptè enim in verum Antichriſtum conueniunt. Ex eiſdem autem proprietatibus, earumq; ſignificatione conuincitur, deſcriptionem illam non poſſe Põtifici accõmodari: Cur enim Bonifacius Tertius, vel alius ſimilis Pontifex eius ſucceſſor poterit ſpurius appellari, cum neque origine talis fuerit, nec electione, ſed legitime creatus? Vel quæ rapacitas, aut ſęua natura in eis inuenta eſt, vt vrſinos pedes habere dicantur? Antichriſtus enim dicitur pedes vrſinos habiturus, quia *pedibus ſuis omnia conculcabit*, vt dicitur Daniel. 7. Quod autem quarto loco addit de adoratione Pontificis ridiculum eſt: non enim adoratur vt Deus, ſed vt ſupremus Eccleſiæ Prælatus, ac Vicarius Dei. Quid enim eſt adoratio hæc, niſi quędam veneratio, & honoris exhibitio? Ait enim Paulus: *Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt* 1. Timot. 5. quid ergo mirũ, quod is, qui toti Eccleſiæ prææſt, magna veneratione dignus habeatur? pręſertim cũ in Chriſti honorem tota illa veneratio redundet.

Proprietates illæ in Rom. Pontificib. nõ reperiuntur, erunt tamẽ in Antichriſto.

Daniel. 7. Ad 4.

Cultus Põtifici exhibitꝰ veneratio ẽ, non diuina adoratio.

1. Tim. 5.

6. Immerito autem comparat Rex Romam ethnicam cum Chriſtiana, tantum enim diſtat imperium illius ab iſtius poteſtate, quantum terreſtria à cœleſtibus, corporalia ab ſpiritualibus, & temporalia ab ęternis diſcrepant, vt in tertio lib. abunde monſtratum eſt. Romani ergo Imperatores tantũ temporales domini erãt, limitatamq; ditionẽ poſſidebant, ideoq; aliarum ditionũ Reges non vt ſubditos, ſed vt ſocios comiter tractabant. Romani autem Pontifices ſpirituales Prælati, ac Reges ſunt, totumque mundum pro territorio, omneſq; oues Chriſti pro grege habent, & ideo Reges omnes Chriſtianos ſubditos appellare poſſunt; & nihilominus eos (niſi hæretici, vel ſchiſmatici ſint) non ſolum comiter, ſed etiam humaniſsime filios, & interdum etiam Dominos appellare nõ dedignãtur. Imò interdum tanta ſubmiſsione animi id fecerunt, vt eorum verbis abutantur Rex,

Romæ ethnicę, & Chriſtianę imperia male cõparantur.

A & Proteſtãtes ad eos Imperatoribus ſubijciendos, ſicut de Gregorio Papa in tertiò libro notauimus. Atque hæc ſunt ſatis de prima beſtia.

In ſecunda parte eiuſdem capitis. 13. narrat Ioannes *Vidiſſe aliam beſtiam aſcendentem de terra, quæ habet cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut Draco*, de qua multa dicit. Primum, feciſſe, vt omnes habitantes in terra, adorarent beſtiã primam. Secundo datum eſſe illi, vt faceret *ſigna magna*, & in particulari ita *vt ignem faceret de Cælo deſcendere in terram* B *in conſpectu hominum*. Tertio per hæc ſigna, *ſeduxiſſe habitantes in terra, vt faciant imaginem*, prioris beſtię. Quarto, *datum eſſe illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ, & faciat, vt quicumque non adorauerint imaginem beſtiæ occidantur*. Quinto, quod *faciet omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere characterem beſtiæ in dextera manu ſua aut in frontibus ſuis, vt nemo poſſit vendere, neque emere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerũ nominis eius.* Sexto additur myſterium numeri nominis eius his verbis. C *Numerus enim hominis eſt, & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Quæ omnia adeo ſunt obſcura, vt vix humano ingenio coniectari poſsint, nedũ comprehendi. Et vt rectè annotauit Cardinalis Bellarmi. ſignũ euidẽs eſt, nõ eſſe impleta, quia hodie tam ſunt obſcura, & ænigmatica, ſicut quãdo primũ ſcripta fuerũt, prophetiæ autẽ, quæ per ænigmata fiũt, licèt antea ſint obſcura, ſaltẽ quando implẽtur, intelligũtur, & claræ fiunt, aliàs inutiles eſſent; cũ ergo hęc perinde obſcura ſint, ac antea erãt, ſignũ eſt, non eſſe impleta. Et nihilominus Rex D Anglię ſuo more ita multa accõmodat, ſicut, vel opinioni ſuæ, vel ad detrahendũ Romanę ſediputat eſſe accõmodata. Priꝰ vero, quã illi reſpondeamus, propriũ, & literalẽ ſenſum huius viſionis proponemus, vt comparatione illius error fictę interpretationis euidentius appareat.

7. Periocha ſecunda partis capit. 13. Apocalyp.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

Bellarm.

8. Hæc poſterior beſtia Antichriſti eiuſq; emiſſarios ſignificat.

Hęc ergo poſterior beſtia, vel generatim reprę́ſẽtat Antichiſti pſeudo prophetas, & prędicatores, quos ipſe ad ſuã diuinitatem ſuadendam, & Sãctos perſequẽdos mittet, vt exponũt ibi Primaſi. Beda Anſel., & alij & ſẽtit Greg. 13. Moral. c. 26.

D. Anſel. *D. Greg.*

26.aliàs 36. vel certe ſignificat aliquẽ ex illis inſignẽ, & excellentem magicũ, & potentem etiam viribus, & exercitu, qui per ſigna ſeducendo, & per potentiam cogendo, ad Antichriſtum adorandum homines conuertat. Sic Irenę. lib.5. cap. 28. poſtquam priorem huius capitis viſionem retulerat, de hac poſteriori ſubiungit. *Poſt deinde, & de armigero eius, quẽ & pſeudoprophetam vocat, loquebatur* (inquit) *quaſi draco, & poteſtatem primæ beſtiæ omnem faciebat ei, in conſpectu eius.* Eandẽ ſententiam comprobat Andre. Cæſar. allegans etiam Irenæum ſuo capit. 37. Aretas verò ſuo etiam capit. 37. licèt in principio videatur, per hanc etiam poſteriorem beſtiam Antichriſtum interpretari, poſtea magis rem declarans, vocat hunc *Præcurſorem Antichriſti*, & illos diſtinguit, comparans cum Ioanne Baptiſta, & Chriſto. Victorin. etiam in ſingulari intelligit falſum Prophetam, qui facturus eſt portenta, & ſigna mendacia ante Antichriſtum. Et hanc nunc frequentius ſequuntur eruditi Scriptores, quos refert, & ſequitur Maluenda lib.8. de Antichriſt. cap. 19. Ambroſius verò in Apocalypſim ſub diſiunctione ait, hãc beſtiam eſſe, aut multos prædicatores Antichriſti, vel aliquem deteriorem cæteris.

D. Iren.

Andr. Cæſar.

Aret.

Victorin.

Maluend.

D. Ambr.

9. Loquitur etiam Ioannes de primario aliquo Antichriſti adiutore.

Sed licet verum ſit, ſub illo propheta falſo per antonomaſiam nominato, alios adumbrari, nihilominus negari non poteſt, quin de ſingulari aliquo homine inſigni fautore Antichriſti, & hominum deceptore Ioannes loquatur, tum quia contextus ipſe ſyncere ſpectatus id ſatis indicat, tum etiam quia in cap. 19. euidenter id oſtendit idem Ioannes dicens, *Apprehenſa eſt beſtia & cum ea pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ & qui adorauerunt imaginem eius, viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.* Vbi euidenter deſcribit eundem pſeudoprophetam, quem ſub nomine beſtiæ de terra aſcendere viderat, & de illo vt de ſingulari homine æquè, ac de Antichriſto loquitur, & tanquam duos homines ſpeciali modo damnatos numerat, eoſque à cæteris ſectatoribus Antichriſti diſtinguit, ſubiungens: *Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equũ, &c.*

Apoc.9.

A Nõ eſt ergo dubium, quin per illam beſtiam ſecundam peculiaris homo, ſingularisq; Antichriſti prædicator ſignificetur, cuius duæ præcipuæ proprietates per duas beſtiæ conditiones deſignãtur. Dicitur enim habere cornua tanquam agni propter hypocriſim; oſtendet enim ſe manſuetum, & erit crudeliſſimus perſecutor, vel oſtendet ſe tanquam verum Chriſtum prædicans, loquetur autem vt draco, quia Antichriſtũ prædicabit, motus, & actus à dracone, qui priori *beſtiæ dedit totam virtutem ſuam, & poteſtatem.* B Atque ita duas illas metaphoricas proprietates expoſuerunt Irenæus, Andr. Aret. & alij ſupra allegati. Et Ticon. aliàs Auguſt. Homil.11. in Apocalypſ. licèt illas omnibus hæreticis accommodet. Idemquè ſenſit Gregor. loco ſupra citato, eaſdem tribuendo quaſi per participationem omnibus falſis prædicatoribus Antichriſti.

Illi pſeudopropheta duæ notæ aſſignatur hypocriſis, & [illegible]poteſtas.

D. Iren.

Andr.

Aret.

D. Aug.

10. Pſeudopropheta ille curaturus eſt, vt Antichriſtus velut Deus adoretur.

Cætera verò, quæ de hoc falſo propheta Ioannes prædicit, licet Patres, & expoſitores Catholici obſcura, & difficilia intellectu eſſe fateantur, omnes tamen, qui eorum literalem ſenſum inueſtigant, in eis proprietatem verborum, quoad fieri poteſt, ſeruare ſtudent. C Itaq; cum dicit, facturam eſſe beſtiã illam, vt *omnes habitatores terræ primam adorent*, id de diuina adoratione, & vera latria intelligũt, hac enim ipſe Antichriſtus cupiet adorari, vt in cap.17. ex Scriptura, & Patribus oſtenſum eſt. Item cũ dicit *facturum ſigna* de ſenſibilibus miraculis fictis, & mẽdacibus prodigijs verba exponũt, iuxta verba Chriſti Matth. 24. *Surgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia.* Nam ſicut quoad pſeudochriſtos per antonomaſiam implebuntur hæc verba in Antichriſto, D ita quoad pſeudoprophetas in hoc Antichriſti præcurſore implenda eſſe Ioãnes ſentit. Chriſtum autem loqui de ſignis externis apparentibus, & ſenſus illudentibus, nemo vnquam dubitauit. Vnde cũ vlterius Ioannes ait, facturam illam ſecũdam beſtiam, *vt ignis de cœlo deſcendat*, de vero locali deſcenſu, & de vero igne, vel ſaltem de corpore ſenſibili habente ſpeciem tanquam ignis, omnes etiam interpretantur. Quia hoc & eſt conſequẽs ad priorem interpretationem ſignorum in

Falſa prodigia operabitur.

Matt. 24.

Ignẽ quoq; [illegible] ſpeciem deducet.

generali, & eſt cõſentaneum proprietati verborũ, & nulla eſt neceſsitas alias metaphoras confingendi, præſertim cum Ioannes dicat, deſcenſurum ignẽ *in conſpectu hominũ.* Similiter quod tertio loco addit Ioannes de imagine prioris beſtię, de propria ſenſibili imagine, vel ſtatua Antichriſti intelligitur, quã facient credentes in eum, & in templis, & fortaſſe in Hieroſolymitano eam collocabunt, vt ipſa adoretur, & Antichriſtus in ea tanquam verus Deus. Et cum eadem proprietate intelligitur, hunc pſeudoprophetam daturum ſpiritũ illi imagini, vt loquatur: nam per pactũ cum dœmone hoc facillimè fieri poteſt, ſicut in ſculptilibus, & idolis gentiũ immundos ſpiritus loqui ſolitos fuiſſe, in hiſtorijs notiſſimum eſt.

Antichriſti ſtatuæ vocem dabit, eamque faciet adorari.

11\. De charactere autẽ Antichriſti, eiuſq; in manibus, vel fronte impreſsione, omnes etiã in hoc conueniunt, quòd ſit futurum ſignum ſenſibile hominibus accõmodatũ ad externam ſuę religionis profeſsionem, & fortaſſe tanquam inſigne quoddam apoſtaſiæ, vel diſceſsionis à Chriſtiana religione, & ad ſectæ Antichriſtianæ aggregationẽ: quanuis in particulari nemo diuinare poſsit, qualis character ille futurus ſit. Nam illud prius veritas, & proprietas verborum Ioannis requirit; hoc autem poſterius per illa nõ explicatur, nec in alijs locis Scripturæ reuelatum eſt, nec ratione inueſtigari poteſt. Denique de nomine beſtiæ omnes etiam docent, tale futurum eſſe, vt ex literis conſtet, quæ ad rationem numerorum iuxta morem Græcæ linguæ redactis, numerum *666.* contineant. Quia verò innumeris modis poſſunt Græcæ literæ ita componi, vt illum numerum reddant, addunt dicti expoſitores, ſciri non poſſe, quale futurum ſit Antichriſti nomen, donec appareat, & tunc ex effectu cognoſcatur prophetiæ ſenſus, & veritas. Nam licèt nunc contingat, nomen alicuius conſtare ex literis, quæ ſecundum Græcum idioma illum numerum reddant, vt de Mahometo, vel Luthero aliqui oſtendere conati ſunt: illud non eſt ſufficiens Antichriſti ſignum, ſi alia deſint, quia eſt valde ambiguũ, & æquiuocum, & ideò neceſſe eſt, vt cum alijs coniungatur.

Character beſtiæ erit ſignum quo Antichriſti fautores palam agnoſcentur.

Nomen Antichriſti numerũ 666. iuxta gręca elemẽta referet.

Adhuc ignotum eſt illud nomẽ.

A Hanc autem breuem paraphraſim, ſeu expoſitionem literalem verborum Ioãnis ſumo ex authoribus proxime allegatis, Irenæus enim dicto cap. 28. de hoc pſeudopropheta dicit, quod faciet ſigna *magica operatione.* Et ibidem adiungit cætera verba Ioannis, ſimpliciterq; ſine alia interpretatione illa propriè intelligit. In cap. verò 30. latè docet, quod de numero nominis diximus. Victorin. etiam in Apocalypſ. circa ſignum ignis ait: *Hæc magi per Angelos refugas & hodie faciunt.* Et addit: *Faciet etiam, vt imago aurea Antichriſto in templo Hieroſolymis ponatur, &* B *intret Angelus refuga, & inde voces, & ſortes reddat.* Et de nomine, & nota characteris eodem modo ſentit. Idem fere habet Aret. ſuo cap. 27. vbi de igne apertè dicit deſcenſurum ita, vt videatur, *Intuentium oculos faſcinando,* & de charactere ait, futurum eſſe *Pernicioſi nominis inſculpturam,* & dandum eſſe *in ſignum, quo poſsint, vel non poſsint homines negotiari,* ſupponens, illud futurum eſſe ſenſibile. Et Andr. cap. 37. *Quidquid* (inquit) *Pſeudochriſti præcurſor ad hominum deceptionẽ facturus eſt, hoc totum per præſtigias, &* C *incantationes facturus eſt, vt Antichriſtus teſtimonium habeat à viro, qui tanta miracula patrarit.* Et infrà: *Non eſt mirum, aut nouum, ſi in oculis hominum ignem è cœlo deſcendere faciat impoſtor.* Et adducit exemplum de igne virtute diaboli incenſo, vel ſupernè dilapſo ad Iobi armentum ſubito abſumendum. Poſtea vero de imagine propria, & loquela eius alia verba interpretatur, exemplisque ſimilium præſtigiarum dœmonum confirmat. De charactere item loquitur tanquam de nota ſenſibili, intelligitq; propriè hominibus imprimendum fore, vt D ſignum neceſſarium ad emendum, & vendendum etiam res neceſſarias, *Vt ſaltem* (inquit) *ob rerum ad vitam neceſſariarum penuriam ad violentam mortem adigat,* vtique illos, qui characterem illum recuſauerint.

12\. Prædicta Patrum cenſu firmantur.

D. *Irenæ.*

Victor.

De Imagine.

Aret. De Prodigijs.

And. Cæſ.

Iob. 1.

Antichriſti charactere eſculenta venalia polluẽtur.

Ac tandem cap. 38. quæ de nomine Antichriſti diximus, tradit, & authoritate Hypoliti confirmat. *Dabit characterem in dextra manu, & in fronte, ne quis dextra ſua manu pretioſam illam Crucem pingat in fronte.* Inferius autem ſentit, characterem illum futurum eſſe nomen ipſius

13\. Ne Crucis locus ſit in frõtibus characterẽ Antichriſti pſeudopropheta ille imprimet.

ipſius Antichriſti ſigillo ſenſibiliter impreſſum in fronte, vel manu. De illo autem nomine negat ſciri poſſe, quale futurum ſit. Similiter de charactere Antichriſti loquitur Ephrem tract. de Antichriſto Metro, ſeu §. 2. *In dexteram manum, ſeu frontẽ inſculpturus eſt homini characterem hunc ſuum impium, ne facultas ſit homini ſe ſignandi ſigno Chriſti.* Et in ſequẽti metro ſigna, & falſa prodigia ſimiliter de externis ſenſibilibus præſtigijs exponit. Ac tandem in metro vlt. idem repetit de charactere, ſentiens futurũ eſſe ſenſibile ſignum, *quod Chriſti aduerſarij, pro cruce Saluatoris aſſument.* Indiſtincte autem de his loquitur, prout ab Antichriſto, vel ab eius pſeudopropheta facienda ſunt, omniaque Antichriſto tribuere videtur. Denique Primaſi. Beda, Rupert. & alij in Apocalypſim; imò & moderni omnes in his, quæ diximus cõſentiunt, licet in explicando charactere, & nomine Antichriſti varias, & inter ſe diſſentientes ſententias tradant, quæ varietas nihil noſtræ intẽtioni obeſt, ideoque neceſſe non eſt, illam referre, aut expendere, vnuſque pro omnibus videri poteſt Maluenda lib. 8. de Antichriſto cap. 18. & 19.

D. Ephr.

D. Prim. *Beda.* *Rupert.*

Maluend.

14\. Mataphoricæ Regis expoſitiones literali conuincuntur.

Supereſt, vt cum hoc ſimplici Scripturæ ſenſu myſticas, & metaphoricas Regis expoſitiones, ſeu ad male dicendum accommodationes, cõferamus. Ille enim per hanc beſtiam ſecundam, Apoſtolicam Eccleſiam Pontifici Romano parẽtem, quam ipſe more impiorum Proteſtantium *Apoſtaticam* appellat, interpretatur. Et nihilominus de illa ſubiungit: *Cuius firmior origo eſt, & ſtabilior, vt quæ viſibiliter veræ Eccleſiæ ſuccedat.* In quibus verbis, rei veritate coactus, vel non aduertens quid diceret, Romanam Eccleſiam veram, & catholicam eſſe profeſſus eſt. Nam illa eſt vera Eccleſia quæ veræ Eccleſiæ antiquiori viſibiliter ſuccedit, vt in primo libro oſtẽſum eſt. Vnde illa comparatio, qua hæc Eccleſia dicitur *firmior*, & *ſtabilior*, ſi ad ſynagogas Satanæ, & congregationes Proteſtantium, ſeu Apoſtatarum fiat, recte, & veriſsimè facta eſt: ſi vero fiat ad Apoſtolicam ſedem non recte ſit per exceſſum, ſed per æqualitatem fieri deberet. Nam vera Eccleſia non poteſt à Petro ſeparari, neque è conuerſo, ideoque tam firma, & ſtabilis eſt Petri ſucceſsio, quam eſt certa veræ, ac viſibilis Eccleſiæ duratio; vtraque vtro eſt tam firma, quã eſt certum verbum Chriſti: *Portæ inferi nõ præualebunt aduerſus eam.*

Rex antiquitatem, & firmitatẽ Romanę Eccleſiæ nolens attribuit.

Matt. 16.

15\. Beſtia ſingularem hominẽ propriè ſignificat.

Quod vero ad interpretationem beſtiæ ſpectat, ſatis â nobis oſtenſum eſt, in proprio ſenſu ſignificare vnum quendã ſingularem hominem. Concedimus autem myſtice poſſe ſignificare congregationem quamcunque impiorum, hæreticorum, & Apoſtatarum ſequentium, & prædicantium Antichriſtum. ſiue generaliter, & typicè dictum, ſicut ex Tyconio retulimus, per hanc beſtiam ſignificari omnes hæreticorum ſectas, & miniſtros, ſiue ſingularem, & proprium Antichriſtum prædicantium, vt multi catholici expoſuerũt. Sic ergo verum eſt, beſtiam illam eſſe Apoſtaticam congregationem. Hæc autem apoſtatica cõgregatio nunc multiplex eſt, omnis enim ſynagoga Satanæ ſub nomine Chriſtiano collecta apoſtatica cõgregatio eſt, taliſque eſt omnis Lutheranorum, Caluiniſtarum, Puritanorum, & Proteſtantium congregatio, ſimilemque eſſe Anglicanam pſeudoeccleſiam, in primo libro ex eius ſtatu, & lapſu euidenter oſtenſum eſt.

Myſtice Apoſtaticam hereticorũ cõgregationẽ refert.

16\. Rem. Eccleſia nõ habet Agni cornua id eſt, hypocriſim.

Vt autem Romanam Eccleſiam per illam beſtiam repræſentari Rex oſtendat, dicit in primis habere *cornua ſimilia agni, quia Chriſti ſponſum refert, & ſibi propugnatorem oſtendit.* At non per hypocriſim, ſed per veram fidem, & adorationẽ Chriſti, eiuſque imitationẽ hæc refert, in quo multum ab illa beſtia differt. Adiungit: *Re vera tamen loquitur ſicut draco, quia damnabiles, diabolicaſq; doctrinas docet.* At hoc nunquam ab ipſo oſtenſum eſt; à nobis autem probatum ſufficiẽter eſt in libro primo, teſtimonium hoc nõ ſolum falſum, ſed etiam hæreticum eſſe, quia vera, & viſibilis Eccleſia Chriſti nõ poteſt à fide cadere, cùm ſit columna, & firmamentum veritatis, propter promiſſionem Chriſti dicentis: *Ego vobiſcum ſum, vſq; ad conſummationem ſeculi, & Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Et in lib. 2. à cap. 3. non ſolum Eccleſiam hanc ab omnibus erroribus, quos in illa Rex fingit, vindicauimus, ſed etiam propter

Nec vt draco errores docet, aut vnquam docuit.

propter cõtrarias hæreſes Angliam, quatenus ſub Rege ſuo nunc militat, apoſtaticam, & ſchiſmaticam eſſe, conuicimus.

16. Retorquentur hæreticorum iacula in ipſos.

Quocirca prius, quàm ad alia progrediar, lectorem admonere libet, vt conſideret, quãto maiori, & veriori fundamẽto, Regia illa metaphora, in ipſum, ſuumque miſerandum regnum poſsit retorqueri. Cur enim non dicemus, beſtiam illam priorem eſſe Henricũ.viij. & ſucceſſores eius illũ imitantes, & ſuper capita ſua nomẽ habentes blaſphemiæ, vtique, *capitis Eccleſiæ*, non ſolum in temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus ſupremi. Cur item non dicetur Henricus fuiſſe maculoſus vt pardus, cũ fidei profeſsionem, & doctrinam qua pollebat, turpiſsimis libidinis, ſchiſmatis, ac tandẽ hæreſis maculis fœdauerit? Quin etiam velocitate, & ferocitate pardum imitari viſus eſt: nam breuiſsimo tempore totũ ferè regnũ apoſtatare fecit, & egregios viros in fide cõſtantes atrociter necauit. Denique multo verius dicitur Rex Angliæ adulterina imperandi ratione ſub ſpecie temporalis poteſtatis ſpiritualem vſurpare; & indebitum cultum, adorationemque ambire, dum tanquam ſuæ Eccleſiæ caput vult recognoſci, obediri, & honorari. Et adhunc modum poſſunt cætera facile accommodari. Similique modo dicemus, alteram beſtiam eſſe Anglicanam Eccleſiam à vera fide lapſam, Regem vt ſpirituale caput ſuum venerantem, & infinita verba blaſphemiæ in veram Dei Eccleſiam catholicam, Chriſtiq; Vicarium proferentem: vel certè beſtiam illam ſecundã dicemus eſſe miniſtrorum, falſorumq; prophetarum Regi applaudentium gregem, ſeducentem ibi habitantes, vt priorem beſtiam adorent, eam vt caput Eccleſiæ recognoſcẽdo. Hæc ergo, & ſimilia, & facile cogitari poſſunt, & maiori cum fundamento dici, tum quia vera ſunt, & notiſsima in vniuerſo orbe, tum quia licet Rex Angliæ non ſit Antichriſtus, inter eius typos, & præcurſores iuſte numerari poteſt, cum Chriſtum in ſua Eccleſia, & Vicario ſuo perſequatur, quod cum factis exequi non poſsit, verbis, & probris efficere conatur.

Hẽricus viij & ſimiles expreſſæ ſunt, nõ adũbratę beſtiæ illius imagines.

Anglicana etiam Eccleſia formæ eſt eiuſdẽ.

17. Vnde vlterius Rex progreditur, & quod Ioannes dicit de ſignis, & prodi- A gijs ab hac ſecunda beſtia faciendis, vt gentes ſeducat, & ad priorem adorandã trahat, ad Eccleſiæ catholicæ miracula accommodat, quæ *falſa, & portenta mendacia* eſſe, & ad conciliandam Pontifici authoritatem, & poteſtatem fieri affirmat. Quæ cum ſine probatione contra omnẽ diuinam, & humanam authoritatem, ac fidem dicantur, contemnenda potius, quam refellenda videbantur. Breuiter tamen interrogare libet, an credãt, in Eccleſia Chriſti veras potuiſſe fieri virtutes, ac vera miracula poſt ſexcenteſimũ ſextum annum, nec ne? B Si negant fieri potuiſſe, Chriſti promiſsiones eludunt, eiſque pro ſuo arbitrio terminum præfiniunt. Chriſtus enim indefinite dixit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequẽtur, in nomine meo dæmonia eijcient*, &c. Et alibi: *Si habueritis fidem, ſicut granum ſynapis*. &c. *Nihil impoſſibile erit vobis*. Et alibi: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*. Hæ ergo promiſsiones non poſſunt ad certum tempus limitari, alioqui poſſet quiſpiam dicere, ſolos Apoſtolos vera miracula facere potuiſſe, vel quidpiam ſimile: quod C abſurdiſsimum eſt. Ergo non pro ſolis prioribus Eccleſiæ ſeculis, ſed pro omni æuo conceſsit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, vt temporibus opportunis talia vera ſigna in ea fierent.

Signa fieri ad firmandã Pontificũ autoritatẽ Rex Iacobus ait.

Signa ſẽmper fuerunt, & erunt in Catholica Eccleſia.

Marc. vlt.

Matt. 17.

Ioann. 14.

Dicent, promiſsiones has factas eſſe fidei, & ideo poteſtatem illam duraſſe in Eccleſia, quandiu in illa durauit vera fides: poſtquam vero illa corrupta eſt, ceſſaſſe, & falſa miracula incepiſſe. Hoc autem eſt in aliud errorum barathrum incidere: nam ſi Eccleſia vera fide carere incepit, perijt Eccleſia contra verbum Chriſti: *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. D Dicent, perijſſe veram Eccleſiam viſibilem, ſed iam ſatis oſtenſum eſt, Chriſti veram Eccleſiam viſibilem eſſe, eique Chriſtum perpetuitatem vſque ad finem promiſiſſe. Præterquam quod ſigna, & miracula ſenſibilia eſſe oportet, atque ideo non niſi ab Eccleſia viſibili vera miracula fiunt; illi ergo factæ ſunt Chriſti promiſsiones, & in ea ſemper durabit poteſtas à Chriſto promiſſa. 18.

Matt. 16.

Si ergo poteſtatem negare non poſſunt, cur negant eſſe vera miracula, quæ 19.

his temporibus in Eccleſia facta ſunt? Non enim pauciora ſigna veritatis in eis, quàm in illis, quæ in antiqua Eccleſia fiebant, conſpiciuntur. Nam in primis facta ſunt per viros ſanctiſsimos, Benedictum, Bernardum, Franciſcum, Antonium, & alios ſimiles. Deinde frequenter facta ſunt ad fidem perſuadendam, & in nouis prouincijs introducendam, vt de Anglia refert Gregorius ferè proximus Bonifacij III. anteceſſor, & ſimilia fuiſſe poſtea in eadem prouincia facta in eiuſdem fidei confirmationem, author eſt Beda lib. 5. hiſtor. cap. 13. & Annales Eccleſiaſtici referunt, cooperatione ſimilium miraculorum in Flandria, Holandia, alijsque prouincijs poſt tempora Bonifacij fuiſſe fidem introductã. Præterea eadem veritatis indicia in poſterioribus miraculis, quæ in prioribus reperiuntur, nimirum, in miraculo ſuſcitandi mortuum, euidentia præiacentis cadaueris mortui, & vera viuificatio tẽporis duratione, & pluribus actionibus vitæ, & publica conuerſatione confirmata. Denique non minori fide digna hiſtoria hæc, quàm illa miracula eſſe probantur; ergo temerè, & impiè omnia falſa iudicantur.

Miracula olim à pluribus Sãctis facta ſunt.

Gregor. lib. 7. Epiſtol. cap. 58.

Beda libr. 1. Hiſt. Angl. cap. 31. lib. 2. cap. 2. & ſequentib. Baron. anno 632. nu. 6. anno 666. n. 9. & 12.

20. Quod autem Rex dicit, hæc miracula Eccleſiæ facta eſſe ad conferendam, & extollendam Pontificis poteſtatem, nõ ita eſt: nam ordinariè fiunt, vel in veræ fidei confirmationem, & propagationẽ, vel in Chriſti gloriam, & honorem, ſæpe etiam ſunt effectus veræ, & firmæ fidei, cui Chriſtus promiſit: *Si habueritis fidem ſicut granum ſynapis, &c.* aliquando fiunt ex Dei miſericordia volentis talia beneficia indigentibus, & petentibus miraculoſè concedere: aliquando ad oſtenſionem ſanctitatis alicuius perſonæ, quam Deus ad aliorum exemplum, & conſolationem manifeſtare vult. Dico autem *ordinariè* hoc ita eſſe, quia cum articulus de primatu Pontificis ad fidei dogmata pertineat, & ad veræ fidei, & Eccleſiæ cõfirmationem notitia eius maximè neceſſaria ſit, etiam in illius veritatis confirmationẽ potuerunt vera miracula fieri, quoties opportuna, vel neceſſaria iuxta diuinæ prouidentiæ diſpoſitionẽ fuerint. Ac denique quamuis vera miracula non ſemper propter illum finem fiant:

Miracula ſiunt ad Chriſti gloriam, vel fidei cõfirmationẽ, non ad Pontificis auctoritatem primario.

Matt. 17.

Miracula indirecte Pontificiam dignitatem ſtabiliunt.

A nihilominus quatenus fiunt à miniſtris Eccleſiæ Pontifici obedientibus, & eius authoritate prædicantibus, ſatis eandem veritatem de Primatu eius confirmant. Quis ergo non videat, quàm ſit execranda calumnia, miracula Catholicæ Eccleſiæ cum ſignis Antichriſtianæ beſtię cõparare?

21. Quia verò Ioannes inter ſigna illius beſtiæ vnum peculiare deſignauit, dicẽs, *Vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum*, egregiam profectò his verbis Rex affinxit interB pretationem, dicens: *Nempe fulmen excommunicationis cuius tanta vis eſt, vt throno exturbare Principes valeat, adeò, vt omnes pro hæreticis occidendi ſint, & exurendi, qui beſtiæ nolunt imaginem adorare, hoc eſt, ſummam eius poteſtatem nullis limitibus circunſcriptam.* In quibus duplex metaphora indicatur, quæ ſi in allegorico ſenſu affertur, parui momenti eſt ad perſuadendum, eadem enim facilitate, qua fingitur, contemnitur, quia ſolum ad maledicendum à Proteſtantibus excogitata eſt: ſi verò ſenſus ille vt literalis proponatur, valde ridiculus eſt, & intentioC ni Spiritus Sancti, ipſorumque Proteſtantium dictis repugnans. Vtrũq; breuiter oſtendo.

Excommunicationes à Pontifice excuſſas, ignem eſſe de cœlo, Rex [illegible].

22. Prima enim metaphora eſt, qua *deſcendere ignem de cœlo*, per metaphoram dicitur eſſe excommunicationem fulminare. At hæc metaphora in primis noua eſt, ſine fundamento in Scriptura, vel Patribus, aut expoſitoribus, aut cõmuni modo loquendi. Quis autem credat, Ioannem vſurpaſſe verba in ſola illa metaphorica ſignificatione, quam ſibi nuper Proteſtantes pro ſua libidine, & ſolum ad irridendum confinxerunt? DeD inde Ioannes illud ponit vt ſignum nouum, ſingulare, & admiratione dignum, at fulminare excommunicationem non eſt nouum, nec ſingulare, cum etiam ab ipſis hæreticis fiat, vnde nullam habet admirationem, cum quotidianum ſit. Imò ſi illud eſt Antichriſti ſignum, profectò ante Bonifacium III. cœpit Antichriſtianiſmus. Nam prius Innocentius I. contra Imperatorem excommunicationem fulminauit. Denique beſtia illa faciet ignem de cœlo deſcendere dæmonis arte, & poteſtate; fulminatio autem excom-

Ignis ille apud Ioan. non ſignificat excommunicationem.

Excommunicatio [illegible] nouum non eſt, [illegible].

Innoc. I.

ex communicationis fit poteſtate à Chriſto conceſſa, & in virtute verborũ eius, *Si Eccleſiam non audierit, &c.* Ergo Ioannes non de hoc ſigno loquitur, nec metaphora eſt veriſimilis.

Matt. 18.

23. Inſtantia.

Dicet forte Rex, hæc vera eſſe de iuſta, & ordinaria excommunicatione, ſe autem loqui de fulmine illius excõmunicationis, *cuius tanta eſt vis, vt thronis exturbare Principes valeat.* Sed contra primò, quia etiam talis excommunicatio poteſt eſſe iuſta, & legitima poteſtate facta, vt ſupra oſtenſum eſt. Quanquam re vera impropriè dicatur excommunicatio ipſa exturbare à throno: nam licèt illi duo effectus tanquam duæ pœnæ ab eadem poteſtate procedant, & ſimul imponantur, diſtincti ſunt. Nunc autem vt Regi morem geramus tanquam de vno loquimur. Itaque illud etiam fulmẽ vera, & cœleſti poteſtate fit, & non eſt ſignum mẽdax, ſed verum, vt probauimus; eſt ergo repugnans cum metaphora. Secundo hoc ſignum, id eſt, hæc excommunicatio non fulminatur, ſeu exhibetur in Eccleſia à prædicatoribus, vel fidelibus obedientibus Pontifici, ſed à ſolo Pontifice, & ita ſecundum Regiam accommodationem non exhibetur à poſteriori beſtia, ſed à priori; at ſignum illud faciendi deſcendere ignem de cœlo, non tribuitur à Ioanne priori beſtiæ, ſed ſpecialiter ſecundæ; ergo talis interpretatio beſtias confundit.

Solutio.

24. Dum Pontifex colitur, imago beſtiæ non adoratur.

Altera metaphora Regis verſatur circa *imaginem beſtiæ*, per quam Rex ſummam Papæ poteſtatem ſignificari vult. Hæc autem metaphora eiſdem fere argumentis facile refellitur, tum quia nullum fundamentum authoritatis, rationis aut probationis habet, tum quia recognoſcere, ac venerari hanc ſummam Põtificis poteſtatem non eſt nouum in Eccleſia Chriſti, ſed ante Bonifaciũ omnes præcedentes Pontifices eam imaginem induerunt, illaq́; poteſtate vſi ſunt, omneſq́; verè fideles illi paruerũt, vt in lib. 3. fuſe probatũ eſt. Vltra hæc verò pugnant cum metaphora verba illa: *Dicens habitantibus in terra, vt faciant imaginem beſtiæ.* Quis enim Papiſtarum (vt iſti loquũtur) aut verius catholicorum docuit vnquam fideles, vt facerent, vel conferrent poteſtatem Pontifici, cum potiùs

Apoc. 13. Apud Ioannem aliud eſt imaginẽ facere, aliud adorare illã.

A conſtanter doceamus, ſolum Chriſtum illam conferre? Non eſt ergo illa imago Pontificia poteſtas, ſed aliquid, quod arte, & manibus hominũ fieri poteſt. Nec dicere poteſt Rex, nihil aliud eſſe facere imaginem, quam poteſtatem recognoſcere, & confiteri: nam expreſſe Ioannes duo diſtinguit, facere imaginem, & adorare illam; at verò reſpectu poteſtatis, recognoſcere poteſtatem, eſt venerari illam; ergo aliud eſt facere imaginem: vndè fere euidens eſt, in illis verbis *faciendi imaginem*, nullam eſſe metaphoram, vt

B ſuprà dixi. Quod etiam valde perſuadet ſequentia verba: *Et datum eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ, & vt loquatur imago beſtiæ.* Hæc enim apertè oſtendunt, ſermonem eſſe de imagine materiali, & ſenſibili. Quomodo enim fingi poteſt, Eccleſiam dare ſpiritum poteſtati Pontificis, vt loqui poſsit, vel quippiam ſimile facere.

Tandem in illis verbis conſidero duplex ſignum, vnum faciendi deſcendere ignem de cœlo, & hoc ſignum dicitur ſecunda beſtia facere, non per coactionẽ, ſed per ſeductionem, vt inducat habitantes in terra ad beſtiam primã, eiuſq́; imaginem adorandã, vt patet ex verbis illis: *Et ſeduxit habitantes in terra, propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ.* At verò fulmen excõmunicationis non pronunciatur ad inducẽdos homines per ſeductionem, ſed per vim, & coactionẽ, quæ maior fit, ſi cum excõmunicatione deturbatio à regno cõiungatur. Ergo nõ quadrat metaphora excõmunicationis cum tali ſigno. Aliud deniq́; ſignum, ſcilicet, dare ſpiritum imagini beſtiæ, & facere, vt loquatur, licet etiã ſit ad ſeducẽdum, tamen ad coactionem progreditur,

25. Verba Apocalypſis expenduntur.

C

D additur enim: *Et faciat, vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidãtur.* Et hic etiam non poteſt accommodari metaphora: nam Eccleſia non dat ſpiritum, nec loquelam Pontifici, vt poteſtas eius ad occidendos rebelles extendatur, ſed potiùs ipſe hanc poteſtatem ſuis miniſtris committit: eſt ergo ille Scripturæ abuſus, non interpretatio.

Excommunicatio vim habet cogẽdi, non ſeducendi.

26. Characterẽ beſtiæ obedientiam Põtificis eſſe Rex confingit.

Deinceps vltra procedit Rex ad characterem Antichriſti Pontifici accommodandum, dicitq́; characterem beſtiæ eſſe profeſsionem obediẽtiæ, quę Sũmo Pon-

Pontifici fit. At Paulus cùm monuit fideles: *Obedite Præpoſitis veſtris*, non cenſuit, profeſsionem Eccleſiaſticæ, & Chriſtianæ obedientiæ eſſe Antichriſti characterem, ſed Chriſti. Veriorique ratione dicere poſſemus, iuramentum fidelitatis, quo Rex premit ſui regni Catholicos, eſſe characterem Antichriſti, quando quidem ſub ſpecie profeſsionis ciuilis obedientiæ ſibi debitæ, Vicarij Chriſti obedientiam negare compellit. Præterea vltra errorem, in quo accommodatio fundatur, repugnat Ioannis verbis. Primò, quia vel per obedientiæ profeſſionem intelligitur ſolùm modus ipſe viuendi ſub obedientia Pontificis, vel intelligitur aliqua ſpecialis formula hanc obedientiam profitendi. Prior ſenſus nō eſt iuxta mentem Ioannis, quia expreſſe loquitur de aliquo ſigno geſtando à ſectatoribus Antichriſti, quo proteſtentur ſectam, & obedientiam eius, vt ſupra viſum eſt, & ex litera ipſa euidenter cōſtat. Si autem per profeſsionem intelligatur peculiaris forma promittendi obedientiam Pontifici, non quadrat cū verbis Ioannis. Primo, quia Ioannes ait, *omnes puſillos, & magnos, diuites, & pauperes, liberos, & ſeruos* geſtaturos eſſe characterem beſtiæ; at verò ſpecialis profeſsio obedientię ad Pontificem, non exigitur ab omnibus fidelibus puſillis, & magnis, ſed à Paſtoribus, vel Doctoribus Eccleſiaſticis, alijsvè in ſimili gradu cōſtitutis.

Hebr. 13.

Melius id dici poſſet de iuramento fidelitatis Anglicano.

Ioannes loquitur de ſigno permanente, non de pura profeſsione.

27. Secūdo character Antichriſti ita eſſe debet communis, & familiaris omnibus, vt ſine illo nullus permittatur emere, aut vendere, etiam ad vitam neceſſaria. Vnde notant Patres, in eum finem eſſe imprimendum, vt vel propter vitæ ſuſtentationem omnes homines illum ſuſcipere cogantur: ſicut nunc in Anglia coguntur Catholici Eccleſias hęreticorum adire, vel iuramentum fidelitatis profiteri, ne bonis ad vitam neceſſarijs, vel vita ipſa priuentur: at in Romana Eccleſia profeſsio obedientię ad Pontificem non exigitur, vt homines poſsint emere, & vendere, nec ſub coactione amittēdi neceſſaria ad vitam, ſed in ſpecialibus occaſionibus, vbi ad ſecuritatē doctrinæ, gradus, vel muneris ſuſcipiendi iudicatur cōueniens, poſtulatur: nulla eſt ergo huius characteris ad illam profeſsionem cōparatio. Tertio character Antichriſti futurum eſt ſignū aliquod permanens manibus geſtatum, vel fronti impreſſum, quod videri poſsit, vt homines ad dictos contractus humanos admittantur, profeſsio autem obedientiæ eſt ſignum (vt ita dicam) tranſiens, quod in ſuſceptione alicuius muneris ſemel exhibetur, poſtea vero nec in manibus, nec in fronte geſtatur. Eſt ergo friuola characteris accommodatio.

Nemo ſine illo ad contractus humanos admittetur.

Peruenit tandem ad numerum nominis Antichriſti, & duas expoſitiones adhibet. Vna eſt, vt ille numerus nō ſit nominis, ſed perſonæ Antichriſti, id eſt, vt neceſſariū non ſit in literis nominis eius illum numerū contineri, ſed in ipſa perſona, quia intra annos illius numeri, ſcilicet, 666. venturus fuit Antichriſtus. Quam expoſitionē colligit ex eo, quod idem numerus, qui prius dictus fuerat *numerus nominis eius*, poſtea dicitur *numerus beſtiæ*, ibi: *Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ*, & ſtatim additur: *Numerus enim hominis eſt.* Et in his poſterioribus verbis videtur Rex per hominem Chriſtum Dominum interpretari, ait enim iuxta hanc expoſitionem dici numerum hominis, quia eſt *numerus annorum Domini.* Sic autem ait, impletā eſſe prophetiam in Bonifacio III. *qui primus* (ait) *ſe nominauit vniuerſalem Archiepiſcopum, quo titulo Sanctus Gregorius Antichriſtum fore cognoſcendum prædixerat.* Atque illa quidem expoſitio noua non eſt: nam Ioannes Annius, & quidam alij illa vſi ſunt, vt oſtenderent Mahometū fuiſſe Antichriſtum. Et licet illam Regi permitteremus, nihil referret, vt ſtatim dicam.

28. Opinio Regis falſa de numero nominis Antichriſti.

Apoc. 13.

Lib. 6. epiſtolar. c. 30.

Ioan. An.

Negari autem non poteſt, Ioannèm prædixiſſe numerum illum 666. futurum eſſe in nomine Antichriſti, expreſſe enim dixit, *aut numerum nominis eius*, id eſt contentum in literis nominis eius, & ita intellexerunt illa verba omnes interpretes. Hoc ergo negari non poteſt, licet non repugnet, per illū eundem numerum nominis myſtice indicari aliquam proprietatem ad perſonam pertinentem. Vnde ſi cum veritate aliarum prophetiarum, vel hiſtoriæ poſſet conſiſtere, vt per illum numerum ſignificaretur tempus ortus Antichriſti

29. Negari non poteſt numerum illū eſſe nominis Antichriſti.

ſecundum numerum annorum Domini, vel tempus durationis throni eius, vt alij de Mahometo dixerunt, hoc quidem cum verbis Ioannis non repugnaret. Tamen illud non ita eſſe in Mahomete, re ipſa monſtratum eſt, vt oſtendit Pereira. De proprio autem Antichriſto cõſtat ex alijs prophetijs, iuxta quas nec tam cito venire potuit, nec thronus eius tanto tempore durabit, vt ſupra oſtenſum eſt.

Diſp. 5. de Antichriſto.

30. Numerus ille non eſt temporis aduentus Antichriſti.

Iuxta Proteſtantium autem accommodationem clarum eſt, non poſſe referri numerum illum ad tempus durationis Antichriſti, quia opinione illorũ iam durauit plus quam mille annis. Propterea ergo Rex ſtuduit numerum accommodare ad tempus ortus eius. Veruntamen etiam hic ſenſus nullum fundamentum habet in textu, nam eundem numerum, quem prius vocauit *numerum nominis beſtiæ*, ſtatim breuitatis cauſa vocat *numerum beſtiæ*; cum verò ſubdit, eundem eſſe *numerum hominis*, per hominem non intelligit Chriſtum, quis enim hoc vnquam cogitauit? aut quo fundamento affirmari poteſt? Accedit, quod neque in illo ſenſu veritas illi numero reſpondet, quia Benedictus III. anno 666. ſedit. Reſpondet primo, numerum illorum annorum non ab anno natiuitatis Chriſti, ſed ab eo, in quo Pompeius templum diruit, computandum eſt. Sed hoc neque ratione ſubſiſtit; cur enim ab illo potius, quam ab alio quouis tempore computandus eſt ille numerus? neque conſtanter eſt dictum, quia iam ille non erit numerus annorum Domini, ſicut paulò antea dixerat. Ac propterea reſpondet aliter, ſexaginta annis poſt Bonifacium fuiſſe confirmatum regnum Antichriſti, & ita fuiſſe numerum illum expletum. Sed hoc non minus friuolum, & voluntariũ eſt, quia neque Pontifices illis ſexaginta annis poſt Bonifacium magis vſurparunt nomen vniuerſalis Epiſcopi, quam per centum, vel plures ſequentes, neque poteſtate, aut dignitate magis creuerũt.

Annus, quo ſedit Bonifacius, illũ numerum non admittit.

Euaſio.

Inſolitũ eſt annos á Põpeio ſupputare.

Euaſio altera eluditur.

31. Bonifacius nomen iam D. Leoni datum ab vſurpante vindicauit.

Præter quam quòd etiam falſum eſt, Bonifacium vſurpaſſe nomen vniuerſalis Epiſcopi, quia ſolum ab alio vſurpante vindicauit, & ſuæ tantum Sedi poſſe congruere oſtendit, licet non conſtet,

A illo titulo vſum fuiſſe. Quod ſi hæc vſurpatio appelletur, non ille primo, ſed Leo Papa ante plures annos illud nomen vſurpaſſe dicendus erit, quia & Synodus Chalcedonenſis titulum illum ei tribuit, vt ſupra ex Gregorio retuli, & ipſe in ſuis epiſtolis vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopum ſe nominat, quod perinde eſt. Falſum denique eſt, Gregorium dicere, Antichriſtum titulo vniuerſalis Epiſcopi fore cognoſcendum, ſed verba Gregorij ſunt. *Quiſquis ſe vniuerſalem Sacerdotem vocat, vel vocari deſiderat, in* B *elatione ſua Antichriſtum præcurrit, quia ſuperbiendo, ſe cæteris præponit.* Quo autẽ ſenſu Gregorius nomen illud reprehenderit, iam ſupra declaratum eſt. Quidquid verò de vocabulo, & vſu eius fuerit, ex illo loco Gregorij euidenter colligitur, Bonifacium non eſſe Antichriſtum, ſed ad ſummum poſſe inferri, fuiſſe elatum, vel imitatione quadam præcurriſſe Antichriſtum, ex quo aperte ſequitur, non fuiſſe Antichriſtum. Melius certe poſſet conſiderare Rex, Gregorium ibi ponere, vt notam Antichriſti, quod *ſe Deum dicet*, & quòd *Deus videri velit ſuper omnes homines.* Quod nec C Bonifacius, neque vllus Pontificum hactenus fecit. Veriusque nos poſſumus illi obijcere ſententiam Athanaſij epiſt. ad Solitari. vit. agent. in ſuperioribus cõmemorata, vbi inter imagines Antichriſti ponit, *ſecularem Principem Primatum Eccleſiaſticum ſupra Epiſcopos vſurpantem.*

D. Greg.

D. Athanaſ.

Aliam denique expoſitionem illius numeri nominis Antichriſti admittit Rex, eamque accommodat Pontifici, quia in hoc nomine *Latinus* Græcis terminis ſcriptus ille numerus continetur. *Quod rectè* (ait) *cum Romana Eccleſia, cum* D *Romana fide, & cum Latina liturgia congruit.* Sed quam ſint hæc omnia violenta, & friuola, perſpicuum eſt. Et in primis bene notauit Bellarminus, *Latinos* Græce non per *ei*, ſed per *i*. ſcribi, & hoc modo non reddere numerum illum. Nihilominus tamen Aretas ſuo capite 38. in Apocalypſ. inter alia nomina, quæ de Antichriſto excogitari poſſunt, nomen *Lateinos* poſuit, ſtatim vero addidit, oportere ſcribi per diphtongum (vtique præter morem, & proprietatem Scripturæ) vt poſſit illum numerum reddere. Dein-

32. Contendit Rex nomen Latinus, cótinere numerum Antichriſti.

Aret.

Ex illa interpretatione Hæretici Antichriſti ſunt, quia ſunt etiam latini.

Deinde Ioannes de nomine proprio Antichriſti loquutus eſt, nullus fuit autem Pontifex, qui proprio nomine *Latinus* ſit appellatus, communi autem nomine etiam Rex Angliæ eſt latinus, & Lutherus, & Caluinus fuit latinus; cur ergo magis Pontifex, quam quilibet illorum Antichriſtus cenſendus eſt propter nomen Latinum? Hæc igitur omnia, quæ de Antichriſto, eiuſque Anteſignano in illo capite 13. dicuntur, ſincere intellecta, euidenter oſtendunt, Antichriſtum, prout ibi deſcribitur, nondũ apparuiſſe, & toto cœlo à Pontifice Romano diſtare: extortæ autem, & violentæ interpretationes metaphoricæ Proteſtantium non minori claritate prodũt errorem, in quo iſti homines cæci verſantur.

CAPVT. XX.

Quæ circa 14. 15. & 16. caput Apocalypſis Rex notat, diſcutiuntur.

1. Finita tertia viſione, prius quã Rex ad quartam tranſeat, ex cap. 17. ſumendam, quædam ex cap. 14. 15. & 16. arripit, quæ licèt leuiora ſint, operæ pretium duximus, illa notare, vt nihil quod ad cauſam pertineat, intactum relinquamus. In principio igitur capitis. 14. prius narrat Ioannes peculiarem gloriam ſanctorum Virginum ſibi manifeſtatam; deinde narrat viſionem Angeli volantis per medium cælum, & habentis Euangelium æternum, & diem iudicij annunciantis. Et in his duobus nihil occurrit annotatione dignum. Tertio ait Ioannes, & alius Angelus ſequutus eſt, dicens: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ ſuæ potauit omnes gentes*, vbi Rex notat ruinam hanc Babylonis, quam hic Angelus prænunciauit, eſſe interitum Antichriſti. Per Babylonem autem vult intelligi Romam, vt in ſuperioribus ſæpius dixerat. Vnde ſignificat, Antichriſtum Romæ, & in eius incendio, ad deſtructione eſſe interimẽdum. Veruntamen Antichriſtum eſſe interficiendum Romæ, noua fictio eſt ſine fundamento excogitata ad ſuſpicionem aliquam prauam de Romana ſe-

Apoc. 14. Romæ occidendum Antichriſtum Rex probare nititur.

Sed illi figmentũ ip ... antiquitas.

A degenerandam. Antiqui enim in Oriente occidendum eſſe tradiderunt, vt ex Lactant. libro ſeptimo capite decimo ſeptimo, & ſequentibus, & Hypolit. Irenæo, & alijs antiquis colligitur. Hieronymus autem Iſaiæ capite vigeſimoquinto in monte Oliueti dixit, eſſe occidendum. Poteſtque colligi ex capite vndecimo, Daniel. in fine, & ex capite vndecimo Apocalypſis, vt ſupra notaui. Et capite decimonono, dixit Euangeliſta Ioannes, Antichriſtum viuum eſſe detrudendum in infernum, vtique imperio Chriſti, vt Paulus ſecundæ ad Theſſalonicenſes capite 2. ſignificauit, & Daniel capite octauo, dicens, *Sine manu conteretur*. Si ergo per Babylonem Romam intelligamus, tantum abeſt, vt Romæ ruina ſit interitus Antichriſti, vt potius per illum, vel duces, aut ſocios eius abolenda, & igni tradenda ſit, vt ex capite decimo octauo, Apocalypſis colligi poteſt. Nam vt ſupra notaui, ſi Roma delenda eſt ante iudicij tempus, non erit, niſi tempore Antichriſti, & eius conatu, vt extincto nomine Romano, ipſe nouam excellentioremq; monarchiam erigere videatur. Si vero per Babylonem mundum hunc intelligamus, incendium illud Babyloniæ ſupponet iam finitam Antichriſti perſecutionem, & deſtructionem, ac perditionem eius; ergo neq; illo modo ruina Babyloniæ erit interitus Antichriſti.

Lact. *Hypol.* *D. Hier.*

Apoc. 19.

B *2. Theſſ. 2.*

Verius diceret Romam ab Antichriſto delendã.

C

2. Poſt has vero duorum Angelorum voces, & monita, tertius ſequitur Angelus, tam ſupplicia in Antichriſti ſectatores ſuperuentura, quam beatitudinẽ eorum, qui patienter tribulationẽ tolerantes, & mandata Dei cuſtodientes in Domino mortui ſunt, denuncians. Et quoniam hæc diſcretio in iudicio facienda D eſt, ideo ſtatim viſio, & repræſentatio iudicij ſubiungitur. Hæc vero, vt omnes expoſitores aduertũt, magna ex parte per anticipationem dicta fuere: nam priuſquam fiat iudicium præcedent ſeptem plagæ, quæ capite 15. in generali denunciantur, & in capite 16. ſigillatim recenſentur. Quas nunc explicare noſtri muneris non eſt. Quia vero Rex ſenſu earũ allegorico ludit, aduerto breuiter, plagas illas ad literam, & propriè intelligi de tribulationibus,

In Apocalypſi, vt in aliis prophetiis ... ſæpe ...

Plagæ Apocalypſis ... non allegoricæ.

D. Iren. *Aret.*

& calamitatibus corporalibus, & externis, vt fuerunt plagæ Ægypti, quibus illas comparant Irenæ. lib. 4. cap. 50. Andr. cap. 46. in Apocalyps. vbi ſingulas ita exponit, quem ferè imitatur Aretas. Et merito, nam omnia, quæ ibi dicuntur, verè, ac propriè poſſunt intelligi, & ideo ita ſunt intelligenda. Nihilominus tamē illas plagas more ſuo Rex in maledicta, & opprobria ſanctæ Eccleſiæ, & Pontificis per ſuas allegorias conuertit; nō tamen omnes accommodat, ſed quas peruertere, & accōmodare potuit, ſemperque eoſdem errores ſupponit, per beſtiā Pontificē interpretādo, per pſeudoprophetam vero Apoſtolicam Eccleſiam, & ita tenebras in quinta phiala ſuper ſedē Antichriſti effuſas, dicit eſſe tenebras ĩgnorantiæ, & erroris Eccleſiæ Romanæ. Ita enim ſolent hæretici ad excuſationem ſui erroris, & pertinaciæ, Eccleſiam ignorantiæ, & cæcitatis arguere: cū enim ipſi cæci ſint Eccleſiæ lumen videre non poſſunt, vt Auguſtinus ſæpe cōtra Donatiſtas notat.

Opprobriorum phialas hoc loco Rex Iacobus in Rom. Pōtificem effundit.

3. Tenebræ in plaga quintæ phialę ſēſibiles erūt, non intelligibiles.

Præterquā quod nec metaphora eſt neceſſaria, vt dixi, nec poteſt accommodari; nam illæ plagæ ſuperuenturæ ſunt ſuper beſtiam, & regnum eius, id eſt, ſuper Antichriſtum, & homines ab eo deceptos, vt ibi dicitur. Vnde iam ſupponent denſiſsimas tenebras ſpirituales; nō eſt ergo de illis ſermo. Sed tenebræ poſtea per phialam quintam effundendæ, erunt verè corporales, aut ſaltem temporales, quia vel ſuper Hieruſalem, vbi erit ſedes Antichriſti, & ſuper totam illam regionem ſenſibiles tenebræ, & frequentiſsimæ effundentur: vel ſplendor humanus, & fama Antichriſtiani regni obſcurabitur magnitudine calamitatum, à quibus non poterit Antichriſtus ſuis artibus ſubditos liberare. Vnde fiet, vt ingenti dolore omnes affligantur, ita vt *linguas ſuas præ dolore commanducent*, & *Deum blaſphement præ doloribus, & vulneribus ſuis*, & *non agant pœnitentiam ex operibus ſuis*. Quæ verba nunquam potuit, nec poterit Rex ſine rubore ad Eccleſiā accommodare, facile autem intelligi poteſt, quam meliori analogia, magiſque in veritate fundata, poſſent ad tenebras, & linguas, & blaſphemias, & impœnitētiam Proteſtantium transferri.

A Progreditur Rex ad ſextum Angelum, qui ſiccando Euphratē, *præparauit viam Regibus ab ortu ſolis*, quod dicit, eſſe impletum, *cum iam homo peccati cæptus eſt reuelari, ſublatis omnibus impedimētis, quæ poſſunt iter eorum*, id eſt, Orientalium Regum *ad inuadendum illum monarcham remorari*. Vbi per *Reges ab ortu ſolis*, ſe & ſimiles Reges rebelles Eccleſiæ Romanæ, eamque perſequentes intelligit, vt inferius in quarta viſione pag. 121. clarius exponit. Et his Regibus ait, parandam eſſe viam per effuſionem illius ſextæ phialæ, vt ſublatis impedimentis Monarchiam Eccleſiæ (quam ipſe Antichriſti eſſe fingit) liberè, & inopinato inuadant. Sicut Cyrus (ait) inopinato tranſitu Euphratis Babylonem cepit, & Balthaſarē Regem eius, vaſis ad Dei miniſterium comparatis abutentem, atque ita tanquam in Dei templo ſedentem occidit. B

4. Phialam in Euphratem effuſam [illegible] imperite Poteſtantes

In qua tota metaphora, omiſſa eius impietate, & audacia, ſummam ignorantiam Proteſtantium ſic exponentium aduerto: quia non ſolum extra literalem ſenſum ſuo arbitrio loquuntur, ſed etiam contra illum verba accommodant. Nam Reges illi, quibus per effuſionem ſextæ phialæ, & exſiccatione Euphratis via parabitur, non contra Antichriſtum inceſſuri prædicuntur, ſed potius ad iuuandum Antichriſtum in exterminatione populi Dei, ſicut circa Danielis prophetias infra cap. 22. notabimus, & ſumi etiam poteſt ex verbis, quæ Ioānes paulo inferius ſubiungit: *Spiritus dæmoniorum procedunt ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.* Et ita locum illum de conuocatione omnium Regum terræ, & præſertim Orientalium, per Antichriſtum facienda ad debellādos omnes Chriſtianos, omnes interpretantur. De qua conuocatione, & ingenti ad præliū congregatione ſub nominibus *God*, & *Magog* mentionem fecit idem Ioannes cap. 20. poſt Ezec. cap. 38. Quomodo ergo quadrare poteſt metaphora, vt per Reges ab Oriente venturos intelligantur hæretici contra Papā inſurgentes? quid magis friuolum, magiſque ridiculum dici, aut cogitari potuit? C D

5. Reges de quibus ibi ſermo eſt, non contra, ſed pro Antichriſto dimicabunt.

Probatur ex verbis Apocalypſis.

Apoc. 20. *Ezech. 38.*

6. Accedit, quod illi Reges nō congregabun-

gabuntur, quando Antichriſtus incipiet reuelari, ſed poſtquam Antichriſtus ab vniuerſo mundo agnitus, & per ſuum pſeudoprophetã ſatis publicè prædicatus fuerit; imò poſtquam iam cœperit per alias tribulationes regnum eius affligi, vt ex præcedentibus phialis, & ſequẽtibus verbis manifeſtum eſt: at iſti hæretici orti, & congregati ſunt antequam Antichriſtus notus eſſet, vel reuelari inciperet; ipſi enim primi fabulam illam confinxerunt, & thronus, cui ipſi nomẽ illud impoſuerunt, ſemper fuit notiſsimus Eccleſiæ, & nihil eorum, quæ per phialas illas prædicuntur, paſſus eſt. Denique illorum Regum congregatio futura eſt in *prælium ad diem magnum omnipotentis Dei*, quando nimirum Chriſtus de illis triumphabit, ſimulq; Gog, & Magog deſtruet. At hæreſiarchæ iſti nec in vnum diẽ congregati ſunt, & longe ante tempora diei magni Dei prodierunt. In hoc ergo ſolum conueniunt cum illis Regibus, quod re vera contra Chriſtum ſurrexerunt, & Antichriſto viam parant, & contra Chriſti Vicarium (ſub titulo ficti Antichriſti) bellum mouent.

Hæretici Regibus illis ſimiles ſunt, quia conſpiratione aduerſus Deũ, & Chriſtũ eius.

7\. Societatis Ieſu alumnos ranunculis comparat Rex Iacobus pro Pontifice concionantibus.

Concludit tandem Rex, hanc ſuã prolixam allegoriam, inducendo illa verba eiuſdem ſextæ phialæ à Ioanne ſcripta: *Et vidi de ore Draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immũdos in modũ ranarum.* Per quos intelligit nouam ſectam exurgentem ad trhonũ Antichriſti tenebris obſcuratum, & labantẽ illuſtrandum, & fulciendum, quam dicit ternario numero ſignificari, quia tribus magiſtris diriguntur, *Draconis*, id eſt, Satanæ, *Antichriſti*, id eſt, Pontificis, & *Pſeudoprophetæ*, id eſt, Eccleſiæ Romanę. Per quam ſectam Societatẽ I E S V ſine dubio intelligit, & Doctores, ac prædicatores eius ranũculis comparat, de quibus hæreticorum more ad libitum detrahit. Pro illis autem reſpondere, nec mihi decens eſt, nec neceſſarium. Opera enim illorum de ipſis teſtimonium perhibent, eſtq; qui videat, & iudicet. Neq; parum habent Societatis alumni, & operarij, vnde poſsint gloriari, quandoquidem cum Chriſti Vicario, eiusq, Eccleſia digni habiti ſunt, pro Chriſti fide, eiusq; Vicarij obedientia ignominiam, & contumeliam pati.

Glorioſũ Societati tale munus.

A Solum quoad verborũ Scripturæ abuſum, & corruptionem adnotabo, præter alios errores de falſa interpretatione Beſtiæ, & Pſeudoprophetę eius: & abuſum aliorum verborũ illius ſcripturæ, in ipſamet allegoria ad textũ applicata, non eſſe conſtantiã, aut cõſecutionem. Nam hoc loco dicit, tres ſpiritus malos mitti ad fauendum Antichriſto, eiusq; thronum ſuſtentandum, vnde cum Ioannes de illis dicat: *Procedũt ad Reges totius terræ, congregare illos in prælium*, conſequitur apertè, Reges ab his ſpiritibus congregãdos futuros eſſe Antichriſti amicos, & B fautores: paulò autem ſuperius dixerat, Reges illos, quibus ſextus hic Angelus viam parat, eſſe hoſtes Antichriſti, & illis expediri viam, vt ſine impedimento poſsint Monarchiam Antichriſti inuadere: hæc autem duo non poſſunt ſimul ſubſiſtere. Nam Reges venturi ſine impedimento, & per illos tres ſpiritus congregandi ijdem ſunt, quomodo ergo & ad inuadendum, & ad ſuſtinendum labãtem thronum Antichriſti vocantur?

8\. Non hæret interpretatio.

Immundi ſpiritus, non vt Antichriſti hoſtes, ſed vt amici à Rege ponuntur.

Prætereà iſti tres ſpiritus congregaturi dicuntur Reges in prælium, vtique C contra viſibilem Chriſti Eccleſiam, quæ tempore Antichriſti erit, operarij autem Societatis non congregant Reges in prælium aliquod, ſed ad pacem, & vnionem cum Chriſti Vicario, nec ad debellandã Eccleſiam viſibilem, ſed ad pacẽ, & vnionem cum illa. Item illi Reges congregãdi ſunt ſpecialiter ad pręlium vnius diei, qui per antonomaſiam dicitur, *dies magnus omnipotentis Dei*, quia in illo *veniet ſicut fur*, vt ſtatim dicitur, vtique ad deſtruendum Antichriſtum, & omnes Reges congregatos cum illo ad prælium, vt cap.20. aperte declaratur ſub nominibus D Gog, & Magog. At hoc non poteſt ad prædicatores fidei, qui nunc ſunt in Eccleſia Catholica vllo modo accõmodari. Vt alia infinita omittam, quæ euidenter oſtendunt, Ioannem loqui de corporali, ſeu materiali prælio, deſignando etiam locum, in quo Reges congregandi ſunt, & declarando aperte, ranas illas eſſe tres ſpiritus immundos dæmoniorum, faciẽtes ſigna, quibus Reges ad prælium illud congregent. Ergo vana eſt, & impudẽs allegoria ab ocioſis, & obduratis Proteſtantibus adinuenta.

9\. Societatis Ieſu operarij pacem non diſcordias ſerunt.

Apoc. 20. De materiali prælio loquitur Diuus Ioãnes.

CAPVT XXI.

Ex viſione capitis 17.& ſequentibus Apocalypſis nouum de Antichriſto errorẽ confutari potius, quã confirmari.

1\. Docet Rex Iacobus mulierem fornicariam eſſe Antichriſtum, ac proinde Pontificem.

REfert Euangeliſta Ioannes cap. 17. Apocalypſ. ſe raptum fuiſſe in deſertum, & vidiſſe mulierem fornicariam ſedẽtem ſuper beſtiam coccineam plenam nominibus blaſphemiæ, &c. Ex hac viſione, quam Rex Angliæ quarto loco poſuit, colligere nititur, Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum, colligitq; in hunc modum. Mulier illa fornicaria Antichriſtum repræſentat, & omnes proprietates, quæ illi mulieri in eo capite tribuũtur, Romano Pontifici conueniunt; ergo ipſe eſt Antichriſtus. Maiorem Rex non probat, ſed tanquam notum fundamentum ſuæ diſputationis ſupponit. Minorẽ autem latè proſequitur ad libitum multiplicando probra cõtra Romanam ſedẽ ſine probatione, aut veritatis fundamento, ſed ſolum quia cũ ab infantia ſub hæreticorum diſciplina falſam illam opinionem, ac deprauatam fidem imbiberit, & in ea fuerit conſuetudine obfirmatus; nunc & mentis ignoratione, & indignatione permotus audet in cœlum ponere os ſuum, & ſacra prophanis commaculare.

Probat contumeliarũ aceruo.

2\. Mulier illa ciuitatẽ ſignificat, non hominem.

Sed in primis fundamẽtum, in quo nititur, falſum eſt, nam mulier illa non repræſentat Antichriſtum. Quia Ioannes ipſe dixit, mulierem illam habere ſcriptum in fronte *Babylon magna*, nemo autẽ vnquam dixit, Babylonem, vel propriè, vel figurate ſignificare Antichriſtum: nam Antichriſtus homo quidam futurus eſt, vt ſupra eſt demonſtratum, Babylon autem ſemper ſignificat ciuitatẽ aliquam, vel hominum congregationẽ, vt idem Ioannes in fine illius capitis 17. concluſit: *Mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnũ ſuper Reges terræ.* Et ita Patres omnes, & illius loci expoſitores in hoc conueniunt, quod mulier illa, ſeu Babylon magnam aliquam ciuitatem repræſentet, quia hoc iam non tãtum in ænigmate, ſed expreſſe reuelatum, & ab eodem Propheta declaratum eſt. Quæ autem ſit illa ciuitas variè exponitur. Duas tamẽ eſſe opiniones pro- A babiles, vnam explicantem hunc locum de ciuitate impiorum, aliam de Romana ciuitate exponentem, ſupra cap.7. retulimus, vbi vtrãq; opinionem declarauimus, & probabilem eſſe oſtendimus, & in vtranque conuenire omnia prauitatis inſignia, quibus Ioannes illã onerat, minutatim declarauimus. Aduertimus autẽ ibi, iuxta catholicam, & veram declarationem, ſi Babylon Roma eſt, intelligẽdum id eſſe de Roma non Chriſtiana, ſed ethnica, vt erat tempore, quo Ioannes ſcribebat, & quãdiu in illo ſtatu durauit, B & ſi forte ad illũ, vel omnino, vel magna ex parte ante mundi conſummationem reditura eſt (vt multi opinantur) etiam pro illo ſtatu merito eodem nomine ſignificatur: nam Roma Chriſtiana ſub vera fide Chriſti perſeuerans, Babylonia dici non poteſt, cum confeſsionẽ falſorum dogmatum, aut plurium ſectarum, vel Deorum non admittat. Ideòque merito Hieronymus lib.2. contra Iouinianũ ad finem, ad Romam dixit: *Scriptam in frõte blaſphemiam Chriſti confeſsione deleſti, &c.* Et hac ratione Petrus accuratè diſtinxit Eccleſiam, quæ erat in Babylone ab ipſa C Babylone dicens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Et eodem modo loquitur Hieronymus epiſt.18.ad Marcel.dicens, *Eſt quidẽ ibi ſancta Eccleſia, &c.*

Aliqui de ciuitate impiorũ, alij de Roma intelligunt.

Si de Roma ſermo eſt, ethnicã intellige.

Roma Chriſtiana Babylon dici nõ poteſt.

D. Hier.

1\. *Petr.* 5

D. Hier.

Deſtructo igitur Regis fundamento, eius argumentum ruit. Quapropter omnes accommodationes, quas ſub illo fundamento ſumit, calumniæ Proteſtantiũ ſunt, non Scripturæ interpretationes. Neque Rex ipſe reſponſionem hanc effugere poteſt, cum ſæpius in ſua præfatione fornicariam illam Romam eſſe cõtendat, & noſtrorum confeſsione id cõfirmet. Hic verò cauenda eſt calliditas D Proteſtantium, quam notauit Sander. lib.8.de Viſib.monarch. & Rex in præſenti imitari videtur, nam eandem mulierem dicit eſſe Romam, & eſſe Antichriſtum, & beſtiam item eſſe Antichriſtum, vt ſuprà cap.15.animaduerti, vt ita confundendo Romam cũ Romano throno, & cum Antichriſto, poſtea ad omne regimen illius ciuitatis, ac tandem ad Romanam Eccleſiam, & ſedem ſermonem transferat, illiq; omnia, quæ tam de Antichriſto, quàm de Romana vrbe infideli, eiusq; imperio ethnico dicuntur, accommodet.

3\. Calumniæ aliæ falſo oſtenduntur.

Sander.

Ab Hereticis hic omnia mirauafricie confunduntur.

modet. Talia ita que ſunt omnia, quæ in toto diſcurſu circa illud caput comminiſcitur. Cum enim Roma dicatur fuiſſe *mater fornicationis*, quando *omnium gentiũ idolis, & ſuperſtitionibus ſeruiebat*, vt Leo Papa inquit Serm. 1. de Natiuit, & ſerm. 1. de Sanctis Petro, & Paulo. Ideo crimẽ illud in Apoſtolicam ſedem transfert. Et ſicut nos propter illam ſedem dicimus, Romam eſſe matrem, & magiſtram omnium Eccleſiarum, ita Rex matrem omnium ſpiritualium fornicationum illam appellat. Quæ autem ſint iſtæ ſpirituales fornicationes, quas Romana Eccleſia, vel exercuit, vel docuit, nunquam hactenus oſtendere potuit; cum ab antiqua, & primitiua fide nec minimum diſcrepauerit, vt lib. 1: & 2. probatum eſt.

4. Roma Chriſtiana Martyrum ſanguine nullo modo ebria

Et ſimili modo cum Roma ethnica dicatur *ebria ſanguine Martyrum*, propter Imperatorũ perſecutiones, idem audet Romanę Eccleſiæ, & ſedi tribuere: quod profecto non video, qua ſpecie, vel vmbra veritatis dici potuerit. Quas enim *immanes Chriſtianorum perſecutiones* excitauit Eccleſia Romana, aut quando ſanguinem Martyrũ fudit, vt propterea ſanguine Martyrum ebria dicatur? Sed fortaſſe iuſtas quorundam hęreticorum, & Apoſtatarum pœnas martyria Rex vocat, cũ tamen illa ſupplicia tam rara ſint, vt nec propter illa dici potuerit ſanguine hęreticorum ebria: nam vt Patres, & expoſitores notant, per hæc verba innumera Martyrum multitudo denotatur. Denique, vt cætera omittam, nõ maiori fundamento hæc, quæ de Roma in Apocalypſi dicuntur, tribui poſſunt Romanæ ſedi à tempore Bonifacij Tertij, quam tempore Syluestri, verbi gratia, vt ſæpe dictum, & probatum eſt; deſinat ergo Rex tergiuerſari: & vel Romam ratione illius ſedis ſemper fornicariam fuiſſe fateatur, vel ethnicę Romæ crimina in Bonifacium, alios ve ſanctos poſteriores Pontifices, eorumque legitimos ſucceſſores traducere deſiſtat.

5. Beſtiæ ac mulieris non tam male cõfunduntur.

Deinde quia Rex mulierem cum beſtia, quæ illam portat, confundit, non ſolum proprietates mulieris, ſed etiam beſtiæ inſignia de Papa interpretari conatur. Et primo refert interpretationem ſeptem capitum ad ſeptem regimina ciuitatis, quam ſupra impugnauimus, de- A inde mirabilem habet de decem cornibus expoſitionem, quam in ſequẽti capite melius tractabimus. Ac tandem ad deſtructionem Babylonis in capite 18. prædictam explicandã digreditur. Quia vero ſupra in capite 7. deſtructionem Babylonis illo capite 18. deſcriptam fuiſſe tractauimus, non erit neceſſe circa omnes allegorias, & accommodationes, quas hoc poſteriori loco Rex commentatur, diſcurrere, pręſertim, quia nihil noui cõtinent, ſed eadem maledicta, & conuicia contra Romanam ſedem in eiſdem B erroribus fundata, & nouis exaggerationibus ſine vlla probatione amplificata. Illis ergo fere prætermiſsis, ſolum quædam puncta, quæ vel vmbram aliquam obiectionis habẽt, vel calumniam magis pernicioſam, & ſcandaloſam continet, prętermittenda non duxi.

6. RomãChriſtianam cũ Regib. fornicarã Rex probat. *Apoc.* 18.

Primo ergo in pag. 122. vt ſimul obijciendo mordeat, verba illa capitis. 28. expendit, vbi poſt deſcriptam ruinã Romanam dicitur. *Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, & in delicijs vixerunt.* Ex quibus concludere intendit, Babylonem illam C non eſſe Romam ethnicam, ſed Chriſtianam, quia quod ibi refertur, *cũ Roma ethnica, à nullis vnquã Regibus factũ eſt, nec fieri potuit, quos vi, & armis ſubegit.* Ergo illa Babylon eſt Roma Chriſtiana, & Reges, qui eius interitũ deflebant, ſunt illi, *quos honorificis* (ait) *nominibus, titulíſq́, ornauit: veniamque eorum libidinibus, atque illicitis matrimonijs indulſit.* Ab obiectionem vero reſpondemus in primis, eandem poſſe contra Regem retorqueri, nam etiam cum Roma Chriſtiana illud factum non eſt, neque fieri potuit, quia Reges illos, quos ipſa honorificis titulis ornauit, li- D cèt non vi, & armis, fide tamen, & pace Chriſtiana ſubiecit, vt Leo Papa dixit ſerm. 1. de Sanct. Petr. & Paul. Deinde dico de vtraq; Roma, ſeu de vtroq; eiuſdem Romæ ſtatu impertinentem eſſe obiectionem, quia prophetia illa nondũ impleta eſt, nondũ enim Roma fuit penitus extincta. Nam licet aliquas graues calamitates, & clades non modicas ſub Gothis, & Vandalis paſſa ſit, per illas tamen non eſt impleta illa Ioannis prophetia in dicto cap. 18. quia per illa excidia factum non eſt, *vt amplius non inueniatur*,

Ex ſuis verbis conuincitur.

D. Leo.

vt in dicto cap. 7. animaduerti. Quanquã de illis etiam excidijs veriſsime dici poſſit Romæ ethnicæ potius, quàm Chriſtianę ſuperueniſſe. Erat enim tum quaſi miſta, nam licet in ea eſſet Apoſtolica ſedes, & Chriſtiana religio, tamen adhuc in ea multę reliquiæ gẽtilitatis, magnaq; pars ciuium ethnicorũ perdurabat, & ad eam ab illa fæce pugandam Deus illas ca lamitates permiſit, vt docte, & erudite
Malueda. Maluenda oſtendit lib. 4. de Antichriſto cap. 5. ideoq; licet capta, & diruta Roma, non potuerit non magna incõmoda, & damna pati Eccleſia fidelis, quæ in ea tũc erat, quia tamẽ idololatriæ, & gẽtilitatis ſcelera erãt cauſæ ruinarum, ideo potius in Romam ethnicam, quam Chriſtianam perueniſſe merito dici poteſt.

7. *Si Roma ad mundi finẽ in priorem ſtatum reſtituenda eſt, in eam quadrant verba Apocalypſ.*

Vnde vlterius addo, quod in dicto cap. 7. ex opinione multorum ſapientum retuli, non eſſe incredibile, Romam prope Antichriſti tempora, vel in illis à gentibus iterum ſuperandam eſſe, & ad priorem ethnicum ſtatum reuocandam, eiecta inde Eccleſia, vel ita afflicta, vt quaſi in angulo, vel in cauernis terræ deliteſcat, & tunc impleri optime poterit prophetia Ioannis in Roma ethnica, & poterunt illã deplorare Reges ethnici, & idololatræ, qui participes fuerant fornicationem, & deliciarum eius. Atque ita merito etiam tunc Babylon appellari poterit, ſicut antea vocata fuit etiam ſi in illa eſſet Eccleſia, cui Babylonicæ nomen conuenire non poteſt. Vnde ſapiẽter di-
Sander. xit Sander. lib. 8. Monarch. c. 8. Antichriſtũ non Romæ, ſed inter reliquias, & fragmenta imperij Romani expectandum eſſe. Preſertim quia licet fortaſſe antea Rex aliquis infidelis inſurgeret, qui Romam vinceret, ibique ſuam tyrannidem excerceret, ea res non magis imputanda eſſet ſedi Apoſtolicæ, aut Eccleſiæ Romanæ, quam Neronis, aut Diocletiani perſecutio eidem Eccleſiæ olim adſcribebatur.

8. Tandem dico, fieri etiam poſſe, vt Roma illud vltimum, & perpetuum excidium patiatur, etiam ſi nunquam ad ethniciſmum redeat, ſed ſub imperio Pontificis permaneat, & quod id patiatur propter ſua ſcelera non tantum præterita, ſed etiam in illis diebus vltimis futura. Nam (vt ſupra dicebam) licet in

A illa Eccleſia fidelis perſeueret, poterit vel eſſe nimium deprauata moribus, vel poterunt in ea multiplicari ſectę, vel hæreticorum, vel ethnicorum cum tanta potentia, & libertate, vt Pontifices illos reprimere non valeant. Et in tali ſtatu poterit etiam Babylonia vocari propter cõfuſionem, quæ in illo ſtatu non poterit non eſſe maxima. Et ſimiliter poterunt illam deflere Reges, qui erant participes deliciarum eius, ſiue illi futuri ſint ehnici, ſiue fideles prauis moribus dediti, ſiue hęretici fouentes ſectas, & ſcelera, B quę tunc eſſe poterũt per vniuerſam Italiam, vel Europam, & ita præualere, vt authoritate, & potentia externorum Regum Romam etiam inuadant.

Tunc iure Babylon diceтur.

9. *Eccleſia Romana nunquã eſſe poteſt Antichriſtiana.*

Quocumque ergo modo illa prophetia intelligatur, ex ea non ſolum non poteſt colligi, iam nunc eſſe Romam Antichriſtianam, verum etiam neq; vlla veriſimilitudine inferri poteſt, Eccleſiã, quę Romæ nunc eſt, vel iam eſſe, vel futura eſſe aliquando Antichriſtianã, vel infidelem, quia licet multi ciues, & mẽbra eius à fide deficiãt, eo ipſo fiũt extra Eccleſiã, quę ſemper fidelis perſeuerat. Multoq; C minus ſequitur, caput veræ Eccleſiæ eſſe vel futurũ eſſe vnquã Antichriſtũ, quia licet ciuitas illa funditus deſtruatur propter apoſtaſiã, vel propter quãcumq; aliã cauſam, poterit caput, & Petra Eccleſiæ firma cõſiſtere, & alibi reſidere, vel latere. Imò licet Deus permitteret, perſonã alicuius Pontificis in illis tẽporibus cadere, & tyrãnis cedere, errores profitendo, non ideò Pontifex, vt Põtifex eſt, caderet, nec Eccleſiã falleret, ſed illo depoſito poſſet Eccleſia ſibi Põtificẽ creare. Quod per exaggerationẽ, & ad rẽ magis explicandã dictũ eſt: nam credibilius eſt, id nõ D eſſe permiſſurũ Deũ, præſertim in tanta Eccleſiæ tribulatiòne, & oppreſsione.

Idem dicendũ, & ſi aliquis Pontifex à fide deficeret.

10. *Mera calumnia eſt Pontifices veniã dare libidinibus.*

Ad calumniam autem, quam Rex obiter in obiectione miſcet, dicens, ſolitos eſſe Pontifices, veniam dare libidinibus Regum, aut illicita matrimonia permittere. Reſpondemus falſum eſſe, & à Rege non poſſe probari, à nobis autem, vel ex ipſo miſerando lapſu Anglicano euidenter conuinci. Nam dare veniam libidinibus duobus modis fieri poteſt. Primò dando libidinoſis veniam poſt libidinũ pœnitentiam, & ſatisfactionẽ. Et hoc

fecerunt

fecerunt ſæpiſsimè Pontifices. Ex quo non Antichriſti, ſed vicarij eſſe intelliguntur Chriſti, qui claues cœli illis cõmiſit, & Petro interroganti. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vſque ſepties?* Reſpondit, *Non dico vſq; ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*, vtique ſi Eccleſiam audierit, & pœnitentiã egerit, alioqui potius ſeparandus eſt vt ethnicus, & publicanus. Aliomodo attribui poteſt Pontificibus, quod libidinibus veniam præbeant, perſeuerantibus in illis, aut approbantibus ſimilia facta, aut publicè, & cum ſcandalo Eccleſiæ ea diſsimulando. Et in hoc ſenſu tale crimẽ falſo Apoſtolicæ ſedi attribui, teſtis eſt ipſa Anglia, non enim aliam ob cauſam Henricus. viij. & cum illo regnum eius ſchiſma contra Romanum Epiſcopum inchoarunt, niſi quia intolerandæ eius libidini veniam dare noluit. Poſſentque ſimilia exempla ex hiſtorijs Luſitaniæ, & ex alijs ad eandem falſitatem coarguẽdam peti. Sed in re clara neceſſaria non ſunt, nec nos decet Regum iam oblita, & deleta delicta in memoriam reuocare.

Apoc. 18.

Vid. Chronic. Duarti Nunez 1. p. in vita Sãcij. 2. Regis Portug. & in vita Alfonſi. 3. V. Boſium. tom. 1. de ſignis Eccleſ. lib. 12. cap. 3.

11\. Inualida matrimonia nũquam approbat Eccleſia.

In altero autem verbo, quod Rex adiungit: *Illicita matrimonia permittere*, alludere plane videtur ad matrimonium Hẽrici cum Sereniſsima Catherina, quod Papa permiſit; imò non ſolum permiſit, ſed conſtanter etiam defendit, quia non illicitum, ſed verum, & ſanctum fuerat. Probabit autem Rex Angliæ matrimonium Henrici, cum Anna Bollena, quod non matrimonium illicitum, ſed turpiſſimum adulterium, & inceſtus execrãd⁹ fuit. Igitur permiſsio illiciti matrimonij varijs etiam modis fieri poteſt. Primo approbãdo matrimonia illicitè facta, etiã ſi inualida ſint: & hoc falſo tribuitur Eccleſiæ catholicæ, vel Apoſtolicæ ſedi, nec à Rege produci poteſt exẽplũ, quo id faciat quoquomodo credibile. Imo licet matrimonium fuerit validũ, ſi fuit illicitè factum (quod ſæpe contingit) licet Eccleſia probet matrimonium, non probat delictũ; imò nec permittit illud ſed vetat, & punit, ſi poteſt, interdum enim, quia ſine maiori ſcandalo punire non poteſt, diſsimulat, hæc autem frequenter eſſe ſolet culpa Principum potentium, non Apoſtolicæ ſedis. Alio

A modo permittitur matrimonium, vt cũ diſpenſatione fiat, quod ſine illa factum eſſet illicitum, & hoc ſæpe facit Eccleſia, & iuſtiſsime facit, quia quando id contingit propter impedimenta iure humano introducta, per poteſtatem etiam Eccleſiæ auferri poſſunt, & ſæpe expedit propter commune bonum, vel alia cauſam iuſtam. Et ita factũ eſt in matrimonio Henrici cum Catherina, vt eſt res notiſsima, & à multis doctiſsimis viris demonſtrata. Propter has autem diſpenſationes non ſine dolo, vel deceptione dicitur Pontifex, *permittere matrimonia illicita*: nam hæc verba faciunt ſenſum compoſitum, vt ſic dicam, ſignificant enim permittere illa permanẽtia illicita, quod falſum eſt, ſed permittit diſpenſando, vt licite fiant, quæ ſine diſpenſatione eſsẽt illicita.

Legitima diſpenſatio matrimonia illicita non facit, ſed recta.

B

12\. Pergit vlterius Rex, & occaſione illorum verborum Ioannis in dicto cap. 18. verſ. 12. *Quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Exaggerat Romanæ ciuitatis diuitias, reprehenditq; (vt alia omittam) *ornatum templorum, & cultum ſanctiſsimæ Virginum*. Additque horrendum Proteſtantium mendacium, quod illi imponere fuerat; videlicet, *Beatam Virginem quotidie nouitijs, & exquiſitiſsimis veſtimentorum generibus, quamuis habitum referant meretricium, Romæ indui, & exornari.* Veruntamen in hac obiectione ſatis Proteſtantes oſtendunt, ſe non Romam, quam fingunt nouitiam, & Antichriſtianam, ſed veterem, & catholicam Eccleſiam Romanam calumniari, & odio proſequi. Nam ornatus templorum non eſt nouus in Eccleſia, ſed ab eo tempore, quo templa publicè ædificari cœperunt, ornari etiam ſumptuoſè inceperunt, & maximè Romæ. Cuius rei præter grauiſsimas hiſtorias Euſebij, & poſteriorum, teſtes euidẽtiſſimi ſunt, antiquiſsima monumenta, & ornamenta templorum, ac reliquiarum, quæ hodie Romæ inſpiciuntur, & in actis ipſorum Pontificum, Syluestri, Damaſi, & aliorum vſque ad Gregorium copioſiſsimè inueniũtur. Et præter exempla id etiam docuerunt Sacri, & antiqui Pontifices. Felix. IIII. & Leo. I. vt alibi latius tractaui. Idem manifeſtũ eſt de cultu Imaginum, de quo ſatis in ſecundo libro dictum eſt.

Apoc. 18. Ornatũ B. Virginis, ac templorum Rex carpit.

C

Templorũ ornatus in Eccleſia nouus non eſt.

D

Euſeb. Ca.

Tom. 3. in ſupar. lib. 4. ... ſect. 6. in fine.

Calum-

13.
In Eccleſia decéter imagines amiciuntur.
Cōc. Trid.

Calumnia verò de indecenti veſtitu, ſeu cultu imaginis Beatiſsimæ Virginis ſufficienter refellitur decreto Oecumenicæ ſynodi Tridentinæ per Romanos Pontifices confirmatæ, vſuque receptæ. Nam ſeſſ. 25. in decreto de ſanctorũ & imaginum cultu, poſtquam catholicam doctrinam declarauit, de morali in praxi ſeruanda ſubiungit: *Omnis porro ſuperſtitio in ſanctorum inuocatione, Reliquiarũ veneratione, & imaginum ſacro vſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſciuia vitetur, ita vt procaci venuſtate imagines nõ pingantur, nec ornẽtur.* Rurſuſque commendat Epiſcopis: *Curã adhibeant, vt nihil inordinatum, aut præpoſtere, aut tumultuariè accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhoneſtum appareat, cum domum Dei deceat ſanctitudo.* Atque hanc curam, & religioſam ſolicitudinẽ in Romanis templis magna diligentia, & pietate obſeruari ſcimus, & per plures annos oculis conſpeximus, & in Sanctiſſimæ Virginis imaginibus maiori conſideratione animaduertimus: ideoque fidenter in verbis illis non niſi meram calumniam, & hæreticorũ impudens mendacium contineri affirmamus.

In B. Virginis ornatu maior eſt religio, præcipuæ Romæ

14.
Catholicorum liberalitas in Religioſos cõuicijs diſcerpitur.

Neque diſsimile crimen eſt, quod tertio loco Rex Pontificibus obiectat occaſione illorum verborum Ioannis: *Merces auri, &c. Et animarum hominum* Dicit enim: *Omnium autem ſumptuoſarum mercium, quæ maximi pretij ſunt, animæ, ſcilicet, hominum poſtremo nominantur*, & ſtatim interponit verba, quib⁹ religioſos, & pios ſumptus, quos in cænobijs Religioſorum ædificandis catholici inſumunt, & ſpecialiter in Societatem Ieſu inuehitur, quam iniurijs, & contumelijs onerat. Quæ lubens omitto, tum ne piæ aures legentium hoc opus offendantur; tũ quia in hoc opere non pro Societate, ſed pro catholica fide, & Apoſtolicæ ſedis ſingulari prærogatiua reſpondere, decreui. Et licèt in illis verbis aliqui errores contra fidem inuoluantur, vt contra purgatorium, contra ſuffragia pro defunctis, & contra ſtatum religioſum, tantũ obiter tanguntur, & non poſſunt omnia hoc breui opere refutari. Ac de prioribus, pro huius operis opportunitate, ſatis in ſecundo libro diximus, de vltimo autem ſperamus diuina ope, aliquando

Quæ ad Societatem Ieſu ſpectant, omittũtur.

A

in lucem proditurum opus de ſtatu religioſo, germanum ſocium alterius operis de religionis virtute, in quo errorem illum ex profeſſo conſutamus. Poſt illa ergo verba, quæ omiſſa facimus, ſubiungit Rex. *Et certe credo, non eſt minima illa animarum negotiatio, cum homines ſpe, & promiſsione æternæ ſalutis faſcinantur, vt facile perſuadeatur fraterculo, Regem ſuum confodere,* &c. Ac tandem concludit. *Atque ita tam animi, quam animæ iacturam facere.*

B

15.
Conceſsio facultatis ad Reges impune trucidandos falſo attribuitur Põtifici.

In quibus verbis Rex ſignificat, vel Romanos Pontifices, indulgentias, ſeu remiſsiones peccatorum ſolere promittere hominibus, ſi Reges ſuos, & Principes temporales occidant, vel catholicos docere, eſſe pietatis opus, Principi, & Regi hoſti fidei, & religionis, mortem machinari, & inferre, eſſeque maximè meritorium, & genus quoddam martyrij, mortem pro tali facinore perpetrando ſubire, atque ita promiſsione ſalutis æternæ deceptum fuiſſe fratrẽ, qui Regem Galliæ interfecit, & alios ſimiles. Et quidem prior ſenſus videtur fuiſſe à Rege intentus, eſt enim ſatis conſequẽs

C

ad ea, quæ præceſſerunt. Ad illum vero breuiter, & doctè reſpondet Bellarminus, ſolere quidem Pontifices indulgentias Chriſtianis militibus in bellis iuſtis contra infideles dimicantibus, vel decedentibus concedere. Nam Gelaſius. 2. ante quingẽtos fere annos militibus cõtra Saracenos Hiſpaniam occupantibus indulgentiam conceſsit his verbis. *Siquis veſtrum accepta de peccatis ſuis pœnitentia, in expeditione hac mortuus fuerit, nos eum ſanctorum meritis, & totius Eccleſiæ precibus à ſuorũ vinculis peccatorum abſoluimus.* Et poſtea pro alijs viuis cooperantibus

Card. Bell.

Galaſ. II.
Militãtibus contra Paganos indulgẽtias Pontifices largiuntur.

D

aliam indulgentiam cõcedit, vt eſt apud Baron. Anno. 1118. num. 18. Aliam conceſsit Ioannes. vj. tempore Ludou. III. Imperatoris, omnibus decedentibus in bello pro defendenda Eccleſia cõtra Paganos, vt refert Baron. ann. 878. n. 34. ex epiſt. 144. eiuſdem. Item eſt celebris indulgentia, quam ſumentibus crucem pro expeditione terræ ſanctæ conceſsit Vrbanus Papa in Concilio Claramont. ann. 1095. vt ibidem Baroni. refert. nu. 25. & n. 50. Eandẽ confirmauit Eugen. 3. ann. 1145. vt refert Otho Friſingen. de

Baron.
Ioann. vj.
Vrban.
Otho. Friſ.

de Geſtis Francor. lib. 1. cap. 34. & late Baron. eodem ann. n. 30. & ſequentib.

16. *Greg. 8.* Variæ conceſsiones referuntur ex hiſtoria Anglicana. *Roger. Guilliel.*

Denique ſimilem cõceſsit Gregorius viij. in quadã Epiſt. ad vniuerſos Chriſti fideles, quam refert Rogeri. Anglican. in Annal. & Guillielm. Neubrigen. lib. 3. Hiſtor. Anglican. cap. 20. Verba conceſsionis ſunt. *Eis, qui corde contrito, & humiliato ſpiritu laborem itineris huius aſſumpſerint, & in pœnitentia peccatorum, & fide recta deceſſerint, plenam ſuorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam. Siue autẽ ſuperuixerint, ſiue mortui fuerint, de omnibus peccatis ſuis, de quibus rectam confeſsionem fecerint, impoſitæ ſatisfactionis relaxationem, de omnipotentis Dei miſericordia, & de Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli authoritate, & noſtra, ſe nouerint habituros.* Eãdemque indulgentiam confirmauit eius ſucceſſor Clemens Tertius vt Rogerius, & Baronius in Annalibus referunt. Additque Neubrigen. cap. 22. Richardũ Comitem Pictauienſem Regis Anglorum filium primum omniũ Prinpũ crucem Domini accepiſſe, & poſtea Regem Patrem eius ſimul cum Rege Galliç in idem propoſitum conueniſſe, & per ſua regna proprijs literis indulgentiam à Papa conceſſam promulgaſſe, & poſtea in Concilio Anglicano plurium Epiſcoporum probatam, & receptam eſſe.

Clem. 3. Baron. An. 1187 Guilliel

17. Ex forma cõceſsionũ falſitas dictorum conuincitur. Tom. 4. diſputat de Indul.

Si ergo nũc Rex Iacobus omnes huiuſmodi indulgentias reprehendere audet, ſatis tot Pontificum, Conciliorum, Regum, & totius Eccleſiæ conſenſu, antiquaque traditione confunditur, prçter alia, quæ de hoc puncto in proprio tractatu à nobis diſputata ſunt. Si autem accuſat Pontifices, quòd eis, qui priuata authoritate ſuos Reges audent occidere; ſimiles remiſsiones indulgent, eosvè ad ſimilia crimina perpetranda indulgentiarum promiſsione excitant: nouum crimen hoc eſt, & in Romana Eccleſia inauditum, ſed â Proteſtantibus ad conciliandam Pontifici inuidiam excogitatum. Nam potius in forma concedendi indulgentiam, particulam illam, *Vere pœnitentibus, & confeſsis*, Romani Pontifices addere, aut aliam çquiualẽtem apponere cõſueuerunt, tantum abeſt, vt pro criminibus impetrandis illam promittant.

18. In altero verò ſenſu inculcat Rex in illa ſua reprehẽſione quçſtionem celebrem, an liceat cuicumque priuato homini legitimum Regem ſuum tyrannice regnantem, & præſertim religionem, & Catholicam fidem peruertentem interficere. Quam nunc diſputare prolixũ, & à noſtro inſtituto alienum eſſet. Solum ergo cum eodem Cardinali Bellarmino reſpõdemus in primis, ex factis quorundam priuatorum, etiam ſi catholici fuerint, non recte colligi, talia facta per Eccleſiã approbari: nam ex factis, præſertim paucorum, doctrinam colligere, aut ingens caligo ignorantiæ eſt, aut manifeſta calũnia: cum Chriſtus ipſe etiam de Scribis, & Phariſçis dixerit: *Quæcumque dixerint vobis facite. ſecundum opera vero eorum nolite facere.* Deinde dicimus, non catholicos, ſed hæreticos parentes Lutheranorũ & proteſtantium docuiſſe, Regem non ſolum propter hçreſim, vel tyrannidem, ſed etiã propter quodlibet mortale peccatum regnum amittere, poſſeq; à popularibus pro ſuo arbitrio corripi. Quam doctrinam ſequutus eſt Ioannes Hus, eã vero Eccleſia Catholica vt hæreticam dãnat, vt ex Concilio Conſtant. ſeſſ. 8. & 15. conſtat, & alibi à nobis oſtenſum eſt. Imò in eodem Concilio ſeſſ. 15. refertur aſſertio quædam ad ipſum delata: *Quilibet tyrannus poteſt, & debet licite, & meritoriè occidi per quencumque vaſſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, non obſtante quocumque præſtituto iuramẽto, neque expectata ſententia, vel mandato, & cætera.* Illa autem aſſertio hæretica declaratur, eamque pertinaciter defendẽs, hçreticus à Concilio denuntiatur. Immerito ergo Rex Iacobus Romanã Eccleſiam, vel eius Catholicos Doctores criminatur, quòd per doctrinam illam fraterculum, vel quempiam alium ad ſuũ occidendum Regem ſpe ſalutis æternæ faſcinauerint, aut perſuaſerint. Et de hoc puncto hçc in prçſenti ſufficiunt, nam in lib. 6. iterum occurret.

Quæſtio, an cuiuslibet ſit priuatum tyrannum occidẽre, non eſt huius loci. [uncertain]

Priuatorum delicta ab Eccleſia non approbatur. [uncertain]

Tyrannum [illegible] Regem occidi poſſe primi hæretici docuerunt.

19. Superbia Rom. Eccleſiæ [illegible] cobo carpitur. pag. 25. *Apoc. 18.* [uncertain]

Quarto loco poſt alia conuicia contra Eccleſiam Catholicam, addit Rex Romanam Eccleſiam acerbiſsimè puniendã eſſe propter ſuperbiam ſuam, quam ſuperbiam dicit explicari illis verbis. *In corde ſuo dicit, Sedeo Regina, & vidua ſum, & luctum non videbo.* Et poſtea hanc ſuperbiam Rex exaggerat, dicens, *Nulla*

enim

enim certior eſt apud illos veræ Eccleſiæ nota, quam ſecundæ res, & externa proſperitas. Sed in primis quod ſpectat ad verba Scripturę, certũ eſt, illa dicta eſſe de vrbe impiorum, vel de Roma ethnica, & ſuperba, quæ gloriabatur, quod ſederet vt Regina, id eſt, quia multis regnis, & prouincijs imperabat, & vidua non eſſet, quia Imperatori, & ſupremo Domino gentium nupta erat; ſicut ẽ contrario deplorabat Hieruſalem Ieremias, quòd *ſederet quaſi vidua domina gentium.* Cum vero additur. *Et luctum non videbo,* indicatur error gentilium, qui putarunt, Romã, & imperiũ eius fore perpetua, teſte Hieronymo dicta quęſt. 11. ad Algaſi. vbi inter alia ait, nomen blaſphemiæ ſcriptum in fronte meretricis in Apocalypſi eſſe *Romæ æternæ.* Et ad hunc fere modum cõmuniter exponitur à Patribus, & Doctoribus, ideoque ridicula eſt, & impia Proteſtantium illuſio. Maxime, cùm in vera Chriſti Eccleſia nõ ſuperbia, ſed fidelis charitas ſit, ſe ſponſam Chriſti profiteri, cum Paulus ad Epheſ. 5. dicat: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Et poſtea explicans ſimilitudinem per verba illa: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ,* ſubiungit, *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Vnde cum Chriſtus ſit *Rex Regum* quid mirum eſt, quod ſponſa ſedeat *Regina in veſtitu deaurato, circundata varietate?* Non enim in ſe, ſed in Domino, ratione ſponſi de tanta dignitate gloriatur. Eandemque ob cauſam non ex ſuperbia, aut vana præſumptione viduitatem, ſeu luctum videre non timet, quia à ſuo ſponſo audiuit: *Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam,* & *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad cõſummationem ſæculi.* Quapropter ſi verbis Scripturæ per accõmodationem vti liceret, multo iuſtius poſſet Anglia timere cõminationem, & pœnas illas, quia re vera dicit, *Sedeo Regina,* quia nullum alium ſponſum pręter temporalem *Regem,* nec alium ſuperiorem in ſpiritualibus, vel temporalibus recognoſco, *Vidua non ſum,* quia supremũ caput, & Chriſti Vicarium proprium, & tanquam ſponſum habeo, *& luctum non videbo,* quia ſpiritus dictat, hanc eſſe veram Chriſti Eccleſiam perpetuo cum

Séd alia eſt mens D. Ioãnis.

Reginã ob imperiũ vetus Roma ſe credebat.

D. Hiero.

Epheſ. 5.

Eccleſiam non ſuperbia, ſed fidelis charitas extollit.

Ibidem

Matth. 16

Matth. 18

Caueat Anglia ne de ipſa verba illa D. Ioãnes protulerit.

A

Chriſto manſuram, an & paulatim Romanam Eccleſiam ſuperaturam.

20. Denique quod Rex de ſuo adiungit, nullam certiorem notam veræ Eccleſiæ apud nos eſſe, quam *res ſecundas, & externam proſperitatem,* duo continet falſa. Primum, & clariſsimũ cernitur in illa cõparatione, nam omnes catholici vno cõſenſu tradũt vt principaliores, & certiſsimas Eccleſiæ notas, eſſe *vnã Sanctam, catholicã, & Apoſtolicã,* cum alijs, quę in his recte explicatis intime continentur, vt ſunt habere legitimã ſucceſsionẽ ab Eccleſia primitiua, per certã, & indubitatã connexionẽ cũ illa in doctrina, in regimine, & paſtorali munere, & præſertim in cathedra Petri. Itẽ eſſe fundatam in illa Petra per vnionem perpetuã, & obedientiam cum illa. Aliæ verò notæ, quę ab aliquibus Doctoribus Catholicis multiplicantur, vel ad has reducuntur, vel non ſunt tam proprię, & certę notę, quàm veræ Eccleſię veriſimillima ſigna.

Veræ Eccleſiæ notę proponuntur.

B

21. Aliud aſſertũ falſum eſt, *externã proſperitatem, & res ſecundas* abſolutè, & ſine aliqua declaratione, vel reſtrictione inter Eccleſiæ notas numerari. Nõ enim ignorant pij, & ſapientes viri, temporalẽ felicitatem rem indifferentem eſſe: ideoque proſperos in his rebus ſucceſſus malis, & bonis, fidelibus, & infidelibus, hæreticis, & catholicis eſſe communes. Neque etiam ignorant, nihil eſſe magis proprium Eccleſiæ Chriſti, aut ſępius ab ipſo prænunciatum, quàm tẽporales afflictiones, & tribulationes, ac perſecutiones: ẽ cõtrario vero pacẽ externam, & temporaliũ rerum abundantiã copioſius ſolere malis, quã bonis concedi; vel quia ſiquid boni operantur, illa temporalia bona loco præmij recipiunt, vel quia propter peccata ſua merentur, vt eis concedãtur bona, quibus Deus pręuidet, peiores indies eſſe futuros; vel certè vt boni meliores efficiantur, tum carendo illis bonis temporalibus, quæ ſolent occaſionẽ ruinę ſpiritualis afferre, tum ſuſtinendo impiorum moleſtias, qui proſperitatibus elati ipſos affligunt.

Proſperitas in vtramq; partem flexibilis eſt.

C

Crebriores ſunt in Eccleſia tribulationes.

D

22. Proſperitas ergo temporalis per ſe ſpectata non ponitur à nobis vt nota veræ Eccleſiæ, quia non eſt nota veræ fidei, nec veræ ſanctitatis. Quia vero Eccleſia Chriſti, dum in terris degit, etiam his

Proſpera ſuæ Eccleſię Deus moderate prouidet, etiam per miracula

Auguſt.

his bonis temporalibus indiget (vt recte dixit Diuus Auguſtinus) ideo Chriſtus Dominus ſua ſingulari prouidentia in horum bonorum largitione, conſeruatione, ac defenſione peculiari cura illi prouidet. Sæpeque extraordinario auxilio, ac plane cœleſti in proſperis ſucceſsibus obtinendis, & contrarijs vitandis illi aſsiſtit. Atque ita proſperitates temporales hoc modo prouenientes Eccleſiæ, aut Principibus inter ſigna veræ fidei, ac ſubinde Catholicæ Eccleſiæ à Catholicis recenſentur. Sicque Cardinalis Bellarminus libro quarto de Eccleſ. capite vltimo, felicitatem quidem temporalem loco decimo quinto, & poſtremo tanquam cæteris inferiorem poſuit, non tamen ſine prudenti, & ſufficienti declaratione, addit enim, *Temporalis felicitas diuinitus ijs collata, qui Eccleſiam defenderunt.* Et talia ſunt exempla, quæ inducit & eodem modo loquuntur plures alij authores, quos ipſe refert, & copioſe Bozius. 2. tom. de Signis Eccleſ. præſertim cap. 20. & ſequentibus.

Bellarmi.

Bozius.

23. Ponticē, & Turcā Rex Iacobus eadem librat ſtatera.

Apoc. 20.

In reliqua parte illius diſcurſus, quam ad caput 19. 20. & 21. Rex adiungit, nihil notatione dignum, vel ad cauſam fidei pertinens inuenio, præter illud, quod obiter in tranſcurſu dicit, an id, quod de Gog, & Magog Apocalypſ. 20. dicitur, *de Papa, & Turca accipiendum ſit, nec ne, alijs iudicium relinquo,* & rationem reddit, *Quia fere eodem tempore ad ſuam magnitudinem excreuerunt.* In quibus verbis multis modis errat, & peccat. Primo contra pietatem, & humanam etiam vrbanitatem, dum Papam inter Chriſti hoſtes, & Eccleſiæ perſecutores numerat, & Turcæ exæquat; in quo non ſolum oſtendit, quantum ab omnibus Principibus pijs, & Catholicis degeneret, qui ſumma reuerentia, & honore Papā proſequuti ſunt, vt ſatis eſt in ſuperioribus oſtenſum: verum etiam euidenter ſe prodit, non rationis pondere, ſed tantum affectu, & odio verba ſimilia effutire. Nulla eſt enim conuentio, vel comparatio Chriſti Vicarij fidelium parentis, ac fidei eius magiſtri, & defenſoris cū infideli tyrāno acerrimo Chriſtianorū perſecutore. Sed qui ſapiētes ſunt in oculis ſuis, & proprio Spiritu ducuntur, facile dicūt, tenebras lucē, & lucē tenebras.

Sed nulla eſt cōuentio lucis ad tenebras.

A Deinde contra veritatem hiſtoriæ errat, dum ait, Papam, & Turcam eodem tempore ad ſuam magnitudinem excreuiſſe. Nam ſi de magnitudine Papæ quoad ſpiritualē dignitatem, & poteſtatem loquamur, in ea nunquam creuit: à principio enim integra, & (vt ita dicam) in ſummo gradu in Petro fuit, eademque ſine augmento, aut diminutione eſt ad ſucceſſores Petri deriuata, ipſam vtique poteſtatem in ſe ſpectando: nam vſus eius creſcere potuit, ſicut creuit Eccleſia, & impedimenta ablata fuerunt,

24. Pontificis magnitudo Christi iam tempore adoleuit.

B & maiores etiam occaſiones occurrerunt. Et in hoc etiam ſenſu dici poteſt Papa, à temporibus Conſtantini ad ſuam magnitudinem perueniſſe, tūc enim cæpit eius dignitas vniuerſo Orbi innoteſcere, & Imperator ipſe, alijque temporales Principes illi colla ſubdere inceperunt. Imò etiam quoad temporalem dominationem tunc ferè ad ſuam magnitudinem peruenit. At Turcæ imperium multum poſt tempus incepit, nam licèt Turcarum gens, qui olim Gazari dicebantur, antiqua ſit, tamen ſecta, & imperium eorum longè recentiora ſunt, nam

Conſtantini tempore orbi innotuit.

Turcę multo poſt tempore ſuam magnitudinem adepti.

C & impius Mahometus poſt ſexcenteſimum Chriſti annum incepit, & Turcę non cæperunt orientale imperium Romanorum inuadere vſque ad Conſtantini Copronyci, & Iconomachi tempora, & vſque ad annum milleſimum, ac ferè centeſimum illud non obtinuerunt. Vnde ſi tunc dicatur Turca ad ſuam magnitudinem excreuiſſe, vt re vera dicendus eſt, omnino falſum eſt, Papam, & Turcam ad ſuam magnitudinem ſimul perueniſſe. Videtur autem Rex Iacobus ad initium Mahometis reſpexiſſe, quia paulo poſt Bonifacium Tertiū, in mun-

Vide Baron. an. 763. & 1048.

D do apparuit, verumtamen ſic etiam falſum eſt, aut eo tempore magnitudinem aliquam Pontificatui eſſe additam, aut Turcarum gentem, vel imperium tunc incepiſſe. Deniq; accommodatio illa de Gog, & Magog, non ſolum in Pontifice, quod euidentiſsimum eſt, verum etiam neque in Turca habet vllam veriſimilitudinem, ideoque neque in dubium reuocari, nec aliorum iudicio remitti debuit, vt in ſuperioribus tactum eſt, & in ſequenti capite iterum videbimus.

Cum Mahometes graſſaretur nihil Pontificatui additum.

Mmm CAP.

CAPVT XXII.

Ex deſcriptione Antichriſti à Daniele Propheta tradita fabula de Antichriſtianiſmo Romano euidēter refellitur.

1. Danielis Prophetias Rex Iacob9 in medium non adducit.

CVM attente diſcurſum Regis Angliæ de Antichriſto legiſſem, & nullam in eo Danielis Prophetæ mentionem fieri vidiſſem, niſi curſim, & obiter aſſerendo Ioannem in Apocalypſi imitari modos loquēdi Danielis, Ezechielis, & Prophetarum, miratus ſum valde, & dubitare cæpi, an Rex crederet, Danielem de Antichriſto prophetaſſe. Auxitque ſuſpicionem, quòd in principio ſuæ diſputationis ait, Paulum clarius explicuiſſe, quod Ioannes ſuis viſionibus obſcurius tradit, prætermiſſo Daniele, quaſi nihil ad cauſam pertineret, vel ac ſi neque obſcurè, nec clare Antichriſtum prędixiſſet. Quod ſi fortaſſe ita verū eſt, & Rex non credit, Danielem de Antihriſto prophetaſſe, interrogandus eſt, cur id credat de Ioanne, & de Daniele neget? quia vterq; per ęgnimata loquutus eſt, & neuter nomen Antichriſti expreſſe poſuit, & viſiones Danielis, iudicio omniū Patrum, & expoſitorum minus obſcurè indicant Antichriſtū quam Ioannis. Imò

Matth.24

Chriſtus Dñs Matt. 24. ſatis indicat Danielem de Antichriſto fuiſſe loquutum, eademq; eſt perpetua Eccleſiæ traditio. Quod ſi hoc Rex negare non audeat, miramur, cur in tam prolixa diſputatione, & tam immani contra Papā accuſatione, tanti Prophetæ grauiſsimum teſtimonium omiſerit? Suſpicor ergo, Danielē ſilentio præteriiſſe, quia deſcriptiones eius de Antichriſto non ſolum ad errorē ſuum confirmandum nullo colore detorqueri poterant, ſed illum potius redarguunt, & veritatem non obſcure oſtēdunt. Ob hanc ergo cauſam, licèt in ſuperioribus ad oſtēdendum, Antichriſtū futurum eſſe ſingularem perſonam, & quāto tempore regnaturus ſit, huius prophetæ teſtimonijs vſi fuerimus, operępretium duximus, deſcriptionem Antichriſti ex ipſo colligere, copioſius enim, quàm alij eam tradit, euidentiuſque per illam nō ſolum â Papa, ſed etiam ab omnibus alijs, qui falſo Antichriſti putati ſunt, diſcernitur.

Danielis teſtimonium hæreticos maxime cōuincit.

A Primum igitur in capite ſeptimo, ait Daniel, ſe vidiſſe quatuor beſtias, quæ quatuor mundi regna ſignificabant, vt ipſemet declarat, illa vero quatuor regna ex communi ſententia, & expoſitione Catholicorum fuerunt Chaldæorum Perſarum, Græcorum, & Romanorum imperia, vt ſupra capite tertio, breuiter declaratum eſt. Tribus autem beſtijs, ſeu regnis prioribus, quæ cito tranſierunt, prætermiſsis, de quarta dicit inter alia Daniel, quod habebat cornua decem, & ſubiungit: *Conſiderabam cornua, & ecce*

2. Per beſtias apud Danielem impe-ria adubrā-tur.

B *cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum, & tria de Cornibus primis euulſa ſunt à facie eius, & Ecce oculi, quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens ingentia.* In his ergo, & ſequentibus verbis, quæ poſtea addemus, intelligimus Danielem perſonam Antichriſti deſcripſiſſe. Quod licet in ſuperioribus obiter, & per occaſionem ſæpius indicatum ſit, hic ex profeſſo, & integrè exponedum eſt, quoniam ſi colligantur ſimul omnes proprietates, quas Propheta illi paruulo cornui attribuit, falſitatis euidenter conuincitur mendacium, & impoſtura

Daniel. 7

Deſcriptio Antichriſti.

C Proteſtantium de Romano Antichriſtianiſmo. Oportet tamen vt ſupponamus cornu illud paruulum repræſentare Antichriſtum. Prius autem decem cornua interpretari neceſſe eſt, de ipſa vero beſtia quarta nihil addere oportet his, quæ Daniel ipſe dixit, videlicet, quartam beſtiam eſſe *quartum regnum in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram, & conculcabit, & comminuet eam*. Per quod omnes Catholici Imperium Romanum intelligunt, omiſſis interpretationibus Porphyrij, & Hebræorum, de quibus videri poſſunt

Daniel.7.

D Diuus Hieronymus, & alij expoſitores: nam in hoc nulla eſt in præſenti controuerſia.

D. Hiero.

De decem item cornibus Daniel declarat, repræſentare decem Reges futuros, ſatiſque indicat eſſe futuros non omnino diſtinctos ab illo Regno maximo per quartam beſtiam ſignificato, neque in terris, & prouincijs extraditionem totam Romani Imperii, ſed eſſe futuros decem Reges eiuſdemmet regni quarti, ſic enim ait: *Porro cornua decem ipſius regni decem Reges erunt.* Vnde omnes

3. Per decem cornua quartę beſtię, totidem Reges in imperio Romano repræſentā-tur.

omnes

omnes colligunt, ipſummet regnum Romanum, quod prius vnum imperium fuit, diuidendum eſſe in decem regna. Quod etiam ſignificatum fuit in cap. 2. eiuſdem Prophetæ per decem digitos, in quos ſtatua deſinebat.

4.
An numerus ille certus ſit, an pro incerto poſitus.

De hoc autem numero decem cornuum dubitatio eſt, an ſicut Daniel præciſè vidit decem cornua, & non plura, neque pauciora, ita per illa ſignificentur decem Reges in eodem numero certo, ac præciſo, an indefinitè multitudo Regum, in quos diuidendum fuit Romanum imperium. Quam quæſtionem attingit Auguſtinus. 20. de Ciuit. capite vigeſimo tertio, & incertum eſſe putat, an denarius ille numerus ſignificet abſolute vniuerſam multitudinem Regum futurorum in Romano imperio prius quam Antichriſtus veniat, an vero præciſe decem Reges demonſtret. Proſper etiam in Dimidio temporis capite octauo, licet de numero non moueat quæſtionem, dubitat nihilominus, an per illos decem Reges intelligantur *truculentiores Reges, qui fuerunt in religione Chriſtiana.* Aretas etiam capite trigeſimo ſexto in Apocalypſim generatim dicit, decem cornua ſignificare, *conſummationem eorum, quæ iuuant ad malitiam, contingere Antichriſtianam,* vbi numerum indefinitum indicat, quanuis aliam opinionem referat, dicens: *Sed & de his quidam dixerunt, in decem regna diuiſum tunc iri mundum.* Et in hanc ſententiã videtur incli-naſſe Pereira libro 2. in Daniel. dum per decẽ digitos ſtatuæ ſignificari ait *Romanum imperium nouiſsime diuiſum iri in multa regna, multoſq; Reges, quorũ alij potētiores, alij imbecilliores futuri ſunt, & ideo digiti partim ferrei erant, partim teſtiles.* Et ibidẽ ait, per decem cornua in cap. 7. ſignificari *multos Reges.* Idemq; lib. 8. tractãs ſententiam Auguſtini, ſub diſiunctione loquitur dicens, negari non poſſe, quin quo tempore venturus eſt Antichriſtus, futuri ſint in orbe Romano, *decem Reges, vel multi Reges.*

D. Aug.

D. Proſp.

Aretas.

Ben. Per.

5.
Patres numerum illũ determinatũ ſentiunt.

Patres autem communiter, nullã dubitationem, vel quæſtionem mouentes, ſimpliciter dicunt, illa decẽ cornua ſignificare decẽ Reges, prout Daniel illos interpretatur, eoſque futuros eſſe in orbe Romano tẽpore aduẽtus Antichriſti. Ita loquitur Iren. lib. 5. cap. 25. & in ca. 26. fuſius in eodem ſenſu exponit decẽ digitos ſtatuæ Dan. 2. & decẽ cornua beſtiæ Apocalyp. 13. & 17. & licet expreſſe id nõ declaret, ſemper tamen tanquã de certo, ac præciſo numero loquitur. Hypolit. etiã orat. de Conſũmat. mund. ſolum dicit, cornua decem à Daniele viſa eſſe decem Reges, & eoſdem in decẽ digitis ſtatuæ ſignificari, & eodẽ modo loquuntur Cyrill. Hieroſol. catech. 15. Lact. lib. 7. cap. 16. Tertullian. de Reſurrect. car. cap. 24. & 25. & in eadem opinione ſunt Hieronym. & Theodoret. Daniel. 7. & 11. intelligentes, per hæc decem cornua beſtiæ, vbicunq. in Daniele, & Apocalypſi eorum fit mentio, decem regna ſignificari, in quæ erit Romanum imperium diuiſum. Conſentiunt etiam Andreas cap. 36. & 53. in Apocalypſ. qui inter alia dicit, *per decem cornua terreni regni, in decem partes ſectionẽ ſignificari.* Quod etiam Aretas cap. 54. attingit, referendo tantum aliorum nomine, qui ita inquit, *aiunt.* Et hanc ſententiam ſequuntur cõmuniter moderni expoſitores, & Doctores, & quidam ſatis eruditus tãta exaggeratione illam affirmat, vt dicat, tã manifeſtũ eſſe, illos decẽ Reges nec plures, nec pauciores eſſe intelligendos, vt vehemẽter miretur potuiſſe de hoc ſanctũ Auguſtinũ ambigere. Imo ait, *conſiderato tãto Patrũ cõſenſu, nimiũ perfrictæ frõtis extiturũ, qui cõtra obniti, vel hiſcere audeat.*

D. Iren.

Hypol.

D. Cyril.

Lactant.

Tertul.

D. Hier.

Theodor.

Andr.

Aretas.

Thomas Malue. l. li. 4. de Anti-Chriſt. cap. 15. & 16.

6.
Rex Angliæ numerũ explicat.

At nihilominus Rex Angliæ in Præfation. pagin. 120. tractans locum Apocalyp. 17. denarium numerũ ait ibi ſumi pro numero incerto: vtiturq; hoc argumento, quod ibi Ioãnes alludit ad hunc locum Danielis, quaſi ſupponens vt certius, Danielẽ denarium pro numero incerto ſumpſiſſe. Additq; aliud argumentum, qui ſeptem capitum, & decem cornuum draconis, ſeu diaboli numerus nõ poteſt aliter intelligi, niſi vt numerum declaret incertũ. Ego vero in primis nõ cenſeo, controuerſiam hanc pertinere ad dogmata fidei, ſed eſſe rem in opinione poſitã. Nam Patres pro ſecunda ſententia allegati non tradunt illam, vt certam; imo nec faciunt vim magnam in præciſo, ac proprio numero denario, ſed in diuiſione imperij in plura regna, & vtuntur illo numero, quia Scriptura ita

In hac re [illegible] liceat [illegible].

ita loquitur. Conſtat autem numerũ denarium eſſe vnum ex his, qui in ſacra Scriptura pro multitudine magna, vel vniuerſali ſumitur. Vnde accedente Auguſtini authoritate, & dubitatione aliorum, non videtur poſſe damnari, aut temerarius, vel audax cenſeri, qui de ſignificatione illius numeri denarij in illo loco dubitauerit. Præſertim quia de ſeptenario numero capitum tam in hoc loco Danielis, quã in Apocalypſi. 13. & multo magis in 17. multi dubitant, an ſignificet numerum certum, vel communitatem aliquam, ſeu collectionem Regum impiorum, vt ſupra vidimus cap. 4. Vnde cum in hoc loco dicit Daniel, tria cornua eſſe â facie parui cornu euellenda, licêt præciſè intelligatur de tribus Regibus, quia numerus ternarius non ſolet in alia incerta ſignificatione ſumi, neque ibi eſt neceſſaria, nihilominus per ſeptẽ alios Reges ſubijciendos, vel confœderãdos Antichriſto intelligi poſſent omnes alij, qui eo tempore ſunt futuri, ſiue pauciores, ſiuê plures ſint, quia ſeptennarius numerus ex myſticis eſt, qui ſolent vniuerſalitatem ſignificare, & ibi non ſine authoritate, nec ſine aliqua apparenti occaſione præſumitur talis ſignificatio, vt facilius prophetia & intelligatur, & impleatur.

Denarius, & ſeptenarius ſæpe indicant numerum incertum.

7. Propter hæc ergo non cenſeo, nimiũ eſſe exaggerandam certitudinem poſterioris ſententiæ: quanuis illam præferẽdam, & ſimpliciter veram exiſtimem. Primo propter ſcripturæ teſtimonia, quia non vno, vel alio loco, ſed in multis tam in Apocalypſi, quam in Daniele, vbi ſub hac figura illa diuiſio imperij Romani in plura regna prædicitur, ſit ſub illo numero denario. Secundo quia nulla eſt neceſsitas metaphoræ, vel improprietatis vocis, cùm nihil obſtet, quominus illa regna futura ſint decem, & non plura: eademque facilitate poſsit multiplicatio in illo numero, quã in quocũque alio contingere. Maximê quia etiã ſi fortaſſe plura regna parua, vel Principatus minores eo tempore in orbe Romano eſſe poſsint, nihilominus omnia poterunt ad decem principalia regna, & quaſi capita reuocari. Ita ergo facile poteſt ille numerus denarius propriê, & præciſè accipi, neq; oportet ad incertos

Certius eſt denariũ pro numero certo poni.

A numeros recurrere. Tertio propter communiorem Patrum conſenſum.

Neq; prima coniectura Regis Angliæ eſt alicuius momenti, ſed in contrarium verti debet, nam quia Ioannes ad hunc locum Danielis alludit, & in hoc loco probabilius eſt, denarium proprie ſumi, ideo in locis Apocalypſis idem iudicandum eſt. Ad aliud vero argumentum, quod ſumit ex comparatione ad numerum ſeptem capitum, & decem cornuũ draconi, ſeu dæmoni attributum, dicẽs, non poſſe aliter quam de certo numero

Fundamenta Regis Angliæ ſubuertuntur.

B pro incerto intelligi, reſpondemus negando aſſumptum. Et quoniam ipſe nõ deſignat locum, de quo loquatur, oportet per tria diſcurrere, in quibus Ioannes illius numeri mentionem facit, vtique cap. 12. 13. & 17.

8. Et quidem cap. 12. fatemur illum numerum tribui dæmoni: nam aperte dicit Ioannes: *Viſum eſt aliud ſignum in cælo, & ecce draco magnus rufus, habẽs capita ſeptẽ, & cornua decem.* Et nihilominus etiam in hoc loco dicimus, eadem eſſe capita, & cornua decẽ, quæ in cap. 13. & quæ ſunt apud Danielẽ cap. 7. Nam licèt ibi ſit ſermo de dæmone, & in alijs locis de Anti-

De ſeptenario non ita diſtinctius agitur.

C chriſto, vtriuſque organa, & mẽbra, ſeu inſtrumenta ſunt illa capita, & cornua, id eſt, illi Reges decem, quorum tres deſtruet Antichriſtus, & ſeptẽ illi ſeruient, nam dæmon, & Antichriſtus coniunctiſſimi futuri ſunt, non quidem vnione hypoſtatica, vt quidam finxerunt, ſed morali influxu, & motione. Nã Antichriſtus, dũ vixerit, totus à Dæmone quodã modo poſsidebitur, mouebitur, & gubernabitur, & ita erit membrum eius præcipuum & quaſi cõiunctũ organum, quo dæmon cætera ad eundẽ finem, eoſdẽq;

Antichriſtus, organũ dæmonis.

D effectus mouebit. Et ideo illa decẽ cornua, & ſeptẽ capita tam dæmoni, quam Antichriſto tribuuntur, dæmoni vt principali agenti in illo ordine, magis vero remoto, Antichriſto vt propinquiori, minus vero principali, ſi ad dæmonẽ cõparetur. Quãuis reſpectu aliorũ hominũ Antichriſtus etiã dici poſsit principalis cauſa, vnde à ſanctis, & Theologis caput malorũ dicitur, omniũ quidẽ exceſſu, & abũdantia malitiæ, eorũ vero, quos ſuo tẽpore ſubiugabit, quibuſq; tãquã inſtrumentis vtetur, etiã influxu, & motione.

Gregor. 15 Mor. ca. 11 Hier Abac. 3. D. Thomæ. 3. p. q. 8. art. 8.

Alter

9. Alter vero locus eſt Apocalypſis 13. A

Apoc. 13. & ibi non eſt ſermo de dracone, ſed de be-

Duo Apocalypſis loca de ſeptenario exponũtur.

ſtia, *cui draco dedit virtutem ſuam*; id eſt, de Antichriſto, & ita ibi etiam non oportet explicare numerum certum pro incerto. Tertius locus eſt Apocalyp. 17. vbi

Apoc. 17. beſtia poteſt quidem dæmonem repræſentare, & tunc idem dicẽdum eſt, quod de c. 12. diximus. Vel ſignificare poteſt Romanum imperium, vt ſupra etiam viſum eſt, & tunc ijdem decem Reges, in quos deſinet Romanum imperium, repræſentantur, vt idem Ioannes expoſuit, & ſic etiam ibi idem numerus definitus eſt. Et de numero ſeptem capitum ſupra capite. 5. oſtendimus, non incertũ, ſed certum numerum ſignificare. Quod etiam Rex Angliæ admittit, cum illa ſeptem capita dicat eſſe ſeptem regimina Romanæ ciuitatis, & non plura, neq; pauciora, ex quo poteſt argumentum ad hominem retorqueri, idem eſſe de numero denario dicendum.

10. Prius verò quam ad vndecimum cornu paruulum tranſeamus, oportet hic breuiter expendere nouam, & mirabilem interpretationem illorum decẽ Regum, quam Rex Angliç nobis exhibuit,

Decem beſtiæ cornua omnes Chriſtianos Reges à Bonifacio 3. Rex Angliæ interpretatur.

C Illos enim Reges, ait, eſſe omnes Reges Chriſtianos, qui à tempore declinationis Romani imperij ſub obedientia Romani Pontificis militarunt, & de illis exponit illa verba Apocaplypſis 17.

Apoc. 17. *Decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges vna hora accipient poſt beſtiam, quia illuſtriora* (inquit) *orbis Chriſtiani regna, non niſi ruente ethnico imperio Romano libertatem ſuam vindicarunt.* Vnde infert, eodem tempore incepiſſe hos Reges, quo Antichriſtus ſuum regnum auſpicatus eſt, id eſt, tempore Bonifa- D cij Tertij, vt ipſe antea expoſuit. Et de his Regibus ait perſeueraſſe multo tempore in vno conſilio, *adorando beſtiam, eiuſque pedes exoſculando, omnem poteſtatem, authoritatemque ſuam ei concedendo, calicem idololatriæ ſimul cum illa hauriendo, bellum cum agno in perſecutione Sanctorum eius, iubente ea, gerendo, quæ tot nationibus, ac populis imperitabat.* Quod autem Ioannes poſt illa verba, *Cum agno pugnabunt*, ſubdit, *& agnus vincet illos* exponit, dicens, *per noſtram conuerſionem poſtquam tandem aliquando*, ait, *odio meretricem habebimus*, hoc eſt Romam, *& deſertam relinquemus, ac nudam*, & cætera. *Deinde* (inquit) *rationem ſubiungit* (vtique Angelus, ſeu Ioannes) *huius tam ſubitæ mutationis in nobis*, dicens, *Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum eſt illi, vt dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei.* Hæc eſt Regis interpretatio de decem Regibus in Apocalypſi, cum neque ipſe dicat Ioannem alludere ad Danielis verba, idem de decem cornibus apud Danielem ſentire B indicat.

11. Prius vero, quam interpretationem hanc reijciamus explicare oportet, quid per cornu paruum intelligendum ſit. De

De paruo cornu Rex Iacobus omnino tacet.

quo affirmare non poſſum, quid Rex Angliæ ſentiat, quia nullam eius mentionem in diſputatione ſua facit, quod, vt in principio capitis dixi, admiratione dignum eſt: & ſuſpicionem ingerit, non credere cornu illud Antichriſtum reprę ſẽtare. Quod ſi forte hoc ita eſt, interrogo, quiſnam ſit? vel cur ſeparatim, & ſingulariter numeretur? Præſertim cum Rex dicat, illum numerũ denarium non ſignificare numerum certum, ſed pro incerto poni, in quo etiam vndecimus ille Rex per cornu paruum repræſentatus includebatur. Profecto vix occurrit, quid Rex poſsit, quod veriſimile ſit, & prudentibus ſatisfaciat, reſpondere. Scio equidem Porphyrium dixiſſe, illud cornu repræſentaſſe Antiochũ,

Quid alij de eo ſenſerint.

neque defuiſſe alios, qui vel Mahometum, vel Turcam ſignificare ſenſerint. Verumtamen Porphyrium conuincit Hieronymus, quia Antiochus præceſſit imperium Romanum, & ex Alexandro Magno, ac imperio Macedonum illuſtrem duxit originẽ, & Rex, ſeu Princeps natus eſt, cornu autem illud poſt imperiũ Romanum, & diuiſione eius futurũ eſſe prædicitur, & paruũ propter humile principiũ, & ortũ dicitur. Aliç vero opiniones facile etiam refutari poſſunt, quia in illis regnis non inueniuntur proprietates, quç ibi illi cornui tribuũtur, vt ſupra cap. 2. tetigi, & facile ex dicendis lector poterit intelligere: in his enim nunc immorari neceſſe non eſt.

Sit ergo certũ, & cõſtãs, cornu illud paruũ Antichriſtũ repræſentare, cõſideratis 12.

enim alijs locis Scripturæ, & prædictione ipſius Chriſti de tribulatione magna Eccleſiæ futura proxime ante iudiciū, in nullo alio inueniri poſſunt proprietates omnes ibi à Daniele prædictæ, & illi cornui attributæ, niſi in Antichriſto. Et ita in hac affirmanda ſententia conueniunt Patres, & expoſitores, Hieronymus, Auguſt. & Gregor. quos ſupra cap. 2. retuli, Athanaſ. epiſt, ad ſolitari. vitā agent. circa finē. Iuſtin. contra Tryphon. parū ab initio. Origen. lib. 6. contr. Celſum circa medium, Cyrill. Hieroſolymit, catecheſ. 15. Irenæ. lib. 5. contr. hæreſ. c. 25. & 26. Theodoret. orat. 7. in Daniel. Proſper in Dimid. tēpor. cap. 8. Ruffin. in expoſit. Symbol. circa articulū de aduentu ad iudiciū, & reliqui exponentes tam Danielem, quàm Apocalypſim, & Paulum. 2. ad Theſ. 2. vbi Chryſoſt. optime.

D. Hiero. D. Gregor. D. Atha. D. Iuſtin. Origen. D. Cyril. Theodor. D. Proſpe. Ruffin. D. Chryſ.

13. Ex ipſis prophetiæ verbis Regis Anglię placita euertūtur.

Hinc ergo in primis colligimus, falsā eſſe interpretationē de decem cornubus, quam Rex tradidit, nimirū, illa eſſe omnia Chriſtiani orbis regna, quæ à tēpore Phocæ Imperatoris, vſq; ad Lutherum, vel vſq; ad Henricū. 8. Regē Angliæ Romano Pontifici obedientiam dederunt. Nam decem illi Reges, quos Daniel cōmemorat, nunquā dederunt obedientiā Antichriſto, ſeu illi cornui paruulo, ſed potius ſtatim, ac cornu illud ortum eſt, tria ex decē cornubus *auulſa ſunt à facie eius, quia*, vt infra dicitur, *cornu illud Rex erit potētior prioribus, & tres Reges humiliabit.* Vbi euidenter loquitur Propheta de potētia temporali, & de vſurpatione triū regnorū, per bella, vel aliam ſimilē coactionem. Vnde addunt omnes Patres, & expoſitores, debellatis illis tribus Regibus, reliquos ſeptem manus daturos Antichriſto, & illi tanquā inferiores, & ſubditos potius vi, & metu, quàm ſua ſpōte eſſe ſociandos. At nullus Pontifex, ſiue Bonifacius. 3. ſiue quilibet alius tres Reges bello ſuperauit, neq; alij inuiti, & bello aut potentia, & victorijs Papę conterriti, ſed fide & diuina vocatione adducti ei ſe ſubiecerūt. Ergo quæ de illis decem cornibus, & de vndecimo paruo dicūtur, non poſſunt Regibus Chriſtianis, & Romano Pontifici accōmodari. Eò vel maxime, quod tres illi Reges, quos cornu paruulum debellaturum eſt, ſunt Reges Æthyopię, Ægypti, & Lybię, ſeu Africę vt eſt cōmunis traditio Patrū, quos ſępe retuli, ſūpta ex Daniel. 11. vt ibi Hieronym. Theodoret. & alij exponunt. At Sūmi Pontifices nunquam in Ægypto, vel Aethiopia bella geſſerunt, neque regnis illis dominari cupierunt. *D. Hiero. Theodor.*

14. Cornu paruulum exurget poſt Roman. imperiu diuiſum

Pręterea ex viſione Danielis conſtat, ante ortum illud paruum cornu, quartā beſtiam, id eſt, Romanum imperium in decem regna eſſe diſtrahendum, nam expreſſe dixit Angelus Danieli. *Porro cornua decem, ipſius Regni decem Reges erunt, & alius conſurget poſt eos.* Illi ergo decem Reges futuri ſunt eiuſdē regni Romani; erit ergo inter eos diuiſum prius, quàm cornu paruum oriatur. At Romanus Pōtificatus, etiam quoad ſtatum, quē habuit ſub Bonifacio. 3. incepit ante tantam declinationem, ſeu diuiſionem Romani imperij: nam tunc adhuc durabat Romanū imperiū ſub vno Imperatore Phoca, & multo tēpore poſtea durauit, ſaltem vſq; ad diuiſionem imperij in Occidentale, & Orientale. Et licet multi eſſent tunc Reges in terris imperij, nondum imperij iugū omnino abiecerant, aut ſupremam poteſtatē obtinuerant; ergo nec illi fuerunt decem Reges, de quibus Ioannes loquitur; nec paruum cornu potuit eſſe Bonifacius. 3. vel alius ſimilis ſucceſſor eius.

15. Bonifacius III. nouum regnū non erexit, vt Daniel vaticinatus eſt.

Pręter quā quod non ſolum rerū euētus cū verbis, & viſione prophetię nō cōſentiunt, verū etiam veritas ipſius rei reſiſtit. Quia Bonifacius nullū regnū erexit, ſicut de paruulo cornu prædicit Daniel, nec nouā aliquā poteſtatē, aut iuriſdictionē accepit, vel vſurpauit; imo nec nouum nomen, aut titulū, vt ſæpe dictū eſt; ergo licet perſona eius orta, vel ad dignitatem electa fuiſſet poſt Reges, tamē Papa, vel Pontificius thronus, de quo potiſsime hęretici loquuntur, nō poteſt dici ſurrexiſſe poſt diuiſionē imperij in decem regna; imo neq; poſt aliquam inclinationem eius: nam in re ipſa incepit cū ipſo imperio, & externum etiam ſplendorē, & maieſtatem, imperio adhuc florente ſub Conſtantino, habere cæpit, & in ſe nullum augmentū poſtea accepit, in externo autem, ſeu tēporali dominio parum creuit, variaſq; temporum viciſitudines habuit; ergo de illo nullo modo dici poteſt, veniſſe poſt Reges decem, vel poſt omnes Reges, in quos Romanū imperium

perium diuiſum, vel diuidendum eſt. Ac ſubinde nec decem illi Reges eſſe poſſũt, illi Catholici, & Chriſtianiſsimi Reges, qui hactenus ſub obedietia Vicarij Chriſti militarunt. A

16. Non ſolum externis regibus, ſed Anglicanis inſignem iniuriam irrogat Rex Iacobus.

Cætera verò omnia, quę Rex Anglię poſt ſuam de decem Regibus interpretationem, in aliorum verborũ Ioannis expoſitionem adiungit, tantam prę ſe ferũt abſurditatẽ, vt refutatione non indigeăt. In primis enim non ſolum cæteris illuſtribus Chriſtianis regnis, eorumq; Regibus, ſed etiam regno ſuo, ſuiſq; progenitoribus magnam irrogat iniuriam, dũ omnes vſque ad Henricum VIII. Chriſti hoſtes, cum *Agno bellum gerentes*, & *fidei perſecutores*, & *Sanctos perſequentes*, & *idolorum cultores, calicem idololatriæ cum beſtia hauriẽtes*, appellat. Quod enim bellum tot ſancti Reges, & catholici Principes contra Chriſtum excitarunt? aut quos ſanctos ſũt perſequuti, quę ve idola adorarunt? Certè ſi venerari Pontificem Chriſti Vicarium, fuit Chriſtũ perſequi, fecit hoc Conſtantinus, & alij pij, & catholici Imperatores, ac Reges. Si hæreticorum temeritatem, ac pertinaciam reprimere, eſt ſanctos perſequi, fecerunt hoc antiqui Eccleſiæ Paſtores Imperatorum Chriſtianorum potentia adiuti à temporibus Auguſtini, aliorumq; Sanctorum Patrũ. Denique ſi venerari imagines, eiſq; reuerenter vti, cultus idolorum eſt, fecerunt hoc Chriſtiani omnes ab initio Eccleſiæ. Igitur vel Principes omnes Catholicos, qui poſt Conſtantinum in Eccleſia fuerunt, imò & omnes Sanctos Pontifices Antichriſtianos faciat, vel poſteriores, qui à tempore Bonifacij fuerunt, calumniari deſinat.

17. Falſa interpretatio à Rege Apocalypſis verbis adhibetur.

Pręterea interpretatio illorũ verborũ, *Et Agnus vincet illos*, vt vincere ſit eos cõuertere, vt contra Papam, & Romanam vrbem inſurgant, euidenter repugnat proprietati verborum, & contextui Ioãnis dicentis de illis decem Regibus: *Hi vnum conſilium habent, & virtutem ſuam beſtiæ tradent.* Nam tres illorum victi, ac ſuperati ab Antichriſto, non voluntariè, ſed neceſsitate coacti totam ſuam potentiam in illum transferent, alij verò timentes potentiam eius illum iuuabũt, eiuſq; conſilijs inſeruient. Et ita omnes contra Chriſtum inſurgent, ſicut ſubiũgit: *Hi cum agno pugnabunt, & Agnus vincet illos*, non ſolum decem Reges, ſed etiã ipſum Antichriſtum principalem hoſtẽ, & ducem pugnæ. Non ergo vincet conuertendo, ſed prælhando, & interficiẽdo, propriè, & verè illos vincendo, *quia Dominus dominorum eſt, & Rex Regum*, & hoc magis declarant verba ſequentia, *Et qui cum illo ſunt vocati, & electi, & fideles*, vtique qui tunc erunt, vincent etiam illos, ſeu erunt participes victoriæ. Ergo illi Reges, qui vincentur, non erunt vocati, nec electi, nec fideles; ergo *vinci* nõ eſt *conuerti*, ſed deſtrui. Et hoc etiam cõfirmat idem Ioannes in cap. 16. vbi ait, tres ſpiritus malos *congregaturos Reges terræ in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei*, id eſt, in quo Deus oſtenſurus eſt poteſtatem ſuam contra illos, eos mirabili modo ſuperando, & vincendo, vt cap. 21. idem Ioannes deſcribit. Nam ſine dubio hoc prælium diei magni omnipotentis Dei non eſt, niſi prælium Gog, & Magog, de quo in dicto cap. 21. tractat, vt meliores interpretes intellexerunt. Denique ex locis Danielis paulò poſt, hunc eſſe verum ſenſum illius prophetiæ, & victoriæ per Chriſtum comparandæ, confirmabimus.

Apoc. 17.

Vincere in hoc loco, nõ eſt conuerti, ſed euerti.

Apoc. 16.

Apoc. 21. *Ribera. Viegas. Maluend. lib. 5. c. 16. & lib. 10. c. 9. & ſeq. qui alios referunt.*

18. Decem Reges illi nunquam aduerſus Antichriſtum præliaturi.

Vnde etiam conſtat, falſum omnino eſſe, decem illos Reges conuertendos à Deo eſſe contra Antichriſtum, aut pugnaturos eſſe cum illo & victuros illum, ſedemq; illius, & ciuitatem Regiam eius tanto odio eſſe proſecuturos, vt illam igni tradant, prorſuſq; euertant. Nam hoc repugnat expreſsis verbis Ioannis paulò antea citatis. *Hi vnum conſilium habẽt, & virtutem, ſeu potentiam ſuam beſtiæ tradent.* Nam ex ſequentibus etiam verbis, quæ expoſuimus, colligitur clare, in eo ſtatu eſſe perſeueraturos, donec cũ Chriſto pugnent, & ab eo vincantur; nunquã ergo cum Antichriſto pugnabunt, neq; vincent illum. Imò in illis eiſdem verbis, quæ Rex detorquet, hoc euidenter continetur. Ait enim; *Deus enim dedit in corda eorum*, vtique Regum, *vt dent ſuum regnum beſtiæ*, id eſt Antichriſto, *donec conſummentur verba Dei*, id eſt, impleantur, quæ de Babylonica deſtructione, & de ipſius Antichriſti interitu prędicta ſũt. Dicitur autem Deus hoc dediſſe in corda illorum Regum, non inſpirando, aut

Apoc. 17.

Dare in corda, id eſt, permittere.

ſuggerendo, ſed (iuxta morem loquendi Scripturæ) permittendo, & illorum malitia ad executionem prouidentiæ ſuæ vtẽdo. Hoc ergo modo permittet Deus, Reges illos fortaſſe prius catholicos, prauos autem, & iniquos, Antichriſto copulari, eiq; fauorem ſuum, & potentiã impendere, & ita regna ſua illi tradere, & fortè tributaria efficere, donec conſummentur prophetiæ de Antichriſto. Durabit ergo illa cõfœderatio vſque ad finẽ, nunquã ergo illi Reges contra Antichriſtum, vel Regiam eius inſurgent. Quocirca ſi *Babylon* illa, & *meretrix*, ſeu *ciuitas magna*, quam iſti Reges odient, & *deſolatam facient, ac nudam*, eſt Roma, profecto inde potius conuincitur, Romam nunquam eſſe futuram regiam ſedẽ Antichriſti, & impugnatores Romæ nõ hoſtes, ſed amicos fore Antichriſti. Cũ ergo Rex Angliȩ ſe inter eos Reges numerat, dicens, *meretricem odio habebimus*, ſe inter ſocios, & fautores Antichriſti numerat, videat ergo, & conſideret, quem fructum ex iſtis ſuis interpretationibus conſequatur.

Romam nõ fore Antichriſti ſedẽ.

Apoc. 17.

19. Antichriſti deſcriptio.

Sic ergo exploſa interpretatione illa decem cornuum, & ſuppoſito pro conſtanti, illa repręſentare decem Reges futuros tempore Antichriſti, & potentiam ſuam illi tradituros modo explicato, euidentius etiam eſt, cornu paruũ eſſe Antichriſtũ, vt Eccleſia ſemper intellexit. Supereſt ergo, vt breuiter videam⁹, quomodo cornu illud paruum Propheta deſcribat. Primo enim ponderanda eſt proprietas indicata in particula *paruulum*, poſita enim eſt ad ſignificandum, Antichriſtum ex viliſsimis principijs, & abiectiſſimis parẽtibus, infamiq; gente eſſe oriũdum, nõ enim ſine myſterio verbũ illud additum eſt, vt omnes intellexerunt. Et alijs verbis ſtatim ſubiunctis magis declaratur, cum de eodẽ cornu paruo dicitur, *Ortum eſt de medio eorũ*, ſignificatur enim ibi, vt in ſuperioribus notaui, illum non eſſe oriturum ex aliquo illorum Regũ, ſed in terris eorum apparīturum.

Dan. 7. Ignobilibus & egenis parẽtibus orietur.

20. Regnũ non hæreditate ſed calliditate conſequetur.

Vnde altera proprietas notari poteſt, ſcilicet, non habiturum regnum hæreditario iure, ſed ex paruis initijs, varijs artibus, & impoſturis, ac dœmonis fallacijs, breui tempore ita eſſe augendum viribus, vt *tria cornua euellãtur à facie eius*, id
A eſt, vt tres Reges breui tẽpore *humiliet*, & *maior, ac potentior fiat cæteris*, vt ibidẽ additur; vt recte Theodoret. expoſuit, dicens: *Quia naſcens cornu vidit, paruũ appellauit tanquam ex parua natione Iudæorum profectum, & interim obſcurum regnũ obtinens, poſtquam verò tria euulſit cornua, merito reliquis maius vocat.* Tertiam item proprietatem ex eiſdem verbis colligo, nimirum, illum primò, ac præcipuè futurum eſſe tyrannũ, qui temporale regnum prius induſtria, & prauis artibus inchoet, poſtea per potentiam, & bella illud augeat, tres Reges ſuperando, & ſuis
B regnis priuando, & alios ſibi ſubijciendo, vel tanquam inferiores, ac debiliores ſibi coniungendo, vt magis Ioannes in Apocalypſi declarauit.

Tyrannice potentiam nãciscetur.

Quarta proprietas ſumi poteſt ex illis verbis: *Ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu ipſo, & os loquens ingẽtia.* Vbi per oculos hominis Theodoretus ſignificari intelligit, internã mentẽ, & iudiciũ. Atq; Antichriſto tribui oculos hominis, quia erit ſagaciſsimus, & prudentia humana gubernabitur. Alij ſimplicius hoc modo exponunt. Cum habiturus ſit faciem hominis, quia verus homo futurus eſt, lo-
C quetur non vt homo, ſed vt ſuperbiſsimus dœmon, quod Ioannes alibi dixit, *loquebatur vt draco.* Dicitur enim loqui *ingentia*, ſeu *grandia*, tum quia ingenti ſuperbia ſe efferet, tum etiam quia blaſphemias in Deum proferet, nam vt ſtatim ſubiungitur, *ſermones, contra excelſum loquetur*, vtrunque enim illis verbis proprie ſignificatur, & vnum eſt ad aliud cõſequens. Incredibili enim arrogantia ſe Deum proclamabit (vt ex Paulo notauimus) & ita Deo excelſo aduerſabitur, & contra eum loquetur.

21. Ingenij acumine ad ſuperbiam, & maledicentiam abutetur.

Theodor.

D Quinta ſumitur ex verbis illis: *Sanctos Altiſsimi conteret, & putabit, quod poſsit mutare tẽpora, & leges, & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Quȩ verba ſunt de perſecutione Antichriſti, & de tẽpore durationis eius, quæ per occaſionem neceſſariam in ſuperioribus expoſita ſunt. Nunc ſolùm notanda ſunt verba illa: *Putabit, quòd poſsit mutare tempora, & leges.* Quibus declaratur, perſecutionem non tantum eſſe futuram temporalem, & politicam propter dominationem temporalem,

22. Religionẽ conculcabit & ſacra inuertere conabitur.

ralem, ſed ſimul, & maximè futuram eſ-
D.Hier. ſe ſpiritualem, nam conabitur *mutare tẽ-
pora*, id eſt (vt ait Hieronymus) cæremo-
nias, feſtiuitates, vel certè totam Religio-
nem per multa tẽpora in orbe fundatã,
& in cordibus hominum radicatã, *& le-
ges*, vtique tam diuinas, quam humanas.
Nec ipſe aliquam ex antiquis religioni-
bus, ſeu legibus profitebitur, ſed nouam
introducet, credens, ſe poſſe leges, & tẽ-
pora mutare. Et has inet Antichriſti no-
D. Atha. tas colligit Athanaſius dicta epiſt. ad So-
litar. vitam agent. dicens, *Nõ ne viſio Da-
nielis iſtius modi notis Antichriſtum ſignifi
cat. Nimirum, quòd bella cum ſanctis geſtu-
rus ſit, & quod inualeſcet contra eos, quod
malitia ſuperabit omnes, qui ante ipſum fue-
re, & quod humiliabit tres Reges, loquetur-
que ſermones contra Altiſsimum, & quod
meditabitur alienare & legum & tempo-
rum articulos.* Sexta proprietas colligi po
Prope iudicis diem, nõ ante venturus eſt Antichriſtus. teſt ex ſequentibus verbis. *Et iudicium
ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur,
& diſpereat vſque in finem, Regnum autẽ,
& potentia, & magnitudo regni, quæ eſt ſu-
per omne cœlum detur populo ſanctorum Al
tiſsimi*, &c. Nam in his verbis ponitur vt
nota Antichriſti, quòd prope tempora
iudicij veniet, & quod regnum eius non
niſi per aduentum ſupremi Regis Chriſ
ti conteretur, & ipſe interficietur. Quã
proprietatem vt pote ad tempora Anti-
chriſti pertinentem ſupra explicuimus,
D. Hier. illamque ibi Hieronymus, Theodoret.
Theodor. & alij interpretes indicant.

23. Has autem Antichriſti proprietates
Eadẽ Antichriſti notę alijs locis à Daniele inculcantur. idem Propheta in ſequentibus capitulis
partim magis confirmat, & declarat, par
tim etiam auget. Nam in capite octauo,
poſtquam retulit viſionem arietis, & hir
ci, & de Dario Rege Perſarum, & de Ale
xandro Magno Rege Græcorum illam
declarauit, tandẽ in ſine quædã profert,
quæ licet ad literam de Antiocho, qui ex
Græcis Regibus, qui Alexandro ſucceſ-
ſerunt, deſcendit, & Iudæos multũ ve-
xauit, intelligantur, in perſona eius de
Antichriſto dicta fuiſſe multi Patres in-
Irenæ. tellexerunt. Præſertim Irenæus lib. 5.
Origen. contra hæreſ. capite 25. & Origen. lib.
D. Greg. 6. contra Celſum circa medium, & Gre-
gor. lib. 32. Morali. cap. 12. aliàs 14. Et
re vera verba Prophetæ tam propriè An
tichriſto quadrant, & ita conſonant his,

A quæ in alijs locis de Antichriſto dicun-
tur, vt propter illum præcipuè de illo di- Quæ de Antiocho dicit Daniel rectè cadunt in Antichriſtum.
cta eſſe videantur. Nam initium eius his
verbis prædicitur. *De vno ex eis egreſſum
eſt cornu vnum modicum*, & iterum: *Cõſur-
get Rex impudens facie*, vbi etiam mores
eius notantur. De progreſſu vero eius
additur: *Factum eſt grande contra meridiẽ,
& contra Orientem*, &c. De illius ſtatu:
*Magnificatum eſt vſque ad fortitudinẽ cœ-
li.* Aſtutia vero, & artes, per quas aſcen-
det in illis verbis ſignificantur. *Intelli-
gens propoſitiones*, item in illis, *Roborabi-
B tur fortitudo eius, ſed non in viribus ſuis*, vti
que, ſed dæmonis, permittente Deo. De
bellis autem, & crudelitate eius dicitur,
*ſupra quam credi poteſt, vniuerſa vaſtabit,
& proſperabitur, & faciet.* Deinde ſic deſ-
cribitur eius ſuperbia, & pugna contra
Deum. *Vſq; ad Principem fortitudinis mag
nificatum eſt, & ab eo tulit iuge ſacrificium,
deiecit locum ſanctificationis eius.* Et iterũ,
*Cor ſuum magnificabit, & contra Principẽ
Principum conſurget.* Ac deniq; de Sãcto-
rum perſecutione dicitur. *Deiecit de for-
titudine, & de ſtellis, & conculcauit eas.* Et
iterũ: *Interficiet robuſtos, & populum ſan-
C ctorum ſecundum voluntatem ſuam, & do-
lus in manu eius dirigetur.* Ac denique de 2. *Theſ.* 2.
fine eius dicitur: *Sine manu conteretur*,
quod ſatis conſonat verbis Pauli: *Quem
interficiet Dominus Ieſus ſpiritu oris ſui.*

24. Quanuis ergo hæc vere, & ad litterã
in Antiocho ſuo modo impleta fuerint,
tamen per antonomaſiam de Antichriſ-
to dicta eſſe creduntur: nam in illo cum
maiori plenitudine, & exceſſu omnia
inueniuntur tanquã in capite ipſius An-
tiochi, & malorum hominũ. Ex his au- Antichriſtus ſe in templo volet pro Deo collocari.
tem omnibus ſex proprietates ſupra no
tatæ præcipuè declarantur. Solumque
D additur altera de modo interfectionis
eius, quæ poteſt eſſe ſeptima. Octaua ve
rò ſumi poteſt ex cap. 9. eiuſdem Pro-
phetæ in illis verbis ferè poſtremis. *Et* Dan. 9.
erit in templo abominatio deſolationis: nam
licèt alijs modis exponatur tam ibi, quã *Matth.* 24
Matth. 24. nihilominus valde probabile
eſt, de Antichriſto etiã intelligi, vt volu- *D. Iren.*
it Irenæ. lib. 5. cap. 25. ſaltem in ſecun-
dario, vel myſtico ſenſu. Nam ad literam
non erat ibi ſermo de Antichriſto, ſed
de deſtructione Hieruſalem facta per
Titũ, vt conſtat; tamẽ verba ipſa multo
magis

magis in Antichriſtum conueniunt, iuxta ea, quæ exponendo verba Pauli, & Apocalypſis, late diximus. Eſt ergo octaua proprietas, *quod ſe faciet Deum, & in templo ſedebit, vt adoretur, & ſuam imaginem collocabit, vt per eam etiam tanquã Deus colatur*, vt in Apocalypſi dicitur. Et hoc magis ex ſequenti teſtimonio cõfirmabitur.

25. Eſt enim alius locus ſimilis in eodem Propheta cap. 11. ab illis verbis: *Et ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor Regius, & veniet clam, & obtinebit eũ in fraudulentia.* In tota enim ſuperiori parte capitis prophetauerat Daniel de Regibus Perſarum, & Græcorum, & latius de ſucceſſoribus Alexandri, præſertimque de Regibus Syriæ, & Ægypti, quos Reges Aquilonis, & Auſtri vocat, & peruenit tandem (vt Hieronymus deducit) ad Seleucum Philopatrum, Antiochi Magni filium, quem vocat *viliſsimum, & indignum decore Regio*, & de illo ſubiungit. *Et in paucis diebus conteretur.* Et ſtatim adiungit prædicta verba. *Et ſtabit in loco eius deſpectus*, &c. Quæ iuxta literæ contextum, & prophetiæ, ſeu hiſtoriæ conſecutionem ſine dubio intelliguntur de Antiocho Epiphane, fratre Seleuci impijſsimo Rege, qui Dei populum vehementer exagitauit, vt ex libris Machabæorum conſtat: & fere omnia ſequentia in eo capite de illo ad literam dicuntur, vt fatentur ibi Hieronymus, Theodoret, & alij, & ſumitur ex Chryſoſtom. oratione ſecunda contra Iudæos. Nihilominus tamen idem Hieronymus, Theodoret. & alij expoſitores ibi, & Gregor. libr. trigeſimo ſecundo, Moral. capite vndecimo. Proſper in Dimidio temporis capite nono, multa etiam ex illis verbis de Antichriſto dicta eſſe intelligunt, quia in illum maxime conueniunt, & quia Antiochus in multis typus fuit Antichriſti.

Dan. 11. Quæ de Seleuco, & Epiphane Daniel prædixit, conuenit Antichriſto.

D. Hier.

D. Hier. Theodor. D. Chryſ. D. Greg. D. Proſp.

26. Per illa ergo verba, quæ retulimus, recte confirmantur, & explanãtur, quæ de initijs Antichriſti in alijs locis dicuntur. Dicitur enim *deſpectus*, ſicut dicitur *paruum cornu*, quia vilem, & deſpectam habebit originem, & ideo in principio, *non tribuetur ei honor Regius*, quia nõ orietur ex Regibus, nec regnũ iure hæreditario obtinebit, ſed *veniet clam, & obtinebit id in fraudulentia*; quia vafer erit, & *propoſitiones intelliget.* In ſequẽtibus autẽ verbis deſcribit quidẽ Daniel bella, & victorias Antiochi, dicens, *Abundantes, & vberes vrbes ingredietur*, &c. Sub illarum vero figura Antichriſti prælia, & facinora prædixit, & ideo quædam interdum ita exaggerat, vt in ſolum Antichriſtũ conuenire poſſe videantur. Quale eſt illud: *Faciet quæ non fecerunt Patres eius, & patres patrum eius*: quod Hieronymus notat, ad Antiochum propriè non accommodari, quia in regno, & diuitijs non omnes anteceſſores ſuos exceſsit. Poſita ergo ſunt propter Antichriſtum, qui obtinebit multò ampliorem potentiam, & monarchiam, quam ille Antiochus fuerit conſequutus. Poſtea vero deſcribit Propheta perſecutionẽ Antiochi contra Iudæos, in figura etiam depingens perſecutionem Eccleſiæ ſub Antichriſto, cui maxime illa verba cõueniũt: *Contra firmiſsimas cogitationes inibit*, vtique conſilia ſua, & potentiã armabit contra firmas cogitationes ſanctorum fidelium, vt Patres exponunt, vnde infra dicitur: *Cor eius aduerſus teſtamentũ ſanctum, & faciet.* Et infra. *Et auferent iuge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem.* Quæ omnia fecit ſuo modo Antiochus, ſed ſicut omnia in figura contingebant Iudæis, ita illa fuerunt vmbra reſpectu veritatis per Antichriſtum futuræ.

Singula de illis, & Antichriſto verba expendũtur.

Aliqua ſoli Antichriſto competere videtur.

D. Hier.

Antiochi perſecutio in Iudæos, Antichriſti perſecutionẽ fidelium præmõſtrauit.

27. Poſtea vero de ſuperbia, & blaſphemijs Antichriſti propriiſsima ſunt illa verba. *Et faciet iuxta voluntatẽ ſuam Rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduerſus omnem Deum, & aduerſus Deum Deorum loquetur magnifica*, &c. Et infra. *Deũ patrum ſuorum non reputabit, nec quenquam Deorum iurabit, quia aduerſus vniuerſa cõſurget.* Per quæ verba optime explicãtur quæ ſupra tractauimus, vbi de cornu paruulo dicitur habere os loquens ingentia. Item quod circa verba Pauli diximus, quòd oſtendet ſe tanquam ſit Deus, Dei veri locum, & adorationem vſurpans. Vnde ex hoc loco colligunt Patres, Antichriſtum idola gentium demoliturum, & deos gentium non eſſe adoraturum. Ex quo etiam notat Hieronymus, hæc verba ita conuenire Antichriſto, vt non poſſint

Dei contẽptus in Antichriſto.

poſsint de Antiocho intelligi, qui idololatra fuit, & Hebræos ad Deos gentium adorandos compellebat, vt in libris Machabæorum narratur. Hæc ergo eſſe poteſt nona proprietas Antichriſti, ſcilicet, non eſſe futurum idolorum cultorem, quod ſaltem in publico, vel de antiquis Dijs gentium intelligendum eſt. Nam ſtatim addit Daniel, illum eſſe adoraturum Deum *Moezin*, de quo quis ſit futurus, magna eſt controuerſia, variæq; expoſitiones, ſed ad præſens non referunt. Et probabilius videtur, habiturum Antichriſtum locum aliquem occultum, in quo dœmonem adiutorem ſuum ſub aliqua imagine, vel idolo occultè colat, vt tractaui in 2. tom. 3. partis diſp. 54. ar. 4. vbi non dixi, vt quidam mihi impoſuit, forſan illa verba interpretanda eſſe de ſolo Antiocho, ſed retuli primo loco hanc ſententiam, & poſtea ſententiam Hieronymi, ac Theodoreti, & cõmunem prætuli, & ratione Hieronymi, quam in præſenti etiam tetigi, & validiſsima eſt, confirmaui.

Antichriſtꝰ deos gentiũ non colet, ſed dœmonem forſaſſe in occulto adorabit.

Maluend lib. 7. c. 12

28. Denique in reliqua parte capitis iterum prædicit Propheta prælia, & victorias Antichriſti, & ſpecialiter quomodo tres Reges Aegypti, Africæ, ſeu Libyæ, & Aethiopiæ vincet, & regna eorum occupabit. Poſtea verò Hieroſolymam, debellaturus eam, cum magna potentia *veniet in multitudine magna, vt conterat, & interficiat plurimos, & figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montẽ inclytum, & ſanctum*, quod de monte Siõ, vel Oliueti, Hieronymus, & alij exponunt. Ac tandem de morte eius ſubiungitur, *veniet vſque ad ſummitatem eius, & nemo auxiliabitur ei*, quia nimirum, *interficiet illum Dominus ſpiritu oris ſui*, ſeu imperio ſuo, & *ſine manibus*, præcipiet enim aperiri terram, vt deuoret eum, & viuus in infernum demergatur, vt in Apocalypſi dicitur. Poſtmodum verò Daniel cap. 12. declarat, quanto tempore duratura ſit illa perſecutio Antichriſti, & quomodo paulò poſt mortem eius futurum ſit iudicium, & vniuerſalis reſurrectio, vt expoſuit Auguſtinus 20. de Ciuitat. cap. 23. & copioſe in ſuperioribus explicatum eſt. Atque hæc fere ſunt notæ, & ſigna, quibus nobis Antichriſtum Daniel deſcripſit, quæ latiùs

Alia Danielis de Antichriſto vaticinia cap. 11. & 12.

D. Hier.

2. Theſſ. 2.

Dan. 12.

D. Aug.
D. Hier.

A Hieronymus, & Theodoret. proſequũtur, & ex modernis Pereira lib. 8. & 14. in Daniel. & Maluenda ſparſim in ſuis eruditis libris de Antichriſto.

Theodor.
Bened. Pereira.
Maluend.

29. Conferant ergo omnes, qui fidem adhibent Scripturis has proprietates, & notas Antichriſti cum his, quæ de Romano Pontifice ſunt toti orbi manifeſta, & luce clarius videre poterunt, quanta fuerit hæreticorum impudentia, & horrenda temeritas, vel potius inſania, qui venerandam Apoſtolicam ſedem tam incredibili infamia dehoneſtare auſi ſunt, & B quanta ſit illorum cæcitas, qui ipſorum nugis, & inanibus cogitationibus ſe illudi ſinunt. Antichriſti enim initia abiecta erunt, & obſcura, non tantum generis, & originis (illud enim non multum curandum eſſet) ſed regni, & poteſtatis. Origo autem Romanæ ſedis quoad dignitatem ipſam altior cogitari non poteſt, ab ipſo enim Chriſto fundata eſt, & inde ad ſingulas perſonas, etiam Bonifacij, & poſteriorum per legitimam ſucceſsionem manauit. Deinde Antichriſti regnũ ab ipſo per falſas artes, & tyrannidem inchoabitur: Pontificis autem regnum præcipuũ C nullum poſt Chriſtum habuit initium, ſed ſucceſsionem, non per fraudes, vel tyrannidem, ſed per legitimam electionem. Ad hæc, Antichriſti regnum temporale erit, per fraudes incipiet, & per bella, & cædes hoſtium dilatabitur, Primatus autem Pontificis ſpiritualis eſt, ſemperque idem quoad dignitatem in ſe ſpectatam, & licet quoad populorũ ſubiectionem creuerit, non tamen per corporalia bella, ſed per verbum Dei, & fidem credentium. Per quam ſicut in vno tempore dilatatum eſt, ita per infidelitatem aliquorum in aliquibus locis fuit im- D minutum, licèt per Dei gratiam alibi ſemper augeatur. Omitto cætera, quę ad mores, tempora, ſedes, & fines pertinẽt, nam in ſuperioribus ſatis ea inter ſe contulimus, & non ſolum diuerſa, ſed etiam omnino oppoſita eſſe oſtẽdimus. Nũcq; ſolum adnotare voluimus, & aduertere, quanta in his omnibus ſit Scripturarum conſonantia, & concordia, vt inde etiam appareat, quàm ſint violentę Proteſtantium accõmodationes ad viſiones Apocalypſis: cum non ſolum ſint voluntarię, & ſine duce, & præter verborum proprieta-

Ex dictis patet Pontificium Antichriſtianiſmum, meram eſſe impoſturam.

Collatione falſitas magis apparet

Proteſtantium expoſitiones nõ ſolum volũtariæ ſunt, ſed etiam violentæ.

prietatem, & contra rerum veritatem, ſed etiam ſint contra alia clariora Scripturarum loca, per quæ debent obſcuriora intelligi iuxta prudentem rationem Scripturam interpretandi.

Eorum, quæ in hoc libro tractãtur Summa, cum apoſtrophe ad Regem Angliæ.

1. QVANVIS huius libri materia, & argumentum nihil aliud præter calumniam, vel certè potius horrẽdam blasphemiam continere videatur, ideòque multis prudentibus melius fortaſſe videri poſſet hęc omittere, quàm cum piarum aurium offenſione rem per ſe incredibilem in quæſtionem adducere; nihilominus laborem hunc noſtrum neque inanem, neque pijs auribus offendiculo futurum eſſe iudicauimus. Cum enim ſereniſsimus Angliæ Rex in ſuo de Antichriſto diſcurſu, ita ſuis coniecturis cõfidere videatur, vt earum reſponſionem per ſingula diſputationis membra, tanquam rem nobis arduam, vel certè impoſsibilem, audacter poſtulet, non ſolum vtile, verum etiam neceſſarium viſum eſt, tum ad ſingula reſpondere, tum etiã oſtendere, omnia, quæ obijciuntur, & ſine fundamento ſolido eſſe cogitata, & neque coniecturæ nomen mereri. Ita vt mirandum profectò ſit, in re tanti momenti, vt in ea ſalutis æternæ cardo verſetur, tam leuibus alluſionibus, ſeu allegorijs prudentes viros duci potuiſſe.

2. *Summa totius libri fere per ſingula capita.* Hanc igitur ob cauſam prius de Antichriſti perſona fundamentum poſuimus, illumque futurum eſſe ſingularem quendam hominem, ex Scripturarum verbis, ſeriè, ac concordia, nec non ex communi Patrum conſenſu demonſtrauimus. Deinde per ſingulas partes à Rege propoſitas diſcurrendo, in primis tẽpus eius nõdum veniſſe, perſecutioneq; illam, qualis ab initio non fuit, ab eo mouendam, nondum inchoatam eſſe, nec teſtes contra illum mittendos adhuc apparuiſſe, ex eiſdem principijs oſtendimus. Poſtea verò ſedem eius, nec Romæ A eſſe, nec vnquam futuram eſſe comprobauimus. Ac denique Antichriſti perſonam ex proprietatibus à Prophetis, & Apoſtolis de illo prædictis latè conſiderauimus; & quomodo per incredibilem tyrannidem, & fallaces artes, ac ſigna mendacia, & ingentia prælia ab infimis principijs ad orbis monarchiam aſcendet, & in tantam denique arrogantiam, & ſuperbiam perueniet, vt ſupra omne quod dicitur Deus, extollatur, ita illum deſcripſimus, vt euidentiſsimum ſit, nullum mortalem hominem, nedum Romanum Pontificem, tam iniquum, & B abominabilem hactenus fuiſſe.

3. *Hæretici typus Antichriſti.* Quod ſi aliqua illius imago in aliquo terræ loco cogitanda eſt, non certè in Sancta Romana Sede, ſed in cathedris Hæreſiarcharum, vel in thronis Regijs Paganorum, aut ſchiſmaticorum Romanam Eccleſiam perſequentium cogitandam eſſe oſtẽdimus. Sicut Hieronymus Antiochum, & Neronem; Damaſcenus Mahometem; Irenæus Marcionitas, & ſimiles hæreticos; Cyprianus omnes Chriſti aduerſarios Antichriſtum appellarũt. Nemo enim niſi aliquis ex iſtis Antichriſtis, & Chriſti hoſtibus in Romanũ C Pontificem tale nomen, talemvè calumniam traduxit. Neque in eius cogitationem aſcendere poterit, qui antiquam illius ſedis originem plane diuinam, eiuſq; feliciſsimum progreſſum, & admirandã ſtabilitatem cum Auguſtino, & alijs Patribus attenta mente conſiderauerit.

Hierony. Dani. 11. & epiſtol. ad Algaſ. q. 11. Damaſce. lib. de Hæreſib. in fi. Iren. lib. 1. contra hæreſ. cap. 1. Cypr. epiſt. 76. & 79.

4. *Apoſtraphe.* Reliquum eſt, Rex ſereniſsime, vt omni animi perturbatione depoſita, vim rationum, & pondus authoritatis attenta mente recogites, quantaq; abſurda ex libera Scripturæ commentatione proueniant, mediteris: grauiſsima D. Hieronymi verba ſimul conſiderans, qui cũ D Porphyrio diſputans Daniel. 11. ita concludit: *Hoc ideò prolixius poſui, vt Scripturæ ſanctæ difficultatem oſtendam, cuius intelligentiam abſque Deì gratia, & maiorum doctrina non niſi imperitiſsimi, vel maximè ſibi vendicant.*

D. Hier.

***

FINIS
Libri quinti.

LIBER

LIBER SEXTVS DE IVRAMENTO FIDELITATIS REGIS ANGLIÆ.

PROOEMIVM.

In quo controuerſiæ fundamentum, & origo declaratur.

QVANVIS liber hic poſtremũ huius operis locum ſortiatur, quoniam & rerum ipſarum connexio, & doctrinę perſpicuitas, & ordo, quẽ in libro ſuo Rex Angliæ tenuit, ita poſtulabant, nihilominus eius materia, & argumentum fundamentum, & occaſionem toti huic controuerſiæ præbuit, vt in ſuę Præfationis initio Rex ipſe latè declarat. Quamobrẽ vt diſputationis ſcopus prę oculis habeatur, initium, originemq́; huiuſmodi iuramenti, eiusq́; vſque ad præſentem ſtatum progreſſum præ oculis ponere neceſſarium duxi. In primis verò ſuppono id, quod nec Catholici, nec ſchiſmatici in dubium reuocant, iuramentum fidelitatis temporali Regi debitum, & conuenienti forma præſtitum, ex ſe honeſtũ, ac conſentaneum rationi eſſe, ita vt Regi liceat, illud à vaſſallis exigere, & hi ſanctè poſsint, imò & debeant illud præſtare, quando conuenienti modo, & ratione petitur, illudq; poſtea obſeruare, ac implere teneantur. Cum enim vniuſcuiusq; Regis ſubditi, teſte Paulo, ei parere, & fidelitatẽ ſeruare, & in omnibus, quæ ad poteſtatem Regiam ſpectant, illi obedire teneantur, vt in lib. 3. oſtenſum eſt: per ſe manifeſtũ eſt, iuramentum de hac obediẽtia, & fidelitate ſeruãda (quod iuramentũ fidelitatis appellamus) per ſe, & ex obiecto ſuo honeſtum eſſe: ac ſubinde & poſſe à Rege ad ſuam maiorem ſecuritatem, ac ſtabilitatem poſtulari, & tunc à ſubditis & exhiberi, & ſeruari debere. Vnde etiam obiter declaratum relinquitur, iuramenti huius formam, vt honeſta ſit, talem eſſe debere, vt poteſtatis Regiæ terminos nõ excedat, quia nec Rex poteſt iuſtè obedientiæ ſibi non debitæ promiſsionem exigere, neque ſubditi illam facere, aut iurare tenẽtur. Imò ſi talis promiſsio aliorum iuribus præiudicet, illam in conſcientia facere non poſſunt, vt in ſequẽtibus latiùs dicemus.

Hoc autem fidelitatis iuramẽtum, licêt per ſe honeſtum ſit, non adeò neceſſarium reputatum eſt, vt à ſingulis vaſſallis, & omnium ordinum perſonis in omnibus regnis exigatur. Quin poti⁹ in rebus publicis bene inſtitutis, & quietè, ac in pace viuentibus, & præſertim in Catholicis regnis conſuetudine receptum eſt, vt in publicis comitijs ciuitatũ Procuratores, alijq́; Principes, vel Magiſtratus, totius regni nomine, Principi, vel cũ primum regni poteſtatẽ accipit, vel etiã poſteà præſcriptis tẽporibus, iuxta vniuſcuiuſque regni morem, hoc iuramentum obedientiæ, ac fidelitatis exhibeãt. A ſingulis autem de plebe poſtulari non ſolet, non quia fieri non poſsit, ſed quia ipſimet Principes in pace, & trãquillitate regnantes, & de ſubditorũ fidelitate cõfiſi, id neque neceſſarium, neque opportunum, aut conueniens iudicant. In regno autem Angliæ ex quo tempore ſchiſmata, & hæreſes in illo ſeminari cœperunt, etiam mos exigendi à ſubditis peculiare iuramentum, introduci cœpit.

Vnde ſicut Henricus VIII. ſchiſmatis author fuit, ita ipſe primus nouã iurandi formam ſubditis ſuis proponere incepit, qua non ſolùm ciuilem obedientiam, ſed illam etiam, quæ ſoli Romano Pontifici debetur, ſibi promitti poſtulauit.

Primum iuramentum Anglis indictum.

Refert enim Sander. lib. 1. de Schiſm. Anglican. circa medium, Regem Henricum ferè in ſchiſmatis initio ab omnibus ſui regni ordinibus in publicis comitijs petijſſe, vt ab Eccleſiaſticis omnibus iuramentum exigeretur, quo eandem ipſi, quam antea Romano Pontifici conſueuerant, obedientiã promitterent, quod licet in principio non ſimpliciter, ſed cũ quadam limitatione admiſſum fuerit, vt infra dicam, hac tamen ratione tandem Rex obtinuit, quod expetebat. Non refert autem Sanderus ſpecialem formam huius iuramenti præſtandi, ab Henrico editã eſſe, ſed ſimpliciter formã vſitatam iurandi obedientiã Papæ ſibi applicaſſe, vtiq; eodem verborũ tenore pro mittendam, & iuramento confirmandã. Neq; etiã refert, omnes de populo coactos eſſe iuramentum illud præſtare, ſed ſolũ Eccleſiaſticas perſonas, neque illas omnes, ſed quæ in comitijs ſuffragiũ habere poterant, quantum ex hiſtoria illa colligi poteſt. Nec etiã inuenio tẽpore Eduardi aliquod ſimile iuramentum populo, vel Eccleſiaſticis iterum fuiſſe propoſitum, vel poſtulatum. Eliſabetha verò in initio ſtatim regni ſui, ſeu in primis comitijs, quæ *Parlamentum* vocant, nouam iurandi formam, tradidit, omneſque, exceptis primatibus laicis, illam ſolenniter profiteri iuſsit; forma autem iuramenti ſequens eſt, vt eam refert Sander. lib. 3. in initio regni Eliſabethæ.

¶ Forma Iuramenti ab Eliſabetha prius ſubditis propoſita: & poſteà ſub Iacobo aucta.

EGO A.B prorſus teſtificor, & declaro in conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam ſupremam gubernatricem, & iſtius regni Angliæ, & aliorum omnium ſuæ Maieſtatis dominiorum, & regionum, non minus in omnibus ſpiritualibus, atq; Eccleſiaſticis rebus, vel cauſis, quàm tẽporalibus, & quod nemo externus Princeps, perſona, Prælatus, Status, vel Potentatus, aut facto, aut iure, habet aliquam iuriſdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam, vel authoritatem Eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc regno. Ideoq; planè renuncio, & repudio omnes externas iuriſdictiones, poteſtates ſuperioritates, atq; authoritates.

Rectè aũtẽ aduertit Sanderus, vel timuiſſe, vel puduiſſe fœminã nomen Capitis Eccleſiæ, quod ſibi Henricus arrogauerat, vſurpare, & ideò illud in nomen ſupremæ gubernatricis cõmutaſſe. In re tamen nullã fuiſſe differentiã, ſed in nomine tantũ, nam quod Rex metaphorico nomine dixerat, Eliſabetha magis proprio declarauit. Imò poſtea multi ſuſpicati fuerunt, plus aliquid Reginã per illã iuramẽti formulam intẽdiſſe, nimirum, omnem ſpiritualem poteſtatem etiam in adminiſtrandis ſacramẽtis, ſibi arrogare: ipſam verò declaraſſe, nihil aliud per illa verba ſibi attribuere voluiſſe, quàm quod patri, & fratri ſub nomine capitis Eccleſiæ ab Ordinibus fuerat conceſsũ.

Hęc igitur iuramenti forma tempore Eliſabethæ ſeruata eſt, poſtea verò Iacobus illam auxit, addendo ſpecialem promiſsionem ſeruandi fidem, & obedientiã Regi, propter quam potuit iam hoc vocari iuramentum fidelitatis, nam antea ſolùm videbatur eſſe quædam iurata cõfeſsio, vel profeſsio Primatus, quaſi cuiuſdam articuli Anglicanæ fidei. Forma igitur prioris iuramenti à Iacobo Rege præſtiti, quam ipſe in Apologia refert, præter ſuperiorem formulam, ſequentẽ tantùm addit promiſsionem.

Ego

Ego A.B.&c. Et promitto, me deincèps fidem, & veram obedientiam Regiæ Maieſtati, eiusq; hæredibus, ac legitimis ſucceſſoribus præſtiturum, & pro virili mea adiuturum, ac propugnaturum omnes iuriſdictiones, priuilegia, præeminentias, & authoritates Regiæ Maieſtati, Hæredibus ſuis, ac ſucceſſoribus conceſſas, vel debitas, ſiue Imperiali huius regni coronæ vnitas, & annexas. Ita me Deus adiuuet, &c.

Poſtea verò, vt in Præfationis initio, & in principo Apologiæ, & ſæpe in ſuo libello Rex inculcat, occaſione proditionis, ſeu coniurationis, quæ contra eundẽ, ſuiq; publicos regni ordines invnũ coeũtes per tormẽtarij pulueris impetũ deſtinabatur, nouã ipſe iuramẽti formã inuenit, quam lege, & decreto publico ſanciuit, ab omnibus ſuis ex igẽdã, & pręſtandã fore, tũ vt ſi qui adhuc tanti criminis ſocij ibi reſtarent, deprehẽdi poſſent, tũ vt ſe, & ſuos à ſimilibus periculis, & machinationibus ſecuriores redderet. Forma autem iuramẽti eſt quę ſubſequitur.

¶ Tertia Iurandi formula, quæ à Rege Iacobo fuit excogitata, & defenſa.

EGO A.B. vere, & ſyncere agnoſco, profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea coram Deo, & mundo, quod ſupremus Dominus noſter Rex Iacobus eſt legitimus, & verus Rex huius regni, & omnium aliorum Maieſtatis ſuæ dominiorum, & terrarum, & quod Papa nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam authoritatem Eccleſiæ, vel ſedis Romanæ, vel per vlla media cum quibuſcunq; alijs, aliquam poteſtatẽ, nec authoritatem habeat Regem deponẽdi, vel aliquorum Maieſtatis ſuæ dominiorum, vel regnorum diſponendi, vel alicui Principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas inuadere, authoritatem concedẽdi, vel vllos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Maieſtatis obedientia, & ſubiectione exonerandi, aut vllis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam, aut damnum Maieſtatis ſuæ perſonæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis infra ſua dominia offerendi. Item iuro ex corde, quod non obſtante aliqua declaratione, vel ſententia excõmunicationis, aut depriuationis facta, vel conceſſa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel ſucceſſores ſuos, vel per quãcunq; authoritatem deriuatam, aut deriuari prætenſam ab illo, ſeu à Sede ſua contra dictum Regem, hæredes ſuos, vel quacunq; abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen, & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo, ipſumque & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes, & attentata quæcunque, quæ contra perſonam illius, vel illorum, eorumque coronam, & dignitatem ratione, vel colore alicuius ſententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam, omnemq; operam impendam reuelare, & Maieſtati ſuæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, manifeſtum facere omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum, aut ali-

quos illorum ad notitiam, vel auditum meum peruenerint.

Præterea iuro, quod ex corde abhoreo, deteſtor, & abiuro, tanquam impiam, & hæreticam, hanc doctrinam, & propoſitionem, Quòd Principes per Papam excommunicati, vel depriuati poſſint per ſuos ſubditos, vel alios quoſcunq; deponi, & occidi.

Et vlterius credo, & in conſcientia mea reſoluor, quod nec Papa, nec alius quicunq; poteſtatem habet, me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi. Quod iuramentum agnoſco, recta, ac plena authoritate, eſſe mihi legitime miniſtratum, omnibusq; indulgentiis, ac diſpenſationibus in cōtrarium renuncio. Hæcq; omnia plane, ac ſyncere agnoſco, & iuro iuxta expreſſa verba per me hic prolata, & iuxta planum, ac communem ſenſum, & intellectum eorundem verborum, abſq; vlla æquiuocatione, aut mentali euaſione, vel ſecreta reſeruatione quacumque. Hancq; recognitionem, & agnitionem facio cordialiter, voluntarie, & vere in vera fide Chriſtiani viri. Sic me Deus adiuuet.

Huius autem iuramenti occaſione nō ſolùm dubitationes, ſed etiam opiniones variæ, & diſſenſiones inter ipſos Catholicos Angliæ ortæ ſunt. Plures enim à tali iuramento præſtando abhorrebant, eo quod in illa iurandi formula, & ſi non expreſſe, tectè, & implicitè obedientia Pontifici debita abnegetur, Regiq; promittatur, ac ſubinde articulus de Primatu Regis ibi virtute cōtineatur, & recognoſcatur, Alij verò ſine ſcrupulo conſciētiæ iuramentum illud præſtari poſſe dicebant, dūmodo animo, & intētione fieret promittendi tantum Regi ciuilē obedientiam, nam reliqua, cum in iuramento non contineantur, ſi intentio iurantis recta ſit, nō poſſunt iuranti attribui: quia licet alij fortaſſe aliud ſuſpicentur, illud eſt ſolum ex ignorantia, quæ per admonitionem, & proteſtationem prius corā Catholicis factam poteſt ſufficienter auferri, & ita omne ſcandalum euitari. Hoc autem è medio ſublato, nulla interna malitia in illo iu ramēto eis ineſſe videbatur. Quoniam verò his coloribus decepti, & fortaſſe nonnullo humano timore inducti aliqui etiam ex primoribus Catholicis, & Eccleſiaſticis non ſolum in hanc ſententiam deſcendebant, verum etiam in iuramento præſtando anteibant, neceſſariū fuit in re tam graui, & periculis expoſita, SūmumPōtificem pro ſua paſtorali cura opportunū remediū adhibere. Quamobrē Sanctiſsimus D. N. Paulus V. ad Catholicos Angliæ, quid in re tam ardua ſentiendū, & ſeruādum eſſet, datis ad eos literis in forma Breuis admonuit, quarum literarum forma talis eſt.

¶ *Primum Breue Pontificium.*

DILECTI filij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Magno animi mærore nos ſemper affecerunt tribulationes, & calamitates, quas pro retinenda Catholica fide iugiter ſuſtinuiſtis. Sed cum intelligamus, omnia hoc tempore magis exacerbari, afflictio noſtra mirum in modum aucta eſt. Accepimus namque compelli vos, grauiſsimis pœnis propoſitis tēpla hæreticorum adire, cœtus eorum frequentare, cōcionibus illorum intereſſe. Profectò credimus proculdubio eos, qui tāta conſtantia atrociſsimas perſecutiones, infinitas propemodum

dum miſerias hactenus perpeſsi ſunt, vt immaculate ambularent in lege Domini, nunquam commiſſuros eſſe, vt coinquinentur communione deſertorum diuinæ legis. Nihilominus zelo paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro paterna ſolicitudine, qua de ſalute animarum veſtrarum aſsidue laboramus: cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorum templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cū ipſis in ritibus cōmunicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento diuini cultus, ac veſtræ ſalutis. Quemadmodum etiam non poteſtis abſque euidentiſſima, grauiſsimaq; diuini honoris iniuria, obligare vos iuramēto, quod ſimiliter maximo cum cordis noſtri dolore audiuimus, propoſitum vobis fuiſſe pręſtandum infra ſcripti tenoris, videlicet: Ego A.B. vere, & ſyncere, &c. *vt ſuprà.*

Quæ cum ita ſint, vobis, ex verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quòd huiuſmodi iuramentum, ſalua fide catholica, & ſalute animarum veſtrarum, præſtari non poteſt, cum multa contineat, quæ fidei, & ſaluti apertè aduerſantur. Propterea admonemus vos, vt ab hoc, atq; ſimilibus iuramentis pręſtandis omnino caueatis, quod quidem eo acrius exigimus à vobis, quia experti veſtræ fidei conſtantiam, quæ tanquam aurum in fornace, perpetuæ tribulationis igne probata eſt, pro comperto habemus, vos alacri animo ſubituros eſſę quæcūque atrociora tormenta, ac mortem denique ipſam conſtanter oppetituros, potius quā Dei Maieſtatē vlla in re lædatis. Et fiducia noſtra cōfirmatur ex his, quæ quotidie nobis afferūtur de egregia virtute, atq; fortitudine, quæ nō ſecus, ac in Eccleſiæ primordijs reſplēdet nouiſsimis hiſce temporibus in Martyribus veſtris.

State ergo ſuccinti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ ſumentes ſcutum fidei: confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, nec quicquam vos detineat. Ipſe autem, qui coronaturus vos, certamina veſtra in cœlo intuetur, bonū opus, quod in vobis cœpit, perficiet. Noſtis, quia diſcipulis ſuis pollicitus eſt, ſe nunquā relicturū eſſe eos orphanos. Fidelis enim eſt, qui promiſit. Retinete igitur diſciplinā eius, hoc eſt, radicati, & fūdati in charitate; quidquid agitis, quidquid conamini, in ſimplicitate cordis, & vnitate ſpiritus ſine murmuratione, aut hæſitatione vnanimes facite. Siquidē in hoc cognoſcēt omnes, quia diſcipuli Chriſti ſumus, ſi dilectionē ad inuicē habuerimus. Quæ quidē charitas, cū ſit omnibus Chriſti fidelibus maximè appetenda; vobis certe, dilectiſsimi filij, prorſus

 neceſ-

neceſſaria eſt. Hac enim veſtra charitate diaboli potẽtia infringitur, qui nũc aduerſus vos tantopere inſurgit, cum ipſa contẽtionibus, atq; diſsidijs noſtrorum filiorum præcipuè nitatur.

Hortamur itaque vos per viſcera Domini Ieſu Chriſti, cuius charitate è faucib⁹ æternæ mortis erepti ſumus, vt ante omnia mutuam inter vos charitatem habeatis. Præſcripſit ſane vobis præcepta maximè vtilia, de fraterna charitate viciſsim exercẽda, felicis recordationis Clemens Papa VIII. ſuis literis in forma Breuis ad dilectum filium Magiſtrum Georgium, Archipresbyterum regni Angliæ, datis die quinta menſis Octobris 1603. ea igirur diligenter exequimini, & ne vlla difficultate, aut ambiguitate remoremini, præcipimus vobis, vt illarum literarum verba ad amuſsim ſeruetis, & ſimpliciter prout ſonãt, & iacent, accipiatis, & intelligatis, ſublata omni facultate aliter illa interpretandi. Interim nos nunquam ceſſabimus, Deũ Patrem miſericordiarum precari, vt afflictiones, & labores veſtros clementer reſpiciat, ac vos continua protectione cuſtodiat, atque defendat, quos Apoſtolica benedictione noſtra clementer impertimur. Datum Romæ apud S. Marcum, ſub annulo piſcatoris decimo Calend. Octobr. M.DCVI. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Quia verò nõnulli eo tẽpore fortaſſe ad Catholicos decipiendos, ne illa occaſione iuramentum recuſarent, rumores in Anglia ſparſerunt, quibus fidem illarum literarum ſuſpectam redderent, dicẽntes, breue illud non verum, nec à Põtifice ſcriptum, ſed ab aliquo fuiſſe confictum, ideò Sũmus Pontifex ſecundũ Breue, quo prioris veritas certior fieret, conſcripſit, cuius tenor eſt qui ſequitur.

¶ *Secundum Breue.*

DILECTI filij, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Renunciatum eſt nobis, reperiri nonnullos apud vos, qui, cum ſatis declarauerimus per literas noſtras anno ſuperiore, x. Kalend. Octobr. in forma Breuis datas, vos tuta conſcientia, præſtare non poſſe iuramentum, quod à vobis tunc exigebatur; & prætereà ſtrictè præceperimus, ne vllo modo illud præſtaretis: nunc dicere audent, huiuſmodi literas de prohibitione Iuramenti, non ex animi noſtri ſententia, noſtraq; propria voluntate ſcriptas fuiſſe, ſed potius aliorum intuitu, atque induſtria. Eaq; de cauſa ijdem perſuadere nituntur, mandata noſtra dictis literis non eſſe attendenda. Perturbauit ſane nos hic nuntius, eoq; magis, quia experti obedientiam veſtram

(filij

(filij noſtri vnice dilecti) qui vt huic Sanctæ Sedi obediretis, opes, facultates, dignitatem, libertatem, vitam denique ipſam piè, ac generosè nihili feciſtis; nunquam ſuſpicati eſſemus, potuiſſe vocari apud vos in dubium fidem literarum noſtrarum Apoſtolicarum, vt hoc prætextu vos ex mandatis noſtris eximeretis. Verum agnoſcimus verſutiem, atque fraudem aduerſarij humanæ ſalutis, eique potius, quam veſtræ voluntati tribuimus hanc renitentiam. Eapropter iterum ad vos ſcribere decreuimus, ac denuo vobis ſignificare, literas noſtras Apoſtolicas anno præterito. x. Kalend. Octob. datas de prohibitione Iuramenti non ſolum motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia; verum etiam poſt longam, & grauem deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuiſſe ſcriptas; & ob id teneri vos illas omnino obſeruare, omni interpretatione ſecus ſuadente reiecta. Hæc autem eſt mera, pura, integraque voluntas noſtra, qui de veſtra ſalute ſoliciti ſemper cogitamus ea, quæ magis vobis expediunt. Et vt cogitationes, & conſilia noſtra illuminet is, à quo Chriſtiano gregi cuſtodiendo noſtra fuit prępoſita humilitas, indeſinenter oramus: quem etiam iugiter precamur, vt in vobis filijs noſtris ſummopere dilectis, fidem, conſtantiam, mutuamque inter vos charitatem, & pacem augeat. Quibus omnibus cum omni charitatis affectu, peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo piſcatoris decimo Kalend. Octobr. M. DC. VII. Pontificatus noſtri anno tertio.

His Pontificijs literis, & epiſtola ab Illuſtriſsimo Cardinali Bellarmino ad Archipresbyterum Angliæ conſcriptis exagitatus Rex Angliæ contra vtrumq; breue, & Epiſtolam, & in defenſionẽ huius vltimi iuramenti libellum, ſuo nomine occultato, ſcripſit, aut ſcribi fecit. In quo pręcipuè oſtẽdere conatur, per iuramentũ illud nihil aliud, quam ciuilẽ obedientiam, ac fidelitatem à ſubditis exigi, & ideo vehementer conqueritur, quod ſubditi ſui ab obedientia ciuili ei præſtanda deterreantur. Sic enim ipſe Rex in principio Pręfationis pag. 13. affirmat, & in alio loco Apologiæ ſic inquit. *Ad proximum caput Breuis quod attinet, quo Põtificijs omnibus interdicit, ne Eccleſias noſtras adeant, ne ve ritus, & cæremonias noſtras frequentent, non eſt mihi iam animus hæc attingere: ſiquidem id ſolum negotij nũc incumbit, vt orbi proloquar iniurias, & iniuſtitias Pontificis interdictis ſubditis meis, ne obedientiam ſuam erga me profiteantur.* Et alio in loco magno verborum pondere, & exaggeratione ſic affirmat: *Ego enim, quantum mea mens aſſequi poteſt, non cælum à terra longius diſtare credo, quam profeſsio obedientiæ ciuilis erga ciuilem Regem differt ab ijs omnibus, quæ catholicæ fidei, aut Primatui Sancti Petri quoquomodo ſunt affinia.*

Pagin. 24. Apolog.

Hæc autem, & ſimilia multa, quæ in illa Apologia continentur, non ſine ſufficienti reſponſione, & impugnatione à Cardinali Bellarmino relicta ſunt. Statim enim, ac in manus eius Apologia peruenit, antidotum contra illam, quamuis tecto nomine ſuo, ſcripſit; quo illud nõ fidelitatis, ſed infidelitatis iuràmentum eſſe, nec ſolius obedientiæ ciuilis ad Regem

gem, ſed etiam abnegationis Pontificiæ poteſtatis profeſsionē eſſe conuicit. Qua reſponſione veluti contēpta Rex in hac poſteriori Apologiæ editione nihil illi addendum exiſtimauit. Sed in initio fere prçfationis, poſtquam in authorē illi⁹ reſponſionis acriter inuectus, & de iniurijs, conuitijs, alijsque in modo ſcribendi defectibus grauiſsime cōqueſtus eſt, tādem concludit, *nunquam eum ad id, in quo cauſæ cardo vertitur, directe reſpōdiſſe.* Hac vero occaſione iterum ibi declarat, duo tantum eſſe capita, de quibus in Apologia diſſeruit: *Prius* (ait) *vt probarem, in fidelitatis ſacramento nihil aliud, quam obedientiam mere ciuilem, & ſecularem ſummis Principibus à ſubditis debitam contineri. Alterum vt oſtenderem, hanc in Reges poteſtatem à Pontificibus inique vſurpatam cū Scripturis, Concilijs, & Patribus pugnare.* Ex his autem duobus capitibus hoc poſterius in lib. 3. & 4. fuſe à nobis tractatum eſt, vbi ſatis directe omnibus, quæ in illa parte Apologiç, vel in Præfatione Rex inducit, reſpondimus, ideoque illud amplius non attingemus: alterū vero, quod breuius, clariusque iudicamus, compendioſius etiam in hoc libro proſequemur. Ne vero nobis etiam obijciat, quòd ab ſcopo aberrauerimus, illum paulo fuſius, & diſtinctius iterum proponemus.

CAPVT. I.

Quis ſit præſentis controuerſiæ ſcopus, & cauſæ ſtatus, & quæ ratio diſputandi in ea ſeruanda ſit.

1. 4. Genera iuramenti fidelitatis.

VT proprium huius diſputationis ſcopum, ſtatumque controuerſiæ præ oculis proponamus, varia iuramenti genera, quæ à Rege temporali exigi poſſunt, & ex dictis colligūtur, diſtinguere oportet. Vnū dici poteſt ciuile iuramentum, quia eſt ſolius obedientiæ ciuilis in rebus mere temporalibus, & ad Regis poteſtatem verê pertinentibus. Aliud eſt iuramentum ſacrum, ſeu Eccleſiaſticum, ſcilicet, ſolius obedientiæ Eccleſiaſticæ, ſeu ſpiritualis Regi tēporali exhibendæ tanquam ſupremam poteſtatem Eccleſiaſticam, ſeu ſpiritualē habenti. Per quod iuramentum conſequenter Pontificis poteſtas, eique A debita obedientia abiurantur. Tertium dici poteſt iuramentum miſtum clarê, & aperte, quia per illud expreſſe fit profeſsio vtriuſque poteſtatis in temporali Rege, & vtraque obedientia illi promittitur, & conſequenter vtraque etiam Pōtifici abiuratur. Quartū dici poteſt miſtū palliatum, quia per illud odedientia ciuilis expreſſe iuratur, tecte autem, & ſub verbis minus claris obedientia Pontifici debita negatur, & Regi tribuitur.

De primo genere iuramenti (vt dixi) nulla eſt inter Pontificem, & Regem 2. B Angliæ controuerſia. Quantūuis enim Rex iniuriam, & iniuſtitiam ſibi fieri à Pontifice conqueratur, prohibendo ſubditis ſuis, ne obedientiam ciuilem illi promittant, & ſeruent: re vera non ita eſt, vt merito notauit Bellarminus in reſponſione ad Præfationem Regiam cap. 2. & in Apologia reſpondendo ab obiecta cōtra primum Breue Pontificis. §. *Pergit deinde author, &c.* Quia in neutro Breui Pōtificio reprehenſio talis iuramenti inuenitur, nec aliquem authorem catholicum allegare poteſt Rex, qui hoc genus iuramenti cum Catholica fide non conſentire iudicauerit. Quapropter ſine cauſa C laborat Rex in ſua Apologia pag. 25. & ſequentibus ex Scripturis, Concilijs, & Patribus probando, vel deberi Regibus in conſcientia ciuilem obedientiam, vel licitum eſſe iuramentum, quo illa promittitur, nam hoc non ſolum verum, ſed etiam catholicum dogma eſſe omnes confitemur. Hoc autem, & non aliud probant teſtimonia à Rege allegata, vt in lib. 3. ex profeſſo per ſingula diſcurrendo oſtendimus. Et ſane teſtimonia Patrum, quæ ipſemet adducit, diſerte ita loquuntur, nam vel vtramque obedien- D tiam diſtinguunt, vel cum moderatione, & limitatione loquuntur. Auguſtinus enim cum dixiſſet, milites Chriſtianos obediuiſſe Iuliano, licet Apoſtata, & infidelis eſſet, ſtatim adiungit: *Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi eum, qui in cœlo erat.* Tertullianus vero dicens, *Colimus Imperatorem*, ſtatim addidit, *Sic quomodo & nobis licet, & ipſi expedit*. Et ſimilia ſunt alia apud Gratian. in Decret. 11. q. 1. ſub finem.

Bellarm. Licitū eſſe iuramētū ciuile, catholicum dogma. Auguſt. Tertul. Gratian.

Neque minus ſuperuacanea ſunt, quæ 3. in Apologia in initio reſponſionis ad Epiſto-

Epiſtolam Bellarmini Rex congerit ex Concilijs Toletanis.4.5.6.& 10. vt probet iuramentum fidelitatis Regi factum eſſe ab vniuerſis ſubditis ſeruandum. Tractant enim illa Concilia de puro, licito, ac honeſto fidelitatis iuramento, quod & tunc fiebat in Hiſpania ſuis Regibus, & nunc etiam fit, ac fideliſsime ſeruatur. Non enim venit in mentem Patrum illorum Conciliorum, eſſe poſſe in Eccleſia Catholica aliud iuramenti genus, quo Principi temporali Eccleſiaſtica obedientia promittatur, aut aliqua ſpiritualis poteſtas in eo recognoſcatur, vel in Pontifice abiuretur. Vnde in Concilio Toletan. 10. cap. 2. expreſſe dicitur. *Siquis religioſorum ab Epiſcopo vſque ad extremi ordinis clericum, ſiue monachum generalia iuramenta in ſalutem Regiam, gentiſq́, aut patriæ data reperiatur violaſſe volũtate profana, mox propria dignitate priuatus, & loco, & honore habeatur excluſus.* Quæ verba ſatis declarant, ſermonem eſſe de generalibus iuramentis, quæ in quacũque republica humana ad eius conſeruationem, & ad ciuilem obedientiam, & vitæ, ac rerum ſuarum ſecuritatem Regi præſtãdam fieri ſolent. Et ſimiliter alia Concilia de Iuramento, quod non ſolum inter fideles, ſed etiam inter quoſcumque gẽtiles fieri conſueuit, aperte loquuntur. Vnde Concilium Toletan.4.cap.75. Sic inquit: *Sacrilegium quippe eſt, ſi violetur à gentibus Regum ſuorum promiſſa fides, quia non ſolum in eos fit pacti tranſgreſſio, ſed & in Deum, in cuius nomine pollicetur ipſa promiſsio.* Et eodem modo loquuntur cætera. Tractant ergo de communi pacto inter Regem, & regnum iuramento fidelitatis firmato, quod eſt iuramentum pure ciuile, & politicum, de quo non eſt controuerſia. Vnde illa Concilia magis ad ſpeciem, & apparatum, quam ad cauſæ probationem adducta videntur. Neq; plus ad Scopum diſputationis pertinet canon 12. Concilij Aquiſgran. ſub Ludouico, & Gregor. 4. in 2. articulo, ſeu membro illius, vbi generatim damnãtur, qui contra Regem inſurgunt, & iuramẽtum fidelitatis illi non ſeruant. Nam loquitur etiam illud Concilium de puro iuramento ciuili, tum quia nullum aliud erat tunc auditum in Eccleſia Regibus fieri, tum etiam quia pro fundamento

Idem dogma varia docuerunt.

Côc.Tolet.

A præmittit Concilium: *Conſtat, quia quicumque poteſtati à Domino datæ reſiſtit, iuxta Apoſtolicum documentum Dei ordinationi reſiſtit*, poteſtas autem Regis ciuilis tantum eſt, de ſimili ergo iuramento loquitur Concilium.

Quod ſi Rex Angliæ illi grauiſſimo Concilio fidem adhibet, vt par eſt, quæſo, primum ab eo iactum fundamentum attente conſideret, ſtatim.n. in principio ſic Patres loquuntur: *Primo viſum eſt, normam vniuerſæ religionis, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ in duabus conſiſtere perſonis, Pontificali videlicet, atque Imperiali.* Quod fundamentum primum authoritate Gelaſij præferentis auctoritatem Papæ poteſtati Regum confirmat: Deinde teſtimonio Fulgentij dicentis: *Quantum pertinet ad huius temporis vitam, in Eccleſia nemo Pontifice potior, & in ſeculo Chriſtiano Imperatore nemo potior inuenitur.* Et in parte tertia eiuſdem Concilij multa de Regali munere, ac poteſtate traduntur, & in cap. quinto illius partis refertur dictum Cõſtantini ad Epiſcopos: *Poteſtatem vobis dedit Deus de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari.* Quanodo ergo Concilia iuramenta fidelitatis Regibus facta ſeruanda eſſe decernunt, non confundunt ciuilem obedientiam cum Eccleſiaſtica, ſed vnicuique quod ſuum eſt, reddendum ſtatuunt, Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & quæ ſunt Dei Deo. Et ita de primo iuramento fidelitatis, & obedientiæ tantum ciuilis nulla eſt controuerſia.

4. [illegible]

Gelaſ. ed. A[illegible] Imperat. Fulgen. [illegible] Prædeſtin. & grat.

Conſtantio [illegible] iuriſdictione [illegible] *R[illegible]* 1. [illegible] 10 cap. 2.

De ſecundo autem genere iuramenti, quò vaſſallus fidelis Regis Chriſtiani illum recognoſcit vt ſupremum caput, vel gubernatorem Eccleſiæ in Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus rebus, eique obedientiam in eiſdem ſpiritualibus promittit, nulla quidem fuit olim in Catholica Eccleſia controuerſia, quia nunquam in illa tale iuramentum auditum eſt, quia materia eius ſacrilega, & doctrinæ fidei contraria ſemper iudicata eſt. A temporibus autem Henrici Octaui cæpit in Regno Angliæ illud iuramentum introduci: & in principio ipſemet Rex in comitijs regni ſui illud proponere non eſt auſus, quia res noua eſſet, &

5. Principem [illegible] auditum.

& inaudita, ſciretque viris Catholicis, & præſertim Eccleſiaſticis futuram eſſe acerbiſsimam. Ideoque Roffenſem, virum magnæ authoritatis, vt illud proponeret, ſuaque authoritate alijs perſuaderet, coegit: ille autem licèt iniquitatem iuramenti non ignoraret, tunc vel timore, vel rationibus humanis inductus Regi paruit, iuramentumque non ſimpliciter, ſed quadam limitatione addita, cæteris Epiſcopis propoſuit, ſcilicet, *quantum eis per Dei verbum permiſſum eſſet, ac licitum.* Huius autem lapſus ex humana fragilitate profecti eum poſtea grauiſsime pœnituit, publiceque conteſtatus eſt, non debuiſſe cum exceptione illa Iuramentum admittere, ac ſi res eſſet dubia, ſed per verbum Dei veritatem aperire, ne alij in fraudem inducerentur. Itaque ex tunc ſchiſmatici, & timidi iuramentũ probare, & reddere; Catholici autem deteſtari, & vitare cæperunt. Idemque diſsidium inter Catholicos, & hæreticos vſque nunc durat, & perpetuo perſeuerabit, quandiu illi Schiſmatici in ſuo errore permanſerint, quoniam nobis certum eſt, fidem Catholicam tale iuramentũ damnare.

Sander. lib. I.

Roffenſis retractatio circa præſtitũ iuramentũ.

6. Nihilominus tamen quæſtio, quæ nunc verſatur, non eſt de hoc iuramento, bene enim nouit Rex Angliæ, Romanam fidem illud iuramentum damnare, & à veris, ac conſtantibus Catholicis ſubditis ſuis non eſſe præſtandum: imò (vt infra videbimus) ob hanc cauſam dicit, formulam iuramenti mutaſſe, ne ſubditos ſuos in eas anguſtias cum ingenti diſcrimine induceret. Quamuis enim ipſe, & alij Anglicani Proteſtantes priuato ſuo errore opinentur, iuramentum illud eſſe licitum, quia putant promiſsionem eſſe de re licita, & debita, nihilominus non negant, nec negare poſſunt, ſi vel ratione naturali vti velint, iniquum eſſe, tale iuramentum contra conſcientiam præſtare, ſiue animo non implendi illud, ſiue credendo talem obedientiam ſoli Pontifici Summo eſſe reddendam. Quapropter non manet inter nos in hoc puncto controuerſia de ipſo iuramento, ſed de materia eius, quæ coincidit cum controuerſia de primatu, quæ lib. 3. tractata eſt.

Non eſt hic quæſtio de 2. iuramẽti genere, neque de 3.

A Atque eadem ratione non eſt quæſtio de tertio iuramento, vtramque obedientiam ciuilem, & Eccleſiaſticam aperte comprehendente. Cum enim bonum ex integra cauſa, & malum ex quocumque defectu, & vna pars materiæ talis iuramenti praua ſit, manifeſtum eſt totum iuramentum eſſe iniquum. Sicut enim propſitio copulatiua, cuius vna pars eſt falſa, ſimpliciter falſa eſt, ita iuramentum illud, cum per illud copulatiuè (vt ſic dicam) & ciuilis, & Eccleſiaſtica obedientia Regi vt ſupremo capiti promittatur, ſimpliciter iniquum, & B deteſtabile eſt. Denique qui credit, Regem temporalem eſſe ſupremum in temporalibus, & ſpiritualibus, quãuis in priori parte non erret, ſed tantum in poſteriori, ſimpliciter hęreticus eſt, quia vna hæreſis ſufficit ad hæreticum conſtituendum; ergo ſimiliter iuramentum illud eſt profeſsio cuiuſdam hæreſis, ac proinde abominabile. Idemque non minus euidens, & certum eſſe debet de quarta iurandi forma, in qua promiſsio obedientiæ ciuilis Regi facienda, & abiuratio Pontificiæ non clare, ſed tecte, & ſimulate proponitur, quia in moralibus illa C duo æquiparantur, parumque refert ad fidei conſtantiam, quod aperte, vel ſub aliquo velamine, & ſimulatione veritas Catholica negetur. Vnde etiam de hoc puncto non eſt principalis controuerſia, quia verò ab ignorantibus poteſt in dubium reuocari, inferiùs opportúno loco dictam veritatem confirmabimus. 7.

4. Iuramenti genus.

Punctum ergo principale, in quo Rex controuerſiam conſtituit, non eſt de iure (vt ſic dicam) ſed de facto, id eſt, an in illa vltima forma iurandi à Rege Angliæ inuenta ſola obedientia ciuilis à ſub D ditis exigatur, Eccleſiaſtica vero nullo modo, neque expreſſè, neque tacitè, vel tectè, ſeu palliatè. Et ſimiliter an per illud iuramentum abiuretur Primatus Papæ, eiuſque ſuprema ſpiritualis poteſtas negetur, vel ſolum fiat profeſsio ſupremæ poteſtatis Regiæ in ſuo ordine, & gradu ſine profeſsione ſpiritualis poteſtatis, quam vſurpat. Nam Rex Angliæ contendit in eo iuramento ſolam promiſsionem obedientiæ purè ciuilis, & profeſsionem ſupremę Regiæ poteſtatis temporalis contineri. Sic enim ait in 8.

in Præfatio. pagin. 12. *Tanto ſtudio, tantaque ſolicitudine cauebam, ne quicquam hoc iuramento contineretur, præter fidelitatis illius, & temporalis obedientiæ promiſsionem quam ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit.* Et infra dicit, ſcripſiſſe Apologiam, in qua ſuſcipiebat probandum; *nihil in eo iuramento contineri, niſi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem ſpectat, qualis ſummis Principibus à ſubditis debetur.* Idemque in alijs locis tam Præfationis, quam Apologię repetit, ex quibus aliqua in præcedenti prę- fatione retuli. Hoc ergo in primis eſt à nobis examinandum. Et primo quidem

Controuerſię ſtatus ac diuiſio. de re ipſa ſecundum ſe ſpectata diſſeremus, & per ſingulas illius formulæ iurandi partes, prout Rex poſtulare videtur, diſcurrendo, quam ſit iniuſtum, & fidei contrarium iuramentum illud oſtendemus. Poſtea verò ad ea, quę contra Breuia Pontificia obijciuntur, facile reſpondebimus.

CAPVT II.

Vtrum in prima parte formulæ iuramenti aliquid præter obedientiam ciuilem, & contra Eccleſiaſticam iurandum proponatur?

1\. IN quatuor partes, ſeu paragraphos dicta iuraměti formula diuiſa eſt, prima eſt in eius initio, ſecunda in paragrapho. *Item iuro*, tertia in paragrapho. *Praeterea iuro*, quarta in paragrapho, *Et vlterius credo*, quę diſcutiědæ ſunt; & attentè conſiderandum, an in omnibus, vel in aliqua earum verum inueniatur illud Regis pronunciatum, nihil in illo iuramento contineri, niſi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem ſpectat; Prius autem, quam ad ſingulas partes deſcendam, præmoneo, ab aliquibus notatum eſſe, verbum *Iuro* in prima, & vltima clauſula nõ apponi, & ideo in eis nõ

Vide lib. 1 de Iuram. cap. 13. n. 8. 21. & ſequentibus. iurari, ac ſubinde non tantam requiri certitudinem de verititate earũ rerum, quę in eis proponuntur, quin ſine culpa ſaltě graui quis poſsit illa cõfiteri, licet ea non credat, ſicut in alijs duabus partibus, quæ ſub iuramento proferuntur, neceſſaria

A eſt. Hęc vero conſideratio falſa eſt, & perniciosa. Primo enim citra dubiũ verum eſt, etiã illa, quę in prima, & vltima parte continentur, ſub iuramento proferri. Nã in prima dicitur: *In conſcientia mea coram Deo*, quę duæ particulæ in rigore ſumptę ſolent eſſe formę iurandi, & licet ſigillatim ſumptę interdũ ſint ambiguę, tamen ſimul coniunctę adinuicem ſe iuuant, & determinant ſignificationě ad indubitatã iurãdi formam. Et augetur certitudo ex ſolěnitate iuramenti, & ex materia eius, & quia ſtatim in ſecũda clauſula dicitur:

B *Itě iuro*, & ex alijs, quę iam dica. Nã in vltima etiã clauſula ponitur particula; *In conſciẽtia mea*, Et deinde ſupponitur ſimpliciter iuramentũ hoc, quoad omnes ſuas partes eſſe tam validũ iuramentum, vt à nulla earum poſsit Pontifex quěquam abſoluere. Et quod tollit omne dubiũ, infra dicitur. *Hæc omnia plane, ac ſyncere agnoſco, & iuro.* Et in fine cõcluditur: *In vera fide Christiani viri, & ſic me Deus adiuuet.* Quod vltimũ verbũ ſufficit ad iurandũ omnia pręmiſſa, vt in iure etiã canonico habetur, c. *Ego N.* de iure iurando. Vl- *Cap. Ego. N. de iur. iur.*

C timo vero addo, cũ in prima parte dicatur, *Agnoſco, & profiteor*, & in vltima dicatur, *Credo*, & materia pertineat ad dogmata fidei, etia ſi iuramentũ nõ interueniret, fore grauiſsimũ peccatũ, in illa materia aliquid falſũ confiteri, vel profiteri, quia eſſet contra fidei confeſsionem, quę neceſſaria eſt ad ſalutem, teſte Paulo ad Romaman. 10.

Hoc ergo ſuppoſito, in primis in ipſo 2.
iuramenti initio: *Ego A. B. verè, & ſyncere agnoſco, & profiteor, teſtificor, & declaro in conſcientia mea coram Deo, & mundo, quod ſupremus* Dñs *noſter Rex Iacobus eſt legitimus, & verus Rex, &c.* aduerto, licet

D hęc verba ſyncerè propoſita, & intellecta expreſſe nihil aliud quã dominij, ac regni temporalis profeſsioně continere videantur, nihilominus in verbis illis: *Supremus Dñs noſter Rex*, virus latere. Nam *In prima iuramẽti parte virus latere oſtenditur.* iuxta intentionem loquentis, ex alia formula iurandi nunquam retractata, & ex publica eius profeſsione, & ſcriptis ſatis cognita, & iuxta vulgarem, & receptum in illo regno ſenſum, particula, *Supremus Dominus* ſignificat eſſe ſupremum ſimpliciter tam in ſpiritualibus, quã in temporalibus: ſupremũ (inquam) poſitiuè in

in ſuo regno, quia eſt ſupra omnes tam laicos, quam Eccleſiaſticos, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus: & negatiuè reſpectu totius orbis, ſeu Eccleſię, quia nullum in ea recognoſcit ſuperiorem. Cum ergo in ipſa forma iuramenti cogatur omnis, qui iurat, illo modo recognoſcere Regem vt ſupremum Dominum, tacite cogitur confiteri Primatum eiꝰ ſupremum in magna Britannia, & Hybernia, & exemptionem eius ab omni ſuperiori poteſtate, & conſequenter tacite abiurare cogitur ſupremam ſpiritualem Pontificis poteſtatem. Sic ergo in illa ſola particula: *Supremus Dominus noſter*: aliquid vltra obedietiam ciuilem, ac temporalē continetur.

3. Dicet aliquis, eſto hæc fuerit intentio Regis, quam certe negare non poteſt, conſulto non expreſsiſſe illam in ipſa formula, ne Pontificiis (vt ipſe loquitur) ſcrupulus conſcientiæ inijceretur, quem nunc poterunt facile deponere, non iurando iuxta intentionem loquentis, ſed iuxta ſimplicem verborum ſonum, & inſenſu accommodato, quem poſſunt illa verba facere, tantum de ſupremo dominio in temporalibus ea intelligendo. Verumtamen hæc fuga, licet ſpeculatiuè (vt aiunt) & abſtractè, ac remoto ſcandalo poſſet ſuſtineri, tamen in vſu, & praxi in tali loco, & inter tales perſonas, & cum alijs circunſtantijs, ac periculo ſcandali, quod ſimul ibi concurrit, vix poteſt ab illis verbis ſeparari talis ſignificatio, & conſequenter illa erit quædam externa confeſsio, & profeſsio poteſtatis Regis abſolutè ſupremæ in omni materia, & ſine vlla limitatione, pręter illam quæ in ipſis verbis additur, de terris eius dominio ſubiectis. Quæ limitatio auget cætera verba, vt ſine vlla limitatione dicta intelligantur. Multoque magis id declarant verba ſequentia, vbi iam non tecte, ſed expreſſe vltra ciuilem, & temporalē obedientiam iuramentum extenditur. Additur enim.

Excluditur euaſio.

4. *Et quod Papa nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam authoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, nec per vlla media cum quibuſcũq; alijs aliquam poteſtatem, nec authoritatem habeat Regem deponendi.* Quis queſo, dicat, per hæc verba tantũ poſtulari à ſub-

A ditis obedientiam ciuilem, *qualis Summis Principibus à ſubditis debetur*? Certè alij Reges Eccleſiæ nõ minus ſupremi Principes in tẽporalibus ſunt, quã Rex Anglię: & tamen neq; ipſi talẽ obedientiam exigunt, nec ſibi à ſubditis deberi credunt, nec ſubditi illam recognoſcunt; ergo aperte declarat Rex Angliæ de ſe loqui, & ſentire tanquã de ſupremo Principe, nullũ in terris habente ſuperiorẽ, & hãc profeſsionẽ per illud iuramentũ à ſubditis poſtulare. Deinde per illa verba non tam iuratur obedientia Regi, quã abiura- B tur poteſtas Papæ, tractare autẽ de poteſtate Papæ, & illam iurandã, vel abiurandã proponere, non pertinet ad poteſtatẽ ciuilem, aut temporalem Regis, nec ad obedientiam ciuilem illi debitam; ergo illa verba euidenter excedunt terminos obedientiæ ciuilis, tum quia verba ipſa aliquid aliud ſignificant pręter obedientiam ciuilem Regi debitam, vt ex ipſis manifeſtum eſt; tum etiam quia ipſemet actus exigendi tale iuramentum, & imponendi obligationem profitendi hoc vel illud de poteſtate Pontificis eſt actus iuriſdictionis pluſquam ciuilis; imò ſu- C perioris, vel non ſubditæ poteſtati Pontificis: quia ad ciuilem poteſtatem non pertinet ſpirituali poteſtati, præſertim ſupremæ terminos pręſcribere. Duobus ergo modis (vt Theologicis terminis rem declarem) Rex in illis verbis poſtulat obedientiam pluſquam ciuilem, primo in actu ſignato proponendo materiam non ciuilem, ſecundo in actu exercito, vtendo poteſtate pluſquam ciuili, & cogendo ſubditos, vt illi ſe ſubdant, & ſua profeſsione illam recognoſcant.

Dictis verbis Papę poteſtatem ab iurari.

Accedit, quod per illa verba pro- 5. D ponitur profeſsio cuiuſdam erroris contra doctrinam ab vniuerſa Eccleſia probatam. Quamuis enim re vera materia illa Eccleſiaſtica ſit, ſi doctrina propoſita vera eſſet, vtcumque tolerabilis eſſet iuriſdictionis vſurpatio: cum tamen ipſa forma iuramenti errorem contineat, & ad illum profitendum ſubditos compellat, non ſolum exigit aliquid vltra obedientiam ciuilem, ſed etiam cogit ad abnegandam Pontificiam poteſtatem, & ad confitendum aliquid ſanæ doctrinæ contrarium. Aſſumptum oſtenditur

Præcipua ratio.

ditur, quia ille articulus illius iuramenti includit hanc propoſitionem, & fidem eius: ***In Pontifice, vel in vniuerſa Eccleſia non eſt poteſtas ad deponendum Regem baptizatum in vllo caſu, vel propter quancumq; cauſam, vel culpam.*** Quanuis enim in ipſa iuramenti forma non addantur expreſſè omnes iſtæ particulæ, *In vllo caſu, vel propter quancumq; cauſam, aut culpam*, in alijs æquiualentibus continentur, nimirum, cum dicitur, quod ***Papa nec per ſe, nec per alios, nec cum quibuſcunque alijs aliquam poteſtatem, nec authoritatẽ habet Regem deponendi***: Si enim nullam poteſtatem habet; ergo nec facultatem puniendi, nec quouis alio titulo poteſtatem habet effectricem talis effectus, ſeu depoſitionis. Et hoc idẽ per alias clauſulas amplificatur, videlicet, quod Papa non habeat poteſtatem diſponendi de regnis ſub dominio Regis conſtitutis, aut alteri Regi concedendi authoritatem illa inuadendi. Nam hæc omnia pendent ex illo principio, quod Papa non poſsit illum cogere per talem pœnam depoſitionis, etiam ſi hæreticus, vel ſchiſmaticus, vel catholicorum perſecutor ſit, neque aliquibus medijs coactionis temporalis, ſeu corporalis vti ad illum puniendum, vel Eccleſiam defendendam, & catholicos à tanto periculo eruendos. Quam verò falſum ſit hoc dogma, quãque alienum à principijs fidei, ab vſu Eccleſiæ, & ab omni etiam recta ratione, ſuppoſito munere paſtorali, quod Chriſtus Vicario ſuo commendauit, ſatis in libro tertio oſtenſum eſt; ideoq; in hoc puncto in præſenti non amplius immorabor.

6. Tandem eiuſdẽ rationis eſt alia clauſula, qua hæc pars huius iuramenti cõcluditur, in qua Rex ſuos ſubditos iurare cogit in Pontifice non eſſe poteſtatẽ, *vllos ſubditorum ſuorũ ab eorũ ſuæ Maieſtatis obedientia, & ſubiectione exonerandi, aut vllis eorũ licentiam dare arma cõtra ipſum gerẽdi, tumultus ſeminandi, aut aliquã violentiã, aut dãnum Maieſtatis ſuæ perſonæ, ſtatui, vel regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis intra ſua dominia offerẽdi*. Quę clauſula eiuſdẽ fere rationis eſt cũ præcedenti, & ex eodẽ errore procedit, nimirum, quod in Pontifice nulla ſit poteſtas coerciua Regis per corporalem violentiam, vel alias

A temporales pœnas: quam doctrinam erroneam eſſe in eodem lib. 3. oſtenſum eſt. Quamobrem, etiam in hac clauſula aliquid vltra obedientiam ciuilem iurandum proponitur, & ſpiritualis poteſtas vſurpatur, cumque ipſo iuramento profiteri, & in Rege agnoſcere ſubditi coguntur. Ac denique etiam poteſtas Pontificia abiuratur, & error cõtra ſidei doctrinam iuratur.

Imo hic inuoluuntur noui errores. Vnus eſt, quod Papa non habeat poteſtatem relaxandi iuramentum, etiam ſi iuſta, & rationabilis cauſa intercedat, quod eſt contra Eccleſiaſticum morem, Cõciliorumq; generalium vſum, & approbationem cap. 2. *de Re iudic. in 6*. Et contra catholicorum Doctorum conſenſum, & contra poteſtatẽ ligandi, & ſoluendi Petro datam, & ita vſu, & moribus totius populi Chriſtiani declaratam. Et præterea eſt etiã contra rationem, nam in ſimilibus iuramentis ſemper includitur, vel conditio tacita, ſi promiſsio impleri poſſit ſine notabili damno, & periculo iurantis, maxime vero quando illud periculũ, & damnum prouenit ex iniuria, & violentia eius, cui ſit promiſsio: Vel intelligitur reſeruatum ius ſuperioris, qui non obſtante promiſsione à ſubdito facta poteſt illi prohibere, ne illam impleat, ſeu ne actionem promiſſam exequatur, ſi iuſta, & rationabilis cauſa intercedat, & conſequenter poteſt relaxare iuramentum, materiam eius prohibendo. Denique hic error ſupponit priorem: nam ſi Papa poteſt deponere Regem conſequenter neceſſe eſt, vt auferre poſsit vinculum obedientiæ, & iuramenti, quia non promittitur obedientia Iacobo, vt Iacobus eſt, ſed vt Rex, vnde ſi deſinat eſſe Rex, eo ipſo non debetur ei obedientia, ac ſubinde nec iuramentum obligat, nã ſublata materia iuramenti, conſequenter iuramenti obligationem auferri neceſſe eſt. 7. Alii errores in hac clauſula [illegible]

Alius nouus error eſt, quia non ſolũ negatur Pontifici poteſtas deponendi Regem ipſum hæreticum, ſed etiam ſubditos eius cogendi per huiuſmodi pœnas, vt patet ex illa particula, *vel aliquibus ſuis ſubditis*. Eſt enim circa ſenſum illorum verborum aduertendum, neminem eſſe, qui doceat, poſſe Pontificem 8. Alius error.

ſuo arbitrio, & abſque cogente iuſtitiæ ratione, dare alicui Principi licentiam, vt contra alium Regem, vel ſubditos eius arma ſumat, aut vim aliquam, vel nocumentum ei inferat: ſicut etiam non poteſt pro libito dare licentiam ſubditis excitandi turbas contra Regem ſuum, prout videtur Rex Angliæ in diſcurſu huius operis Papæ attribuere, vt in fine libri tertij animaduertimus, ac refutauimus. Quis enim Pontifex hanc ſibi vnquam poteſtatem arrogauit? aut quis catholicus, aut rationis vſum habens hoc vnquam docuit, aut prædicauit? Non oportet ergo tegere, aut palliare verba illa, fingendo, ſenſum eorum eſſe, Papã non poſſe illam licentiam dare ad libitum, & ſine cauſa, hoc enim neque Rex timet, neque in mentem hominum venit.

9. Senſus ergo eſt, non poſſe Pontificẽ violentiam aliquam, vel damnum inferre non ſolum Regi, verũ etiam nec ſubditis ſuis, neque alicui dare licentiã quippiam ſimile contra ſubditos Regis Angliæ faciendi, etiam ſi illi apoſtatæ ſint, & Eccleſiæ Romanæ rebelles, ac ſchiſmatum, & hæreſum ſeminatores, vel fautores: hoc ergo modo dicimus, in verbis illis magnum, & nouum errorem contineri, vel certe eundem de Primatu magis explicatum. Quid enim hoc aliud eſt, quam profiteri, ſubditos Regis Angliæ non habere in terris alium ſuperiorem, præter ipſum Regem, nec ab alio poſſe cogi, vel puniri propter ſua ſcelera, etiam ſi alijs catholicis, & Eccleſiæ Chriſti pernicioſa ſint. Ergo per omnes has clauſulas, vel ſatis expreſſe, vel ſaltem implicite negatur, & abiuratur ſuprema Pontificis poteſtas, & Regi tribuitur. Vnde concluditur, & falſum eſſe, nihil in hoc iuramentò exigi, præter profeſsionem ciuilis, ac temporalis obedientiæ, & è contrario veriſsimum eſſe, iuramentum hoc eſſe miſtum, & virtute continere quidquid in prioribus iurandum offerebatur. Neq; video, quid poſſit his rationibus cum aliqua probabilitatis ſpecie reſponderi: quandam autem fugam, quam Rex inſinuat, in ſequenti capite attingemus.

Poſtremũ iuramentũ priora virtutem continere.

(***)

CAPVT. III.

In ſecunda iuramenti parte aliquid etiam vltra ciuilem obedientiam, & contra Eccleſiaſticam iurandum offerri.

INCIPIT hæc pars ab illis verbis: *Item iuro*, & nihil fere continet diuerſum à præcedenti, ſed in ea magis declarantur omnia, quæ in priori parte cõtra poteſtatem Papæ abiurantur, vt nimirum, intelligantur non ſolum de poteſtate extraiudiciaria (vt ſic dicã) ſeu de potentia faciendi per vires humanas, ſed etiã procedere de poteſtate iuriſdictionis, & iudiciaria, quæ in hac ſecunda parte expreſsius negatur, & abiuratur Pontifici ſequentibus verbis: *Item iuro ex corde, quòd non obſtante aliqua declaratione, vel ſententia excommunicationis, aut depriuationis facta, vel conceſſa, aut facienda, vel concedenda per Papam, vel ſucceſſores ſuos, vel per quancumque authoritatem deriuatam, aut deriuari prætenſam, ab illo, ſeu à ſua Sede contra dictũ Regem, hæredes, aut ſucceſſores ſuos, vel quacunque abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientia, fidelitatem tamen, & veram obedientiam ſuæ Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo, ipſumque & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes, & attentata quæcunque, quæ contra perſonam illius, vel illorum, eorumque coronam, & dignitatem, ratione, vel colore alicuius ſententiæ, vel declarationis, aut alias facta fuerit, defendam.* 1.

Vt ergo nullus detur ſubterfugiendi locus, interrogo, an Rex intelligat, ſententiam Papæ deponentis Regem baptizatum, & qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur, propter crimina, poſſe eſſe iuſtam, aut credit, ſemper eſſe iniuſtam. Primum, vt credo, non aſſeret, alias ſubditos ſuos ad rem turpiſsimam iurandam induceret, nimirum ad non parendum ſententiæ iuſtæ, quæ ſecum affert iuſtum præceptum. Nam ſi ſententia iuſta eſt, etiam erit iuſtum præceptum, quo illa à ſubditis ſeruari mandatur, cum aliter non poſsit executioni mandari. Item ſi ſententia depoſitionis 2.

Duplex ſenſus 2. partis iuramenti.

nis lata à Papa contra Regem eſſe poteſt iuſta, etiam erit efficax, habet ergo effectum pœnæ, quam imponit. Vnde cum pœna impoſita per ſententiam depoſitionis à regno, ſit ipſo facto priuare Regem dominio, & proprietate regni, ſententia iuſta efficaciter priuat regno; ergo contra iuſtitiam, & obedientiam debitam Papæ, eſt reſiſtere tali ſententiæ, & defendere perſonã Regis contra executionem talis ſententiæ; ergo qui primum credit, & nihilominus hoc ſecundum iurat, rem plane iniuſtam, & iniquam iurat. Et aliunde contradictionem inuoluit, velle ſeruare obedientiam, & fidelitatem alicui tanquam vero Regi, quem ſcias per iuſtam declarationem, vel ſententiam eſſe cum effectu à regno depoſitum. Vt ſi Papa ipſe exigeret à fidelibus iuramentum, quod nõ obſtante quacunque ſententia, vel declaratione depoſitionis eius, etiam propter crimen hæreſis à quocunque generali Concilio facta, eum defendent in ſua ſede, eique eandem obedientiam, & fidelitatem præſtabunt, iuramentum eſſet iniquum, quia eſſet de re iniqua, & Eccleſiæ, ac fidei contraria. Tale ergo eſt hoc iuramentum Regis, ſi dicta ſententia iuſta ſupponatur. Hoc ergo ſine dubio non admittet Rex, neque etiam opinor, adeo eſſe ſuarum rerum iniquum æſtimatorem, vt ſi concedat, ſententiam à Papa latam contra aliquem Regem, eſſe poſſe iuſtam, nihilominus neget, contra ſe poſſe eandem tenere æquitatem. Quam enim maiorem immunitatem, vel innocentiam in ſe, quam in alijs Regibus, qui Romanæ Eccleſiæ rebelles, aut fidei deſertores, & impugnatores fuerunt, allegare poteſt? Aut licet in ſe cauſam depoſitione dignam non agnoſcant, vnde ſcit, in ſucceſſoribus ſuis eſſe non poſſe, cum tamen de omnibus æquè iuramentum exigat? Non eſt ergo dubium, quin fundamentum huius iuramenti ſit, talem ſententiam non poſſe eſſe iuſtam.

Prior ſenſus excluditur, & alienus à mente Regis oſtenditur.

3. Hinc ergo euidenter concludimus poſtulari à ſubditis Regis Angliæ per illa verba, vt iurent, ſententiam depoſitionis contra Regem neque validam, neque iuſtam eſſe poſſe, nam re vera hoc profitentur, cum iurant, tali

Poſterior ſẽſus à Rege intentus errorem continere oſtenditur.

A ſententiæ non parere, nec illam ſeruare. Vnde vlterius concludimus, ab eiſdem peti, vt iurent, non eſſe in Pontifice poteſtatem ad talem ſententiam ferendam. Probatur, quia non alia ratione credit Rex, & à ſuis ſubditis vult credi, ſententiam illam fore iniuſtam, niſi quia abſque poteſtate, & iurisdictione Papæ ſupra Regem lata ſit; hoc enim iugum confringere, & à ſe tollere his omnibus medijs conatur Rex, & ideo in ſuo libro ſæpe repetit, ſe nihil minus eſſe à Pontifice, & Pontifici nihil negotij eſſe cum illo, & ſimilia. B Nec poteſt aliam rationẽ iniuſtitiæ in tali ſententia Rex allegare, aut prætendere, quæ perpetua ſit, & huic parti iuramenti fundamentum dare potuerit. Nam licet in principio Apologiæ duas alias cauſas ipſe indicet, videlicet, quod diſpar religionis cultus non ſit ſufficiens cauſa, vt ſubditi poſsint contra Regem coniurare, & quod inaudita cauſa damnatus ſit, quas querelas infra tractabo: nihilominus neutra earum eſt vniuerſalis, & perpetua (vt de illarum qualitate modo nihil dicam). Et ita non potuit iuramenti forma in illis cauſis fundari, C tum quia Pontifex nondum breue ſuum ſcripſerat, de quo Rex conqueritur, tum etiam quia iuramentum non loquitur de ſententia iam lata, ſed abſolutè de ſententia facta, vel facienda contra Regem, vel ſucceſſores ſuos; comprehendit ergo omnem ſententiam, ſiue feratur audita parte, ſiuè non audita, ſiue propter diſparem religionem, ſiuè propter quæcunque alia crimina, vel aliam cauſam. Ergo iniuſtitia, quam in illa ſententia Rex ſupponit, & in qua fundauit illam iuramenti formulam, non eſt, niſi quia credit, non poſſe à legitima poteſtate, & iurisdictione manare. D

Concludo igitur, in illis verbis huius iuramenti non tantum poſtulari à ſubditis ciuilem obedientiam, ſed etiam profeſsionem huius erroris, quod Papa non habeat poteſtatem, & iurisdictionem ad ferendam contra Regem depoſitionis ſententiam quacunque ex cauſa, ac ſubinde non eſſe veram illam Regis propoſitionem: *Nihil in eo iuramento contineri, niſi quod ad obedientiam mere ciuilem, ac temporalem ſpectat.* 4.

4. In ea parte iuramenti profeſſionẽ erroris contra fidem includi.

 Et

Et inde vlterius infertur, peccare grauiſsime ſubditos illud iuramentum præſtando. Nam profitentur, & confitentur exterius, Papam non habere iuriſdictionem ſupra Regem, qua poſsit in eum iuſtam ſententiam depoſitionis dicere, quacunque ex cauſa, & quocunque modo illam ferat, ſeruato ordine, quem naturalis iuſtitia poſtularet, ſi poteſtas non deeſſet. Aut enim qui hoc iuramentum exhibet, hoc, quod profitetur, credit, vel non credit, ſi credit, corde, & opere ſchiſmaticus eſt, & in doctrina fidei errat, ſi vero non credit, quod in iuramenti forma continetur, & nihilominus iurat, peccat, tum contra fidei confeſsionem, tum contra religionem iuramenti, ſiue iuret abſque intentione implendi, quod iurat, ſiue cum intentione ſeruandi illud, quia priori modo periurus eſt, poſteriori modo facit iuramentum vinculum iniquitatis, & proponit obedire potius hominibus, quam Deo, promittendo obedire Regi contra iuſtam ſententiam, & præceptum Pontificis.

Quot ibi lateant, peccata!

5. *Excluditur Euaſio.*

Quòd ſi quis dicat, eos, qui ſimpliciter iurant, non intelligere omnia, quæ in illo iuramento continentur. Reſpondemus, excuſationem eſſe friuolam; tum quia non dè perſonarum ignorantia, ſed de iuramenti qualitate, & iuſtitia, vel iniuſtitia tractamus; tum etiam quia ignorantia illa in catholicis vix poteſt eſſe inuincibilis, niſi valde ruſtici, & parum inſtructi in religione ſint, quia literati, & periti facile intelligent errores in iuramento latentes, & qui minus docti ſunt, ſaltem dubitabunt, & tenentur veritatem indagare, & nullus eſt tam ignorans, qui poſsit tuta conſcientia temere iurare, non inquirendo prius, quale ſit iuramentum. Quod maxime in Anglia locum habet, quia cum ſciant omnes catholici, etiam ruſtici, Regē, & Conſiliarios ſuos Pontificem maximo odio proſequi, & fidem Romanam auerſari, & in ipſa iuramenti forma videant, multa cōtra Pontificem abiurari, neceſſe eſt, vt dubitent, qualis illa abiuratio ſit; ergo ſi temere iurant, non excuſantur à grauiſsimis culpis, quas in iuramento ſubeſſe declarauimus. Ac denique cum tale iuramentum cedat in contemptum

A Apoſtolicæ Sedis, & in Religionis Chriſtianæ detrimentum, non poteſt admitti ſine magno ſcandalo, ideoque Paſtores, & Doctores catholici illius Eccleſiæ, quæ in Anglia eſt, non debent tacere veritatem, & ignorantiam ſimplicium permittere, nam in huiuſmodi euentu minus malum eſt, afflictionem temporalem tolerare, vel aliquorum inconſtantium lapſus permittere, quam veritatem occultare, aut diſsimulare.

6. *Sequentia iuramenti verba errorem continent ſimilem præcedenti.*

Atque hic diſcurſus factus circa iniquam abiurationem iuſtæ ſententiæ,
B quæ à Pontifice contra Regem ferri poteſt, applicari etiam poteſt ad ſimilem abiurationem, quæ de omni abſolutione à iuramento fidelitatis, quam Papa ſubditis Regis conceſſerit, fit per illa verba, *Vel quacunque abſolutione dictorum ſubditorum.* Nam hæc verba etiam excedunt obedientiam politicam, quia Papam poſſe, vel non poſſe abſoluere à iuramento, non eſt materia obedientiæ ciuilis, ſed eſt materia Eccleſiaſtica, ſpectans ad interpretationem poteſtatis ligandi, & ſoluendi Petro datæ â Chriſto Domino. Et præterea hæc
C verba ſunt connexa cum præcedentibus, & eundem errorem continent. Quia obligatio obedientiæ in quocunque ordine, vel ſtatu tantum durat in ſubdito, quantum in ſuperiori durat dignitas, ſeu poteſtas, & iuriſdictio, quia hæc ſunt correlatiua, & vnum ab alio pendet. Vnde tam in Prælationibus Eccleſiæ, quàm in Magiſtratibus ciuilibus eo ipſo, quod perſona ſuperior à Prælatione, vel Magiſtratu deponitur, ceſſat in ſubditis obligatio obediendi tali perſonæ, quia iam
D non ſunt illi ſubditi. Quod etiam in ſummo Pontifice locum habet, ſi Pontificatui renunciet, vel propter hæreſim deponatur: ita ergo ſi Pontifex poteſt Regem deponere, poteſt etiam ſubditos ab eius obedientia abſoluere; ergo vt minimum eſt æqualis error in abiuratione omnis abſolutionis fidelitatis per Pontificem factæ, ac in abiuratione omnis ſententiæ depoſitionis.

Alius error ibi incluſus

Addo verô, nouum errorem in hac poſteriori parte inuolui, quia etiam ſine depoſitione à regno, poteſt Pontifex

tifex præcipere ſubditis, vt Regi pertinaci in aliquo errore, vel publico, ac ſcandaloſo crimine, non obediant, & abſoluere illos pro tunc à iuramento obedientiæ per modum ſuſpenſionis obligationis, potius quam abſolutæ priuationis, vt infra tractando de cenſura excõmunicationis tractabimus.

7. Superſunt expendenda vltima verba huius paragraphi, in quibus petitur iuramentum ſpecialis promiſsionis reuelandi omnem proditionem his verbis. *Omnemque operam impendam reuelare, & Maieſtati ſuæ, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis, manifeſtum facere omnes proditiones, & proditoriãs conſpirationes, quæ contra illum, aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditũ meum peruenerint.* Circa hanc ergo promiſsionem aduerto, ſi verba eius in ſimplici, ac proprio ſenſu ſumantur honeſtã eſſe, nihilque continere, quod vel fidelitatem ciuilem excedat, vel ſanæ doctrinæ repugnet. *Proditio* enim grauiſsimũ crimen contra Principem, vel rempublicam læſæ Maieſtatis ſignificat, quod vulgari ſermone *Traycion* vocatur; huiuſmodi ergo proditiones, & proditoriæ cõſpirationes, etiam ſecluſa ſpeciali promiſſione tenentur ſubditi reuelare Regibus ſuis legitimis, tum ex lege charitatis, & pietatis, ac obſeruantiæ erga illos, & rem publicam; tum etiam ex titulo ſubiectionis, & fidelitatis, quam ex ipſa lege naturæ ratione illius ſubiectionis ſuo Principi debent: ideoque hanc obligationem promiſsione, & iuramento firmare, & augere, honeſtũ, & ſanctũ eſt. Oportet autem, vt verba illa, *quæ ad notitiam, vel auditum meum peruenerint*, ſano modo intelligantur de notitia mere humana, & quæ per ſacramentalem confeſsionem comparata non ſit: nam confeſsionis ſigillum in nullo caſu reuelare licèt, vt mox dicam. Et quidem ſi verba huius promiſsionis ſimpliciter (vt dixi) acciperentur, de ſe illam declarationem, & limitationem includũt, quia (inter Chriſtianos, & catholicos præſertim) illa verba iuxta cõmunem eorum ſenſum generaliter, ſeu indefinite prolata non alium ſenſum referunt, nec maiorem obligationem inducunt.

Licitè poſſunt ac debent ſubditi proditionem in principē reuelare.

Limitatio.

8. Quanuis autem hoc verum ſit, ex vi verborum loquendo, & non conſidera-

A tis peculiaribus circunſtantijs, nihilominus his omnibus penſatis, duplex fraus, vel deceptio in iſtis verbis cauenda eſt. Vna eſt, quia nomine *proditionis* Rex non intelligit tantum illam, quæ verè, & in re ipſa proditio eſt, ſed etiam omnē illam, quæ ſuo iudicio, & iuxta præcedentium clauſularum errores proditio exiſtimatur. Itaque etiam ſi Rex ſit per Pontificem legitime depoſitus, & ſubditi ſint à vinculo iuramenti, & obedictiæ Regi debitæ per eundem Pontificē legitimè liberati, & abſoluti, omnem regni, B vel reipublicæ, aut ſubditorum conſpirationem ad depellendum Regem, ſeque ab eius tyrannide (ſi forte eam exercet) liberandum, vocabit Rex proditionem, & proditoriam conſpirationem, cum tamen re vera talis non ſit, ſed iuſta defenſio, vel iuſtum bellum, aut ſupplicium, vt in capite ſequenti oſtendam. Intelligendo ergo proditionem in hoc ſenſu, iniuſta eſt talis promiſsionis exactio, & turpe eſſet, ac ſacrilegum illam iurare, tum quia illa, vt dixi, non eſt proditio, nam in eo caſu potius eſt ſeruanda fides reipublicæ, ſeu communitati ſubditorum vi oppreſſorum, quam C tyranno, qui illos iniuſte premit, cum verè iam non ſit Rex: tum etiam quia tunc obligat naturale ſecretum, ſub quo notitia talis conſpirationis habetur, quia eſt de re iuſta, & neceſſaria ad commune bonum communitatis, quæ iuſte ſe defendit, ideoque promiſsio illi ſecreto contraria neque obligat, neque poteſt eſſe honeſta, ac proinde neque ſancte iurari poteſt. Quo circa illa verba per ſe ſpectata, & ſolitarie, vt ſic dicam, ſumpta poſſent ſuſpicione carere: nihilominus, vt coniuncta præcedentibus, cauenda ſunt, quia hic poſte- D rior ſenſus videtur maxime à Rege intentus.

Si proditiō in ſenſu improprio ſumatũ reueda non eſt.

Nec talis reuelatio licite promitti iuramento poteſt.

Alia fraus eſſe poteſt, quia promiſ- 9.
ſio videtur fieri, etiam ſi per confeſsionem ſacramentalem comparata ſit: hanc enim fuiſſe mentem Regis, & eorum, qui formam illam iuramenti ediderunt, inde colligi poteſt, quod apud illos nulla eſt ſacramentalis confeſsio, & ſigillum confeſsionis pro nihilo ducunt, nullumque diſcrimen inter illam notitiam, & quancunque aliam conſtituunt.

Neque de hac Regis mente multum dubitabit, qui ea, quæ de ſigillo confeſsionis in ſua præfatione pagin. 147. ſcripſit, attente conſiderauerit. Ibi enim licet fateatur, Scholaſticos Doctores ex quo in eccleſia eſſe cæperunt, omnes aſſeruiſſe, quidquid confeſſario ſub confeſsionis velo retegitur, quantuncunque noxia, & periculoſa res ſit, teneri eum cõfitentis nomen celare: nihilominus doctrinã ita proponit, vt illam potius irridere videatur. Ait enim, *ex quo iſti Scholaſtici Doctores in Eccleſia eſſe cæperunt, cæpiſſe etiam antiquæ Theologiæ fundamenta nouis è Philoſophia petitis labefactari*: Significãs, ſententiam illam de ſigillo confeſsionis ad hunc Theologiæ lapſum, ſeu defectũ pertinuiſſe. Sed non ignorat orbis Chriſtianus, huius temporis nouatores Theologiam ſcholaſticã odio habere, vel quia illam ignorant, vel quia eorum errores accuratius detegit, & impugnat. Veruntamen fundamẽta illius doctrinæ, & ſententiæ de ſigillo confeſsionis antiquiora eſſe Doctoribus Scholaſticis, ſemperque eadem in Eccleſia fuiſſe, & nunc eſſe, alibi à nobis ex profeſſo probatum eſt, neque nunc poteſt obiter pro dignitate tractari, neque eſt neceſſarium, cum Rex in citato loco de doctrina illa quoad hanc partem contendere noluerit.

10. Addit vero, neminem antiquorũ ſcholaſticorum inficiari, ſiquid confeſſario patefactum fuerit, cuius occultatio magnum nocumentum poſsit reipublicæ creare, quoties id acciderit, confeſſariũ poſſe, & debere, quanuis hominẽ celet, rem indicare, vt periculo occurrat. Quã doctrinam tam certam eſſe opinatur, vt dicat, contrariam, quam Ieſuitis tribuit, nouum, & periculoſum dogma continere, ita vt neque Rex, neque reſpublica poſsit eſſe ſecura, vbi doctrina illa aſſertores inuenerit. Hanc vero doctrinam eam ob cauſam ibi proponit, & exaggerat, vt Henricum Garnetum tanquam conſcium proditionis non reuelatæ accuſet, illiuſque participem, non admiſſa excuſatione ſecreti confeſsionis, efficiat. Quanuis hac criminatione non contentus addat poſtea, & oſtendere conetur, Garnetum non in confeſsione, ſed extra Sacramentum, cõſpirationis illius notitiam habuiſſe. Sed quod ad factum

Crimẽ Garneto impoſitum.

A Garneti ſpectat, nihil ex certa ſcientia dicere poſſum, quia nec præſens adfui, nec certam illius rei hiſtoriã legere potui. Scio tamen Garnetum, quem per annos plures familiariter cognoui, magnis animi dotibus à Deo ornatum fuiſſe, nã præter ingenij præſtantiam, & egregiã eruditionem, magnum animi candorem, & morum integritatem, ac probitatem in illo ſemper obſeruaui, quam vſque ad mortem cuſtodiſſe, certis indicijs, ac teſtimonijs ſemper intellexi. Quamobrẽ, in ſeruando proditionis ſecreto, ſiue antequam cõprehenderetur, ſiue in confeſ-

B ſione iudiciali præſtanda, magnam prudentiam, fidelitatem, ac veritatem ſeruaſſe, non dubito. Ideoque cum Cardinalis Bellarminus affirmet, teſtes multos, & vnum in primis grauem, & omni exceptione maiorem ſancte affirmaſſe, in ipſo mortis articulo ex ore Garneti audiuiſſe, ſe illius proditionis conſciũ nõ fuiſſe, niſi in confeſsione ſacramentali, vtriſq; fidem adhibendam cẽſeo, ſcilicet, & Garneto neganti ſe aliam notitiam habuiſſe, & teſtibus affirmantibus Garnetum id negaſſe. Neque indignè ferat Rex, ſi fidelium, & catholicorum teſtimonium,

Bellarm.

C hæreticorum, qui ipſi Regi impoſuerũt, teſtimonijs præferamus.

Quod verò ad ius pertinet, ſeu ad doctrinam aſſerentem, rem in confeſſione auditam poſſe ad ingens detrimentũ vitandũ, non reuelata perſona, indicari, dicimus, illam quidem abſolutè veram eſſe, & à Ieſuitis nũquam negatam fuiſſe: nam Bellarminus in ſua Apologia illam ingenuè admittit ca. 13. & Ego in tom. 4. de Pœnit. diſp. 33. ſecretum confeſsionis, & præceptum eius ex profeſſo declarans in ſect. 3. num. 8. expoſui, ſecre-

11.

Res in confeſsione audita, ob rationabilem cauſam, celata perſona, manifeſtari poteſt.

Bellarm.

D tum illud intelligendum eſſe cum relatione ad perſonam peccatoris, & ideo propter vtilitatem poſſe cõfeſſorem loqui de re ipſa tacendo perſonam, quod in ſect. 7. iterum confirmaui, & declaraui. Neque Rex poterit authorem Societatis oſtendere, qui contrariam doctrinam docuerit. Adhibent tamen declarationes neceſſarias, nequis doctrina illa abutatur. Vnam in defenſionẽ Garneti, & Regi reſpondendo, acute ſane, ac prudenter adhibuit Bellarminus noſter, dicens, licere quidem de proditione in cõfeſsione

1. limitatio huius doctrinæ.

feſsione cognita generalibus verbis Principem admonere, vt periculum caueat, ſed tamen intelligendum id eſſe, de Principe in primis catholico, qui religionem confeſsionis ſacramentalis credat, & in debita reuerentia habeat: ac deinde de Principe pio, ac Chriſtiano, de quo præſumi nō poſsit, aliquid vltra fas interrogaturum. Alioqui neque ſacerdos tenetur in tanto periculo, & diſcrimine ſe conſtituere, nec debet, aut licite poteſt ſecretum confeſsionis illi reuelare, quē ſcit, & confeſsionem pro nihilo habere, & omnibus viribus conaturum de perſona proditoris interrogare, & inquirere.

12. 3. limitatio Atque huc ſpectat alia declaratio generalis, doctrinam illam intelligendam eſſe, tunc licere de re ipſa in confeſsione cogitata loqui, quando nec directe, neque indirecte reuelatur perſona. Vnde quia in moralibus periculum euentui æquiparatur, (nam *qui amat periculum, peribit in illo*) ideo qui de re ipſa ita loquitur, vt morali periculo exponat perſonā confitentis, vtique occaſionem moralem præbendo, ſeu parando viam, vt in notitiam eius perueniatur, contra ſigillum agit, nam indirecte ſaltem reuelat perſonam, & ideo id nulla ratione licet. Neq; doctrina hæc ſic intellecta eſt contra Regum, aut regnorum ſecuritatem. Nam potius hæc tanta illius ſecreti religio, & obſeruantia neceſſaria eſt, vt per confeſsionis viam, & per conſilia, & monita confeſſarij remedium aliquod huiuſmodi proditionibus, & iniquitatibus adhiberi poſſet: quod aliâs plane ceſſaret: nā ſi pœnitentes de incolumitate ſua per illud ſecretum ſecuri non fierent, nullus eſſet, qui ſimilia facta in cōfeſsione reuelare auderet. Atque ita potius illi, qui vel confeſsionem irrident, vel eius ſecretum labefactant, Regum, & Regnorum ſecuritati parum conſulunt.

13. Tandem (vt ad punctum noſtrum, à quo digreſsi ſumus reuertamur) cum in formula iuramenti Rex Angliæ promiſſionem à ſubditis exigit, reuelandi omnes proditiones, quæ ad eorum notitiam peruenerint, merito timere poſſunt, imo & credere catholici, ſine vlla diſtinctione id poſtulari, ſiue notitia illa ſit per cōfeſsionem, & ſiue reuelatio proditionis A fiat ſimul cū reuelatione proditoris, ſiue cum morali eius periculo, ſiue quocūq; alio modo. In quo ſenſu etiam illa forma excedit obedientiam ciuilem, & aliquid contra catholicam religionem inuoluit. Ideoque etiam ex hac parte iuramentū illud eſt valde ſuſpectum, ac propterea merito poſſunt catholici, & prudentes viri maiorem illius declarationem exigere, quamuis propter alias cauſas ſimpliciter illud recuſare teneantur.

CAPVT. IIII.

B

Vtrum in tertia parte iuramenti aliquid vltra ciuilem obedientiam, & cōtra doctrinam catholicam contineatur?

POST præcedentia iuramenta additur tertium in hæc verba. *Præterea iuro, quod ex corde abhorreo, deteſtor, & abiuro, tanquam impiam, & hæreticam hanc doctrinam, & propoſitionem. Quod Principes per Papam excōmunicati, vel depriuati poſsint per ſuos ſubditos, vel alios quoſcunque deponi, & occidi.* In his verbis 1. C tria expendere neceſſarium eſt, primū, doctrinam ipſam; ſecundum, quo iure hoc iuramentum à ſubditis exigatur, tertium, quantum hæc verba illis repugnent, quibus Rex promittit oſtendere, nihil in hoc iuramento præter obedientiam ciuilem contineri. Circa primum, quoniam Rex de ſua ſecuritate ſolicitus ſæpe inculcat vulgarem illam quæſtionem, an liceat priuatæ perſonæ, vel ſubditis Regem tyrannum interficere & ab illius vera reſolutione huius, & aliarum partium intelligentia multum pendet, pauca de illa præmittere neceſſariū du- Duplex tyrannorum genus. D xi. Duplex ergo à Theologis tyrannus diſtinguitur, vnus eſt, qui non iuſto titulo, ſed vi, & iniuſte regnū occupauit, qui re vera non eſt Rex, nec dominus, ſed locum illius occupat, & vmbrā eius gerit; alter eſt, qui licet verus Dominus ſit, & iuſto titulo regnum poſsideat, tyrannice regnat quoad vſum, & gubernationem, quia videlicet, aut omnia in proprium commodum, communi contempto, conuertit, vel ſubditos iniuſte affligit, ſpoliando, occidendo, peruertendo, vel alia ſimilia publice, & frequenter

 iniu-

iniuſtè perpetrando. Talis fuit. v. g. Nero, quem inter tyrannos, quos Deus interdũ dominari permittit, numerat Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 19. ſic legẽs illud Prouerbiorum. 8. *Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram.* Et inter Chriſtianos maxime eſt in hoc ordine numerandus Princeps, qui ſubditos ſuos in hæreſim, vel aliud apoſtaſiæ genus, vel publicum ſchiſma inducit.

D. Aug. Prou. 8.

2\. Quæſtio ergo præſens præcipue tractatur de legitimo Principe tyrannicè gubernante, quia Rex Angliæ de his Principibus loquitur, & quia in hoc ordine legitimorum Regum nos illum habemus. Dicimus ergo, Principem propter tyrannicum regimen, vel propter quæuis crimina non poſſe ab aliquo priuata authoritate iuſtè interfici. Aſſertio eſt communis, & certa. Eam docuit D. Thomas in lib. 1. cap. 6. de Regimin. Princip. vbi optimis moralibus rationibus id cõfirmat. Idem tradit Caietan. 2. 2. quæſt. 64. art. 3. vbi alij moderni, & Soto lib. 5. de Iuſtit. q. 1. art. 3. Molin. tom. 4. de Iuſtit. tract. 3. diſp. 6. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 17. & cap. 26. q. 7. & tom. 3. lib. 2. cap. 2. q. 1. & cap. 7. q. 30. Cardinalis Toletus in Summa lib. 5. ca. 6. Et ſummiſtæ communiter verb. *Tyrannus.* Cõſentiunt in hac veritate aſſerenda Iuris periti, Barthol. Alex. Socin. Card. Præpoſit. & alij, quos refert, & ſequitur Gigas tract. de Crim. læſæ Maieſt. q. 65. per totam. Idem tradit Lucas de Penna in l. 1. C. *Ne armorum vſus.* lib. 11. & Cõrad. Brun. tract. de Seditioſis lib. 5. ca. 2. num. 9. & 10. & Thomas Actius opuſc. de Ludo ſcachor. q. 2. num. 50. latè, & bene, pluresque referens Reſtaurus Caſtaldus tract. de Imperat. q. 82. per totã, & Paridius de Puteo tract. de Sindicat. §. *An liceat occidere Regem,* qui hoc intendit, licet confuſe loquatur, vt infra dicam. Couarr. in epitom. 4. Decretal. p. 2. cap. 3. §. 4. num. 6. Eſtque hæc veritas conformis præceptis Petri. 1. epiſt. ca. 2. *Subditi eſtote omni creaturæ propter Deum, ſiue Regi,* &c. Et infra. *Serui ſubditi eſtote Dominis non tantum bonis, ſed etiam diſcolis.*

Princeps licet tyrannice gubernet non poteſt licite priuata autoritate interfici.

S. Thom. Caietan. Soto. Molin. Azor. Tolet. Bart. Alexand. Socin. Gig. Luc. de Pen. Conrad. Brun. Thom. Actius. Reſtaur. Parid.

Couarr. 1. Pet. 2.

3\. Magis vero in ſpecie definita eſt, & contraria, vt hæretica dãnata in Concil. conſtantienſ. ſeſſ. 15. vbi (vt lib. 5. retu-

Conc. Cõſtant.

A li.) damnatur articulus hic. *Tyrannus poteſt, & debet licitè, & meritoriè occidi per quencumq; vaſſallum ſuum, & ſubditũ, etiã per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocunq; præſtito iuramento, ſeu confederatione facta cum eo, non ſpectata ſententia, vel mandato iudicis cuiuſcunque.* Declaratque Concilium, eſſe hæreticos, & vt tales puniendos, qui hunc articulum pertinaciter defenderint. Hæc enim definitio, vt omnes authores moderni intelligunt, procedit de tyranno in regimine non in titulo, & vſurpatione regni, quod ex verbis ipſis licet colligere.

Oppoſita doctrina vt hæretica damnatur.

B Nam vaſallus, & ſubditus proprie dicuntur reſpectu veri Principis, & ſuperioris. Item verba illa: *Non obſtante quocunque præſtito iuramento,* includunt etiam iuramenta legitimè facta veris Regibus, nam verba vniuerſalia ſunt. Vnde nõ eſt dubium, quin author illius articuli ſaltem fuerit vniuerſaliter loquutus de omni tyranno, ſiue in titulo, ſiuè in regimine, vt ex eius verbis, & exaggerationibus conſtat. Itẽ quia ille articulus ex doctrina Vuicleph, & Ioannis Vs ortus eſt, qui dicebãt,

Error Vuicleph & Ioan. Vs.

C Dominos temporales perquodlibet peccatum mortale amittere principatum ipſo facto, & ideo poſſe per ſuos ſubditos ad ſuum arbitrium corripi, vt in eodem Concilio ſeſſ. 8. habetur. Conciliũ autem damnat articulum propter ſuam vniuerſalitatẽ, & præcipitationem, quã ſtatim præ ſe fert in omnibus particulis, & ampliationibus ſuis, præcipueque dãnat illum, quatenus veros Reges, & Principes tyrannicè gubernantes cõprehendit. Poteſt autem etiam extendi ad tyrannum propriiſsimum per iniuſtam regni vſurpationem, & retentionem, ſi cũ

D omnibus illis exaggerationibus temerè aſſeratur, ſcilicet, *non obſtante quocunque præſtito iuramento, vel confœderatione facta cum eo,* nam hoc eſt falſum, & contra rationem naturalem, quæ dictat pacta, præſertim iurata ſeruanda eſſe.

Ratio autem aſſertionis eſt, quia Rex tyrannicè gubernans, vel poſſet occidi à quolibet ſubdito priuato titulo iuſtæ vindictæ, & punitionis, vel titulo iuſtæ defenſionis ſuæ, vel Reipublicæ. Primũ eſt omnino falſum, & hæreticum, quia poteſtas vindicandi, vel puniẽdi delicta 4.

Fundamentum veræ doctrinæ.

non

non eſt in priuatis perſonis, ſed in ſuperiori, vel in tota communitate perfecta; ergo priuata perſona occidens Principẽ ſuum illo titulo, vſurpat iuriſdictionem, & poteſtatem, quam nõ habet; ergo peccat contra iuſtitiam. Maior de fide certa eſt, eamque tradit Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 17. & 18. dicens. *Non licere alicui priuata poteſtate hominẽ occidere nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit*, & cap. 21. & 26. dicens: *Qui aliũ occidit ſine publica poteſtate, eius ve imperio iuſto, homicidam eſſe.* Ratio verò eſt, tum quia vindicta, & pœna delictorum ordinatur ad commune bonum reipublicæ, & ideo non eſt commiſſa, niſi ei, cui publica poteſtas gubernandi rempublicam commiſſa eſt; tum etiam quia punire eſt actus ſuperioris, & iuriſdictionis; ergo ſi à priuato fiat, eſt actus vſurpatæ iuriſdictionis: tum denique quia alias ſequeretur infinita confuſio, & perturbatio reipublicæ, & daretur occaſio ſeditionibus, & homicidijs. Quod ſi hac ratione homicidium eſt, propria authoritate occidere priuatum hominem, etiam homicidam, latronem, & Aſſaſsinum, multò maius crimen eſt, manus in Principem licet iniquum, & tyrannum propria authoritate extendere. Denique alias nulla poſſet eſſe in Regibus, & Principibus ſecuritas, nam facile vaſſalli conqueruntur, quod ab eis iniuſte tractentur.

Aug. de Ciuit.

5\. Alter vero titulus defenſionis, licèt fortaſſe in aliquo caſu poſsit habere locũ non tamen in eo de quo tractamus, ſcilicet, an poſsit Rex occidi à priuato propter ſolam tyrannicam gubernationem. Itaque diſtinguere oportet, an quis defendat ſe ipſum, vel rempublicam. Item ſi ſe ipſum, an defendat vitam, aut membra, ſeu grauem corporis mutilationem, vel tantum defendat bona externa, & fortunæ. Nam propter ſolam defenſionem externorum bonorum, non licebit Regem inuadentem occidere; tum quia præferenda eſt vita Principis his bonis externis, propter dignitatẽ eius, & quia Deum ſingulari quodam modo repræſentat, eiuſque locum tenet. Tum etiam quia Princeps habet quandam ſuperiorem adminiſtrationem bonorum omniũ ſubditorum, & licet in illa fortaſſe excedat, non propterea vſque ad interfec- A tionem illi reſiſtẽdum eſt: ſatis eſt enim, quod ipſe obligatꝰ maneat poſtea ex iuſtitia ad res ablatas reſtituendas, vel compenſandas, & quod ſubditus poſsit illas exigere, prout ſine violentia potuerit. At vero ſi defenſio ſit propriæ vitæ, quã Rex violenter auferre aggreditur, tunc quidem ordinariè licebit ſubdito ſe ipſũ defendere, etiam ſi inde mors Principis ſequatur, quia ius tuendæ vitæ eſt maximum, & tunc Princeps non eſt in neceſſitate, quæ obliget ſubditum ad vitam pro illo perdendam, ſed ipſe voluntariè, & inique in illo diſcrimine ſe conſtituit. B Dico autem *ordinariè*, nam ſi ex morte Regis Reſpublica perturbanda eſſet, alia vè magna incommoda contra commune bonum eſſet paſſura, tũc charitas patriæ, & boni communis obligaret ad nõ interficiendum Regem, etiam cum mortis propriæ diſcrimine; ſed hæc obligatio ad ordinem charitatis ſpectat, de quo nunc non tractamus.

Liceat ne in defenſione propriæ vitæ principẽ occidere.

At verò ſi ſermo ſit de ipſius reipublicæ defenſione, hæc nõ habet locũ, niſi ſupponatur Rex actu aggrediens ciuitatem, vt illam iniuſtè perdat, & ciues interficiat, vel quid ſimile. Et tunc certè C licebit Principi reſiſtere, etiam occidendo illum, ſi aliter fieri non poſsit defenſio. Tum quia ſi pro vita propria hoc licet, multo magis pro communi bono, tum etiam quia ciuitas ipſa, ſeu reſpublica tunc habet iuſtum bellum defenſiuũ contra iniuſtum inuaſorem, etiam ſi proprius Rex ſit; ergo quilibet ciuis vt membrum reipublicę, & ab ea vel expreſſe, vel tacitè motus poteſt rempublicam defendere in eo conflictu, eo modo, quo potuerit. At vero in præſenti non tractamus de illo caſu, in quo Rex actu D infert bellum aggreſsiuum ipſi reipublicæ ad deſtruendam illam, & multitudinem ciuium occidendum, ſed quando in pace regnans, alijs modis rempublicam vexat, eique noxius eſt, & tunc non habet locum defenſio per vim, vel inſidias contra vitam Regis, quia tunc non infertur actualis vis reipublicæ, quam vi repellere liceat. Vnde tunc aggredi Principem eſſet bellum contra illum mouere priuata authoritate, quod nullo modo licet, *quia ordo naturalis, mortalium paci accomodatus hoc poſcit, vt ſubi-*

6. Quid in reipublicæ defenſionem.

D. Aug. *ſuſcipiendi belli authoritatem penes rempublicam, ſeu Principes ſit*, vt dixit Auguſtinus libro vigeſimo ſecundo contra Fauſtum capite 74. Item quia ſicut non licet mala commiſſa ab aliquo per mortem eius propria authoritate vindicare, ita nec licet mala futura, quæ ab eodem timentur, per eiuſdem interfectionem propria authoritate impedire, eſt enim eadem ratio, & in priuatis malefactoribus eſt euidens; idem ergo maiori ratione in Principe locum habet.

7. Tyrannus in titulo licite occiditur. Vt autem doctrinam hanc amplius illuſtrare, & ad propoſitam iurandi clauſulam dictam melius applicare poſſimus neceſſarium prius eſt de altero membro, id eſt, de tyranno in ipſo titulo dicere an præcedens doctrina in illo locum habeat, nec ne. Communiter enim inter hæc duo genera tyrannorum conſtituitur diſcrimen, nam aſſeritur, hunc tyrannum quoad titulum, interfici poſſe à quacunque priuata perſona, quæ ſit membrum reipublicæ, quæ tyrannidem patitur, ſi aliter non poteſt rempublicam ab illa tyrannide liberare. Ita D. Thom. ſentit Diu[9] Thomas in ſecundo diſtintion. 44. quæſt. ſecunda, artic. 2. in corpore, & ad vlt. quem ferè omnes Doctores citati ſequuti ſunt, & videri poteſt Conrr. Brun. tract. de Seditios. li. 6. Cōr. Brun. cap. 3. vbi varia refert exempla, ſunt tamen ex iuſtis, & iniuſtis actibus coaceruata, & ideo non probant ius, ſed vſum. Ratio ergo eſt, quia tunc non occiditur Rex, aut Princeps, ſed hoſtis reipublicæ. Quomodo idem D. Thomas lib. 1. de Regim. Princip. cap. 6. defendit factum Aod, Iudic. 5. qui cum eſſet priuata perſona, Eglon Regem Moab, cui ſeruiebat Irael, interfecit, quia non erat verus Rex populi Dei, ſed hoſtis, Abulen. & tyrannus. Idemq; tradit Abulenſ. ibi Iudit. 13. q. 26. & addit, à quolibet Iſraelita potuiſ Iudic. 4. ſe occidi. Sic etiam Iudith Holofernē in Tull. terfecit, Iudith. 13. Eſtq; ſimile factum Iahel occidentis Siſaram, Iudi. 4. quod laudatur cap. 5. Sic etiam D. Thomas in priori loco approbat ſententiā Ciceronis laudantis eos, qui Cæſarē interfecerunt, qui nō iuſto titulo, ſed per vim, & tyrannidē imperium vſurpabat. Et ideo etiam Doctores dicunt, contra hunc tyrannū non committi crimen læſæ Maieſtatis,

A quia in tali tyranno nulla eſt vera Maieſtas. Dicunt etiam, nomine *Principis* non venire huiuſmodi tyrannum, & ideo decreta, quæ dicunt, non licere Principem interficere, hunc tyrannū non comprehēdere, vt videri poteſt in Gigante tract. Gig. de Crimi. læſæ Maieſt. q. 65.

8. D. Thom. Limitatio. Addit verò ſupra D. Thomas limitationem, nimirum hoc licere, quando nullus recurſus eſt ad ſuperiorem, per quē iudiciū de inuaſore fieri poſſit. Quæ limitatio locū habet maxime quando tyrannis non à ſupremo Principe, ſed ab B inferiori aliquo exercetur. Non enim ſoli Reges, ſed etiam inferiores Domini potētes poſſunt per tyrannidem dominium aliquod, vel iuriſdictionē, vel Magiſtratum vſurpare. Tunc ergo licèt in actu aggreſſionis poſſit populus inuadēti reſiſtere, tamen poſtquā iam facto poſſidet, & dominatur, non poſſunt propria authoritate illum occidere, nec nouum bellum contra eum mouere, ſi poſſunt ad ſuperiorem recurrere. Quia cum habeant ſuperiorem, non licet eis propria authoritate gladium ſumere, minuſque licebit cuicunque priuatæ perſonæ, aliâs omnia perturbarentur, magnaq; confu- C ſio in republica oriretur. Et ob eandem cauſam, etiam quando non eſt ſuperior, ad quem recurratur, neceſſarium eſt, vt tyrannis, & iniuſtitia ſit publica, & manifeſta: nā ſi ſit dubia, non licebit per vim depellere eū, qui poſsidet, cum in dubio melior ſit eius conditio, niſi certum etiā ſit, poſſeſsionē fuiſſe tyrannicam. Præterea, vt licita ſit occiſio talis tyranni, oportet, vt neceſſaria ſit ad libertatem regni obtinendam, nā ſi alia via minus crudeli poſſit tyrannus depelli, non licebit ſtatim eum occidere ſine maiori poteſtate, & cauſæ examinatione. Quæ requiritur vt tyrannus in titulo, licite a priuato occidi poſsit.

D 9 Præterea intelligenda eſt communis ſententia, niſi inter tyrannum, & populum fœdus aliquod, vel tregua, aut pactum iuramento firmatum interceſſerit, vt notauit Abulenſ. ſupra, nam pacta, & Abulenſ. iuramenta etiam cum hoſtibus ſeruanda ſunt, niſi fortaſſe fuerint euidenter iniqua, & coacte facta. Alia etiam limitatio Alia limitatio. adhibēda eſt, niſi eadem, vel maiora mala Bart. rei publicæ timeantur ex interfectione tyranni, quàm ſub illo patiatur. Et ita dixit Barth. tract. de Guelfis, & Gebelli.

n. 9.

n. 9. licere in eo caſu occidere tyrannum propter cõmune bonum, non propter priuatum. Nam ſiquis occidat tyrannũ, vt ipſe potiatur imperio per ſimilẽ tyrãnidem, non excuſatur à culpa homicidij, præter nouã tyrannidem. Item ſi credatur, filiũ tyranni, vel alium ſimilem eius ſociũ eadem mala illaturum reipublicæ, nõ licebit, quia fit malum ſine ſpe maioris boni, & quia tunc re vera non defenditur reſpublica, nec liberatur à tyrannide, quo ſolo titulo illa mors honeſtatur.

Vltima cõditio. Deniq; oportet, vt reſpublica non contradicat expreſſe, nã ſi expreſſe repugnet, tunc non ſolum non præbet authoritatẽ ſingulis perſonis, ſed etiam declarat, defenſionẽ non eſſe ſibi conuenientem, cui in hoc credendũ eſt, & inde cõſequenter fit, vt non ſit licitum priuatæ perſonæ defendere tunc rempublicam per mortem tyranni.

10. Aliorũ ſententia. His verò non obſtãtibus, non deſunt authores, quibus hæc diſtinctio, & ſententia non placeat, ſed indiſtincte dicendum putent, non eſſe licitũ priuatæ perſonæ interficere tyrannũ, ſiue in ſolo regimine, ſiuê etiam in titulo tyrannus ſit. *Caſtr.* Ita ſentit Caſtro li. 14. aduer. hær. verb. *Tyrannus*, quatenus indiſtincte loquitur, & eodẽmodo intelligit Concilium Conſtantienſe, & omnes eius rationes eo tẽdunt. *Azor.* Expreſsius id dixit Azor, dictam cõmunem ſententiã reprobãdo in tom. 2. li. 11. c. 5. q. 10. Fundatur primo quia Conciliũ Lateran. abſolutê, & generaliter de tyranno loquitur. Secundo quia Auguſt. 1. de Ciuit. abſolute etiãdicit, ſine publica adminiſtratione nõ licere aliquẽ occidere. Tertio quia D. Thomas nõ dicit, hunc tyrannũ laudabiliter occidi à quolibet priuato, ſed indefinite, laudabiliter occidi. Quarto quia nullus malefactor iure interfici poteſt, neq; is, qui poſſidet, facto deijci poteſt, niſi prius audiatur, & iudicetur. Nec ſufficit euidentia patrati ſceleris, niſi ſentẽtia præcedat.

11. Eius reprobatio. Sed hæc parum cogunt contra receptam ſententiam. Nam Concilium Lateranen. vt dixi, non definit vniuerſalem propoſitionem negatiuam, nullus tyrannus occidi poteſt, ſed damnat vniuerſalem affirmatiuam, omnis tyrannus occidi poteſt, & non abſolutê prolatam, ſed

A cum multis ampliationibus, & ideo eius definitio reducitur ad hanc indefinitam, non omnis tyrannus occidi poteſt ante ſententiam contra illum prolatam, ex quo nullum argumentum contra communem ſententiam ſumi poteſt. Ad Auguſtinum reſpondeo, illum priuatum hominem, qui huiuſmodi tyrannum occidit, non id facere ſine publica adminiſtratione, quia vel id facit authoritate reipublicæ tacite conſentientis, vel facit authoritate Dei, qui per naturalem legẽ dedit vnicuique poteſtatem defendendi ſe, & rempublicam ſuam à vi, quam ſi- Reſpondetur ad Auguſt.

B milis tyrannus facit. Ad D. Thomam reſpondemus, ſatis clare loqui, nã in corpore illius articuli dicit: *Cum facultas adeſt, poteſt aliquis tale dominium repellere*; in ſolut. verò ad 5. per vocem illã *aliquis*, aperte declarat priuatam perſonam, tum ita interpretando verba Ciceronis de interfectoribus Iulij Cæſaris, tum quia ita concludit. *Tunc enim qui ad liberationem patriæ tyrannum occidit, laudatur, & præmium accipit.* Ad vltimam rationem dicitur, illã procedere, quando aliquis vel in pœnam delicti interficiẽdus eſt, vel priuandus his bonis, quæ poſsidet quiete, &

C ſine cõflictu actuali, formali, aut virtuali; in noſtro autẽ caſu nõ de vindicta, ſed de defenſione agitur, nec tyrãnus quiete poſsidet, ſed per vim actualem, quia licet fortaſſe Reſpublica non moueat bellum, quia non poteſt, nihilominus (vt recte Caietanus notat) ſemper gerit bellum implicitũ, quia renititur, quantum poteſt. *Caietan.*

Hinc verô noua difficultas ſuboritur, quia iuxta doctrinam hanc nulla eſt differentia inter vtrumq; caſum, ſeu tyrãnum. Quia etiam tyrannum quoad titu- 12. Noua difficultas proponitur.

D lum non licet occidere authoritate priuata, ſed publica; hoc autem modo etiã licet occidere Regem tyrannice gubernantem. Vnde argumẽtor vlterius, quia vel tyrannus in titulo, interficiendus eſt ad vindictã ſui ſceleris, vel titulo defenſionis. Priori modo iam dictum eſt, non poſſe interfici â qualibet priuata perſona authoritate priuata, tũ quia punire eſt actus iuriſdictionis, & ſuperioris, vt ſupra dixi, tum etiam quia nec ipſa reſpublica â tali tyranno offenſa poſſet hoc modo illum punire, niſi publico cõſilio,

cognita

cognita cauſa,& ſufficienter iudicata,& ideo vt priuata perſona id faciat, non ſufficit tacitus, vel præſumptus conſenſus reipublicæ, ſed requiritur expreſſa declaratio per ſpecialem,vel ſaltem per generalem commiſsionem. Vnde etiã hoc titulo nõ liceret extraneæ perſonæ priuatæ, imò nec publicæ non habenti iuriſdictionem in talem tyrannum, illum hoc titulo interficere, ſine expreſſa cõmiſsione reipublicæ offenſæ. Si autem hoc tantum licet priuatæ perſonæ titulo defenſionis,ſic nulla eſt differentia inter vtrunq; tyrannum, quia etiam titulo defenſionis licet priuatæ perſonæ occidere Regem verum,tyrannicè inuadentem ſuum proprium regnum, vel ciuitatem,vt diximus. Item illomodo non licet talis interfectio ex poteſtate tacitè conceſſa à republica membris ſuis, ſed ex authoritate Dei,qui per legem naturalem vnicuiq; dedit facultatem defendendi ſe,& patriam ſuam;imô & quenlibet innocentem. Ideoq; hoc titulo occidere tyrannum, non ſolum mẽbris reipublicę,ſed etiã extraneis licet in vtroq; caſu,& tyranno,nulla ergo eſt differentia.

13. Explicatur difficultas. Reſpondeo in primis ad vltimam interrogationem,verum eſſe,tyrannũ ſine iuſto titulo regnum occupantem, non poſſe â quolibet priuato iuſtè interfici per modũ vindictæ, ſeu punitionis, hoc enim conuincunt argumẽta facta in priori membro dilẽmatis. Vnde quoad hoc fateor,nõ eſſe diſcrimen inter hunc tyrannicum Regem, quoad abſolutam rationem iniuſtitiæ, licet reſpectu proprij Regis ſit longê grauius crimen, & læſæ Maieſtatis, quod non eſt reſpectu alterius tyranni, ſed ſimplex iniuſtitia, & vſurpata iuriſdictio. Supereſt ergo, vt tãtum iure defenſionis liceat priuatæ perſonæ hunc tyrannum occidere. In hoc vero eſt magna differentia inter hũc, & Regem prauum. Nam Rex licet tyrannice gubernet, quandiu non mouet actuale bellum iniuſtum contra rempublicam ſibi ſubditam, non infert illi actualẽ vim,& ideo reſpectu illius non habet locum defenſio,neq; vllus ſubditus poteſt hoc titulo illum aggredi, aut bellum cõtra ipſum mouere. At vero proprius tyrannus quandiu regnũ iniuſte detinet,& per vim dominatur ſemper actu infert vim reipublicæ, & ita ipſa ſemper gerit cũ illo actuale,ſeu virtuale bellum, non vindicatiuum,vt ſic dicã, ſed defenſiuũ. Et quandiu contrariũ non declarat,ſemper cẽſetur velle defendi à quolibet ſuorum ciuium; imò etiã à quolibet extraneo,ideoq; ſi aliter defendi non poteſt, niſi interficiendo tyrannum, cuilibet de populo licet illum interficere. Vnde etiã in rigore verum eſt,id non fieri tunc authoritate priuata,ſed publica, vel potius regni volentis à quolibet ciue tanquam â membro, & organo ſuo defendi, vel Dei authoris naturæ dantis cuicunque homini poteſtatẽ defendẽdi innocẽtem. Vnde etiam in hoc non eſt diſcrimẽ inter vtrunque tyrannum, neuter enim poteſt occidi authoritate priuata, ſed neceſsaria ſemper eſt poteſtas publica. Differentia vero eſt, quod hæc poteſtas cenſetur commiſſa cuilibet particulari perſonæ cõtra proprium tyrannum, nõ vero contra proprium Dominum propter diſcrimen declaratum.

14. Altera difficultas. Hinc verò naſcitur noua difficultas præſenti inſtituto neceſſaria. Nam ex hac poſteriori reſolutione de proprio tyranno ſequitur, priorem de Rege tyrannicê gubernante, ſolum procedere ante ſententiam depoſitionis cõtra talem Regem latam; non vero poſt illam, quod male feret Rex Angliæ, & examinatione dignũ eſt. Nam ſequela habet in primis magnum fundamentum in Concilio Conſtantienſi: quia illud tantum loquitur de interficiente Principem tyrannum priuata authoritate, *non expectata ſententia, vel mandato iudicis cuiuſcunque,* ſic enim Concilium Conſtantienſe contrariam aſſertionem damnauit; ergo ſi iudex legitimus talis Regis, quicunq; ille ſit,vel eſſe poſsit,contra illum iuſtã ſententiam tulit,qua eum ipſofacto à regno depoſuit,iam non procedet Concilij definitio. Deinde ceſſat etiam ratio facta, & ita non habebit tunc locum prima aſſertio vt propoſita eſt. Nam tunc iã ſupponitur expectata ſententia iuſta,& legitima,& ſic non procedit aggreſſor authoritate priuata, ſed in virtute ſentẽtiæ,& cõſequẽter vt inſtrumentũ authoritatis publicæ. Deniq; poſtquam Rex legitime depoſitus eſt, iam nõ eſt Rex, neque Prin-

Princeps legitimus, & conſequēter non poteſt in illo ſubſiſtere aſſertio, quę de legitimo Rege loquitur. Imo ſi Rex talis poſt depoſitionē legitimā in ſua ptinacia perſeuerans, regnū per vim retineat, incipit eſſe tyrānus in titulo, quia nō eſt legitimus Rex, nec iuſto titulo regnū poſſidet. Declaratur hoc amplius in Rege hęretico, nā ſtatim per hęreſim ipſo facto priuatur aliquo modo dominio, & proprietate ſui regni, quia vel confiſcatū manet, vel ad legitimū ſucceſſorem catholicū ipſo iure tranſit, & nihilominus non poteſt ſtatim regno priuari, ſed iuſte illud poſsidet, & adminiſtrat, donec per ſētentiā ſaltem declaratoriā criminis condēnetur, iuxta cap. *Cum ſecundū leges* de Hęret. in 6. At vero poſt ſententiā latam omnino priuatur regno, ita vt non poſsit iuſto titulo illud poſsidere; ergo ex tunc poterit tanquam omnino tyrannus tractari, & conſequenter à quocumque priuato poterit interfici.

Qua ratione Rex hæreticus dominio regni priuetur.

C. Cū ſecūdo leges.

15. Difficultatis declaratio.

Hæc difficultas ſupponit, contra Regē ſupremū etiam in temporalibus, poſſe depoſitionis pęnam, & priuationis regni ſententiam ferri, quod Rex Angliæ audire detrectat, eſt autem veriſsimum, & ex principijs poſitis in lib. 3. euidenter colligitur, & in ſequentibus iterum dicetur. A quo vero poſsit talis ſentētia ferri, magna quęſtio eſt, breuiter tamen nūc ſupponimus, poteſtatem hanc deponendi Regē, eſſe poſſe, vel in ipſa republica, vel in Sūmo Pontifice, diuerſo tamē modo. Nā in republica ſolum eſt per modū defenſionis neceſſariæ ad conſeruationē ſuam, vt ſupra lib. 3. cap. 3. dixi. Ideoq; ſi Rex legitimus tyrānicè gubernet, & regno nullum aliud ſubſit remediū ad ſe defendendū, niſi Regē expellere, ac deponere, poterit reſpublica tota, publico, & communi conſilio ciuitatum, & procerum Regem deponere, tum ex vi iuris naturalis, quo licet vim vi repellere, tum quia ſemper hic caſus ad propriam reipublicæ conſeruationem neceſſarius, intelligitur exceptus in primo illo fœdere, quo reſpublica poteſtatem ſuam in Regem tranſtulit. Et hoc modo accipiēdum eſt, quod ait D. Thomas. 2. 2. q. 42. ar. 2. & 3. non eſſe ſeditioſum reſiſtere Regi tyrannicè gubernāti, vtique ſi legitima poteſtate ipſius communitatis, & prudenter ſine maiori populi detrimento fiat. Ita etiam expoſuit idē D. Thomas lib. 1. de Regimin. Princip. cap. 6. & diſcipuli eius Soto lib. 5. de Iuſt. q. 1. ar. 3. Bañez. 2. 2. q. 64. art. 3. dub. 1. Molin. tom. 4. de Iuſt. tract. 3. diſp. 6. Aliqui vero ex Iuriſperitis allegatis cōfuſe in hoc puncto loquūtur, nam Parid. de Puteo ſupra, & Antonius Maſſa tract. contr. Duel. n. 78. & 79. ita hoc affirmant, vt ſingulis etiam ciuibus illā licentiam concedere videantur, è conuerſo autē Reſtaur. Caſtal. dicta q. 82. ita repugnat, vt etiam communitati id negare videatur, ſed iuxta prædicta temperandi ſunt.

Vide Sotū libr. 5. de Iuſt. 4. 1. art. 3. Azor. tom. 2. lib. 21. c. 5. q. 8. & 9.

Reſpublica quādo poſſit regē tyrannice gubernantē regno priuare

D. Thom.

Sot. Ban. Mol.

Parid. Anton. Maſſ.

Reſtaur.

At vero in Sūmo Pontifice eſt hęc poteſtas tanquā in ſuperiori habente iuriſdictionē ad corripiendum Reges, etiam ſupremos tanquam ſibi ſubditos, vt ſupra oſtenſum eſt. Vnde ſi crimina ſint in materia ſpirituali, vt eſt crimen hæreſis, poteſt directè illa punire in Rege, etiam vſque ad depoſitionem à regno, ſi pertinacia Regis, & prouidentia cōmunis boni Eccleſiæ ita poſtulent. Si verò vitia ſint in materia temporali, quatenus peccata ſunt, etiam poteſt illa corripere per directam poteſtatem, quatenus vero fuerint temporaliter nociua reipublicæ Chriſtianæ, indirecte ſaltem poterit ea punire, quatenus tyrannicum Regimen temporalis Principis ſemper etiam eſt ſaluti animarum pernicioſum. 16.

17. Regna Chriſtiana in deponendo rege tyranno à Pontifice pendet.

Imò addendū vlterius, licet reſpublica, ſeu regnū hominum ex ſola rei natura ſpectatum prout fuit inter gentiles, & nunc eſt inter ethnicos, habeat poteſtatē, quam diximus, ſe defendēdi à tyranno Rege, & illum deponendi in eum finem, ſi neceſſarium fuerit: nihilominus regna Chriſtiana quoad hoc habere aliquam dependentiā, & ſubordinationē ad Pōtificem Summum. Primo quia poteſt Pontifex alicui regno pręcipere, vt ſe inconſulto, contra Regem ſuum non inſurgat, vel illum nō deponat, niſi prius cauſa, & ratione ab ipſo cognita, propter moralia pericula, & animarū diſpendia, quæ in his tumultibus popularibus moraliter interueniūt, & ad vitandas ſeditiones, & iniuſtas rebelliones. Vnde in hiſtorijs legimus, ferè ſemper regna in huiuſmodi caſibus Pontifices conſuluiſſe, vel etiam ab eo petiuiſſe, vt Regem ineptum

C. Alius. Duar. Nunes 1. part. Chronicę in Sancio. 2. alias Capello. cap. Gran.

ineptum, vel tyrannum deponeret. Vt de Chelderico Rege Galliæ tempore Zachariæ Papę, cap. *Alius*. 15. quæſtio. 6. & de alijs ſupra lib. tertio, cap. 23. relatū eſt, & de Rege Luſitanię *Sancio* Secundo, tempore Innocentij Quarti referunt latè Luſitanę hiſtoriæ, fuiſſe à Pontifice ab adminiſtratione Regia depoſitum, licèt nō regno priuatū, vt refertur etiam in cap. *Grandi*, de Supplend. neglig. Prę latorum, in ſexto. Secundo pendet regnum Chriſtianum à Pontifice in hoc, vt poſsit Pontifex non ſolum conſulere, aut conſentire, vt regnum Regem ſibi pernicioſum deponat, ſed etiam pręcipere, & cogere, vt id faciat, quando ſaluti ſpirituali regni, & pręſertim ad vitandas hæreſes, vel ſchiſmata neceſſarium eſſe iudicauerit. Quia tunc maxime habet locum vſus poteſtatis indirectę circa temporalia propter ſpiritualem finē, & quia poteſt per ſe immediatè Regem deponere in tali caſu; ergo poteſt cogere Regnum, vt id exequatur, ſi neceſſarium ſit, aliàs eſſet eius poteſtas non ſolum inefficax, ſed etiam inſufficiēs. Denique, quia tale præceptū in illo caſu iuſtiſsimū eſt.

Vide Azor tom. 3. lib. 2. cap. 7. q. 30. Caſtro. lib. 2. de Iuſta hæreti. punit. cap. 14.

18\. Poſt iuſtam ſententiam declaratoriā quo modo Rex puniri queat.

Hoc ergo ſuppoſito fundamento dicendum eſt in puncto vltimo propoſito, poſt ſententiam condemnatoriam Regis de regni priuatione, latam per legitimam poteſtatem, vel quod perinde eſt poſt ſētentiam declaratoriam criminis habentis talem pœnam ipſo iure impoſitam, poſſe quidem eum, qui ſententiam tulit, vel cui ipſe commiſerit, Regem priuare regno, etiam illum interficiendo, ſi aliter non potuerit, vel ſi iuſta ſententia adhāc etiam pœnam extendatur. Non tamen ſtatim poſſe Regem depoſitum à qualibet priuata perſona interfici, imò neque per vim repelli, donec ei præcipiatur, vel generalis hæc commiſsio in ipſa ſententia, vel iure declaretur. Prior pars euidenter ſequitur ex præcedenti principio: nam qui poteſt aliquem iuſte condemnare, poteſt etiam pœnam exequi, per ſe, vel per auxilia ad id neceſſaria, alias fruſtra eſſet illa poteſtas dicendi ius ſine poteſtate efficaciter coactiua. Atque hac ratione, vt ait Auguſtin. lib. 1. de Ciuit. cap. 26. recte facit miniſter Regis interficiendo hominem ex præcepto Regis, quia tunc magis poteſtatem Re-

Auguſt.

A gis, quam ſuam exequitur. Ita ergo quādo reſpublica iuſte poteſt Regem deponere, recte faciunt miniſtri eius Regem cogendo, vel interficiendo ſi ſit neceſſe, quia iam non poteſtate priuata, ſed publica operantur. Sicq; recte dixit Soto lib. 5. de Iuſtit. quęſt. 1. ar. 3. licet Rex in ſolo regimine tyrānus, non poſsit à quolibet interfici, *Lata vero ſententia quiſq́; (in quit) poteſt inſtitui executionis miniſter*. Eo dēq; modo ſi Papa Regem deponat, ab illis tantum poterit expelli, vel interfici, quibus ipſe id commiſerit. Quod ſi nulli

Soto.

B executionem imperet, pertinebit ad legitimum in regno ſucceſſorem, vel ſi nullus inuentus fuerit, ad regnum ipſum ſpectabit. Et ita tradunt Doctores, ſeruandum eſſe in crimine hæreſis, quando Rex hæreticus per publicā ſententiā regno priuatus declaratur, vt videri poteſt in Caſtro lib. 2. de Iuſt. hæret. punit. cap. 7. Siman. de Cathol. inſtit. tit. 46. n. 75.

Caſt. Simā

19\. Priuatum propria authoritate nō poſſe morte dānatum occidere.

Atque ex his facile probatur altera pars, quia licet aliquis ſit ad mortem iuſte damnatus, non poteſt quilibet priuatus ſuo nutu illum occidere, niſi præcipiatur ab habente authoritatem, vel aliter moueatur, quia nemo poteſt alium

C occidere, niſi vel ſuperior habēs in ſe talē poteſtatem, vel miniſter eius: non poteſt autem dici miniſter, niſi à principali poteſtate moueatur. Quod ſi hoc verum eſt reſpectu cuiuſcumque malefactoris, maiori profecto ratione reſpectu Principis procedet. Dicet forte aliquis, ſufficere motionē implicitam, ſeu tacitam reipublicæ, quæ eo ipſo, quod Regē depoſuit, vult, ab omnibus expelli, & cogi, & ſi reſiſtat, etiā occidi. At hoc falſum eſt, & cōtra rationē cogitatū, ſeu fictum: nā iudex condēnans priuatū hęreticum, vel

D malefactorē, non ſtatim facit omnibus facultatē in illū animaduertendi; ergo nec reſpublica, vel Papa Regē hęreticū, vel aliter tyrannicū condēnans, omnibus talē licentiā concedit, etiā tacitè, vel implicite. Nulla enim iuſta ratione poteſt præſumi magis hæc licentia cōtra Principē, quàm contra alios: nam ſemper eſt neceſſaria prudentia, & iuſtus modus in ipſa executione, & maius periculum eſt turbationis, & exceſſus in coactione perſonæ Principis, aut Regis, quā cæterarū. Vnde ſi Papa aliquē Regē per ſententiā declaret

declaret hęreticũ, & à regno depoſitũ, & de executione nihil amplius declaret, nõ ſtatim poteſt quilibet Princeps cõtra illũ mouere bellum, quia nec eſt illo ſuperior in tẽporalibus, vt ſupponim⁹, nec ab ipſo Papa illam poteſtatẽ accipit ex vi ſolius ſentẽtiæ. Et ideo (vt dicebam) ſolus legitimus ſucceſſor eius, ſi Catholicus ſit, habet tunc illã facultatẽ, vel ſi ipſe negligat vel nullus ſit, cõmunitas regni in illo iure ſuccedet, dũmodo ſit catholica. Ipſa vero petẽte auxiliũ ab alijs Principibus, illud pręſtare poterunt, vt per ſe conſtat. Si autẽ Pontifex (quod ſępius feciſſe, exemplis oſtenſum eſt in lib. 3.) alijs Regibus poteſtatem tribuat inuadendi tale regnum, tũc iuſtè fieri poteſt, quia neq; deeſt iuſta cauſa, nec poteſtas.

20. Ex doctrina tradita conuincitur error in iuraméto incluſus.

Ex hac ergo vera, & certa doctrina manifeſte conuincimus, tertiam partem iuramenti ex varijs capitibus exceſſum poteſtatis, iniuſtitiam contra bonos mores, & errorem contra veram, & Catholicam doctrinam continere. Primum probo, nam qua authoritate cogit Rex ſuos ſubditos ad iurandum, vt hæreticam propoſitionem, quam Eccleſia Catholica hactenus nõ dãnauit? Si enim Rex dicat, eſſe dãnatam in Con. Cõſtantienſi, inprimis nõ poteſt conſtanter hoc dicere, cũ authoritatẽ Conciliorũ pręſertim modernorũ ꝓ nihilo habeat. Deinde vbi legit in Cõc. Conſtantienſi particulã illam, *Principes per Papam excommunicati, vel depriuati?* aut illam, *Per ſuos ſubditos, vel alios quoſcumque?* Cum ergo hæ particulæ additæ illi propoſitioni, reddant illam, & ſententiam eius longè diuerſam, fallaci, & illuſoria illatione talis propoſitio Concilio tribuitur. Quod ſi non Concilij authoritate, ſed ſua Rex damnat propoſitionem illam, excedit proculdubio, & abutitur poteſtate, quam non habet. Et pręterea mirabile eſt, quod ſępe contẽnat Papæ poteſtatem ad definiẽdas res fidei, & ipſe illã ſibi audeat arrogare, nam licet verbis hoc non dicat, facto profitetur. In quo etiam parum ſibi conſtat. Nam alibi gloriatur in eadem Apologia, ſe non cudere nouos fidei articulos more Pontificiũ. Denique cum ipſe nihil putet eſſe de fide, niſi quòd in Scriptura continetur, oportet, vt nobis oſtendat in Scriptura, vbi ſit illa propoſitio vt hæretica damnata, vel contraria diuinitus reuelata, vt illa pro hęretica habenda ſit. Certe licet Paulus dixerit, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, nunquam addidit, etiam poteſtatibus excommunicatis vel depriuatis à Papa omnes ſubditi ſint, neque vnum ex alio colligi poteſt, cum ſint longe diuerſa, ne dicam veluti oppoſita, nam Rex depriuatus iam non eſt ſublimior poteſtas. Atque hinc vlterius concludo, profeſsionẽ illius iuramenti quoad hanc partem eſſe quandam confeſsionem Regiæ authoritatis, & poteſtatis, tum ad damnandas propoſitiones vt hęreticas ad libitũ ſuum, tum ad proponendum fidelibus authenticê, quid credere de fide debeant, vel tanquam hæreticam proteſtari; quod ex parte Regis eſt exceſſus, & vſurpatio poteſtatis ſpiritualis, & ex parte profitentium tale iuramentum eſt quædam virtualis profeſsio falſæ fidei.

Præterea ex ipſis verbis apertiſsimè conſtat, Regem in hoc iuramento non ſolam obedientiam ciuilem, ſeu iuramentũ eius exigere. Nam ſub iuramento deteſtari propoſitionem aliquã vt hæreticã, plane excedit obedĩentiam ciuilẽ, quæ eſt longe inferioris ordinis â Chriſtiana fide. Maxime quãdo tale pręceptum nouum eſt in Eccleſia, ita vt Rex non ſolum cogat Chriſtianum ſubditum ad deteſtandam propoſitionem alias damnatam ab Eccleſia (quod interdũ poteſt facere Catholicus Rex modũ debitum ſeruando) ſed etiam cogat ad deteſtandam propoſitionem, quam ipſe denuo ſua authoritate condemnat; vt nunc Rex facit. Vnde ſatis etiam probatum relinquitur, iniuſtum eſſe hoc iuramẽtum ex parte Regis, quia multis modis excedit poteſtatẽ ſuam, & ita eſt violenta coactio, & alienę iuriſdictionis vſurpatio. Ex parte vero fidelium etiam eſt iniuſtum illud acceptare, vel generali ratione, quia vel iurarẽt rem illicitam, vel mendaciũ, nam ſi credant eſſe hæreticam propoſitionem illam propter ſolam Regis authoritatem, vel propter hoc ſolum damnabile eſt, multoque magis, quia propoſitio illa, quæ ſic damnatur, veriſsima eſt, & ex veris principijs fidei certa, vt in libr. 3. probatum eſt. Si autem abiurent exterius talem propoſitionem, quam mente

21. Hoc ipſum ex verbis iuramenti cõuincitur.

Altera ratio

te non credũt eſſe hereticã, manifeſtum periu riũ cõmittunt, vt per ſe notũ eſt. Et vltra hoc continet talis profeſsio ſpecialem, & propriam iniuriam contra Pontificem, cuius poteſtatem, & obedientiam propter timorem humanum abnegant.

22. Duplex error inclusus in 3. parte iuramenti.

Tandem facile intelligitur ex his, partẽ hanc iuraméti doctrinam etiam erroneam inuoluere. Vnus error eſt, in Pontifice non eſſe poteſtatem ad deponendũ Regem hereticum, vel ſchiſmaticum, & regnũ ſuum ad idem ſchiſma, vel eandẽ hæreſim pertrahentem, vel peruertentẽ. Huius enim erroris profeſsio precipue, magiſq; directe per illa verba fit, quam per alia, vt cuilibet legenti ſtatim patebit, & in ſuperioribus multipliciter eſt probatum. Alter error minus quidẽ verbis expreſſus, in ipſa verò ſententia latẽs, & virtute cõtentus eſt, in his, quæ ad fidei doctrinã, & deteſtationẽ hæreſum pertinent, poſſe temporalẽ Regem fidem etiã iuratam à ſuis ſubditis exigere. Imò etiam in hoc eſſe præferendam ſententiã Regis ſententiæ Pontificis. Quæ ſane virtualis quædã profeſsio eſt Primatus Regis temporalis in ſpiritualibus, ſeu Eccleſiaſticis, nihil enim maius eſt in Petri Primatu, nec magis ad conſeruationem Eccleſię, eiuſq; vnionẽ neceſſariũ, quàm in proponendis rebus fidei, & hæreſibus damnandis ſuprema authoritas, quam in illis verbis ſibi Rex Angliæ arrogat; ergo profeſsio talis iuramenti eſt manifeſta ſchiſmatis, & erroris profeſsio: tenentur ergo veri catholici in conſcientia illud reſpuere.

CAPVT V.

De vltima parte iuramenti, & erroribus in ea contentis.

1. IN vltima iuramenti parte fere ijdem errores repetuntur, & ideo vix aliquid addendum circa illam ſupereſt, quia vero partim declarantur, & exaggerantur magis, partim etiã prauitas iuramenti augetur, ſingula breuiter notanda, & ita exponẽda ſunt, vt ab omnib⁹ facile intelligãtur. Primo ergo iterũ abiuratur Põtificis authoritas, & poteſtas his verbis. *Et vlterius credo, & in conſcientia mea reſoluor, quòd nec Papa, nec aliusquicumque*

In vlt. parte iuraméti errores ſupra poſiti repetuntur & exaggerãtur,

A *poteſtatem habet me ab hoc iuramento, aut aliqua eius parte abſoluendi.* In his verbis affirmatur aperte hæc propoſitio: *Papa non poteſt ſubditos Regis temporalis à iuramento fidelitatis abſoluere.* Quia quod de hoc iuramento affirmatur, non eſt propter peculiarem eius rationem, nec propter dignitatem, quæ in Rege Angliæ maior ſit, quam in alijs temporalibus Regibus, vt eſt per ſe notum, & Rex ipſe in ſua Præfatione aperte profitetur. Cum autem dicitur, *Papa non poteſt, &c.* intelligitur ſimpliciter, id eſt, nullo modo, nulla ex cauſa, in nullo ve caſu, hoc enim ſi-

B gnificãt illa verba ſecundum planum, ac cõmunem ſenſum, & intellectum eorũ, quomodo vult ipſe Rex paulo inferius verba huius iuraméti accipi. Preter quã quod ex fine iuramenti, & ex prima eius parte ſatis clarum eſt, hanc eſſe Regis mentem.

Sic autem propoſitio illa heretica eſt, quia eſt contra poteſtatem ligandi, & ſoluendi datam Petro, prout illam ſemper intellexit, & exercuit Catholica Eccleſia. Sic enim ſubditi heretici cuiuſcumq; eo ipſo, quod per ſentẽtiam legitimã pu- 2. Poteſt Pontifex ſubditos hæretici à iuraméto fidelitatis abſoluere.

C blicè denunciatur hereticus, à iuraméto fidelitatis abſoluuntur ex decreto Gregorij. IX. in cap. vlt. de Hæreticis, illiuſque pœnæ & poteſtatẽ, & iuſtiſsimam rationẽ explicat D. Thom. 2.2. q. 12. ar. 2. Similimodo abſoluitur quis à vinculo iuramenti fidelitatis præſtiti Domino, qui publice excõmunicatus, ac denunciatus eſt, per Vrbanũ. II. in ca. vlt. 15. q. 6. & Gregorius. VII. cum Romana Synodo in cap. *Nos Sanctorũ* ibidem. Vbi non omnino, & ſimpliciter vinculũ iuraméti tollitur, ſed quaſi ſuſpenditur pro eo tempore, pro quo excõmunicatus in cenſu-

Gregor. ix.

D. Thom.

Vrban. II

Gregor. 7.

D ra cõtumax perſeuerat. Quod ſecus eſt, quando Rex, vel Princeps propter hæreſim, vel alia crimina deponitur, & priuatur regni dominio, tunc enim omnino tollitur, & quaſi irritatur iuramentum, eius materia ſubtracta. Atque hoc modo Innocentius. IIII. cum Concilio Lugdunenſi abſoluit à iuramento fidelitatis vaſſallos omnes Imperatoris Friderici, & alia exempla ſupra poſita ſunt, quibus antiquus, & vniuerſalis ſenſus Eccleſiæ oſtenditur, qui eſt optimus Scripturæ interpres. Nam, ſi de cõſuetu-

Innoc. 4.

lib. 3. c. 23

ſuetudine humana dicũt omnia iura, eſſe optimam legum humanarum interpretem, cur legis a Chriſto latę, & poteſtatis ligandi, & ſoluendi ab eodem, Petro tributæ non erit optima interpres vniuerſalis, & antiquiſsima Eccleſię conſuetudo & talis poteſtatis vſus. Quam poteſtatẽ ijdem Pontifices, qui illa vſi ſunt, ſũma authoritate, & doctrina defenderũt. Præſertim Gregorius. 7. lib. 8. Regiſtri, epiſt. 21. & Innocentius 3. in epiſt. ad Ducem Caringiæ, in cap. *Venerabilem*, de Elect. & Bonifacius 8. in Extrauag. *Vnam Sanctam*, de Maiorit. & obedientia.

Gregor. 7. Innoc. 3. Bonif. 8.

3. Quod ſi Rex propoſitionẽ hãc in Scriptura fundatam, Pontificũ, & Conciliorum authoritate declaratam, & cõmuni hactenus conſenſu receptam non credit, quo iure, qua ve authoritate cogere vult omnes ſubditos ſuos ad contrariam falſitatem credendam, & ore affirmandã, & iuramento firmandã? aut quomodo poſſunt ipſi *in conſcientia reſolui*, vt in iuramẽto dicitur, ad id credendum, & iurãdum, ſine alia ratione, vel motiuo? niſi credãt, maiorem authoritatem habere ſolum Regem cum ſuis miniſtris ad ſuum errorem confirmandum, eiuſque fidem exigendam, quam habuerit Romana, & vniuerſalis Eccleſia cum Pontificibus ſummis tam conſtanti traditione, & conſenſu id tradentibus. Quod ſi hoc Rex intendit, & ad hanc fidem ſuos obligat, fateatur neceſſe eſt, in hoc iuramento non pro temporali tantum iuriſdictione, ſed pro Primatu ſpirituali pugnare.

4 Eadẽ veritas alia ratione cõfirmatur.

Quod alio etiam modo euidenter declaro. Nam contra rationem naturalem eſt dicere, non poſſe quempiam abſolui à promiſsione iuramento cõfirmata per materię mutationem, illam auferendo, & quaſi irritando. Nam licet quis iuramento promiſerit reddere depoſitũ, ſi alter cedat iuri ſuo, depoſitarius iuramento abſoluetur. Vnde ſi talis mutatio per ſuperiorem poteſtatem fiat, æquè tolletur fidelitatis obligatio. Quod etiam Triphon. I. C. agnouit in L. *Bona fide*, ff. depoſiti, dicens, ſi quis accepit depoſitum ſub fide reddendi illud Domino, & Dominus poſtea à Prætore dãnatus ſit, eiuſque bona fuerint publicata, liberari depoſitarium à fide reddendi depoſitum eidem Domino, & in publicum illud de-

L. *Bona fide ff. depoſiti.*

A ferri debere. Quia vt infra dicit, *Ratio iuſtitiæ poſtulat, vt fidelitas ſeruanda in cõtractu non ſit ſpectanda ex ſolo reſpectu inter contrahentes, ſed etiam reſpectu aliarum perſonarum, ad quas id, quod geritur pertinet.* Quod maxime verum eſt, vbi authoritas ſuperioris, & publicum bonum interuenit. Neque dubitabit, vt opinor, Rex, ſimilem poteſtatem in regno ſuo exercere, ſubditum, verbi gratia, in crimine læſæ Maieſtatis inuentum bonis priuando, & conſequenter actiones omnes, ſeu promiſsiones omnes illi factas, B vel in ſe, aut fiſcum ſuum traſferendo, vel certe omnino eas ſimpliciter irritando, ſeu debitoribus condonando, vel remittendo, ex quo neceſſario ſequitur, vt licet eſſent iuramento confirmatæ, debitores à iuramento abſoluti maneant. Ergo negari non poteſt, quin hic modus abſoluendi à iuramento honeſtus, & validus eſſe poſsit, ſi in abſoluente ſit poteſtas, vel de materia iuramenti, vel de iure creditoris, ſeu Domini, aut promiſſarij diſponendi. Ergo vel poteſtas abſoluendi vaſſalos à iuramento facto Regi hæretico, vel pernicioſo ſubditis Chri- C ſtianis, iniuſtiſsimè, & contra omnem rationem negatur Summo Pontifici: vel non ex alio fundamento negatur, niſi quia non creditur habere poteſtatem ad coercendos, & puniendos Reges temporales. Et ita hęc pars ad ſuperiores reuocatur, & aperte continet profeſsionẽ erroris contra Primatum Pontificis, & aſſertionem hæreticam de Primatu Regis, eiuſque abſoluta exemptione ab obedientia Pontificis, maximè quoad vim coactiuam per temporales pœnas.

Deniq; non omittã aduertere (quia Rex non generatim de iuramẽto, ſed de D hoc iuramento loquitur) in vero, & Catholico ſenſu, menti tamẽ Regis cõtrario dici potuiſſe, neminẽ poſſe ab illo iuramẽto iurantẽ abſoluere, quia videlicet, nemo abſolui poteſt propriè, qui ligatus nõ eſt: illud autem iuramentum non ligat iurantem, quia non poteſt iuramentum eſſe vinculum iniquitatis, quale illud eſſet: & ideo nemo poteſt ab illo ſolui. Nihilominus tamen poteſt declarari abſolutus, ſeu non ligatus, quod ſpeciali authoritate, poteſt facere Pontifex, ſatiſque id fecit, quando declarauit, iuramentum eſſe illicitum

5. Iuramentũ hoc ex ſenſũ obligare.

citum,& æternę ſaluti contrarium. Inde enim non ſolum ſequitur, non eſſe præſtandum, ſed etiam ſi factum ſit, non eſſe obſeruandum. Vnde fit etiam, vt in alio ſenſu poſsit Pontifex ab illo iuramento iam facto abſoluere, id eſt, à peccato in talis iuramenti exhibitione commiſſo, dūmodo digna illius pœnitentia tanquam neceſſaria diſpoſitio præcedat.

6. Iurandi hęc forma Regi ſupremā poteſtatem ſpirituale tribuit.

Secundo in eadem parte fit confeſsio ſupremæ poteſtatis Regiæ in ſpiritualibus, eiuſq; exemptionis â Summo Pontifice his verbis. *Quod iuramētum agnoſco, recta, ac plena authoritate eſſe mihi legitime miniſtratum.* Et poſtea his verbis iuramēto cōfirmatur. *Hæcq́, omnia plane, & ſyncere agnoſco, & iuro.* Quod enim illa confeſsio in verbis illis contineatur, conſtat primo ex illis particulis *plena authoritate,* quamuis enim ex induſtria vox *ſuprema* vitata ſit, ne forte ſimpliciores deterreret, nihilominus vox *Plena* ex mente Regis ſatis ex toto dicurſu intellecta, pro æquipollenti poſita eſt, nō enim dicitur eſſe ex plena authoritate illud iuramentum, niſi quia nulla eſt inter homines poteſtas, quę illud impedire, prohibere, aut auferre valeat, hæc autē eſt ſuprema poteſtas. Deinde cum iuramentum ipſum ſit expreſſe contra Papę poteſtatem, cū additur eſſe plena poteſtate legitime miniſtratum, euidenter ſignificatur, poteſtatem Regiam iuramentum miniſtrantem eſſe vel ſuperiorem poteſtate Papæ, vel illi æquiualentē. Quod ergo Rex in alijs locis expreſſe profitetur, hic tecte, & in ipſo vſu poteſtatis vſurpatæ inuoluit. Vnde qui tali iuramento conſentit, plane iurat, actum vſurpatæ poteſtatis, eſſe actum legitimæ poteſtatis, quod eſt apertum periurium, & confeſsioni Catholicæ fidei contrarium. Ac denique ex his etiam verbis cōuincitur Rex, non exigere in hoc iuramento ſolam obedientiam ciuilem, cùm recognitionem, & confeſsionem plenariæ poteſtatis ſuæ ad decernendum contra poteſtatem Papę expoſtulet.

7. In vltimis iuramēti verbis iteratur ꝓfeſsio omnium errorum præcedentium.

Tertio in vltimis verbis nouū iuramētùm additur huius tenoris, *Hancq́, recognitionem, & agnitionē facio cordialiter, voluntarie, & vere, in vera fide Chriſtiani viri, ſic me Deus adiuuet.* Quę eſt noua confirmatio, & repetitio omnium pręcedentiū

A errorū, & confeſsionis, nō ſolū externæ, ſed etiam internę eorum, vt iurans vel ab interna infidelitate, vel à periurio excuſari non poſsit. Et præterea expēdo particulam illam *voluntarie*, quæ apertum mendaciū inuoluit, quod ſufficit, vt ſine periurio iurari à Catholicis non poſsit. Nam eſt euidens, ipſos non voluntarios, ſed coactos minis, & terroribus iuramētum pręſtare. Quia vt ipſemet Rex paulò antea dixerat eos, *ſi tali iuramento renuntient, in diſcrimen amiſsionis vitæ, & fortunarum miſere cōpingi, & contrudi*, quo- Ex alio capite oſtēditur ibi periuriū committi. *in Apolo. pa.5.*

B modo ergo verè iurare poſſunt, ſe voluntariè tale iuramētū pręſtare? Illud enim *voluntariè* ibi nō ſignificat quācumq; volūtatem, ſed illam, quæ metu graui, & potenti violētia humana coacta no eſt, quâq; iurans haberet, etiam ſi nō cogeretur, ſciunt autem Catholici ſe non habere talem voluntatem, & Rex ipſe hoc nō ignorat; ergo ex hoc etiam capite iuramentū iniquum eſt, quod periurium in hoc inuoluit, & exigit.

CAPVT. VI.

C *Rationes, quibus iuramentum defenditur, expenduntur.*

HActenus *partite, & minutatim*, vt, optare ſe eiſdē verbis Rex declarauit, iuramentū refutauim⁹, eiuſque deformitates oſtēdimus: nunc ne cōtra inauditā partē, quę Regis etiā eſt querimonia, ſententiā dicere videamur, neceſſariū duximus, quidquid in defenſionē iuramenti vel Rex indicat, vel nos cogitare potuimus, in examen adducere, vt inde euidentius conſtet, augeri potius inde iurameuti damnationem, quam defendi, vel excuſari. 1.

D Primo ergo obijci nobis poteſt authoritas Regia, quæ verbis expreſsis, ac ſępius repetitis, nihil aliud, quā obedientiā ciuilē, eiuſq; profeſsionē â ſubditis ſuis per iuramentū illud exigere voluiſſe affirmat. Ita repetit ſępe tam in Apologia, quam in Pręfatione. Nā in pag.4. ſe, inquit ſatis oſtēdiſſe, nihil vltra per iuramentū deſideraſſe, quā vt de ſubditorū fide, & cōſtātia ſecurus fieret, *quā propter cōſcientiā*, ait, *mihi præſtare tenebātur.* In Pręfatione ſępius, & apertius nō ſolum id affirmat, ſed 2. Regis fundamenta. *pag.11.12 13.& 14.*

etiam

etiam probat hoc fere modo: Cum Parlamentum inferioris domus clauſulam inſeruiſſet iuramento, *qua Pontifici excommunicandi mei poteſtas adimebatur, illam protinus deleri volui*; ergo hinc licet colligere, *quanta ſolicitudine cauebam, ne quicquam hoc iure iurando cõtineretur, præter fidelitatis illius, ciuiliſque, & temporalis obedientiæ profeſsionem, quam ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit.* Probatio huius illationis talis ex eodem loco colligitur, quia ſublata à iuramento abiuratione poteſtatis Pontificis ad Regem excommunicandum, nihil in eo relinquebatur præter ciuilem obedientiã, & fidelitatem. Nam ſiquid argui poteſt, maximè, *quod abdicandorum Regum ius Pontifici denegatur, & abiuratur; at hoc iuſtiſsimum eſt, nec excedit ciuilem fidelitatẽ; ergo.* Probatur minor primò, quia tale ius *nullo legitimo modo Pontifici eſt acquiſitum, ſed per Paparum iniuſtam vſurpationem, & violentiam ſecularem vendicatum,* quod in Præfatione ſępe repetit, & prę-ſertim pagin. 22. ait, probandum in Apologia ſumpſiſſe, illam vſurpationem Põtificum cum Scripturis, Concilijs, & Patribus repugnare. Secundo quia talis abdicatio, ſeu depoſitio Regum, *excommunicationis, quæ ſpiritualis cenſura eſt, fines longè, lateq́; excedit,* non poteſt ergo excommunicatio Pontificis iuſtam, ac legitimam cauſam ſubditis miniſtrare, vt quicquam in Regem, vel eius imperium moliantur. Hæc ferè Rex in illo loco.

3. Tria conſéctaria inde deducta.

Et ex hoc fundamento tacite infert, tum ibi, tum in alijs locis, non poſſe ſubditos abſolui per Pontificem ab obediẽtia ciuili debita Regi, quia non poteſt Pontifex deponere Regem à gradu, & dominio ſuo, ergo nec poteſt facere, quin obedientia illi debeatur, quia iure naturali debita eſt, quod ius Papa tollere non poteſt. Hoc eſt enim, quod illis verbis Rex ſignificare voluit, *quam ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit.* Simili modo infert, non poſſe Pontificem ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluere, quia materia illius iuramenti, quæ eſt obedientia ciuilis, & promiſsio eius, eſt immutabilis, & ſemper honeſta, cum ſit iure naturæ debita; ergo nulla humana poteſtate fieri poteſt, quin iuramentum illius ſemper obliget. Proba-

A tur conſequentia, quia non poteſt quis à iuramenti obligatione, ſub qua aliquid promittit, abſolui, niſi prius promiſsio ipſa, ſeu materia eius remittatur, aut mutetur, quia vinculum iuramenti per ſe inuiolabile eſt, & iure maximè diuino, & naturali obligat; cum ergo huic iuramento materia ſubtrahi non poſsit, profectò nec iuramentum ipſum ſolui poteſt. Tertiò hinc etiam colligit, multum differre inter hoc vltimum iuramentũ, & antiquum Primatus iuramentũ, quia in illo poteſtas etiã ſpiritualis abiurabatur, in hoc verô tantum poteſtas tempo-

B ralis, quam in Reges vſurpat. Vnde in Præfatione valde reprehendit Bellarminum, quia, vt ait, *euincere nititur, hoc fidelitatis iuramentum nihil eſſe, præter antiquũ illud Primatus iuramentũ, nunc recens verbis obſcurioribus, & per ambages circumloquutionum formatum, &c.* Hinc denique in principio Apologiæ dicit: *Non in aliũ finem conſtitutum eſſe hoc iuramentum, quã vt nonmodo inter fideles ſubditos, & perfidos proditores, ſed etiam inter ipſos Pontificios, qui fidelitatem Regi ſeruandam eſſe crederent, & eos, qui prætextu diſparis religionis contra Regem coniurare, licitum eſſe ar-*

C *bitrarentur, diſcrimen aliquod extaret.* Vnde infra concludit, *iuramentum hoc eo fine conſtitutum fuiſſe, vt inſtar pignoris, & auctoramẽti ſubditorum erga ipſum fidei foret.* Nihil ergo præter ciuilem obedientiam continet.

Tandem ad hunc locum ſpectat aliud probationis genus, quod in Apologia in principio impugnationis epiſtolæ Bellarmini Rex inducit, ducendo ad inconueniens. Quia qui hoc iuramentum recuſandum eſſe docet, neceſſe eſt, vt proditorijs, & abſurdis poſitionibus impli-

4. Vltimum probationis genus.

D cet ſubditos, quos ab hoc iuramento arcere contendit. Numeratq; quatuordecim propoſitiones eiuſmodi, quarũ omnes, vel aliquas ex iuramenti reprobatione neceſſariò inferri dicit. Quæ autẽ ſint illæ propoſitiones, infra reſpondendo ad hanc partem conſtabit.

Hæc ſunt, quæ ex varijs locis, & dictis Regis in ipſius defenſionem colligere potui, quæ licet friuolæ excuſationes ſint, & in eodem ſemper cardine reuoluantur, omittendas non cenſui, tum vt omnibus euidentius ſit, nihil officij,

5. Regis fundamento labat.

 quod

quod ad difficultatem, aut veritatem oſtendendã poſſit conducere, à nobis prætermitti: tum etiã, vt ſi fieri poteſt, Rex ipſe animaduertat, in re tanti momenti, tantique periculi, quàm leuibus rationibus, maleq; fundatis opinionibus ſe duci ſinat. Igitur ad verba Regis in primis dicimus, facta non eſſe verbis conſentanea, magiſq; factis, & rebus ipſis, quam verbis, aut promiſsionibus aſſentiendum eſſe. Quid enim intereſt, quod Rex affirmet, ſe nihil aliud, quàm ciuilem fidelitatem, & obediẽtiam à ſubditis ſuis per illud iuramentum exigere voluiſſe, ſi ex formà ipſius iuramenti, & omnibus partibus eius contrarium euidenter oſtenditur. Deinde verbis Regis eiuſdem verba opponimus. Nam in edicto Regio, vbi hæc iurandi formula continetur, titulus illi ſuperſcriptus erat: *Ad detegendos, & reprimendos Papiſtas*, id eſt, Catholicos, & Papæ obedientes, eiusq; Primatum recognoſcentes; at verò ſi iuramentum ſolam fidelitatem ciuilem, & temporalẽ obedientiam exigeret, non poſſet eſſe ſignum diſcernens Papiſtas à ſectarijs, ſeu apoſtatis à Papa, quia obedientia ciuilis communis eſt omnibus, nã illi, qui Papæ obediunt, iuſtam obedientiam ciuilem ſuis Regibus non negant. Ergo tale iuramentum non alia ratione datum dicitur ad detegendos Papiſtas, niſi quia illud admittentes, eo ipſo cenſentur renunciare Papæ, eiusque poteſtatem abiurare, & ẽ contrario qui illud recuſant, eo ipſo oſtendere ſe fideles, & obedientes Papæ, non ergo datur propter ſolam ciuilem obedientiam: nam (vt ipſe etiam Rex totis viribus contendit) obedientia ciuilis non pugnat cum Romana religione, ac ſubinde neque cum obedientia Papæ, quam profitentur hi, quos Rex Papiſtas vocat.

Refere Bellarminus in Apologiæ initio, & infra in defenſione primi Breuis etiã in princip.

Ex titulo iuramenti cõuincitur eſſe inuentũ ad diſcernẽdos Catholicos à ſectarijs.

6. Præterea in eodem edicto Regio duo iuramenta continebantur, ſuis titulis diſtincta, vnum enim *de Primatu Regis in ſpiritualibus* inſcribebatur, quale fuit iuramentum ſub Eliſabetha vſitatum, & à Rege Iacobo promiſsione quadam locupletatum, vt ſuprà in Præfatione notauimus. Aliud verò præſcriptum erat: *Contra poteſtatem Pontificis in Principes Chriſtianos*, quod non eſt aliud, niſi quod nunc Rex vocat iuramentum fidelitatis, A nullum enim aliud in illo edicto ferebatur, neque de alio hactenus mentio facta eſt; ergo ex ipſa inſcriptione conſtat hoc iuramentum continere potius abiurationem poteſtatis Pontificis in Reges, quàm fidelitatem ſubditorum erga Regem. Nam illud eſt & directe intentum, vt inſcriptio oſtẽdit, & proximè, ac expreſſe per verba declaratum, ſæpiusque repetitum: aliud autẽ indirecte ad ſummum, ac remotè, ſeu per conſecutionem quandam in ipſo iuramento continetur, licet fortaſſe ab ipſo Rege fuerit per ſe, B ac principaliter intentum. Vnde non immeritò notare hic poſſumus, & applicare diſtinctionem ſcholaſticorum, & moralium Philoſophorũ de intentione operantis, & operis, & de intentione finis, & electione medij propter finẽ. Rex enim principaliter intendere potuit per hoc iuramentum fidelitatem ciuilem ſubditorum, & ſuarum rerum, ſuæque perſonæ ſecuritatem, ac indemnitatem, mediũ autem, quo ad illam obtinẽdam vſus eſt, fuit abiuratio Pontificiæ poteſtatis, & ita licet prior finis fuerit fortaſſe præcipuus in operante, id eſt, in Rege inſti- C tuente iuramentum, nihilominus in ipſo iuramento proprius ſcopus, & quaſi obiectum eius, eſt abnegatio Pontificiæ poteſtatis, & hoc modo dicimus eſſe principalem finem operis, id eſt, talis iuramẽti, quia eſt intrinſecus finis, & proxima eius materia, vt in ſingulis eius partibus declaratum eſt. Et ita quidquid ſit de intentione principali Regis, de qua non curamus, neque illum mẽdacij arguere volumus, dubitari non poteſt, quin iuramentum ipſum, quo Rex vt medio vſus eſt, exceſſerit terminos obedientiæ ciuilis, & ad illam muniendam, vltra quam D par eſt, poteſtatem Pontificiam inuaſerit, eam abiurando, ſimulque fundamenta fidei euertendo, & abnegando.

Bellarmin. ſuprá in poſteriori loco.

Ex titulo alterius iuramenti colligitur velle Regem primatũ in ſpiritualibus.

Principalis finis huius iuramẽti eſt abnegatio Pontificiæ poteſtatis.

Quod vt amplius declarem, aduerto, in hac voce *obedientiæ fidelitatis ciuilis*, prout Rex Angliæ illa vtitur, æquiuocationem latere, qua poſſunt facile ſimplices, & ignorantes decipi. Rex enim talem obedientiam ciuilem, & fidelitatẽ à ſuis ſubditis exigit, quæ nullum in terris recognoſcat Rege ſuperiorem, neque directè, neque indirecte, & quæ in nullo caſu, neque propter vllam cauſam poſſit 7.

Confirmatur ex æquiuocatione verborũ.

per

per aliquam iuriſdictionem in mortali homine exiſtentē impediri, aut tolli. Et quia non poteſt in Rege recognoſci tam ſuprema poteſtas, niſi abnegetur poteſtas Pontificis, quæ ſola poterat eſſe illa in terris ſuperior, etiam in ciuilibus, ſaltem indirecte, ideò ad muniendam ſuam ciuilem obediētiam in illo gradu, & modo, quo illam efflagitat, vſus eſt illo medio abiurandi Pontificiam poteſtatem. Et ideò verbis dicit, ſe tantum fidelitatē ciuilem à ſubditis exigere, re tamen vera abiurationem Catholicæ ſidei ab eis extorquet. At verò iuxta ſanam, & vēram doctrinam, obedientia ciuilis generaliter dicitur illa, quæ debetur ſublimioribus poteſtatibus temporalibus, & ciuilibus, vnicuique in ſuo gradu, & in ſua materia, & intra menſuram ſuam, iuxta illud Pauli Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorē.* Et illud. 1. Petri. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi tanquam præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis, &c.* Itaque etiam Magiſtratibus ciuilibus debetur ciuilis obedientia, tamen ſubordinata Regibus, qui pręcellunt, Regibus autem nō recognoſcentibus ſuperiorem in temporalibus, debetur etiam obedientia ciuilis maxima in illo ordine: non poteſt autē illa non eſſe ſubordinata ſpirituali poteſtati, ſi Chriſtiana obedientia ſit. Quia eſſe debet iuxta menſuram fidei, nam ſecundum illam tenentur omnes Chriſtiani, ſiue Reges ſint, ſiue ſubditi *obedire Præpoſitis ſuis* ad Hebr. 13. & præcipuè Vicario Chriſti, cui ipſe omnes oues ſuas ſubiecit, inter quas Reges connumerantur. Ideòq; ſi à Rege temporali talis obedientia ciuilis poſtuletur, quæ Pontificis obedientiam excludat, iam non eſt mera obedientia ciuilis, ſed tranſit in ſpiritualem, & Eccleſiaſticam. Talis autem eſt obedientia, quam Rex Angliæ à ſuis exigit, ideoq; in hac formula iuramenti quaſi oblitus obedientiæ ciuilis, totus ad Pontificiam poteſtatem abnegandam, & abiurandam incubuit.

Paulus ad Rom. 13.

1. Petr. 2.

Poteſtas ciuilis ſubordinatur ſpirituali.

Ad Hebr. 13.

8. Cōcluditur plus poſtulare hoc iuramētū quā ciuilem fidelitatem.

Vnde conſtat primò, ſimpliciter falſum eſſe, quod Rex Angliæ dicit, ſe tantum poſtulare per hoc iuramentum *à ſubditis fidelitatem illam quam propter conſcientiam illi præſtare tenentur.* A Nam propter conſcientiam tenentur ſubditi, vt Chriſtus dixit, *Reddere Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo,* & conſequēter etiam Vicario Chriſti quę ſunt illius; & quia illa ſingulari modo, & titulo ad Deum pertinent, ideò ſub poſteriori mēbro verborū Chriſti continentur. Quapropter ſicut Cæſare contra Deum præcipiente, potius eſt obediendum Deo, quàm hominibus, vt dixit Petrus Actor. 4. & 5. ita licèt Chriſtiani in conſcientia teneantur obedire Regi tanquam præ- B cellenti in ſuo ordine, non tenentur tamen, neque poſſunt illi obedire præcipienti abiurationem Pontificię poteſtatis, neque etiam tenentur illi obedire cōtra debitam Pontifici obedientiam, quæ altioris eſt ordinis, cui ciuilis obedientia ita eſt ſubordinata, vt in certis caſibus, vel ex iuſtis cauſis interdum illi cedere debeat. Ergo falſum eſt, in iuramento nihil à ſubditis Regis poſtulari, niſi quod ipſi in conſcientia præſtare tenebantur.

Act. 4. & 5.

Quod autem paulò poſt in ſua præfatione, mutatis nonnihil verbis repetit, *nihil in hoc iuramento contineri præter fidelitatis, ciuiliſq; obedientiæ profeſſionē, quam* C *natura ipſa omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit,* caute, & attentè legendum eſt. Nam continet obiectionem, & latentem errorem. Obiectio eſt ſupra facta, quia obedientia, & fidelitas iure naturali debetur Regibus; ergo debetur independenter à Pontifice, vnde non magis poteſt ipſe illam mutare, quam ius naturæ, nec magis ab illa ſoluere, quàm à naturali iure. Error autem, vel deceptio latens eſt, quia non altiori modo iudicandum putat de obedientia ciuili inter Chriſtianos, quàm inter ethnicos, nam vtrique D debent ſuis Regibus illam obedientiam ciuilem, quam ipſa natura præſcribit, ideoq; ſentit, non alijs terminis, neque alijs regulis definiendam eſſe obedientiā ciuilem à Chriſtianis, ſuis Principibus præbendam, quam ab ethnicis, ſuis Regibus debitam. Atque hanc fuiſſe Regis mentem, facilè ſibi perſuadebit, qui alia eius clariora verba, quæ in Præfat. pag. 24. contra Bellarminum ſcripſit, in memoriam reduxerit. Ait enim: *Cū me hæreticis annumeret, & Iuliano Apoſtatæ æquet, extra caulam, gregemq; Pontificium*

9. Latenti regis obiectio occurritur.

eſſe

eſſe putet, neceſſe eſt. Eodem itaque iure cum ethnicis Principibus cenſendus ſum, in quos ipſe nihil poſſe Pontificem fatetur. Ex hoc ergo principio in verbis alijs ſignificare voluit, ſicut Papa nō poteſt Regem ethnicum deponere, nec eius ſubditos ab illius obedientia abſoluere, ita neque poſſe ſuos ſubditos à ſua obedientia, & fidelitate liberare, ideòq; nihil in iuramento poſtulare, niſi quod ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus impoſuit.

10. Qualis ſit obedientia ciuilis ſubditorum fidelium.

Veritas autem Catholica docet, licèt fides, & gratia non deſtruant naturam, perficere tamen illam, & ſub altioribus regulis, ac legibus illam conſtituere, & ideò obedientiam ciuilem inter Chriſtianos, licet ex lege naturæ oriatur, nihilominus definiri, & limitari ad obedientiā ciuilem tali ſtatui cōſentaneam, & fidei, ac religioni non repugnantem, & iuſtis Eccleſiæ legibus, ac præceptis ſubordinatam. Ac propterea obedientiam ciuilem inter Chriſtianos non eſſe æquiparandam in omnibus cum obedientia ciuili inter ethnicos, vel inter homines, qui pura naturali prudentia ſine vllo fidei lumine gubernari poſſent. Quia ethnici, vel infideles non baptizati non ita ſubijciuntur Pontifici, & legibus Eccleſiæ, ſicut Chriſtiani, & ideò in multis caſibus poſſunt Chriſtiani Principes, etiā in temporalibus ſupremi, prohiberi per Pontificiam legem, ne ſuis ſubditis aliquid imperent etiam in materia ciuili, in quibus Principes ethnici cogi non poſſunt, quia in gremio ouium non ſunt, neque vnquam introierunt. Rex autem Iacobus (vt in libro primo probauimus) licèt à crimine infidelitatis, ſeu hæreſis, & apoſtaſiæ excuſari non poſſit, non ideò in exemptione ab obedientia Pontificis eſt ethnicis annumerandus, nam ratione baptiſmi illi ſubiectꝰ ſemel fuit, & ſicut Baptiſmi characterem in ſe delere non poteſt, ita neque à debito obedientiæ Eccleſiaſticæ eximi poteſt, etiā ſi millies iugum confringat, vincula rūpat, & dicat; non obediam. Poterit enim facto reſiſtere, & non obedire, apud Deū autem ſemper erit inobedientiæ non tātum ſuæ, ſed etiam ſuorum reus. Quapropter cum dicit, *in hoc iuramento nihil contineri præter obedientiam, & fidelitatē ciuilem, quam ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit*, ſi id intelligat (vt videtur) de obedientia ſoluta ab omni regula, & directione fidei, qualis etiam inter ethnicos recta ratione vtentes eſſe poteſt; eo ipſo ſatis confitetur ſui iuramenti errorem, & peruerſitatem, quam inuoluit, quia talem obedientiam ciuilē exigit, quæ Eccleſiaſticam excludat, & illi præferatur: ſi verò ſano modo velimus interpretari obedientiam ciuilem, quam omnibus ſub regno naſcentibus natura præſcribit, ſic falſum erit, nihil aliud in illo iuramento contineri, vt patebit reſpondendo ad obiectionem, quā ex verbis illis confecimus.

11. Obedientia Regibus debita, eſt de iure gentiū.

Reſpondemus enim, fidelitatem, & obedientiam ciuilem Regibus datam, licet fundata ſit, & radicata in iure naturali, verius, & proprius dici, eſſe de iure gentium, quia non eſt immediatè de iure naturali, ſed ſuppoſita hominum coniunctione in vno politico corpore, & cōmunitate perfecta. Vel certè ad ſummū dici poteſt, eſſe de iure naturæ ſuppoſito pacto, & conuentione inter ipſos homines, ſicut eſt de iure naturali obligatio voti ad Deum, vel promiſsionis, ac iuramenti inter homines, vt ſuprà in lib. 3. & libro etiam 3. de Legib. latè declaraui. Atque hinc fit, obligationem obedientię ciuilis quoad materiam, & modum non eſſe æqualem in omnibus hominibus, qui ſub regno naſcūtur, ſed in vnoquoq; eſſe iuxta regni primæuam inſtitutionem, & conditionem pacti, & fœderis inter Regem, & populum, de quo vel per ſcriptas leges, quæ alicubi *fora* vocantur, vel per conſuetudinem memoriam hominum excedentem conſtare ſolet. Et inde etiam fit, vt vinculum talis fidelitatis, ſeu obedientiæ, vel interdum non obliget, vel etiam aliquando reſcindi poſſit, iuxta conditiones in primo fœdere inter Regem, & regnum, vel expreſſe poſitas, vel ipſo iure naturę exigente intime incluſas. Et ſic non obligat illa obedientia ad parendum Regi præcipienti illicita, vel ſaluti animæ contraria. Tantaq; poteſt eſſe peruerſitas Regis contra commune bonum reipublicæ, vel contra fœdera, & conuentionem cum regno factam, vt totum regnum communi conſilio poſſit pacta reſcindere, & Regē deponere, & ita ſe ab illius obedientia, & fide-

Margin notes: Qua ratione de iure naturali dici queat? — Aliquando nō obligat.

fidelitate ciuili liberare, vt ſuprà cap. 5. diximus.

12. Ita ergo in bono ſenſu etiam Chriſtiani, qui ſub regno naſcuntur, dici poſſunt habere à natura præſcriptam Regũ ſuorum fidelitatem, modo tamen, communi iuri gentium Chriſtiani, & Catholici orbis, vel potius diuino iuri, & fidei accommodato. Hic autem modus eſt, vt ciuilis obedientia ſit ſubordinata Eccleſiaſticæ, & ab ea dirigatur, quantum ad ea, quæ ad ſalutem animæ ſpectant, & conſequenter vt vinculum illud, in quo obligatio ciuilis obediẽtiæ fundatur, per Paſtorem Eccleſiæ diſſolui poſsit, ſi is, qui poteſtatem ciuilem habet, illa in ſubditorum ſpiritualem perniciem, vel in ſuam cum publico aliorum ſcandalo, & detrimento abutatur. In hoc autem ſenſu falſum eſt, Regem Angliæ ſolũ exigere à ſuis ſubditis in hoc iuramento illam ciuilem obedientiam, quam ipſa natura omnibus ſub regno Chriſtiano naſcentibus præſcribit, quia in Chriſtianis natura ipſa fide diuina illuminata, dictat eſſe obediendum Regibus in ciuilibus, niſi aliquid contra fidem, vel contra obedientiam Eccleſiaſticam inuoluant, aut præcipiant, ſicut in hoc iuramento à Rege Angliæ fieri, ſatis, ſuperq; oſtenſum eſt.

Ciuilis obẽdiétia in ſubditis Chriſtianis à fide diuina limitatur.

13. Refellitur quędam euaſio.

Ad ſignum autem, quo Rex conatur contrarium ſuadere, quia clauſulam, in qua poteſtas ipſum excõmunicandi abiurabatur, poni in iuramento non permiſit, reſpondemus, eſto hoc ita ſit (de quo propter verbum Regis de facto teſtificantis non dubitamus) nihilominus ſignum eſſe inſufficiens. Primò quia licet expreſſa abiuratio poteſtatis excõmunicandi ſublata fuerit, implicita, & inuoluta relicta eſt. Secundo quia expreſſe eſt poſita in iuramento abiuratio poteſtatis Pontificis deponendi Regem ex quacunque cauſa, quantumuis iuſta, & abſoluendi ſubditos à quacunque fidelitate, vel obedientia Regi debita, aut promiſſa, vel iurata, quæ poteſtas non minori certitudine Pontifici conuenit, quam poteſtas excõmunicandi. Vtrũq; ex dictis facilè declaratur. Quia duobus modis poteſt Rex contumax, ſeu rebellis contra Religionem per Pontificem priuari poteſtate regni, & ſubditi eius à

A fidelitate abſolui, vno modo quoad vsũ tantum; & per modum cuiuſdam ſuſpẽſionis, alio modo quoad proprietatem, & dominium, & per modum depoſitionis, & vtrunque negat Rex Angliæ in hoc iuramento, primum quidem in ſecunda, & quarta clauſulis iuramenti, expreſsius quam in aliis, aliud vero in toto iuramento, & omnibus partibus eius. Doctrina autem catholica vtrunque docet.

Nam prior modus depriuationis in ipſo vinculo maioris excommunicationis B intrinſecè incluſus eſt, vt docet Gregor. Papa VII. in cap. *Nos Sanctorum*. 15. q. 6. vbi ait, eos, qui excommunicatis *fidelitate, aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica authoritate abſoluimus, & ne eis fidelitatem obſeruent, omnibus modis prohibemus.* Quibus verbis non tam fit noua prohibitio, quam declaratur illa, quæ virtute talis cenſuræ fit. Nam illa cenſura priuat non tantûm ſacra, ſed etiam ciuili communicatione in omnibus rebus, ſeu caſibus in iure non exceptis, in hoc autem non ſolûm non fit exceptio, ſed etiam declaratur prohibitio. Quod autẽ illa nõ C ſit abſoluta depoſitio, ſed quaſi ſuſpenſio, patet ex limitatione ibi adiuncta. *Quouſque ipſi ad ſatisfactionẽ veniant*, hinc enim conſtat, illam abſolutionem non eſſe perpetuam, ſed durante illo vinculo. Eſt ergo per modum ſuſpenſionis poteſtatis quoad vſum, & non per modum depoſitionis. Quia verò illa verba vltima dicuntur non inueniri in codice manuſcripto in Vaticano inuento, ſimilis deciſio cum illa expreſſa declaratione reperitur ex Paſchaſ. II. in cap. *Iuratos*. 15. q. 6. *quandiu excommunicatus eſt*. Et ſimilis limitatio habetur in c. vlt. de Pœnis.

14. [illegible] per excommunicationem [illegible]

Cap. *Nos Sanctorũ.*

Cap. *Iuratos.*

D Neque contra hoc obſtat obiectio Regis quia excommunicatio eſt ſpiritualis cenſura, & ideô priuatio iuriſdictionis, vel temporalis poteſtatis etiam quoad vſum, & per modum ſuſpenſionis, eius fines excedit. Negatur enim conſecutio. Nam licèt excommunicatio dicatur cẽſura ſpiritualis, vel à principali materia, & fine illius, vel quia à ſpirituali poteſtate procedit, tamen ſicut poteſtas ipſa, licet ſit ſpiritualis, indirecte ad temporalia extenditur, ita etiam cenſura excommunicationis eodem modo & ſpiritualis eſt,

15. Obiectionis confutatio.

eſt, & indirecte extenditur ad tẽporalia, priuat enim non ſolum communicatione ſacra, ſed etiam ciuili, & humana, vt conſtat ex inſtitutione, & vſu Eccleſiæ, perpetua traditione approbato, & in Scri-
2. *Ioan.* 1. ptura fundato. Nam 2. Ioan. 1. dicitur:
1. *Cor.* 5. *Neque aue ei dixeritis*, & Paulus 1. Cor. 5. *Cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* Et rationem ibidem inſinuat, cum ait: *Iudicaui*, &c. *tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri IeſuChriſti.* Ita ergo per excõmunicationem vexatur homo etiã in temporalibus, & corporalibus, vt vexatio det intellectum, vt à contumacia recedat.

16. Depoſitio Regis non eſt proprius excommunicationis effectus.

Alter verò modus priuationis per modum depoſitionis à regno, vel ab alia tẽporali poteſtate, & conſequenter cum perpetua abſolutione ſubditorum à fidelitate, & obedientia ciuili, non eſt quidem effectus proprius, & intrinſecus excõmunicationis maioris, ſi nihil amplius addatur, vt ex propria materia ſuppono, & ex communi vſu Eccleſiæ, & ex allegatis etiam iuribus ſatis colligitur. Nihilominus tamen hæc etiam depoſitio, & abſolutio per modum ſingularis pœnæ adiungitur cenſuris, quãdo delicta Principum cogunt Pontifices ad illa ſeueritate vtendum, qui vſus ſatis eſt à nobis in lib. 3. comprobatus. Et inde conuincitur poteſtas, quia tam publicus, & conſtans vſus, & tam efficax ſine violentia armorum, non potuit eſſe ſine fide Eccleſiæ recognoſcentis in Pontifice legitimam poteſtatem ad illam pœnam imponendam incluſam in poteſtate ligandi, & ſoluendi Petro datam à Chriſto, & in virga Paſtorali, quam ad regendam Eccleſiam accepit, vt in citato loco ſatis oſtẽdimus.

Vide tomũ 5. in 3. par. D. Thomæ diſp. 15. ſectio. 6.

Ex diuturno Eccleſię vſu poteſtas Põtificis ad deponendũ reges oſtenditur.

Paul. Et hic etiam habet locum ratio Pauli, quia oportet ſępe hominem peccatorem corporaliter, & temporaliter grauiſsimè affligere, vt reſipiſcat. Item eſt optima ratio, quia ſubditi ſæpe indigent hoc remedio, ne ſubuertantur. Ideò enim de
Ad Tit. 3. hæretico dixit Paulus: *Poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita*; quod multo magis in Principe, quàm in alijs ſolet eſſe neceſſarium.

17. Satisfit Regis fũdamẽto.

Et ita nihil obſtat, quod Rex ait, hanc pœnam longè lateque fines excommunicationis excedere, eſto enim ita ſit de depoſitione ſic intellecta, nihilominus non excedit limites Pontificiæ poteſtatis, ſicut in hoc iuramento abiuratur. Cũ verò ait, hoc ius nullo legitimo titulo eſſe acquiſitum Pontifici, reſpondemus, non eſſe quidem aliquo humano titulo propriè acquiſitum, ſed diuino iure eſſe inditum, vt ex Chriſti verbis in libr. 3. oſtenſum eſt. Vbi etiam illa verba Regis refutauimus, *per Paparum iniuſtam vſurpationem, & violentiam ſecularẽ.* Eſt enim facilè hæc dicere, præſertim potenti Regi, & affectu ſupremæ poteſtatis (vt pace illius dixerim) nimium capto, & obcæcato, probare autem impoſsibile. Et ita Rex nullam huius iniuſtæ vſurpationis probationem, vel indicium adduxit, nec eſt veriſimile, iniuſtam vſurpationem contra potentiam Imperatorum, & Regum præualuiſſe. Vnde verba illa, quæ adiungit Rex de *violentia ſeculari*, magis ſunt per ſe incredibilia, quia hæc violentia non fit, niſi armis, & potentia ſeculari, hæc autem in Pontificibus non fuit tanta, vt ad illam violentiam Imperatoribus, & Regibus inferendam ſufficeret. Et ita nulla talis violentia Pontificum in hiſtorijs legitur, gratis ergo, & per ſolam dicendi libertatem aſſeritur.

18. Confutatio 3. corollarij quod Rex inferebat.

Quocirca ex corollarijs, quæ Rex infert, primum, & ſecundum de abſolutione ſubditorum ab obedientia, & iuramẽto fidelitatis, ſatis ex dictis reiecta ſunt. Tertium verò de cõparatione huius vltimi iuramenti, cum priori de primatu, facilè etiam refellitur. Merito enim Cardinalis Bellarminus dixit, vnum virtute, & tecte in alio includi. Quia poteſtas per quam Pontifex Reges ſchiſmaticos, ac gregi Chriſti pernicioſos deponit, non eſt alia, quàm ipſa poteſtas, quam à Chriſto accepit, quæ vnica eſt, & indiuiſibilis (vt ita rem explicem) & ideò non diuiditur, nec minuitur, nec ex parte abiurari poteſt, & ex parte retineri. Cum ergo in hoc iuramento poteſtas cõprimendi, & puniendi Reges Pontifici abiuretur, plane tota eius poteſtas ſpiritualis abiuratur, quod in priori iuramento expreſſe fiebat. Sufficiens autẽ huius veritatis indicium eſt, quod Rex ipſe, vt hanc poteſtatem ſe deponendi cum fundamento negare videatur, conſequenter negat, Chriſtum dediſſe Petro, aut per eũ Ro-

Card. Bellarminus.

mano

mano Pontifici ad regendam Eccleſiam
ſupremam ſpiritualem poteſtatem, ſen-
tiens, ita eſſe hæc connexa, vt vnum ſine
alio negari non poſſit. Ergo dum in hoc
iuramento vnũ expreſſe abiuratur, aliud
conſequenter, & virtute, & cum eodem
Confutatio vlti ni corollarij. periurio negatur. Vltima vero illatio, &
quaſi proteſtatio Regis de fine iuramen-
ti nihil ipſum iuuat. Eſto enim ipſe intẽ-
derit per illud iuramentum diſcernere,
& cognoſcere proditores, medium autẽ,
quo vſus eſt, fuit abiuratio Pontificiæ
poteſtatis. Vnde per illud iuramentum
non ſolum diſtinguit fideles ciuiliter à
proditoribus, ſed etiã fideles catholicos
ad ſuam fidem prodendam, & abiurandã
inducit: ex quo fit, vt multomagis inter
credentes, & non credentes diſcernat,
vel ſaltem inter conſtanter recuſantes
iniquam abiurationem, vel miſere pro-
pter vitãda temporalia incõmoda illam
ſimulantes. Quamobrem tale iuramen-
tum potius character Anglicani ſchiſma
tis, quam pignus, vel authoramentum
fidei ſubditorum iure cenſendum eſt.

19. Vltimæ probationi regis ſatisfit. Supereſt, vt ad vltimam Regis proba-
tionem ſumptam ex quatuordecim pro-
poſitionibus, quas ex reprobatione iura-
menti infert, reſpõdeamus. Et in primis
dicimus, ex illis euidenter colligi, inten-
tionem iuramenti non tam eſſe de obe-
dientia præſtanda Regi, quam de poteſ-
tate Pontifici abneganda, & ſibi vſurpan
da. Nam ex omnibus propoſitionibus
ſola vna pertinet ad Regiam dignitatem
Propoſitiones, quas Rex infert expẽdũtur. tuendam, & illa non ſequitur ex iuramẽ
ti improbatione, aliæ vero fere omnes
directe ſunt de poteſtate Pontificis, &
in ſano ſenſu veriſsimæ ſunt, ideoq; me-
rito reprobatur iuramentum, quia cõtra
dictorias aſſertiones cõtinet, vt Rex ipſe
fatetur, dum ait, has propoſitiones per
Antitheſim ſequi ex reprobatione iura-
menti. Vt autem hoc euidentius fiat, ſin-
gulas propoſitiones, & quid de illis ſen-
tiendum ſit, adnotabo. Prima eſt: *Quòd*
1. *ego Iacobus non ſim Rex legitimus huius re-*
gni, aliarumq; omnium mearũ ditionũ. Hæc
vero minimè ſequitur ex deteſtatione
iuramenti, nam licet Iacobus ſit verus,
& legitimus Rex, nihilominus prauum
eſt iuramentum, quo abiuratur Pontifi-
cia poteſtas ad illum deponendũ ex cau-
ſa legitima: hanc enim poteſtatem habet

A Papa ſupra legitimos, ac veros Reges, &
Imperatores.

Secunda, *Quòd Papæ liceat me regno de-* 20.
ponere, ex mera ſua authoritate, vel ſi non ſua, 2.
tamen authoritate Eccleſiæ, Sedis ve Roma
næ: Si non Eccleſiæ authoritate, vel Roma-
næ Sedis, tamen alijs medijs, atque aliorum
ſubſidijs ei liceat me regno deponere. Tertia 3.
Quòd Papæ liceat de regnis, ac ditionib⁹ meis
pro arbitrio ſtatuere. Quarta: *Quod penes Pa* 4.
pã ſit extraneo cuicunq; Principi poteſtatem
concedere inuadendi ditiones meas. Quinta: 5.
Quòd Papæ liceat abſoluere ſubditos meos à
B *fide, atq; obediẽtia mihi debitis.* Sexta: *Quòd* 6.
penes Papã ſit, licentiam concedere vni, aut
pluribus ex ſubditis meis arma contra me fe-
rendi. Septima: *Quòd liceat Papæ veniã da* 7.
re ſubditis meis vim perſonæ meæ, aut domi-
nijs, aut quibuſdam è ſubditis meis afferendi.
Octaua: *Quòd ſi Papa ſententia lata me ex-* 8.
communicauerit, aut depoſuerit, non ſit libe-
rum ſubditis perſtare in fide, atq; obedientia
mihi debita. Nona: *Quod ſi Papa me iudi-* 9.
cialiter excõmunicauerit, vel depoſuerit, ſub
ditis non ſit liberũ, perſonã, & coronã meam
omnibus viribus defendere. Decima: *Quòd ſi* 10.
Papa ſententiam aliquam aut excõmunica-
C *tionis, aut depoſitionis cõtra me promulgaue*
rit, ſubditi ex vi eius ſententiæ nequaquã
obligentur retegere omnes cõiurationes, aut
proditiones cõtra me initas, quas vel audire
vel nòſſe ipſis contigerit. Vndecima: *Quòd* 11.
non ſit hæreticum, neq; deteſtabile opinari,
Principes à Papa excõmunicatos impune de-
poni, aut occidi poſſe à ſubditis ſuis, alijs ve
quibuſcũq;. Duodecima: *Quòd Papa habeat* 12.
poteſtatem abſoluendi ſubditos meos ab hoc
iuramento, aut ab eius aliqua parte.

Hæ autẽ aſſertiones omnes in vnã ferè 21.
coincidũt, quæ quaſi per partes illis duo
decim poſitionibus ad rẽ exaggerãdam
D declaratur. In quibuſdã vero illarũ in-
terdũ additur aliqua particula, quæ verũ
ſenſum deſtruit, & cõmutat. Quod ergo
in ſecunda dicitur, *Papã mera ſua authori*
tate poſſe Iacobũ Regẽ deponere, veriſsimũ
& catholicũ eſt, dummodo illa particula
mera non excludat legitimã cauſam, ſed
tantũ ſufficiẽtiã illi⁹ authoritatis ſine al-
terius adminiculo declaret. Et quia pro-
poſitio loquitur in particulari de tali per
ſona, in qua legitima cauſa non deeſt,
vt ex dictis ſatis conſtat, & vniuerſæ
Eccleſiæ manifeſtũ eſt, ideo propoſitio

ſine vlla æquiuocatione verum ſenſum facit, quia legitimam cauſam non excludit, ſed ſupponit. In tertia verò, quæ fere ſimilis eſt, particula illa *Pro arbitrio* ambiguitatem continet, & calumniæ occaſionem præbet. Pręſertim quia in alijs locis ſolet Rex dicere *ad libitũ*, vel quid ſimile. Itaque ſi intelligatur de arbitrio iuſto, & legitimo, vera eſt propoſitio, ſi autem de mera, & abſoluta voluntate, ſolaque libidine intelligatur, ſic eſt impoſtura, nullaq; veriſimili conſecutione ex reprobatione iuramẽti inferri poteſt. Eademq; ratio eſt de cæteris. Omnes enim ſunt de eadem ſuprema poteſtate Papæ ad coercendos Chriſtianos rebelles, etiam ſi Reges ſint, vſq; ad depoſitionem eorum, ſi grauitas cauſæ, & neceſsitas ſpiritualis regni id poſtulet.

22. 10. Propoſitio repugnãtiam inuoluit, occaſionemq; præbet calũniæ

Solum in 10. oportet aduertere (quod in ſuperioribus indicatum eſt) partim repugnantiam inuoluere, partim calumniandi occaſione præbere. Dico inuoluere repugnantiam, quia ſi Rex per iuſtam Papæ ſententiam ipſofacto ſit depoſitus, eo ipſo qui antea erant illi ſubditi, deſinunt eſſe ſubditi: nam Rex ipſe iam non eſſet Rex, nec ſuperior. Ideoque neque iam poſſent proprie dici proditiones, ſi quæ coniurationes contra ipſum fierent. Neque ciues tenerentur, ſaltem titulo fidelitatis, aut ſubiectionis illas reuelare. Addo vero, modũ illum loquẽdi eſſe poſſe calumnijs expoſitũ, quia Rex criminoſus, licet depoſitus ſit, nõ ſtatim poteſt à quolibet de populo per coniurationem, vel inſidias iuſte occidi, quia nec priuatum ciuẽ criminoſum licet alijs ciuibus his modis authoritate ſua interficere. Sed ſolum authoritate publica, vel poteſtate ab eo accepta, qui illam dare poteſt, vel per ſententiam, vel per imperium, aut commiſsionem ſpecialem.

23. Quapropter ſi poſt Regem depoſitũ, aliqui per priuatas inſidias, nõ accepta à legitimo iudice poteſtate, illi mortẽ machinarentur, qui extra confeſsionẽ illarum eſſet conſcius, obligari poſſet ex charitate eas detegere, vt malum proximi impediret, cõcurrentibus circunſtãtijs, quæ ad talem obligationem neceſſariæ eſſe ſolent. Quando vero contra perſonam talis Regis iuxta tenorem iuſtæ ſententiæ procederetur, non excedẽdo

A limites poteſtatis â legitimo iudicẽ conceſſæ, tunc ceſſaret omnis obligatio detegendi ſecretum, quia iam illæ non eſſent inſidiæ iniquæ, ſed eſſet iuſtum bellum. Quia ergo propoſitio illa indiſtincte loquitur, ideo dixi, dare poſſe calumniæ occaſionem, ac ſi diceretur, etiam quando coniurationes, vel proditiones ſunt iniuſtæ, & iniquæ, nunquam teneri ciues vllo titulo etiam charitatis, illas manifeſtare, quod falſum eſt, nec ex reprobatione iuramenti id ſequitur, vt per ſe notum eſt.

B Eademq; cautio in vndecima propoſitione adhibenda eſt, ſententia enim illius in ſumma eſt, Regem excommunicatũ impune deponi, vel occidi â quibuſcunq; poſſe. Quæ ita ſimpliciter prolata falſiſsima eſt: nam excommunicatio ſola, & nuda non dat poteſtatem occidẽdi excõmunicatum, nec priuandi illum dominio rerum ſuarum, ſed ſola cõmunicatione, & conſequenter poteſt priuari excõmunicatus vſu alicuius rei propriȩ, ſi abſque tali communicatione fieri non poſsit. Rex ergo excommunicatus, ſi ſententia nihil aliud contineat, nõ ſtatim poteſt à ſubditis, vel quibuſcunque alijs deponi, vel occidi, neque hoc ſequitur ex reprobatione iuramenti. Si tamẽ in ea propoſitione ſub voce *excommunicationis* comprehendatur etiam depoſitio, & diffidatio, quæ per ſententiam canonicam interdum fit, ſic veritatem cõtinebit; imô etiam intellecta de ſola cenſura excommunicationis in forma communi, ſi ſenſus propoſitionis eſſet, Principem excommunicatum, durante excommunicatione, eſſe priuatũ iure præcipiendi ſubditis, vt ſibi obediant, quòd ſi eos cogat, poſſe ipſos reſiſtere, etiã per iuſtum bellum, in hoc ſenſu, erit veriſsima propoſitio, & doctrina contraria hæretica eſt, contra vim, & poteſtatem clauium Eccleſiæ, per illam tamen propoſitionem, eiuſque nuda verba, non ſatis hæc omnia explicantur, & ideo calũnia cauenda eſt, & aperte loquedum. 24. 11. Propoſitionis duplex ſenſus.

C

D

Decima tertia propoſitio eſt, *Quod iuramentum hoc neutiquã adminiſtretur ſubditis meis plena, & legitima authoritate.* Hæc quidẽ aperte ſequitur ex reprobatione iuramenti, quia iuramentum iniquum â nemine poteſt legitima authoritate 25. 13. propoſitio vera eſt & recte ſequitur ex iuramẽti reprobatione.

tate

tate præſtari. Eſt tamen propoſitio veriſſima, atq; certiſsima, quod ex prioribus euidenter oſtenditur, nam ex tenore illarum conſtat, omnes illos articulos eſſe de poteſtate Pontificis, ac ſubinde in iuramento contineri multos poteſtati Pontificis contrarios; ergo manifeſtum eſt, non eſſe in temporali Rege legitimam authoritatem ad tale iuramentum ſubditis ſuis adminiſtrandum. Et ſimili claritate ſequitur, tale iuramentum non de ſola ciuili obedientia, ſed de ſacra, & Apoſtolica poteſtate præſtari; imô contra illam poſtulari.

26. Vltima propoſitio falſa, & perperam illata.

Vltima propoſitio eſt: *Quòd iuramentū hoc ſuſcipiendum ſit cum æquiuocatione, cū mentali euaſione, aut tacita reſeruatione, & non ex animi ſententia, atq; ex intimo pectore, in vera fide hominis Chriſtiani.* Hæc verò nullam cum reprobatione iuramenti connexionem, vel conſecutionem habet. Quia licêt pars etiam illa iuramenti reprobetur, non ideò affirmatur, ſuſcipiendum eſſe hoc iuramentū cum æquiuocatione. Hæc enim contraria ſunt affirmantia, & vtrunque poteſt eſſe falſum, & inter ea eſt medium, ſcilicet, neutro modo tale iuramentū præſtare. Vnde tantum abeſt, vt dicamus, vel cogitemus, tale iuramentum eſſe ſuſcipiendum cum æquiuocatione, vt potius illud etiā reprobemus. Tum quia fieret cum periurio contra vltimam iuramēti partem, tum etiam quia fieret cum ſcandalo, & cum omiſsione confeſsionis fidei tempore debito; imò etiam cum externa fidei negatione, vt ſequenti capite magis explicabimus.

27. Horum verborum falſitas oſtenditur.

Vltimò poſt has propoſitiones addit Rex hæc verba: *Hi ſunt articuli ex varijs iuramenti partibus per Antitheſim eliciti. Quibus oppoſitæ Theſes, neq; Pontificis Primatum in cauſis ſpiritualibus vllatenus attingunt, neque vllo vnquam Concilio generali plenè finito concluſum, & definitum eſt, huiuſmodi in Reges poteſtatem ad Pontificis authoritatem pertinere. Et ipſi denique eorū Doctores ſcholaſtici inexplicabili quodam litigio de ijs inter ſe diſsident in hunc diem.* Iam verò ſatis à nobis oſtenſum eſt, quomodò poteſtas, quæ his articulis explicatur, ad ſpiritualem Pontificis dignitatem pertineat, & conſequenter, quomodo oppoſitæ theſes in iuramento incluſæ illi directe repugnent. Quod verò Rex ſubiungit, in nullo Cōcilio generali plene finito concluſum, & definitū eſſe, huiuſmodi in Reges poteſtatē ad Potificis authoritatē pertinere; imo de hac ipſa poteſtate eſſe diſsidiū inter ſcholaſticos, apertê falſum quoad vtranq; partem eſt, neq; potuit à Rege affirmari, niſi quia cū per ſe non poſsit Concilia, vel ſcholaſticos euoluere, à Proteſtantibus deceptus eſt. Nam ſupra lib. 3. oſtēſum eſt, multa Concilia generalia hanc poteſtatē in Sūmo Pōtifice recognouiſſe, & approbaſſe: præter quā quod ſine Concilij definitione, Pontificū definitiones ad certam illam veritatē faciendam ſufficerēt. Veruntamen ſæpius ſimul Pontifices cum Concilijs generalibus illa poteſtate vſi ſunt, vt Innocent. III. in Cōcilio Later. cap. 3. & Innoc. IIII. in Concilio Lugdun. *Innoc. 3.* *Innoc. 4.* Vnde non eſt dubium, quin ipſa Concilia facta approbando, poteſtatem in Pontifice recognouerint. Præterquā quod communi Eccleſiæ traditione, & conſenſu hæc veritas fundata eſt.

Neq; in hoc puncto eſt diſſenſio inter Catholicos Theologos (hos enim, vt opinor, nomine ſcholaſticorū Rex intelligit, nam ſui Theologi ſcholaſticā Theologiam deteſtantur.) De cōmuni autem conſenſu Catholicorum in hoc puncto, ſatis dictum eſt in lib. 3. & latiùs à Cardinali noſtro libr. contra Barclaium in princip. Et qui diſsidere eos dicunt, oſtēdere debent authores Catholicos, qui huic veritati contradicant, quod certe facere non poſſunt. Nam etiam illi ſcholaſtici, qui poteſtatem Pontificis interdū reſtringere viſi ſunt, vt Okam, Gerſon, Pariſius, & ſimiles, hanc poteſtatem deponendi Reges hæreticos, vel pernicioſos ſaluti ſubditorum, illi nunquam denegarunt, licet in modo loquēdi ſit inter eos aliqua diuerſitas, an Papa poſsit per ſe, & immediatè id facere, an ſolum præcipiendo ſubditis, vt talem Regem abijciant, & in hoc etiā plures ex illis, & qui melius ſentiunt, & cæteri omnes vtrūq; modū cenſent cadere ſub poteſtatē Pōtificis. Et revera, per ſe incredibile eſt nō habere Chriſtianū regnum remediū cōtra hæreticum Regē, eſt enim hoc cōtra omnem rationem, & contra exactam Dei prouidentiam, cum Rex hæreticus 28.

Omnes Catholici doctores admittunt in Papa iuriſdictionē ad Regem hæret. deponendi. Vide Almainum, tract. de Suprema poteſt. laic. Gerſon tract. de Poteſtate Eccleſiaſt. c. 12.

facillime totum regnũ inficiat, vt experientia docet. Vnde etiã Papa ſi hęreticus ſit, poteſt ab Eccleſia deponi; ergo neceſſe eſt, vt ſit poteſtas in terra, quæ poſsit Regem hęreticũ pertinacẽ, & incorrigibilẽ deponere. Ergo maximè eſſe debet in Pontifice tanquã in ſupremo animarum paſtore viſibili in terris, neq; in alio potuit cõueniẽtius talis poteſtas collocari, vt illa priuatio, quæ multis difficultatibus, & periculis expoſita eſt, maiori cũ maturitate, & iuſtitia fieret, vt explicatũ eſt.

CAPVT VII.

Summum Pontificem non ſolùm potuiſſe, ſed etiam debuiſſe Catholicos Anglos à profeſſione dicti iuramenti ſua monitione auertere.

1. HActenus iniuſtitiã, & errores prędicti iuramẽti fidelitatis demõſtrauimus, vanasq; excuſationes refellimus, ſupereſt vt Breuia Põtificia defẽdamus, & querelis Regis, & obiectionibus ſatisfaciamus, quod ex principijs poſitis, & breuiter, & facilè expediri poteſt. In principio igitur Apologiæ audet Rex Pontificem reprehendere, quod *Breui in Britanniã miſſo, ibiq; vulgato Papicolis omnibus interdixerit, ne hoc ſacramento fidelitatis ſe adſtringi paterentur.* Triaq; peccata in ipſo potiſsimũ notat, vnũ contra ipſũ Regem, aliud contra Catholicos Anglos, tertiũ in modo ipſo refutandi iuramentum. De primo ſic inquit: *Cũ indictũ bellũ non ſit, negari non poteſt, quin fecerit Põtifex contra bonos mores, & conſuetudinem Principũ maxime Chriſtianorũ, quod me inauditum condemnarit.* Vnde poſtea ſic colligit: *Pontifex, ſi exiſtimat ſe meum iudicẽ, quod dici ſolet competentem, cur me indicta cauſa condemnat? ſin aliter ſe res habet, & ſi nihil Papæ mecum eſt negotij (quod eſt veriſsimũ) quare ſe immiſcet operi non ſuo, & falcem mittit in meſſem alienã, in re præſertim ciuili, & quæ ad eum nullatenus ſpectat.*

Tres obiectiones à Rege propoſitæ contra Breue Pontificium.

2. Secundò probat, peccaſſe contra Catholicos Angliæ, quia *eos in miſeras anguſtias coniecit, vt aut cum diſcrimine vitæ, & iactura fortunarum fidelitati erga Principẽ renuncient, aut cum catholicæ fidei detrimẽto animarũ ſuarum ſalutem, vt obtendit Põtifex, in periculum adducant.* Vtrunque enim horum periculorum vitaretur, ſi,

A vt facere cœperant, bona fide iuramentum illud præſtare ſinerentur. Tertiò probat, Pontificem defeciſſe in modo, *quia multam inſumit operam, integram iuris iurandi formulam ad verbum recenſendo, poſtea verò vno generali verbo totum iuramentum præſcribit,* non indicando, quid reprehendat, vt vel emendari, vel benignè interpretari ab ipſo poſſet, vel ſi hoc ipſe facere contemneret, aliquam excuſationem ſui ſubditi Catholici haberent, ſi iuramentum recuſarent.

3. Hæ autẽ obiectiones ex duobus erroneis principijs procedunt. Vnũ eſt, Põtificẽ non habere directã poteſtatem ſpiritualem ſupra Regem; aliud eſt, multò minus habere Pontificem poteſtatẽ etiã indirectam ſupra Regẽ in temporalibus. Cõtraria verò dogmata in lib. 3. à nobis ſtabilita ſunt, & probata, quibus ſuppoſitis facilè obiectiones omnes refelluntur. Nam in primis dicimus, potuiſſe Pontificem iure ſuo formulã iuramẽti à Rege præſcriptã examinare, & quatenus eam iudicauit, aut Religioni Chriſtianæ contrariã, aut cõtra reuerentiam iuramenti ſacrilegam, eam reprobare, ac prohibere. Probatur, primò quia iuramentũ res valde ſpiritualis eſt, & ſacra; ergo directè cadit ſub poteſtatẽ ſpiritualẽ Põtificis; ergo ad munus Põtificis pertinuit reprobare iuramentũ de re iniqua, & valde pernicioſa fidelibus, quale in illa formula cõtineri, ſatis in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Fundamenta cõtrariæ doctrinæ.

Habet ius Põtifex examinandi tale iuramentum.

B

C

Secundò, quando lex ciuilis, vel terminos ſuos tẽporales excedit, vel diſponit de tẽporalibus, fouendo peccata, vel illorum occaſionem præbẽdo, Pontifex per poteſtatem ſpiritualem, quatenus ad temporalia indirecte extenditur, poteſt illam reprobare, & irritare, vel irritã declarare, vt ſuprà lib. 3. cap. 22. latè oſtenſum eſt: at verò formula illa (vt Rex ipſe cõtendit) eſt quędam Regia pragmatica, ſeu lex ciuilis, & (vt nos oſtẽdimus) excedit terminos materię ciuilis, & tẽporalis, & continet multa Religioni, & bonis moribus contraria, ita vt à fidelibus ſine diſpẽdio animarũ ſeruari nõ poſsit; ergo Põtifex illã reprobando legitima clauiũ poteſtate vſus eſt, nimirũ, claue ſcientię, declarando iniuſtitiam, & malitiam illius iuramenti, quod eſt propriũ munus paſtoris, ad quem ſpectat paſcere Chriſti 4.

D

gre-

gregem, & claue poteſtatis, prohibendo vſum talis iuramenti. Vnde etiam confirmatur, nam Summus Pontifex ius habet defendendi poteſtatem, quam Chriſtus Sedi ſuę contulit, ſed iuramentum illud directe eſt contrarium Pontificiæ poteſtati; ergo iure potuit illud efficaciter reprobare, & prohibere.

5\. Deinde addimus, non ſolùm potuiſſe, ſed etiam ex vi muneris, & officij ſui debuiſſe non tacere, nec occultare veritatem, ſed ſubditos ſuos monere, vt à tali iuramento abſtineant. Probatur primò, quia tenetur publica ſcandala, & occaſiones peccandi per doctrinam detegere, quando per fraudem, & deceptionem ab hoſtibus Eccleſiæ fidelibus offeruntur. Et ſimiliter tenetur, quantum in ſe eſt, talia pericula per poteſtatem ſuam auferre, vel impedire, maximè quando aliqua publica authoritate approbantur, & proponuntur. Vtrunque enim horũ includitur in verbis Chriſti, *Paſce oues meas*, ibi enim data eſt poteſtas, vt ſupra latè declaratum eſt, & ſimul cum collatione poteſtatis continent illa verba præceptum Petro, & ſucceſſoribus eius impoſitum, vt conſtat, tam ex forma verborum, quàm ex materia, nam ſuppoſito munere, hoc præceptũ connaturale eſt, propter quod dixit Paulus, Eccleſiæ præpoſitos rationem eſſe pro animabus ſubditorum reddituros. At in hoc iuramento illa omnia concurrunt, ſcilicet, latens occaſio erroris, & deceptionis, acceptando abiurationem Pontificiæ poteſtatis ſub colore iuramenti ciuilis fidelitatis, & conſequenter occaſio ſchiſmatis, hæreſis, & periurij; ergo tenebatur Pontifex ex vi muneris veritatem aperire, non obſtante quocunque incõmodo, quia cum tanto ſpirituali detrimento non eſt tacenda veritas propter incommoda, quæ ex hominum malitia formidantùr.

Pontificem ad reprobãdum tale iuramentum obligari.

6\. Item ex alio principio ſequitur hæc obligatio, quia tenetur Pontifex Eccleſiaſtica iura tueri, ac defendere tanquam fidelis diſpenſator, & prudens. Quod cũ de omnibus bonis Eccleſiaſticis verum ſit, maximè locum habet in Pontificia dignitate, & poteſtate tuenda, quia eſt fundamentum Eccleſiaſticæ vnitatis, vt Chriſtus ipſe docuit, & ad ſeruandam fi-

A dei veritatem maximè neceſſarium, vt experientia ipſa oſtendit, & in lib. 3. probatum eſt. Hæc autem Pontificia poteſtas per hoc iuramentum labefactatur, in regno quidem Angliæ per potentiam, & prauam doctrinam, & inde poſſet per prauum exemplũ in alia redundare; ergo tenebatur Pontifex, non obſtante quacunque difficultate, vel impedimento, illi iuramento ſe ſe opponere, illudq́; deteſtari.

Quin potius vlterius addimus, non ſolùm in re tam clara, quàm eſt illius iuramenti peruerſitas, ſed etiam ſi eſſet res 7.
B dubia ad Pontificem pertinuiſſe veritatem aperire, ne in re tam graui, & periculoſa fideles in tenebris verſarentur. Ita generaliter docet Innocentius III. in c. *Per venerabilem*, Qui fil. ſint legit. & adducit illud Deuteron. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium fuerit, & cæt.* vſque ad illud: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.* Quæ lex, quatenus directiua eſt, & moralis, etiã nũc habet locũ, non virtute legis veteris, ſed virtute fidei
C Euãgelicæ, quia ſuppoſita poteſtate Sũmi Sacerdotis legis gratiæ, illa obligatio neceſſario ſequitur ex lege quaſi cõnaturali illi poteſtati. Vnde ratio propria eſt, quia materia illa ſpiritualis eſt, tum quia pertinet ad doctrinã fidei, & morũ, quã declarare ad Paſtores Eccleſię pertinet, non ad Reges, vt ſuprà ex Scriptura, & Patribus ſatis probatũ eſt; tum etiam quia proximè attingit ſalutẽ animæ, tractatur enim, an tale iuramentum animæ noceat, nec ne; ergo ad Paſtores animarum, & præſertim ad eorum caput iudicium in tali dubitatione pertinet.

Innoc. 3. Cap. Per venerabilẽ Deut. 17.

Etiam ſi iuramenti cõtrouerſia foret dubia à Pontifice dirimenda eſſet.

D Cõfirmatur, ac declaratur, nam orta ſimili cõtrouerſia inter Regẽ etiam Catholicũ, & Papam, an aliquod iuramentũ ſit licitũ, & fidei cõſentaneũ, nõ eſt certè talis cõtrouerſia bello dirimẽda, quia nec bellum eſt conueniens medium ad veritatem moralem declarandam, neque illo modo cõuenienter eſſet Eccleſiæ in ſpiritualibus prouiſum, nam inde neceſſariò orirentur ſchiſmata, & regnum in ſe diuiſum non poſſet ſubſiſtere. Neque etiam poſſet talis controuerſia per arbitros terminari, quia in declaranda morali 8.

veritate, tale iudicium circa rem dubiam non tranſcendit humanam opinionem, nec poteſt ab aliquo arbitro maiori poteſtate ferri, & ideò non ſufficit ad ſecuritatem Eccleſiæ, nec poteſt Pontifex tali iudicio ſe ſubmittere; ergo neceſſe eſt, vt talis controuerſia per Regem, vel per Pontificem dirimenda ſit. Nemo autem, qui Scripturas legerit, præferet in eo negotio poteſtatem Regiam Pontificiæ, cum hæc ſit ſimpliciter ſuperior, ſpiritualis, ac Vicarij Paſtoris cui Chriſtus oues ſuas commiſit ad eas in fide, & moribus dirigendas. Debet ergo Rex in ſimili controuerſia à Pontifice dirigi, & gubernari, & tanquam ouis à Paſtore duci, & paſci.

Vide Bellarmin. lib. de ſacram. matrim. c. 32. Victor Relect. 2. de Poteſt. Pontif. parag. Verũ poteſtas ſpiritualis, &c. n. 14 Ledeſ. in 4. p. 2. q. 20. art. 4. dubio principali poſt cõcluſ. 8. Molin. to. 1 de Iuſt. diſp. 29. circa finem.

9\. Ex his ſatis conuincitur, Regem Angliæ non ſolùm immeritò conqueri de Summo Pontifice, quòd de ſua iuramẽti formula iudicium tulerit, verum etiã grauiſsimè peccare à iudicio illius diſcordando, cùm illi tanquam ſubditus parere teneatur, præſertim in cauſis ſpiritualibus, ad quas controuerſiam de iuramento pertinere euidentiſsimum eſt. Accedit, quod nullam iuſtam excuſationem, aut defenſionem ſui iuramenti afferre hactenus potuit, vt in priori parte huius libri oſtenſum eſt, & quæ ibi adduximus, nullam inueniri poſſe conuincunt. Neque etiam contra Breuia Pontificia aliquid graue, vel alicuius momenti obiecit, præſertim quod ad punctum cauſæ principalis, quæ eſt de honeſtate iuramẽti, pertineat, vt in ſequẽtibus videbimus.

10\. In prima ergo reprehenſione, qua Põtificem arguit, quòd Pontifex ipſum inauditum condemnarit, cũ inter eos bellum indictum non ſit, multipliciter Rex ipſe arguendo peccat. Primo, quia ratio illa de bello non indicto impertinens eſt. Nam etiam inter Principes temporales maximè Chriſtianos licet neuter alteri ſubiectus ſit, non licet inauditum condẽnare, etiam poſt bellum indictum. Vt enim bellum ipſum iuſtè indicatur ex parte aggredientis, neceſſe eſt, vt contra inauditam partem non moueatur. Nam teſte Auguſtino lib. Quęſtionum in Ioſue, aliàs libr. 6. Quæſt. q. 10. *Iuſta bella ſolent definiri, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis impro-*

Prima regis obiectio in ipſum retorquetur.

Auguſt.

A *bè factum eſt, vel reddere, quod per iniurias ablatum eſt.* Hæc autem conſtare nõ poſſunt parti non auditæ; ergo etiam per bellum iuſtum non poteſt iuſta condemnatio fieri contra inauditam partem; ergo neque etiam poſt indictum bellum poteſt vnus Rex alium æqualem, ſeu ſupremum per ſententiam, vel alio modo inauditum condemnare, prout Rex in ſua obiectione ſupponere videtur. Deinde quia quanuis inter alios Principes æquè ſupremos id vtcũque procederet, longe diuerſa ratio inter ipſum, & Pontificem intercedit, ideòque illa etiam cõ-B paratione abutitur, cum ipſe iure ſubditus ſit Pontifici ratione baptiſmi, & fidei, quam in illo profeſſus eſt. Quod ſi ipſe Rex veritatem hanc negare, & contrariam profiteri publicè non veretur, quomodo conqueri poteſt, quod inauditus condemnetur? Præterea cum Rex ait, non eſſe indictum bellum inter ipſum, & Pontificem, ſi de bello materiali, ſeu corporali intelligat, quid ad cauſam refert, quæ principaliter, & directe (vt ſic dicam) ſpiritualis eſt? Bellum autem ſpirituale maximè inter Regem Anglię, & Summum Pontificem indictum eſt, C illudq; primus indixit publicè Henricus, quem Iacobus ſucceſſor eius imitatur, & hoc ſatis eſt, vt etiam ſi condemnaretur, conqueri non poſſet, inauditum condemnari.

Denique cur ſe condemnatum conqueritur? Nam in neutro Breui Pontificio aliqua eius condemnatio legitur, nec excommunicatio lata, nec depoſitio pronunciata, nec aliqua alia pœna inflicta, aut dicta ſententia. Quod ſi iuramẽti reprobationem, & prohibitionem, con-D demnationem ſuam appellet, immeritò dicit, ſe inauditum fuiſſe condemnatum, quia formula iuramenti vbique auditur, & legitur, quod ſatis eſt, vt ipſa damnari poſsit. Neque oportet, amplius audiri perſonam, cum contra illam nulla ſentẽtia declaratoria criminis in editione, vel petitione talis iuramenti commiſsi, neq; aliqua pœna propter idem crimen in Regem lata ſit. Sed ait Rex, Pontificem ipſum inauditum condemnaſſe, *partim eũ perſecutoribus annumerando, partim imperando Anglis catholicis, vt ab hoc iuramẽto abſtineant.* Sed neutrum horum ad propriam,

11\. Põtifex nullam pœnam Regi impoſuit.

priam, & iuridicam condemnationē pertinet, quæ contra inauditam partem ferri non debet. Nam opinione priuata ex publica fama, & effectibus manifeſta iudicare, & loqui de aliquo tanquam de alicuius criminis authore, ſæpe licet, etiam ſi ipſe prius non audiatur, vt eſt per ſe manifeſtū. Qua vero ratione poſſit iuſte Rex Angliæ perſecutoribus fidelium adnumerari, in decimo capite videbimus. De prohibitione autem iuramenti iam diximus, ſatis eſſe auditum Regem quoad hanc partem legendo ipſam iuramenti formulam, quam neq; ipſe negat, neq; dubitari poterat, eius authoritate factam, & ſuis ſubditis eſſe propoſitam.

12. Quocirca ſi tantum de condemnatione priuata (vt ſic dicam) loquebatur Rex, nihil ad rem confert dilēma, quod ſubiungit, quia ad iudicandum de aliquo priuatim non oportet eſſe iudicem competentem, id eſt, iuriſdictione vtentem, neq; etiam eſt ſemper neceſſarium (vt dixi) perſonam iudicandam audire, ſatis eſt enim ſufficientes cauſas, rationes, & motiua ad ita iudicandum habere. Neq; etiam alteri membro de prohibitione iuramenti recte accomodatur dilēma, quia ad reprobandam falſam doctrinam non oportet eſſe iudicem competentem authoris eius, neq; ipſum aliter audire, quā per ſcripta ſua. Ad prohibendum autē ſub præcepto tale iuramentum, neceſſaria quidem eſt iuriſdictio in eos, ad quos fertur præceptum, quam Angli catholici in Summo Pontifice tanquam in ſuo paſtore recognoſcunt. Recte ergo potuit Pontifex Anglis talem prohibitionem imponere, præſertim cùm non tam legem nouam fecerit, quam diuinam, & naturalem de euitando illicito iuramento, & falſi erroris profeſsione fugiēda declararit, & ſuo præcepto cōfirmarit. Reſpectu autem Regis licet veriſsimum ſit Pontificem eſſe ipſius iudicem competentem, vt ſupra oſtendimus, nihilominus tamen in hoc actu nullum iudicium iuriſdictionis in Regem excreuit. Nam licet author ſimilis iuramēti eſſet aliquis Princeps ethnicus non baptizatus, ſi iuramentum errorē aliquem in fide Chriſtiana, vel iniuriam noſtræ religionis inuolueret, poſſet Pōtifex illud reprobare, & Catholicis ſub quocumque Imperatore gētili degentibus prohibere, vt ex hactenus dictis ſatis manifeſtum eſt.

Lib. 3.

Quapropter immerito Rex in pagin. 7. Apologię confert, & æquiparat ſentētiam à Pio. V. latam contra Eliſabethā nimi cum hoc Breui Pontificio Paul. V. dicēs: *Num potuit is* (id eſt Pius V.) *aliquid ſtatuere acerbius, aut grauius, quam in me ſtatuit hic Pontifex? Quid enim inter hæc duo interſit, ſubditos à vinculo obedientiæ ſoluere, & præcipere, vt arma capeſsāt, quod Pius V. fecit, & edicere ſubditis, ne Principi iuramentum fidelitatis expoſcenti, obtemperent, quod hodiernus fecit Pontifex, nō facile diſcerni poteſt.* Sed quamuis vtriuſque Pontificis factum æquiſsimum fuerit, tam longe diſtant, vt facillime illorum diſcrimen cerni poſsit. Pius enim V. ſententiā in perſonam Reginę protulit, grauiſsimā pœnam indixit, & poteſtate ſua ſeuere, licèt iuſtè in eam vſus eſt. At vero Paulus V. nullam in Regem Anglię ſententiam tulit in ſuis Breuibus, neque hactenus aliqua pœna illum mulctauit, aut eā incurriſſe authoritate ſua declarauit, ſed improbitatem ſolius iuramenti aperuit, & quod neceſſario conſequens erat Regi illud imperanti obtemperare prohibuit. non vetuit autem (vt Rex ſemper cauſatur) ſimpliciter, & abſolute, ne ſubditi ſuo Regi iuramentum fidelitatis præbeant, ſed ne hoc iuramentum, quod fidei, & Religioni Chriſtianæ iniurioſum eſt, pręſtent. Ideoque valde diuerſa ſunt, prohibere ſubditis Regis hoc iuramentū vel illos à ciuili obedientia ſui Regis abſoluere: poſſunt enim, ſine coactione ad hoc iuramentum, eam ciuilem obedientiam præſtare, & iurare, quæ fidei Chriſtianę puritati non repugnet. 13. Diſcrimen inter Breue Pij, & Pauli V.

Ad ſecundam obiectionem de ſubditorum detrimentis, & periculis reſpondetur, non à Pontifice veritatem docente, & quod per ſe malum erat prohibente, ſed à Rege tale iuramentum imperante ſubditos Catholicos in eas anguſtias redigi. Suppoſita enim Regis vi, & coactione, non potuit Pontifex veritatem tacere, aut errorem diſsimulare, ſuo muneri, vt par erat, ſatisfaciendo. Ad tertiā reſponſum optime eſt ab alijs, Pontificē vt legislatorem ſcripſiſſe, ideo breuiter quid cauendum ſit intimaſſe. Addere 14. Reſpondetur ad 2. Regis obiectionem. Ad 3.

vero poſſumus, non oportuiſſe Pontificem deſignare, quid in illo iuramento reprehenderet, nam à principio eius vſq; ad finem nihil fere in eo eſt, quod cauendũ non ſit, & vitãdum, quia in ſingulis eius partibus, vt oſtendimus, vel ijdem, vel diuerſi errores inculcantur. Et ita ſunt omnes eius ſententiæ inter ſe connexæ, vt vix vlla ſit à ſuſpicione erroris libera. Quapropter non ſolũ prudenti, ſed etiã neceſſario conſilio, nihil in particulari Pontifex reprehenſione dignum deſignãuit, ne cætera tacitè approbare videretur.

CAPVT. VIII.

Poſsint ne Angli hoc iuramentum admittẽtes aliqua ratione, aut modo à culpa excuſari.

1\. POST initium, & quaſi præfationem, ſuæ Apologiæ, primum Pontificis Breue Rex ad verbum receẽſet, & deinde ad illud impugnandum aggreditur. Poſſumus autem Breue ipſum in tres partes diſtinguere, prius enim Põtifex ad fideles in tribulatione ſua conſolandos, & in moribus inſtruendos pauca verba pręmittit, deinde iuramentum reprobat, ac prohibet, & tandem ad fortiter pro fide reſiſtendum, & ad charitatis concordiam filios ſuos exhortatur. Quę fere omnia eodẽ ordine Rex impugnat, nobis autẽ cõmodius viſum eſt, prius materiam de iuramento abſoluere, poſtea verò cum Rege circa alia digredi. Propoſita ergo iuramenti formula, illud exhibere his verbis Pontifex vetat, *Quæ cum ita ſint, vobis ex verbis ipſis perſpicuũ eſſe debet, quod huiuſmodi iuramentum ſalua fide Catholica, & ſalute animarum veſtrarum præſtari non poteſt, cum multa contineat, quæ fidei, & ſaluti aperte aduerſantur.* Contra quę verba nihil noui Rex obijcit, ſed duas impugnationes repetit, quas licèt ſępe inculcet, nullam vim pręter verborum acrimoniam illis addit. Prima eſt, quia Pontifex paucіſsimis verbis iuramentũ perſtringit, & ſine vlla probatione iuramentum refellit. Vnde ſubiungit Rex, *Huic verò vetus dictum quadrat, quod de Philoſopho circũfertur, multa dicit, ſed pauca probat, imò verò nihil omnino probat.* Altera

Aliæ duæ obiectiones contra Breue.

A obiectio eſt, quia ꝓfeſsio fidelitatis erga Principem nõ poteſt Religioni, & ſaluti aduerſari, & de contraria aſſertione inquit. *Ita excedit meam Theologiam, quantulacumque illa eſt, vt prorſus nouã, & exoticam plane aſſertionem eſſe, non poſsim non exiſtimare: nec ex eius ore proferendam, qui ſe vniuerſalem Epiſcopum, & omnium Chriſtianarum animarum œcumenicum paſtorem ſatis inſulſe venditet.* Et hoc argumentum repetit Rex pagin. 30. Apologiæ, & in pagin. 31.

2\. In his autem obiectionibus, vt dixi, ſi

B piũs, & conſideratus lector attendat, nullam rationis vim, nullam ve doctrinæ ſoliditatem, ſed tantum dicendi licentiam inueniet. Ad priorem ergo reprehenſionem iam capite præcedenti iuſtas breuitatis cauſas reddidimus. Ad nouam autẽ redargutionem, *quia Papa dicit, & non probat*: recte Bellarminus reſpõdet, illa, quæ Rex allegat, non hominis fidelis, & Chriſtiani eſſe, ſed Philoſophi pagani, ſeu infidelis, ſiue ille fuerit Ariſtoteles de Moyſe loquens, vt Rex indicat, ſiue Aueroes de Chriſto, vt ferunt, ſiue Galenus, vt apud ipſum reperitur ſcriptum: omnes

Satisfit primæ

Bellarmi.

Vide Galenũ lib. 3. de Different. pulſ.

C enim illi non fide, ſed proprio iudicio, & opinione regebantur, quos in hoc hæretici imitantur, & ideo mirum non eſt, ſi Pontifici abijciant, quod alij Chriſto, vel Moyſi opponebant. Pontifex autẽ cum loqueretur fidelibus, quibus dictũ eſt, *niſi credideritis, non intelligetis,* nõ diſputationem texuit, nec prolixam probationem adiunxit, ſed ſimplicis veritatis propoſitionem ſufficere iudicauit. Cum enim ad orthodoxos loqueretur, qui de illius authoritate, & poteſtate non dubitant, & inter eos multi ſint rudes, & idiotæ, qui rationes, & probationes Theolo-

D gicas aſſequi non valent, conueniens nõ erat, eos rationibus, & probationibꝰ onerare, ſed ſimplicẽ veritatem docere. Imò etiam pro doctioribus oportebat, non in ambiguitate opinionum, & humanarum rationum rem tanti momenti conſtituere, ſed eam Pontificia authoritate firmare, ac breui declaratione veritatis rem expedire. Addo vero, etiam in illis verbis certiſsimam, & euidentiſsimam probationem Pontificem inſinuaſſe dicendo, *Vobis ex verbis ipſis perſpicuũ eſſe debet,* nõ eſt enim neceſſaria alia probatio præter

verba

verba iuramenti, & illa eſt ſufficientiſsima, vt in ſex primis capitibus à nobis demonſtratum eſt, poſſuntq; pro commẽtario quodam horum verborum Pontificis deſeruire.

3. Confutatur ſecunda. Ad alteram obectionem iam ſępe reſponſum eſt, non oportere loqui in communi de iuramento fidelitatis ciuilis, ſed de hoc iuramẽto, quod potius eſt abiurationis fidei ẽrga Pontificem, quam fidelitatis ad Regem. Iuramentũ ergo fidelitatis in communi ſumptum non repugnat religioni Romanæ, nec fidei Chriſtanæ, quę eadem eſt, neq; etiam ſaluti fidelium, neque Theologi nomen meretur, qui hoc ignorat. Verumtamen, vt pro veritate libere reſpondeam, non ſatis illam ponderauit, qui aſſertionẽ illam tribuit Sũmo Pontifici, cum in neutro eius Breui, imò neq; in vniuerſis decretis Ponticum aliquod eius veſtigium reperiatur. At vero hoc iuramentũ infidelitatis euidenter pugnat cum Religione vera, & contra ſalutem eſt animarum, & hoc eſt, quod Pontifex dixit, eſtq; veriſsimum, & ex verbis iuramenti perſpicuum, vt in præcedentibus à nobis, & prius à Cardinali Bellarmino reſponſum, & probatũ eſt. Quibus probationibus Rex nihil reſpondit, ſed digreditur poſtea in ſua Apologia ad probandam Regum authoritatẽ, & poteſtatem in temporalibus, ac ſi aliquis catholicorum illam negaret. Vnde nihil adducit, quod ad punctum pręſentis cõtrouerſię pertineat. Probant enim omnia illa, Reges habere ſupremam poteſtatem in temporalibus, non tamẽ probant, non habere illam ſubordinatam, & ſubiectam ſpirituali poteſtati Pontificis, vt in diſcurſu tertij libri latiſsimè oſtenſum eſt. Vbi ad omnia, quę hic Rex proponit reſponſum eſt, ideoq; de hac obiectione, nihil amplius nobis dicendum ſupereſt. Solum aduertere non omittam, immerito Regẽ in pagin. 33. Pontifici attribuere, quod incertis rumoribus ductus, temerè hoc Breue expedierit, nã ex eiuſdem Pontificis paucißimis verbis euidenter conſtat, non fama, aut rumoribus, nec alijs extrinſecis teſtimonijs, ſed perſpicuis iuramenti verbis motum, vel potius coactum fuiſſe, tale iuramentum fidelibus interdicere. Neq; diſsimilia ſunt, quæ in ſubſequentibus vſq; ad

A ſinem huius partis Rex profert, quæ libens omitto, quia & ad ſola facta pertinent, & illis copioſe Bellarminus reſpondet,

Dubitare vero quis vlterius poteſt 4.
circa hanc partẽ Pontificij Breuis, an eo nõ obſtante, poſsit aliquo modo excuſari à culpa infidelitatis, vel ſacrilegij, qui iuramẽtum illud exhibere nõ recuſauerit. Et ratio dubitandi in primis eſſe poteſt, quia in illo iuramento nullum dogma fidei negari, ſeu abiurari videtur. Ad ſummum enim in illo negatur Pontifici poteſtas deponendi Regem, nam cætera ex hoc principio pendent; at vero licèt nos credamus eſſe verum, Pontificẽ habere hanc poteſtatẽ, non tamen videtur pertinere ad dogmata fidei, quia nec in Scriptura inuenitur expreſſum, nec ab Eccleſia tãquam de fide definitum; ergo licèt illud negetur exhibẽdo tale iuramẽtum, nõ negabitur aliquod dogma fidei. Vnde vlterius inferri poteſt, nõ teneri aliquẽ cũ magna iactura, & pręſertim cũ euidenti periculo mortis tale iuramentũ recuſare, quia ſi non continet fidei abnegationem externam, non eſt intrinſecè malum, neq; contra Religionem, ac ſubinde excuſari poterit à culpa propter tã grauem cauſam.

An excuſari [illegible]

Excuſatio. prima.

Secundo poteſt augeri excuſatio, quia verba iuramẽti nõ ſunt tam clara, quin poſsint in alio ſenſu concipi, & iurari, in quo etiam illa Pontificis poteſtas ad deponendos Reges non abiuretur; ergo hoc modo licitum, ſeu à culpa excuſabile eſt hoc iuramentum. Conſequẽtia probatur, quia licèt afferens iuramentum, in prauo ſenſu, & mala intentione illud exigat, iurans non tenetur illius intentioni cõformari, ſed poteſt vti amphibologia, quam verba patiantur, & tunc neq; contra veritatem iuratur, neq; contra Religionem, vel fidei confeſsionem, quia iurans nihil tale iurare intendit. Difficultas itaque videtur eſſe in antecedente, quod probatur, nam in prima clauſula cum iuratur Rex, *quod ſit ſupremus dominus, &c.* intelligi poteſt in ſano ſenſu de ſupremo dominio temporali, & cum ſubiungitur, Papã nõ poſſe eũ deponere, iurans poteſt ſubintelligere *ſuo arbitrio, & libidine*, vt Rex Angliæ loqui ſolet, poſſunt ergo ita hæc illius verba, ſubintellecta illa particula,

5. 2. Excuſatio.

ticula,ac ſi eſſet expreſſa,vel quod in idẽ redit,ſubintelligi poteſt, *ſine legitima cauſa.* Eadẽq; particula mente concipi,& repeti poteſt in cæteris verbis eiuſdẽ clauſulæ. Et in clauſula ſecunda poteſt ſpecialiter fundari in illis verbis: *Ipſumque & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes, & attentata quæcũque defendam. Conſpirationes* enim, & *attentata* in deteriorem partem accipiuntur ad ſignificandas cõiurationes, & tumultus iniuſtè excitatos. Poteſt ergo vnuſquiſq; in hoc ſenſu verba illa accipere, & non peccabit in eodem illa iurando; ergo in eodem poteſt omnia præcedentia concipere,& iurare, quia in vno contextu poſteriora verba explicant,& limitant præcedentia. Et ita conſequenter reliquæ clauſulæ ſimilem excuſationem admittent, vt conſideranti facile patebit.

6. Confirmariq; ſolet ab Anglis, vt à fide dignis accepi, hęc ãphibologia, quia iuramentum in Anglicana lingua editũ eſt, & in originali ꝓ verbo *interficiendi Regẽ* eſt in vulgari lingua verbũ *murderari*, qđ Anglicè ſignificat *iniuſtè interficere*, & ita cõmuniter accipitur; ergo & in illo iuramento poteſt licite ita accipi in ſenſu etiam literali, ac communi, maximè in caſu amiſsionis vitæ, aut bonorum omnium. At in illo ſenſu verum eſt, nunquam eſſe licitum ſubditis *murderari* Regem,& hęreticum eſſe affirmare, id aliquando licere, ſicut hæreticum eſſet dicere, aliquando eſſe licitum iniuſtitiam facere. Ergo alia verba trahi poſſunt ad eundem ſenſum propter connexionem. Vel certe, quia tota propoſitio cum copulatiua ſit,ratione alterius partis eſt falſa. Nam in tertia clauſula copulatiuè proponitur abiuranda propoſitio, *licere, Regem deponere,& occidere* (vtique iniuſte,ergo tota propoſitio erit falſa, & hæretica ratione vnius partis, & ita poterit ſine peccato abiurari,quia propoſitio copulatiua,cuius vna pars eſt falſa, ſimpliciter eſt falſa, & ſimiliter ſi vna pars ſit hæretica, ſimpliciter hæretica erit.

Ita legitur in Breui Põtificio prout à Bellar mino refertur.

7. Excuſatio. 3.

Tertia euaſio vulgaris eſſe ſolet de excuſatione per ignorantiam, quam nõ ſolum eſſe poſſe, ſed de facto fuiſſe inuincibilem apud Anglos, aliqui eorum perſuadere conati ſunt. Quia opinio aſſerẽs, licitum eſſe illud iuramentum exhiberę

A multorum virorũ authoritate, & varijs rationibus,& expoſitionibus clauſularũ facta eſt probabilis; ergo licèt iuramentum in ſe prauum ſit, vt Pontifex declarauit, nihilominus practicè non peccabunt illud admittentes, conformando ſe opinioni probabili in caſu tãtæ neceſsitatis,extremiq; periculi. Atque hæ ſunt excuſationes,quas ad permittendũ ſimile iuramentum, ab aliquibus inuentas eſſe audio, re tamen vera potius ſunt fraudes ad decipiendas animas, quam legitimæ defenſiones talis promiſsionis B veræ Religioni cõtrariæ,vt breuiter per ſingulas diſcurrendo conuincemus.

8. Confutatur prima excuſatio.

Prima ergo excuſatio ab hæreticis potius, quàm à fidelibus theologis inueniri potuit: falſum enim eſt, & hæreticum quod in principio illius excuſationis ſumitur. Nam propoſitio hæc,Papa poteſtatem habet ad deponendos Reges hęreticos,& pertinaces,ſuove regno in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus pernicioſos,inter dogmata fidei tenẽda,& credenda eſt. Nã continetur in verbis Chriſti Petro ſingulariter, & peculiari ratione dictis, *Quodcumq; ligaueris, & quodcũq;* C *ſolueris*,& *Paſce oues meas*,prout Catholica Eccleſia,quę eſt columna, & firmamẽtum veritatis,illa intellexit, & apertiſsimè declarauit Bonifacius Octau⁹ in Extrauag. *Vnam Sanctam* de Maiorit.& obedien.concludens, eſſe veritatem hanc de neceſsitate ſalutis. Et ita omnes Doctores Catholici tam Iuriſtæ, quam Theologi in hoc gradu certitudinis veritatem hanc recipiũt,vt in lib.3. ex profeſſo eſt diſputatum, & ſæpius inculcatum eſt. Cum ergo in illo iuramento abiuretur hæc poteſtas, plane abiuratur Catholica fides. Vnde ſi ex corde fiat,amitti-D tur fides,& in hæreſim inciditur: ſi vero fiat ſimulatè,multiplex periurium committitur,& contra fidei confeſsionẽ peccatur,vt conſtat.

Bonif.8. Extraug. Vnam Sanctam.

9. Graue peccatũ eſt abiurare Pontificis poteſtatem vel in vno actu deponẽdi regem ex iuſta cauſa.

Addo vero etiam eſſe falſiſsimũ, quod in poſteriori parte illius excuſationis ſumitur, quia licèt veritas illa non eſſet in ſummo rigore de fide,in primario gradu vt aiunt, ſed certa, theologica certitudine, grauiſsimum peccatum foret talem veritatem,& illum actum Pontificiæ poteſtatis abiurare. Probatur ratione proxime facta,quia vel abiuratio ficte fit, & cõmit-

cōmittútur multa periuria, & iniurioſa, ac pernicioſa Pontifici, quod ad minimū eſt contra reuerentiam, & obedientiā illi iure debitā, & euidenter includit malitiā ſchiſmatis, quod proinde nō audet Rex de ſe negare, quanuis malitiā eius diſsimulet, vt in primo libro ſatis oſtēdimus. Si autem abiuratio fiat ex corde, graui⁹, & formalius (vt ſic dicam) ſchiſma committitur, & iuramentum licet non ſit contra mentem, hoc ipſo fit iniquum, & vinculum iniquitatis. Nam in materia grauiſsima, & neceſſaria ad vnitatem, & concordiam Eccleſiæ, negare certam veritatem, etiam ſi nō eſſet per ſe primo de fide, eſt grauiſsimum peccatum contra charitatem Eccleſiæ, & contra iuſtitiam, negando ſedi Apoſtolicæ, quod legitimo titulo ſuum eſt; ergo iurare talem abnegationem, eſt ſacrılegum, & pernicioſum iuramentum. Non poteſt ergo vllo modo propter quæcunq; temporalia incommoda vitanda admitti.

10. Oſtenditur argumento ad hominē.

Declaratur ad hominem: nam certe non eſt de fide, Iacobum eſſe verum Regem Angliæ, nullibi enim reuelatū eſt; imò neque theologicè certum eſt, ſatis enim erit, ſi quadam fide humana moraliter certa credatur: & tamen non negabit quidem Rex, quin iurare Iacobum non eſſe verum Regē Angliæ ſit graue peccatū, quia vel eſt iurare aliquid, quod in re falſum eſt, vel ſaltem aliquid quod ſine magna temeritate non poteſt credi, vel affirmari tanquam verum, ideoque facile concedet Rex, tale iuramentum etiam propter vitandam mortem fieri non poſſe. At vero quantūcunq; Rex in ſua Præfatione tergiuerſetur, longe certius eſt, Pontificem habere poteſtatem in ipſum Regem, quàm ipſum eſſe verum Regem, plura enim, & altiora principia habet illud prius, quam hoc poſterius. Nam quod Iacobus fuerit verus ſucceſſor regni, ſolum in quadam traditione, & probatione humana fundari potuit, & non parum ipſe formidauit, ne in dubium verteretur, cum eſſet hæreticus, & Reginæ iam declaratæ hæreticæ ſuccederet: quem metum publica regni acceptatio, cum patientia, & tolerantia Pontificis auferre potuit.

Fundamentū dictæ Pōtificiæ poteſtatis.

Poteſtas autem Papæ ſupra Regem fundamentum habet in verbo Chriſti, in Eccleſiæ communi conſenſione, in Decretis Pontificū, & Conciliorum, in doctrinis Patrū, & Theologorū optimorum, & catholicorū, & prudentium vtriuſq; iuris interpretum, & in frequenti, & inueterato vſu; quomodo ergo poteſt vna certitudo cum alia cōparari? Si ergo Rex non grauate concedet, iniquum eſſe, ſe à ſubditis ſuis Regem abiurari, quomodo diſputare audet, non eſſe iniquiſsimū, & pernicioſū fidelibus Chriſtianis Pontifici ius ſuū, poteſtatem, & obedientiam abiurare? quod in illo iuramento euidenter fit.

11. Refellitur 2. excuſatio

Secunda excuſatio ab hominibus timidis, & in fide, & charitate parum conſtantibus inuenta videtur, eſt enim valde friuola, & verbis iuramēti multis modis repugnans. Primum enim in fine iuramenti additur clauſula excludens omnem extraordinarium ſenſum verborū per ſubintellectas particulas, vel quolibet alio modo. Ita enim dicitur. *Hæcque omnia plane, ac ſyncere agnoſco, & iuro iuxta expreſſa verba per me hic prolata, & iuxta planum, ac communem ſenſum, & intellectum eorundem verborum, abſque vlla æquiuocatione, vel mentali euaſione, vel ſecreta reſeruatione quacunq́;* Siquis ergo hæc verba proferat abſque intentione implēdi illa, eo ipſo periurus eſt; ſi vero ex corde, & animo proferat, non habet locū tota illa ſecunda excuſatio, vt facile conſideranti patebit. Nam licet daremus, particulam illam *ſine legitima cauſa*, vel *ſua libidine* ſubintelligi poſſe in abiuratione poteſtatis Pontificis per ſe ſpectata, & non adiunctis alijs clauſulis, non tamen poteſt talis additio tacita, ſeu mentalis, ſuppoſita illa vltima clauſula, ſine periurio adiungi.

12.

Deinde in hoc iuramento non ſolum fit promiſsio nunquam occidendi Regē, nec cooperandi ad conſpirationem contra illum, vel ſimilia, quæ ad factum pertinent, & poſſent intelligi de iniuſtis factis; ſed abiuratur ipſa Pontificis poteſtas cum tot particulis diſtributiuis, vt non habeat locū ſenſus ille, ſeu limitatio ſubintellecta. Sic enim dicitur in prima clauſula, *Et quod Papa nec per ſe ipſum, nec per vllam aliam authoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, vel per vlla media cū quibuſcunque alijs aliquem poteſtatem, nec authoritatem habeat Regem deponendi, &c.* Quæ

verba

verba nullomodo reſtringi poſſunt ad poteſtatem deponendi iniuſtè, vel ſine cauſa. Tum quia omnis poteſtas illi denegatur; tam in particulari reſpectu huius Regis, quā in generali reſpectu omnium ſucceſſorū, vt in clauſula ſecunda additur, & cum diſtributionibus, *non obſtante aliqua declaratione, vel excōmunicatione, vel depriuatione facta, vel facienda.* Tum etiā quia virtute iuratur, talem ſententiam, vel depoſitionem nō poſſe eſſe iuſtam, nec efficacem ex defectu poteſtatis, etiam ſi Rex qui iuramētum exigit, ſeu de quo in ſpecie iuratur, hæreticus, vel ſchiſmaticus ſit.

13. Præterea ſimili modo, & cum eiſdem ampliationib⁹ abiuratur poteſtas abſoluendi ſubditos à vinculo obedientiæ, & quod non obſtante quacunq; abſolutione, defendant ſubditi Regem etiam contra Papā, & nulla habita ratione alicuius cenſuræ, vel excōmunicationis. Quod non poteſt mente reſtringi ad excōmunicationē iniuſtam, vel nullam, quia verba ſunt adeo vniuerſalia, vt illis repugnet talis limitatio, ſcilicet, *Non obſtante aliqua declaratione, vel ſentētia excommunicationis,* â quibus verbis excludi non poteſt declaratio, quod talis ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus, quæ ſit vera, & à Papa per quancumq; poteſtatem ſuam facta, nam verba illa omnia cōprehendunt. Deniq; tota illa profeſsio, confeſsio, & abiuratio eſt directe contraria Pontificū, & Conciliorum definitionibus; ergo eſt expreſſa exterior negatio dogmatū fidei, quæ nunquā poteſt eſſe licita propter ſubintellectas interpretationes, vel particulas, quia eſt contra obligationem confitendi fidem, & non negandi illam etiam exterius. Vt omittā ſcandalum publicū aliorum fidelium, quod non poteſt à tali actione ſeparari, neq; præbendum eſt, etiā propter vitandam mortem, vt exemplo Mathatiæ Machabei docemur.

14. Refellitur cōfirmatio eiuſd. excuſationis. Vnde ad confirmationem de vulgari verbo Anglicano *murderari*, quod dicitur ſignificare idē, quod *iniuſte occidere,* reſpondetur, ſi tātum proponeretur iurandum, hæreticū eſſe dicere, *Regē poſſe à ſubditis murderari,* tolerabilē futurā fuiſſe excuſationē. At nunc non ſolū id proponitur, ſed etiā eſſe hæreticum dicere, Principes per Papā depriuatos, aut excō

A municatos poſſe per ſubditos deponi, quod eſt contra doctrinā fidei. Nec habet locū euaſio, quod tota copulatiua ratione vnius partis ſit falſa, tū quia in forma iuramenti prout habetur in libro Regio, diſiūctiuè legitur, *deponi, aut occidi;* tum etiā quia licet legatur copulatiue *deponi, & occidi,* ſenſus idē redit, quia non iuratur, totū illud coniunctum, ſeu propoſitionē hypotheticā eſſe hæreticā, ſed iuratur, ſingulas partes eſſe hæreticas, ſcilicet poſſe Principē à Papa depoſitū per ſubditos deponi, & poſſe *murderari*, & Excluditur euaſio.

B ita ſemper damnatur vt hæretica propoſitio catholica, & ſecūdum fidem certa. Eo vel maximè, quod verbum *murderari* ideo poſitū ibi eſt, quia ſupponitur, non obſtante ſententia Papæ, occiſionē Regis eſſe iniquam proditionē eius, & contra fidelitatē Regi debitā, & ita totū hoc ibi iuratur. Vnde licêt verbū illud per ſe ſumptū illam ſignificationem habeat, tamē in illo iuramēto per multa alia verba declaratur, & extenditur, ita vt non habeat locū limitatio, præſertim reſpectu totius iuramenti, & omniū clauſularum eius. In quibus ſæpe fit expreſſa, & ab-

C ſoluta, & vniuerſalis abiuratio poteſtatis Papæ ad puniendos Reges, etiā rebelles, & pertinaces; & præterea recognoſcitur in Rege authoritas, & poteſtas ad exigēdum tale iuramentum, & miſcentur alia, quæ non poſſunt cū veritate iurari, ſeu à periurio per illas verborū æquiuocationes, vel ſubintelligentias excuſari.

Circa tertiā excuſationē diſtinguerē oportet tēpora, & perſonas. Quoad tēpora enim poſſumus loqui de tēpore ante declarationē factā à ſummo Pōtifice, vel poſt illā. In priori tēpore potuit fortaſſe eſſe aliqua cōtentio, vel opinionū diuerſitas inter catholicos, ſalua conſcientia, 15. In quo ſenſu & inquibus perſonis 3. excuſatio locū habeat.

D de quo ſtatim dicā. Poſt declarationem autē Pontificis, nullomodo exiſtimari poteſt probabilis opinio illi deciſioni cōtraria, quia apud illū eſt poteſtas declarādi huiuſmodi dubia ad bonos mores, & fidē pertinentia, cui ſubditi ſtare tenētur aliâs inutilis eſſet talis poteſtas. Dequo iā ſatis in ſuperioribus dictū eſt. Quoad perſonas vero diſtinguere oportet inter eos, qui docti ſunt, & per ſe poſſunt qualitatē iuramenti expendere, & de illo iudicium ferre, & alios ignorantes, quos

oportet

oportet aliorum duci opinione, & iudicio. De his poſterioribus non eſt dubiū, quin potuerint aliqui per ignorantiam excuſari, ſi ſacerdotes, qui reputabantur probi, & docti, eos docebant, iuramentū illud potuiſſe ſalua conſcientia præſtari, retenta intentione non iurandi aliquid contra fidem, vel contra Papæ poteſtatem. Hæc autem ignorantia iam nō habebit locum etiam in his ſimplicioribus poſt Pontificium Breue, quia tenentur illud præferre omnibus ſuis priuatis Doctoribus. Si tamen eſſent aliqui adeo rudes, qui nihil de Pontificia declaratione audierint, vel intellexerint, poſſet adhuc in eis talis ignorantia durare, quia perinde ſe habebūt, ac ſi Papa nihil declaraſſet. Veruntamen res adeo eſt notoria, & in illis partibus publica, vt vix poſsit caſus moraliter accidere. In alijs vero fidelib⁹ doctis, qui per ſe poſſunt iuramenti momenta expendere, etiam ſublato è medio Breui Pontificio, nunquā cenſeo fuiſſe opinionem probabilem eorum, qui profeſsionē talis iuramenti licitā eſſe docebant, quia verba iuramenti ſemper fuerunt tā perſpicua, & tam multiplicia, & tot modis cōſcientiā illaqueātia, & ſchiſmatis approbationē, & profeſsionem inducentia, vt licet in vna, vel alia vocula, aut particula colorata euaſio locum habere potuerit: impoſsibile fuerit modū verè probabilē inuenire totum iuramētum honeſtandi, ſeu excuſandi, ac pericula eius euadendi, vt ſatis probāt, quæ de ſingulis eius verbis hactenus ponderata ſunt. Siqui ergo in principio doctrina, & vita commendati in illam ſententiam prolapſi ſunt, ducti fortaſſe timore, aut ratione humana, non ſatis rem cōſiderarunt, quorum ignorantia probabilis fuerit, nec ne, nunc iudicare non eſt neceſſe, oportere autem exiſtimo, maculā timere, eamq; tum pœnitentia, tum publica confeſsione, qua infirmiores animentur, & inſtruantur, ne infraudem incurrant compenſare, & ſi opus ſit, proprio ſanguine abluere.

Sine declaratione Pōtificis nō poterat iuramentū probabiliter defendi.

CAPVT IX.

Liceat ne catholicis Anglis templa hæreticorum adire, & cum eis in ritibus communicare ſine intentione cultus, vel cooperationis cum illis, ſolum propter temporales pœnas vitandas?

A QVANVIS Rex Angliæ in Apologia ſua hanc partem Pontificis Breuis referens, eam attingere noluerit, ad huius operis complementum, & ad maiorem fideliū inſtructionem, maioremque eorum, quæ de iuramento diximus declarationē, & confirmationē, non nulla de hoc puncto dicere opportunū, & neceſſarium hoc loco exiſtimaui. Occaſio autem, ſeu neceſſitas hujus doctrinæ orta eſt ex duravexatione, quā catholici in Anglia patiuntur, dū per leges acerbiſsimas bonis priuantur, alijſq; grauibus pœnis ſubijciūtur, niſi Eccleſias hæreticorum adeant, eorumq; cōcionibus, precationibus, alijſve ritibus interſint. A temporibus enim Eliſabethæ ſtatim cæperunt catholici grauiſsimis pœnis cogi Eccleſias hæreticorum frequentare, eorumq; ritibus, & concionibus intereſſe. Priuſq;, vt Sand. lib. 3. ann. 1559. refert, in ſingula capita duodecim aſsium multa eſt indicta Eccleſias ſicut prius frequentare recuſantib⁹. Poſtea vero (vt idē refert ann. 1582.) *Ordinibus conuocatis legē promulgant, qua mulctant vtriuſq; ſexus ſingulos (modo annum decimum ſextum ætatis attigerint) qui recuſant adire Proteſtantium preces, conciones, ac Eccleſias, viginti libris Anglicanis menſtruis, id eſt, aureis ferè ſeptuaginta.* Additumq; eſt, referente Epiſcopo Tarazonenſi, vt qui aureorum ſummam non haberent, in carcere detinerentur, donec ſoluerent. Quæ leges, & pœnæ acerbiores vſq; ad præſentem diem factæ ſunt, vt capite ſequenti referemus. Hinc ergo non nulli, pia catholicorum miſeratione cōmoti, dubitare cæperūt, an poſsint aliqua ratione â culpa excuſari, illas leges ſeruando, ita vt neq; ſine euidenti obligatione cogantur tot mala ſuſtinere, neque etiam cū conſcientiæ periculo, propter humanum timorem, vel temporaliū rerum nimium amorem, iniquis, ac tyrannicis legibus ſubijciantur.

1. Sander. An liceat catholicis hæreticorū Eccleſias frequētare, vt temporalia damna euitent.

Vt autem ratio dubitandi, veraq; illius deciſio intelligi, ac fundari meli⁹ poſsit, pauca de obligatione, & præcepto confitendi fidem, non ſolum verbis, ſed etiā factis præmittere neceſſe eſt. Et in primis tria illa diſcernenda ſunt, quæ communiter in hac materia diſtinguunt, ſcilicet, *confiteri fidē exterius*, vtiq; publicè, 2.

Explicatur diuinū præceptū fidē exterius confitendi.

ſeu coram alijs, ita vt videntes, vel audiĉtes per ſigna externa à me exhibita, intelligant, me eſſe Chriſtianum; huic extremê opponitur, *negare fidem*, quaſi medium autem inter hæc eſt *occultare fidem*, quod tantum negatiuê opponitur confeſsioni, non contrariè, ſicut negare fidem.

3. Ex his autem tribus certum eſt, primum ſcilicet, confiteri fidem, cadere ſub præceptum diuinum. Ita docent
D. Thom. omnes catholici Doctores cum Diuo
Paul. ad Thoma. 2.2. quæſt. tertia. Eſtque cer-
Rom. 10. tum de fide ex illo Pauli ad Roman. decimo. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.* In hoc enim vltimo verbo, *fit ad ſalutem*, ſignificat Paulus, confeſsionem fidei eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſicut enim dicitur, corde credi ad iuſtitiam, quia fides eſt ad iuſtificationem neceſſaria, ita fidei confeſsio dicitur fieri ad ſalutem, vtique æternam, quia ad illam conſequendam, & ad gratiam conſeruandam eſt neceſſaria. Et inde etiam conſtat, loqui Paulum de externa, & ſenſibili cõfeſsione fidei, nam interna pertinet ad prius membrũ credendi corde, non enim aliter interius cõfitemur fidẽ, id eſt, veritates fidei, niſi illis aſſenſum internum tribuẽdo, quod eſt corde credere. Vltra hoc ergo requiritur ad ſalutem externa confeſsio. Quam etiam explicuit Paulus dicens, *ore* fieri, non quia ſolo ore fieri poſsit, aut debeat, nam etiam poteſt fieri actibus corporeis, & alijs ſignis externis, quibus Chriſtianam religionem profitemur, ſed quia verba ſunt ſigna magis expreſſa, & ad mentem exprimendam principaliter inſtituta, ideo ſpecialiter tribuit Paulus ori confeſsionem fidei.

4. Chriſtus autem Matth. 10. abſolute
Matt. 10. dixit: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Quæ verba non habent tam expreſſam formam præcepti, ſicut promiſsionis, ſed alijs locis explicuit Chriſtus, confeſsionem noſtram eſſe nobis neceſſariam ad obtinendam cõfeſsionem ſuam, vt ſtatim videbimus. Recte autem quadrat Chriſti promiſsio cum verbo Pauli *ad ſalutem.* Diſtinxit enim Apoſtolus inter fidem cordis, & confeſsionem oris, & illam dixit neceſ-

A ſariam *ad iuſtitiã*, id eſt, ad remiſsionem peccatorũ, & internam animæ renouationem obtinẽdam, quia interna fides fundamentum eſt ipſius iuſtitiæ: ad illam autem non eſt ita neceſſaria confeſsio externa fidei, niſi forte in propoſito generali implendi omnia præcepta. Alioqui enim iuſtificatur homo per internam fidem cum cordis contritione, & dilectione, priuſquã in externum actum confeſſionis fidei prodeat. Vnde recte dixit
Ambroſius in Pſalm. 38. *Fides credentiũ* *Ambr.*
principalis eſt, confeſsio executionis. Et ideo
B confeſsio fidei non dicitur eſſe ad iuſtitiam, ſed *ad ſalutem*: nam poſt iuſtitiam obtentam adhuc neceſſaria eſt fidei confeſsio ad perſeuerandum in illa iuſtitia, & conſequenter ad ſalutem conſequendam, nam *qui perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit*, & illum Chriſtus corã Patre ſuo confitebitur.

Hoc autem præceptum non eſt tantum poſitiuum diuinum, ſed eſt morale 5.
præceptum quaſi connaturale ipſi fidei, ſeu homini, ſuppoſito ſtatu fidei: ideoque in omni tempore, & in omni ſtatu Eccleſiæ fidei confeſsio fuit ad ſalutem neceſſaria. Rationem autem huius veri-
C tatis attigit Auguſtinus libr. de fid. & *Auguſt.*
ſymbol. in princip. dicens, *fides à nobis exigit officium & cordis, & linguæ, ait enim Apoſtolus corde creditur*, &c. *Et ideo oportet, nos eſſe iuſtitiæ memores, & ſalutis, quandoquidem in ſempiterna iuſtitia regnaturi à præſenti ſeculo maligno ſalui fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorũ nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus.* Quibus verbis inſinuat, fidei cõfeſsionẽ propter proximum eſſe neceſſariã. Idẽq; declarauit amplius ſerm. 181. de Tẽpor. alias ſerm. 59. de diuerſis
D his verbis. *Sine fide impoſsibile eſt placere Deo, hanc in cordibus noſtris agnoſcit, qui ſcrutatur renes, & corda. Sed propter cõſeruandã Eccleſiæ vnitatẽ diſpenſationi huius temporis cum fide cordis neceſſaria eſt oris cõfeſsio, quia corde creditur ad iuſtitiã, ore autem confeſsio fit ad ſalutem, non tantum prædicatorum, ſed etiam eruditorum: non enim aliter frater de fratre ſentiret, nec pax Eccleſiæ ſeruaretur, neq; alium docere, neq; ab alio diſcere ſaluti neceſſaria poſſet, niſi quod in corde habet, ſignis vocum tanquam ſuis vehiculis ad aliorum corda tranſmitteret.*

Eſt

Eſt ergo fides & corde ſeruanda, & ore promenda. Fides enim omnium bonorum eſt fundamentum.

6. Itaque ſentit Auguſtinus, fidem cordis propter Deum per ſe primo neceſſariam eſſe, confeſsionem verò fidei propter proximos, ſeu propter Eccleſiam, nã ſicut fides interna eſt fundamentũ vnionis animæ cum Deo, ita confeſsio fidei eſt fundamentum Eccleſiaſticæ vnitatis, & pacis. Non quod ipſa etiam confeſsio fidei non ſit pręcepta propter Dei honorem, & cultum, ſed quòd non ita directe, & immediatè ad Deum tendat, vel propter ipſum neceſſaria ſit, ſicut interna fides. In quo eſt etiam conſiderandum, confeſsionem fidei duobus modis fieri poſſe, vno modo propter oſtendendam exterius fidem internam, quam in corde habemus, ita vt hoc ſit præcipuũ, & quaſi vnicum proximum motiuum talis confeſsionis, alio modo ſit pręcipue propter aliquem cultum externum exercendũ, Deoque exhibendum; & hoc modo ſacrificium Miſſæ, & vſus ſacramentorũ, & aliæ cęremoniæ dici poſſunt pertinere ad confeſsionem fidei, proprie autem ſunt actus Religionis, & propter Dei cultum, & honorem proximè, ac præcipue fiunt, & præcipiuntur. At verò formalis (vt ita dicam) & propria confeſsio fidei eſt, quæ ſit ad manifeſtandam alijs noſtram internam fidem, & hæc ſine dubio ad homines immediatè refertur; nã propter Deum non erat neceſſaria, ideoque recte fundatur ratio huius pręcepti in neceſsitate huius confeſsionis ad coniũctionẽ fidelium in vnius Eccleſiæ pace, & vnitate, quã ipſamet fides exigit. Et ita etiã expoſuit idem Auguſtinus illud Pſalm. 115. *Credidi propter quod loquutus ſum, quia non perfecte credunt* (inquit) *qui quod credunt, loqui nolunt.*

Proprium motiuũ cõfeſsionis fidei eſt ad internam manifeſtandã.

Vbi fundetur præceptũ confeſsionis fidei.

D. Aug.

7. Atq; hinc colligitur etiam ſecundum, ſcilicet, *negare fidẽ*, eſſe contra diuinũ pręceptũ, ſeu cadere ſub præceptum prohibens, ſeu negatiuum. Quod eodem modo eſt de fide certum, dicẽte Chriſto Domino Matth. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Nam qui negauerit, audiet, *Neſcio vos*, vt ibi dixit Theophil. Vnde Paulus. 2. ad Timot. 2. *Si negauerimus, & ipſe negabit nos*, vbi Ambroſius

Theophil.
D. Paul.
Ambroſ.

A Theodoret. & Primaſ. id notãt. Et Chryſoſtom. homil. 35. in Matth. rationẽ reddit, dicens, *Liberam petit confeſsionem, & ad maiorem charitatẽ nos adducit, & ſublimes, atque inuictos eſſe deſiderat, quapropter omnibus hæc præcipit.* Et eodẽ modo interpretatur ibi verba illa Chriſti. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, quæ corpus exponũt cuicumq; vulneri, vt caput ſeruent, ita enim fidelis debet potius corpus prodere, quam fidẽ (quæ caput eſt, & initiũ bonorũ omniũ) negare. Quod etiã habet ibi Hieronym. & Hilar. can. 10. & Auguſtin. lib. 2. de Doctr. Chriſtian. cap. 16.

Theodoret.
Primaſ.
Chryſoſt.
Matt. 10.
Hieron.
Hilar.
Auguſt.

B

8. Sequiturque hoc pręceptum ex priori: nam in omni præcepto affirmatiuo includitur negatiuum nihil faciendi cõtrarium ei, quod per affirmatiuum pręceptum eſt, vt ſi iubemur amare Deum, ibi virtute prohibemur quidquam agere diuino amori cõtrarium, & ſic de alijs, nam vnum contrarium deſtruit aliud, vnde ſi vnum pręcipitur, contrarium ſine dubio prohibetur. Cum ergo præcipitur fidei cõfeſsio, ibi virtute prohibetur fidei negatio, nã hęc confeſsioni contraria eſt, vt per ſe patet. Imò ex præcepto internæ fidei ſequitur neceſſario prohibitio negandi eandem fidem. Nam qui negat fidem ore, vel eandem fidem negat corde, & ſic infidelis eſt, & agit non ſolum contra fidei confeſsionem, ſed etiam cõtra præceptum fidei: vel negando ore, corde retinet fidem, & ſic mentitur mẽdacio valde pernicioſo, & honori Dei cõtrario, quia negando fidem, Deo tribuit mendacium, dicens, falſum eſſe, quod Deus dixit, Chriſtianam etiam religionem grauiſsime offendit, & Eccleſiam, quantum in ſe eſt diſſoluit, eiuſque vnitatem ſcindit. Ergo mendaciũ illud prohibitum eſt, non tantum generali præceptò non mentiendi, ſed etiam ſpeciali præcepto fidei, & Religionis Chriſtianę, vt recte ſentit Auguſtinus libro contra mendaciũ capite ſexto. Vnde etiam ſit, vt ſicut mendacium dupliciter profertur ſcilicet, vel negando quod verum eſt, vel affirmãdo quod eſt falſum, ſeu quod eſt vero contrarium: ita in præſenti hæc fidei negatio duobus modis cõtingere poſſit, ſcilicet, vel pure negando eſſe verum, aut eſſe certam fidei veritatẽ, vel contrariũ errorẽ profitẽdo, nam profeſsio falſi neceſſa-

In præcepto cõfitendi fidem includitur negatiuum.

C

D

Auguſt.

neceſſario eſt negatio veri, & eandem, vel maiorem malitiam inuoluit.

9. Tertium, quod propoſuimus, ſcilicet, occultare fidē, mediam quandam habet rationem, quia nec ſemper malū eſt, nec ſemper licet, vt omnes etiam Doctores Catholici docēt. Ratio eſt, quia veritatē tacere, aut nō proferre, non eſt illam negare; ſed abſcondere, vt per ſe notū eſt, & ita etiam occultare fidem non eſt negare fidem, ideoque ex hac parte non eſt ſemper malum. Aliunde vero pręceptū confitendi fidem, cùm affirmatiuum ſit; licèt obliget ſemper, nō tamen pro ſemper, hæc enim eſt natura præcepti affirmatiui, vt nunc ſupponimus, & propterea non confiteri fidem, quod fit occultando fidem, nō eſt ſemper malum, quia ſi exercitium alicuius actus non eſt per ſe neceſſarium, ceſſatio ab illo actu non poteſt eſſe ſemper mala, vt per ſe notum eſt. Tantum ergo erit praua occultatio fidei, ſi eo tempore occultetur, pro quo præceptum confitendi fidem obligat, ſicut tacere propria peccata non ſemper, ſed tunc eſt malum, quando præceptum illa confitendi in iudicio aliquo obligat. Vnde duplex fidei occultatio diſtingui poteſt, vna per modum purę negationis, quæ poteſt licite, aut ſine peccato eſſe toto eo tempore, in quo, vel pro quo nō tenetur homo externam fidei confeſsionem exhibere. Alia eſt per modum priuationis, ſeu omiſsionis moralis, quia eo tempore admittitur, quo fidei confeſsio exhibenda eſſet, & ita eſt carentia actionis debitæ, ideoque moralis priuatio dicitur. Et hæc eſt peccatum de ſe graue, quia eſt contra pręceptum confitendi fidem. Nam lex affirmatiua præcipiens actum pro aliquo tempore, conſequenter prohibet omiſsionem eius pro eodem tempore, vt eſt per ſe notum.

Pręceptum confitēdi fidem & non occultādi fidē non obligat pro ſemper.

duplex fidei occultatio.

10. Et de hac omiſsione poſſunt recte intelligi verba Chriſti Lucæ nono. *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in Maieſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* *Erubeſcere* enim minus eſſe videtur, quā *negare*, non enim tantum qui negat, ſed etiam qui Chriſtum, vel fidei eius veritatem (quod perinde eſt) omittit confiteri, cum debet, Chriſtum *erubeſcit*. Et quamuis Chriſtus verbo *erubeſcēdi* (quod proprie ſignificat, aliquid propter pudorem, vel propter timorem alicuius contemptus, vel irriſionis vitare) ibi vſus fuerit, quia vel pręſenti materiæ, de qua loquebatur, erat magis accommodatum, vel quia in principio doctrina Euangelij à gentibus, & Iudæis irridēda erat, & ita multi per pudorem, & erubeſcentiam illam erant deſpecturi, nihilominus doctrina, & cōminatio generalis eſt: nam quacumque ratione, ſiue ex pudore, ſiue ex timore perdendi vitam, vel alia tēporalia bona, quis omiſerit fidei confeſſionem tempore debito, eandem reprehenſionem, & comminationem incurret.

Luc. 9.

Occurrebat autem ſtatim inquirendum, quod ſit illud tempus pro quo obligat fidei confeſsio. Sed hoc ex profeſſo explicare non eſt temporis præſentis. Satis ergo ſit, ſupponere, eſſe illud, in quo ad Dei, vel Religionis Chriſtianæ honorem tuendum neceſſaria eſt cōfeſſio fidei, vt cenſetur eſſe, quoties quis à tyranno, ſeu publica poteſtate de ſua fide interrogatur, vel certe quoties tacere, & nō confiteri, eſſet virtute negare. Hic enim eſt alius modus, quo praua fit hæc omiſsio, quia virtualem fidei negationē inuoluit: quia in moralibus implicitum pro expreſſo reputatur, quādo eundem effectum inducit. Et ita præceptum nō negandi fidem, non ſolum expreſſam negationem, ſed etiam tacitam, & virtualem prohibet. Dicetur autem talis omiſsio virtualis negatio fidei, quando ipſamet omiſsio confeſsionis communiter accipitur pro ſigno abnegandi fidem. Sicut in ordinario, & communi vſu non ferre veſtes, nec tonſuram Clerici, ſeu Monachi ſine ſpeciali cauſa, aut neceſſitate, eſt quædam virtualis negatio talis ſtatus, quæ ad Apoſtaſiam externam poteſt interdum ſufficere. Ita ergo poteſt contingere in confeſsione fidei, ſi alicubi ſit iuſte inſtitutum aliquod ſignum ita proprium Chriſtianitatis, vt qui illud omiſerit, eo ipſo ſe Chriſtianū eſſe negare videatur, vt magis in ſequentibus explicabitur. 11.

Pro quo tēpore obliget præceptū cōfitēdi fidem.

Ex quibus intelligitur, propoſitæ quęſtionis difficultatem in hoc ſitam eſſe, vt expēdamus, an exercere illos actus eūdi ad Eccleſias hęreticoū, eorūve cōciones audire 13.

Ratio dubitandi.

audire,& cũ eis preces fundere, vel alijs
eorũ ritibus intereſſe, ſit verã fidẽ nega-
re,ſeu (quod idem eſt) errorẽ contrariũ
profiteri, an verò tantũ ſit non confiteri
verã fidem,& hoc poſito, an ſit pura ne-
gatio, vel omiſſio moralis peccaminoſa.
Ratio autẽ dubitandi ſumitur ex differẽ-
tia inter verba,&actiones,ſeu res alias· nã
verba & expreſsius ſignificant, quã res,
& non habent aliũ proprium vſum, nam
ad hoc ſunt per ſe primo inſtituta: aliæ
autẽ res vt veſtes,domus,cibi, & ſimilia,
vel etiã actus audiendi,videndi,& huiuſ-
modi non ſunt per ſe inſtituti ad ſignifi-
candam mentem operantis, ſed ad alios
naturales, vel humanos vſus, licèt inter-
dũ per quandam cõſecutionẽ aliquid ſig-
nificare videãtur. Vnde fit,vt magis obſ-
cura, & ambigua, ſeu æquiuoca eſſe ſo-
leat rerum,quam vocũ ſignificatio. De-
inde etiam fit, vt facilius etiam habeat lo
cũ ſimulatio,vel potius diſsimulatio ſine
mendacio in vſu aliquarum rerum, ſeu
actionum, quàm in vſu verborum, quæ
magis certam, & vſualem(vt ita dicam)
ſignificationem habẽt. Denique ex hoc
eodem principio eſt longe alia ratio du-
bitãdi de his actionibus adeũdi Eccleſias
&c. de quibus nunc tractamus, quàm de
profeſsione iuramenti fidelitatis, nã hæc
ſit per verba expreſſa, & in hunc ſolum
Vide Aug. lib. contra. mendac. c. 2. & lib. de Hæreſi. in 70. Euſeb. lib. 6. Hiſtor. c. 28.
finem explicandi mentem, & talia ſunt
verba formulę iuramenti, vt expreſſam
abnegationẽ doctrinę fidei,& conſequẽ-
ter confeſsionem contrarię hæreſis con-
tineant: & ideo nemo qui in eadem hę-
reſi nõ verſetur, vel niſi in aliam antiquã
incidat, quæ dicebat poſſe ſine peccato
negari fidẽ in tormentis, etiam cum iu-
ramento, dubitare poteſt,quin profeſsio
illius iuramenti non liceat.

13. 1. Argumẽtum, quo oſtendi videtur licitum eſſe adire hęreticorũ Eccleſias,&c.

At vero de illis actionibus in quęſtio-
ne propoſitis videtur poſſe dubitari. Pri
mò quia ex proprijs obiectis,& materijs
indifferẽtes ſunt, nam ingredi Eccleſiam
vel eſt de ſe bonũ,vel ſaltem indifferens:
nec ideo fit intrinſecè malum,quia hęre-
tici male illo loco vtuntur, nam hoc per-
tinet ad prauam intentionem eorum, ſi-
ne qua illuc ingredi indifferens eſt: nam
etiam ingredi Synagogã Iudæorum, vel
Paganorum templum, non eſt per ſe ma
lum. Similiter audire concionem cuiuſ-
cumque doctrinæ,etiam praue,intrinſe-
A cè malum non eſt,poteſt enim quis illam
audire, vt eam confutet, vel delectetur
eloquentia concionantis,vel vt irrideat.
Deniq; intereſſe precibus, & ſacris eorũ
materialiter ſumptũ,indifferens eſt,quia
poteſt quis dũ eſt ibi preces catholicorũ,
& ritu catholico ſecretè fũdere, vel de ve
ra fide cogitare. Aliunde verò illi actus
nõ habent ſignificationẽ fidei contrariã,
ad quam ſint per ſe impoſiti, quia non ad
ſignificandam fidem ſpecialiter impoſiti
ſunt, ſed ſolum ad operandum aliquid,
quod per vnũquenq; illorũ proxime ſit.
B Quod ſi, vel ex diſcurſu videntiũ,vel ex
cõmuni vſu aliorum,tales actus indicare
ſolent prauam fidem,id eſt accidentariũ,
ſi à catholico nõ ea intentione fiant: quia
ipſe non ſignificat falſam fidem, nec de-
cipit alios,ſed permittit eos decipi. Ergo
qui faciunt tales actus ſolum ad obedien-
dũ Regi in materialibus actibus exter-
nis, vt euitent tẽporalia damna, non ne-
gant fidem, nec in fidei confeſsione ex
pręcepto debita deficiunt,quia tũc nulla
eſt ſpecialis neceſsitas, propter quã obli-
get pro tunc affirmatiuum pręceptum
confitendi fidem; ergo ceſſat ibi omnis
C ratio culpę. Vnde catholici Doctores do
cuerunt,nõ eſſe per ſe malũ in actionibus
ſacris cũ hæreticis cõmunicare, quandiu
nominatim declarati non ſunt.

Secũdo ſi aliqua ibi eſſet culpa,maxi- 14. Secundum.
me,quia eſt profeſsio falſæ religionis,ſal
tẽ ſimulata;at hæc ſimulatio nõ eſt ſẽper
intrinſecè mala; ergo maxime erit licita
in illo caſu propter vitandas mulctas,&
vexationes grauiſsimas. Conſequentia
patet,quia ſi talis ſimulatio nõ eſt intrin-
ſecè mala,non erit prohibita, quia mala;
ergo ad ſummũ erit mala,quia prohibita,
vel ex accidente propter mala,quæ inde
D ſequuntur; at hę rationes ceſſant in tam
vrgente neceſsitate, quia poſitiua prohi-
bitio non obligat cum tanto rigore, & in
cõmoda,quæ tunc ſequntur, nõ ſunt in-
tenta, ſed permiſſa,& ideo non imputã-
tur. Maior etiã eſt clara, quia ſupponim⁹
intẽtionẽ operãtis non eſſe, profiteri ali-
quid falſsũ,ſed tantũ ibi adeſſe,& aliquid
bonũ,vel indifferẽs ibi facere, quidquid
alij inde cõcipiant, quę eſt diſsimulatio,
vel ſimulatio materialis. Probatur ergo
Minor,primò quia nõ defuerũt authores
catholici,& graues,qui docuerint,nõ eſſe
intrin-

intrinſecè malum, falſam, vel ſuperſtitioſam religionem ſimulare, ſeu in exterioribus actibus fingere, faciendo illos materialiter tantũ (vt aiunt) id eſt, ſine intentione religionis, aut cultus, ſed propter aliquã aliam vtilitatẽ humanã. Imò multi tribuunt hanc ſententiã Hieronymo dicenti, licuiſſe Apoſtolis ſimulate ſeruare legalia, eo tẽpore, quo iam erant mortifera ſerio, & ex intentione cultus facta, vt late dixi lib. 9. de Legib. cap. 16. vbi plures authores allegaui, & teſtimonia Scripturarũ, quibus mouetur, adduxi. Ratio autem eſt ſupra tacta, quia talis ſimulatio mendacium non eſt, non enim per illam intenditur ſignificari aliquid falſum, aut contra mentem, ſed eſt tãtum cuiuſdam veritatis, ſeu fidei occultatio, aut non cõfeſsio. At priori ratione habet, vt non ſit mala tanquam fidei abnegatio, quia hæc non eſt ſine mendacio, poſteriori autem ratione non eſt mala, quia nihil eſt, quod tunc obliget ad ſe manifeſtandum, nec ad veritatem confitendam.

15. 3. Argumẽtum. At reſpõderi poteſt, has rationes recte procedere de malitia per ſe inuẽta in illis actibus, nihilominus tamen illos eſſe malos ratione ſcãdali, quod moraliter ab illis ſeparari nõ poteſt, & illud ſufficit, vt actus ſemper ſit moraliter malus. Sed cõtra hoc obijcitur tertio quia etiã ſcandalum nõ ſolum ſeparari poteſt, ſed etiam actu ſeparatur ab illis actibus, prout in illo regno à catholicis fieri poſſe dicũtur. Nam in primis omnes ſciunt, eos, qui Romanam fidẽ tenent, nõ facere illos actus ſponte, aut ex animo, ſed ſolũ ad vitãdas pęnas. Imo etiã ſciunt, à Rege ipſo poti⁹ præcipi ob cupiditatem auri, & argenti, quam propter Dei cultũ, aut religionẽ, & ideo libẽtius imponere pecuniarias pœnas, quam corporales: vnde conſequẽter etiã perſuaſum habent, catholicos nõ facere illas actiones cauſa religionis, vel in contemptũ fidei, ſed ſolũ propter vitandam bonorũ ſpoliationẽ. Ergo nõ eſt, vnde poſsint ſcadalũ rationabiliter accipere cũ actio per ſe mala nõ ſit, & ſpecies mali, quã habere videbatur, per illã publicam notitiã tollatur. Accedit, quod dicuntur fideles, facere prius publicã profeſsionẽ ſuę rectę intentionis, & veræ fidei; ergo ſi quod ſupereſt ſcandalũ, nõ eſt datum, ſed acceptum, quod operanti non imputatur, maximè quando tam grauis cauſa, & neceſsitas intercedit.

Vide Azor tom. 1. lib. 8. c. vlt. q. 5.

Nihilominus abſq; vlla dubitatione dicendum eſt, non licere catholicis Anglis in Eccleſia Schiſmaticorũ, & hæreticorũ ad conciones hæreticas audiendas, & prophana ſacra peragenda cõuenire. Ita monet in ſuo Breui. S.D.N. Paulus. V. his verbis. *Profecto credimus, proculdubio eos, qui tanta conſtantia, atq; fortitudine acerbiſſimas perſecutiones, infinitas propemodum miſerias hactenus perpeſsi ſunt, vt immaculate ambularent in lege Domini, nunquam cõmiſſuros eſſe, vt coinquiuentur cõmunione deſertorum diuinæ legis. Nihilominus Zelo Paſtoralis officij noſtri impulſi, & pro paterna ſolicitudine, qua pro ſalute animarum veſtrarũ aſsiduè laboramus, cogimur monere vos, atque obteſtari, vt nullo pacto ad hæreticorũ templa accedatis, aut eorum conciones audiatis, vel cum ipſis in ritibus communicetis, ne Dei iram incurratis. Non enim licet vobis hæc facere ſine detrimento diuini cultus, ac veſtræ ſalutis.* Ex quibus verbis licet colligere, hanc non eſſe tantum prohibitionem poſitiuam, ſeu humanam, ratione cuius illi actus fiant mali, quia prohibiti, ſed eſſe legem declaratiuam malitiæ, & turpitudinis exiſtentis in ipſis actibus, ratione cuius prohibentur, quia mali. Hoc enim ſignificant illa verba: *Non enim licet vobis hæc facere*, & ideo non tam vtitur Pontifex verbis prohibentibus, quã monentibus, & obteſtantibus malitiam talis cõmunicationis cũ hęreticis. Deinde colligitur ex illis verbis, hanc culpam eſſe mortalem, & ſatis grauem, *Ne Dei iram incurratis: non enim licet vobis hæc facere ſine detrimẽto diuini cultus, ac veſtræ ſalutis.* Vnde licet fortaſſe antea fuerit inter Catholicos aliqua de hoc puncto diſceptatio, vel iudiciorũ diuerſitas, iam omnino ceſſare debet, quia non licet eis de authentica Pontificis declaratione in re morali, & ad ſalutem animarum pertinente dubitare. — 16. Illicitũ eſſe catholicis adire ſchiſmaticorum ei hæreticorum Eccleſias ad ſuos ritus obſeruandos.

Oſtendere autẽ oportet, quam ſit hęc declaratio principijs fidei, & doctrinis Sanctorum Patrum, ac rationi conſentanea. In primis enim in Scriptura maximè prohibita eſt communicatio cum infidelibus, præſertim in rebus ſacris, non eſt autem dubium, quin hæretici ſub infidelibus comprehendantur. Imò de his præci- — 17. Sũmi Pontificis declarationem eſſe maxime cõſentaneã ſacris Scripturis.

D. Paul. 2 ad Timot. 2. præcipue ſcribit Paulus ad Timoth. 2. epiſt. cap. 2. *Profana, & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, &c.* Et ideò ad Tit. 3. hæreticū hominem pertinacem deuitandum eſſe monet, & 1. Corinth. 6. & ad Rom. 16. grauiſsimè monet *declinare ab eis, qui diſſenſiones, & offendicula, præter doctrinam* (ait) *quam didiciſtis, faciunt. Nam per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentum.* Ioannis item verba in epiſtol. 2. notanda ſunt, cum enim de hæreticis dixiſſet, *Neq; Aue eis dixeritis,* ſubdit rationem. *Qui enim dicit eis Aue, communicat operibus eorum malignis.* Quocirca cum omnis communicatio cum hęreticis prohibita ſit ab Apoſtolis propter periculum, illa tamen maxime, & maiori rigore, quę eſt *in operibus malignis,* quę nimirum faciunt quatenus hæretici ſūt. Talia autem ſunt illa, de quibus nunc tractamus, & negari non poteſt, quin Catholici cum illis conuenientes in Eccleſijs ad ſimilia cōuenticula peragenda cū ipſis in eiſdem operibus communicent. Quocirca licet fortaſſe non omnis alia communicatio cum perſonis hæreticorum nondum declaratis excommunicatis ſit ſub rigoroſo præcepto prohibita, hæc peculiaris, quæ eſt in operibus malignis, & ſchiſmaticis (vt ſic dicam) ſemper prohibita eſt. Dicit enim Paulus. 1. Corinth. 10. *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Et 2. Corinth. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus,* id eſt, vt D. Thomas exponit, *nolite communicare in operibus infidelitatis cum infidelibus.* Nam vt ſubiungit Apoſtolus, *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

Ad Titum 3. *1. Cor. 6.* *Ad Rom. 16.* *Ioan. epiſt. 2.* *1. Cor. 10.* *2. Cor. 6.* *D. Thom.*

18\. Eſſe etiam Sanctis Patribus conformem. *Iren.*

Hanc Scripturarū legem ſequuti ſūt, nobiſq; tradiderunt Sancti Patres. Irenæus enim libr. 3. cap. 3. ſic ait, Tantum Apoſtoli, & eorum diſcipuli habuerunt timorem, *vt ne verbo tenus communicarēt alicui eorum, qui adulterauerunt veritatem,* refertq; Pauli teſtimonium, & vulgata exempla Ioannis Euangeliſtæ, & Polycarpi, & libr. 1. cap. 13. *Exſufflantes* (ait) *& anathematizantes, oportet alicubi, & longe fugere ab eis.* In eandem ſententiā Cyprianus epiſt. 55. ad Cornel. in fine. *Declinent* (ait) *de cætero fortiter, & euitent dilectiſsimi fratres noſtri verba, & eloquia eorum, quorum ſermo vt cancer ſerpit, ſicut Apoſtolus dicit.* Et infrà: *Simus ab eis tam ſeparati, quam ſunt illi de Eccleſia profugi.* Et infra. *Hoc* (inquit) *Beatus Apoſtolus non tantum monet, ſed etiam iubet à talibus vt recedatur. Præcipimus* (inquit) *vobis in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Eſt ergo hæc præceptum Apoſtolicum, teſte Cypriano, & propriiſsimè cōuenit in præſentem cauſam, nam conuentus ſchiſmaticorum Angliæ inordinatiſsimi ſunt, & nouæ adinuentiones humanæ à traditionibus Apoſtolorum alienæ; ergo ex Pauli præcepto talibus ritibus, & conuenticulis vir fidelis communicare non poteſt. Similia habet lib. de Lapſis in fine. Clarius verò, & expreſsius eundem ſtatum cauſæ attingens epiſt. 4. ad Plebem, contra eos, qui Eccleſiam contra mores legitimos ſcindebant, eiuſque ritus contemnebant, inquit: *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrū Domini voce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium nouum fieri præter vnū ſacerdotium, & vnum altare non poteſt.* Et ſubdit paulò poſt: *Procul ab huiuſmodi hominum contagione diſcedite, & ſermones eorum velut cancer, & peſtem fugiendo, vitate, præmonente Domino, & dicente, cæci ſūt, & duces cæcorum.* Et infrà: *Nemo* (ait) *filios Eccleſiæ de Eccleſia tollat, pereant ſibi ſoli, qui perire voluerunt, extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui ab Eccleſia receſſerunt.* Et infrà: *Vitate lupos, qui oues à Paſtore ſecernunt.* Quid clarius pro Anglicanis ſchiſmaticis dici poterat.

Vid. Euſeb. lib. 4. hiſt. ca. 13. Epiphan. hæreſ. 30. Cyprian. li. 1. epiſt. 3. & 8.

Eſſe præceptum apoſtolicum prohibens talē communicationem.

Cyprian.

19\. *S. Hilar.* Præterea D. Hilarius can. 10. in Mat. myſtice interpretans verba illa Chriſti: *In viam gentium ne abieritis, &c.* inquit: *Non quod non etiam ad ſalutē gentium mitterentur, ſed vt opere, & vita gentium ignorantiæ abſtinerent. Et quod ciuitates Samaritanorum vetiti ſunt introire, & Eccleſias hæreticorum non adeant, admonentur.* Auguſtinus libr. contra mendaci. & libr. 2. *Auguſt.*

Retract.cap.62. ex profeſſo docet, non licere hæreſim ſimulare, etiam propter ipſos hæreticos conuertendos, ſentitq; ſemper illud eſſe pernicioſum mendacium. Et epiſt. 162. in principio docet, cauendum omnino eſſe à communicatione hæreticorum, præter quàm in his, quæ ad eorum conuerſionem ordinantur. Ergo maximè in his, quæ ad religionem pertinent. Multaq; extant antiquitatis monumenta, quibus conſtat, Sanctos Patres à ritibus hæreticorum, maximè verò ab omni cõmunicatione cum eis in ſacris abhorruiſſe. Ideò enim prohibitum ſemper fuit, ab eis communionem accipere, vt conſtat ex Decreto Iulij Papæ in cap. *Is, qui acceperit*. 24. q.5. cum ſimilibus. Eſtq; notandum exemplum, quod refert Gregor. Turon. lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 80. ſacerdotem, ſcilicet, catholicum, *ſeu Romanum* (vt ipſe loquitur) noluiſſe guſtare cibos ab hæretico ſacerdote benedictos, etiamſi ritũ hæreticum in benedictione nõ exerceret, Deumque id factũ miraculo comprobaſſe. Quanto ergo magis vitanda eſt in ipſis ceremonijs hæreticis communicatio? Vnde etiam legimus, Gregorium lib. 1. epiſt. 41. ad Leandrum ſcripſiſſe, omittendum fuiſſe aliquo tempore ritũ baptizandi trina merſione, quia hæretici ad falſam ſignificationem illo abutebantur.

Decr. Iulij, cap. Is qui. 24. q. 5. *Greg. Tur.*

Doctrina hęc miraculo confirmata fuit.

Greg.

20. Refellitur duplex euaſio.

Sed hæc doctrina Sanctorum Patrũ generalis eſt, & poſſet quiſpiam eam eludere, vel illam non de rigoroſo præcepto, ſed de monitione ratione periculi interpretando, vel eandem ad ordinarium, & voluntarium vſum, non ad coactum ſine ingenti periculo ineuitabilem limitando. Veruntamen neutra euaſio locũ habet in verbis Auguſtini ſermon. 6. de Verbis Domini, vbi tractans illud Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*, interrogat. *Sed quid ſi illud iubeat, quod non debeas facere?* Et reſpondet, *Hic ſane contemne poteſtatem, timendo poteſtatem.* Quod exemplo declarãs, infra ſubdit. *Si Imperator iubet, eſto mihi in obſequium, recte, ſed non in idolio. In idolio prohibet maior poteſtas. Da veniam, tu carcerem ille gehennam minatur.* Deinde ex allegatis ſententijs Sanctorũ vtraque euaſio, ſi verba ſingula ponderentur, & omnia inter ſe conferantur, facilè poſſet refutari, efficacius autem id fiet, rationes huius veritatis explicando, & occaſione illarum magis teſtimonia Patrum vrgẽdo, & locupletando. Prima ergo ratio ſit, quia illa communicatio cum hæreticis, de qua quæſtio mouetur, fieri non poteſt, niſi vel profitendo nouam hæreticorum religionem, vel potius ſuperſtitionẽ, aut ſaltem illam ſimulando, vtrũq; autem eſt intrinſece malum, & contra præceptum confitendi veram fidem, & honorandi Chriſtum, veramque ipſius religionem; ergo propter nullum humanum timorem licita eſt talis communicatio. Conſequentia euidens eſt ex dictis. Antecedens verò quoad vtranque partem ſic oſtenditur. Nam illi, qui cum hæreticis ad Eccleſias conueniunt, duobus modis poſſunt ibi aſsiſtere. Primo animo colendi Deum illis ritibus, & cęremonijs, ſeu intentione exercendi illos ritus tanquam licitos, & religioſos: & hoc eſt formaliter, ac verè falſam religionem profiteri: ſicut qui adorat idolũ cum vera intentione cultus, verè idololatriam profitetur, & qui nunc exerceret ritus Iudaicos intentione cultus, verè eſſet profeſſor ſectæ Iudæorum. Vnde neceſſe eſt, vt qui ſic profitetur falsã religionem, abneget veram, & conſequẽter etiam fidem, in qua fundatur. Neque in hoc eſſe poteſt dubium, neque Catholici intendunt hoc modo ritibus hæreticorum intereſſe.

Prima ratio probans eã communicationem eſſe illicitam.

21. Alio ergo modo poteſt hoc fieri ſine intentione cultus, vel religionis, ſed ſolũ cuiuſdã coactæ obedientiæ politicæ quo ad externam corporis præſentiam, cum propoſito ibi ſecretè colendi Deum ritu catholico. At in hoc ipſo neceſſariò includitur ſimulata profeſsio ſchiſmatis, & communicatio exterior cum hæreticis in ſuis ritibus, quia iuxta communem, & receptum vſum illius gentis, & loci hoc ſignificatur per illas externas actiones, & ad hunc finem fit ille conuentus, & communis conuocatio. Talis autem ſimulatio ſemper eſt mala, vt laté probat Auguſtinus dicto libro contra mendaci. & in varijs epiſtolis de Ceſſatione legalium ad Hieronymum, & cum illo probaui in lib. 9. de Legib. c. 17. Et breuiter oſtenditur, primò ex Paul. 1. ad Cor. 10. Non

Auguſt.

Paulus. 1. ad Cor. 10.

Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum, id eſt, ſuperſtitionis gentilis, & idololatriæ, *non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſa dæmoniorum*, vtique idolothyta manducando, etiã ſine intẽtione cultus, & adorationis idoli, vt verba ſequentia declarant, quę paulò poſt expendemus. Et ita intellexerũt locum illum Patres reprehendentes grauiter eſum idolothitorum, quando exterius fit per modum actus religioſi, & tãquam vſus cibi ſacri. Vt videre licet in

S. Cypria. Cypriano dicto lib. de Lapſis, & in multis epiſtolis, in quibus omnem externã ſignificationem communicandi, vel cõſentiendi ritibus infidelium, grauiſsimè condemnat, præſertim epiſt. 31. & 52.

Tertull. cuius aliqua verba infra referam. Idem latè Tertullian. lib. de Spectacul. cap. 13. *Idololatria* (inquit) *abſtinemus, nec minus templa, quam monimenta deſpicimus, non ſacrificamus, nec de ſacrificato edimus*. Et infrà: *Oculos, & aures ab idolothytis abſtinemus*, & lib. de Idololatr. cap. 13. *Hoc loco* (inquit) *retractari oportet de feſtis diebus* (vtique infidelium) *& alijs extraordinarijs ſolennitatibus, quas interdum laſciuia, interdum timiditate noſtra ſubſcribimus, aduerſus fidei diſciplinam communicantes nationibus in idolicis rebus.* Et ſubiũgit quæſtionem, *An cum ipſis nationibus communicare in his ſeruus Dei debeat, ſiue habitu, ſiue victu*, &c. vtique quatenus fiunt religionis cauſa, & reſpondet. *Ad hæc nihil communionis eſt lumini, & tenebris, vitæ, & morti*. Quam doctrinam latè etiam tradit Origenes lib. 8. cõtra Celſ. parum

Origen. Chryſoſt. à principio. Eſt etiam de hoc inſignis locus Chryſoſtomi in Imperfecto, cuius verba ſtatim referam. Ratio autem propria eſt, quia omnis communicatio in his ſuperſtitioſis ritibus, etiam ſi ficta intentione fiat, eſt quædam ſuperſtitionis participatio. Vnde ſicut exterior idololatria etiam ficto animo facta, malitiam idololatriæ participat, ita etiam omnis ſuperſtitio exterior, etiam ſimulata malitiam ſuperſtitionis induit.

Prędicta cõmunicatio eſt quędam ſuperſtitionis participatio.

22. Confirmatio huius doctrinæ.

Confirmatur hæc ratio, quia exterior pfeſſio ſimulata talis ſchiſmatis eſt quędam eius approbatio, & cõteſtatio, quòd ſit religioſa, & ex vera fide; at hoc intrinſece malum eſt, etiamſi interius non credatur, neque intendatur, quia eſt exte-

A rius confiteri falſam religionem. Neque enim à talibus factis, & in tali materia, ſcilicet, religionis, & cultus, poteſt ſeparari ſignificatio, quia exteriores actus, veſtes, vel aliæ cæremoniæ non ſumuntur ad cultum, niſi propter aliquam ſignificationem; ergo qui illis exterius vtitur per modum religioſi cultus, exterius ſaltem approbat illum ritũ colendi Deũ. At hoc intrinſece malum eſt, nam verbis approbare, vel confiteri, talem ritum eſſe religioſum, malum, & contra fidem, ac religionem eſt; ergo & factis idem pro-

B bare eſt ęque prauum, quæ eſt potiſsima ratio Auguſtini citatis loci. Quæ inde amplius declaratur, quia hæc ſimulatio falſæ religionis eſt quædam negatio exterior fidei; hæc autem ſemper eſt mala, vt in principio poſuimus; ergo & illa ſimulatio. Maior conſtat, quia illa ſimulatio eſt approbatio religionis ſuperſtitioſæ, & conſequenter eſt confeſsio falſæ fidei, à qua illa ſuperſtitio procedit, affirmatio autem erroris eſt negatio veritatis; ergo illa ſimulatio eſt negatio Catholicæ fidei, quæ hæreſi contraria eſt. Denique cum religio vera tantum ſit vna, qui exterius vnam approbat, omnem cõ

C trariam reprobat; ergo qui approbat exterius ritus hæreticos, eo ipſo eodẽ modo catholicam religionem abnegat: & ita deficit contrariè in cõfeſsione fidei. Vnde hac etiam ratione talis ſimulatio eſt valde contraria honori Chriſtianæ religionis: nam cedit in contemptum eius, cum exterius negetur, & reprobetur, & contraria in animis inimicorum eius firmetur, vt paulò poſt dicemus. Ex quib' tandem concluditur, nunquam eſſe licitam talem ſimulationem, etiam propter vitandam mortem, tum quia abnegatio

D fidei externa, & ſimulata nunquam licet propter vitandum quodlibet malum, tũ etiam quia maxime tenetur homo ſeruare præceptum, etiam poſitiuum, & humanum non obſtante periculo violẽtæ mortis, quando eius tranſgreſsio in contemptum religionis extorquetur, vt dixi in lib. 3. de Legib. cap. 30.

Ratio Diui Auguſt. amplius declaratur.

Communicationem dictam non eſſe licitã ob vitãdã mortem.

Alio modo poſſumus vim huius obligationis explicare, quia in illo articulo cum coguntur fideles legibus iniquis, ſacris hæreticorum intereſſe, obligat ſpecialiter præceptum affirmatiuum conſitendi

23. Altera ratio qua prædicta doctrina explicatur.

tendi fidem catholicam, reſiſtendo talibus legibus, ac proinde qui exterius diſſimulant, & obediunt, etiam ſi id faciant ficto animo, in cõfeſsione fidei deficiũt: ac ſubinde inter lapſos in perſecutione fidei computandi ſunt. Doctrinam hanc
Cyprian. ſumo ex Cypriano in locis allegatis, pręſertim ex epiſt. 31. quæ eſt clericorum Romæ exiſtentium ad ipſum, vbi cum dixiſsẽt, non ſolùm defeciſſe in fide, qui exterius idolis ſacrificauerant, vel idolothyta manducauerant, ſed etiam qui libellos quoſdam ſubmiſsionis, vel pręſentes obtulerant, vel abſentes miſerãt, ſubdũt verba notanda: *Non eſt immunis à ſcelere, qui vult videri propoſitis aduerſus Euangelium, vel edictis, vel legibus ſatisfeciſſe: nam hoc ipſo iam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit.* Et infra vehementius Anglos pungit tam ſchiſmaticos, quàm in fidei conſtantia debiles, dicens, *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis, euerſa fidei maieſtate diſſoluere.* Et conſonant verba eiuſdem Cypriani libr. de Lapſis dicentis: *Nec ſibi quominus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etſi nefandis ſacrificijs manus non contaminauerunt, libellis tamen conſcientias polluerunt. Et illa profeſsio denegantis, conteſtatio eſt Chriſtiani, quod fuerat, abnuentis, feciſſe ſe dixit, quidquid alius faciendo commiſit. Cumque ſcriptũm ſit. Non poteſtis duobus Dominis ſeruire, ſeruiuit ſeculari Domino, obtemperauit eius edicto, magiſq; obediuit humano imperio, quam Deo.*

24. Chryſoſt. Eandem doctrinam ſumo ex Chryſoſtomo Homil. 25. in Matt. in Imperfect. vbi prius oſtendit neceſsitatem cõfitendi fidem, & inter alia dicit: *Si tibi tãtùm Deus cor creaſſet, ſufficeret tibi fides cordis, nunc autem os tibi creauit Deus, vt corde credas, & ore confitearis.* Et adiungit: *Non tantum ore, ſed etiam quinque ſenſibus carnalibus, ſi autem vel vnus ſenſus minus fuerit, non eſt perfecta confeſsio.* Declarans autem occaſionem neceſſariam talis cõfeſsionis addit verba ſequentia, quę quia veritatẽ hanc multis modis confirmant, & ad ſoluenda argumenta lucem afferũt, integrè illa referam. *Ergo* (inquit) *ſiquis tibi dicat, non manduces idolothytum, ſed aſpice tantum ad idola, quomodo ſpecioſa ſunt: ſi aſpexeris prouocatus, oculis tuis ne-*
A *gaſti Chriſtum. Non quia aſpicere idola aliquid ſit, ſed quia inuitatus aſpicis, peccas. Si tamen non aſpexeris, oculis tuis confeſſus es Chriſtum. Ideo ſcriptum eſt, Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Pſal. 118. *Si verò dixerit tibi, nolo vt aſpicias idola, ſed tantum auſculta, quomodo ille gentilis blaſphemat Chriſtum, vt glorificet Deos. Si auſcultaueris, auribus tuis Chriſtum negaſti. Si dixerit tibi, nolo, vt audias blaſphemiam Chriſti, ſed ecce quomodo incenſum dijs offertur, tantùm ſta, & accipe odorem incenſi illius: ſi odoratus fueris, odoratu tuo Chriſtum offenſus es.*
B *Item ſi dixerit tibi, non manduca carnem dentibus tuis, tantùm finge, te de immolato manducare: ſi ſimulaueris, ſic guſtu tuo Chriſtum negaſti. Si autem nolueris fingere, Chriſtum confeſſus es, ſicut Eleazarus in libro Macchabæorum, qui carnes veruecinas ſub ſpecie porcinæ noluit manducare.* Eleazari exemplum. *Si dixerit, nolo fingas, te de immolato manducare, ſed tantùm tange idolum manu tua, aut tene thuribulum, ſi tetigeris, aut tenueris, tactu tuo Chriſtum negaſti. Si autem nolueris, tactu tuo Chriſtum confeſſus es, ſicut ſcriptum eſt; ſi eſt iniquitas in manibus meis. Omnia enim membra animæ, vel corporis tui, non ſolùm*
C *tibi ad vſum Deus creauit, ſed ſibi ad gloriã.*

Ratione autem oſtendi poteſt dicta propoſitio aſſumpta, nimirum in eo articulo obligare affirmatiuum præceptũ confeſsionis fidei, quia tunc maximè, ſeu pro tunc obligat hoc præceptum, quando fidelis à tyranno infideli, ſeu hæretico, vel quocunque publico fidei perſecutore de ſua fide interrogatur, vt an Chriſtianus ſit, vel an Romano Pontifici obediat; vel ſi interrogetur, an ſectã, vel ritum colendi Deum, alienum ab Eccleſia catholica, ſeu Romana, licitum, vel ſanctum eſſe credat, in his enim caſi-
D bus tenetur fidelis non ſolùm non negare apertè fidem catholicam, aut non confiteri falſam, ſed etiam non tergiuerſari, aut diſsimulare, ſeu tacere, ſed apertè fidem, & religionem catholicam confiteri, ſed in eo caſu, in quo per edictum coguntur fideles adire templa hæreticorũ, & eorum ritibus intereſſe, per poteſtatem publicam, virtute interrogantur, an probent illos ritus, nec ne, vel an catholicam religionem profiteantur; ergo tenentur fideles confiteri veritatem, non parendo talibus edictis, nam illa recuſatio

25. Præceptum confitendi fidem in eo articulo cur obliget?

ſatio eſt quædam fidei confeſsio, ad quã obligat tunc præceptum. Maior propoſitio communis eſt Theologorum cum Diuo Thoma. ſecunda ſecundæ quæſtione tertia articulo ſecundo, vbi Caietanus, & omnes moderni expoſitores non ſolum conſentiunt, ſed etiam tanquam certum dogma illud tradunt. Nam licet aliqua controuerſia ſit, an quælibet interrogatio ſufficiat, (quæ ad præſens nõ refert) tamen cûm interrogatio eſt à publica poteſtate, nullum eſt dubium de obligatione confitendi fidem, quia tunc maxime imminet neceſsitas honorandi Deum, & Chriſtianam religionẽ, & ideo qui tunc tergiuerſatur, ſubtrahit Deo debitum honorem, & verè Chriſtum erubeſcit. Dequo ita ſcribit Cyprianus in citato libro de Lapſis: *Chriſtus in præceptis ſuis dicit, Qui confuſus me fuerit coram hominibus, confundetur eum filius hominis, & Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe confunditur, aut veretur? quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere, aut erubeſcit, aut metuit?*

S. Thom. *Caietan.* *Cyprian.*

26. Hoc ſupponit, & docet aperte Nauarr. conſ. 10. de Hæres. n. 10.

Quod autem in caſu, de quo tractamus, catholici interrogentur per publicam poteſtatem, tum de ſua religione, & fide, tum etiam an probent, vel recuſent Proteſtãtium ſuperſtitionem, ex ipſofacto manifeſtatur. Ideo enim ſub grauiſsimis pœnis coguntur, eorum Eccleſias adire, &c. Vt oſtendant, an ſint Pontificij, ſeu Romanæ Religionis, vt ipſimet loquuntur, & an Caluinianam deteſtentur. Quin potius ita interrogantur, vt non poſsint non alterutrum exterius oſtẽdere; ergo eſt illa occaſio, in qua maxime obligat præceptum confitendi fidem, ſaltem recuſando talem cum hæreticis communicationem. Quod optime confirmat exemplum ſancti Ermenegildi Hiſpaniæ Principis, qui ne Euchariſtiam de manu hæretici acciperet, etiam iubente Patre, vſque ad mortem recuſauit. Quod factum valde commendans Gregorius libro tertio Dialogo. capite decimoquinto dicit, *Vir Deo deditus, Arriano Epiſcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit.* Quibus verbis ſignificat, ex debito obligationis id feciſſe, ne hæreſi miniſtrantis communicare videretur.

S. Ermenegildi exemplum.

D. Greg.

A Alia ratio huius obligationis ſumi poteſt ex ſcandalo, quod tam videtur intrinſecè annexum his actionibus, vt inſeparabile ab eis videatur. Hoc autem ſatis eſt, vt illa communicatio externa cum ſchiſmaticis peccaminoſa ſit, & deteſtanda, iuxta doctrinam Apoſtoli ad Romanos, cap. decimoquarto & primæ ad Corinthios cap. octauo, vbi hoc peccatum vocat, *peccatum in Chriſtum*, & cap. 10. *Nolite manducare propter illum, qui indicauit, & propter conſcientiam, conſcientiam dico, non tuam ſed alterius.* Et ex facto Mathatiæ. 2. Mach. 6. & egregijs B verbis eius conſtat, potius eſſe mortem tolerãdam, quam hoc ſcandalum fratribus tribuendum. Quod autem in hoc negotio ſcandalum interueniat, declaratur. Primo ex parte ipſorum hæreticorum, nam ex huiuſmodi fragilitate catholicorum in ſuo errore confirmantur, & obdureſcunt, atque fidem Romanam contemnunt. Vnde Sander. lib. 3. Hiſt. cum retuliſſet, tempore Reginæ propter acerbiſsimam legem, & coactionẽ multos catholicos, ſchiſmaticorũ Eccleſias, conciones, cõmunionem, ac conuenti-C cula aliquando etiam publicê adire non recuſaſſe, ſubiungit. *Interim Regina, & ſui ab initio præclarè ſecum agi exiſtimarunt, quod cum tot eſſent antiquæ fidei in regno cultores, pleroſque tamen ſcirent, ritus à ſe præſcriptos publicè, vel amplexari, vel vtcunque præſentia ſua exterius approbare, licet interius aliam fidem, de qua ipſi non adeo curabant, vel ad tempus diſsimulandam cenſebant, colerent. Ac, ne ſacerdotes quidem quoſdam ab illis administrandis abhorrere, gaudebant non mediocriter.* Ita ergo diſsimulatio hæc catholicorum in augmentum ſchiſmatis, D & magnum contemptum Romanæ Religionis ceſsit, eiuſdemque ſcandali occaſio ſemper durat. Et ita reperitur etiam in tali actione alia malitia, quia redundat in fauorem, & iuuamen hæreticorum quatenus hæretici ſunt, id eſt vt opera ſui erroris exercent, hoc autem intrinſecè malum eſt, vt in ſimili notauit Nauarrus conſilio duodecimo de Hæreticis, numero ſexto in fine, & ſequentibus. Vnde maximè etiam nacenitur hoc ſcandalum ex parte catholicorum præſertim ſimpliciorũ, nam facile imi-

27. Cõfirmatur doctrina tradita ex ratione ſcandali.

Ad Rom. 14. *1. ad Cor. 8 & 10.*

Mathiæ factum. *2. Mach. 6*

Sander.

Nauarr.

imitantur alios, qui videntur eſſe ſapiẽtiores, & ita huiuſmodi cõſuetúdo offendiculum fit infirmis. Si enim quis viderit, (vt Paulus ait) eum, qui habet ſcientiam, in Eccleſijs hæreticorum ritibus illorum intereſſe, conſcientia eius, cum ſit infirma, ædificatur ad eum imitandum, & ſic perit infirmus in ſcientia doctioris. Et, quod caput eſt, inde fit, vt multitudine creſcente, iam nõ ſimulate, ſed ex animo, illo ritu ad Deum colendum vtãtur, ita vt ſimplices inter antiquam religionem, nouamq; ſuperſtitionem diſtinguere neſciant. Eſt ergo euidens nocumentum, & ſcandalum, ratione cuius non tãtum eſt hoc peccatum contra charitatẽ fraternam, & diuinum honorem, ſed etiam contra fidei confeſsionem, quæ maxime obligat, teſte D. Thoma ſupra, quando ex diſsimulatione, vel taciturnitate ſubtrahitur debitus honor Deo, *& vtilitas proximis impendenda.*

D. Thom.

28. Probatur vltimo ex periculo amittendi fidem.

Vltimo his addere poſſumus rationẽ ex morali periculo deſumptam, nam ſi fidelis populus conuenticula hæreticorum frequentet, & præſertim ſi eorum conciones audiat, in maximo periculo verſatur amittendi fidem. Nã licet vnus, vel alter poſsit eos ſine periculo audire; imo eos impugnare, & confundere, tamen ſimplex vulgus facile decipitur, & ideo etiam prouectiores abſtinere tenẽtur à talibus concionibus, ne ſuo exemplo alios ſecum ferant, & ita eorum fides periclitetur. Et ideo monet Chryſoſt. Orat. 2. de Prouid. & fato, magis eſſe fugiendum à locis, & concionibus, quæ peſtilentibus opinionibus complentur, quam à locis contagioſis, & infectis, quia hæc corporibus nocent, illa verò animas interimũt: *Ne ſteteris* (inquit) *reſili, ne tardaueris, vel breuiſsimam hic metuas morã. Hæc dicimus, non ſtabilitatem illarum opinionum veriti, ſed imbecillitatem veſtram metuentes*, &c. Ideoque monet Auguſtinus in lib. de Fide, & ſymb. cap. 1. *Ne fides fraudulentis calliditatibus hæreticorũ poſsit in nobis aliqua ex parte violari, pia, cautaq; vigilantia prouidendum eſſe.* Et Gregorius Nazianzenus orat. 53. quæ eſt de Noua Dominica, grauiter reprehendit, qui, vt ipſe ait, *ad temporis arbitrium fidem ſuam accommodant*, nimirum, quando hæretici rerum potiuntur, eo-

Chryſoſt.

Auguſt.

Greg. Nazianzen.

A rum voluntati in rebus fidei obſequentes, & (vt ſubiungit) *diſpenſatione in fide vtendo.* Quæ potius eſt ſimulatio quædam periculoſa, & ideo etiam dicit, eos, qui ſic ambulant, *in fide claudicare*, quia re vera in confeſsione fidei deficiunt, & in periculo verſantur amittendi fidem, & licet fortaſſe ipſi conſtãtes ſint, fratres ſuos in illo periculo conſtituunt.

Ad rationes autem dubitandi facile ex dictis reſpondetur. Ad primam dicitur, actiones illas abſtracte, & generatim ſumptas dici poſſe indifferentes, quatenus intrinſecè malæ non ſunt, tamen in particulari ſumptæ, vt cum tali modo, & cum talibus circunſtantijs fiunt, habere intrinſecam malitiam. Nam ſicut ex Chryſoſtomo referebam, aſpicere idola, non eſt intrinſecê malum, aſpicere autem propter inductionem, vel metum tyranni, eſt Chriſtum negare: *Non* (inquit) *quia aſpicere illud aliquid ſit, ſed quia inuitatus aſpicis, peccas.* Ita ergo ingredi Eccleſiam hæreticorum, vel ſynagogam Iudæorum, per ſe nihil eſt, ingredi autem religionis cauſa, & ad hæreticorum ritus exercendos, ad obſequendum hæretico præcipienti, malum eſt, ſic etiam licet audire concionem hæretici per ſe, & intrinſecè malum non ſit, tamen adire conciones frequenter, & ad iuſſum inducentium ad hæreſim, & cum ſcandalo, & periculo infirmorum, & interdum proprio, pernicioſum eſt. Multoque clarius ſuperſtitioſum eſt, precibus, & ritibus hæreticorum intereſſe, quia vel eſt quædam tacita approbatio huiuſmodi ſuperſtitionis, vel miſcetur etiam cooperatio. Quæ maximè cernitur in participatione ſacramentorum: & ideo inter omnes ritus, qui â Caluiniſtis fiunt, deteſtabilior eſt communicatio cum illis in ſacrilega cæna, & ficta euchariſtia, quam miniſtrant, nam qui illam participant, euidenter cooperantur infideli ſuperſtitioni, & pro Chriſti ſacramento id recipiunt, quod nihil eſt, ſuoque facto illum morem approbant. Sic denique licet in neceſsitate poſsit catholicus baptizari ab hæretico, vtente vero, & ſubſtantiali ritu baptiſmi, ſi tamen adhibeat hæreticus alios ritus accidentarios,

29. Satisfit primę rationi dubitandi.

B

C

D

Vide Nauarrum. col. 1. de Conit. q. 19. Azor. tom. 1. li. 8. cap. 11. q. 9.

rios,

rios, ſuperſtitioſos, & alienos â conſuetudine Eccleſiæ Romanæ, non poteſt illis cooperari, licet poſsit eos interdum tolerare, ſi neque ſcandalum, neque religionis contẽptus interueniat, & eos vitare non poſsit.

30. Et ita etiam reſponſum eſt ad aliam partem illius rationis. Nam iſti actus ex communi impoſitione, & vſu ſunt actus religionis, & partim ex natura rei, partim ex impoſitione, & vſu hominum hanc ſignificationem habent: vnde in particulari ſumpti in tali occaſione, & cum tali inductione, & in conſortio, & communicatione talium ſchiſmaticorum, plane ſignificant illorum religioſum cultum, & ritum, & ad hoc ſunt â tali Rege inſtituti. Quapropter ſicut eſt intrinſecè malum aſſumere ſignum falſæ religionis, neque propter illum timorem fieri licitè poteſt, vt eſt in Theologia conſtans: ita eſt per ſe malum, actus illos tali modo, & in tali occaſione exercere. Doctrina vero illa, quod dum hæreticus non eſt denunciatus, liceat in ſacris communicare cum illo, quam tradit Nauarr. ab eodem expreſſe declaratur, dummodo ipſa ſacra ritu catholico fiant, neque vlla ſit communicatio ritus, cæremoniæ, aut impietatis hæreticæ: & præterea vt nulla catholicorũ offenſio, nullum ve periculum fidei intercedat, vt expreſſe declarauit Azor referens Nauarr. dict. lib. 8. cap. 11. q. 4. tom. 1.

Vide Caiet. 22. q. 3. art. 2. ibi Bañez, Aragon, & alios Valen. tom. 3. diſ. 1. q. 3. pũct. 1. Nauar. in ſum. ca. 11. n. 15. & ſequent. Ang. Verb. Infidelit. n. 9. Syluest. ibi. nu. 10. Tabien. verb. Hæreticus n. 3.

Azor.

31. Ad ſecundam reſpondetur, ſimulationem falſæ religionis eſſe intrinſecê malam, vt in dicto lib. 9. de Legibus late oſtendi ex ſententia Auguſtini ſupra allegati, & plurium Doctorum, quos ibi retuli, & idem ſentiunt omnes, qui negant, eſſe aliquando licitum aſſumere ſignum falſæ religionis, vel externum actum infidelitatis exercere, etiam ſi interna fides retineatur. Quia licet aſſumens ſignum, non intendat ſignificationem eius, tamen non poteſt illam ſeparare, & ideo velit, nolit, actu ipſo ſignificat, ſe eſſe infidelem, & ita falſam religionem opere ipſo confitetur, quod eſt contra præceptum confeſsionis fidei. Nam ſicut fides vera obligat ad ſui confeſsionẽ, ita etiam obligat ad vitandam contrariã infidelitatem, & conſequenter etiam ad exterius confitendam illam. Eſtq; hæc obligatio vrgentior, cum inſtat in contrarium publici tyranni vexatio, nam tunc maxime obligat præceptum confitendi fidem veram, & vitandi omnem contrariam ſimulationem. Itemq; hæc obligatio maior, quô maius fuerit ſcandalum, maiuſq; euerſionis fidei, & contemptus Romanæ religionis periculum, quæ omnia in præſenti caſu maximé cõcurrunt.

Secundæ rationi dubitandi ſatisfit. *Auguſt.*

Quando magis vrget præceptum confitendi fidem.

Perquod reſponſum etiam eſt ad tertiam rationem, quæ erat de ſcandalo, dicimus enim in primis præter ſcandalum eſſe alias rationes ſufficientes. Deinde dicimus non vitari ſcandalum propter fugas ibi propoſitas. Cum enim dicitur, notum eſſe omnibus, â catholicis nõ ex corde ſed coacte illa exterius fieri, reſpondemus, & hoc eſſe incertum (multi enim id poterũt ignorare) & illud ſufficere ad grauiſsimũ ſcandalum, nam illamet fictio eſt graue peccatum. Præterquam quod non vitantur alia pericula, & iniuriæ Religionis Chriſtianæ. Item cũ dicitur, Regem non vexare fideles tam cauſa Religionis, quam cupiditatis pecuniarum, reſpondeo, etiã hoc dici diuinãdo, ſed quidquid ſit, parum refert, quia non intentio operantis, ſed operis ſpectanda eſt: licet enim Rex intendat pecuniæ lucrum, proxime inducit ad profitendam falſam, & ſuperſtitioſam Religionem, cum expreſſa, vel ſaltem tacita, abnegatione Romanæ Religionis, hoc autem eſt intrinſecè malum, & ideo quacunq; ratione â Rege intendatur, reſiſtendum illi eſt. 32.

Satisfit tertiæ rationi.

Deniq; etiam proteſtatio non excuſat, tũ quia moraliter non poteſt eſſe tã publica, & notoria, ſicut eſt ſimulatio ipſa hæreſis; tum etiã quia proteſtatio, etiã ſi eſſet omnibus catholicis nota, non tollit, quin actio illa ſit ſimulatio, & externa profeſsio erroris, & falſæ ſuperſtitionis, nec tollit defectum confeſsionis fidei, nec contẽptum Religionis, nec periculũ animarum; Imo illa via datur licẽtia profitendi exterius quancunq; infidelitatem cum proteſtatione facta apud fideles catholicos, quôd id non fiat animo infideli, ſed affectu humano non perdendi facultates, & alia tẽporalia bona; hoc autẽ turpiſsimũ, & pernicioſiſsimũ eſt, & cõtra rationẽ: nam hæc profeſsio 33.

ſicta prauæ religionis nō ſolum eſt mala, quia alij fideles credent ex infidelitate fieri, ſed etiam quia hoc ſignificatur quibuſcunq; videntibus, & intelligentibus talia ſigna. At vero proteſtatio ad ſummū à catholicis illam exiſtimationē tollit, quia proteſtatio ſolum coram fidelibus fieri ſolet, non coram infidelibus. Et præterea licet coram omnibus fieret, ſemper actio illa eſt contra Dei honorem, & in contemptum fidei, & cum periculo, & ſcandalo infirmorum. Proteſtatio ergo malitiam talium actionum non purgat. Atque ita tandem ſententiam ſuam explicuit Azor in tom. 3. lib. 1. cap. 7. poſt quæſtionem. 2.

Proteſtatio publica ad cohoneſtandā cōmunicationē ſuperſtitioſam nō ſufficit.

CAPVT X.

An vexatio, quam in Anglia catholici patiuntur, ſit vera Religionis Chriſtianæ perſecutio?

1\. Eccleſiā catholicā perſequitur qui in odiū Romanæ, quālibet eius illius partem vexat.

HÆC quæſtio non in eo ſenſu tractanda eſt, vt iterum ad primam controuerſiam, vbi ſit vera, & catholica religio, an in Anglicana inſula, vel in toto orbe, ſeu quod idem eſt, in Eccleſia Romana, redeamus, hoc enim ſatis in lib. 1. diſputatum eſt. Et ex ibi dictis ſupponimus, veram fidem, & Religionem Chriſtianam eſſe in Eccleſia Romana, ex quo euidēter ſequitur, ſi in Anglia vexātur fideles (qui ab hæreticis Papiſtæ vocantur) quia Eccleſiæ Romanæ vniuntur, eiuſq; fidē, Religionem, & obedientiam profitentur, illam eſſe propriā, & omnino veram fidei catholicæ, & Eccleſiæ Chriſti perſecutionem, & qui author eſt illius, eſſe Chriſti hoſtē, & Chriſtianorū perſecutorē. Neq; de hac conſecutione, ſeu cōditionali propoſitione dubitare quis poteſt, poſita dicta hypotheſi: nā ſi Eccleſia Ronana eſt vera Eccleſia Chriſti, qui Eccleſiam Romanam perſequitur propter ſuam religionē, ſeu qui eius religionē oppugnat, Chriſti Eccleſiā perſequitur, & oppugnat, & cōſequēter illa erit perſecutio Chriſti, & eius Eccleſiæ. Quæ tūc maxime ita appellatur, quando non eſt tantum priuata vnius, vel alterius perſonæ, ſed eſt etiam publica, & generalis totius communitatis. Nam licet perſecutio cuiuſcunq; mēbri, quatenus tale eſt, ſeu propter fidem, vel

A iuſtitiam ſit perſecutio eiuſdem Chriſti, & ratione generalis cauſæ, ſeu motiui in totam Eccleſiam redūdare videatur, nihilomin⁹ per antonomaſiam illa dicitur Eccleſiaſtica perſecutio, quæ communitatem Eccleſiæ, eiuſq; vniuerſale corpus oppugnat. Non eſt tamen neceſſe, vt talis vexatio, vel in tota catholica Eccleſia, vt eſt per totum orbem diffuſa, vel in Eccleſia Romana, vt eſt particularis Epiſcopatus, directe, & immediate fiat, vt nomē perſecutionis Eccleſiæ mereatur; ſed ſatis eſt, vt in aliquo regno Chriſtiano pro
B pter eandē Romanam, & catholicam fidem graſſetur. Ait enim Auguſtinus li. 18. de Ciuit. cap. 52. *Quale eſt enim non cōſiderare, Eccleſiam per totum mundum fructificantem, atq; creſcentem poſſe in aliquibus gentibus perſecutionem pati à Regibus, etiam quando in alijs non patitur?* Et affert exempla de perſecutione facta in Perſide à Rege, & à Gothis in ſua ditione, & ab Herode Hieroſolymis. Talis enim vexatio in vno regno, vel parte principali Eccleſiæ non fit ſine quadam vniuerſalis Eccleſiæ participatione, & turbatione: nam tota quoda modo conquaſſatur. Quia licet in vna prouiucia perſecutio
C moueatur, totius Eccleſiæ fundamenta conuellere nititur.

Auguſt.

Hoc ergo pro cōſtanti ſuppoſito, ſenſus præſentis cōtrouerſię eſt, cū defacto cōnſtet, profeſſores Romanæ religionis ab illius regni Principibus poſt Hēricū VIII. (catholica Maria excepta) pluribus modis vexari, magniſq; ſupplicijs afficí, an illa vere ſit, & appellari debeat Eccleſiæ, & Chriſti perſecutio, vel ſolū aut iniuſtū bellū, vel iuſta punitio. Et occaſionē quæſtionis præbuit nobis Rex Angliæ, qui de Pontifice valde cōqueritur,
D quòd ipſum inter Eccleſiæ perſecutores annumerare videatur. Vnde contendit, pœnas illas, & afflictiones quæ in Anglia authoritate Regia Papiſtis (vt ab eis intelligamur) inferuntur, nō mereri nomē perſecutionis Eccleſiæ, quia non titulo Religionis, ſed in pœnā iuſtam criminū contra Regē, vel rempublicam commiſſorū, infligūtur. Vnde in principio Apologiæ ſic inquit: *Negari nō poteſt, quin Pōtifex contra bonos mores, & cōſuetudinem Principum maxime Chriſtianorum peccarit vehementer, cùm me inauditum condēnarit,*

2\. Status cōtrouerſiæ.

quod

quod quidem fecit, me perſecutoribus annumerando, vt ex eo, quod cohortatur Catholicos ſuos ad martyrij gloriam aſpirare, non obſcure innuitur. Deinde verò in impugnatione primi Breuis Pontificis latè circa hoc digreditur, & prius de Eliſabetha pag. 18. affirmat, *Nemini ex Pontificijs Religionis cauſa pœnam irrogaſſe, antequã eorum ſcelera, & flagitia, veluti inuitæ ſupplicia, quæ pertulerunt, extorſiſſent.* Hoc autem probat hac fere partitione, quia Regina neque ante editum Breue contra illam à Pio V. neque poſt iuſte poteſt perſecutionis infamia notari. Priorem partem oſtendit, quia illo tempore antequam Pius V. contra Reginam ſententiam fulminaſſet, *neque grauiorem aliquam mulctam Catholicis impoſuit, neque ſeueriores leges, neque tunc temporis vlla capitis pœna fuit in Pontificios conſtituta.* Alteram partem oſtendit, quoniam ab illo tempore, quo illa fuit in Reginam lata ſententia, *tot coniurationes, & machinationes, ac rebelliones publicæ in illo regno ortæ ſunt, vt illæ non ſolùm fuerint iuſtæ, ſed etiam moderatæ pœnæ delinquentium;* ergo propter illas pœnas non poteſt Regina perſecutionis infamia notari, ſed potius magnæ clementiæ nomine cõmendari.

3. Rationes quibus ſe rex excuſat.

Deinde ad ſe ſuumque regimen tranſitum facit, & pag. 23. ſic inquit. *Quod me de catholicorum perſecutione calumniãtur, nunquam probari poteſt, quenquam conſcientiæ cauſa, & religionis ergo, me regnante hactenus, vel morte mulctatum fuiſſe, vel in mortis periculo modo verſari. Niſi fortè* (addit) *hæc miſera catholicis interdictio à Papa facta, quominus de iuramento ſuo mihi promittant, cauſa ſit de hinc, cur multi eorum merito plectantur.* Deinde multis argumentis, & indicijs oſtendere conatur, perſecutoris nomen non mereri.
1. Primò generatim per comparationem ad Reginam, quia Iacobus Rex maiori multo manſuetudine, & pietate cum Catholicis ſe geſſit, quàm Regina. Secundò, quia tanta clementia in Ca-
2. tholicos vſus eſt, *vt & ipſi in ſpem venerint, ſe breui religionis ſuæ libertate fruituros:* & alij ſectarij familiares Regis ſtuperent. & magnam regni perniciem in-
3. de formidarent. Tertiò recenſet fauores humanos, temporaliaque beneficia A in Catholicos collata, vt ſunt recuſantes aliquos equeſtri dignitate donare, alios acceſſu, & colloquio ſuo participes efficere, ſine vllo religionis diſcrimine honores, & beneficia illis largiri, & ſimilia. Quarto inter hæc beneficia numerat, 4.
quod iudices ſuos monuerit, ne Sacerdotes, etiam ſi eſſent conuicti, ſupplicio afficerent, & præcipuè exaggerat *clementiſsimum edictum, quo permiſſum eſt Sacerdotibus omnibus non comprehenſis, & tum extra cuſtodiam agentibus intra conſtitutam diem è regno excedere. Quod ſiqui* B *in càrcere detinebantur, libere etiam abire permiſsi ſunt, & ſiqui alij poſtea fuerunt comprehenſi trans mare ablegati ſunt, & ibi libertati reſtituti.* Ex quibus concludit, ingratitudinem Pontificis oſtendi, *qui tam iniqua menſura tot beneficia compenſarit.*

Quia verò nobis certum, & explora- 4.
tum eſt, quam nunc Anglia patitur, & poſt Henricum ſub Eliſabetha paſſa eſt, vnam eſſe ex grauiſsimis perſecutionibus, quas Eccleſia Catholica in aliquo regno particulari hactenus ſuſtinuit, ideò vt à ſuis initijs, & fundamentis hoc oſtendam, aduerto, in omni perſecutio- C ne, ad iudicium de illa ferendum, primum omnium ſpectandum eſſe ſcopum, & finem, in quem tendit perſecutio, deinde media, quibus illius finis conſecutio intenditur. Vt ergo aliqua Eccleſiæ vexatio ſit propria, & publica perſecutio, neceſſarium eſt, & ſufficit ex parte finis, vt in deſtructionem, vel mutationem Catholicæ religionis in tota Eccleſia, vel in aliqua eius notabili parte faciendam ordinetur. Nam licet vexatio Chriſtiani populi, aut regni ordinetur ad dominium temporale eius D tyrannicè occupandum, & hac ratione multa temporalia nocumenta Chriſtianorum per rapinas, homicidia, & alias ſimiles iniurias fiant: ſi hæc non tendant in euerſionem religionis Chriſtianæ, ſed tantùm in appetitu temporalis imperij ſiſtant, non erit propria perſecutio Eccleſiæ, vt nunc de illa tractamus. Quia per illam non vexantur fideles, quatenus fideles, & Chriſtiani ſunt, ſed quatenus homines, vel ciues ſunt, ſicut interdum vexantur gentiles, & pagani. Poterit ergo illa dici perſecutio corporalis, nõ

Chriſtianorũ vexatio quæ ſiſtit in temporalibus non eſt perſecutio Eccleſiæ.

ſpiritualis, humana, non Chriſtiana, nam hæc eſſe debet propter Chriſtũ, ſeu propter fidem eius, iuxta verbũ ipſius Matt. 5. *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, &c. propter me.* Et 1. Petri. 4. *Nemo veſtrum patiatur vt homicida, &c. Si autem vt Chriſtianus non erubeſcat, ſed glorificet Deum in iſto nomine.*

Matt. 5. 1. Petr. 4.

5. Quæ ſit Eccleſiæ perſecutio. At verò è contrario ſi perſecutio tendat in illum finem, & ſub eo nomine fiat, quibuſcunq; medijs intẽdatur, erit Chriſtiana perſecutio. Quia vt in moralibus dicitur, finis eſt, qui dat eſſe, & ſpeciem actioni. Vnde ſicut qui fauet Chriſtianis quia Chriſtiani ſunt, vel propter fidem, & amorem Chriſti in eos qualiacunque beneficia confert, Chriſtum honorat, & ab illo poteſt præmiũ expectare, iuxta illud Matt. 10. *Quicũq; potũ dederit vni ex minimis iſtis, &c. tantũ in nomine diſcipuli, nõ perdet mercedem ſuam:* ita etiã è contrario qui directe intendit catholicam religionem offendere, & eam profitentes ab illa auertere, quibuſcunq; medijs ad hoc vtatur, erit propriè perſecutor Chriſtianorum, & conſequenter etiam Chriſti, iuxta verbum eius dicentis ad Paulum, *Quid me perſequeris,* Actor. 9. Quoad media vero in eodem loco Matth. 5. varios modos perſequendi Chriſtianos idẽ Dominus inſinuat, dicens: *Cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentiẽtes propter me.* Vbi Aug. lib. 1. de Sermo. Domini in mõte, accuratè illa tria diſtinguens, ait, *perſecutiones* propriè fieri per vim, vel inſidias: *maledicere* autem eſſe, aliquem in præſentia eius inhonorare, & contumelijs afficere, *dicere autem malum aduerſus aliquem*, propriè eſſe de illo abſente detrahere, eiuſque famam lædere. Quanuis autem hęc recte dicta ſint, ſũpto ſtricte verbo perſequendi, nihilominus etiam vexatio illa, quæ per contumelias, vel infamationes Chriſtianorum fit, perſecutionis nomen meretur, ſicut de Apoſtolis dicitur Actor. 5. quòd *ibãt gaudentes à conſpectu concilij, quia digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati.* Et 1. Petr. 3. *Siquid patimini propter iuſtitiam beati.* Itaque pro diuerſitate mediorum, aut tribulationum eſſe quidem poterit maior, vel minor perſecutio, quocunque tamẽn modo fiat, ſi ratione fidei, aut religionis Chriſtianæ fit, erit Chriſtiana perſecutio. Sicut Auguſtinus loco citato dixit, *tunc aliquem propter Chriſtum pati, quando ſecundum veram fidem, & catholicam diſciplinam Chriſtianus vocatur, & ideò vexatur.*

Matt. 10. Actor. 9. Matth. 5. Auguſt. Actor. 5. 1. Petr. 3.

A B C D

Auguſt.

6. Perſecutio Eccleſię propria, quæ. Deinde vt maiorem lucem huic cauſæ afferamus, tam fines perſecutionum Eccleſiæ, quam media, quibus fieri ſolent, diſtinctius explicare vtile cenſemus. Poteſt enim perſecutio eſſe vel ſolùm contra bonos mores per violentiã, & potentiam humanam aliquem prauum morem in rempublicã introducendo, & eos grauiter affligendo, qui reſiſtunt, vel pro veritate quouis modo pugnant. Sed talis vexatio quandiu intra hos limites continetur, quia in omni regno etiam mere humano, & gentili eſſe poteſt, ideò non tam Eccleſiaſtica perſecutio, quam gubernatio iniqua, & tyrannica vocari ſolet. Vlterius ergo progredi ſolet vexatio Chriſtiani Principis ad vnitatem Eccleſiæ ſcindendam, & vnius capitis obedientiam ita contemnendam, vt omnes ſubditos ſuos, ſibi in eodem ſchiſmate non conſentientes affligat, & vel hoc ſolo titulo dignos ſupplicijs exiſtimet. Et hæc iam propriè attingit gradum aliquem Eccleſiaſticæ perſecutionis. Tandem poteſt finis, & ſcopus perſecutionis eſſe mutatio fidei veræ, & religionis in ea fundatæ cum vexatione, & afflictione fidelium tali mutationi reſiſtentium. Et hæc eſt ex parte finis conſummata Eccleſiæ perſecutio, quia fundamentum eius prorſus euertere nititur.

7. Primũ mediũ quo perſecutores vti ſolent. Media verò, quibus Eccleſiæ perſecutores ad hunc finem vti ſolent, hæc ferè ſunt. Primùm per vim, & potentiam diuinum cultum in Eccleſia euertere, templa deſtruendo, imagines concremando, monaſteria, & loca ſacra in profanos vſus conuertendo. Sicut de Donatiſtis refert Optatus libro ſexto, quos verbis Eliæ accuſat, *Altaria tua confregerunt. Cur vota* (inquit) *& deſideria hominum cum ipſis altaribus euertiſtis? Cur concidiſtis precibus viam?* Et Auguſtinus libro tertio contra Creſcon. cap. 59. inde conuincit Donatiſtas, perſecutionẽ feciſſe Maximianiſtis, *quia baſilicã Maximiani deſtruxerunt.* Sic etiam Ariani

Optat. Auguſt.

ni templa Catholicorum euertebant, vt refert Victor. lib. 1. de Perſecut. Vandal. Alij etiam Imperatores Imagines euerterunt, & incenderunt, vt ſatis notum eſt. *Victor.*
2. Aliud medium eſſe ſolet, leges, & edicta pronunciare fidei cõtraria, quibus cogantur fideles ſub grauiſsimis pęnis abiurare fidem, aut aliquid contra fidei regulas profiteri. Quod fecerunt nõ ſolùm gentiles Imperatores, ſed etiam qui à Chriſto defecerunt, Iulianus, Valens, & ſimiles. His accedit pœnarum, & tormentorum executio. Atque interdũ etiã ſolent violenta media adhiberi, quibus filij Catholicorum à miniſtris, & magiſtris hæreticis doceantur, & inſtruantur, & è contrario vt à Catholicorum diſciplina arceãtur, & omnibus modis prohibeantur, ſicut à Iuliano Apoſtata factũ
3. eſſe, memoriæ proditum eſt. Denique aliquando tyranni ſolent blandicijs, & fauoribus humanis animos credentium tentare, vt in hiſtorijs Eccleſiaſticis vulgatum eſt.

8. *Vexationẽ fidelium in Angliæ perſecutionem eſſe Eccleſiæ, ex fine oſtenditur.* Primo ergo probandum eſt, vexationem fideliũ in Anglia ex parte finis perſecutionem Eccleſiaſticam eſſe. Si enim initium, & originem eius contẽplemur, manifeſtum erit. Nam Henricus VIII. vt ſententiam diuortij in regno ſuo aduerſus Reginam Catherinam, contempta Sede Apoſtolica, proferri faceret, nouam Eccleſiæ formã in Anglia induxit, ſeque ipſum caput illius Eccleſiæ conſtituit: decretumq; ſtatuit, vt in illo regno in nulla rerum Eccleſię adminiſtratione Pontificis authoritate opus foret. Et per hãc poteſtatem ſic vſurpatam nouos religionis ritus, & leges colendi Deum lõgẽ alias, quàm antea fuiſſent, in regnum ſuum inducere decreuit: & in hunc finẽ multa egit, quæ poſteà attingemus. Hũc ſcopum habuit etiam Eduardus, vel potius Protector, & Conſiliarij eius, qui ita finem illum auxerunt, & amplificarunt, *vt intra breue tempus tremendum ſacrificium, diuina officia, & ſacramenta omnia ritu catholico in Anglia fieri omnino deſierint*, vt Sander. refert. *Sander. libr. 2.* Imò cum Henricus, excepto articulo Primatus, in alijs ad fidem pertinentibus mutationem fieri vetuerit: ſtatim ſub Eduardo Zuingliana hæreſis introduci cæpta eſt, vt ſuprà vidimus. Eundem finem inſtaurauit A Eliſabetha ſimul atque ad regnum aſſumpta eſt, nam & ſe gubernatricem ſupremam totius Angliæ non minus in ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis rebus, quã in temporalibus declarauit, & à ſuis ſubditis iurari voluit. Neque ſolum in conſeruando ſchiſmate, ſed etiam in introducenda Lutherana hæreſi, vel alia parũ illi diſsimili, ac omnino mutanda religione catholica, quam ſoror Maria inſtaurare cœperat, omnibus modis incubuit: & in ea cura, & ſolicitudine vſque ad finem vitæ laborauit.

B Eandem autem religionis formam, catholicæ nimirum repugnantem, Iacobũ Regem in ſuo regno conſeruare, ac tueri, omnibusq; modis intendere, probare non eſt neceſſe. 9. Satis enim diſertè, & explicatè ſæpius in ſuo libro Rex ipſe hoc profitetur, vt ex ſuę fidei profeſsione ſupra tractata ſatis manifeſtum eſt, & in ſequentibus multa eius verba, & loca deſignabimus, in quibus hunc finẽ oſtendit, & declarat. Ex quibus omnibus cõſtat, tres illos prauos fines, quos in perſecutione Religionis Chriſtianæ ſupra diſtinximus, prauos ſcilicet mores, mutationem Religionis per ſchiſma, & fidei C mutationem per hæreſim, omnes in hac turbatione Anglicana inuentas eſſe, incepit enim â morum corruptione, & ad ſchiſma proceſsit, & in apertam hæreſim conſummata eſt, & ita nunc perſeuerat. Nam ſchiſma neque ab ipſo Rege negatur, illud autem iam eſt in hæreſi fundatum, vt lib. 3. oſtenſum eſt, & multis alijs hæreſibus eſt cumulatũ, vt in lib. 1. & 2. eſt probatum; ſchiſma autem, & hæreſis ſine magna morum corruptione eſſe nõ poſſunt. Ergo ex parte finis omnia mala ibi concurrunt, quæ in Eccleſiaſtica D perſecutione inueniri poſſunt.

Quod autem etiam ex parte mediorũ fuerit, & ante Eliſabetham, & ſub illa, & poſt illam ſub Iacobo, acerbiſsima perſecutio, probatur diſcurrẽdo breuiter per capita, quæ attigimus. 10. *Idẽ ex parte mediorũ demonſtratur.* Primum erat de violẽta euerſione, & vſurpatione rerũ ſacrarũ, hæc autẽ ſtatim cũ mutatione Religionis ſub Hẽrico cœpit. Nã ſolus Hẽricus decẽ millia monaſteriorũ, ac tẽplorum à Catholicis per multa ſæcula ædificatorum, violẽter occupauit, & in profanos vſus peruertit, vt refert Boz. to. 1. *Bozius.* de

de ſignis Eccleſ.cap.10.cuius tyrannidis ſeriem, ac modum latiùs deſcribit Sander.lib.1.pag.154.& ſequentib. Et *principio*,dicit, *præcepiſſe Henricum, vt omnes omnium ordinum viri, ac mulieres pretioſiſsima quæque Eccleſiarum ornamenta, & reliquias ſuis quæſtoribus traderent*. Deinde in publicis comitijs obtinuiſſe, ait, vt minora quæque monaſteria, quorũ redditus ſeptingentos aureos non excederent,ſuæ libidini dederentur: & ita trecenta ſeptuaginta ſex monaſteria, & ex eis centum viginti millia aureorum in annos ſingulos occupaſſe, & pluſquam decem mille vtriuſque ſexus religioſos in ſeculum remiſiſſe. Intra triẽnium verò omnia totius regni monaſteria euertiſſe, eorũq; omnia bona fiſco per ſummam violentiam applicaſſe. Quod quãta vi, quamq́; prauis artibus executioni mandauerit, idem author latè proſequitur. Poſt hæc verò contra imagines, monumenta, & reliquias Sanctorum bellũ mouit,& celebriora omnia euertit, contumelijs affecit, & expilauit. Alias verò Eccleſias licet nõ omnino euerterit,quidquid tamẽ in eis erat pretioſum arripuit, eaſque infinitis alijs modis, ſacra omnia indignè tractando,violauit.

Sander.

Quam grauis fuerit perſecutio ſub Henrico.

Sander. li. 1. pa. 186. & ſeq.

11. Quantum ſub Eduardo perſecutio creuerit

Idem pag. 174. & 175.

Hæc autem omnia ſub Eduardo conſeruata,& aucta fuerunt,nam ſi quæ imagines,aut cruces in Anglia remanſerant, partim euerſæ, partim cõbuſtæ ſunt, & vaſa omnia aurea, & argentea, calices,ac veſtes ſacræ Eccleſiaſticæ, omniaq; Eccleſiarũ bona Regi applicata fuerunt. Et officia diuina ritu hæretico, & vulgari lingua recitari cœperunt,atque ita ablato diuino ſacrificio, & altaribus deſtructis, Eccleſiæ catholicorum templa Dei & Chriſti eſſe deſierunt, & in ſynagogas Satanæ cõmutatæ ſunt. Poſteà verò Eliſabetha templa, monaſteria, & ſacra omnia, quæ ſoror eius in antiquum veræ religionis decorem ex parte reduxerat,iterum è medio abſtulit,& maiori vi, & potentia ſacra omnia inuaſit,& omnem antiquæ religionis vſum auferre totis viribus conata eſt. Iacobus verò licet fortaſſe monaſteria non inuenerit, quæ deſtrueret, aut eorum ſtabilia bona,quæ denuo occuparet: nec templa, quæ iam non eſſent ab hæreticis contaminata, nihilominus eandẽ vim rebus ſacris inferre

Sub Eliſabetha.

Sub Rege Iacobo.

A cenſendus eſt. Primò quia potentia ſua facit, vt abominatio illa deſolationis cõſeruetur,eàdemq́; violentia impedit, ne aliquid,quod catholicam religionem redoleat,in ſuis regnis inſtauretur.Et quãuis in Hibernia (vt inde accepimus) Eccleſias ab hæreticis olim dirutas, nunc expenſis catholicorum iuſſu Regis reædificentur,id tamen fit,vt ſacrilegis Caluiniſtarum ritibus, & conuenticulis inſeruiant; quæ duplicata, vt ſic dicam,eſt iniuria, & perſecutio. Deinde ſi quæ ſacra vaſa occultè à Catholicis retinen-
B tur,&miniſtri Regis illa inueniant,ea rapiunt, & ad ſuos, & profanos vſus conuertũt. Imò(vt à fide dignis accepimus) hoc colore pretioſa quæque auri, & argenti vaſa, aut fœminarum ornamenta ſurripiunt, fingentes eſſe vaſa ſacra, aut ad reliquiarum, vel altarium ornatum conſeruata.

Alius modus perſequẽdi Religionem Chriſtianam eſſe ſolet per edicta,& leges violentas,ac pœnales, catholicæ fidei repugnantes; quales innumeras in Anglia ſub prædictis Regibus latas eſſe, & quotidiè ferri,notiſsimũ eſt.Nã Henricus in
C principio ſui lapſus publico edicto ſubditos coegit ad iuramẽtum Primatus illi præſtandum,vt ſuprà viſum eſt; imò tãto odio in Pontificẽ exarſit, vt lege publica ſub pœna capitis præceperit,vt omnes Papæ nomen ex omnibus libris ſuis delerent.Et alię ſimiles leges ſub illo,& ſub Eduardo cõtra religionẽ catholicam latę ſunt. Poſteà verò Eliſabetha ſtatim in principio regni ſui iuramentũ de primatu ſuo Eccleſiaſtico ſuis ſubditis ſuſcipiendũ propoſuit. Nam licet nomine *capitis Eccleſiæ* non vteretur,ſed *ſupremæ gubernatricis*,poſtea tamen declaratũ eſt,
D eandem rem vtraq; voce ſignificatã fuiſſe. Addebaturq; pœna priuationis bonorum, & perpetui carceris prima vice recuſantibus,ſecũda autẽ vice pęna capitis. Prętereà prohibitus eſt vſus ſacrificij,& ſacramentorum ritu Romano ſub pœna ducentorum aureorum prima vice,quadringentorum ſecunda, tertia, omnium bonorũ,& carceris perpetui. Itẽ ſub pœna amiſsionis omniũ bonorũ,&perpetui carceris prohibuit,ne quis in Angliã afferret Agnos Dei, cruces,vel quáſcunq; res alias authoritate Põtificis cõſecratas, &

12. Alterũ perſecutionis medium.

Quantum ſub Eliſabetha.

Sãder. li. 3 an. 1558.

Idem ann. 1559.

& ſub pœna capitis, ne Breuia, aut Bullas Roma quiſquam portaret. Reconciliare aliquem Eccleſię Romanæ, crimen læſę Maieſtatis eſſe voluit. Qui extra regnū religionis cauſa nauigarent, bonis omnibus prius priuauit. Poſtea vero legē edidit, qua omnes clerici Pontificia authoritate ordinati intra certum diem regno exire cogebantur, & à tranſmarinis nunquam redire ſub pœna læſæ Maieſtatis. Et ſimilia edicta innumera promulgauit.

Idem ann. 1571. Late Epiſcop. Tarazon. lib.4.c.5.

13\. Neq; Iacobus Rex in oppugnāda fide catholica legibus ſuis ſegnior fuit. Nam, vt late refert Cardinalis Bellarminus in reſpōſione ſua ad Apologiā, anno 1606. edictū à Rege prodijt, cuius titulus erat, *Ad detegendos, & reprimendos Papiſtas.* Ex quo titulo manifeſtum eſt, cauſa Religionis, & in defectionem à Papa edictū latum eſſe. Vnde in primo eius articulo confirmatæ ſunt leges ab Eliſabetha latę, in alijs vero multa ſub grauiſsimis pęnis propter eundem finem ſtatuta ſunt. Vt, quòd Catholici recuſantes cœnā hæreticorū ſumere, vel templa eorum adire, & ſacris intereſſe, varijs pęnis pecuniarijs mulctētur, eas in ſingulis vicibus augendo, longe acerbiori modo quam ſub Eliſabetha fieret. Deinde licet Rex dicat, ſe antiquum iuramētum temperaſſe, non tamen illud abſtulit. Scimus enim fide digna relatione, ſuperiori anno decretum eſſe, vt omnes ſubditi vtrumque iuramentum præſtent. Pręterea recuſantes etiam nouum iuramentum fidelitatis admittere, in carcerem ſicariorum conijciuntur, & ſi ibi etiam recuſent, priuantur omnibus bonis, & carceri perpetuo mancipantur, & ſi tertio recuſent, capite damnantur. Item vt qui aliquem Regis ſubditum ad obedientiam Eccleſiæ reduxerit, reus Maieſtatis læſæ habeatur, eiuſque criminis pœnam ſubeat, niſi intra certū tempus crimen cōfeſſus vtrūq; iuramentum Primatus, & contra poteſtatem Papæ ſuſcipiat. Quę omnia edicta, & leges in ſcopum auertendi homines à Romana Religione manifeſte ordinantur, & magnam coactionem continent; quandoquidem per comminationem priuationis bonorum, & perpetui carceris homines ab actibus Romanæ fidei, ac religioni conſentaneis arcentur, vel ad iuramenta perfidiæ, & ſacrilegas hęreticorum ſuperſtitiones inducuntur.

Sub Iacabo Rege quid. Bellarm.

Accedit (quod antea ſub Eliſabetha non tam acerbe factum fuerat ſicut his poſterioribus annis, præſertim ab anno. 605. vſque ad pręſentem.) Eadem edicta in Hibernia (vt inde ſcribit) eſſe promulgata per legatos, & gubernatores à Rege magna cum poteſtate miſſos, à quibus ita Catholici vexantur, vt vix viuere permittantur, niſi antiquæ religioni renuntient. Præcipitur enim omnibus ſub grauiſsimis pœnis, vt Eccleſias Proteſtantiū Dominicis diebus, & feſtis adeant, & impijs eorum ritibus interſint, & Catholici patriam deſerere coguntur, niſi Proteſtantibus conformari velint. Prohibentur pręterea catholici ſub pęna perpetui carceris: ne intra regnum grammaticam, aut aliam ſcientiam iuuenibus doceant. Parentes ſub pęna confiſcationis bonorum interdicuntur filios extra regnum ad literarum Catholica ſtudia mittere, quod ſi eos miſiſſe conſtiterit, in carcere detinentur, donec filij redeāt. Item qui ſui iuris ſunt, prohibentur ſimiliter regno exire ſcientiæ comparandæ cauſa ſub pęna carceris perpetui, ſi in exitu comprehendantur. Nullus permittitur ad Magiſtratum aliquē eligi, nec ad eius regimen admitti, niſi prius iuramentum de Primatu Eccleſiaſtico Regis Angliæ exhibeat. Quę omnia, & alia multa, quę breuitatis cauſa omittimus, in eundē finem euellendi radicitus Romanam fidē ab illa inſula, in qua vigere adhuc videbatur, ordinantur. Vnde cum iuſſu Regis quatuor Archiepiſcopi, qui ſoli ſunt in illa prouincia, ad tractandum de rebus religionis, Dullino conueniſſent, omnes vno ore iurarunt omnibus modis, & vijs procurare, vt in ſuis, ſuorumque ſuffraganeorum dięceſibus, atque adeo in vniuerſa Inſula in religionis ritu vniformitas conſeruetur. *In finem* (inquiunt) *eradicandi penitus Papiſticam religionem, & loco illius veram* (ſcilicet) *fidem ac religionem plantandi.*

Conuentus quatuor Archiepiſcoporum Hiberniç pro exstirpāda catholica fide

Hæc autem vexatio per edicta, & leges, non in cōminationibus tantū ſiſtit, ſed ad executionē magna ex parte progreditur. Vt Sander. in lib. 3. ſuę Hiſtor. de tempore Eliſabethę late refert. Et de hoc tempore per conſtantem famam, & rela- 15.

Sander.

relationes fide dignisſimas nobis cōſtat, maxime vexari Catholicos expilationibus, & rapinis, vt ad ſummam pauperiem redacti, nec vires, nec animos ad reſiſtendum habeant. Cuius rei exempla multa referre poſſemus: Vnū vero ſufficiat, de quodam illuſtri viro Vicecomite Montagu, qui ne iuramentum nouū ſuſciperet, pro compenſatione ſex mille libras, hoc eſt, viginti quatuor mille crucia tos Luſitanos ſoluit ſuperiori ānō. 1611. Neque neceſſarium eſt, vt de alijs medijs tormentorum, pęnarum, ac coactionis, quibus fideles grauiſsime vexantur, longiorem probationem adhibeamus, quia & in ſequenti capite multa huius veritatis argumenta, & exempla referre oportebit: & nunc etiam ad obiectiones, vel potius excuſationes Regis reſpondendo, idem euidentius conſtabit. Nam etiam ipſe Rex nō audet omnino negare afflictiones, & pœnas, quas orthodoxi in Anglia paſsi ſunt, & nunc etiam patiuntur, ſed alias excuſationes prætendit, quas expendere neceſſe eſt, vt euidentiſsime cōſtet, tam claram, & crudelem eſſe illam perſecutionem, vt nulla tergiuerſatione celari poſsit.

16. Excluditur euaſio qua Rex vtitur.

Prius ergo excuſat Rex prædeceſſorem ſuam Eliſabetham partitione temporum ſupra facta. Nam ante ſententiam à Pio. V. latam fideles grauiter nō vexauit, poſt ſententiam vero non illos vexauit, ſed ſe defendit, nec fidem perſecuta eſt, ſed crimina, & coniurationes. At prius membrum falſo nititur fundamento. Dicit enim Rex, ante Pij. V. excommunicationem non eſſe in Anglia ſeueriores leges latas contra Catholicos: At illa excōmunicata lata fuit à Pio. 5. anno. 1569. & tamē anno. 1558. & ſequenti latæ fuerunt leges ſupra relatæ, quæ non ſolum ſeueriores, ſed etiā ſeueriſsimæ dici poſſunt, & debent. Pœnæ enim priuationis bonorum, vel perpetui carceris per ſe, ac ſigillatim ſumptę grauiſsimæ ſunt: quomodo ergo nō eſt iudicanda ſeueriſsima lex, quæ vtramque pœnam ſemel recuſanti iuramentum Primatus, id eſt perfidię, imponebat? Alię item leges pecuniarias pœnas imponentes tam ſeruantibus in ſacris catholicum morem, quàm ſacrilegum Proteſtantiū vitantibus, cum eos paulatim ſuis bonis ad vitam neceſſa-

A rijs priuent, & in bono perſeuerantes perpetuo carceri tandē mancipent, non poſſunt non grauiſsimę & ſeueriſsimæ cenſeri.

Addit præterea Rex nullam pœnam capitis fuiſſe illo tempore in Pontificios conſtitutam. At contrarium conſtat ex dictis legibus, nam ſecunda vice recuſanti iuramentum perfidię, pęna capitis imponebatur. Eàdemque mulctabatur, qui Bullam quamlibet Pontificiam in Angliam deferret. Et Doctor Catholicæ fidei, ſi aliquē ab hæreſi conuerteret, reus B læſæ Maieſtatis, ac ſubinde etiam mortis reus habebatur. Neque ſolum legibus, ſed etiam illarum executione, & innumeris alijs modis Regina illo iam tempore Catholicos vexabat. Refert enim Sāder. lib. 3. ann. 1585. plures Epiſcopos, qui nec iurare, nec alijs impietatibus conſentire voluerunt, de gradibus depoſitos, & carceribus traditos, & ibi tandē *longo miſeriarum tædio fuiſſe extinctos*. Alios item nobiles, alioſque vtriuſque ſexus religioſos, vel ſimiles pertuliſſe vexationes, vel vt illas vitarent, patriam deſerere, & relictis omnibus exules fieri, coactos eſſe.

17. Refellitur altera euaſio.

Sander.

C Eſt ergo euidentiſsimum, prius Eliſabetham grauiſsima perſecutione Catholicos vexaſſe, quam Pius. V. in ipſam animaduerteret. Vnde ſi æquo animo, vt Rex poſtulat, ipſe rē totam cum ſuis circunſtātijs æſtimare, & pēſitare voluiſſet, longe verius diceret, Pium. V. nullam Reginæ pœnā irrogaſſe prius quam eius pertinacia & in Catholicos ſæuitia Pontificem ad innocentum defenſionem cōpuliſſent.

17. Altera euaſio euertitur.

Videamus deinde quam ſit legitima de actis ab Eliſabetha in poſteriori tempore excuſatio, *Eliſabetha*, inquit, *cenſura, & depoſitione Pij. V. exacerbata*, in Ca- D tholicos ira, & indignatione cōmota eſt. At quęnam hęc excuſatio eſt? Profecto nulla: quin potius inde grauior, & deteſtabilior facta eſt perſecutionis iniquitas. Nam vt oſtenſum eſt, ante Pij. V. ſentētiam per plures annos Eliſabetha Catholicos vexauerat, vt eos ab obedientia Pōtificis auerteret, cumque Pius. IIII. legatum ad illam miſiſſet, qui eam admoneret ne regnum ſuum nobiliſsimum propter odium Pontificis perderet, & ſiquid ſibi de iure regni timeret, ſedis Apoſtolicæ

licę benignitate facile tranſigi poſſe, affirmaret, ipſa nec legatum audire voluit, nec illi in Inſulam traiectionem permiſit, vt lib. 3. ann. 1566, Sanderus refert. Additq; alium nihilominus legatum ab eodem Pōtifice in Angliam fuiſſe miſſum, qui Reginam hortaretur, vt aliquos ex ſuis Epiſcopis ad Concilium Tridentinū omni ſecuritate promiſſa mitteret, vt cauſa fidei tractaretur, quem etiam ſuperbe reiecit. Item ait, varijs literis Imperatoris, Regum, & aliorum virorum illuſtriū catholicorum duriorem ſemper factam. Quid ergo mirum, ſi Pius. V. cum per quatuor fere annos ſui Pontificatus patienter etiam aliquam correctionem, vel moderationem in moribus Reginæ expectaſſet, & nihil proficeret, ſeueritate tādem in ipſam vtendum eſſe cenſuerit? Nemo ſane, qui de poteſtate Papæ non dubitauerit, iuſtam eius indignationem reprehendere audebit, nec Reginæ pertinaciam excuſabit.

Sander.

19. Poſſumuſque ad præſentem cauſam egregiam Auguſtini ſententiam accommodare, qui in lib. de Vnit. Eccleſ. cap. 20. ita ad Donatiſtas loquitur. *Si vos contra Chriſti Eccleſiā altare erexiſſe, & à Chriſtiana vnitate, quæ toto orbe diffunditur, ſacrilego ſchiſmate ſeparatos eſſe, & corpori Chriſti, quod eſt Eccleſia toto orbe diffuſa, & blaſphemando, & quantum poteſtis oppugnādo, aduerſari Sancta, & canonica Scriptura conuincit, vos impij, atque ſacrilegi: illi autem, qui vos pro tanto ſcelere tam leniter, dānorum admonitionibus, vel locorum, vel honorum, vel pecuniæ priuatione deterrendos coercendoſque decernunt, vt cogitātes, quare iſta patiamini, ſacrilegium veſtrum cognitum fugiatis, & ab æterna damnationē liberemini, & rectores diligentiſsimi, & conſultores pijſsimi deputantur. Hanc vobis dilectionem debent Pontifices, vt & ſacrilegia veſtra, & propter Chriſtianam manſuetudinem non pro merito punienda decernant, & propter Chriſtianam ſolicitudinem non omnino impunita dimittant. Hoc in eis Deus operatur, cuius miſericordiam, etiam in his moleſtijs, de quibus conquerimini, non vultis agnoſcere.* Hæc fere Auguſtinus, quæ licèt non de Pontifice cogente Regē ſchiſmaticum, ſed de Imperatore in fauorem Eccleſiæ contra ſubditos rebelles ſæuiente, loquatur, nihilominus, vt dixi, verba

Auguſt.

A ipſa, totaque ſententia optime ad præſentem cauſam cum proportione accommodantur. Neq; poterit contradicere, niſi qui poteſtatem Papæ ad Reges ſchiſmaticos coercendos negauerit: is autem ad quæſtionem de cauſa religionis controuerſiam reuocabit. Atque ita etiam concluditur, licet Eliſabetha ſententia Pontificis prouocata perſecutionem auxerit, non ideo ſcopum, & finem perſecutionis mutaſſe, ſemper enim contra Religionem pugnauit, & in eo propoſito occaſione iuſtæ ſententiæ magis confirmata,
B & crudelior facta eſt, atque ita perſecutio Catholicorum non fuit mutata, ſeu ablata, ſed aucta.

Ad alia, quæ de ſe ſuoque Regimine Rex proponit, breuiter reſpondemus, in primis ex comparatione, quam inter ſe, & Eliſabetham facit, ad ſummū oſtēdere, in principio ſui imperij mitius ſe cū Catholicis geſſiſſe, & perſecutionem Eliſabethę aliquo modo temperaſſe, non vero ab illa ceſſaſſe. Nos enim facile oſtēdere poſſumus, ipſum etiam Iacobum à principio regni ſui religionem catholicā perſecutum eſſe. Primò, quia in primo
C anno regni ſui, primoq; Parlamento edicta Reginæ non ſolum confirmauit, ſed etiam non parum auxit, vt Bellarminus in ſua reſpō ſione teſtatur. Secūdo, quia ipſemet Rex dicit, Catholicos de ſua benignitatē confiſos, in eam ſpem veniſſe, vt ſe breui Religionis ſuæ libertate fruituros cōfiderent. Ergo fatetur, ipſo etiā regnante, ſemper fuiſſe catholicis interdictum, ne ſuam Religionem profiterentur, vel obſeruarent; ergo cogebantur illam deſerere; quæ autem eſſe poteſt euidentior religionis perſecutio, quam illius vſum per iniquas leges, & per vim
D interdicere? Tertio ipſe Rex fatetur, ſummam clementiam ſuam erga catholicos eo perueniſſe, vt intra diem conſtitutam regno excedere permitterentur, vel potius cogerentur, nam exilium illud ad vitandas grauiores pœnas illis cōcedebatur. Et hoc vocat Rex *Clementiſſimum edictum.* Sed audiat, quid de ſimili conceſsione tēpore Eliſabethę facta ſcribat Sanderus. *Inierunt his ipſis diebus nouum conſilium de quibuſdam, quos in vinculis habebant, in exilium mittendis, vel quia morte, ac mactatione ſacerdotum ſenſerunt ſe nihil*

20. Perſecutionis progreſſus ſub Iacobo.

Bellarmi.

Sander.

A *nihil profeciſſe, vel quia iudicarũt, hoc in primis facto fucatam clementiam ſuam, cuius laudem tantopere expetunt, pluribus in locis diuulgari poſſe.* Quid ergo ſi de ſimili Regis conſilio idem iudicium quis faciat? Fortaſſe non multum à vero aberrabit. Verumtamen demus, Regem id feciſſe animo leniẽdi vexationem, & minuendi pœnas. *Profecto perpetuum exilium, neque magnum eſt lenitatis argumentum,* vt idem author adiungit; imò per ſe ſpectatum eſt grauiſsima pęna, & per illud cogi ad grauiores pœnas vitandas, magna eſt calamitas, ac denique ea conditione impoſitum, vt redire, ſit capitale, duriſsimum, ac ſæuiſsimum eſt.

21. *Euaſioni occurritur.* At inquit Rex, ſe regnante, probari nõ poſſe, aliquem religionis cauſa morte mulctatũ fuiſſe. Sed in primis hęc nulla gratia eſt, niſi beneficium reputetur illud latronum, qui gloriari ſolent, vitam ſe eis dediſſe, quibus non ademerint. Deinde peſsima eſt illa collectio, *Non interficiuntur catholici; ergo neque perſecutionẽ patiuntur,* quaſi vero ſola occiſio, & mors ſit coactio, & grauis poena. Vnde Auguſtinus de Vnit. Eccleſ. cap. 20. *Quoties Principes per terrores etiam leuiorum pœnarum, à bona vita, & à bonis factis minando, & ſæuiendo deterrent, perſecutores, & oppreſſores ſunt.* Denique falſum etiam eſſe illud, quod aſſeritur, in capite ſequenti oſtendemus. Et ex eo, quod Rex addit, & futurum ſignificat, vt interdictio iuramenti occaſio ſit, plures recuſantes interficiendi, ſatis oſtendit, Regis propoſitum eſſe perſequendi Sanctos vſque ad mortem Religionis cauſa. Nam vt oſtẽdimus, religio, & conſcientia fideles obligat hoc iuramentum non admittere; ergo qui fideles ob eam cauſam interficit, eos propter cauſam Religionis vſque ad mortem perſequitur. *Sanguiſque eorum non in Pontificem,* vt Rex prophetat, ſed in caput perſecutoris recidet, niſi corrigatur. Non enim Pontifex cauſam dedit effundendi talem ſanguinem, qui veritatem declarãdo, iuramentum interdixit, ſed Rex, qui & veritatem oppugnando; tale imponit iuramentũ, & vſq; ad mortem perſequi ſtatuit illud recuſantes, erit vera cauſa ſanguinis tã crudeliter effuſi. Præterea fauores, & beneficia, quæ Catholicis ſe contuliſſe refert, & parui momenti ſunt ad excuſandam perſecutionem, non enim Religionis cauſa illis fauere, vel potius cum illis diſsimulare incepit, ſed ob rationes politicas, vt in principio regni ſui omnes ſibi aliquo modo conciliaret. Et fortaſſe illis blanditijs, & honoribus eorum animos lucrari cupiebat, vt eos poſtea in rebus etiam religionis facilius voluntati ſuæ obſequentes inueniret. Quod ſi ita eſt, illa non excuſatio, ſed potius pars, & augmẽtum perſecutionis cenſenda eſt. Deniq; quod Rex frequẽter in ſuam defenſionem allegat, B ſceleribus coniurationis coactum fuiſſe in Pontificios ſeuerius agere, & non excuſat perſecutionem, quam multo antea inchoauerat, vt oſtendimus, & ad excuſandam à perſecutione vexationẽ catholicorum inde ſubſequutam nihil iuuat, vt ſequenti capite oſtendemus.

Non excuſatur beneficijs in Catholicos ſi ratione politici regiminis collata ſunt.

Auguſt.

CAPVT. XI.

An qui propter Romanam Religionem, & obedientiam in Anglia morte mulctati ſunt, inter veros martyres ſint annumerandi.

C VT perſecutoris Eccleſiæ infamiã Rex Angliæ quoquomodo effugiat, in religioſos, & fideles viros pro Chriſto in eadem inſula interfectos illam reijcere conatus eſt, conſtanter affirmans, propter ſcelera, & crimen perduellionis, vel inobedientiæ grauis in tranſgreſsione legum ciuilium, iuſto ſupplicio eſſe affectos, non vero propter cõſcientiæ, aut religionis cauſam eſſe interfectos. Et ideo mentiri affirmat, valdeq; irridet eos, qui illos Martyres vocant. Vnde in Præfatione ſic inquit. *Licet ſat,* 1.
D *ſuperque idoneis probationibus Ieſuitas perduellionis, & coniurationum reos eſſe pateat, ipſique veritatis vi victi confeſsi ſint, nihilominus pro Martyribus habendi ſunt.* Inferius vero poſt longam digreſsionẽ contra P. Henricum Garnetum, & alios factam, adiungit. *Id conſtanter aſſeuero, quod & in Apologia mea poſui, hic neminem ſiue meis, ſiue defunctæ Reginæ temporibus conſcientiæ, ac religionis cauſa affectum eſſe ſupplicio.* Quod ſi hoc verum eſt, neceſſario concluditur, nullum catholicum, ſaltem Eliſabethæ, & Iacobi temporibus ſupplicio

Pag. 157. & ſequent.

plicio mortis affectum, verum martyrẽ fuiſſe, quia (vt eſt conſtans in theologia principium) Martyrem non facit pœna, ſed cauſa, vt ex Cypriano, Auguſtino, & alijs Patribus ſupra in cap. 22. lib. 1. declarauimus. Quibus autem argumẽtis, vel indicijs Rex ſuadere nitatur, violentas Sanctorum mortes Anglorũ fidelium authoritate regia in Anglia factas, non propter cauſam Religionis, ſed propter alia crimina inflictas eſſe, poſtea videbimus. Oſtendemuſque illis gloriam Martyrum non obſcurari, ſed potius ipſiuſmet Regis verbis illuſtrari, & conuinci: tam potens enim eſt veritatis lux, & ſplendor, vt nunquam ita poſsit per calliditatẽ, vel violentiã occultari, quin tandem ſe prodat, & oſtendat.

Cyprian. Auguſt.

2. Veritas affirmanſo oſtenditur.

Dicimus ergo non ſolum ſub Henrico. VIII. ſed etiam ſub Eliſabetha, & Iacobo plures in Anglicana perſecutione mortẽ pro Chriſto ſuſcepiſſe, qui inter veros Chriſti Martyres magna gloria, & conſtanti veritate computantur. Ita ſentiunt de his ſanctis viris omnes catholici ſcriptores, qui de Anglicanis rebus his temporibus ſcripſerunt. Nam Polydor. Virgi. in fine ſuæ Hiſtoriæ referens lapſum Henrici abnegantis Papæ poteſtatem, ſeq; caput Anglicanæ Eccleſiæ cõſtituentis, ſubiungit. *Iſtud autem decretum non ab omnibus probatur. Et in primis ab Epiſcopo Roffẽſi, viro magna doctrina, ſumma integritate, & innocẽtia: item à Thoma Mor o equite, literis, ac bonis moribus ornatiſsimo, qui demum ambo maluerunt de vita, quàm de ea ſententia decedere, vt ocyus in cœlo, quemadmodum ipſi ſperabant, fruerentur æuo: aliquotq́, alij idem ſponte fecerunt.* Vbi licet expreſſo nomine Martyres non vocet, tamen dum de illorum innocentia teſtatur, & veram interfectionis eorũ cauſam aperit, & ipſos Martyres eſſe, & pro ſola religionis cauſa interfectos eſſe confirmat. Idem de illis, & de alijs ſub Eliſabetha interfectis affirmat, & varijs exẽplis, ac rationibus oſtẽdit Sãder. in lib. 1. & 3. de Schiſmate Anglican. Nã in li. 1. an. 1533. & ſequentib. refert, plures Religioſos Chartuſianæ, & Frãciſcanæ familiæ illuſtres fuiſſe Martyres, & præclare triũphaſſe, illuſtre pro veritate teſtimoniũ reddendo, cõfirmat. Poſteà Roffenſis, & Mori inſignia martyria deſcribit, & ſignatim de Moro refert, interrogatũ eſſe, *an probaret legẽ publicè latã, in qua omnis poteſtas Pontifici Romano abrogata, & ſumma Eccleſiæ gubernatio Regi conceſſa eſſet*, cui interrogationi cũ prius ita reſpondiſſet, vt neq; fidẽ negare, neq; temere mortis periculo ſeſe offerre videretur, tandem inſtante neceſſitate ita reſpondit: *Ego per Dei gratiã ſem per catholicus, nec vnquã à Pontificis Romani cõmunione diſcedẽs, audiueram aliquãdo Pontificis Romani poteſtatem legitimã quidem, & laudabilem. ſed tamen humani iuris, non diuinæ præſcriptionis fuiſſe. Itaq; cũ viderem, ſtatũ huius regni eo ferriq;, vt neceſſario inueſtigandum eſſet, qua ex origine Pontificis Romani poteſtas dimanaret, toto ſeptennio huius rei diligentiſsimæ indagationi me dedi, & deprehendi poteſtatem Romani Pontificis, quam vos temere (vt nihil dicam grauius) abrogaſtis, nõ modo legitimam, laudabilem, & neceſſariam, verũ etiam diuini iuris, & præſcriptionis eſſe. Hæc mea eſt ſententia, hæc fides, in qua per Dei gratiam moriar. Vix hæc dixerat, cũ omnes magna voce clamarũt, proditorẽ, & perduellẽ eſſe Morũ.* Et ſimiliter de Roffenſe ait, eſſe interfectum, eo quod in articulum de Primatu ſpirituali ab Henrico vſurpatũ cõſentire recuſauerit. Addit vero vtrunq; etiã fuiſſe interfectũ, eo quod legitimas fuiſſe nuptias Hẽrici cũ Anna Bolena iurare noluerint. Ex quo anſam ſũpſit Rex Iacobus eorũ Martyria illudẽdi: verũtamẽ ex hoc etiã capite illuſtriora fieri, capite ſequẽti oſtẽdemus. Deniq; idẽ Author in omnibus fere ſequẽtibus annis vitæ Hẽrici illuſtriſsima martyria refert, veruntamen quia Rex Iacobus de tẽpore Henrici nihil dicit, hæc nunc ſufficiunt.

Polydor.

Sander.

Martyres ex Cartuſiana, & Franciſcana familia.

Illuſtria Thomę Mori, & Roffenſis martyria

In libro autem tertio multos propter ſolã fidei cauſam extinctos per Eliſabethã affirmat, quos & Martyres eſſe cenſet. Et primũ, ante expeditũ Breue Pii. V. in Eliſabetham refert Thomã Comitẽ Northumbriũ, qui contra hæreticos arma ſumpſerat, in manũ Anglorũ traditũ, *& Vita* (inquit) *ſi vellet Religionis ſententiam mutare, oblata, claro martyrio fideliter in Domino finiuiſſe.* Interpoſuit autem hic author verba illa, *vita ſi vellet*, & cæt. Ne forte quis hunc Comitem à gloria martyrij excludendum putaret, eo quod propter rebellionem motam inter- 3.

3. Martyrium Thomæ Comitis Northumbriæ.

interfectus videretur, non enim ita eſt, nam illa conditio ei oblata ſufficiēs fuit, vt propter fidei teſtimoniū potius, quā propter prius factum (qualecunq; illud fuiſſet) mortuus fuerit. Quod pro multis alijs exemplis obſeruandum eſt. Poſtea vero anno. 1571. cum multæ leges, capite præcedenti notatæ, contra catholicos latæ eſſent, ait Sanderus. *In quas leges cum multi deuoti catholici, vel verè offenderent, vel ſaltem calumnia legū irretiti tenerentur, alij carceribus, alij bonorum proſcriptione, alij etiam morte mulctabantur, tā ſacerdotes, quam vtriuſq; ſexus laici omniū ordinum.* Et in ſequentibus annis, 581. & ſequentibus Patris Edmundi Campiani, è ſocietate IESV & aliorum multorum martyria præclariſsima refert, de quibus tandem ait: *Fruſtra verò in hoc inſtituto compendio commemorauerim, quibus de crimininibus tam crudeliter in innocentes animaduerſum ſit, cum omnibus conſtet, veram, ſolamq́, cauſam fuiſſe Religionis auitæ profeſsionem, & Apoſtolicæ Sedis, ac communionis contra Eccleſiæ rebelles filios defenſionem.* Quod poſtea multis indicijs, & teſtimonis cōfirmat. Vndequod Rex Iacobus ait, Eliſabetham à Pio. V. exagitatam hæc, & ſimilia commiſiſſe, nihil impedire potuit, quin hæc omnia vera martyria fuerint. Quin potius inde magis oſtendi poteſt, omnia illa homicidia in odium Romanæ religionis, & ad confirmandam ſectam illi contrariam commiſſa fuiſſe, ac ſubinde nihil ad veram martyrij rationem in eis poſſe deſiderari.

Hos late recenſet idem Author lib. 7. de Viſibil. monarchia:

4. *Genebr. Surius. Bozius.*

4. Atque eodem modo de his martyribus ſenſerunt Genebrard. in Chroni. ann. 1534. referens Paulū Iouiū, Georgi. lilium in Chroni. & Sleidam lib. 9. Item Surius, in ſua hiſtoria, Bozi. de Signis Eccleſ. p. 1. lib. 11. cap. 1. vbi martyria Chartuſianorum ſub Henrico late refert, notatq; ſua ſponte illa ſuſtinuiſſe, *Nam conditio* (ait) *proponebatur ijs vt vel diſcederent à fide, vel ea tormenta ſubirent.* Deinde vero aliorum tormenta, & martyria ſub Eliſabetha refert, quæ omnia latius proſequitur lib. 12. cap. 22. Poſt hos Didacus à Yepes Epiſcopus Tarazonen. in Anglicana hiſtoria veritatem hanc ſæpe confirmat, maxime vero in lib. 1. cap. 14. hæreticorū conſilium, &

Didac.

A induſtriam detegit, cauſam religionis ſub nomine criminis læſæ Maieſtatis inuoluentiū, vt ſub illo prætextu, ac calumnia catholici interficerentur, & martyrum gloriā inter Chriſtianos non cōſequerentur. Et lib. 2. cap. 5. refert Andre. Filipatrum egregiè de his martyribus, qui ab Eliſabetha facti ſunt, ſcribētem.

5. *Baron.* teſtimoniū Card. Bar. de martyribus Angliæ.

5. Præterea illuſtriſsimus Baron. in Martyrol. die 29. Decembris, quo die feſtum ſancti Thomæ Cantuariēſis Eccleſia celebrat, poſt breuē eius Martyrij deſcriptionem ſubiungit. *Videre meruit ſeculum noſtrum, ex hac parte feliciſsimū, quam plurimos Thomas, ſanctiſsimos ſacerdotes, alioſque nobiliſsimos viros Anglicanos ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, duplicique tituli coronis auctos, cum non ſolum (vt Thomas) pro Eccleſiaſtica libertate, ſed pro fide catholica tuenda, reſtituenda, ac conſeruanda, nobiliſsimo martyrio occubuerint: vt inter alios, quos nuper S. Societas IESV velut agnos innoxios in ſacris ſeptis ſanctis eruditionibus ad martyrium, acceptiſsimas Deo hoſtias, ſaginauit; quos Romanum, quos Rhemenſe ſacra collegia, quæ dixerim celſas turres à facie Aquilonis, & fortiſsima propugnacula fidei, emiſerunt ad triumphos, & prouexerunt ad coronas. Macte animo, macte virtute, Anglicanorum nobiliſsime, ac glorioſiſsime cætus, qui tam illuſtri militiæ nomen dediſti, ac ſacramento ſanguinem ſpopondiſti: æmulor ſane vos Dei æmulatione, cum vos martyrij candidatos, ac nobiliſsimæ purpuræ Martyres deſignatos aſpicio. Compellor & dicere; Moriatur anima mea morte Iuſtorum, & fiant nouiſsima mea horum ſimilia.* Quæ verba dixit vir grauiſsimus non ſolum de his, qui temporibus Eliſabethæ, ſed etiam de his, qui ſuo etiam tempore ſub Iacobo propter ſimilem cauſam paſsi ſunt, quos non paucos fuiſſe multorum fide dignorum relationibus compertum habemus, licet nondum in hiſtoria aliqua typis mādata, quæ ad manus noſtras peruenerit, ſcriptum ſit.

Martyres è ſocietate Ieſu.

6. *Pet. Omp. Laur. Bey.*

6. Denique ita de Anglicanis Martyribus ſenſit etiam Petrus Opmeerus in nouiſsimo opere chronographico, Ann. 1535. & Laurenti. Beyerlinck in tomo ſecundo, eiuſdem chronographiæ ann. 1606. vbi poſtquam deſcripſit ſulphuream

phuream coniurationem contra Regem Angliæ;& ſupplicia cõiurationis authoribus inflicta, de Patre Henrico Garneto graue reddit teſtimonium, quod hoc loco tranſcribere, opportunum viſum. eſt. *Paulo poſt venit etiam in ſuſpicionẽ ſulphureæ coniurationis, odio crediderim eius, cui ſe adſcripſerat; Societatis IESV, Henricus Garnetus omni literarum genere excultus. Qui tamen artibus illis nunquam ſe admiſcuerat, obteſtatus nihil ſe de ijs palam reſciuiſſe. Catesbium in arcanis conſcientiæ detexiſſe, quidquam in animo ſibi eſſe, quod religionem promoueret, ita tamen verborum inuolucris id implicuiſſe, vt Regiæ necis mẽtionem nunquam fecerit. Acta iudicij, & quæ tam aduerſus illum, quam ad eius defenſionem in medium allata ſunt, editis libellis explicata fuerunt. Interim xxviij. Martij (alij tertiam Maij dicunt) interritus, & exporrecta fronte ad ſupplicij locum, necemque trahitur, obteſtatus ſe gaudere plurimũ, quod eam mortem inueniſſet, quæ ſibi ad immortalitatẽ aditũ reſeraret. Neq; ille ſolus in eius facinoris ſuſpicionẽ venerat, ſed plures inſuper, quorũ non nulli qui in Belſio degebãt, ea macula aſperſi feruntur. Dies, quo coniuratio detecta primũ fuit, in faſtos relata, totiq; regno celebris ad perẽnẽ rei memoriã eſſe iubetur.*

Graue teſtimonium pro Henrico Garnero Martyre è Societate IESV

7. Excluditur Regis Euaſio.

Scio ad hæc omnia reſponſurũ Iacobum Regem, nõ eſſe his authoribus fidẽ adhibendã, tum quòd Pontificij ſint, tũ quod falſis rumoribus fuerint decepti. Verũtamen cum omniũ iſtorũ virorum non tantũ fides in Deũ, ſed etiã doctrina, & prudentia nota ſit, & aliqui eorũ in vitę integritate, & puritate fuerint illuſtres credendũ potius illis eſt, quã Proteſtãtibus, qui & fidẽ negarunt, & odio in Põtificẽ facti ſũt infidelibus deteriores. Quapropter qui non ex aliorũ relatione, ſed ex certa ſciẽtia, & experiẽtia loquuntur, vt Sanderus, & quos ipſe allegat, teſtes profecto ſũt omni exceptione maiores. Qui vero audita referunt, nõ leuiter motos eſſe, verba ipſorũ manifeſte oſtẽdũt. Vnde potius credendũ eſt, Regẽ in his, quæ de iudiciorũ ſuorũ legitimis probationibus affirmat, ab hęreticis, & Papæ hoſtibus deceptum eſſe, quàm tot viros ſapiẽtes vanis rumoribus ductos eſſe, cũ rem nõ vt dubiã, ſed vt certã affirment, & multi eorũ ſcriptis, & teſtimonijs fide digniſsimis, quę proferunt, illa ſe di-

A dicisse teſtentur. Quod ſine vllo falſitatis vel redargutionis timore fecit etiã illuſtriſsimus Bellarminus, vt omittam alios Societatis Scriptores, qui teſtimonium huic veritati dederunt.

Bellarmi.

8. Ex verbis regis demõſtratur, perſonas quaſdam ab ipſo interfectas, pro Chriſto occubuiſſe.

Prætermiſsis autẽ coniecturis, & teſtibus, ex verbis ipſiuſmet Regis eandẽ veritatẽ demonſtrare poſſumus. Suppono enim ex dictis ſupra, lib. 1. c. 22. in perſonis à Regib⁹ Anglię iterfectis nihil aliud deſiderari poſſe, niſi vt propter Chriſtũ, ſeuquod idẽ eſt, propter iuſtitiam, fidẽ, aut veram Religionẽ extincti ſint, nam B omnes aliæ cõditiones ad martyrium requiſitę, & omnia indicia veri Martyrij in eorũ morte inuẽta ſunt. Quia tã in fidei antiquitate, quã in animi conſtantia, & patientia, nec nõ in verborũ grauitate, & prudentia antiquos martyres imitati ſũt, vt in dicto capite declaraui. Vnde neque Rex ipſe Angliæ, neq; Proteſtantes omnes aliam rationẽ, aut modũ obſcurandi hæc martyria inuenire hactenus potuerunt, niſi negando, religionis cauſa hos Martyres paſſos eſſe. Et fortaſſe ideo hanc excuſationẽ prætendere auſi ſunt, quia cum ex facto pendeat, difficilẽ pro C bationẽ habere videtur; tã potẽs autẽ eſt veritatis vis, vt etiã ſuis verbis Iacobus illã negare, imò etiã occultare nõ potuerit.

Nã in Pręfat. pag. 153. cũ dixiſſet, neminẽ ſuo, vel Reginę tempore religionis cauſa eſſe vltimo ſupplicio affectũ, probationẽ his verbis ſubiũgit, *Nã quãuis religioni ſuæ deditus ſit, quantũuis eã aperte & conſtãter profiteatur, nullũ ei à legibus impendet capitis periculũ: niſi cõperto contra leges externo aliquo actu deliquiſſe, aut coniurationẽ, conſiliũ ve rei ſũmæ pernicioſum iniſſe: exceptis tantũmodo ſacrificulis, cæteriſq; Pontificiarũ partiũ, qui in tranſmarinis regio* D *nibus ſacris ordinibus initiãtur, qui tot cõiurationibus, tot proditionibus ab ipſis in Anglia, vel cõceptis, vel laudatis infames, à noſtris finibus ſub perduellionis pœna arcentur.* In quibus verbis primũ notãda eſt regula generalis, in qua Rex ait, eis, *qui catholicã fidẽ aperte, & conſtãter profitentur, nullũ à legibus impẽdi capitis periculũ.* Nõ enim negat, alias graues pœnas, & afflictiones eis imminere, neq; affirmare poteſt licere eis per leges, ſuã fidẽ profiteri iis actib⁹, & modis, quos ipſamet fides pręcipit, vel docet, vt ex dicẽdis patebit. Dein

de notādæ ſunt exceptiones, vna eſt, *de his, qui cōiuratione inierunt*, de qua nihil dicere neceſſe eſt, nam ſi de tali crimine legitime cōuicti fuerint, iuſte pro illo puniuntur, neq; illa mors ad martyriū pertinet. Solet autem (vt quibuſdam exemplis ſupra oſtenſum eſt, & generaliter fāma prædicat) illis promitti pœnæ remiſsio, ſi Romanam religionem abiurent, & tunc ſi cum pœnitentia priorum delictorum patiantur, non carebunt gloria martyrij, quia tandem propter fidei conſtantiam mortem ſuſtinent. Sed de hoc aliàs. Nunc quod ad rem noſtram pertinet, eſt altera exceptio de his, *Qui externo aliquo actu contra leges deliquerunt*. Atque in hac immorandum eſt, & cum illa cætera, quæ de religione, & exterminatione Catholicorum dicuntur, expendemus.

Martyres ſunt, qui oblatā veniā mortis, quā merentur, reſpuūt, ne Romanam fidem abnegent.

10\. Qui morte afficiuntur, ob non ſeruatam legē iniquā martyres ſunt.

Interrogo igitur, de quibus legibus Rex loquatur, an de pure ciuilibus, quibus latrones, homicidæ, & alij ſimiles morte mulctantur, vel de legibus, quibus Catholici, aut falſam Sectam profiteri, aut obedientiam, & poteſtatem Pontificis abiurare coguntur, aut actus Religionis Catholicæ exercere, vel illam docere prohibentur. Profecto de prioribus legibus ſolis Rex loqui non poteſt, alioqui facile conuincetur falſitatis eius aſſertio. Tum ex legibus allegatis capite præcedenti, tum ex factis ipſis vniuerſo Orbi notis, tum etiam ex verbis Regis in Apologia, vbi recuſantibus iuramentum nuper editum, mortem comminatur, vt capite etiam præcedenti ponderauimus, certaque relatione iam accepimus aliquos ob ſolam illam recuſationem eſſe in Anglia interfectos. Neceſſe eſt ergo, vt de Legibus in materia Religionis diſponentibus contra Romanam Religionē, loquatur. Hinc autem euidenter ſequitur, eos, qui propter ſolam transgreſsionem talium legum interficiuntur, propter ſolam cauſam religionis, & conſcientiæ interfici, ac ſubinde veros Martyres eſſe: quia, vt dixi, nihil aliud ad verum martyrium in tali morte deſiderari poteſt.

Oſtenditur multos Catholicos qui ob trāſgreſſionē legū Iacobi Regis occiſi ſunt, propter Christū paſſos eſſe.

11\. Probatur autem illatio, primo in legibus præcipientibus actus veræ religioni contrarios, vt eſt iurare Primatum Reginæ, vel Regis, & abiurare poteſta- A tem Papæ; vel nomen eius ex omnibus libris delere, vt præcepit Henricus. Quia nemo poteſt talem legem ſeruare, niſi contra ſuam conſcientiam agendo, vel interius, vel exterius ſaltem Catholicam religionem negando; ergo idem eſt, propter talium legum tranſgreſsionem, quod propter ſuam conſcientiam, & religionem immaculatam ſeruandam interfici. Conſequentia euidens eſt, & Antecedens conſtat ex ſententia Petri, & Apoſtolorum Actor. capite quinto. *Obedire oportet Deo, magis, quam hominibus.* *Actor. 5.* B Vnde recte dixit Auguſtinus Epiſtola. 166. *Si contingat, Imperatorem in errore verſari, & pro errore ſuo contra veritatem leges dare, qui non faciunt, quod ille iubet, quia Deus prohibet, licet torqueantur, non puniri, ſed probari nunc, & poſtea coronari.* *Auguſt.* Similesq; Patrum ſentētias cōgerit Gratianus 11.q.3.cap.92.& ſequentitibus. *Gratian.* Et confirmatur, quia non aliter omnes Martyres à principio Eccleſię paſsi ſunt. Per edicta enim Imperatorum contra fidem, vel cultum veri Dei aliquid agere præcipiebantur, ſub comminatione mortis, quam ſuſtinere potius quam talibus obedire mandatis eligebant. C Eodem autem modo puniuntur in Anglia talium legum tranſgreſſores.

Ob eandem cauſā Martyres naſcētis Eccleſię occidebantur.

Atque ratio hęc, & aſſertio locum habet, etiam in illis Angliæ legibus, quæ alios actus ſacrilegos, vt participationem Caluinianæ Cœnæ, & ſimiles communicationes cum hæreticis in eorum ritibus, & Synagogis præcipiunt. Nam licet in illis legibus non imponatur capitalis pęna, nihilominus qualiſcumque ſit pœna, illam propter talis legis tranſgreſsionem ſuſtinere, eſt quędam martyrij participatio, vel inchoatio, quæ ſi vſque ad D mortem ſuſtineatur, poterit martyrium conſummari, vt infra dicam.

De alijs autem legibus vetantibus actus exteriores bonos, & ex fide, & religione catholica profectos, vt ſūt ſacra facere, ſeu miſſas priuatas dicere, abſoluere pœnitentes, catholicos exhortari, ignorātes, vel hæreſi deceptos docere, & ſchiſmaticos Eccleſię Romanę recōciliare, & ſpecialiter docere Papā eſſe caput Eccleſię vbique exiſtentis, etiam in Anglia, & ſimilia. De his, inquam, legibus facile etiā probari poteſt, eos, qui ob trāſgreſsionem 12.

Martyres ſũt qui propter violationem legum prohibentiũ actꝰ religionis catholicę occiduntur. *Actor. 4.*

nē illarũ interficiuntur, eſſe veros Martyres, & propter cauſã Religionis interfici. Sũt enim hæ leges ſimiles illi præcepto ſacerdotum, & ſcribarum dato Apoſtolis Actor. 4. quando *vocantes eos denũciarunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine IESV*. Quibus Petrus, & Ioannes reſponderunt. *Si iuſtũ eſt in cõſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate, non enim poſſumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui.* Et iterum cap. 5. cum Princeps ſacerdotum Apoſtolos reprehenderet, dicens, *Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine iſto, &c.* Apoſtoli reſponderunt, *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus.* Et cum ob eam cauſam cæſi fuiſſent. *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Vbi expendo, licet ſacerdotes propter tranſgreſsionem ſui præcepti Apoſtolos cædi feciſſēt, illos nihilominus exiſtimaſſe, *pro nomine IESV* paſſos fuiſſe: vnde ſi paſsio illa vſq; ad mortem perueniſſet, ſine dubio fuiſſet cõſummatũ martyriũ. Ex quo loco generatim colligimꝰ, ſi præceptum, vel lex humana prohibeat actus veræ religionis catholicæ, qui ad eius defenſionem, conſeruationem, vel propagationem ordinantur, & propter eius trãſgreſsionem aliquis à fidei perſecutore occidatur, vere interfici propter cauſam religionis. etiam ſi tyrannus propter legis ſuæ tranſgreſsionem pœnã illam imponi dicat. Eſt enim omnino eadem ratio. Cum ergo per has leges Angliæ ſimiles actus religionis catholicę prohibeantur, illæ nihil obſtant, quominus omnes, qui propter vſum talium actionum interficiuntur, propter fidem, & religionem moriantur.

Actor. 5.

13. Ratio autem eſt, quia leges illæ ſunt iniquę, & nullam obligationem inducerē poſſunt, tũ quia ſunt ciuiles, & in materia religionis contra religionem diſponunt, tum quia prohibent actus de ſe licitos, & Sanctos in ſpiritualem perniciem Eccleſiæ, quæ in illo regno eſt. Et ideo illas leges non obſeruare nulla eſt culpa; imò ſi fiat prudenti modo, & ſine temeritate, eſt inſignis actus fortitudinis & religionis, & ſignum magnę charitatis; ergo mors illata propter tales actus, re vera non eſt pœna tranſgreſsionis legis, quia vbi lex nulla eſt, etiã tranſgreſsio eſt nulla, & conſequenter nulla culpa; ergo nec vera pœna eſſe poteſt. Supereſt ergo, vt ſit tantum perſecutio religionis, & afflictio, ſeu paſsio talis perſonę, ſolũ quia talem Religionem profitetur, aut defendit, vel prędicat, hoc autẽ eſt pati propter cauſam Religionis, & propter Chriſtũ, ſicut patiebantur Apoſtoli. Hęc autem ratio procedit euidentius, quãdo actio ab homine prohibita a Chriſto eſt præcepta; tum quia homo tunc patitur, ne hominem Deo præferat, iuxta illam Apoſtolicam ſententiam, *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*; tum etiam quia in illo articulo obligat Chriſti pręceptũ. *Nolite timere eos, qui occidũt corpus.* Matt. 10. Nam vt ibi ait author Imperfecti homil. 25. *Non ſolum ille proditor eſt veritatis, qui tranſgrediens veritatem mendacium loquitur, ſed etiam ille, qui non libere veritatem pronunciat, quam libere pronunciare oportet.* Vnde ſubiũgit, non ſolũ ſacerdotem, ſed etiam laicum eſſe debitorem profitendæ fidei in tali neceſsitatis articulo. Quomodo ergo non erit Martyr, ſi ob eam cauſam interficiatur?

Matt. 10.

14. Qui interficitur, quod actũ religionis Catholicæ exercebat martyr exiſtit.

Addo vero, licet talia opera lege humana prohibita, poſsint aliquãdo omitti ſine tranſgreſsione præcepti diuini, vel quia ſunt tantum de conſilio, vt vouere caſtitatem, vel religionem profiteri, vel quia ſi cadunt ſub affirmatiuum præceptum Dei, vel Eccleſię, vel illud nõ obligat pro tali tempore, vel cum tot periculis: & ideo poſſet optime pro tunc omitti, ſine eiuſdem tranſgreſsione: nihilominus ſiquis, non obſtante iniqua prohibitione, & tyrannica comminatione propter zelum fidei illos actus exerceat, eo modo, quo ſibi licent, & iudicat ad Dei gloriam, & vtilitatem animarum expedire: ſi propterea occidatur, erit vere martyr, quia *non vt maledicus, aut fur*, vel inobediens Regi cuius lex eſt iniqua, *ſed vt Chriſtianus Catholicus* patitur, & propter iuſtitiam interficitur. Non enim ſolũ homo operatur iuſtitiã, quãdo obedit præcepto, ſed etiã quoties operatur propter Chriſtũ, & Dei gloriã, licet tũc non obligetur; ergo qui patitur, ne hãc iuſtitiã volũtariã, vt ſic dicã, id eſt, non neceſſariam tunc ex pręcepto, Deo autẽ gratam, & proximis vtilẽ, omittat,

re vera propter iuſtitiam patitur; ergo ſi interficiatur propter eãdem cauſam, vere occiditur propter cauſam religionis, ac ſubinde eſt verus martyr.

15. Cum ergo Rex fateatur, in Anglia interfici Pontificios propter tranſgreſsionem talium legum ciuilium, negare non poteſt, quin propter cauſam religionis interficiantur, & conſequenter neq; inficiari poteſt eſſe veros martyres. Nã lex iniuſta, & inualida non poteſt impedire martyrij veritatẽ, nec veram cauſam talis mortis immutare, quæ cauſa re vera eſt ſola profeſsio talium actionum, quę ideo diſplicet Regi, ſuiſque conſiliarijs, quia diſplicet illis Romana Religio, & timent, ne per illos actus vel conſeruetur, vel inſtauretur in illa inſula, & ne contraria ſecta confundatur. Nec refert, ſi dixerint, prohiberi hos actus, non propter religionem, ſed propter ciuiles rationes, quia tales homines ſeditioſi ſunt, & coniurationem mouent, &c. Nam in primis maiori ex parte hæ ſunt falſæ calumniæ, & prętextus ad euertendam religionẽ catholicam. Dato enim (& non conceſſo) quòd aliqui catholici in hoc aliquid peccauerint, vel exceſſerint, non ideo in omnes catholicos redundare debet infamia; hoc enim contra rationem, & iuſtitiam eſt, vt conſtat. Maximè vero iniquum eſt, vt ob eam cauſam ipſa catholica religio (vt ſic dicã) infametur, & perſecutionẽ patiatur, vſum eius, & omnia media neceſſaria, vel vtilia ad illius conſeruationẽ vel propagationẽ ſubditis prohibendo. Deinde multa ſunt legibus Anglicis ſub pœna capitis prohibita, & punita, quæ ad euitãdum illud periculũ, ſi quod eſſet, nec neceſſaria, nec vtilia ſunt. Vt v. g. *prohibere affirmare Papam eſſe caput Eccleſiæ*, nihil profectò ad illũ finem confert. Quin potius illa lex efficit, vt fideles Papę obedientes cogantur ſe ſe abſcondere, ex qua violẽtia, & ſimilibus ſolent tales cõiurationes prodire. Et idẽ eſt de prohibitione vſus ſacrificij, & aliarũ rerũ ſacrarũ, vt imaginũ, & de adminiſtratione ſacramentorũ ritu catholico. At vero ſi ſubditi liberè ſuam fidem profiteri ſinerentur, & eſſent cogniti qui à Pontifice ſunt, occaſio coniurationis, ac ſimilia pericula eſſent ſublata; ergo hoc colore nõ poſſunt tales leges, vel mortes, quæ ſub illarum titulo fiunt, à perſecutione cauſa religionis excuſari. Ex quo tandẽ dicimus, ſi quod eſt periculum inſidiarum, & cõiurationum, ex pertinacia ipſorum hęreticorum naſci. Et ideo ſi ad vitandum periculum, volunt potius religionem catholicam funditus euertere, quam à ſua pertinacia deſiſtere, hoc ipſo euidenter oſtendunt, ſe catholicam religionem perſequi, vt ſuam hæreſim retineãt, & in illa tẽporalem ſtatum conſeruent; ergo quãdo propter ſimilem cauſam ſacerdotes, vel alios fideles occidũt, propter cauſam religionis illos perimunt, ac ſubinde tanquam veros martyres, velint, nolint, eos Deo mactant.

Nec mouere debet catholicos, aut dubietatem aliquam inferre, quod leges Angliæ damnent eos, qui talia agunt, tanquam perduelliones, traditores, aut hoſtes occultos Regis, vel reipublicæ: non enim apud Deum, ſed apud deprauatum iudicium hominum tales cẽſeri poſſunt, Conditores enim talium legum dignitatem Pontificis contrariam eſſe cenſent Regiæ Maieſtati, & ideo crimen læſę Maieſtatis appellant, obedientiam Pontificis profiteri, cum tamen negare Pontifici obedientiam, crimen ſit læſæ Maieſtatis diuinę, quæ vices ſuas Pontifici in terris cõmiſit, & ideo obediẽtia, quæ illi tribuitur, Deo tribuitur, & non poteſt eſſe cõtraria fidelitati iuſtæ, & Principibus temporalibus debitę: cũ Chriſtus ipſe docuerit, nõ repugnare, quæ ſunt Cæſaris, dare Cæſari, & quę ſunt Dei, Deo, Hoc autẽ eſſe præcipuum inſtitutum, & artificiũ talium legum intelligi facile poteſt ex his, quæ refert Sander, de tempore Eliſabethæ lib. 3. pagin. 469. vbi de Sanctis confeſſoribus ait. *Cum cæteras confictas criminationes in iudicio facile depuliſſent, mox ipſorum ſecretiores cogitationes, & futura facta, quibuſdam captioſis interrogationibus ſuper Bulla declaratoria Pij. V. fit inquiſitio; nimirũ, ſi ſententiam illam legitimã fuiſſe iudicent? Si putent in Papa eſſe poteſtatẽ Reges exauthorare, ac ſubditos ab ipſorũ obedientia liberos reddere? quid ſint facturi ipſi, aut alijs in conſcientia præſcribẽt, ſi bellũ à quoquã inferatur propter Religionẽ; ac huius generis alia: in quibus ſi quid pro Pontificia poteſtate, vel prudentiſsima rerum moderatione dixiſſent, continuo læſæ Maieſta-*

16.

Obedientiã Põtificis pfiteri, nullũ eſt pduellionis crimen.

Sander.

Maieſtatis, & non Religionis rei decernebantur. Et poſtea confeſsione cuiuſdam Ioannis Nicolai, & varijs, ac illuſtribus exemplis idem late confirmat, ac tandem ex legibus in quodam Reginæ edicto contentis id cõprobat, pręcipue vſq; ad pag. 484. Nos vero id ipſum conuincere poſſumus ex Regis Iacobi edicto pro ſuæ fidelitatis, vel potius abnegationis Pontificiæ poteſtatis iuramento, facto ad proclamationẽ, ſeu ad petitionẽ Parlamenti anno. 7. regni eius, cuius tenor omiſſo proœmio, eſt. *Per has præſentes ſtricte præcipimus, & mandamus, vt Domini, & cæteri noſtri ſecretioris conſilij Archiepiſcopi, Epiſcopi, Præſides, & cuſtodes pacis, &c. ad quos ſpectat hoc negotium, vt adminiſtrent hoc iuramentum omnibus perſonis, & præcipue his, quibus poteſt, & debet adminiſtrari, iuxta ſtatutum factum in tertio anno noſtri regni, & quod in recuſantes animaduertãt, iuxta leges noſtras reſpectiue. Et quamuis poterimus propter amorem erga omnes ſubditos noſtros (quibus per prouidentiam Dei loco patris ſumus) optare, ne vllus inueniretur intra terminos noſtrorum dominorum, qui illud recuſauerit: nihilominus ſiquis cor ſuum ita abalienauerit à ſereniſsimo Principe ſuo, vt illud, vel illius vllam partem externæ poteſtati ſubiecerit, in derogationem noſtræ coronæ, & dignitatis, ſeueritatẽ, & iuſtitiam noſtrarum legum, tali debitam declarabimus; ſicut è contra fauor noſter, & beneuolentia benemeritis ſubditis debetur.*

Idem cõfirmatur edicto Iacobi Regis pro iuramento fidelitatis.

17. *Nihilominus, quia alienatio hæc à nobis, & noſtra corona, eſt præparatio quædam ad vlteriorem, & periculoſiorem defectionem, & ideò tendit ad crimen læſæ Maieſtatis, reſoluimus reſeruare nobis, & noſtro vſui totum ordinem, poteſtatem, & diſpoſitionem circa hunc caſum, ſicut & pœnas eiuſdẽ.* Ex quibus verbis ſatis conſtat, has pœnas re vera non infligi, niſi propter confeſsionem Primatus Pontificis, vel propter non abnegatam poteſtatem eius, quę manifeſte eſt cauſa religionis, vt autem gloria Martyrũ obſcuretur, tegi cauſam veram ſub ficto velamine criminis læſæ Maieſtatis, pœnarum autem ſeueritatem, & iniuſtitiam ſub blandis verbis clementiæ, & paternæ prouidentiæ occultari, in quo Rex Angliæ antiquos Imperatores, qui ab Eccleſia defecerunt, imitatur. Sic

Hilar. enim de Conſtantio refert Hilarius libro contra illum, quòd Catholicos perſequebatur, partim blanditijs, partim terroribus, & afflictionibus, *ſine inuidia* (inquit) *glorioſarum mortium.* Vnde in hunc modum contra Conſtantium proclamat. *Contra Deum pugnas, contra Eccleſiam ſæuis, Sanctos perſequeris, prædicatores Chriſti odiſti, religionem tollis; tyrannus non iam humanorum, ſed diuinorum.* Et infra. *Subrepis nomine blandienti, occidis ſpecie religionis, impietatem peragis, Chriſti fidem Chriſti mendax prædicator extinguis.*

Similiter Iulianus Apoſtata, *Callide, & artificioſe* (vt ait Nazianzenus Orat. tertia, alias. 1. contra illum) bellum contra Chriſtianos mouit, *tyrannidi clementiam tanquam hamo eſcam circumponens, ac vim perſuaſione, verborumq́; blanditijsq́; illiniret.* Et ſubdit Nazianzenus. *Etenim vt alia, ita eum quoque, quo Martyres affici ſolent, honorem athletis inuidebat. Ac proinde id molitur, vt ipſe quidem, & vim afferat, & interim afferre non videatur.* Quod late proſequitur. Et ſimilia repetit Oratio. quarta, quę eſt ſecunda contra eundem. Oratione autẽ trigeſima ſecunda poſt quam de Iuliano ſermonem fecit, de Valente ſubdit. *Secundus nihilo humanior illo fuit; imò eo etiam acerbior, quod Chriſti nomen ferens, pſeudoChriſtus erat, Chriſtianiſque probrum, ac dedecus, quibus, & facere impium, & pati inglorium erat: quod nec iniuriam quidem accipere viderentur, nec illuſtri Martyrij nomen cruciantibus accederet, verum hic quoque fucus veritati fieret, vt qui tanquam Chriſtiani patiebantur, tanquam impij cruciatu afficerentur.* Nihil eſt ergo quod Catholici de iſtorum Sanctorum Martyrio dubitent, nam iuxta regulam Auguſtini; cum ſint certi, eos in vnitate Eccleſiæ, pro eadem vnitate, & obedientia mortuos eſſe, dubitare non poſſunt, quin ſint tanquam Martyres coronati, & interfectores eorum tanquam perſecutores martyrum eſſe iudicandos. *Nemo igitur* (vt Cyprianus dixit) *infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias deſtruat, & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume, nec dicere, aut facere aliquid contra Chriſtum poteſt, cuius & ſpes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Chriſto eſt.*

18. Nazianz.

Auguſtin. de vnit. Eccleſ. c. 20.

Cyprianus lib. de lapſ.

19. Qui varie pro Chriſti fide vexantur, martyrij gloria nõ carebunt.

Addere tãdem poſſumus ad fidelium conſolationem, Catholicos diu pro fide vexatos, licet non ſint violenter pro fide interfecti, ſi in ea tribulatione cõſtãter vſque ad mortem perſeuerent, ſiue in montibus, & ſolitudinibus fugiendo errantes, ſiue in vinculis, & carceribus afflicti, ſiue voluntarijs, vel coactis exilijs peregrinantes, ſiue ſpeluncis, & cauernis terræ delitescentes, ſiue alijs modis, & egeſtate multa incommoda patienter ſuſtinentes, vſque ad finem vitæ peruenerint, non fore priuandos gloria, vel mercede Martyrij. Cuius veritatis teſtis ſufficiens mihi eſt Cyprianus Epiſtola. 56. ad Thibaritanos, quos ad martyrium exhortans, ait. *Si fugientem in ſolitudine, ac montibus latro oppreſſerit, fera inuaſerit, fames, aut ſitis, aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti nauigatione properantem, tempeſtas, ac procella ſubmerſerit. Spectat militem ſuum Chriſtus vbicumq; pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmiũ reddit, quod daturum ſe in perſecutione promiſit. Nec minor eſt martyrij gloria non publice, & inter multos perijſſe, cum pereundi cauſa ſit, propter Chriſtum perire. Sufficit ad teſtimonium Martyrij ſui teſtis ille, qui probat Martyres, & coronat.* Sicque dixit idem Cyprianus epiſtol. 18. ad Lucium Papam. *In confeſſoribus Chriſti dilata Martyria non meritum confeſſionis minuunt, ſed magnalia diuinæ protectionis oſtendunt.* (Cyprian. — Idem.)

20. Duplex modus prædictas afflictiones tolerãdi.

Hæc autem tolerantia afflictionum, & pœnarum vſque ad mortem duobus modis poteſt accidere, vno modo cum tanta corporis violentia, & inualetudine ex ipſis afflictionibus, vel earum occaſione prouenientibus, vt magna ex parte inde mors proueniat, aut nimium acceleretur, vt contingit in diuturno carcere, vel in exilio ad loca inſalubria, in longa, & periculoſa nauigatione, vel in tanta rerum penuria, vt grauibus, & continuis incommoditatibus corpus extenuetur, donec extinguatur. Et in his caſibus in omni proprietate, & veritate martyrium conſummatur, & ita ſolet Eccleſia eos, qui hoc modo pro Chriſto moriuntur, vt veros martyres colere, eorumque facta celebrare. Alio vero modo fieri poteſt, vt licet quis vincula, aut exilia, vel alias ſimiles afflictiones vſq; ad mortẽ pro Chriſto ſuſtineat, nihilominus afflictiones illæ non ſint cauſa mortis, ſed ſuo naturali curſu proueniat: & tunc licet dubium inter Theologos ſit, an illud fidei teſtimonium vſque ad talem mortẽ redditum ad nomen, & ſpecialem martyrij aureolam obtinendam ſufficiat: certum nihilominus eſt, copioſam martyrij gloriam, & mercedem illi deeſſe non poſſe. Nam qui ſic perſeuerauit, re vera impleuit conditionem â Chriſto poſtulatam, *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus*: vnde Chriſtum etiam ipſum promiſsionem ſuam implere neceſſe eſt, *Cõfitebor, & ego eum coram Patre meo.*

21. Et in his, qui ſic patiuntur, maxime locum habet, quod Auguſtinus ait ſermon. 46. de Tempore. *Non Martyrium ſola effuſio ſanguinis conſummat, nec ſola dat palmam exuſtio illa flammarum. Peruenitur non ſolum occaſu, ſed etiam contemptu carnis ad coronam.* Et ſermon. 232. de Tẽpore: *Quicumque pro veritate teſtimonium dederit, quidquid pro teſtimonio veritatis, & iuſtitiæ pertulerit, totũ ei Dominus pro martyrio computabit.* Vtique in ea confeſsione vſque ad mortem perſeuerando. Et ſic etiam in his cõfeſſoribus maxime cõpletur, quod Sancti Patres ſæpe dicunt, martyrium non deeſſe, vbi voluntas nõ deeſt, ſicut dixit Chryſoſtom. Pſal. 95. *Martyrium non tantum euentu æſtimatur, ſed etiam propoſito.* Et Cyprian. Epiſtol. 11. *Non contriſtetur aliquis ex vobis, quaſi illis minor, qui ante vos tormenta perpeſsi, victo, & calcato ſeculo ad Dominum glorioſo itinere venerunt. Dominus ſcrutator eſt renum, & cordis arcana perſpicit, & intuetur occulta. Ad coronam Dei promerendam ſufficit ipſius ſolum teſtimonium, qui iudicaturus eſt.* (Auguſt. — Idem. — Chryſoſt. — Cyprian.)

CAPVT. XII.

Ad ea, quæ contra ſecundum Breue Pontificium, & contra Cardinalis Bellarmini Epiſtolam Rex obijcit, reſponſio.

INTER alia arrogantiæ ſigna, quæ Rex in Præfatione ex Apologia Bellarmini, eiuſque reſponſione enumerat, ac reprehendit, vnum eſt, quam in ſcribendo breuitatem Rex tenuerat, eãdem 1.

Regis in cardinal. Bellarmini breuitatem redargutio.

dem ipſum Bellarminũ in reſpondendo ſequi voluiſſe, & addit. *Quo compendio in ſecundo Pontificis Breui confutando vſus eram, eodem in me voluit vti, meoq; exemploſe ſe pene intra vnius paginæ anguſtias coercere.* Vt ergo ſimilem reprehenſionem vitarem, omnemque vmbram occaſionis eius effugerem, ſicut in cæteris hactenus feci, in hoc vltimo puncto copioſam reſponſionem ſereniſsimo Regi dare deſideraui. Nihil autem, vel in ipſo Breui, quod noua defenſione, vel probatione indigeret, neque in oppugnatione Regis, quod peculiare reſponſum poſtularet, inueni: ideòque ſatius duxi, in eandem Regis offenſionem, & reprehenſionem incurrere, quam vel iam dicta repetere, vel ſuperfluis verbis, & otioſis cartas onerare. Ideòque breuiter poſterius decretum Pontificis, eiuſque rationem explicabo, deinde nihil difficile cõtra illud à Rege objici eadem breuitate oſtendam: tandemque ſimili modo circa Epiſtolę Bellarmini confutationem diſcurram.

2\. Proponuntur præcipuæ vires ſecundi Breuis Pauli V.

Pontifex igitur in hoc poſteriori Breui nullum nouum onus, vel obligationē Catholicis Anglis imponit, ſed prius Breue iterum confirmat, diſtinctiuſque explicat, in eo duo facta eſſe. Vnum eſt, declarare non eſſe licitum in conſcientia hoc iuramentum fidelitatis præſtare, aliud eſt, proprio etiam præcepto illud prohibere, vt omnis occaſio tergiuerſandi, vel dubitandi tolleretur. Inſuper etiam declarat, prius Breue non ſolùm motu proprio, & ex certa ſcientia, verum etiam poſt longam, & grauem deliberationem de omnibus, quæ in iuramento continentur, adhibitam, fuiſſe ſcriptum, ideòque omnino ſeruandum eſſe, omni interpretatione ſecus ſuadēte reiecta. Ratio autem, vel neceſsitas huius nouæ declarationis, ſeu confirmationis fuit, quia, vt ipſemet Pontifex refert, nonnulli, vel ſubditi, vel ſeductores Regis rumorē in Anglia ſparſerant, Breue vel fictum eſſe, vel non legitime, & ex certa ſcientia, ſed per ſurreptionem aliquam fuiſſe expeditum, quo prætextu aliqui, illo contempto, iuramentum non recuſabant. Quam fraudem, & renitentiam verſutiei aduerſarij humanæ ſalutis idem Pontifex benigne, ac prudenter tribuit, vt infirmorum fidelium fragilitatem excuſet.

3\. Obiectiones cũ Rex non habeat contra ſecundum Breue, verborum exaggeratione vtitur.

Rex autem Angliæ cum nihil haberet, quod contra veriſsimam Pontificis declarationem, & neceſſariam prohibitionem objiceret, ſiue ab authoritate, ſiue a ratione petitum, in verborum exaggerationem prorumpit, verbaq; ipſiuſmet Pontificis, quæ proximè adduximus, arripit, & in ipſum conuertit, dicens, nulla fraude ita potuiſſe dœmonem catholicis Angliæ per mille annos nocere, ſicut huius Breuis expeditione Papa illis nocuit. Quia ex illo, hoc magnum (ſcilicet) incommodum, ſequetur, quia multi etiam Sacerdotes, qui iuramentũ admiſerant, illud abiurare cogentur, atq; ita fiet, vt duo iuramenta fidelitatis ſuo Regi exhibita peierent. Vnum eſt illud, quod omnes, qui ſub regno naſcuntur, tacitè iurant, aliud hoc, quod poſterius admiſerunt. *Vnde ſequitur* (inquit) *neminem poſſe in Anglia Romanam religionem profiteri, nec ſalutem animæ ſuæ curare, qui non fidelitatem ſuam erga Principem cognitam, & iuratam exuerit, & eiurauerit.* Nihilq; aliud contra hoc poſterius Breue objicit.

4\. A quo ſpiritu forma illa iurandi inducta fuerit.

Non eſt autem difficile, in præſenti puncto *probare ſpiritus*, & oſtendere, an inſtitutio iuramenti, eiuſque exactio, potiusquàm eiuſdem reprobatio, & prohibitio ex ſpiritu Satanæ fuerit, nam ex *fructibus*, ſeu effectibus eorum diſcerni poſſunt. Finis enim iuramenti eſt, auertere fideles ab obedientia Eccleſiaſtica ſub colore obedientiæ ciuilis, eos inducendo ad abnegandam Pontificiam poteſtatem, ſub prætextu iurandi Regi fidelitatem. Vnde fructus talis iuramenti, ſi exhibeatur, erunt ſchiſmatis profeſſio, confirmatio, & augmentum; fidei abnegatio, & illius regni integra in ſpiritualibus ruina, & animarum perditio. Eſt ergo perſpicuum, iuramentum illud ab aduerſario humanæ ſalutis excogitatum eſſe, & in cordibus Proteſtantium Regi conſulentium immiſſum: & ab eodem ſpiritu omnia verba, & media, quibus tale iuramentum defenditur, proficiſci. E contrario verò reprobationem, & prohibitionem eiuſdem iuramenti à contrario, ſeu diuino ſpiritu inſpiratam eſſe; tum quia proprium opus ſpiritus

Dei eſt diſſoluere opera diaboli, tum etiam quia, qui prohibitionem illam plena fide, & conſtanti obedientia ſuſceperint, & ſuis conſcientijs conſulent, & ſchiſmati, ac infidelitati cum ſpe magni fructus, & mercedis reſiſtent. Qui verò ſiue ex animi fragilitate, ſiue per errorem, & deceptionem tale iuramentum admiſerunt (vt Rex affirmat) lapſum, & errorem ſuum per clamorem Paſtoris agnoſcentes, diſſoluent colligationes impietatis, & iniquum iuramentum abiurabunt. Hoc enim non ſolùm inconueniens non eſt, vt idem Rex infert, ſed potius eſt ad ſalutem neceſſarium, & inter præcipuos effectus huius Breuis cõputari debet.

Satisfit incommodo à Rege illato.

5\. Neque propterea ſequitur altera pars, quam Rex inuoluit, quod ſcilicet abiuretur iuramentum obedientiæ, & fidelitatis ad Regem, cum ipſis ſubditis congenitum. Siue enim per hoc iuramentum intelligat obligationem illam, quæ veluti hæreditario iure peruenit ad omnes ſubditos, & ad eorum filios ex fidelitate à ſuis parentibus, & maioribus ſuis Principibus iurata, ſiue etiam loquatur de expreſſo iuramento licito, & honeſto à ſubditis facto de fidelitate politica Regi debita, neutro modo ſequitur abiurari naturale illud vinculum, ſeu iuramentũ obedientiæ ciuilis, ob retractationem iuramenti à Rege inuenti, & ab aliquibus admiſsi. Quia in eo, vt oſtendimus, non promittitur Regi ciuilis obedientia iuſta & honeſta, ſed directe abnegatur Pontifici obedientia, & poteſtas, & ideò, quando retractatur, abiuratur abnegatio, vt ſic dicam, ac proinde recognoſcitur Pontificis poteſtas, & ad eius obedientiam reditur. Regi autem ſolùm negatur illa obedientia, quæ obedientiæ Pontificis, ac Dei fuerit contraria, quod contra ciuilem, naturaliterque debitam non eſſe, ſæpiſsimè declaratum, & probatum eſt.

6\. Satisfit vltimæ illationi Regis.

Vnde ad vltimam Regis illationem iam reſpondimus. Nam ſi Rex loquatur de obedientia, quam ipſe deſiderat, quæ nullam ſupra ipſum vel directe in ſpiritualibus, vel indirecte in temporalibus recognoſcat, optime infert, neminem poſſe in Anglia catholicam fidem tenere, & ſeruare, talem obedientiam Regi iurando, vel tale iuramentum, ſi illud ali- A quando præſtitit, non retractando. Neq; Rex in hoc dubitaret, ſi, vt tenetur, crederet, extra vnam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam non poſſe eſſe ſalutem, aut fidem; quia vbi non eſt vnio cũ capite, ibi eſt ſchiſma, & diuiſio ac ſeparatio ab Eccleſia, ideòque fieri non poteſt, vt qui iuramentum illud admiſerit, & in eo perſtiterit, in ſtatu ſalutis exiſtat. At verò ſi de pura, ac legitima obedientia ciuili Rex loqueretur, nullius momenti eſſet illatio, quia hæc obedientia ciuilis cum Eccleſiaſtica non pugnat, B & in alijs regnis catholicis ſeruant ſubditi Romanam religionem, & conſulunt ſaluti ſuæ, & nihilominus non exuunt, nec abiurant fidelitatem Regi ſuo debitam, imò illam ampliori fide, & cum maiori Regum pace, ac ſecuritate obſeruant.

Poſt impugnata Pontificia decreta, inuehitur Rex in epiſtolam Cardinalis Bellarmini, cui quoad hanc partem reſpondere, non duxi operæpretium; tum quia Cardinalis doctiſsimus ſolita eruditione id egit pleniſsime, tum etiam quia fere nihil ad cauſam pertinens attingit, C cui in ſuperioribus ſatisfactum nõ ſit. Quod vt omnibus ſit euidens, ſigillatim, & per partes id breuiſsimè declarabo. Primum enim Bellarmino tribuit, quod iuramentum fidelitatis cum iuramẽto Primatus cõfuderit. Sed obiectionem hanc Cardinalis ipſe ſatis confutat. Et ideò nos in principio huius libri vtriuſque iuramenti formulam propoſuimus, vt nullus tergiuerſationis, aut ambiguitatis locus relinqueretur. Deinde in verſic. *Atq; vt iuſtitiam,* &c. quatuordecim aſſertiones proponit, quas omnes, vel ſaltem aliquas ex impugnatione iuD ramenti ſequi affirmat. Sed de illis cap. 6. ſatis dictum eſt. 7.

Regis obiectiones contra Epiſtolam Bellarmini confutantur.

Prima.

Secunda.

Tertiò in §. *Atque vt clarius,* tranſitũ facit Rex ad perſuadendam iuſtitiam iuramenti fidelitatis Conciliorum authoritate. Sed vt notaui cap. 2. huius libri, illa Concilia de iuramento longe diuerſo loquuntur. Vnde non immeritò poſſumus nos in Regem retorquere errorem, quem ipſe in principio huius impugnationis Bellarmino tribuit, nimirũ, quod ad confirmandum iuramentum à quæſtione prorſus alienum probationes non 8.

Tertia. *pag. 59.*

non neceſſarias, congerat, vt dicto loco latiùs declaraui.

Quarta. *Pag. 65.*

Quartò in §. *Nunc verò*, quod pag. 65. habetur, per multas paginas digreditur verbis iniurioſis, ſeu conuicijs, & contumelijs Bellarminum inſectando, & arguendo: in omnibus autem illis nihil vel ad cauſam, aut doctrinam pertinens, vel diſcuſsione dignum inuenio, qualiacunque tamen illa ſint, ab eodem Bellarmino doctè refelluntur, quãquam non immeritò contemni potuiſſent.

Quinta. *Pag. 84.*

Quintò pagin. 84. §. *Nunc autem, vnde digreſſus fuerat* (vt inquit) regreditur, ſtatim vero aliò diuertitur, vt Bellarminum alterius contradictionis redarguat, quod vt efficiat, probandum aſſumit, Pontifices multos Imperatores vexaſſe, inquietaſſe, & vſque ad interitum perſecutos eſſe. Inducitque varia exempla Imperatorum, & Regum, quos Põtifices depoſuerunt. Sed inter ea multa falſa veris permiſcet, vt eruditè Bellarminus oſtẽdit. Quocirca quæ vera ſunt, confirmant veritatem catholicam, vt illa referendo in lib. 3. diligenter expendimus, ſingulorum circunſtantias ponderando: quæ autem ſunt falſa, contemnẽda ſunt, nam potius arguentẽ redarguũt.

Falſo imponũtur Regũ cædes Romanis Pontificibus.

Et ita neutra oſtendunt, Pontifices Regum cædes per ſicarios, vel inſidias fuiſſe machinatos, quod Bellarminus negauerat, nam falſa nihil probant, veræ autem hiſtoriæ ſolùm conuincunt, cauſa legitima interueniẽte, & iuſta cauſa exigente, ſæpiùs Pontifices contra iniquos Principes, ſeruato iuris ordine, vſque ad depoſitionis ſententiam proceſsiſſe.

9. Sexta. *Pag. 90.*

Sextò in pagin. 90. verſic. *Nam cum illud conſtet*, &c. propinquius Rex accedit ad cauſam de iuramenti malitia, vel probitate tractandam, parum tamen in ea inſiſtit, ſtatim enim per ſimilitudines, vel exempla à Bellarmino adducta diuagatur, in ſingulis diſparitatem, tanquam nodum in ſcirpo quærens. Nihil verò in defenſionem iuramenti, vel ad oſtendendam eius probitatem adducit, præter illud generale principium, quod iuramentum fidelitatis ciuilis Regi prꝧſtitum ſanctum eſt. Cum autem difficultas verſetur in applicatione illius veriſsimi principij ad hoc iuramentum, de quo eſt controuerſia, oſtendendo, illud eſſe purum iuramentum ciuilis obedientiæ, nihilq; religioni catholicæ contrarium cõtinere, ſæpe quidem hoc ſupponit, & repetit, nunquam verò illud probat, neque defendit, niſi Pontificis poteſtatem abnegando. Et ideò in hoc ſolo puncto inſiſtendum cenſuimus, reliquæ enim ſimilitudines, vel exempla, quæ ad exhortationem magis, quam ad probationem feruntur, ſupponunt doctrinam catholicam, & illa ſtante, ſunt optima, nec à Rege refelluntur, niſi negando catholicam doctrinam, vt rectè notauit idem Bellarminus, omnes epiſtolę ſuæ partes, & exempla, ac teſtimonia defendens, & confirmans.

Quod probare debet ſupponitur no probatur.

Quia verò verba quædam Gregorij, & Leonis Pontificum, quæ Rex latè inſectatur à pagin. 106. vſque ad 116. ad cauſam de Primatu pertinebant, ea nos in lib. 3. latè tractauimus. In ſecundo verò refellimus quæ in pagin. 117. contra communionem ſub vtraque ſpecie, & contra Miſſas priuatas repetit.

10. Septima.

Septimò à pagin. 117. vſque ad 126: iterum in Bellarminum, & Sanderum, ac denique in Thomam Morum, & Roffenſem inuehitur, & licet omnia, quæ attingit, ad punctum cauſæ non pertineãt, tamen quia fidei doctrinã aliqua ex parte attingunt, de ſingulis aliquid breuiter dicendum putaui. Primo enim reprehendit non Bellarminum, ſed Eccleſiam quæ in verbis conſecrationis Corporis Domini non addit verba illa, *quod pro vobis datur, contra Lucam*, inquit, *& Paulũ*. Additque habere ſe, aduerſarium, & hoſtem Bellarminum, confitentem, illa nõ poſſe conciliari.

In vno loco tacere quod in alio dicitur non eſt contradictio.

At quis vnquam dixit, eſſe oppoſitionem inter aliquos de eadẽ re loquentes, quorum alter rem integre narrat, alter partem refert ſine diſcrepantia, partem verò tacet? Si hæc contradictio, vel oppoſitio eſt, infinitæ ſunt oppoſitiones inter Euangeliſtas, quæ inter ſe conciliari non poterunt. Imò in hoc eodem puncto Matthæus, & Marcus opponentur Lucæ, & Paulo, qui tacuerunt particulam *Quod pro vobis*, quam Lucas, & Paulus poſuerunt. Quin etiam erunt Lucas, & Paulus quodammodò inter ſe oppoſiti, quia non eodem verbo vſi ſunt, ſed alter dixit, *quod pro vobis datur*, alter, *quòd pro vobis traditur*. Quod adnotare libuit, vt qui hæc legerit, aduertat, quibus prętextibus Proteſtantes

catho-

catholicam Eccleſiam relinquant, eiuſq; Apoſtolicos ritus reprehendere audeãt. Conſtat enim euidenter, ibi nullam eſſe oppoſitionem, quia neque tacere eſt cõtradicere, neque Paulus, aut Lucas dixerunt, omnia illa verba eſſe neceſſaria ad Euchariſtiam conficiendam, neque veriſimile eſt Matthæum, & Marcum aliquid ſubſtantiale huic ſacramento prætermiſiſſe, blaſphemum autem, & hæreticum eſt cogitare, Petrum mutilatam, & inſufficientem formam Euchariſtiæ Eccleſiæ Romanæ, ac Catholicæ tradidiſſe, de qua re alibi à nobis ex profeſſo diſputatum eſt.

11. De perſona Sanderi dicit Rex, *eſſe male meritum de patria ſua*, quod probat ex eius ſententijs, ſeu aſſertionibus, octoq; recenſet, quas hic tranſcribere non eſt neceſſe: nam in libris eius videri facilè poſſunt. Ex illis autem apertè colligitur, non alia ratione dici Sanderum male meritum de patria ſua, niſi quia veritatem catholicam docuit, vel quia Regibus ſchiſmaticis non adhæſit, neque adulatus eſt, vel denique quia propter fidei conſtantiam exul à patria mortuus eſt. De Thoma Moro, & Roffenſi inſignibus viris, & illuſtriſsimis Martyribus, licet negare non potuerit interfectos fuiſſe, quia decreto de Primatu Regis Angliæ in ſpiritualibus aſſentire noluerunt, addit, non ob hanc ſolam cauſam, ſed etiã fuiſſe occiſos quia ſecundas nuptias Regis approbare recuſarunt. Quod ſpecialiter dicit de Moro, idem tamen de Roffenſe intelligit, nam de vtroque ita hiſtoriæ referunt. Subiungit autem Rex, *quæ meo iudicio valde carnalis cauſa martyrij fuit.* Ego verò iudico, hoc Regis iudiciũ ſatis oſtendere, quam ſit potens error ſemel imbibitus ad peruertendum prudẽs iudicium, etiam in rebus, quæ luce meridiana clariora ſunt. Quid enim deteſtabilius eſſe poteſt, quam dicere malum bonum, aut quid grauius, quàm approbare falſa pro veris, in rebus præcipuè morum, & quæ ſalutem æternam concernunt? Cum ergo ſecundæ nuptiæ Regis Henrici adeò eſſent deteſtabiles, vt contra omne ius diuinum, & humanum fuerint ſine valore, & effectu contractæ: etiam ſi nulla alia cauſa moriendi interceſsiſſet præter recuſationem approbationis illarũ, illa ſine dubio eſſet ad martyrium ſufficiens. Nam licet adulteriũ, & polygamia viuente prima, & vera cõiuge, carnalia ſint, illa tamen damnare opus virtutis, & valde ſpirituale eſt, & propter conſtantiam in tali opere mortem conſtanter ferre, egregia eſt cauſa martyrij. Sic enim mors Ioannis Baptiſtæ, vt ſentit Eccleſia, illuſtre fuit martyrium, quanuis Ioannes ex odio concubinæ potius, quàm vxoris, quia Regi prædicabat, *non licet tibi habere eam*, interfectus ſit, quia illa cauſa licet ex parte Regis, & Herodiadis ſatis carnalis fuerit, nihilominus ex parte Ioannis fuit ſpiritualis, vtique teſtimoniũ veritatis, propter quod occiſus eſt. Ita ergo contingit Moro, & Roffenſi, ideòque ex hoc capite non obſcuratur, ſed illuſtrius fit martyrium. Reliqua verò, quæ de his ſanctis viris Rex detrahit, ad calumnias hæreticorum pertinent, quibus ipſe fidem adhibet, & ideò etiam ſcriptores, & conuẽticula hæreticorum Angliæ Roffenſi opponit, contra totius orbis authoritatem, & conſenſum, quod valde friuolum eſt, vt egregiè Bellarminus proſequitur.

Libr. 2. de Viſibil. monar. c. 4. & lib. 6. c. 4. & in Claue Dauid lib. 5. c. 2. & 4 & libr. 6. cap. 1.

Sãderi innocentia falſis calũnijs minime obſcuratur.

Illuſtre Thomæ Mori, & Roffenſis martyrium à calumnia vindicatur.

Bellarm.

12. Octauò in §. *Denique illud, &c.* Regiã dignitatem, & poteſtatem ex Scriptura veteris, & noui teſtamenti perſuadere aggreditur, ſed fruſtra laborat, quia dignitatem, & poteſtatem legitimam Regis temporalis nemo negat, ſpiritualem autem poteſtatem Regis, aut exemptionẽ eius ab obedientia Prælatorum Eccleſiæ, illa teſtimonia non probant, & alijs certiſsimis improbantur, vt in libro 3. oſtenſum eſt, vbi de teſtimonijs, quę hic Rex congerit, copioſè diximus. Et inde ſatis perſpicuum eſt, quam ſint friuolæ oppoſitiones, quas Rex fingit inter modos loquendi Scripturæ, & Bellarmini de Regum temporalium dignitate, & potentia, quibus ipſe Bellarminus ſatis reſpondet. Sicut etiam refellit, quæ Rex poſteà ſubiungit aduerſus titulos, *Pontifex maximus*, vel *caput fidei*, quibus ſolet Papa decorari, de quibus, & de pluribus alijs nos etiam in libro tertio diximus. Ideòque (vt dixi) in tota hac parte Apologiæ nihil amplius immorandum cenſui.

Octaua. *Pag. 126. in fin.*

.*.

Operis

Operis concluſio, & ad Regem Angliæ peroratio.

1. QVA verborum grauitate, & moderatione in controuerſijs fidei loquendum, vel diſputandum ſit, Gregorius ille, qui per antonomaſiam Theologi nomen cõſequutus eſt, tum exemplo, tum luculenti, & grauiſsima ſententia nos docuit, dicens: *Non imperite docemus, nec aduerſarios contumelijs, & conuicijs inceſſimus, quemadmodum plerique faciunt, non cũ ſermone, ſed cum loquente confligentes, ac rationum, & argumentorum infirmitatem melediƈtis interdum obtegentes, non aliter, ac ſepias atramentum ante ſe vomere aiunt, vt piſcatores effugiant, aut conſpeƈtum ſui eis eripiant. Verum nos pro Chriſto bellum gerere hoc argumento planum facimus, quod ſecundum Chriſtum, qui mitis, ac pacatus eſt, atque infirmitates noſtras portauit, dimicamus. Nam nec in veræ doƈtrinæ detrimentum paci ſtudemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, vt facilitatis, & manſuetudinis famam colligamus (non enim quod bonum eſt, male aucupamur:) & rurſum pacem colimus, legitime pugnantes, atque intra limites noſtros, ſpiritusque regulam noſmet continentes. Ac de his quidem ita ſentio, cunƈtisque animarum diſpenſatoribus, reƈtæque doƈtrinæ arbitris legem ſtatuo, vt nec per duritiam hominum animos exaſperent, nec per ſummiſsionem elatos, & inſolentes efficiant: ſed prudenter, & conſultè in fidei cauſa ſe gerant, nec in alterutro horum mediocritatẽ excedant.*

Gregorius Nazianz. orat. 32.

2. Ad hanc ſcribendi regulam totã hanc diſputationem ita conformare optaui, vt ſi fieri poſſet, ne minimum quidem ab illa diſcreparem. Hoc enim & Regiæ Maieſtati debitum, & officij mei eſſe, & ad finem propter quem hunc qualencunque laborem ſuſcepi, obtinendum pernecesſarium eſſe perſuaſum ſemper habui. Non enim propter victoriæ laudem, aut ingenij, vel doƈtrinæ oſtentationem vincere optaui, ſed vt veritas ipſa vincat, & errorum tenebræ depellantur, & vt Chriſtus in omnibus regnet, hoc maximè in votis habui. Quamobrẽ, Rex ſereniſsime, ſi quid in reſponſione, A & diſputatione mea acrius, quàm ſoleã, aut liberius, quam par ſit, diƈtum eſſe apparuerit, non in perſonam, quam ſuſtines, ſed in doƈtrinam, tum nouam, tũ etiam contra Chriſti Vicarium ignominioſam, dictum eſſe intelligas, tranquilloque animo conſideres, difficillimum eſſe, prauam, & pernicioſam doƈtrinam, quam vir Catholicus abhorret, doƈtor auerſatur, religioſus indignè fert, acriter, vt par eſt reprehendere, quin aliquid in talis doƈtrinæ ſeƈtatores redundare videatur. Sunt enim hæc adeò coniun- B ƈta, vt vix poſsint diſputatione, vel admonitione ſeparari. Quod in Paulo quõdam notauit Chryſoſtomus dicens. *Volebat grauitate, & reuerentia ſeruata loqui, & auditorem interdum mordens percellere, at hæc ambo non dabantur, ſed alterum alteri impedimento erat. Nam ſi quid reuerenter dicas, haud quaquam poſsis auditorem perſtringere, quod ſi rurſus vehementer perſtringere volueris, neceſſe tibi eſt, aperte, ac nuda oratione rem deſignare. At prudentia* (inquit) *Pauli vtrunque exaƈte præſtitit, ipſo naturæ nomine, & increpationem augẽs, & hoc tanquam peripetaſmate ad enarrationis verecundiam vſus.* C Hanc certè Pauli prudentiam præ oculis habui, & qua potui diligentia imitari ſtudui, ſemper de re ipſa, non de perſona, quoad fieri poſſet traƈtando, vel vbi neceſsitas cogeret, non ad Regem, ſed ad Proteſtantes illius deceptores ſermonem dirigendo.

Chryſoſt. Homil. 4. in epiſt. ad Roman. c. 1.

Supereſt ergo Rex ſereniſsime, vt, qua polles animi benignitate, & ingenij magnitudine, de qua ſemper multum confiſus ſum, noſtrum hoc opus beneuole accipere, & puro veritatis amore interdum euoluere non dedigneris, ſi- D mulque conſideres, ingenui animi, maximique iudicij eſſe, falſam opinionem, mẽdacio deteƈto, deponere, veritatemque intelleƈtam animo ampleƈti, & verbo profiteri, ac æternitatis impendentia pericula præcauere. Nullum enim in pertinacia decus, ſumma autem in ingenij docilitate prudentia, atque in pia ad Deũ conuerſione prouidentia, qua non tibi tantùm ſoli, ſed Patriæ olim florentiſsimæ, nunc verò in ſummo diſcrimine cõſtitutæ, prout ex officij tui magnitudine debitor es, conſules. Quod ſi vocem Do- 3.

mini

mini te vocantis audieris, eiq́ue obedire A decreueris, quod ipſe vocando inceperit, adiuuando perficiet, nihilq́ue erit, quod diuino præſidio fultus vincere, ac ſuperare non valeas. Vnde non eſt, cur hoſtium veritatis, quorum ſermo vt cancer ſerpit, contradictionem timeas, proteget enim te Deus à contradictione linguarũ. *Contradicunt linguæ multæ*, ait Auguſtinus, *diuerſæ hæreſes, diuerſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ, tu curre ad tabernaculum Dei, Eccleſiam catholicam tene, à regula veritatis noli diſcedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum.* Henricus ille qui primus fidei defenſor nominatus eſt, contra linguas contradicentes egregiè priùs ſcripſerat, poſteà deſipiens, & ſibi, & Patriȩ malè conſulens, deplorandum tam Angliæ, quàm orbi vniuerſo B exemplum reliquit. Cur non & Iacobus, licet prius à ſeductoribus deceptus, contra Dei tabernaculum, Eccleſiam, nimirum catholicam, ſcripſerit; intellecta poſteà veritate, eiuſdem Eccleſiæ acerrimus propugnator, & Anglicani decoris inſtaurator exiſtat? Ita enim fiet, vt illuſtrem fidei catholicæ defenſoris titulum, quem non ſine cauſa magnifacere oſtendis, non verbis tantùm, ſed opere, & veritate, immortali cum laude merearis.

Pſalm.30. & ibi Auguſt.

4. Quod ſi fortaſſe, Rex sereniſsime, noſtris diſputationibus, deſiderio, & excelſo animo, acriq́; ingenio veſtro non dum ſatisfecimus, & aliquarum rerum, vel plenior reſponſio, vel maior probatio deſideratur, aut vobis, vel miniſtris veſtris nouæ contra catholicam doctrinam obiectiones occurrunt, quibus ſatisfacere neceſſarium ſit, proponantur velim omni ſynceritate, & ſolius veritatis intelligendȩ gratia, & quantum in me fuerit, paratum ſemper inuenietis, ad eã, quæ in nobis eſt, fidei, ſiue ſcripto, ſiue etiam verbo, ſi occaſio tulerit, rationem reddendam: & ad omnia, quæ propoſita fuerint, non, de me, ſed de diuino auxilio, & veritate confidens, pro virili reſpondendum. Hoc ſolum Maieſtatem veſtram omni animi ſubmiſsione enixe poſtulo, vt ſi aduerſus ea, quæ in his diſputationibus pertractaui, aliquid reſcribere viſum fuerit, ab omni vana verborum contentione abſtineatur, & digreſſiones variæ de rebus, quæ interdum vel caſu excidunt, vel obiter attinguntur, & ad cauſam fidei nihil referunt, euitentur, & ſolo amore veritatis res ipſa tractetur, & fidei veritas inquiratur. Si enim hoc à vobis obtinuero, ſpe alicuius publicæ vtilitatis erectus, nulli labori parcam, ſed libentiſsimè impendam, & ſuper impendar ipſe pro animabus veſtris.

FINIS.

Conimbricæ die quinta Iunij Anni Dñi 1613.

INDEX QVORVNDAM E PRÆCIPVIS SACRÆ SCRIPTVRÆ LOCIS, quæ in hoc opere exponuntur.

Prior numerus paginam indicat, poſterior columnam.

¶ EX VETERI TESTAMENTO.

Exod. 22. *APplicabitur ad Deos*, hoc eſt, ad iudices. 344. 1. C.

Ioſue. 1. *Quemadmodum Moyſi obediuimus, ita & tibi obediemus*, vtique ciuili obedientia. 341. 1. D. 2. D.

Ioſue. 10. *Obediente Deo voci hominis.* Exaggeratur efficacitas piæ precationis. 164. 1. B.

1. Reg. 10. *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem.* Oſtenditur ea Samuelis vnctione promiſſum, non datum fuiſſe regnum. à 226. 1. D.

3. Reg. 5. *Tu paſces populum meum Iſrael.* Gubernabis ciuiliter. 239. 1. B.

3. Reg. 7. *Ego ero illi in patrem, et ille erit mihi in filium.* latè 342. à 1. D.

4. Reg. 18 *Confregit ſerpentem æneum.* De veneratione quam Iudæi habebant huius ſerpentis. à 193. 2. B.

Pſal. 50. *Amplius laua me ab iniquitate mea.* Remiſſo peccato, cuius egregiè Dauidē pœnituerat, temporales peccati pœnas adhuc luendas inſuper ſibi remitti poſtulat. 202. 1. B.

Pſal. 81. *Ego dixi Dij eſtis.* 343. 1. B. latè.

Pſal. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Apoſtolos, & Prophetas. D. Auguſtinus allegorice interpretatur, quia Prophetarum prædictionibus, per Sanctos Apoſtolos diuulgatis, ad Chriſtianam fidem ſuſtinemur. 91. 1. D.

Pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius.* Arcam teſtamenti. 185. 2. A. & 193. 2. A.

Eccleſiaſt. 44. *Enoch tranſlatus eſt in paradiſum.* Terreſtrem, atque illum ipſum Adami, ſicut eſt veriſimile. 639. 2. C. & 632.

Iſai. 40. *Quam imaginem ponetis ei?* ſcilicet propriam, quæ fieri non poteſt. 196. 1. A

Ierem. 27. *Submittite colla veſtra ſub iugo Regis Babylonis*, dupliciter exponitur. 342. 1. A. B.

Ezech. 14. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius Noe, Daniel, & Iob, &c.* cum illi vel maximè poſſent placare precibus diuinum numen Iudæorum ſcelere violatum: minime tamen placatum efficerent, dum iſti adhiberent ſuam contumaciam. Nullus itaque in gratia nos ponet cum Deo, niſi ipſi contendamus, & connitamur. 177. 2. C.

Et ecce cornu paruulum, &c. De Antichriſto locus hic fusè explicatur, à 686. 2. & 690. *Daniel. 7. n. 8.*

Filius hominis veniebat, & dedit ei poteſtatem, & regnum, &c. Prædictio hæc literalis habetur de regno Chriſti. 242. 2. C. *Daniel. 7. n. 13.*

Mittam vobis Eliam, &c. Ipſum verum, & proprium Eliam mittam ſub tempus iudicij extremi, qui dilabantem religionem ſuſtineat magna viuendi, atque dicendi ſeueritate, à 633. 2. A. De Ioanne etiam Baptiſta per intentam quoque allegoriam hic locus exponitur. 637. 1. C. *Malach. 4*

Sancta & ſalubris cogitatio eſt pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur, pro purgatorij dogmate. 206. 2. A. *2. Macha. 2.*

¶ EX NOVO TESTAMENTO.

Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Non egredieris de carcere, hoc eſt, purgatorio, donec etiam minima peccata perſoluas. 202. 2. D. & 205. 1. C. & 206. 1. C. *Matt. 5.*

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, &c. Hinc apparet beatitudinem Angelorum non interpellari cuſtodia ſalutis mortalium. 163. 1. A. *Matt. 18.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati eſtis, et ego reficiam vos. Vnius Chriſti eſt, peccatorum pondera auferre, & animaduerſionem remittere: qui Iudaicæ legis onera alleuauit, nouáq; legem tulit plenam omnibus gratiæ. 173. 2. C. *Matt. 11.*

Beatus es Simon Bar Iona, &c. Locus hic fusè explicatur, pro vera fide Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Romanæ, à 16. & *Matt. 16. n. 17.*

pro Principatu Eccleſiaſtico D. Petri,& ſucceſſorum in Pontificatu Romano. à 268.2.A.

Matt. 16. n.18. *Portæ inferi.* Tyranni,peccata,& hæreticorum doctrinæ. 16. 1.B.

Matt. 17. n.12. *Elias iam venit.* Non improbatur vulgaris opinio de redituro proprio Elia. à 635. 2.B.

Matt. 17. n.26. *Ergo liberi ſunt filij,* Qui ſint iſti filij dicitur à 236.1.B. & latiſsimè à 394. 2.

Matt. 18. *Quæcunq; alligaueritis, & ſolueritis,& cæt.* Significantur actus iuriſdictionis externæ.246.1.D. & 334. 2.B.

Matt. 24. n.14. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerſo Orbe, & tunc veniet conſummatio.* Hinc intelligitur,propagationem Eccleſiæ in omnibus terris indicium fore diuini iudicij vniuerſalis,à 84.1.D.

Matt. 24. n.22. *Propter electos breuiabuntur dies illi.* Occiſo Antichriſto, 614. 2. A. Ne electi concidant, non dicam à fidei, quam ſemper Eccleſia conſeruabit,ſed neq; à charitatis conſtantia. 615.2.B.

Matt. 24. n. 36. *De die illa, & hora nemo ſcit.* Non negatur probabilis coniectura,à 599.1.B.

Matt. 25. *Ecce ſponſus venit,&c.* Hæc parabola latè exponitur de iudicio extremo tam vniuerſali,quàm peculiari,à 601.1.C

Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* In Orbe omnium terrarum. 83.2.C.

Luc.17.n. 20.21. *Quando veniet regnum Dei?* Quando veniet Rex Meſsias, *Reſpondit eis, non venit regnum Dei cum obſeruatione, nec dicent ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos eſt,* id eſt, iam Meſsias hic vobiſcum commoratur: quo adueniente, non is futurus erat hominum motus, & concurſus, qui fieri ſolet in regum aduentibus. 44. 2.C.D.

Luc.22.n. 32. *Vt nō deficiat fides tua. Tua.i.*ipſius Petri, itemque eorum, qui in tua ſede legitimè conſidebunt,à 24.1.D.

Ioan. 2. *Vinum non habent.* Vox fuit non imperantis,ſed maternę fiducię,à 163.2.B

Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,&c.* particula, *&*, copulatiuè quidem,ſed diuiſim, non verò coniunctim eſt accipienda, de more loquendi Sacræ Scripturæ. 151. 2.D.

Ioann.14. n.2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Varia & inæqualia Beatorum præmia. 201.2.D.

In æternum. Quādiu mundus durauerit. 17.1.D. *Ioann. 14. n.16.*

Quem mittet Pater in nomine meo. Vt perficiat,quæ ego inceperam. 249. 1.C. *Ioann. 14. n. 26.*

Regnum meum non eſt de hoc mundo. Non eſt temporale,ſed ſpirituale.242.1.D *Ioan. 18.*

Ignis probabit. Purgatorium. 203.2.B.& 206.1.A. *1. Cor. 3.*

Congregatis vobis,& meo ſpiritu. Mea notitia,animique præſentia. 281. 2.A. *1.Corin.5. n.4.*

Tradere huiuſmodi in interitū carnis. Quæ diabolica cruciamenta pertulerint excommunicati à D. Paulo. 337. 1.B. *1. Cor. 5. n. 5.*

Iudicari apud iniquos. Infideles. 231. D. *1.Corin.6. n.1.*

In aliud Euangelium. Interpretatum alio, & priuato iudicio.82.B. *Galat.1.n. 6.*

Angelus de Cœlo. Qui cœleſtis appareat, ſed eſſe nequat. 58.2.A. *Galat.1.n. 8.*

Quem dedit Deus caput ſupra omnem Eccleſiam. Triumphantem, ſcilicet, & militantem, quæ vna eſt coagmentata. 285.1.C. *Epheſ. 1.*

Niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati,&c. Verus & proprius Antichriſtus, de quo exquiſitè locus hic explicatur toto libro 5. multis in locis. *2.Theſſal. 2.*

Eccleſia firmamentum veritatis. Omnes confirmans in veritate, ſeu retinens veritatem affirmatam diuinis prodigijs.19. 2.C. *1.Timot.3*

Hæreticum hominem deuita, &c. cum ſit proprio iudicio condemnatus, id eſt, ſuo priuato ſpiritu, atque illa certa ſcientia hæreticorum: vnde velut è fonte omnes hæreſes fluunt.63.1.B.&118. 2.C.& 119. 1.D. *Tit. 3.*

Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. Gubernate. 273. 2.B. *1. Petr. 5. n.2.*

Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta, Hoc eſt,Romæ. 290. 1.B. *Vide ROMA.* *1. Petr. 5. n.13.*

Nunc Antichriſti multi facti ſunt. Non proprij qui vnus futurus eſt, ſed metaphorici. à 564.& 613.2. D. & 614. 1.B. *1.Ioan.2. n.18.*

Probate ſpiritus, examinate animi motus &agitationes,doctrinam fidei approbantes, non ex priuata vniuſcuiuſq;, ſed ex publica Eccleſiæ ſententia.57 2.D. *1. Ioan.4.*

Duobus teſtibus meis, Eliæ, & Enoch. à 618.2.latiſsimè,& in diſcurſu lib.5.multa alia eiuſdē Apocal.capita exponūtur. *Apocalyp. 11.cum alijs.*

Index

Index Conciliorum Generalium.

1 Chalcedonenſe, 139. & 144. & 162. & 302. & 315. & 316. & 389. & 443. & 444.
2 Conſtantienſe, 444. & 716.
3 Conſtantinopolitanum primum. 301
4 Conſtantinopolitanum quartum, ſeu octaua Synodus. 257. 391.
5 Epheſinum primũ, 98. & 139. & 144.
6 Florentinum, 98. & 143. & 203. & 303. 561.
7 Lugdunenſe. 338. & 724. 2. d.
8 Nicænum. 1. 98. 153. & 233. 275. & 301. 322.
9 Nicænum ſecundum. 186. 187. 188. & 195. 198. & 208.
10 Sexta Synodus, 98. & 198.
11 Tridentinum ſeſsione 6. cap. 1. 303.
12 Tridentinum ſeſsione ſexta cap. 7. 201. & 202.
13 Tridentinum ſeſsione ſexta cap. 14. 195. & 202.
14 Tridentinum ſeſsione ſexta cap. 15. 202.
15 Tridentinum ſeſsione ſexta, canone 30. 195. & 203.
16 Tridentinum ſeſsione decima tertia cap. 4. & canone 2. 141.
17 Tridentinum ſeſsione decima quarta, 302.
18 Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. 151.
19 Tridentinum ſeſsione vigeſima ſecunda, cap. 1. 150.
20 Tridentinum ſeſsione vigeſima ſecunda, cap. 6. 156.
21 Tridentinum ſeſsione vigeſima tertia cap. de Reformatione, 411. & 509 & 510. 516.
22 Tridentinum ſeſsione 24. 330.
23 Tridentinum ſeſsione vigeſima quinta in principio, 203.
24 Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. 561.
25 Tridentinum ſeſsione vigeſima quinta de Reformatione in decreto de cultu, & veneratione Sanctorum, & imaginum, 159. 184. & 185.
26 Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformat. 390. & 430, 494.
27 Tridentinum, vide 98. & 147. & 157 195. & 415.

Index Conciliorum Prouincialium.

1 Africanum ſub Bonifacio. 303.
2 Agathenſe, 389. & 531.
3 Antiochenum, 558.
4 Aquiſgranenſe, 705.
5 Arelatenſe Carolo Magno imperatore, 267. & 357.
6 Aurelianenſe tertiũ, 389, 452. & 531.
7 Aurelianenſe quartum, 303.
8 Bracharenſe primum, 303.
9 Bracharenſe tertium. 154.
10 Cabilonenſe, 358.
11 Cæſarauguſtanum, 149.
12 Carthaginenſe tertium, 313, & 389. & 441. & 443. Vide etiam, 98, & 303.
13 Colonienſe. 390.
14 Epaunenſe. 531.
15 Laodicenſe, 174.
16 Lateranenſe ſub Alexandro tertio. 485.
17 Lateranenſe ſub Innocentio tertio. 458. & 143. & 303, & 338.
18 Lateranenſe ſub Leone decimo. 367 & 390. & 415. & 420, & 444, & 565, & 494, & 98.
19 Moguntinenſe, 156, & 358.
20 Matiſconenſe, 148, & 389, & 421, & 443, & 453.
21 Meldenſe, 233.
22 Mileuitanum, 303, 389. 443.
23 Nãnetenſe. 157.
24 Pariſienſe, 332.
25 Rhemenſe, 153. 158.
26 Romanum ſub Syluestro, 303.
27 Romanum tertiũ ſub Symmacho, 404. 466. 469.
28 Sardicenſe, 301. & 444.
29 Toletanum primum. 304.
30 Toletanum ſecundum. 154.
31 Toletanum tertium. 166. & 304: & 389. & 429.
32 Toletanum quartum. 340. & 705.
33 Toletanum quintum. 705.
34 Toletanum ſextum. 705.
35 Toletanum nonum. 558.
36 Toletanum decimum. 705.
37 Toletanum duodecimum. 154. 223.
38 Turonicum ſecundum. 148. & 303, & 358.
39 Veneticum. 531.

INDEX
CAPITVM IVRIS CANONICI QVÆ IN HOC VOLVmine explicantur.

EX DECRETO.

CAP. *Ab Imperatoribus*. 23. q. 5. pag.451.
Accuſatio. 1.2. q.7.425.
Adminiſtratores.23.q.5.450.
Agatho.d.63.365.
Aliorum. 9. q.3. 392.
Altares, de Conſecrat. d.1.472.
Apud ſecularem. 11.q.1.445.
A Subdiacono. d.93.522.
Auditum. 2. q.5. 405.
Authoritatem. 1.5.q.6.332,
Aurum.12. q.2.465.
Cap. *Bene quidem*. d.96.458.& 543.
Cap. *Chriſtianis*.11.q.1.443.& 451.
Clericum.1.2. & 3.11.q. 1.531.
Cognouimus. 12. q. 2.478.
Comperimus. de Conſecrat. d.2. 154,
Conſtantinus. 1. & 2. d.96. 241.
Continua. 11.q.1.412.
Conuenior. 23. q. 8. 380. & 473.
Cum ad verum. d.33. 240.
Cum ad verum. d. 69. 250,
Cum omne crimen, de Cõſecr,d.2.154.
C. *Decernimus*,d.28.510.
De perſona. 11.q.1.509.519.
Diſplicet, 23 .q.4. 364.
Duo ſunt, d.96.250.& 328.
Duo ſunt, 12. q.1.419.& 428.& 508.
Cap. *Eccleſiarum*,12,q,1,429,523,
Experientiæ, 11, q,1, 519,
Cap. *Futuram*. 12.q.1.241. & 412.
Cap. *Generaliter*, 16.q.1.435.
Gloria. 12.q. 2.465.
Cap. *Illud autem*.d.96.419.
Illud.10. q.3.533.
Inferior,d.21.413.
In ſancta, de Conſecrat.d.1.471.
Inter hæc,33. q.2. 240.
Is qui acceperit. 24.q.5.
§. *Iuratos*,15.q.6. 724.
Ius publicum, d.1. 506.
Cap. *Laici*,2. q.7. 442.
Laico.2.q.7. 413.
Ligna,de Conſecra. d.1.465.& 472.
Cap. *Magnæ*.11.q.1.473.
Magnum. 11.q.1.496.
Mandaſti. 2.q.5.405.
Mennam.2.q.5.533.
Cap. *Neminem*. 3.q. 6. 446.
Nemo.11. q.1.445.
Non licet.12.q.1.469.
Nos Sanctorum. 15.q. 6. 724.
Nos ſi incompetenter, 2. q.7. 404.
Nullus clericus.11.q.445.451.
Nullus Epiſcopus.11.q.1.445,& 451.
Cap. *Omnes*.11. q.1,523.
Cap. *Patet*, 9. q.3.392.
Peruenit.11. q.1.389.
Peruenit,de Conſecrat. d.2.153.
Petimus. 11.q.1,443.
Placuit, 1. 11.q.1.445.& 451.
Placuit ſecundo.11.q.1.389. & 443. & 444,& 445. & 451. & 531.
Principes. 23.q.5.557.
Prædia.12. q.2.479.
Cap. *Quanuis*. d.22. 332.
Quæ ſemel,19.q.3.465.
Quo iure,d.1. 222.
Quoniam,d.10.240.& 250.
Quia ergo,d.22. 332.
Qui culpatur,23. q.1. 543.
Quiſquis. 17.q.4.50.
Cap. *Regum*.23.q.5. 557.
Relatum. 11.q.1.412.430. & 432.
Res Eccleſiæ. 10.q.2.478.
Cap. *Sacerdotibus*, 11. q.1.444.
Sancitum eſt,23.q.8.469.477.478. & 495.
Secundum canonicam.23.q.8.469.478
Si imperator,d.96.332.379.
Similiter,16.q.1.449.
Sine exceptione,12.q.2. 465.
Siquis clericus, 11.q.1.451.
Siquis de potentibus,24. q.3.559.
Siquis laicus.16.q.1.473.
Si quiſquam, 11.q.1,447.454.
Siquis Sacerdotes.2.q.7.452.
Si quis ſuadente.17.q.4.508. & 519.
Si quis ſuper.2. q.7. 404.
Si ſeruus, d.54. 433.
Si tributum.11.q.1.483.

Suſcipi-

Suſcipitis. d. 10. 255. & 380.
Synodali. d. 96. 420.
Tributum. 11. q. 1. 473.
Tributum. 23. q. 8. 483. & 486.
Valentinianus. d. 63. 256.
Veſtimenta, de Conſecrat. d. 1. 471.
Videntes. 12. q. 1. 484.

EX DECRETALIBVS.

Cap. *Ad abolendam*. de Hæret. 339.
Ad noſtram, de Conſuetud. 536.
Aduerſus, de Immunit. Eccleſ. 331. 375. 467. 478. 485. 488. 494. 497. 502. 507. 519.
At ſi clerici, de Iudi. 453.
Cap. *Cauſam quæ*. qui fil. ſint leg. 114.
Clerici, de Iud. 452. & 453.
Contingit. de Sent. excomm. 515. & 531.
Cap. *Cum contingat*. de Iur. iur. 330.
Cum ex iniuncto, de hæreticis. 60.
Cum haberet, de eo qui in Matrim. 330
Cum inferior, de Maiorit. & obediēt. 394. & 413.
Cum inter, de Conſuet. 536.
Cum Laicis, de Reb. Eccl. non alien. 458. 459. 466.
Cum non ab homine, de Iudic. 453. 509. 513. 151.
Cũ ſecundũ Apoſtol. de Præbēd. 465.
Cum ſit generale, de Foro compet. 450. 454.
Cum terra, de Elect. 536.
Cap. *Decernimus*, de Iud. 411. 466.
De ſeruorum. de Seru. non ordin. 410.
Cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*. de Conſtit. 331. 456. & 543.
Ex literis, de Pignorib. 473.
Ex literis, de vita, & hon. Cler. 498.
Ex parte, 3. de Priuil. 515.
Ex tenore, de Foro competent. 450.
Cap. *Grauem*. de Sent. excom. 523.
Cap. *Immunitatem*, de Immu. Eccl. 492.
In audientia, de Senten. excom. 515.
Ioannes, de Cler. coniug. 510. 513. 516. 518.
Cap. *Licet* de Foro compet. 450.
Cap. *Maiores*. de Baptiſmo. 431.
Miramur, de Seruis nõ ord. 410. 508.
Cap. *Nimis*, de Iur. iur. 412.
Niſi cum pridem, de Renuntiat. 60.
Cap. *Non debet*, de Cõſang. & affin. 330.
Non minus de Immun. Eccl. 331. 375. 412. 467. 478. 485. 488. 494. 502. 519.
Nouerit, de Sent. excom. 523.
Nouimus. de Verb. ſignif. 388.
Nouit, de Iudic. 114. 335. 446. 555. 559.
Nulli. de Reb. Eccleſ. non alien. 479.
Nullus iudicum. de Foro comp. 390. 445. 509. 522. 531. 533.
Cap. *Paſtoralis*, de his quæ fiunt. 466.
Perpendimus, de Sent. excom. 515.
Per venerabilem. qui fil. ſint legitimi, 114. 332. 433.
Peruenit de Imm. Eccl. 490. 503. 548.
Prætereà, de Offi. deleg. 327.
Cap. *Quæ in Eccleſia*, de Conſt. 331. 458, 459. 466. 543.
Qualiter, & quando de Iud. 452. 561,
Quanto. de Priuil. 445. 544.
Quoniam omne, de Præſcript. 33[illegible].
Cap. *Relatum*, de Teſtam. 33[illegible].
Relinqui nolumus, de Cult. Euchariſt. 464.
Cap. *Sane*, de Celebratione miſſ. 146.
Semel, de Reg. iur. 465.
Si clericum, de Foro comp. 551.
Si clericus. de Foro comp. 390.
Si clericus, de Senten. excom. 551.
Si diligenti, de For. comp. 432. 452. 509. 513. 523.
Si verò. de Sent. excõ. 376. 551. 554.
Solitæ, de Maior. & obed. 399. & 413.
Cap. *Tuæ* de Apoſtatis. 51[illegible].
Tua nobis. de Præbend. 465.
Cap. *Verum*, de Condit. appoſit. 474.
Vniuerſitatis. de Sent. excom. 532.
Vt famæ, de Sent. excom. 515. 533.
Vt in domibus, de Immun. Eccleſ. 5[illegible]3.

EX SEXTO.

Cap. *Ad Apoſtolicæ*, de Sent. & re iudi. 335. 337.
Clerici qui communi, de Cler. coniug. 411. 510. 513.
Clericis, de Immu. Eccleſ. 413. 494. 505. 519. 555.
Cum ex eo, de Electìon. 465.
Degradatio, de Pœnis. 515.
Eos qui temporale, de Imm. Eccl. 543.
Fundamenta. de Electìon. 241. 243.
Cap. *Licet*. de Iur. iur. 330.
Poſſeſſor. de Reg. iur. 330.
Pro humani. de Homicid. 515.
Quanquam, de Cenſ. 412. 467. 478, 488. 497. 503. 512. 519.
Quia nõnulli. de Imm. Eccl. 467. 478.
Quia ſæpe. de Electìon. 555.

Seculares. de Foro comp. 445.
Si iudex, de Sent. excom. 547.

EX CLEMENTINIS.

Ad noſtrum. de Hæret. 146.
Diœceſanis. de vita, & honeſt. cler. 514. 515.
Exiui. de Verb. ſignificat. 467.
Præſenti. de Cenſib. 497.
Quoniam. de immun. Eccleſ. 467. 467. 505.

EX EXTRAVAGANTIBVS.

Quod olim. de Immunit. Eccleſ. 467.
Vas electionis Paulus. de Cenſib. 495.

¶ INDEX LEGVM Iuris Cæſarij.

EX DIGESTIS.

L. *Bona fide.* ff. Depoſiti. 725.
L. 2. *Cui iuriſdictio.* ff. Iuriſdict. omn. iudic. 327.
L. Contra legem. ff. de Legibus. 554.
L. Hos accuſare, ff. De accuſation. 455.
L. Imperatoris. ff. De publicanis, & vectig. 483.
L. Inter ſtipulantem. §. Sacra. ff. De verbor. oblig. 465.
L. Locatio. §. Fiſcus. ff. de public. & vectigal. 500.
L. 2. Neceſſarium itaque. §. Nouiſsime. ff. De orig. iu. 221.
L. Per procuratorem. ff. De acquirenda hæred. 500.
L. 1. Poſt actiones. §. per hanc. ff. De rei vendicat. 386.
L. 1. Quod princip. ff. de Conſtit. 221.
L. 1. Quoties. ff. De pœnis. 455.
L. Si ſpoſus. §. generaliter. ff. De donat. inter vir. & vx. 369.
L. Sunt perſonæ. ff. De relig. & ſum. funer. 481. & 523.

EX CODICE IVSTIniani.

L. fin. Actor. C. Vbi in rem actio. 446. & 454.
L. Ad inſtructiones. C. de Sacroſanct. Eccleſ. 502.
L. Celebrandis. C. de nuptijs. 330.
L. De ijs. C. de Epiſcop. & cler. 473. & 483. & 497.
L. In criminali. C. de Iuriſdict. omn. iudic. 454.
L. In re mandata. C. Mandati. 475.
L. Item nulla. C. De Epiſc. & cler. 494.
L. *Iubemus.* C. de Sacroſ. Eccleſ. 479. & 480.
L. 1. Iuxta ſanctionem. C. De Epiſc. & cler. 435. & 488. & 523.
L. Non dubium. C. De Legib. 544.
L. Omnes. C. De Epiſcop. & cler. 445.
L. Placet. C. de Sacroſ. Eccleſ. 483.
L. Quæ mancipia. C. de adminiſtr. tut. 467.
L. vlt. Si diuina domus, C. de exactorib. lib. 10. 473.

EX AVTHENTICIS.

Auth. *Caſſa.* C. de Epiſc. & cler. 437. & 456.
Caſſa. C. De Sacroſ. Eccl. 381. & 437. & 509. & 523. & 536. & 543.
Clericus. C. De Epiſc. & cler. 437.
Ex complexu. C. De inceſtis nuptis. 330.
Item nulla. C. De Epiſc. & cler. 498. & 509.
Item prædium. C. De Sacroſ. Eccleſ. 473.
Nullus Epiſcopus. C. de Epiſcop. & cleric. 438.
Sed hodie. C. de Epiſc. & cler. 438.
Statuimus. C. De Epiſc. & cler. 437. & 452.
Vt clerici apud proprios Epiſcopos. Collat. 6. 437. & 445.

EX CODICE THEOdoſiano.

Lex. 1. De Luſtrali collat. 435.
Lex. 1. & 7. De Epiſcop. & Cleric. 435.
Lex. 46. & 47. De Epiſc. & Cler. 453.
Lex. 1. De Epiſcopal. iudicio. 435.

INDEX

INDEX RERUM,

QVÆ IN HOC VOLV-
mine continentur.

Prior numerus paginam, poſterior columnam deſignat.

A.

AARON.

1 *Aron vitulũ an adorauerit.* 18.2.B.

1 *Adorationis honoris, & venerationis vocabula quid ſignificent.* 159.2.B. & 1652.C. & 186.

2 *Adorationis ſpecies latria dulia, & hyper dulia explicãtur,* 160.n.1.

1 *Ætates mundi ſeptem.* 574.1.B.

ANGLI.

1 *Angli Chriſti fidem primùm acceperunt à Ioſeph ab Arimathia.* 6.1.A. *deinde ab Eleutherio Romanò Pontifice.* B. *poſtremo à Gregorio Magno.* C. & 10.2.C.

2 *Angli fidem puram, & integram conſeruarunt vſque ad annum poſt Chriſtum natum,* 1534.6.2.A. & 11.12.13.

3 *Anglorum Regum veterum pietas, atque ſubiectio erga* Romanam *Eccleſiam, à* 324.2.*vſque ad* 426.1.B.

4 *Anglorum Schiſma, & falſa exiſtimatio de Romano Pontifice,* 114.1.B. *quæ refutatur.* 114.2.& 115.1.

5 *Anglorum prolapſio in hæreſim,* 113.2. & 114.1.

6 *Angli huius ætatis iniurioſi maximè, & contumelioſi ſunt in ſuos maiores, dum omnes vſque ad Henricum,* 8. *à vera fide catholica expellunt, à* 9. *vſque ad* 14 & 100.2.A. 10.2.C. & 13.2.A

7 *Anglorum hæreſis quaſi differentia eſſentialis poſita eſt in eo, quod ſuum Regem, ſacrorũ etiam pluſquam regem conſtituit, delato ſupremo iure Pontificali,* 70.1.B.& 81.2.A.& 245.

8 *Anglorum cætera hæreſis ferè Caluiniana eſt,* 71.2.D.

9 *Anglorum hæreſis cur non dicatur Henrichiana cum molitorem Henricum habuerit,* 72.1.A.B.

10 *Anglorum hæreſis vix tertiam partem Britanniæ occupat.* 81.2.B.

11 *Anglorum hæreſis Apoſtolica fides dici non poteſt multis de cauſis, à* 93.*vſque ad* 97.1.D.

12 *Angli ſiquid Apoſtolicum retinent, id ab Eccleſia Romana acceperunt.* 93

13 *Angli cognomen Catholicorum iam longe plurimum deperdiderunt* 69 2.D.

14 *Anglorum hæreſis impugnatur martyrum teſtimonijs,* 101.& 102.2.B & 108.1.

15 Angli *veram Hierarchiam Eccleſiaſticam non habent ſed ſolum politicam gubernationem,* 772 & 78.1.

16 *Anglorum hæreſi conueniunt duodecim notæ quibus hæretica diſciplina internoſcitur à,* 115.2.D.

17 *Anglicanæ Sectæ caput primarium eſt illud, de adulterino Eccleſiæ capite* 113.A.2.

18 *Anglicana Secta male coarctat Eccleſiæ authoritatem ad quinque poſt Chriſtum ſæcula,* 127.1.C & *ſeqq.*

19 Anglicanam *vexationem Catholicorum perſecutionem Eccleſiaſticam eſſe monſtratur.* 661. *latiùs à* 759. *vſque ad* 766.

20 Angli *pro fide, & obed entia* Romana *morientes ſunt veri Martyres* 7[illegible].1. C. *vſque ad* 774.

21 Angli *Henrici Garneti marty*[illegible]. 7[illegible]9. 1.A.

22 Angli *mortem potius ſubire, quam iura-*

mentum Iacobæum præſtare, vel ſacris Hæreticorum intereſſe tenentur, à 742 vſque ad 758. Vide verb. Iuramentum, verb. Martyrium, & verb. Perſecutio.

1 Annæ Bolennæ inceſtis nuptijs Catholica fides Angliæ ruinam edidit, 6.2.D.

2 Annæ Bolennæ nuptias nefarias quidam Caluinianus impudenter decantat, 9.1.C.

ANTICHRISTVS Proprius.

Antichriſti proprij nomen, & indiuiduæ proprietates.

1 Antichriſti nominis Etymologia, à 564. 1.A.

2 Antichriſti nomen per antonomaſiam ſignificat vnũ quendam Chriſti aduerſariũ capitaliſsimum, à 564. 1.D.

3 Antichriſti nomen ex Apocalypſi, quod continet numerum 666. à 673. 2. vſq; ad 675. 1.B.

4 Antichriſti cognomina, abominatio. 579.1.D. & 564. 2.B. Diſceſsio, 614.2.C. Homo peccati, & filius perditionis, 564.2.C. & à 650.2.B. Caput malorũ, 688.D.2.

5 Antichriſtũ hæretici quidã quaſi pro Chriſtum ſeu vice Chriſtum interpretantur, tam inerudite, quam malitioſe, 564. 1.C.

6 Antichriſtus deſcribitur à Daniele Propheta octo proprietatibus, à 692. vſque ad 696.

7 Antichriſtus deſcribitur à D. Paulo. in ſecũda Epiſtola ad Theſſalonicenſes cap. 2. à nu. 3. vſq; ad 14. qui locus in quinto libro ſæpius recurrit.

8 Antichriſtus proprius homo vnicus erit. non verò dæmon, neque vna ſeries hominum ſuccedentium in vno munere, vel vno ſolio à 566. vſq; ad 577.2.D.

9 Antichriſti patria erit Iudæa. 647.1.D.

10 Antichriſtus parentibus naſcetur infamibus, 609.1. & 660. 2.B. & 692.1.C. & 693.2.A. & 695. 2.B.

11 Antichriſtus erit homo vaferrimus. 692 2.B. & 693. 2.A.C.

12 Antichriſtus omni ſcelere coopertus erit, à 650.2.D. & 692.C.2.

13 Antichriſtus in ſuis vitæ actionibus erit organum dæmonis quaſi coniunctum non hypoſtaticè, 688.2.C. & 693.B.

ANTICHRISTI PROGRESSIO, ſtatus, & finis.

14 Antichriſtum nondum veniſſe conſtat ex multis locis Sacræ Scripturæ, 609.2. D. & 623. 2.D.

15 Antichriſtum iam olim veniſſe, redituruмque ſub tempus mundi extremum, error fuit quorundam etiam catholicorum, 611. 2.

16 Antichriſtus veniet prope tempus iudicij extremi, 643.1.C.

17 Antichriſtus callidè, & violentèr auxilio diaboli regna cuncta vſurpabit, 609. 1. & 660. 2.B.

18 Antichriſtus in vrbe Hieroſolymorum domiciliũ ſui imperij conſtituet, à 645. 2.D. & 695.1.C.

19 Antichriſtus ſedem Romæ non figet. à 640 vſque ad 645. & 692.1.B.

20 Antichriſtus imperium Romanum exſcindet, 610.1. & 614.2.

21 Antichriſtus Romam omnino euertet, à 592.2.D. & à 644 2.D.

22 Antichriſtus occupata tyrannide omniũ rerum & terrenarum, & ſpiritualium inducet nouam religionẽ in orbem terræ. 693.1.A.2.A.

23 Antichriſtus ipſe clam adorabit diabolũ, 695.1.A.

24 Antichriſtus ſibi per vim extorquebit adorationem latriæ, à 652.2. & 692. 2.C. & 694.1.A.

25 Antichriſtus mentita prodigia multa dabit, 566.2.D. & 654.2.D. & à 667.

26 Antichriſtũ infernæ furiæ agitabunt in Chriſtianos, quorum tanta erit vexatio, quantam vix capiat mens humana, vires humanæ certè non capient. 579. & 616. & 617.1. & 693.2.B.

27 Antichriſtianæ vexationis coagitator horribilis erit diabolus, 617.1.D.

28 Antichriſtiana vexatio nunquam intermittet. 579.2.A.

29 Antichriſtianæ vexationi furenti præcipuè reſiſtent Enoch, & Elias mira ſeueritate vitæ, ac Sanctitate. Vide Elias.

30 Antichriſtiana vexatio quanta maxima ſit, fidem catholicæ Eccleſiæ non omnino perdet. 18.2.D. & 615.2.

31 Antichriſtiana vexatio tres ſolos, & ſemis annos durabit. à 580.

32 *Antichriſtianæ vexationis exitus erit paulo ante diem iudicij extremi, 578. 2. D. Dies videlicet quinq; & quadraginta, à 584. 2. D. Sed referuntur contrarij errores, à 582. 1. A vſq; ad 581. 1.*

33 *Antichriſtianam vexationem nondum extitiſſe conuincitur. à 605. 1. D.*

34 *Antichriſti monarchia quantum tempus futura ſit, ignoratur. 606. 2. B.*

35 *Antichriſti monarchia non tranſgredietur ſpatium vitæ* vnius *hominis, à 607. 2. D.*

36 *Antichriſti monarchia ad alium hominẽ non tranſmittet, 609. 1. D.*

37 *Antichriſtus ad aſpectum Chriſti accedẽtis porſtratus occumbet, ſub terramque ad inferos præceps agetur, 580. 1. A. & 656. 1. & 675. 2. A. & 693. 1. C. 2. C. & 695. 1. D.*

38 *Antichriſti aſſeclæ vna profligabuntur, 583. 1. B. C.*

ANTICHRISTVS improprius.

1 Antichriſtus *pertranslationẽ dicitur quicumque inſectator Chriſtianitatis. ſeu Eccleſiæ Romanæ, à 565. 2. B. & 161. 1. B. & 644. 1. D. & 4.*

2 Antichriſtus *figuratus* Antiochus *fuit, à 693. 1. D.*

3 Antichriſtus *figuratus* Nero Claudius *fuit, 571. 1. B & à 611. 2. vſque ad 613.*

4 Antichriſtus *proprius non fuit Mahometus, quam ſuſpicionem quidam habuerunt, nec vllus alius, 568. 1. C. & à 613. 1. A. & 696. 2. B.*

5 Antichriſti *ſoliũ per allegoriam, vel accõmodationem ineptiſſime hæretici Romanæ ſedi attribuunt: aptiſſime vero, vel ipſis hæreticis, vel* Anglican o Throno *poſtquam à fide defecit, accommodabitur, 608. 2. D. 620. 2. 642. 653. D. 2. C. 670. 1. 673. 1. A. vſque ad 684.*

6 *Antichriſti fabula, quam hæretici in* Pon*tificem transferunt ex Daniele cuius dictis* Rex Iacobus *ſilentio præterijt, red arguitur, 686. 1. & 2. & à 690. vſq; ad 696.*

APOSTOLI CHRISTI.

1 Apoſtoli *fidem non inſtituerunt ſed promulgarunt, 91. 2. B.*

2 Apoſtoli *omnes æquales erant in priuilegio non errandi in materia fidei, 288. 1. C.*

2 A*poſtolorum dignitatis priuilegia, 286. 1. D. & 2. A.*

4 Apoſtolos *ſubiectos fuiſſe magiſtratibus Ethnicis quidã etiam Catholici affirmant, ſed plures verius negant, à 224. & 426. 1. C.*

5 *Apoſtolis vt ſuccedant* Epiſcopi, *280. 1. A. & 2. D. & 286. 1. C. & 425. 2. A.*

1 *Apoſtolica fides quæ nominetur, vide* fides

1 *Arbiter* Iudex *damnatum cogere non poteſt. 4007. 1. C.*

1 Ariana *hæreſis quomodo dicatur orbem fere omnium occupaſſe terrarum. 83 1. B. & 88. 1.*

AVTHOR HVIVS Libri.

1 Authoris *obſeruantia. & pia lenitas, & bona voluntas erga* Regem Iacobum *cuius librum refellit. nitet in toto opere: quædam loca hic notantur, 2 & 13. 2. B. & 65. 1. D. & 108. 2. B. & 112. 1. A. & 122. 2. D & 123. A. & 131. 2. & 132. & 168. 2. B. & 186. 2. D. & 190. 2. C. D. & 211. & 212. & 276. 1. D. & 277. 2. B. & 562. 2. D & 696. & 714. 2. B.*

2 A*uthoris modeſtia in reſpondendo probris, & maledictis Iacobi* Regis *contra Pontificem* Romanum, *eiuſque defenſores præcipue ſocios Ieſuitas, à 630. 2. D. & 635. 1.* A *& 638. 2 à 6602 C. & à 662. 2. D. vſque ad 663. & 664 2. D. & 665. 1. B. & 2. D & 666. 1. 2. D. & 669. 1. D. 2. D. & 670. & 677. 1. D. & 678. B. & à 680. 2. D. vſque ad 686. & 695. & 696.*

3 A*uthor adhortatur Iacobum* Regem *ad veram* Romanam Religionem, *131. B.*

4 *Author adhortatur Iacobum* Regem *ad ſtandum in fide, quam Chriſtianis principibus dedit de mutanda ſententia ſi conuinceretur. 211. 2. A.*

5 A*uthor adhortatur Iacobũ* Regem *ad recognoſcendum ſanctum* Principatum R*omani* Pontificis. *371. 2. A. qua de re cupit cum* Rege *clam colloqui, 372. 2 B.*

6 A*uthor adhortatur Iacobũ* Regem *ad deponendum, quod habet odium contra immunitatem Eccleſiaſticam, à 562. 1. D.*

7 A*uthor exponit quid in hoc opere curauerit, & deinde quid à* Rege I*acobo expoptet, 779. 780. per totum.*

B.

1 Babylon myſtice à 588.1.D.vide Roma.
1 Baptizatus rite ab hæretico infans qualiſcumque, ſeu catechumenus, membrum veræ Eccleſiæ efficitur, 124.1.A.

BEATITVDO, ET Beatus.

1 Beatus nullus hominum fuit ante Chriſti aduentum. 626.1.B.
2 Beatũ nullum fuiſſe, nec fore etiam in fine mũdi, priuſquam moriatur, vt probabilius defenditur. 625. 1.A.2.B.

1 Bellarminus Cardinalis à calumnia liberatur, 225.1.A.& 626.2.D. & à 638. D.Plura 776.2.B.& ſequentib.

BELLVM.

1 Bellum iuſtum vtrinque eſſe poteſt ex ignorantia, 440. 1.A.
2 Bello iuſto adducitur deuictus populus in ſeruitutem. 224.1.B.
3 Bello non fit via conſentanea ad veritatem aperiendam, 737.2.D.

BONA ECCLESIASTICA.

1 Bona Eccleſiaſtica an ſint immediate ſub Chriſti dominio non per metaphoram, ſed in ſenſu proprio, à 468.2.C.
2 Bona Eccleſiaſtica an ex vi ſolius conſecrationis ab humano dominio eximantur, diſputatur. à 470.2 vſque ad 472. A.2.
3 Bona Eccleſiaſtica, vide Immunitas Eccleſtica.

1 Bonorum mobilium, & immobilium explicatio, 467.1.B.
1 Bonifacium Tertium Romanum Pontificẽ penitus odit Iacobus rex Angliæ, eo quod ſuſtentauit ſuæ Sedis primatum. Sed Bonifaciũ autor defendit 577.2.B. & 578. 2.B. & 651.2 & 652.1. & 654.2 C.& 655.1.C.& 660.2.& 661.1.& 670.2. & 671.1.B.& 674.1.D.

BREVE PONTIFICIVM.

1 Breue primum Romani Pontificis Pauli Quinti ad Catholicos Angliæ pro repudiando iuramento Regis Iacobi, & pro animandis Catholicis ad relinquendam communicationem cum hæreticis in rebus Sacris, 700.
2 Breue ſecundum eiuſdem Pauli Quinti ad eoſdem Catholicos, 702.
3 Breuis ſecundi mittendi quæ ratio fuerit, 775.1.D.
4 Breuis vtriuſque epitome, & vendicatio à calumnia, à 740.1.B.& à 775.1.C.
5 Breue vtrumque diſſimile eſt à Breui Pij V. Romani Pontificis contra Eliſabethã grauem Eccleſiæ perſecutricem. 739.2.
6 Breue prædictum Pij.V. ſeuerè quidem, ſed iuſtè mulctabat Eliſabetham, 739.2. B.& 759.1.A.

C.

CAMPANA ÆRA.

1 Campana prope ſunt neceſſaria, 108.2.C.
2 Campana ſunt in vſu abhinc annis circiter mille & trecentis, nimirum in pacata Eccleſia, à 208.2.B. vſque ad 209.C.
3 Campanis benedicendis pie, Sanctèque faciũt Catholici, 209.1.D.vſq; ad 211.1.C.

1 Canònes qui nominatim habentur in hoc tractatu, vide in indice peculiari.

CATHOLICI.

1 Catholici ab hæreticis iuſta diſcordia diſſident, 8.2.D.
2 Catholici à ſolis hæreticis Homuſianorum, vel Papiſtarum, vel alijs cognominibus perhibentur, 72.2.C.& 73.1. Quæ tamen cognomina, veram, & veterem doctrinam indicant, 73.1.B.

CATHOLICVM cognomentum.

1 Catholicum cognomentum, ſolius eſt veræ fidei & Chriſtianæ Eccleſiæ. 65.1.C.& 2.B.
2 Catholicum cognomentum inuidioſum eſt nonnullis hæreticis, 65.2.D.
3 Catholicum cognomentum eſt coætaneum Apoſtolorum, 66.1.C.
4 Catholicum cognomentum veram Eccleſiam à falſis diſtrahit, 66.2.& 83.2.A.
5 Catholicum cognomentum quadrat in vnã Chriſti Eccleſiam, à 65.
6 Catholicum cognomentũ debetur ſoli Romanæ Eccleſiæ, vt recognoſcenti vniuerſalem Chriſti Vicarium à 68.1.D.
7 Catholicum cognomentum minime conuenit Anglorum hæreſi. 69.2.D.
8 Catholicum cognomentum nulla meretur falſa religio, quamuis dilatetur per orbem terræ. 88.2.C.& 89.& 90.

1 Cẽſura Eccleſiaſtica ferri poteſt ex parte ſuperio-

ſuperioris Prælati, non vero in illius virtute, vel Summi Pontificis, 281. 1. B.
1 Cæremoniæ Eccleſiaſticæ quomodo ſint à iure diuino, 423. 1. B.
1 Character ordinis, 410. 1. C.
1 Chiliaſtarum hæreſis, 582. 1. A.

CHRISTIANI.
1 Chriſtiani primæ Eccleſiæ falsò ſuſpecti fuerunt quibuſdã Principibus de negatione politici principatus, 214. 1. D.
2 Chriſtiani ſubiecti ſunt poteſtati legitimæ magiſtratuum, etiam Ethnicorum, à 230. 1. B.
3 Chriſtiani vetantur creare Principem infidelem, 231. 1. B.
4 Chriſtianos non liberat character baptiſmi à iuriſdictione Principum ſecularium, 427. 2. D.
5 Chriſtianorũ libertas quæ ſit. 235. 2. B.
6 Chriſtianis non interdicitur lege aliqua, vt habeant politicos Principatus à 232. vſque ad 239.
7 Chriſtiani in ſua gubernatione etiam politica multum pendent à Romano Pontifice, 721. 2. Vide Pontifex Rom.
8 Chriſtianorum ſubiectio ciuilis dirigenda eſt à Poteſtate Eccleſiaſtica, 781. 1.

1 Chriſtus vt homo an fuerit rex temporalis 242. B.

CLERICI.
1 Clericorum maioris, & minoris ordinis diſcrimina, 510. 1.
2 Clericorum & animi & corpora ſubiecta ſunt Romano Pontifici, 419. 1. C.
3 Clericorum exemptio, vide Immunitas perſonarum Eccleſiaſticarum.
4 Clericorũ bona, vide Immunitas perſonarũ Eccleſiaſticarũ in ſuis bonis.

1 Cognitio humana in rebus obſcuris facilius aſſequitur quid ipſæ nõ ſint. 645. 2. C.

CONCILIVM.
1 Concilij generalis poteſtas. 311. 1. D. & 2. B. & 312. 1. A. & 367. 2. B.
1 Conſilia Chriſti non obligant neceſſario, 235. 1. D.
1 Crux ipſa Chriſti à Catholicis inter venerandas eiuſdem reliquias habetur quia inſtrumentum fuit peculiare ſuæ redemptionis, neque vero in cruce cogitant vim aliã, ſeu beneficium à Chriſto datum, à 197. vſque ad, 199.
1 Cyprianus D. nunquam fuit hæreticus, 104. 1. D.

D.
1 Danielem Ioannes imitatus eſt in Apocalypſi. 580. 2. A.
2 Daniele nullus propheta clariùs vaticinatus eſt de Antichriſto, à 680. 1. D. vſque ad 696.

1 Dauidi an Deus, an vero populus regnum immediate dederit, à 225. 2. A. vſque ad 227. 2. B.
2 Dauid nominatur Angelus Dei in Sacra Scriptura. 344. 2. C.
3 Dauid nominatur lucerna Iſrael in Sacra Scriptura, 345. 2. D.

1 Decretalium Epiſtolarũ authoritas 300. 1. B.
1 Dij qui nominentur in Scriptura, 343. 1. B. & 653. 2. A. C.
1 Directa ſubiectio & gubernatio quæ ſit, à 237. 2. B & à 368. 2.
1 Dominari non eſt Prælatorum, nec vllius paſtoris Eccleſiaſtici, 26. 1. A.
1 Dominium humanum quo iure fuerit introductum, 222. 1. B.

E.

ECCLESIA.
1 Eccleſia vniuerſalis fidem nunquam deperdidit, à 14. vſque ad 18. Neque deperdet tẽpore Antichriſti, 18. 2. D. & 615. 2
2 Eccleſiæ fidem hæretici perditam mentiuntur, 14. 1. D. 2. C. & 18. 1. C.
3 Eccleſiæ vnitas. 15. 1. D.
4 Eccleſiæ firmitas, 16.
5 Eccleſiæ perpetuitas, 17. 1. A. 2. B.
6 Eccleſiæ perſecutiones hoc eſt vexationes præcipuæ quot fuerint. 574. 2. C. Earum vltima, & grauiſsima fuit Iuliani Apoſtatæ, 575. 2. B.
7 Eccleſia errare non poteſt in fidei decretis, à 19. 2. A. vſque ad. 21.
8 Eccleſiæ eſt dirimere fidei controuerſias, 57. 2. A.
9 Eccleſiæ eſt Scripturam Sacram certò interpretari, 58. 1. A.
10 Eccleſia ſemper fuit eritque viſibilis, tractabilis quidem per ſuum corpus, & membra peculiaria, & aſpectabilis per multa ſigna veraſque notas ſuæ intimæ rationis, à 33.
11 Eccleſiam ſic Antichriſtus percellet, vt eius

eius aſpectum fugitura dicatur, 581. 2.C.
12 Eccleſia non poteſt diſtrahi à vera fide, 18. 1. A. & 65. 2. C.
13 Eccleſiæ frequentius aduerſæ res temporales accidunt quam ſecundæ, 684. 2. C.
14 Eccleſia illas proſperitates à Deo habuit, quæ opus erant, vt conſeruaretur, 685. 1. A.
15 Eccleſiam in ſolam quadrat cognomen Catholicæ. 67. multo excelſius, quam humana cognomina in ſuas familias. 68. 1.
16 Eccleſiam Spiritus Sanctus nunquam deſeret. 171. D. & 20. 1.
17 Eccleſia nullas de nouo fidei doctrinas ab ætate Apoſtolorum, ſed veteres multò explicatius tradidit, 97. 2. & 98. & 102. 1. B.
17 Eccleſia eiſdem moribus cum ſemper regi non potuerit, omnem acceſſionē & mutationem facit accommodatè ad inſtituta, & mores Apoſtolorum, 99. & 146. 2. D. & 147. 2. B. & 155. 1. B & 157. 1. C.
19 Eccleſia eſt vnum corpus myſticum perfectiſſimè inſtitutum, 258. 2. A.
20 Eccleſiam vnam eſſe oportet, 258. 2.
21 Eccleſia debuit gubernari Monarchicè, 275. 2. C.
22 Eccleſia non habet vnum ſupremū Principem temporalem, 239. 1. D.
23 Eccleſiæ Militantis perfectio eſſentialis conſiſtit in vera & viua fide operante per charitatem, 235. 1. D.
24 Eccleſia militans, & triumphans duæ ſūt quaſi partes vnius coronæ, ſiue Monarchiæ, 285. 1. C.
15 Eccleſiæ Catholicæ quæ ſint notæ veriſſimæ, 684. 2. A. B.
26 Eccleſiæ Catholicæ laudes ex D. Auguſtino 21. 2.
27 Eccleſiæ miniſterio Deus homines docet, 21. 1. B. & 622. 2. D.
28 Eccleſiæ immunitas, Vide immunitas Eccleſiaſtica.
29 Eccleſiæ obſeruatio prudens in vſu ſuæ immunitatis, à 439. 2.
30 Eccleſiæ ſingularis triplex conſideratio 463. 2. B.

ECCLESIA ROMANA.

1 Eccleſia Romana vna eſt, & eadem atque Catholica, à 22. & à 68. 1. A.
2 Eccleſia Romana, vt vniuerſalis certiſſimam habet fidei conſtantiam, atq; doctrinam, à 22. vſque ad 32.
3 Eccleſia Romana vt vniuerſalis habet ſedem Petri Apoſtoli, pro cuius fide Chriſtus rogauit, ne vnquam deficiat, à 24. C.
4 Eccleſia Romana quantumcumque perturbabitur ab Antichriſto, non labefactabitur, 680. 2. B.
5 Eccleſia Romana ex ipſo ore aduerſariorū Catholica cognominatur. 69. & 73. 2. D.
6 Eccleſia Romana quatenus eſt peculiaris quædam Diœceſis non ita certam habet firmitatem fidei, atque doctrinæ, ſed piè creditam, 23. 2. B.
7 Eccleſiaſtica bona vide bona.
8 Eccleſiaſticæ perſonæ, vide Immunitas propria perſonarū Eccleſiaſticarum.
9 Eccleſiaſtica poteſtas, vide Poteſtas.

EDVARDVS SEXTVS.

1 Eduardus Sextus Rex Angliæ Zuinglianus fuit hæreticus, 7. 1. A. B. & 115. 2. B.
2 Eduardi Sexti perſecutio Eccleſiaſtica, 762. 1. C.

1 Edmundi Campiani è Societate Ieſu Martyrium, 768. 1. B.

ELIAS.

1 Elias, & Enoch nondum mortui ſunt: vnáque viuunt vitam mortalem, neque beatā vſque ad tempus poſtremum, à 624, 2. B. vſque ad 629. 1. C.
2 Elias, & Enoch vbi tam longam ætatem degant ſcire velle, ad nos non pertinet: ſed eſt veriſimilis coniectura viuere in paradiſo terreſtri, 632.
3 Elias, & Enoch Antichriſto potiente rerum, ac religionum, ad ſuſtentandam Chriſtianitatem afflictam, & prope iacentem reuenient, à 617. vſque ad 640.
4 Elias, & Enoch annos circiter tres, & dimidium euangelizabunt, Iudæis quidem Elias, & Enoch alijs gentibus, 581. 2. B & 522. 2. C. & 640. 1. A.
5 Elias, Enoch occidentur iuſſu Antichriſti (Hieroſolymis, vt veriſimile eſt) vbi tres dies, & ſemis inſepulti iacebunt: Deinde reſurgent vocati è Cœlo, quò ſtatim conſcēdent attonitis cunctis, & ſuſpicientibus: deinde vrbs conquaſſabitur terræ motu horribili, antichriſtianoſque plurimos opprimet, 623. 1. & 647. 1. D.

ELISABETHA.

1 Eliſabetha Angliæ Regina hæretica fuit Caluiniana, 7. 1. D. 115. 2. B.
2 Eliſabetha ſe cognominauit, Supremā gubernatricem in ſpiritualibus, nō

vt

vt pater Henricus, Caput Eccleſiæ, vel quia fœminam id cognominis puduit, vel, quod nonnulli ſunt ſuſpicati, volebat inſuper ius vſurpare ſupremum in tradendis ſacris, initijſque Chriſtianis. 698. 1.
3 Eliſabethicum iuramentum fidelitatis, vide Iuramentum.
4 Eliſabethæ reginæ perſecutio Eccleſiaſtica. 762. 1. D. 745. 2.
5 Eliſabetham Pium. V. iuſte per litteras mulctauit. 739. 2. B. 759. 1, A.

EPISCOPVS.

1 Epiſcopi vt ſuccedant Apoſtolis. 280. 1. A. & 2. D. & 2. D. & 286. 1. C. & 425. 2. A.
2 Epiſcopi non recipiunt à Chriſto immediate iuriſdictionem. 423. 2. A.
3 Epiſcopi iure diuino liberi ſunt ab omni poteſtate ciuili. à 425.
4 Epiſcopi qualē immunitatē dare potuiſſent perſonis Eccleſiaſticis ſibi ſubiectis, à 431 2. A.
5 Epiſcopus laico nullius ordinis Eccleſiaſtici dare non poteſt iuriſdictionem ſupra perſonam Eccleſiaſticam. 1. D.
6 Epiſcopi an dominium habeant Epiſcopalium facultatum. 449. 2. B.

1 Euangelij nomen omnem Catholicam doctrinam comprehendit. 8. 1. D.

EVCHARISTIA.

1 Euchariſtia verè ac realiter continet Chriſti corpus & ſanguinem ſub panis, & vini ſpeciebus, à 134. vſque ad 140.
2 Euchariſtiæ ſub conſecratis ſpeciebus, panis & vini ſubſtantia non remanet. 141. & 142.
3 Euchariſtiæ ſub vtrauis ſpecie totus eſt Chriſtus: totū que fructum Sacramenti impertitur. 149. 2. B.
4 Euchariſtiæ, veritas transſubſtantiationis confirmatur. 143.
5 Euchariſtiæ vſus ſub vtraque ſpecie quanuis frequens, & communis fidelibus fuerit in prima Eccleſia. 152. 2. C. Attamen etiam eſt conſuetudo coætanea Eccleſiæ ſumendi ſolam panis ſpeciem. 148. 1. C. & 152. & 153. & 154. quæ conſuetudo eſt admodum rationalis, à 155. 1. C. Vide etiam à 147. 2.
6 Euchariſtiam ſumere ſub vtraque ſpecie, probabile eſt teneri iure diuino Sacerdotes ſacrificantes. 148. 1. B.
7 Euchariſtiam veteres Chriſtiani ſæpe domum portabant. 148. 2. D. Quem morem circiter quingentos annos retinuerunt. 149. 1. C.
8 Euchariſtia præberi poteſt ægroto non deglutiēti, immerſa in aquam, vel vinum minime conſecratum. 154. 2. A.
9 Euchariſtia adoranda vt Deus. 144. 2.
10 Euchariſtiam erigendi, vt ſuſpiciatur à multitudine, mos eſt antiquiſsimus: ipſam in pompa, & publicis ſupplicationibus circumgeſtandi nō ita priſtinus, nec recentiſſimus. Sed mos vterque eſt inprimis laudabilis, & fructuoſus. 146. & 147.

1 Excelſa quæ dicantur in Scriptura. 347. 2. C.

EXCOMMVNICATIO.

1 Excommunicationis cenſura vſitata tempore Apoſtolorum. 334. 2. C.
2 Excommunicatos à D. Paulo vexatos ſimul fuiſſe à diabolo dicunt aliqui Patres: 337. 1. B.
3 Excōmunicationes latæ à Romano Pōtifice aduerſus Reges, & Imperatores. à 335.
4 Excommunicati Reges non ſunt eo ipſo regnis priuati. 732. 1. B. 734. 2. B.
5 Excommunicatis regibus interdicta eſt regni adminiſtratio. 731. 2.

F.

FIDES.

1 Fides modo res creditas, modo credēdi virtutem ſignificat. 46. 1. D.
2 Fides Catholica ſiue vniuerſalis, cognominatur primò ab vniuerſitate materiæ 74. 1. D. Deinde ab vniuerſali credendi regula. 75. 1. Tertio ab integritate ſacrorū, tū munerū tum perſonarū. 76. 2. Vltimo, quia vniuerſum mundum complexa ſit à 77. vſque ad 88. Præſertim a tempore Cōſtantini imperatoris 85. 2. C & 86. 1.
3 Fides vera & vera Eccleſia indiuiduæ comites. 18 1. A. & 65. 2.
4 Fidei regula ſunt diuinæ literæ expoſita, traditionesſq; cōprobatæ à vera Eccleſia. 119. 2. B.
5 Fidem Apoſtoli non condiderunt ſed promulgarunt. 91. 2. B.
6 Fidei dogmata non noua eduntur, ſed explicantur. 97 2. 98. 1. 102. 1. B.
7 Fides Apoſtolica, quæ dicatur. 91. & ſequentibus.
8 Fidei documenta rationibus non demonſtrātur. 740. 2. B.

9 Fidei Catholicæ argumenta certiſsima. 21.2.
10 Fidem ſubuertit, qui partem eius euertit. 82.C. 121.1.A.
11 Fides ſpecialis, ſeu fiducia Nouatorũ ſit quã vana & hæretica. 200. 1. 621.2.C.

FIDEI CAVSA, & confeſsio.

1 Fidei de cauſis iudicare proprium eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis. 57.2. A.
2 Fidei Chriſtianæ externa confeſsio iubetur præcepto diuino poſitiuo, & moraliter quaſi connaturali cum ipſa fide, à 746. 1.A.
3 Fidei confeſsionis præceptum vbi fundetur. 747. 1.B.C.
4 Fidei confeſsionis præceptum inuoluit alterum negatiuum nunquam negandi fidẽ. 747. 1.D.& 2.
5 Fidei quædam occultatio tacita licita eſt aliquando. 748. 1.A.
6 Fidei occultatio duplex negatiua, & priuatiua, qua de vtraque, quid ſentiendum. 748.1.C.
7 Fidei confeſsio quo tempore obliget. 748. 2.B.
8 Fidei occultatio interdum eſt quædam virtualis negatio. 748.2. C.
9 Fidem poſſe negari in tormentis, fuit quorundam hæreſis. 749. 1. C.

H.

1 Hebraica lingua genitiuis nominum ſubſtantiuorum in exaggerando vtitur pro adiectiuis. 651. 1. C.

HÆRESIS, ET Hæretici.

1 Hæreſis, & hæretici notio atque diſtinctio. à 118.1.D. vſque ad 122.& 124.1.C.
2 Hæréſes ſingulæ à conditoribus nomen inueniunt. 70. 2 & 71.
3 Hæreſes oriuntur ab animi perturbationibus. 82.2.& 90. 2.B.C.& 115.2.D.&c.
4 Hæretici nomine ſunt Chriſtiani, quia ſũt baptizati, ſed reuera ſunt infideles quia non habent fidem diuinam 232.1. A.
5 Hæreticorum vaniloquentia. 656.1.C.
6 Hæreticorum priuatus ſpiritus confutatur, à 56.
7 Hæretici tractãt Scripturam Sacram valde indecore. 320. 2.
8 Hæretici Catholicorum falſum cognomen ſi quando aſſumunt, timidè, ac pudenter id faciunt. 73. 2.C.
9 Hæretici noui antiquos exprimunt. 82. 1.A.
10 Hæretici inter ſe diſcordant de rebus grauiſsimis. 81.1.& 89.
11 Hæretici non ſunt animati ad fidei propagationem. 90. 1.A.
12 Hæreticorum nullum miraculum extat. 622. 2.B.
13 Hæretici quantacũque ſint multitudine, non coagmentãtur in vnum corpus Eccleſiaſticum, neque politicum. 80. 2.C.D.
14 Hæreticorũ omnis generis colluuies fere media pars eſt mortalium, qui Chriſtum agnoſcunt. 80. 2.D.& 82.2.D.
15 Hæreticus eſſe poteſt qui nunquam in Eccleſia fuerit. 24. 1.C. Sed pœnis Eccleſiæ non erit obnoxius. 124. 2.B.
16 Hæreticæ diſciplinæ duodecim notæ explicantur, à 115. 2.D.
17 Hæreſiarchæ plerique omnes turpiſsima morte affecti ſunt. 621. 2.D.
18 Hæreticorum, qui non ſunt nominatim excommunicati, quando ſit communicatio licita. 749. 1. 757. 1.B.

HENRICVS OCTAVVS Angliæ Rex.

1 Henricus librum contra hæreticos edidit ob defenſionem fidei Catholicæ, & Romanæ. 6. 2. A.
2 Henricum Leo Decimus Romanus Pontifex cognominauit Catholicæ fidei defenſorem poſt librum editum pro fide Romana. 69. 2.B.
3 Henricus fidei fuit deſertor propter impudias Annæ Bolenæ nuptias. 6.2.D.
4 Henricus vere appellari poſſet homo peccati. 652.1.C.
5 Hẽricus principio fuit ſchiſmaticus. 110,1. C.& 245.1.C.
9 Henricus deinde fuit hæreticus. 113.2.
7 Henricus omnium regũ primus affectauit imperium ſpirituale, idque tyrannice vſurpauit. 245.1.C.& 252. 1.B.& 262.2 b.
8 Henricus confertur cum beſtia Apocalypſis. 13. habente ſupra caput nomen blaſphemiæ, hoc eſt cognomentum capitis Eccleſiæ 670. 1.
9 Henricus moribundus Eduardo filio hæredi fidẽ Catholicam commendauit, excepta vna obedientia Romano Pontifici. 7.1.A & 9. 2.A.& 113. 2.
10 Hẽrici 8 perſecutio eccleſiaſtica. 762.1.a

1 Henrici Garneti è Societate Ieſu martyrium. 769. 1.A.

1 Hiſpaniæ regũ pietas in Eccleſiã. 246.1.C.

I.

IACOBVS BRItanniæ Rex.

1 Iacobus natus Matre Catholica baptizatus eſt in Romana Catholica Eccleſia 123. 2. C.
2 Iacobum praua in infantia inſtitutio, atq; doctrina auerterũt à vera religione. 123. 1. D.
3 Iacobus ſe Schiſmaticum eſſe nõ diffitetur, 110. 2. A. & 245. 1. D.
4 Iacobus hæretici notã fugere cupit à 212. vſque ad 127.
5 Iacobus viuam fidei regulam ſeipſum ſtatuit. 14. 2. B.
6 Iacobus in ſola quam ſuo arbitratu eligit Scriptura fundamentum fidei ponit 47.
7 Iacobus ſibi arrogat certam intelligentiã Sacræ Scripturæ à 54.
8 Iacobus Sacram Scripturam mutilat. 48. 1. A. & 650. 2. & 652. 2. A. B.
9 Iacobus eccleſiæ traditiones abborret, à 47. 1. D. In quo non ſibi conſtat. 50. 2. A.
10 Iacobus perſecutionis Eccleſiaſticæ author, 761, 1. D. vſque ad 766, 2. B.
11 Iacobi de Romano Pontifice futiles querimoniæ. 738. 1. B.
12 Iacobi aſſertio de nouitate primatus Romani pluribus antiquiſsimis, & oculatis teſtibus refutatur, à 293.
13 Iacobus nolens fabulam de Antichriſto impugnat. 664. 2. D.
14 Iacobus nõ vidẽs Antichriſti fautorẽ, & aſſeclam ſe ipſum conſtituit. 692. 1. B.
15 Iacobus redarguitur de aſſerenda ſibi Eccleſiaſtica poteſtate, quam Petro & ſucceſſoribus negat. 403. 1. D.
16 Iacobus Principatum Eccleſiæ Petro eripit, vt deinde Romano Pontifici detrahat, ac tandem vacuũ occupet 268. 1. C.
17 Iacobus fidei Catholicæ defenſor non eſt, ſed oppugnator. 5. 1. A. 7. 2. B. 46. 1. & lib. 1. fere per totum.
18 Iacobi libellus multa continet, quæ clare pugnãt cum ſuiſmet ſcriptis, vt de priuato ſpiritu. 63. 2. De catholico cognomento. 69. 2. A. & 166. 2. D. 669. 1. D. De teſtimonio veterum Martyrũ 103. 1. D. De ſua ipſius Iacobi Regis cũ Eccleſia Catholica cõmunione. 123. 2. B. De principatu ſpirituali regũ Britannicorũ. 249. 2. B. & 261. 2. C. D. & 262. 1. De veneratione Sanctorum Patrum antiquæ Eccleſiæ, 630. 1. D. & 631. 1. D. De authoritate definiendi noua dogmata fidei. 723. 1. D. De Apocalypſis libro ſibi reſerato. 631. 1. De Roma & Babylone. 643. 2. C. Cum alijs multis fere per totum librũ ſextum vſque ad 692.

1 Idololatriæ definitio. 192.
1 Ieſuitæ Socij odio habentur à rege Iacobo, & alijs hæreticis, vt obſeruantes Romani Pontificis. 677. 1. C. D. 687. 1. A.

IMAGO DEI.

1 Imago Dei propria & metaphorica. 195. 1. C.
2 Imago Dei propria fieri non poteſt, à 195. 1. D.
3 Imagines Dei circa metaphoricas nullum eſt fidei decretum. 195. 2. B.
4 Imaginum Dei vſus pius eſt. 195. 2. C.
5 Imaginum Dei vſus licitus eſt, decorus, & vtilis in Chriſtiana Eccleſia, à 196. 1. D. vſque ad 197. 1. C.
6 Imaginum Dei vſus probibitus erat in Synagoga, vt cæremonia damnoſa Iudæis. 196. 1. C.

IMAGINES SACRÆ.

7 Imaginũ hoſtes græcè Iconomachi à ſeruo Perſa Xenaia nomine originem ſuæ hæreſis trahunt. 183. 2. C.
8 Imaginum hoſtium effrænatio. 184. 1. B. & 2 A.
9 Imaginum hoſtium Sophiſmata redarguũtur, à 191. vſque ad 195.
10 Imagines ipſas non orant Catholici, ſed excitantur earum præſentia, vt Deum & Sanctos attentius orent. 185. 1. A. & 188. 2. C.
11 Imaginibus nulla vera ineſt ſanctitas, ſed trãs latitia & iniecta extrinſecus à rebus quas præferunt, à 185. 1. C.
12 Imaginum vſum, & venerationem, ab Apoſtolica ſemper Eccleſia retinuit, à 187. 1. A. & à 189. 1. C. vſque ad 190. 2. B.
13 Imagines fructuoſiſsimæ ſunt. 188. 2. A.
14 Imagines coluntur bifariam, & honorifice tractari debent, à 188. 2. B. & 190.
15 Imagines, ſi ſuperſtitionis occaſio eſſent inſipientibus Catholicis, docendi iſti forent, illæ non violandæ. 164. 1. C.
19 Imagines inter, & idola diſcrimen. 192.

IMMVNITAS ECCLEſiaſtica quid, & eius prærogatiuæ.

1 *Immunitatis cauſæ omnes breuiter perſtringuntur,à* 445. 1.C.
2 *Immunitatis deſcriptio.* 374. 1.
3 *Immunitatis diuiſio.* 374. 1.D.
3 *Immunitas an diſtinguatur à libertate, à* 374.2.B. *vſque ad* 376.2.B.
5 *Immunitatis differẽtia ab exẽptione.* 376. 2.C.
6 *Immunitatis differentia à priuilegio fori.* 456.2.C.
7 *Immunitatis differentia à priuilegio Canonis.* 378.1.B.& 115.1.D.& 2.B.
8 *Immunitatis excellentiæ multæ.* 523.2.C.
9 *Immunitatis dubia quæcumque, ad iudicium pertinent Eccleſiaſticum.* 547.1.A.
10 *Immunitas amplianda eſt, non imminuenda.* 547. 2.C.

IMMVNITATIS CAVSÆ & antiquitas.

11 *Immuntatis proxima cauſa efficiẽs Deus eſt.* 422. 2.C.
12 *Immunitas vt poſſit eſſe à iure diuino pariter,& humano,* 422.2.B.& 439.1.
13 *Immunitatem imperatores Chriſtiani nõ conſtituerunt tantum,ſed etiam ductufidei recognouerunt.* 421. 1. A.
14 *Immunitatem quantum fouerint iura ciuilia Chriſtianorum,à* 434.2.D. *vſque ad* 445.
15 *Immunitas quomodo videri poſſit data olim fuiſſe à Principibus laicis,à* 433.2.C.
16 *Immunitatem nemo dare poteſt, ita vt immunem faciat ex legem.* 387. 2.B.& 388. 1.B.

IMMVNITATIS perpetuitas.

17 *Immunitatis perpetuitas tractatur,à* 523 2.D *vſque ad* 542.
18 *Immunitati perpetuitatem tribuit ius diuinum.* 422. 1.D.
19 *Immunitatis perpetuæ ſola diſparitas, mutatiove neceſſaria, permiſſa fuit iure humano Summi Pontificis.* 423.1. A.
20 *Immunitas non reuocabitur ab ipſo Deo,* 424. 2.
21 *Immunitas reuocari non poteſt à Sũmo Pontifice à* 529.1.D. *vſque ad* 630.2.D.
22 *Immunitas minui nõ poteſt ab vlla poteſtate ciuili,à* 424.2.C *vſque ad* 529.1.D.
23 *Immunitatem renuntiare non poteſt vlla communitas,nec omnes ſimul Eccleſiaſtici,neque Concilium generale completum cum Romano Pontifice approbãte,à* 534. 1.C. *vſque ad* 535.2. A.
24 *Immunitatem ſuam non poteſt Summus Pontifex renuntiare,aut Imperatori, aut vlli quantælibet poteſtati,à* 405.1.C.
25 *Immunitatẽ renuntiandi facultas concedi alicui priuato,quomodo poſſit à Summo Pontifice,à* 533.2. A. *vſque ad* 534. 1.B.
26 *Immunitas renuntiari non poteſt permiſſu Epiſcopi,* 531. 2,C. *vſque ad* 533. 1. D.
27 *Immuuitaits renuntiatio firmata etiam iureiurando irrita eſt.* 531. 1.B.
28 *Immunitatis partem aliquam renuntiantes puniri debent,quia vetantur Sanctis Canonibus: iubenturque hoc ſui ſtatus decorum ſeruare.* 531. 1.
Immunitas nulla conſuetudine amitti:minuivè poteſt,à 535. 2.B.*vſque ad* 542.& 550.

IMMVNITAS PROPRIA rerum,& facultatũ Eccleſiaſticarũ.

30 *Immunitate gaudẽt res,quæ ſtrictè appellãtur ſacræ, quia ſunt inſtrumenta cultus diuini, vel quia ſũt prædita benedictione, peculiari, à* 464.2.C.*vſque ad* 465.1.C.
31 *Immunitates propriæ Eccleſiarum prout ſunt domus deſtinatæ ad tuendas res,& perſonas ibi exiſtentes, vel eò aufugientes breuiter attinguntur, à* 464. 1.B.
32 *Immnitas locorum in quo conſiſtat,* 374.2.A.
33 *Immunitatem habent Eccleſiæ, vt de ſe malè meritos,& maleficos ad iudiciũ trabant Eccleſiaſticum.* 454.2.B.& 554.2. B.
34 *Immunitas cauſarum ſpiritualium,an ſit iuris diuini,* 381. 1.B.
35 *Immunitate maiori prædita ſunt bona Eccleſiaſtica,quàm bona propria perſonarum Eccleſiaſticarum,* 459. 1.B.& 463. 2.B.& 476.2.B.& 501.2.
36 *Immunitatem habẽt facultates Eccleſiaſticæ ex vi ſuæ inſtitutionis,vt in religioſis tantum operibus conſumantur.* 465. 1.C.
37 *Immunitatem habent res immobiles, vel pretioſæ,ne alienentur,niſi modo præſcripto à iure Canònico.* 465. 1.D.
38 *Immunitates omnium bonorum Eccleſiæ à quacumque iuriſdictione ciuili tanguntur, à* 463. 1.D. *vſque ad* 466.2. D.
39 *Immnitatem à tributis ſecularibus babent omnia bona Eccleſiaſtica, tam mobilia, quam immobilia, à* 467. 2.D. *vſque ad* 472. 2.D.& à 483. *vſque ad* 488.

40 *Immunitatem à tributis habēt bona Eccleſiaſtica, quamuis vendantur, vel tranſportentur. 470. 2. A.*

41 *Immunitatē à tributis habent bona Eccleſiaſtica, quæ antequā ab Eccleſia cōpararentur, ſubiecta erant tributis ex vi regalis iuriſdictionis, à 476. 1. D. vſque ad 483. 1. A.*

42 *Immunitate prædicta carēt ea bona, quæ antequā fierent Eccleſiaſtica, obnoxia erāt priuato oneri, vel ſeculari tributo ex vi dominij, pactiuè præcedentis, à 472. 2. B. vſque ad 476. 1. D.*

43 *Immunitatem vtrum participet priuilegium priuatum datum peculiariter rei vel perſonæ Eccleſiaſticæ, quæſtio eſt. 377.*

IMMVNITAS PROPRIA *perſonarum Eccleſiaſticarum.*

44 *Immunitates perſonarum Eccleſiaſticarum à quo iure proueniāt, tractatur latiſsimè, 408. 2. D.*

45 *Immunitas hæc haberi potuit à iure diuino, & Canonico, & Ciuili, à 382. 2. B. vſque ad 390.*

46 *Immunitas hæc probabiliùs data fuit à iure diuino, à 426. 1. C. vſque ad 428. 2. B.*

47 *Immunitas hæc in rebus, cauſiſque temporalibus ſanctè habetur iam vſque à prima Eccleſia, à 389. 1. A.*

48 *Immunitas hæc dari potuit à Romano Pontifice, à 428. 2. B. Inuitis Principibus, etiam Ethnicis. 433. 1. D.*

49 *Immunitas hæc per ſe non pendet à iure ciuili. 415. 1. B.*

50 *Immunitatis huius, & priuilegij nobiliū ſimilitudo: 388. 2. D*

51 *Immunitas, quæ dicitur priuilegium Canonis non explicatur in hoc tractatu, ſed in Tomo quinto de Cenſuris. 378. 1. B. & 515. 1. D.*

52 *Immunitas priuilegij Canonis eſt purè humana. 515. 2. B.*

53 *Immunes ſunt perſonæ Eccleſiaſticæ ab omni poteſtate legum ciuilium, & quo modo, à 460. 2. vſque ad 463. 1*

54 *Immunes item ſunt à cenſu, ſeu tributo, quod dicitur Capitationis. à 488. 1. C. vſque ad 489. 2. A.*

55 *Immunes item ſunt à ſubeūdis occupationibus, muneribusuè etiā nō ſordidis, quæ alij ciues iubentur à legibus, vel magiſtratibus, à 489. 2. A. vſque ad 490. 2. D.*

56 *Immunes item ſunt, vt ne vllo modo priuentur emolumentis, commoditatibus, vlliſvè rebus, aut actionibus communibus ciuium reliquorum, à 491. A. vſque ad 493. 2. B.*

57 *Immunitas Chriſti à tributo Cæſaris, quoniam eſſet filius Dei, à 394. 2.*

58 *Immunitas Summi Pontificis ex iure diuino tam naturali, quàm poſitiuo oſtenditur, à 390. vſque ad 408.*

59 *Immunitas Apoſtolorum diſputatur, à 423. 2. D. vſque ad 425. 1. D. & 426. 1. C.*

60 *Immunitas Epiſcoporum eſt de iure diuino, à 425. 1. D. vſque ad 426. 1. C.*

61 *Immunitas perfectè ac plene communicatur cum perſonis omnibus Eccleſiaſticis cuiuſque ſtatus, & gradus, quæ malè de ipſa non mereantur. De quibus nominatī diſſeritur, à 508. vſque ad 523.*

IMMVNITATIS. *priuatio.*

62 *Immunitate priuātur Clerici ſacri etiam ordinis propter crimina, quæ exprimuntur, à 514. 2. B. vſque ad 515. 2. D.*

63 *Immunitate priuantur Clerici Minoris Ordinis, qui Clericalem ſtatum amittunt, præterita vna qualibet trium conditionum, quas apponit Concilium Tridentinum, & explicantur, à 510. 2. A. vſque ad 514. 2. A.*

64 *Immunitate priuantur Clerici coniuges niſi multis conditionibus ſatisfaciant, vt quandam partem immunitatis retineant, in cauſis videlicet criminalibus, à 516. 1. A. vſque ad 519. 1. C.*

65 *Immunitas perſonarum Religioſi ſtatus, abſque ordine ſingulatim tractatur, à 519. 1. D. vſque ad 523. 2. C.*

66 *Immunitate an gaudeant laici miniſtri Eccleſiæ, vel famuli Clericorum, vel Epiſcoporum familiares, à 520. 2. D. vſque ad 522. 2.*

IMMVNITAS PERSONARUM *Eccleſiaſticarum in ſuis bonis*

67 *Immunitatem retinent hæc bona ſub poteſtate Clerici conſtituta, ſi ille non fieret eorum Dominus, ſed diſpenſator. Si vero perſona eſt vere domina, iam ea bona nō plus habent immunitatis quā cætera vulgariter acquiſita, in quibus etiam cenſentur mercedes acceptæ ob actiones ſpirituales, à 493. 2. B. vſque ad 496. 2. B.*

68 Immunia ſunt cuncta bona etiam vulgaria perſonarum Eccleſiaſticarum à ciuilibus legibus, à 459. 1. D.

69 Immunia item ſunt à tributis ciuilibus, ſiue realibus ſiue miſtis. Sed excipiuntur ea tributa, quæ ius canonicum quibuſdam de cauſis ſoluere iubet, à 496. vſq; ad 499 D. Excipiuntur etiã bona, in quibus præerãt tributa impoſita ex aliquo pacto priuati Domini. Minimè vero excipiũtur bona onerata tributis regalibus, quæ exigebantur ex vi ſolius iurisdictionis, à 500. 1. A. vſque ad 502. 1. A.

70 Immunitas à tributo quod Luſitanè dicitur (fintas) & ſæpe à ſingulis exigi ſolet ad opera vulgo, vel neceſſaria, vel vtiliſsima, quãta ſit in perſonis Eccleſiaſticis, tractatur, à 502. vſque ad 508. & 548. 1. C.

IMMVNITAS ECCLESIASticorum in cauſis ciuilibus.

71 Immunitas in omnibus cauſis Sanctè habetur iã vſq; à prima Eccleſia, à 389. 1. A

72 Immunitas in cauſis Eccleſiaſticis probatur, à 378. 1. C. vſque ad 382. 2. A.

73 Immunitas in cauſis ciuilibus probatur ex iure canonico, à. 445. 2. B.

74 Immunitas in cauſis realibus, hoc eſt fundatis in re merè temporali, quin interueniat ipſa perſona Eccleſiaſtica, defenditur. 448. 1. C. Sed excipiuntur primò cauſæ Feudorũ quæ agi debent corã Dño Feudi, 448. 2. A. Secundo cauſæ bonorum regalium, 448. 2. B. Tertio bona ciuilia data perſonis, vel rebus Eccleſiaſticis ea conditione, vt foro ciuili ſemper ſubijciãtur, 448 2. B. Aliæ remiſsiuè, 448. 2. D.

75 Immunitas prædicta intelligitur, ſi perſonæ Eccleſiaſticæ reæ citentur, 446. 1. B. Sed ab iſta declaratione fieri ſolent exceptiones. Prima, ſi bona de quib' litigatur, ſint Eccleſiæ. 449. 1. Secunda refertur, ſi bona ſint ipſius perſonæ immunis ſed reprobatur. 449. 1. B. C. Tertia, quando alicubi ſit contraria conſuetudo, nimirum, vt reus ſecularis ad iudicium veniat Eccleſiaſticũ, à 449. 2. A. vſque ad 450. 1. A. Quarta, ſi actor Eccleſiaſticus habeat legitimũ priuilegiũ, reum vocandi ad ſuũ forũ. 450. 1. A. Qualia priuilegia Summus Pontifex ſæpe priuatim concedit 447. 1. A. An vero poſsit generaliter, diſputatio eſt, à 446. 1. C. Probaturq; poſſe, à 446. 2. C. vſq; ad 448. 1. B Quinta, ſi laicus iudex in culpa ſit, propter quam iudex Eccleſiaſticus poſsit litem ad ſuum iudicium traducere, à 450. 1. B.

76 Immunitatẽ habet perſona Eccleſiaſtica, vt trahi non poſſit ad ſeculare iudiciũ, ſeu rea in illo conſtitui propter vllam quãuis maximam culpam iudicis Eccleſiaſtici, à 450. 2. A. & 548. 2.

IMMVNINITAS IN Criminalibus.

77 Immunitas in cauſis criminum tam Eccleſiaſticorum, quam etiam ſeculariũ negari non poteſt. 451. 1. D.

78 Immunitas in cauſis criminum probatur ex iure canonico, & ciuili, à 451. D. vſq; ad 454. 1. C.

79 Immunitati criminum prædictæ quæ leges repugnare videntur, reijciuntur, vel explicantur. 453. A. Præſertim dictum Concilij Matiſconenſis prima ſpecie contrarium. 453. 1. C.

80 Immunitatem hanc habẽt omnia crimina, præter excepta à Summo Pontifice, in Regnis quibuſdam. 454. 1. A.

82 Immunitatẽ hanc habent omnes perſonæ Eccleſiaſticæ præter exceptas, vel à lege canonica, vel à iuſta ſententia Eccleſiaſtica, vel à delegatione quam Sũmus Pontifex fecerit iudici laico. 453. 2. B. vel à defenſione legitima, 549. 2. A. & à. 557. 1. D. vel à pacto, & conuento etiam legitimo, à 552.

82 Immunitas hæc etiam intelligitur, ſi perſona Eccleſiaſtica rea ſit. 454. 1. D. & 2. A. B. Secus, ſi ſit actor, niſi ratione ſacrilegij. 454. 2. B.

83 Immunitatẽ hanc participant crimina cõmiſſa ante ordinẽ ſacrũ ſuſceptũ, vel eo tẽpore quo perſona eccleſiaſtica priuata erat immunitate, quam poſtea recuperauerat, à 454. 2. D. vſque ad 456. 1. C.

IMMVNITATIS Eccleſiaſticæ curruptelæ.

84 Immunitas violari ſolet tũ legibus, tũ actionibus, à 542. 2. D. vſq, ad 543. 2. C.

85 Immunitatis violatio vtraq; contingere poteſt, vel directè, hoc eſt, palam, & aperte: vel indirectè, hoc eſt, per præſtigias & quaſi ex inſidijs, à 543. 2. C. vſq; ad 544. 2. A. Quæ indirecta, obſcuraq; violatio, vera quoque, & propria eſt iudicanda, à 544. 2. A vſque ad 546. 1. D. & à 491.

86 Immunitatẽ, quæ leges, vel canones vidẽtur corrumpere, reijciuntur, vel explicantur, à 450. 2. A. vſque ad 451. 1. C. & 453. 1. A. & à 458. 1. A. vſque ad 463 &.

& 483.& 491.1.A.& 2.C.D.& 492.1.A.B.& 499.& 531.2.
87 Immunitatem minus retinuiſſe Principes aliquos, quomodo accipiendum ſit. à 444.2.C.
88 Immunitati reſiſtens Princeps Catechumenus, baptizandus non eſſet. 434.
89 Immunitatis violatores quantum ſcelus ſuſcipiant. 542.2.
90 Immunitatis violatores quibus pœnis teneantur, remiſsiue. 542.2.C.
91 Immunitatem non violant tributa à Sūmo Pontifice impoſita rebus Eccleſiaſticis. 467.2.A.
92 Immunitas non præbet impunitatem perſonis immunibus. 388.1.C.
93 Immunitati Eccleſiaſticæ infeſti ſunt maiori ex parte magiſtratus ciuiles. 493.1.D.
94 Immunitatis ſine culpa violandæ ſex Catholici vtuntur quæſitis excuſationibus minime fermè accipiendis. à 546. vſque ad 561.
95 Immunitatis violandæ excuſatio prima eſt ignorantia. Quæ ſi ſit facti interdum admittitur, iuris vero minime. 547.1.& ſequentib. Quid verò ſi res ſit dubia. ibi.2
96 Immunitatis violatorum excuſatio ſecunda, neceſsitas eſt, quam inter Catholicos non poſſe obuenire oſtenditur. à 547.2. vſque ad 549.2.A.
97 Immunitatis violatorum excuſatio tertia eſt conſuetudo; nullam verò immunitati contrariam, quantumuis longiſsimi ſeculorum interualli præualere poſſe oſtēditur. à 549. ſed ponderantur varij vſus, atque abuſus plurium Regnorum, vſque ad 552.
98 Immunitatis violatorū excuſatio quarta, eſt concordia, ſeu pactum. 552.2.A. Sed oportet, vt à Summo Pontifice approbatum legitimè ſit, et reuocari ab eodem poteſt, quandocunque libuerit. à 553.1.B
99 Immunitas minui non poteſt per Epiſcoporum pacta, niſi Pontifex ea confirmet. 552.2.B. Declarationes adhibētur. 554 1.& 2.B.
100 Immunitatis violatorū excuſatio quinta eſt priuilegium: quod à Summo Pontifice datum, nec reuocatum fuiſſe oportet. 555.1. Num verò ſint aliqua priuilegia, quæ non reuocentur per bullam Cœnæ, quæſtio eſt. à 555.2.B. vſque ad 556.2.B.
101 Immunitatis violatorum excuſatio poſtrema eſt iuſta, & legitima ſui, vel rerum ſuarum defenſio: quæ quidem verum ius, germanamque iuſtitiam continet. à 557.1.D. vſque ad 558.1.B. Sed homines laici vmbra fere, & imagine huius vtuntur, ipſam iuſtitiam vix tenent. à 558.1.C. vſque ad 561.2.D.

1 Imperatorum pietas, atque ſubiectio erga Pontificem Romanum. à 322.2.B.& 651.2.
2 Imperator non eſt ſupremus totius Eccleſiæ princeps, etiam in temporali iuriſdictione. 239.2.

1 Indirecta ſubiectio, & gubernatio. à 237.2.B.& 368.2. et 429.1.C. 432.2.C.

1 Indulgentiæ manant ab infinita copia repoſita meritorum Chriſti, nec non etiam aliqua Sanctorum hominum, quam Chriſti Vicario diſpenſare licet, ex ſua ſuprema poteſtate ſoluendi. 207.2.C.D.
2 Indulgentiarum, & ſatisfactionum cauſa efficiens materia, & finis. 207.1.C.
3 Indulgentias ab hinc annos quingentos ſolent Pontifices dare militibus ad bellū contra infideles proficiſcentibus. 682.2.C.
1 Infideles non ſunt ſubiecti Eccleſiæ. 232.1.B.
1 Internos actus Eccleſia non poteſt præcipere. 333.2.B.

1 Iudæorum Regum excellentiæ. à 343.2.D.
2 Iudæi vt gubernari poſsint à poteſtate ciuili Chriſtiana. 231.2.D.

1 Iudex Eccleſiaſticus ſecularem longe præcellit. 450.2.D.

IVDICIVM EXTREMVM.

1 Iudicij extremi dies conſectari poterit: plane ſciri non poterit. à 598.2.C. vſque ad 605.1.D.
2 Iudicio extremo tam vniuſcuiusq́, quam vniuerſali omnium hominum accommodatur Chriſti parabola de decem virginibus. à 601.1.C.
3 Iudicij extremi dies quam erit horribilis, & pertimeſcenda. à 634.1.C.

IVRAMENTVM CIVILIS fidelitatis.

1 Iuramentum fidelitatis quid ſit. 697. 1. in fine.
2 Iuramentum fidelitatis ciuilis nihil inuoluere debet Eccleſiaſticum. à 704. 1. D.
3 Iuramentum non eſt neceſſarium ad obligandos ſubiectos, vt manifeſtent proditiones ſuorum Principum cum naturaliter ſint obligati à fidelitate, & charitate. 713. 1. C.
4 Iuramento firmare, & adaugere obligationem fidelitatis honeſtum eſt. 697. 1. & 713. 1. C.
5 Iuramentum fidelitatis fieri debet cum legitime poſtulatur à ſuperiore. 691. 1. 704 2. B.
6 Iuramentum fidelitatis comprobatum fuit in multis Concilijs. 705.
7 Iuramentum fidelitatis licitum eſſe nemo Catholicus inficiatur. 704. 2. B.
8 Iuramenti fidelitatis ciuilis honeſtas fruſtra monſtratur à Rege Iacobo. 704. 2. C.
9 Iuramentum fidelitatis, de quo dubitetur an ſit legitimum doceri debet à Romano Pontifice. 737. 2. B.
10 Iuramentum fidelitatis relaxare poteſt iuſta de cauſa Romanus Pontifex. 709. 2. A.
11 Iuramentum fidelitatis ex ſe diſſoluitur, cum regno is caret, in cuius verba iuratum fuerat. 709. 2. D. & à 720. 1. C.
12 Iuramentum fidelitatis illicitum eſt, ſi deroget quicquam de iure alieno. 697. 2.
13 Iuramentum fidelitatis ciuilis illicitum eſt, ſi contra Chriſtianam religionem vel clare aliquid proponat, vel etiam occultiſsime inuoluat. 706. 749. 1. C.
14 Iuramentum fidelitatis in regnis pacatis peti non ſolet ſingulatim ab omnibus, ſed ſolùm à primarijs. 697. 2.
15 Iuramentum fidelitatis antiquo in Hiſpania de more ſoli quidam optimates præſtant. 705. 1. A.

IVRAMENTVM ANglicanum.

16 Iuramentum primarij Eccleſiaſtici in Anglia catholica facere ſolebant Romano Pontifici. 698. 1.
17 Iuramentum fidelitatis præſtandæ ſibi in rebus ſacris, nulli Regum Chriſtiani nominis in mentem venerat. 705. 2. D.
18 Iuramentũ ſibi in rebus ſacris primus ambire cœpit Henricus octauus, ſed ipſum iſtius petitionis initio puduit. 706. 1.
19 Iuramentorum, quæ poſt miſerandam Angliæ ruinam cœperunt extorqueri, nullum hactenus fuit verum ius iurandum fidelitatis, ſed ſacramenta quædam perfidiæ, ſeu vſurpationis primatus Romani per primatum Britannicum. 697. 2. & 698.
20 Iuramentum iſtud extorquere cœpit Hẽricus octauus à viris primarijs Eccleſiaſticis. 698. 1. 2.
21 Iuramentum idem Eduardo ſexto fieri ſolitum videtur ex eo, quod dicit Regina. 698. 2. poſt medium.
22 Iuramentum iuſſum ab Eliſabetha. 698
23 Iuramenti Henrichiani, & Eliſabethici forma aucta eſt à Iacobo, addito fidelitatis, & obedientiæ iure iurando, vt ea ſpecie fidelitatis omnes commoti venena bibant, quæ propinantur. 698. 2.
24 Iuramenti Iacobi forma prima & ſecunda. 699.
15 Iuramentum ſuum Iacobus contendit eſſe mere ciuile. à 706. 2. C.
26 Iuramentum Iacobi in quatuor partes diuiditur, in quibus tranſilire longiſsime ciuiles terminos exquiſite Autor demonſtrat. à 707. 1. C. vſque ad 736.
27 Iuramentum Iacobi eſt expreſſus character Britãnicæ hæreſis. 733. 1. B. A malo ſpiritu. 775. 2. C.
28 Iuramenti Iacobei latens venenum, iudicio ſuo Rom. Pont. docere debuit. 736. 1. B.
1 Iuriſdictio Eccleſiaſtica eſt excellentior quam ſecularis. 557. 2. A.
2 Iuriſdictio nulla eſt in iure nominandi, eligendi, vel confirmandi. 365. 2. A.
3 Iuriſdictione caret priuilegij datio. 458. 2. B.
5 Iuris vocabulum bifariam accipitur. 418 1. C.
5 Ius diuinum quod ſit naturale, quod poſitiuum. 392. 2. B. & 394. 1. D.
6 Iuris naturalis diuiſio in negatiuum, & poſitiuum: ſiue concedens, non verò præcipiens. à 220. 1. D.
7 Ius humanum duplex ciuile, & canonicũ. 415. 1. B.
8 Ius canonicum an recte diuinum dicatur. 415. 1. D.
9 Ius canonicum deriuatur à iure diuino poſitiuo. 251. 1. B.

L.

1 Leuitarum excellentia. à 421. 1. D.

LEX.

1 *Legis humanæ obligatio vnde proueniat.* 222.1.*A.*

2 *Legum ciuilium,& Pontificiarum materia.*330. 1. *B.*

3 *Leges ciuiles eiuſdem materiæ cum Pontificijs directè irritari poſſunt à poteſtate Eccleſiaſtica.*330.2.*C.*

4 *Leges ciuiles de rebus Eccleſiaſticis ipſo iure ſunt irritæ.*330. 2.*C.*

5 *Leges ciuiles nullam vim habent in materia Eccleſiaſtica, neque in bonis, vel Eccleſiaſticis, vel perſonarum Eccleſiaſticarum.*458.

6 *Leges* Iuſtiniani *de materia canonica non ſunt veræ leges.* 381. 1. *D.*

7 *Leges ciuiles proſpicientes communi ſecularium, & clericorum ſocietati non obligant clericos,ſed ipſi obligantur ex vi rationis, & canonici iuris.*à 459. 2.*B.*

8 *Legum ciuilium poteſtas duplex directiua, & coactiua: a quibus manant omnes effectus legitimi.* 457.1.

9 *Legis quæ regia vocatur etymologia à* 221.1.*D.*

1 *Libertas hominis quanta ſit.*221.1.

2 *Libertas Eccleſiaſtica, vide* Immunitas Eccleſiaſtica.

M.

1 *Marcellinus Papa.* 312. 1.*C.*

1 *Mahometus non fuit proprius Antichriſtus.*568.2.*C.* & 613.1. & 696.2.*B.*

2 *Mahometanum errorem fortaſſe tot gentes,quot Chriſtianam religionem obtinet.* 82.2.*D.*

MARIA VIRGO
Dei Mater.

1 *Maria Virgo coli debet hyperdulia.*160. 1.*B.*

2 *Mariæ Virginis ſubſidium inuocandum mortalibus.* 161. 2. & 162.

3 *Maria Virgo ſine ſolicitudine, aut incommodo ſemper propitia eſt hominibus, ac pro eis intercedit.* 162.2.C. & 163.

4 *Mariæ Virginis imaginum cultus catholicus,& decens præcipuè Romæ.* 682.

1 *Maria Regina Angliæ fidem Catholicã inſtaurauit.* 7.1.C.

MARTYR, ET
Martyrium.

1 *Martyrum ſanguine facta eſt Eccleſia fæcundior.* 101.1.*D.*

2 *Martyrum ſanguine eſt vera fides illuminata.* 102.1.C.

3 *Martyrium quali morte præſtetur.* 105. 2.*B.*

4 *Martyr nullus errauit in vllo fidei decreto.*104.1.

5 *Martyrij laudem nullus hæreticus habere poteſt.* a 105. *vſque ad* 107.

6 *Martyr eſt, qui occiditur propter honeſtũ actum religionis, etiam ſi non eſſet ſub præcepto.* 771. 2. *C.*

7 *Martyr eſt, cui religionis Catholicæ cauſa immatura mors accelerat.*774.1.

8 *Martyrij palmam magna ex parte conſequetur, qui vſque ad mortem in tribulationibus, & laboribus pro Catholica fide conſtanter perſeuerat.*774.2.*A.B.*

1 *Mathias an immediatè a Deo habuerit Apoſtolatum.* 222.1.*D.* & 226. 2.*D.*

1 *Matrimonium coniugis infidelis quando poſſit diſſolui.* 232.1.*D.*

1 *Miracula Eccleſiæ Catholicæ defenduntur a calumnijs.* 670. 2. & 671. 1.

MISSA.

1 *Miſſa etiam ſecreta, ſacrificium eſt publicum.*155.2.*D.* & 156.1.*B.*

2 *Miſſa fieri non debet ſine miniſtratore.* 156.1.*D. Sed hæc interdictio magis videtur Eccleſiaſtica, quàm diuina.* 156. 2.*B.*

3 *Miſſa priuata dicitur tribus modis omnibus licitis.*157. *Et confirmatis miraculorum, atque exemplorum comprobatione.* 158.

1 *Moralibus in rebus implicitum pro expreſſo habetur, quando idẽ efficitur.* 748. 2.C.

1 *Moyſis corpus propter quam rationem Deus occultauerit.* à 194. 1.C.

1 *Neronem Antichriſtum fuiſſe, iterumq́; venturum quidam etiam catholici falſo putarunt.*à 611.

P.

1 *Pœnæ Eccleſiaſticæ.* 339.1.

1 *Papa, &c.* Vide Pontifex.

1 *Paradiſus terreſtris, vt eſt veriſimile, ſeruatur*

uatur hactenus: nec excindetur, niſi cum ipſa hac rerum natura. à 632. 2. D.

1 *Peccati culpam cum Deus remittit, pœnam commeritam non ſemper totam condonat. à 201. 2. C.*

2 *Peccata iuſtorum leuia ſeu venialia diuinam gratiam non extinguunt. a 202. 1. D.*

1 *Pericula cauenda. 369. 2. D. & 715. 1. B.*

PERSECVTIO ECCLEſiaſtica.

Perſecutio Eccleſiaſtica eſt ea vexatio totius, vel magnæ partis Eccleſiæ, quam præpotens dominatus molitur, ad euertendam, vel minuendam veram religionem. 759. 2. C. *& a* 760. 1. *A.*

Perſecutio Eccleſiaſtica non dicitur ea tyrãnis, quæ nihil nocet religioni. 759. 2. D. & 760. 2. B.

Perſecutionis Eccleſiaſticæ prima machina eſt labefactatio Chriſtiani cultus dirutis tẽplis, imaginibus, & ſacris locis combuſtis, vel in prophanos vſus mutatis. 760. 2. C.

Perſecutionis Eccleſiaſticæ ſecunda machina eſt legum crudelium latio, & executio in catholica opera, ſiue perſonas. 761. 1. A.

Perſecutionis Eccleſiaſticæ tertia machina eſt infidelis, & praua puerorum omnium educatio, atque doctrina. 761. 1. B.

Perſecutionis Eccleſiaſticæ quarta machina ſunt inſidioſæ blanditiæ, ſiue fauores ad vitæ commoda. 761. 1. B.

Perſecutio Eccleſiaſtica, vide Angli Catholici.

1 *Perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ ſint. 320. 2.* D. 508. 2. *Vide verb.* Immunitas.

PETRVS APOSTOLVS.

1 *Petrus habuit à Chriſto Domino poteſtatem ſupremam ſpiritualem ad gubernandam Eccleſiam militantem. à 268. 1. A. vſque ad 283.*

2 *Petrus nominabatur Simon, ſed Chriſtus ei cognomen addidit.* 268. 2. C.

3 *Petri excellentiæ. à 269. 1.*

4 *Petri varia epitheta ex Sanctis Patribus. 275. 1. A.*

5 *Petrus ex mera Dei voluntate conſequutus eſt principatum Eccleſiæ. 275. 2. B.*

6 *Petro data eſt iuriſdictio ordinaria, vniuerſalis, & deriuanda in ſuos poſteros: ſecus verò alijs Apoſtolis. 280. 1. A.*

7 *Petri primatus durabit ad omne tempus Eccleſiæ. à 283. 2. vſque ad 287.*

8 *Petrum diſcipuli ſibi præpoſitum cognoſcebant. 397. 1.*

9 *Petro interueniente datum eſt alijs Apoſtolis munus Epiſcopale. 286. 2. D.*

10 *Petrus à Chriſti aſcenſu ſex circiter annos domicilium ſtabile non habuit. 289. 2. A.*

11 *Petri ſedes Antiochena. 289. 2.*

12 *Petrus martyrium obijt Romæ, vbi collocauit ſuam certam ſedem ac domiciliũ principatus Eccleſiaſtici. 289. 2. B. & 290. & 291.*

13 *Petri immunitas à tributo Cæſaris explicatur. à 396. 2. C.*

14 *Petri immunitas tranſmiſit ad ſucceſſores Romanos Pontifices. 398. 1. A.*

Philippus Imperatorum primus Chriſti fidẽ accepit. 363. 2. D.

Pij. IIII. legatio ad Eliſabetham bis fuit reiecta. 764. 2. D.

Pilatus quam poteſtatem in Chriſtum habuerit. 408. 2.

PONTIFEX MAXIMVS.

1 *Pontificem vt Deus immediate nũc creet, atque creauerit in lege veteri. 222. 2. B. & 228. 1. D.*

2 *Pontifex vnus tantum eſſe poteſt. à 287. 1. B. vſque ad 288. 2. C.*

3 *Pontifices neque maximi, neque minores interdicuntur temporali, & politico principatu. 243. 2. A.*

4 *Pontifex Iudæorum ſuis etiam Regibus antecellebat. 354. 1. C.*

5 *Pontifex Chriſtianus Iudæum veterem longiſsimè ſuperat. 356. 1. & 399. 1.*

6 *Pontificem Chriſti Vicarium viſibilem eſſe oportet, & habere certam ſedem, atq; ſucceſsionem. 289. 1. B.*

PONTIFEX ROMANVS.

7 *Pontifex Romanus Paſtor eſt, & vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ, & peculiaris Romanæ diœceſis. 23. 1. C. D. & 68. 2. A.*

8 *Pontifex Romanus ſucceſſor eſt Diui Petri Apoſtoli in ſtabilitate doctrinæ fidei, morumvè generalium. à 24. 2. C. vſque ad 33. 1. C.*

9 Pon-

9 *Pontifex R. ſucceſſor eſt Petri in ſuo primatu ſupra totam Eccleſiam. à 287. vſq; ad 372.*

10 *Pontifex Rom. ſolus Petri eſt ſucceſſor.* 288. 2. D.

11 *Pontificis R. ſedes non poteſt ab Eccleſia mutari aliorſum.* 291. 1. C.

12 *Pontifices Rom. ſuum hunc principatum quibus modis tuentur.* 293. 1. C. & 310. & 654. 2.

13 *Pontificum R. authoritas quantum valeat in aſſerendo ſuo principatu.* 300. 2. D.

14 *Pontificum R. potentiæ documenta antiquiſsima. à 363. 1. C.*

15 *Pontifex R. non eſt monarcha temporalis totius Eccleſiæ. à 240. 1.*

16 *Pontificum R. temporale regnum comparatum fuit iure humano.* 390. 2. C.

17 *Pontificum R. maieſtatem non minuunt excellentiæ regalis dominationis. à 342. vſque ad 347. Neque acta Regum Iudæorum vſque ad 356. Neque dicta Cōciliorum, aut Patrum vſque ad 362. Neque acta Imperatorum & regum vſq; ad 368.*

18 Pontifex *R. etſi non poſsit diſpenſare ius naturale, poteſt eiuſdem materiam mutare.* 371. 1. B.

19 *Pontifex R. poterat dare perſonis Eccleſiaſticis immunitatem, ſi non habuiſſent à iure diuino. à 428. 2. B. vſque ad 434.*

20 Pontifex *R. cauſas Eccleſiaſticas ſubijcere laicis non poteſt, niſi delegata iuriſdictione ſpirituali.* 381. 2. C.

21 Pontifex *Romanus diſpenſans humana matrimonij impedimenta non fouet libidines, malas vè nuptias. à 680. 2. D.*

22 Pontifex *R. ſubiectos habet Chriſtianos Reges in rebus ſacris. à 322.*

23 Pontificis *R. eſt vniuerſam potentiam Regum Chriſtianorum dirigere ad finem ſpiritualem. à 326. 2. C. vſque ad 372.*

24 Pontifex *R. iuſta de cauſa* Chriſtianitatis *poteſt Reges punire, regnaq; etiam adimere. a 333. 1. B. & à 721. 1. B. vſq; ad 722. 1.* C. *& a 732. 1.* C. *vſque ad 735. 2.*

25 Pontifices *R. regna ademerunt. a 337. 2. & 722. 1. A.*

26 Pontificis *R. authoritas ſupra imperium Romanum.* 340. 2. B.

27 Pontificem *R. ſumma pietate, atque ſub iectione proſequuti ſunt* Catholici *Imperatores. a 322. 2. B. & 577. 2. A. & 651 2. B.*

28 *Pontificis R. potentia in bella, & militiam Chriſtianam.* 331. 2. & 332.

29 Pontificis *R. potentia in leges, & iudicia Chriſtianorum.* 330. & 331.

30 Pontificum *R. ſeueritas in coercendis libidinibus Regum Chriſtianorum.* 681. 1.

31 Pontificis *R. pedes oſculandi conſuetudo.* 283. 1. C. & 666. 1. B.

32 Pontifici *R. ſubiecti ſunt infideles* Principes. 400. 2. C. *licet minus quam Chriſtiani.* 730. 1.

33 Pontifices *R. non vtebantur ſua poteſtate, aut immunitate ſub Imperatoribus Ethnicis.* 400. 1. B.

34 Pontifex *R. poteſt iuſta de cauſa* Chriſtianos *eximere ab obedientia* Principis *Ethnici.* 340. 1. C.

35 *Pontificis Rom. maxima immunitas ex iure diuino tam naturali, quàm poſitiuo profecta monſtratur. à 390. vſq; ad 408.*

36 *Pontifex R. ſuam immunitatem non poteſt Eccleſiæ renuntiare.* 405.

37 *Pontifex R. à nemine coerceri legitime poteſt.* 402. 1. 403. 1. C. *Quamuis ipſi ita lubeat.* 405.

38 *Pontifex R. an ſe poſsit ſubijcere iudicio humano. à 404. vſque ad 408.*

39 Pontifex *R. quomodo ſubiectius ſit ſuo confeſſori.* 408. 1.

40 Pontifex *Rom. poteſt ſtatuere arbitrum ſuarum rerum.* 406. 2. C. *Itaque aliquādo ſtatuerunt* Pontifices. 407. 2. B.

41 Pontifex *R. vt fraterne corrigi poſsit.* 402. 2.

42 Pontificis *R. Electio.* 291. 1. D. 2. A. & à 364. 2. & 401. 1.

43 Pontificum *R. licentiam multa reprimunt. à 403. 2. D. vſque ad 404. 2. B.*

44 Pontificum *R. multi bene functi ſunt ſuo maximo munere.* 319. & 651. 2. & 652. 1. D. & 660. 2. C. D.

45 Pontificum *R. integritas atque innocentia, & miracula edita à 655. 1. C. & 670. 2.*

46 Pontifex *R. priuatim hæreticus vt priuetur ſummo* Pontificatu. 313. & 401. 2. C. & 402. 1. D. & 403. 2. D. & 406. 2. B.

47 Pontifex *Romanus, vt ſit veriſimile, calamitoſiſsimo Antichriſti tempore priuatam quoque fidei ſeruabit conſtantiā.* 680. 2. C.

48 Ponti-

48 Pontificis Romani depulſio à Summo pontificatu vt fieri poſsit. 401. 2.
49 Pontifex R. renuntiare poteſt Eccleſiæ ſuum Pontificatum. 402.1.D.
50 Pontificis R. deſpectio ſeminarium eſt hæreſum. 285.1.A.
51 Pontificis R. quæ à fidei hoſtibus fit comparatio impudentiſsima cum Antichriſto, refutatur toto libro quinto, ſummatimq́; 695. 2.

POTESTAS CIVILIS.

1 Poteſtas ſuprema quæ ſit. à 237. 2. B.
2 Poteſtas ſuprema gubernandæ communitatis ipſimet ſoli, & toti communitati à Deo tribuitur immediate, non peculiari dono, ſed conſequentia naturali. a 218. 2. D. & 227. 2. D.
3 Poteſtatem aliquam quibus modis Deus immediate concedat. 217. 2. & 218. 1.
4 Poteſtatis ciuilis authoritas, & honeſtas. 214. 2. & a 215. 2. C.
5 Poteſtatis ciuilis neceſsitas maxima. 215
6 Poteſtas ciuilis ſuprema diuiditur in democraticam, ariſtocraticam, & monarchicam. a 218. 1. D.
7 Poteſtatis ciuilis hæc tria genera ſæpe inter ſe commiſcentur. 218. 2. A.
8 Poteſtatem ciuilem negauit quidam Galilæus, ſectatoreſque habuit ſui erroris. 214. 1. A. & 216. 2. C. & a 229.
9 Poteſtas legitima magiſtratuum tam Chriſtianorum, quàm Ethnicorum Chriſtianos, & iuſtos etiam continet. à 228. 2. D. vſque ad 237.
10 Poteſtas mere ciuilis, vel in vno eſt homine, vel in vno concilio ſociato ad gubernandam cæteram communitatem. 215 2. C.
11 Poteſtas ciuilis à Deo inſtituta confertur bifariam ab hominibus. 222. 2.
12 Poteſtas Regalis multis modis dicitur à Deo dari. 228. 1.
13 Poteſtas Regalis non eſt immediate a Deo. 220. 2. B.
14 Poteſtas Regalis non ex diuina inſtitutione poſitiua, ſed ſolùm ex ratione naturali ducit originem: ab hominibus verò liberè, atque immediate data eſt. 223. 1. C.
15 Poteſtas Regalis quanta ſit. 386. 1. C.
16 Poteſtas Regalis comparatur diuerſis modis. 223. 2. B. & 241. 1. B.
17 Poteſtatis Regalis diuerſi gradus. a 223 1. D.
18 Poteſtate Regali Chriſtiani non prohibentur. à 232. 2. C. vſque ad 239.
19 Poteſtas ariſtocratica non eſt immediatè a Deo. 220. 2. B.
20 Poteſtas popularis, ſeu democratica naturalior eſt cæteris. 220. 1. B.
21 Poteſtas popularis imperfectior eſt cæteris ad finem politicum. 219. 2. D.
22 Poteſtas ciuilis duplex, vrbana ſeu moralis, executiua, ſeu militaris. 329. 2. D.
23 Poteſtatem ciuilem deperdi quouis peccato mortali: poſſeq́; magiſtratus ita peccantes corripi à quolibet ſubdito commentum fuit hæreticorum. 716. 2. C.
24 Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt Eccleſiaſticæ. 729. 1. C. 731. 1.

POTESTAS ECCLESIASTICA.

1 Poteſtas Eccleſiaſtica nulla fuit in lege naturæ. 257. 1. C.
2 Poteſtas Eccleſiaſtica data fuit Petro Apoſtolo. 249. 2. C.
3 Poteſtatis Eccleſiaſticæ differentiæ à tẽporali. 250. 2. & 251. 2. D. & 371. 2.
4 Poteſtas Eccleſiaſtica temporalem multis modis excellit. 320. 2. A.
5 Poteſtas Eccleſiaſtica indirecta vim directiuam temporalium rerum includit. 327. 2. C.
6 Poteſtas iuriſdictionis interni fori quæ ſit. 245. 1. A.
7 Poteſtas ordinis quas vires habeat. 244. 2. C. Poteſtas Ordinis.
8 Poteſtatis ordinis diſcrimina. 251. 1. B.
9 Poteſtas Ordinis apud hæreticos Angliæ confertur a Rege, vel magiſtratu per ſolam miniſtri deſignationem. 260. 2. C.
10 Poteſtas Eccleſiaſtica iuriſdictionis externæ. a 245. 1. B. Iuriſdictionis.
11 Poteſtatem Eccleſiaſticam fori externi negant hæretici, præcipue Angli. 245.
12 Poteſtas Eccleſiaſtica fori externi probatur. a 246. vſque ad 251.
13 Poteſtas ligandi coerciuam includit. 334. 2. B.
14 Poteſtas Eccleſiaſtica num pœnam capitis poſsit inferre. 388. 1. D.
15 Poteſtas Eccleſiaſtica data a Summo Pontifice ad ſe coercendum inualida eſt. 405. 2. C.

1 *Præſcriptio non poteſt fieri eorum, quæ ſunt de ratione intrinſeca poteſtatis ſupremæ.* 385.1.*D.*
1 *Præſentia* Dei *præſidium ſignificat.* 17.1.*B.*
1 *Principatus, vide* Poteſtas.
1 *Priuatus ſpiritus, quem ſibi fere hæretici arrogant, latè refellitur. à* 56. *vſque ad* 64.*&* 620.2.

PRIVILEGIVM.
1 *Priuilegij cuiuſque ratio generica, & ſpecifica.* 445.1.*D.*
2 *Priuilegium datum ſemper iuſta de cauſa reuocari poteſt.* 552.1.*B.*
3 *Priuilegium fori, vide* Immunitas.

1 *Prophetiæ quantumuis obſcuræ, poſtquam deprehenduntur euentis, manifeſtæ redduntur.* 666.2.*C.*
2 *Prophetiæ, prius quam impleantur, licet quoad circunſtantias, & ænigmata ſint obſcuræ, quoad rem propriè prædictam ſæpæ ſunt manifeſtæ.* 630.1.*D.*

1 *Prouidentiæ humanæ eſt conniuere multis in rebus.* 403.2.*B.*
PVRGATORIVM.
1 *Purgatorium conuincitur ex quibuſdam fidei propoſitionibus.* 203.1.*B.*
2 *Purgatorium aſſeritur ab antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus. à* 203.2. *vſque ad* 205.
3 *Purgatorium demonſtratur ex noua, & veteri diuina* Scriptura. 205.2. *&* 206.
4 *Purgatorium euaneſcet à die iudicij extremi.* 204.1.*C.*

1 *Puritanorum Angliæ hæreſis.* 262.1.*A.*

R.
1 *Redemptio Chriſti abundat, & effluit in ſaluandis hominibus: ſed non omnes ſaluantur.* 200.2.*C.*
REGNVM.
1 *Regnum fit è tyrannide cum populo eſt libitum, vel iuſte præſcribitur à ſucceſſoribus.* 224.1.*C.*
2 *Regna orbis clariſſima maiori ex parte contra fas occupata fuere.* 224.1.*C.*
3 *Regna orbis præcipua, quæ monarchiæ dicuntur, figurauit Daniel quatuor beſtijs.* 686.2.
4 *Regnum, vide* Poteſtas ciuilis.

RELIQVIÆ SANCTORVM.
1 *Reliquiæ iuſtam habent venerationem. à* 178.*&* 198.1.*B.*
2 *Reliquiarum veneratio eſt religioſiſſima.* 179.2.*C.*
3 *Reliquiarum veneratio Deo eſt admodũ accepta.* 180.2.*A.*
4 *Reliquiarum veneratio comprobatur miraculis.* 180.2.*C.*
5 *Reliquiæ malos dæmones fugant.* 181.1.*A.*
6 *Reliquiæ de more antiquo, & ſancto in locis publicis exponuntur.* 181.*&* 182.
7 *Reliquias inter cenſentur multa præter particulas* Sanctorum *corporum.* 183.1.
REX.
Regum excellentiæ. à 342. *vſque ad* 347.
Regibus iure gentium obedientia debita eſt. 730.2.*B.*
Regum muneri nulla data eſt poteſtas ſpiritualis. à 252.1.*D. vſque ad* 267.
Regum poteſtas ſubiecta eſt ſpirituali. à 326.2.*C. vſque ad* 372.
Reges Chriſtiani poteſtate ciuili ſuprema ſũt præditi. 239.1.*C.*
Regum poteſtas nihil minuitur ex fidei Catholicæ profeſſione, imò amplificatur. 370.1.*C.*
Regum vitam tenentur ſubiecti defendere, coniurationes & crimina læſæ maieſtatis, optimo quo poſſint modo, aperiendo. 713.1.*C.*
Regem creare infidelem Chriſtianis non licet. 231.1.*B.*
Rege per ſententiam declarato hæretico liberantur ſubiecti à ſacramento fidelitatis. 724.2.*C.*
Reges tolli à populo poſſunt quibus de cauſis. 225.1.
Regis eſt libertatem dicendi permittere. 2.
Rex vide Poteſtas ciuilis, *& verb.* Excommunicatio. 4.*&* 5.

1 *Roffenſis iuramentũ, & pœnitẽtia.* 706.1
2 *Roffenſis martyrium.* 767.778.1.
ROMA.
1 *Roma non habuit ſeptem formas regiminis à Iacobo inuentas. à* 576.1.*A.*
2 *Romæ dicitur inueniri ſanguis eorũ martyrum, qui vſque ad Ioannem Euangeliſtam à magiſtratibus Romani imperij occiſi ſunt. à* 649.1.*C.*
3 *Roma fortaſſe iterum ſub Antichriſto vulgo ethnica erit.* 680.2.*A.*

4 *Romæ expugnatio per Alaricũ Gotthorũ Regem.* 586.1. *B.* *Per Genſericum Regem Vandalorum.* 586.2.*D.* *Per Odoacrum regem Edulorum.* 587.1.*B.* *Bina per Totilam Gotthorum Regem.* 587. 1.C.

5 *Romæ euerſio, atque excidium vltimum ante diem iudicij extremi. a* 590.2.*A.*

6 *Roma an ſit euertenda penitus ab Antichriſto. a* 592.2.*D. & à* 644.2. *D. &* 675.2.*B.*

7 *Roma Ethnica dicitur Babylon in Scriptura.* 290.1.*B.& a* 588. *vſque ad* 680. *ſæpe.*

8 *Romæ ſuperbia.* 684.1.

9 *Romana Eccleſia, vide* Eccleſia Romamana.

10 *Romanus Epiſcopus, vide* Pontifex Romanus.

S.

SACERDOS.

1 *Sacerdotum dignitas, & immunitas.* à 426.1.C.

2 *Sacerdotum dignitas in lege naturæ.* 262. 2.*D. &* 263.

3 *Sacerdotũm cognomina honorifica.* 346. 2.*D*

4 *Sacerdotes dicuntur Angeli in Sacra Scriptura.* 345.1.*B.*

5 *Sacerdotis eſt libere dicere.* 2.

SANCTI DIVI.

1 *Sanctorum veneratio debita eſt.* 165.

2 *Sanctorum veneratio ſacra eſt, imò & con iunctiſsima cum diuina.* 166.

3 *Sanctorum canonizatio, hoc eſt, conſecratio, & conſcriptio in Diuorum numero, quantæ authoritatis ſit.* 168.1.C.

4 *Sancti proſpiciunt, & conſulunt rebus humanis ſine detrimento ſuæ beatitudinis.* 162.2.*C. &* 170.1.*D. &* 173.1.*D.*

5 *Sanctos implorandi mos poſt Chriſti diſceſſum eſt vetuſtiſsimus. a* 169. *vſque ad* 172.1.*B.*

6 *Sanctos implorandi conſuetudo eſt* Deo *gratiſsima.* 172.1.C. *&* 173.

7 *Sanctos implorandi conſuetudo neceſſaria eſt quodãmodo: certe eſt vtiliſsima.* 176. *&* 177.

1 *Sanderi merita de Eccleſia Vniuerſali, & Anglicana.* 778.1.*B.*

1 *Sauli an Deus, an verò populus immediatè contulerit Regiam poteſtatem. à* 225. 2.*A. vſque ad* 227.2.*B.*

SCHISMA.

1 *Schiſmatis ſignificatio, & genera.* 109. 1.

2 *Schiſmatis turpitudo. à* 110.2.*B.*

3 *Shiſmatis cum hæreſi coniunctio. à* 112. 1.*C.*

SCRIPTVRA SACRA.

1 *Scriptura diuina duos patitur ſenſus ſimul primarios, vnum hiſtoricum, ſeu literalẽ, alterum verò ſpiritualem. à* 637.1.*D.*

2 *Scriptura diuina præſenti verborũm modo interdum vtitur pro futuro.* 613.1. *A. &* 2.*C. D.*

3 *Scriptura diuina propoſitione interdum vtitur vniuerſali pro indefinita.* 649. 2.*A.*

4 *Scripturæ diuinæ arithmetica, ſeu numerandi ratio.* 581.1.*D. &* 583.2.*A. &* 594.1.*D. &* 595.2.*C. &* 687. *&* 688.

5 *Scripturam diuinam decenter admodum tractant Catholici.* 619.2. *Hæretici verò quàm indecore.* 620.2.

6 *Scripturæ diuinæ interpretatio eſt difficillima.* 55.56. *&* 696.2.*D.*

7 *Scripturæ diuinæ interpretatio vna eſt priuata, altera authentica.* 64.2.*A.*

8 *Scripturæ diuinæ certa interpretatio ſolũ eſt ab Eccleſia Catholica.* 58.1.*A.*

9 *Scripturæ diuinæ interpretatio metaphorica fugienda eſt, vbi propria poteſt bene conſtare. à* 369.2.*D. &* 595.1.*D. & à* 596.2.*D. &* 620.2.*D. &* 623.2.*A.*

1 *Secretum Confeſsionis ſacramentalis quatenus ſupprimendum ſit.* 713.1.*D. &* 714.1.*C.* 2.*C.*

1 *Serpentem æneum venerari an aliquando Iudæis licuerit. à* 193.2.*C.*

1 *Seruus initiatus ſacris ordinibus, vt liberetur à ſeruitute.* 433.1.*B.*

SPIRITVS SANCTVS.

1 Spiritus ſanctus *non poteſt dici proprie Chriſti Vicarius.* 249.1.*A.*

2 Spiritus ſanctus *vt Chriſti Domini vices gerat.* 249.1.*C.*

3 Spiritus ſancti aſsiſtentia *non omnibus Catholicis ſingulatim promiſſa.* 59.2.*C.*

4 Spiritus ſancti aſsiſtentia *quibuſdam Catholicis ſingulariter data.* 60.1.C.

1 Stylus Catholicorum *in Theologia, quam vocant ſcholaſticam, veritatis eſt optimus indagator.* 4.

1 Suffra-

1 *Suffragia ſeu ſatisfactiones nituntur articulo communionis Sanctorũ. à 207. 1. D.*

1 *Synagoga vniuerſa fidem non perdidit Iudæis vitulum adorantibus. 18. 2. B.*

T.

TRADITIONES DIVINÆ.

1 *Traditiones diuinæ etiam non ſcriptæ ingrediuntur fidei Catholicæ fundamentum, 48. 1. D.*

2 *Traditionum diuina authoritas probatur ex Sacra Scriptura 48. 2. B.*

3 *Traditionum authoritas rationibus, & cõiecturis aſſeritur, 49. 50. 51.*

4 *Traditionum authoritas confirmatur Patrum Authoritate. 49. 2. D. & 51. 2. D. & 52. 1.*

5 *Traditionum authoritas exemplis defenditur. 52. 2. D.*

1 *Tribus Iſrael vt dicantur duodecim, cum tredecim fuerint. 422. 1. C.*

1 *Tributorum genera duo. 467. 2. B.*

TYRANNVS.

1 *Tyrannus duplex, vnius in titulo, alter in ſola adminiſtratione. 715. 2. D.*

2 *tyrannum in titulo cuilibet occidere licet, & quando, ac quomodo, à 718. vſque ad 720. 2. B.*

3 *Tyrannus in vſu eſt, qui ſubditos à vera religione diſcedere compellit. 716. 1. A.*

4 *Tyrannum vim actu inferentem, quando occidere liceat, etiam ſi ſit verus Dominus, 717. 1. D. 2. B*

5 *Tyrannus in adminiſtratione ſtatim, ac incidit in hæreſim, quodammodo ſuo priuatur dominio, quod vel confiſcatur, vel trãſmittit ad ſucceſſorem Catholicum, ſed non eÿcitur, niſi lata ſententia. 721. 1. A. B.*

6 *Tyrannum priuare per ſententiam poteſt ipſa Reſp. vel Romanus Pontifex. 721. 1. C.*

7 *Tyrannum in adminiſtratione poſt ſententiam in illum legitime datam, quis poſſit occidere, à 720. 2. B.*

8 *Tyrãnus poſt latã priuationis ſententiã, vel declaratoriã eius criminis, quod à iure mulctatur priuatione poteſt exui regno à ſententiæ latore, vel eius miniſtro, qui tyrannum interficiat, ſi opus ſit, vel ſi iuſta ſententia hanc pœnam importet. 722. 1. C.*

9 *Tyrannus depoſitus per ſententiam non poteſt necari à quolibet homine, imò nec vi expelli niſi ius, vel ſententia det generalẽ quandam facultatem. Quod ſi nulli mãdetur executio ſententiæ, tranſibit regnum ad ſucceſſorem, vel ad ipſam remp. 722. 2.*

V.

1 *Vicarius quis dicatur. 249. 1. A.*

1 *Vicarius Chriſti, Vide* Pontifex.

1 *Virgo Deipara, Vide* Maria.

1 *Vncti in Scriptura qui nominentur. 343. 2. A & 564. 1. A*

ERRATA.

¶ Prior numerus paginam, ſecũdus columnã, tertius lineam deſignat.

Pag. 2 lin. 16 *veritati*, dic, *veritate.*
6. 2 29. *ſollicitudinum*, dic *ſolitudinum*,
7. *in margine poſt. n.* 8 *in regno*, dic, *in regnũ*
12 2. 11. *cœleſti*, dic, *cœleſtis*, & 23. *maximo opere*, dic. *maximopere.*
19. 2. 20. *illi*, dic, *illa.*
214. 2. 17. à fine, *indicibus*, dic. *iudicibus.*
215. 2. 28. *modo* dic, *modi.*
215. 1. 24. *verter &*, dic, *verteret.*
230. 1. 9. à fine *ſcriptura recta etiam ratio*, dic, *ſcriptura, & recta etiam ratio.*
* 232. 1. 16 *fideles*, dic, *infideles*
241. 2. 15. *Conſtantius*, dic, *Conſtantinus.*
243. 2. 1. *ne*, dic, *vt* & 11. à fine, *vel ita illã committit* dic, *an vero ita illã committat.*
253. 2. 15. *quid*, dic, *qui.*
279. 2. 11. à fine, *Petra*, dic, *Petræ.*
287. 2. 15 à fine, *cõgerẽtur*, dic, *cogerẽtur.*
328. 2. 22. *ordine*, dic, *ordinem.*
339. 2. 22. à fine, *immit ationem*, dic, *imitationem.*
401. colum. 2. lin. 5. *deſpoſuiſſe*, dic, *depoſuiſſe.*
402. 1. 23. à fine, *ſelalibus*, dic, *ſecularibus.*
425. 1. 5. *dicens*, dic, *decens*,
442. 1. 27. *immunitatis*, dic, *immunitas.*
346. dele hãc marginem, *Reÿcitur dicta exceptio.*
260 2. 12. *vt*, dic, *&.*
53. 11. lin. 1 *duntur.* dic, *ſubdurtur.*
935. 1. 15. *Eccleſtaſtici*, dic. *Eccleſiaſtici.*
639. 1. 10. à fi. *Euãgeliſta*, dic. *Euangeliſtæ* & 6. à fine. *fundameatũ*, dic *fundamẽtũ.*
956. 2. 13 à fine, *ad cauſa*, dic, *ad cauſam.*
661. 2. 17. à fine, *turbam*, dic *tubam.*
980. 1. 24. à fine *fornicationẽ*, dic *fornicationũ*, & *vel futura*, dic, *vel futuram.*
685. 2. 24. à fi. *Copronyci*, dic, *Copronymi.*
710. 2. 10. à fi. *aut credit*, dic, *an verò credas.*
845. 1. 2. à fi. *diſtinguunt*, dic, *diſtinguũtur.*

FINIS.

Bibliothèque des Fontaines

01-33[illegible]
[illegible] 1[illegible]105X